Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Historicum opus, in quatuor tomos diuisum: : quorum, tomus I, Germaniae antiquae illustrationem continet, in qua veterum autorum descriptiones, tam generales, qua?m speciales, cum doctissimorum virorum, nostrae aetatis, elaboratis commentarijs, explicantur, omissae ab antiquis recentiorum studio & industria supplentur : praecipuae historiae Germaniae antiqu[a]e & nouae describuntur, Populorum migrationes indicantur, Regionumq?[ue] ac Gentium appellationes recentes veteribus accommodantur, & aliae qua?mplurimae res liberali cognitione dignissimae, continentur : tomus II, compraehendit ea, quae sub Imperio Caroli V. Caesaris, in diuersis locis ac regionibus acciderunt, usq[ue] ad inaugurationem Ferdinandi I. Caesaris, una? cum resignatione Imperij Romani, a? Carolo V. facta : tomus III, historias complectitur, qu[a]e uenerunt in gubernationem Ferdinandi I. huius nominis, Imp. una? cum epitoma rerum gestarum, in uarijs orbis terrarum partibus, a? confirmatione eiusdem Caesaris, uidelicet ab anno Domini MDLVIII usque ad finem anni MDLXIIII : tomus IIII, res gestas in se continet, qu[a]e incurrerunt in Maximiliani II. C[a]es. Imperiu[m], una? cu[m] epitoma rerum, quae sub eode[m] C[a]esare, ab anno D[omi]ni MDLXV usq[ue] ad annum MDLXXIIII uarijs in orbis terrarum plagis peractae sunt : Germanicarum non solu?m reru[m], sed & uniuersis historiae ac antiquitatis studiosis, ut plurimum profuturum, a? uiro quodam erudito, & in historiarum lectione cum primis exercitato, (cuius in duorum posteriorum tomoru[m] praefationibus mentio fit) magno labore & studio collectum, & iampridem ad cognitionem

Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell

Huybert van Buchell (1513-1599)

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
- de kopsnede
- de frontsnede
- de staartsnede
- het achterplat

This book is part of the Van Buchell Collection

Huybert van Buchell (1513-1599)

More information on this collection is available at:
http://repertorium.library.uu.nl/node/2732

Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

HISTORICUM OPUS.

TOM II.

Historia Gentium.
Folio No. 355.

700



Historia Gentium.
Folio No. 355.

TOMVS II.

QVI EA CONTINET, QVAE IN Imperium Caroli V. Cæsaris inciderunt.

EX QVIBVS AVTEM IS DESVMPTVS AC CONFECTVS SIT, Catalogus sequens indicabit.

BASILEÆ.



Ex Donatione Hub. à Bürthel

AD LECTOREM
in secundum, & duos sequentes tomos, tertium, & quartum
Præfatio generalis.



I Marco Tullio Ciceroni ut Oratori summo, sic & Præstantissimo Philosopho, & in tractatione Reipubl. excellentissimo Viro credimus, is semper puer est, qui nescit, quid antequam natus sit, acciderit: in quo numero hominum hic habendus est, qui quæ in sua tẽpora memorabilia incurrerunt, & in Republica gesta sunt, ignorat. Nam licet homo multis alijs in rebus à bestia differat: Tamen hoc etiam ei maximè præstat, quod hæc ad id solum mouetur, quod sensu percipit, quodq; præsens est: homo autem cum à Deo Opt. Max. ratione præditus sit, & mente tum acri, tum uigente, tum celerrimè multa simul agitante: similitudines rerum & actionum atq; exempla inter se conferre, cum præteritis præsentia copulare, & ad hæc futura adiungere, ac ita totius uitæ etiam consequentis statũ complecti, & ad summum omnium bonorũ finem se accõmodare debet. Itaq; si non antiqua & uetusta, at sanè quæ superiora suaq; ætate notatu & memoria digna acciderunt, cognita habere oportet. Si non dico in Reipublicæ administratione, quocunq; munere fungatur, siue Consiliarij, siue Senatoris, siue Principis partes suas rectè tueri, sed uel in hac generis humani societate uel ciuium communione hominis ueri atq; ciuilis officio satisfacere uelit. Cùm autem nemo tam sagax, tam perspicax, tam industrius, tam exercitatus sit: qui per se solus omnia explorare, animaduertere, atq; obseruare possit: & ut maximè possit, non perinde tamen omnia ei in mentem ueniant, atq; animo colligat memoriaq; complectatur & retineat, ac si monumentis literarum adiuuetur: Idcircò præclare de genere humano merentur, hi qui ueritatis studio, & Reipublicæ amore ducti, cũ res gestas ueterum, & quę suam ætatem antecesserunt, literis consignant: tum suorum temporum historias memoriæ mandant. Quòd cum ita sit, laudanda quoq; est huius,

uiri litterati historiarumq; studiosi opera, qui quæ in trium Cæsarum nostra ætate continua serie imperantium Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. gubernationem inciderunt, ex diuersis & uarijs scriptoribus collecta, tribus Tomis comprehẽdit, continentibus quidem ratione temporis, at secundùm cuiusq; Imperium distinctis eo ordine, quo alius alium in administratione eiusdem secutus est. Vt enim ex his primus summæ rerum præfectus est Carolus V. cui de uoluntate Principum Germaniæ succesit Ferdinandus I eiq; subrogatus est Maximilianus filius: Sic in horum trium tomorum primum, quæ sub Carolo Cæsare, secũdum quæ sub Ferdinando I. postremum quæ sub Maximiliano II. domi foriscq; pace belloq; acciderunt, sunt congesta. Omnis igitur generis historias non de Imperij modo Reipublicæq; Germaniæ statum rebusq; gestis, sed & exterorum Regum, & in his Turcæ quoq; continẽt: ut ex Catalogo cuiq; Tomo præposito uidere licet. Etsi uerò in his quædam tam in uerbis, quàm in sententijs cui uideri possunt acriora, uehementiora, acerbiora & asperiora: tamen ueniam dabit collectori: quod nihil in aliorum libris immutare, sed uti quisq; quid scriptum reliquit, ita in hos quoq; Tomos conferre uoluerit. Quòd si etiam diligens Lector nonnulla eiusdem argumenti in his Tomis omissa, quędam non obseruato ordine uel rerum, uel temporum hic atq; illic inferta, aliqua etiam ab instituto hac aliena, permixta inuenerit: Is facilè nunc quidem excusatum habebit, tum Collectorẽ, tum Typographum: si cognouerit, quam ob rem neutri integrum fuerit, hoc tempore, quæ notari & desiderari possunt, corrigere & complere. At uerò temporis successu opera, eaq; maxima à docto quodam uiro & Historico dabitur, ut & quæ desint, ædantur: & quæ perturbata atq; commixta sunt, in ordinem digerantur. Vale

Calendis Augusti, Anno Domini CIↃ. IↃ. LXXIV.

Autho-

Authorum librorum & opusculorum, quæ in Secundo Tomo continentur, Catalogus.

GEORGIVS Sabinus de Electione & Coronatione Caroli v. Imperatoris, cum Epigrammatis quibusdã Hermanni Comitis Neuenarij. pagina 827. & pag. 850

Hartmannus Maurus Consiliarius Archiepiscopi Colonienſis de Coronatione Caroli v. Imperatoris apud Aquisgranum. pag. 852

Hieronymi Balbi Episcopi Gurcensis, de futuris Caroli v. Cæsaris Augusti succesſibus uaticinium. pag. 872

Vuirtembergię libri duo de Huldrichi Vuirtenbergensis &c. rebus gestis in eo potissimum bello, quod ei à Fœderatis Sueuis illatum fuit, authore Ioanno Tethingero Pedio. pag. 875

Eiusdem commentarius de Vuirtembergiæ reb. gestis Huldricho Principe lib. 3. pag. 908

Iustini Gobleri narratio de bello Hildensheimensi, inter Ericum Brunsuicensem & Episcopum Hildensheimensem, anno 1519. durante interregno gesto &c. pag 949

Rerũ gestarũ narratio succincta, quę in Dania & Suetia, alijsq; his finitimis locis ab anno M.D.X usq; ad annũ XX. Christierno 2. Rege Suetiæ imperante, acciderunt: quibus adiecta est eiusdem regis uitæ & coronationis breuis descriptio: authore incerto. pag. 955

De bello Rhodio libri tres, Iacobo Fontano Brugensi authore. pag. 961

Actio memorabilis Franciſci ab Siccingen cum Treuirorum obsidione, tum exitus eiusdem: Bartolemæo Latomo Arlunensi authore. pag. 1019

Rusticorum tumultuum in Germania, anno 1525. excitatorum, & à Magistratibus represſorum historia. Petro Gnodalio authore. pag. 1031

Galeatij Capellæ de rebus pro restitutione Franciſci secundi Mediolanensium Ducis, commentariorum lib. 8. pag. 1104

Stephanus Brudericus de clade Ludouici II. Hungariæ Rege. pag. 1177

Commentarius captæ urbis Romæ, anno 1527. ductore Carolo Borbonio, cum præfatione Ioachimi Camerarij &c. pag. 1197

Carolus, siue Vienna Austriaca. pag. 1202

Carolus, siue Tunete. pag. 1204

Viennæ Austriæ urbis à Sultano Solymanno obsessę historia. pag. 1207

Belli Pannonici per Illustrisſimum Principem Fridericum Comitem Palatinum &c. contra Solymannum &c. gesti, liber unus, Melchiore Soitero à Vinda authore. pag. 1226

Heinricus Cornelius Agrippa de duplici coronatione Caroli v. Cæsaris apud Bononiam, anno 1530. pag. 1256

Victoria D. Sigismundi I. Regis Poloniæ contra Vaſſuodam Muldauiæ, olim Dacię &c. Authore Ioãne Dantiſco &c. Episcopo Culmense. pa. 1275

H. Eobani Hessi, Gratulatoria acclamatio ad Philippum Hessorum &c. Principem, de uictoria Vuirtembergensi &c. pag. 1277

Oratio de expulso & restituto Duce Vuirtembergensi Vlricho Marburgi habita à Nicolao Al. Barbato. pag. 1284

Elenchus

Michaëlis Augusti Vuirtenbergensis gratulatio ad patriã, de reditu Principis Virichi, cum alijs eiusdem eadem de re uersibus. pag. 1301

Tumultuum Anabaptistarum liber unus, authore Lamberto Hortensio Montfortio &c. pag. 1305

De miserabili monasteriensium Anabaptistarum obsidione, excidio, memorabilibus rebus tempore obsidionis, in urbe gestis &c. Libellus Antonij Coruini ad Georgium Spalatinum. pag. 1331

Diarium expeditionis Tunetanæ à Carolo v. Imperatore, anno 1535. susceptæ. Ioanno Etropio authore. pag. 1341

Eadem de re, quibusque artibus Hariadenus &c. cognomẽto Barbarussa regno Tunetano potitus sit, ex Pauli Iouij historiarum sui temporis libro 33. fragmentum. pag. 1382

Nicolaus Villagognо Eques Rhodius de Caroli v. Cæsaris expeditione in Africam, ad Argieram. pag. 1419

De Aphrodisio, quod uulgò Africam uocant, expugnato Epigrammata uaria. pag. 1428

Ioannis Christophori Calueti Stellæ, de Aphrodisio expugnato &c. commentarius. pag. 1429

Christophori Richerij Thorignei &c. de rebus Turcarum ad Franciscum Gallorum Regem lib. 5. pag. 1447

De Origine Turcarum & ortu Ottomanni. pag. 1483

Ordo ad Disciplinam Turcicæ militiæ. pag. 1487

Commemoratio causarum à Schmalcaldici fœderis socijs edita belli à se, contra Henricum Brunsuicensem, anno 42. suscepti, cum expositione historiæ, quomodo ab ijsdem ducatu exutus, & captus sit. pag. 1513

Iisdem de rebus Narratio Mauritij Ducis Saxoniæ, cum epistolis eiusdem, & Henrici Ducis Brunsuicensis eorumq; consiliariorum. pag. 1536

Ex Pauli Iouij lib. 44. historiarum, sui tẽporis de bello Iuliacensi fragmentum. pag. 1548

Ioannis Martini Stellæ de Turcarum in Regno Hungariæ, anni 1543. & 44. successibus, ad fratres &c. Epistola prima. pag. 1555

Secunda. pag. 1559

Tertia. pag. 1565

Quarta. pag. 1569

Eiusdem descriptio & munitiones Altemburgi arcis dotalis Reginæ Mariæ &c. pag. 1571

Eiusdem descriptio & munitio urbis Viennæ. pag. 1574

Lamberti Hortensi Montfortij historici de bello Germanico libri 7. pagina 1578

Descriptio pugnæ qua Ioannes Fridericus Elector Saxoniæ à Cæsare nõ procul à Mülberg Saxoniæ oppido, die 24. Aprilis, anno 47. captus est. pagina 1664

Nicolaus Mameranus de inuestitura regalium Mauritio Duci Saxoniæ 24. Febr. anno 48. facta, ubi simul uestitus, incedendi & sedendi, ac Electorum ordo in eiusmodi celebritatibus describitur. pag. 1667

Historia belli Magdeburgensis, anno 1550. & 1551. gesti, Sebastiano Besselmeiero ciue Magdeburgensi authore. pag. 1684

Rerum ad Agriam anno 1552. gestarum narratio Ioannis Sambuci. pagina 1717

Expugnatio arcis Temesuari ab eodem descripta, an. 1552. pag. 1734

Historia expeditionis ab Henrico Rege Francorum in Germaniam susceptæ

Librorum.

ptæ,& occupatæ ab eadem urbis Metensis, & à Carolo v. Cæsare obsessæ, desumpta ex lib. 24. Commentario. Ioannis Sleidani. pag. 174

Historia infœlicis pugnæ inter Mauritium Electorem Saxoniæ,& Albertum Marchionem Brandenburgicum, unà cum Mauritij funeris & sepultu ræ descriptione, autore Thoma Vuintzero Dresdense, atq; Epigrammatis Georgij Fabricij. pag. 1769

Alia in eundem Electorem Epigrammata. pag. 1787

Ecloga de eiusdem morte. pag. 1787

Oratio Lipsiæ ad eiusdem Electoris funus, cũ præduceretur 13. Calend. Iul. habita à Ioachimo Camerario. pag. 1790

In eiusdem obitum Epitaphia ab eodem Camerario Latinè & Græcè scripta. pag. 1801

De Morini, quod Therouanam uocant, & Hedini expugnatione, decq; prælio apud Rentiacum, & omnib. inter Cæsarianos & Gallos usq; ad annum 1555. uario euentu gestis narratio & Dialogus, Iacobo Basilico Marcheto Despota Samí authore. pag. 1803

Rei contra Turcas anno 1556. gestæ, breuis descriptio, cum adiecta chorographia, Vuolgango Lazio Viennensi &c. authore. pag. 1810

Rerum contra Turcas auspicijs Ferdinandi Austriaci, Cæsaris F. an. 1556 in Interranensi Pannonia gestarum, historiola, Dialogo confecta, authore Basilio Ioanne Herold. pag. 1816

Nicolai Mamerani D. Caroli v. gestarum ab ipsius electione, anno 1519. mense Iunio facta, usq; ad annum 48. relatio siue Epitome. pag. 1840

Eiusdem Epigramma de laboribus Caroli v. pag. 1849

Papiensis obsidionis, & eorum quæ in ea acciderunt historica narratio, ab Hadriano Barlando Professore Louaniensi descripta. pag. 1849

Quomodo à Cæsariano exercitu 6. Maij, anno 1527. Roma capta & direpta sit. pag. 1855

Ioannis Staphylei de causis excidij urbis Romæ, anno 1527. ad Rotæ auditores oratio &c. pag. 1858

De capta & direpta urbe Roma, anno 1527. P.M. oratio. pag. 1860

De puella, quæ sine cibo & potu uitam per annos aliquot in pago Roed, Spirensis Episcopi ditioni subiecto egit, breuis narratio, Gerardi Bucoldiani Physici Regij. pag. 1866

Gamiani Gois Equitis Lusitani de obsidione Louanij, & captiuitate sua ad Carolum v. narratio. pag. 1869

P. V. narratio, de uicissitudine rerum, quæ anno Domini 1553. mense Iulio in Regno Britanniæ acciderunt. pag. 1883

Narratio eorum, quæ in Anglicano conuentu Londini habito, inter Reges, Cardinalem Polum, & populum de religione Pap. restituenda, acta sunt, &c. pag. 1891

De abdicatione seu renunciatione Imperij & Regnorum à Carolo v. Imperatore, anno 1555. & Electione Ferdinandi Imperatoris, anno 1558. facta, rebusq; quæ inter utramq; acciderunt, Vuilhelmi Godeleuæi historiola: pag. 1893.

VERBORVM ACRERVM GESTARVM MEMORABILIVM, NOMINVM, VRBIVM, CIVITATVM, OPPIDORVM, EXPEDITIONVM, BELLORVM, PRAELIORVM, locorumq; notabilium, quæ in diuersis orbis terrarum plagis posita fuerunt, expugnationum, INDEX locupletissimus in Tomum II Historiarum

Abacus regius. Hart. Maur. 867
abbas Vrspergẽsis de quadam puella à cibo abstinente. Gerar. Bucol. 1868
abbates imperij. Mameranus 1666
abbatissæ principes imperij. Mameran. 1667
abbiatũ obsidetur Capella 1162
abdulmumenes Marroceorum rex. Cal. Stella 1430
abellus ab Holeneck 1210
abnobus mons emittit Danubium Lampertus 1601
abrahamo ubi tres Angeli apparuerint. Soiteli 1237
abstinentia cibis & potus unde oriatur. Gerard Bucol. 1868
achaia in Peloponneso est. Richerius 1455
aconizij milites apud Turcas. Richer. 1465
actuariæ naues 1435
adami Galli Germani ingens facinus & stratagema. Vuolf. Laz. 1813. 1814
adelberg. Abbas Pedius 887
admiralius captus. Vuilhelm. God. 1911
adolphus Colonienſis archiepiscopus init societatem cum duce Burgundiæ. Ioan. Sl. 1749. episcopus Coloniẽsis moritur. Vuilh. Gode. 1909
adrianus Croius Rutij comes. Iac. Basi. 1804. de Croij in comitem puectus. Cor. Agrippa 1262. Dominus à Rogus contra regem Galliæ mittitur. Nicol. Mam. 1843
adrumentinus sinus. Iouius 1418
ægra fluuius 1648
ægræ urbis situs. Lampertus 1668
æneatores Regij. Hart. Maurus 858
ænobarbus imperator. Nic. Vil. 1420
ætholorũ ferocia in uerbis. Fontanus 981
ætolorum regio, Richelius. 1453
æthusa olim nũc Fauiana dicitur. Stella 1435
ætna mons. Etrop. 1376
africa quales uiros habeat. Stella 1442
nunc uocatur Africa. Etropius 1343. oppidum. Iouius 1418
africæ inuadendæ concitator fuit Barbarulsa. Iouius. 1382
africæ fertilitas. Iouius 1388
in Africã Caroli. V. expeditio. Vuil. Go. 1899
africani belli exitus. Nic. Vuil. 1426
aga dux Ianizerorum. Richerius 1464
ageria oppidum in Hũgaria. Brodericus 1180
ageriam Caroli. V. expeditio. Vuilh. God. 1900
agha captus. Ioan. Sambuc. 1732
agnes Ioannis Friderici Saxoniæ ducis uxor moritur. Vuilh. God. 1895
agria fluuius. Ioan. Sambuc. 1718. arx ab Petro perẽni in duas partes distributa. Ioã. Samb. 1718. præsidio firmata. Ioan. Samb. 1720. arx qua die sit obsessa. Ioan. Samb. 1722. acriter oppugnata. Ioã. Sambuc. 1722. 1723. quomodo ad Ferdinandũ regem peruenerit. Ioan. Samb. 1717. arx obsidione soluta. Ioan. Sãbuc. 1729
agriæ descriptio et situs. Ioan. Samb. 1718
agriæ obsidionem quæ secuta sint. Ioã. Samb. 1729. obsidionis finis. Ioan. Samb. 1729
ad Agriam rerum gestarum. Ioan. Samb. narratio 1717

agrienſis obſidionis ini
tium. Ioan. Samb. 1722
agrienſes Zolnok eripi
unt. Ioan. Samb. 1718
ad regem Ferdinandū
certiorem reddunt de
victoria. Ioan. Sambu.
1729. ſe ad bellum pa
rant. Ioan. Samb. 1719
quando ſe ad oppu-
gnationem parārint.
Ioan. Samb. 1721. leges
militares præſcribunt.
Ioan. Samb. 1721. ſedi-
tioſos puniunt. Ioan.
Sam. 1724. Deo pre-
ces agūt pro victoria.
Ioan. Sam. 1729. quot
modis à Turcis ad de
ditionem ſollicitati fu
erint. Ioan. Samb. 1726
1727. à Turcis laudan
tur. Ioan. Samb. 1728.
mēſus ad deditionem
per literas inuitati. Io-
an. Sam. 1724. quam
ſplendidè à Ferdinan-
do rege, nuncio allato
de victoria Agrię ar-
cis excepti ſint. Ioānes
Sambu. 1729. legati
quā liberaliter à Mau-
ritio duce Saxoniæ
renumerati ſint. Ioan.
Samb. 1729
agrienſium præfecti. Io
an. Samb. 1720. ala-
critas. Ioan. Samb. 1721
ſtratagema. Ioā. Sam.
1726. fortitudo & con
ſtantia. Ioan. Sam. 1723
ſpeculatores duo in-
tercepti. Ioan. Sambu.
1722. fœminarum ſtre-
nuita. Ioan. Samb. 1728
prætor interfectus. Io-
an. Samb. 1724. eru-
ptio. Ioan. Samb. 1722
periculum. Ioan. Sam.
1727. infortunium. Ioā.
Samb. 1725
agrienſibus literę à Tur
ca miſſæ. Ioan. Samb.
1721. Turcæ damnum
inferunt. Ioan. Samb.
1727. horrendus caſus
ex puluere accidit. Io-
an. Samb. 1725
agrienſes ad deditionē
inuitati. Ioā. Sam. 1723
ex Agriēſibus quot de-
ſiderati ſunt in tota op
pugnatione Agriæ. Io
an. Samb. 1729
agricolarum Madebur
genſium trucidatio.
Beſſel. 1686
aichelberg Ped. 887
alapb rex Turca. Riche
rius. 1448
al Archō Hiſpanus Ca
pitaneus cum exerci-
tu Romam uenit, de
Rom. capta 1856
alarco Marchio. Etrop.
1356
alba Iulia ciuitas. Brod.
1181
alba Iulia obſeſſa. Ioan.
Samb. 1735. occupa
ta. Ioan. Sambu. 1735.
à Turcis expugnata.
Stella. 1569. Regalis
ferè capta ab Adamo
Gallo, laurini præfe-
cto. Vuolf. Laz. 1814
Regalis unde dicta.
Stella. 1565. Regalis
ſepultura regum inſi-
gnis. Brodericus 1180
albæ dux Toletus. Etro
pius 1356
albęnia à Parthis ſuba-
cta. Richerius 1469
à Turcis uicta. Riche-
rius 1456
albanus in Italiam mit-
titur cum exercitu.
Vuil. God. 1910. dux
exercitus Cæſareani.
Ioan. Sl. 1763
albanum nomen unde.
Seruilius 1486
albati ſuilla Pōtiuorum
urbs deuaſtata. Iacob
Baſ. 1808
albauguſta fluuius. Io-
an. Vet. 1925
albertus Auſtriacus un
de ſit oriundus. Ioan.
Sleid. 1755. comes de
Carpo captus, de Rō.
capt. 1855. Krantz Hi
ſtoriographus diligēs.
Antonius Coruinus
1332. Kuuſcoy ad regē
Ferdinandū mittitur.
Ioan. Sam. 1729. Manſ
feldicus ruſticorū ad
miſertus pacē & obe-
dientiā eos adhortat.
Gnodal. 1069. Manſ-
feldius Cęſari reconci
liatur. Ioan. Sl. 1764
Marchio Brādeburgi-
cus Norimbergenſib.
denuo ſcribit. Ioannes
Selid. 1750. Lichte-
nauum arcem capit.
Ioan. 1749. in Mogū
tini archiepiſcopi fi-
nes uenit. Ioan. Sleid.
1755. Treuirorum fi-
nes inuadit. Ioan. Sl.
1762. quid à Treuiren
ſis epiſcopo petierit.
Ioan. Sl. 1755. caſtra
ponit ante Metim. Io-
an. Sl. 1764. Vlmen
ſium oppida uicos
incendijs deuaſtat. Io-
an. Sl. 1743. Teuto-
nici ordinis magiſtri
ditiones inuadit. Ioā.
Sleid. 1749. Vuor-
matiam & Spiram ca-
pit. Ioan. Sleid. 1760
Gallo, ad Metim fu-
dit. Ioan. Slei. 1764.
Sircum uenit. Ioan. Sl.
1762. capit Treuerim.
Ioan. Sl. 1762. No-
rimbergam obſidet.
Thom. Vuintz. 1771.
Rochliniæ captus. Lā
pertus 1645. mittit li
teras

teras ad Cæsarem. Ioan. Sl. 1765. Marchio denuo ad Cameram literas mittit. Ioan. Slei. 1766. Heidelberga discedit relictis conditionibus pacis. Ioan. Sl. 1767. nouum bellum inter episcopos Francię & Norimbergēses. Ioan. Sl. ibid. Franconicæ nobilitati bellum indicit. Ioan. Slei. 1767. Norimbergensium fines hostiliter inuadit. Ioan. Slei. 1749 coniungit se cum exercitu ducis Saxoniæ & Langrauij filij. Ioan. Sl. 1742. in Saxoniā fugit. Thom. Vuintz. 1771. Cæsari recōciliatur. Ioan. Sleid. 1764. à Mauritio uictus. Thom. Vuintz. 1789 Vlmensibus scribit. Ioan. Sl. 1751. Colnbachensis fit imperatoris exercitus in oppugnatiōe Madeburgensi. Bess. 1687. nouis copijs auctus. Ioā. Sl. 1751. Brand. Norimburgensibus bellum denunciat. Ioan. Sleid. 1750. captus & munere solitus. Thomas Vuintz. 1789. scribit episcopis Germaniæ. Ioan. Sleid. 1750. 1751. Norimbergenses ad pacis conditiones cōpellit. Ioan. Slei. 1751. captus ab ipso uictore subducitur & ob munus liberatur, quod ei dederat. Thō. Vuintz. 1776. cum copijs Francofurtum redit. Ioan. Slei. 1760. trascitur Mauritio duci Saxoniæ. Ioannes Slei. 1760. scribit Argentinensibus. Ioan Sl. ibid.

alberti primi amicitię. cū rege Galliæ. Ioan. Sl. 1753

alberti Marchionis sæuitia in Franconia. Thom. Vuintz. 1772

audacia. Tho. Vuintz. Ibidem

alberto Marchioni Brādeburgico Norimbergenses rescribunt. Iogan. Sl. 1750

contra Albertum Marchionem Brand. Brunsuigeri exercitus abit. Thom. Vuintzt 1773

ad Albertum Marchionem legati missi. Tho. Vuintz. 1772

inter Albertum Marchionem & Mauritiū pugna quā die sit habita. Thom. Vuintz. 1775

ab Alberto Marchione Vexilla pugnæ signa missa. Thom. Vuintz. 1775

albertus Nagh de Soklios unus ex capitaneis arcis Agriæ. Ioan. Sam. 1721. de Schulenburgo nobilis captus. Bessel. 1697

albis fluuij exundatio. Bessel. 1703

alcanium oppidum. Etropius 1374

alcala oppidum. Etrop. 1342

alcodia oppidum. Etropius 1346

alcoranus liber Turcorum. Richer. 1466

aldenburgū capit Mauritius. Lampertus 1648

aldenburgij Burgrauia tus uexillum 1665

alenconius princeps aufugit. Barland. 1855

alexander Macedo quā tas copias habuerit. Eob. Hessus 1280

magnus. Eoban. 1282

Hessiæ laus. Eob. Hessus ibid.

alfonsi Pimentelij uirtus. Iac. Bas. 1808

algeræ antiquæ ruinæ. Nicol. Mam. 1845

algeren Caroli V. expeditio. Nicol. Mamer. 1844. 1845

algericum regnum. Etropius 1341

algerense regnum. Etropius 1372

algestrium frugalitas. Pedius 886

algidum oppidum captum. Vuilh. Godele. 1910

ad Algieren tempestas exorta. Nicol. Mamer. 1844

allobrogorum populi. Mam. 1672

allobrogum principis aduentus Bononiam ad coronationem Cęsaris. Corn. Agrippa 1259

alma fluuius. Herodus 1819

almangauici à Truccessio repressi 1035

almāgauici rustici quomodo uicti & postea puniti. Gnod. 1093

almanus cōsul Magdeburgensis falsó accusatur, pditionis. Bessel. 1715

almus mons. Heroldus 1819

alon urbs. Stella. 1432

ad Alpes Cæsareanorū clades. Ioan. Sl. 1718

alphonsus Aragonius Neapolitanorum rex. Stella. 1446. Daualus Marchio Vastij. Etropius

Etropius 1347. Estensis Ferrarien siũ dux Gal. Capel. 1105 Ferrariæ princeps copias mittit Francisco. 1. regi Galliæ. Had. Bar. 1853. Holsatiæ dux militat Cęsari. Ioan. Sl. 1763 Marchio Guastiensis uir acris. Had. Bar. 1884. Peresius aquis suffocatur. Ioan. Samb. 1739.
alsatici superiores rustici & inferiores quid egerint 1056
alstetum oppidum imperiale. Gnod. 1065
altemburgi descriptio. Stell. 1571
altenmarck oppidum in Hungaria. Soitter. 1251
aluminis ubi magna sit copia. Etropius 1380
alybassa mittit literas ad Ambathassam & Beglerbecum. Ioan. Samb. 1720. Matthiam Theiff. ex improuiso interficit. Ioã. Sam. 1719. obsidet Zolnok arcẽ in Vngaria. Ioan. Sambuc. 1721 in Vngariam uenit. Ioan. Samb. 1730
amanus mons. Iouius 1384. mons. Richerius 1460
ambianum oppidũ Picardiæ. Iacobus. Basil. 1808
ambiani immissione tormentorum ex urbe Cæsarianos prosequũtur. Iac. Bas. 1808
ambrosius Zadornik dux peditum in Agria arce. Ioannes Sambu. 1721
amerbachius celeberrimus Iurisconsultus. Basilien sis. Heroldus 1817
amharbek globo ictus 1731
amorathes imperator Turcarum qualis fuerit. Richerius 1405. Turcarum imperator. Richerius 1452
amstelredamensis urbs nobile emporiũ 1328
anagnia oppidum captum. Vuilh. Godele. 1910
ἀναρχία nihil seuerius fieri posse. de Rõ. Cap. 1864
anatolia seu Turcia dicitur Asia minor. Richelius 1448
andernacũ oppidum. Nicol. Mam. 1847
andreas Auria Genuensium dux. Etrop. 1343 Doria uir rei militaris peritissimus. Ioan. Vetus 1928. de Einster captus. Bessel. 1657. Rinschid Styrius. Heroldus 1821. Hacgus de Soxern captus. Besselm. 1696. Somoghy ad regem Ferdinandum mittitur. Ioan. Samb. 1729
andreę Balog alacritas. Ioan. Sambucus 1726
anduerpia quot miliaribus à Caleto urbe distet. Vuilhel. Godele. 1912
anduerpiæ bellum. Seruolius 1482
anghæ regina Ioanna Maria fit. P. V. 1886. regno rerum uicissitudinis narratio, quę anno 1553. acciderunt. P. V. 1883. rex ueneno necatus. P. V. 1885. regnũ quomodo ad Dudlæorum familiã peruenerit. P. V. 1886
anglorum ingenia. P. V. 1886. reginæ Mariæ tumulus. Ioã. Vet. 1931. mos in elegendo rege. P. V. 1886
anglicani conuentus, Londini habiti, narratio, Seb. Solid. 1891
anguillarię comes. Etropius 1348
anguianus comes occisus. Vuilh. God. 1912
annas dux Mõtmorantius captus. Vuil. Go. 1911. 1912
annas Momorantius Gallicus legatus capit Metim. Ioã. Sl. 1742
annibal Pœnas. Eoba. Hessus 1281
antelationis disceptatio. Hart. Mau. 856
antenor possitor Zigethanæ arcis. Ioan. Sambuc. 1731
antiochia expugnata. Richerius 1470
antonius Blasko unus ex capitaneis in arce Agria. Ioan. Sambuc. 1721
M. Anthonius Chiringellus experientissimus rerum militarum. Herold. 1816
antonius Pius Consentinus historicus. Etropius 1353. Schauuenburgicus fit episcop. Coloniẽsis. Vuil. Go. 1909. Veranius legatus Cæsareus ad Turcam mittitur. Ioannes Samb. 1730. Verauicius ad Solymannum mittitur. Ioan. Samb. 1718. Lotharingię dux cogit exercitum aduersus rusticos. Gno. 1056
de Lycua sua argentea uasa

tea uasa omnia conflari iubet & in nūmos conuerti unde militi stipēdium subministratum est. Had. Bar. 1852.
de Lyeua dux primarius Bononię in coronatione imperatoris. Cor. Agrippa 1266. de Lyeua. Nic. Mam. 1842
Lyeua Cęsarianorum dux. Had. Bar. 1880.
de militum cōmeatu ꝓspicit. Had. Bar. 1851
antonij de Lyeua oratio ad milites. Had. Bar. 1853. Lyeuę industria Had. Bar. 1851.
anthonij Fuggeri filius Ferdinando regi suppetias fert contra Turcam. Vuolf. Latz. 1813
antonij Perenoti Attrebatenis nomine Philippi regis Hispaniarū oratio habita in conuentu procerum Belgicæ. Vuilh. God. 1901
antrum ad Lacum Francobergensem. Eoban. Hessus 1283
anus quædam hostibus prodit milites. Bessel. 1707
aper nomē nauigij. Besselm. 1405
aphrodisium fortissimum propugnaculū. Stellan. 1446. Cal. Stella. 1429. in Africa. Etropius 1368
apollinis promontoriū. Iouius 1402
appenninus mons. de Rom. Cap. 1862
aphrica ciuitas in manu Turcarum. Etrop. 1371
appollæuuylerus Baboczam cum sua legione proficiscitur. Herold. 1836. conscribit militē nomine Cæsaris. Herold. 1820. unde sit dictus. Herold. 1822. cur tardius Canysium uenerit. Herold. 1820.
appollæ Vuyleri insignis sententia. Herol. 1828. frater globo occisus. Herol. 1826. strenuitas. Herold. 1834. stratagema. Her. 1828. uerba ad milites. 1827
ad Aquas Mortuas oppidum decennales induciæ inter Carolum V. & regem Galliæ factę. Nicol. Mam. 1843
aquarum penuria quanta in castris fuerit Cæsaris in Africa. Etropius 1364
aquaria turris. Iouius 1400
aquis conuentus à Maria Cęsaris sorore celebratur. Ioan. Sl. 1749
in Agnensi Palatio terræ motus. Herard. Bucol. 1868
aquisgrani Carolus V. coronatur. Nic. Mam. 1841
aquisgranū quomodo peruenerit Carolus. Georg. Sabinus 850
aræ flauiæ. Ped. 925
aræ cœli Cardinalis captus. de Rō. Cap. 1855
arabes olim dictos Numidas. Etropius 1364
arabicarum literarū professores. Iouius 1389
arabicis literis utuntur Turcæ. Richer. 1462
arabico sermone utuntur Turcæ. Riche 1462
de Arania princeps occisus. de Rō. Cap. 1856
arcadia est Peloponneso. Richerius 1455
archiepiscopo Coloniensi seruierunt 24 comites. Hart. Mau. 865
arelatum ad Rhodanū qualem situm habeat. Mameranus 1671
arelatense regnū unde nomen acceperit. Mameranus ibid.
arengiæ princeps. Seruilius 1487
areopagitarum decretū contra tabulas forenses 1289
argentinēsis senatus rescribit Alberto Marchioni Brandeburgico. Ioan. Sl. 1760
argentinensi senatui Albertus Marchio Brandeburgicus scribit. Ioan. Sl. 1760
argentinenses mittūt legatos ad regē Galliæ Sarburgū Ioā. Sl. 1746
quomodo Cæsarē exceperint. Ioā. Sl. 1763
legatos Cæsari obuiā mittunt, deprecantes, ut ipsorū finibus parcerent. Ioan. Sl. 1763
obsidionem urbis metuunt. Ioan. Sl. 1747.
certū modum frumēti atq; uini regi Galliæ deferūt. Ioan. Sl. 1746.
conscribūt militem. Ioan. Sl. 1747
argentoratenses qd Carolo V. responderint. Lampertus 1602
argentoratum quātum distet. à Meti. Ioan. Sl. 1764. fuit in Smalcaldico fœdere. Lāper. 1583
uenit Teutonici ordinis magister. Ioan. Sl. 1760. rex Galliæ mittit legatos. Ioā. Sl. 1743
argentorati motus ob religionem concitati. Lampertus 1580
argiera 1428
argierę situs & loca 1424

argolica est in Peloponneso. Richer. 1455
arimphæi. Richer. 1447
armamentarium Basilienſe. Herold. 1817
arm Conrad tumultus in ducatu Vuirtembergico, Ped. 880
armenios Turci uaſtarunt. Richer. 1448
armiger electoris Mauritij. Tho. Vuintz. 1780
armigerorũ nobiliũ nomina, qui in caſtris Otterslebenſibus in urbẽ Magdeburgẽſem captiui adducti, ſunt. Beſſem. 1697
armorum genera ueterũ reperta in arce Tunetana. Etropius 1366
arnoldus à Bucholtz uir inſignis. Gera. Bucol. 1866. Hopfemus. Beſſel. 1809
arnſtettẽſis nobilis globo peuſſus. Beſſ. 1690
arona Gal. Capel. 1114
arrabon fluuius. Herol. 1819
arſchotum urbs. Seruilius 1487
artaxerxis uirtus. Ioan. Vet. 1928
arteſiam Galliæ rex capit. Nicol. Mam. 1843
Galli depopulantur. Vuilh. God. 1911
arx ad pulchras fagos. Pedius 928
arces multas diruunt ruſtici. Gnod. 1015
aſapi qui nominentur apud Turcas. Richer. 1464
aſperga arx capta. Eob. Heſſus 1280
aſberga deditur. Pedius 907. arx oppugnatur. Pedius 906
aſbergæ ſitus. Ped. 894
aſia minor hodie uocatur. Nathalia 1212
aſiæ gentes molles 1217
aſiam minorem Turcæ uaſtarunt. Richer. 1448
aſiaticæ prouinciæ diſſidia. Richerius 1449
aſiaticos uicerunt Parthi. Richerius 1469
aſyriũ à Parthis ſubacti. Richerius 1461
eſyriorũ rex punitur. de Rom. Cap. 1864
aſtenæum oppidũ à rege Galliæ receptum. Ioan. Sl. 1752. oppidũ captũ. Ioã. Sl. 1748
athenus de Cram captus. Beſſel. 1696
atrebates. Ioan. Sl. 1760
attica capta. Riche. 1453
atticam totã occuparũt Turcæ. Richerius 1451
auarorum commune nilum. Richerius 1477
auchiacũ arcem Cæſar expugnat. Ia. Baſ. 1808
auguſta Veromunduorũ capta, propeq; eam Gallorũ clades. Vuilh el. God. 1911
ad Auguſtam Veromũ duorum Gallorũ clades. Vuilh. God. 1912
auguſta Vindelicorum à confœderatis principibus deditione capta Ioan. Sl. 1742
auguſtam Cæſar uenit. Ioan. Sl. 1761
auguſtę Vindelicorum cõuentus celebratus. Nicol. Mam. 1842
quid Cæſar egerit. Ioan. Sl. 1762. Vindelicorum præſidia impoſita. Herold. 1820
Vindelicorum comitia celebrata in quib. fuit Philippus Hiſpaniarum rex. Vuil. hel. God. 1914. Rhæticæ comitia celebrantur. Nicol. Mam. 1848
auguſtam Rhæticã Cęſar ex Saxonia uenit. Nicol. Mam. 1848
auguſtalis coronationis ſolennitas. Corn. Agrippa 1260
auguſtanus epiſcopus à confœderatis principibus è finibus ejicitur. Ioan. Sl. 1744
epiſcopus Romam petit. Ioan. Sl. 1744
auguſtana confeſsio omnibus libera conceſſa. Vuilh, God. 1895
auguſtani dederunt Cęſari bellũ aduerſus eos parãti, pecuniam mutuo. Lampertus 1611
auguſtanum comitiũ. Pedius 904
auguſtenſe comitium. Pedius 883
auguſtiniani monachi Mediolanẽſis eloquẽtia. Gal. Capel. 1115
auguſtus uicetenẽs cõſtituitur à fratre Mauritio. Ioan. Sl. 1742
aulæ Cæſareæ architriclini. Cor. Agrip. 1261
aulæ ducalis cuſtodia ex Vuirtẽbergenſi iuuentute. Ped. 913
aulicus apparatus. Ped. 912
aulicum concilium. Pedius 914
aumalius capitur. Ioan. Sl. 1764
auraniæ princeps globo occiſus. Nic. Mam. 1877
aurantius regulus Belgarum. Iouius 1548
aurei Velleris ordo à quo ſit primùm conſtitutus. Vuil. God. 1897
aurelia in Gallia quomodo munita ſit. Stella 1576

aurelianorũ dux Cęsari obuiam procedit. Nicol. Mam. 1844
aurelius sanctus. Pedius 892
aurum in uẽtribus Turcarum dissectis inuentum. Vuolf. Laz. 1813
auscultatoriæ uigiliæ 1570
austria dux fœdere iungitur Vuirtembergico. Pedius 903
austrię domus exẽptio. Hart. Mau. 868
austrius mons. Ped. 888
austriacorum principũ amicitia cum regibus Galliæ. Ioan. Sl. 1753
arpachium monasteriũ in Hungaria. Soit. 1228

B

Babasuechum oppidum. Iouius 1394
babocza castrum obsessum à Cæsarianis. Vuolf. Laz. 1810. 1811. à Canysio quot miliarib. cõstet. Herol. 1822. castrũ adoritur à Cæsarianis. Vuolf. Laz. 1811. arx obsessa. Herold. 1822. castrum à Turcis metu relictũ. Vuolf. Laz. 1813. arx expugnata. Heroldus 1830. 1831.
babocza Turcæ aufugant. Herold. 1836
Baboczadũ arcem pugna. Herold. 1823
babylonẽ urbẽ, Romã significari in scriptutis. Ioan. Staph. 1859
bacanau iurat fœderatis. Pedius 932
bacheraci controuersia inter Cliuensem principem & Coloniẽsem pacata. Ioan. Sl. 1767
bachia oppidum. Hungarię. Broderic. 1180
baiazethes Turcarum imperator. Riche. 1450
bakon sylua. Herol. 1821
balacon lacus insignis. Brodericus 1180
balathon lacus. Herol. 1819
balathronius lacus. Stella 1556
baleares maiores insulæ. Etropius 1346. insulæ. Nicolaus 1420
balearium insularũ minorum oppidum Mago. Etropius. 1347
ballenbergij quid actũ sit in bello rusticorũ. Gnod. 1084
balnea fontis amari. Pedius 887
balthasarus de Vuarnstatten captus. Bessel. 1696
bambergia oppidũ captum ab Alberto Marchione Brandeburgico. Ioan. Sl. 1767
bambergensis episcop. pacem petit ab Alberto Marchione Brand. 1750. 1751. episcop. quædam oppida Franciæ capit. Ioan. Sl. 1763
bambergensis episcopi fines Albertus March io Brãd. inuadit. Tho. Vuintz. 1771
bambergico episcopo multa eripiũt Alberti præfecti. Ioan. Sl. 1765
banus illyrici prefectus. Herold. 1821
bapalma Artelię propugnaculũ. Iac. Bas. 1809
baptista uates Romæ urbi excidium prædicit. de Rom. Cap. 1864
barbaria nũc, olim Africa dicta. Etrop. 1343
barbarossa Archipirata. Ioan. Vetus 1926 Tunetanum regnũ potitur. Ioan. Vet. 1927
barcinona Carolus. V. discedit & in Africam trajcit. Nic. Mam. 1843
barones imperij. Mameranus 1668
de Barraba comites duo occisi. Tho. Vuin. 1776. comites cæsi. Thom. Vuintz. 1789
barrhici montes. Etropius 1342
bartholomeus Heetuelius. Damian. Goes. 1875
basilea unde nomen aç ceperit. Herold. 1817
artis impressoriæ præstãtissima in toto terrarũ orbe. Herold. 1817
basileæ urbis situs & amœnitas. Herold. 1817
laus & monumenta. Herold. 1817
basilienses mittũt legatos ad regẽ Galliæ Tabernas. Ioan. Sl. 1748
officinæ impressoriæ. Herold. 1817
basiliense armamentarium. Herold. 1817
basilij Ioannis Heroldi descriptio de rebus gestis contra Turcas Ferdinandi auspicijs. 1816
basilicus Marchetus nobili apud Grecos loco ortus. Iac. Bas. 1807
bassæ duces in exercitu Turcæ 1212
bassarum Visirorum officium. Richer. 1465
batha in Hungaria oppidum. Broder. 1185
bathiani Forcas insignis uir. Ioã. Sam. 1739
batori conuentus habitus. Ioan Samb. 1734
bauarię ducis filiam ducit dux Vuirtembergicus. Ped. 912. duces Lantgrauij Philippi

progenitores.Eob.1282
bauarus dux Heydelbergam uenit. Ioan. Sl. 1766
contra Bebecum Theodoricus Marcellus ꝓficiscitur. Vuolf. Laz. 1810
Bebenhusen cœnobiũ. Pedius 889
bechoa uicus captus. 1704
begler, seu Begg quid significet.Her. 1837
beglerbekus inuadit Vngariam.Ioan.Sam. 1736
belerbeij præfecti. Richerius 1465
in Belgica motus.Vuil. hel.God. 1900
belgicæ pars est Brabãtia. Seruilius 1485
Proceres respõdẽt Cæsari Imperatori & Philippo regi Hispaniarum.Vuilh.Go. 1905
in Belgicam Germaniã Cæsar uenit.Nic.Mamer. 1842.
belgicũ bellum à Cæsare gestum.Iouius 1548
belgium Hispaniarum regi datur. Vuilh.Go. 1897
belgradi regiones.Brodericus 1180
belisarius Vandalos deuicit.Iouius 1388
bellaria omnis generis. Etropius 1356
bellica Gallia.Seruilius 1485
bellum Germanicum quomodo Cæsar Carolus V. regnarit.Lãpertus 1601. rusticum oritur.Ped. 899
per fæcialem indicitur Cæsari.Lamper. 1614
intestinum.Ped. 896
inter Philippum Valesium regem Galliæ & Eduardum 3. Angliæ regem.Ioan.Sl. 1755
Hildẽsheimẽse. Goblerus 953. inter Maximilianum Cæsarem & Palatinũ comitem. Pedius 911. uulgo dictum Stetkrieg. Pedius 884. confœderatorum Sueuorũ & ducis Vuirtembergensis.Pedius 875
belli Germanici Liber II. autore.Lamperto 1600. apud Treuiros prima trépidatio. Latomus 1022. initium inter Mauritium & Marchionem.Tho. Vintz. 1770. in Palatinum Rheni mẽtio. 880. neruus ab ecclesiasticis exigitur. Brodericus 1179. Germanici apparatus utriusq; partis. Lamper. 1608. 1609.
bella intestina quæ dicẽda.Etrop. 1343. ætate nostra confecta.Pedius 904
bellorũ fomites à morte Cæsaris Maximiliani suborti.Ped. 922
benedictio mẽsæ.Hart. Mau. 866
benedictus Topordy unus ex capitaneis in arce Zigeth.Ioan.Sam. 1731
beneuentanus comes. Etropius. 1356
beniecurtij peritia in castris ponendis. Iacob. Bas. 1806
berengarius urbs Roma pulsus.de Rom. Cap. 1864
berga ciuitas. Seruilius 1487
bernhardi sancti autoritate in Germania magnum bellum sedatũ Georgius Sabin. 831
besignanus ducatus.Etropius 1378
besselmeieri historia de bello Magdeburgensi 1684
bessica.Ped. 934
bibliotheca Arabicorũ Tuneti direpta.Iouius 1416. Osnaburgensis.Antonius Coruin. 1333
bibliothecæ Romanæ. de capta.Rom. 1863
bietica.Pedius 592. Pedius 934
bigihon urbs in Croatia.Budericus 1180
biucium rex Galliæ deuastat. Iac. Bas. 1806
binica.Pedius 924
birsa arx.Iouius 1400
bisarta oppidũ in Barbaria ab Andrea Auria captum.Etro. 1379
biserta in Africa.Etrop. 1368. oppidum in Barbaria.Etropius 1343
bistricia oppidum. Brodericus 1181
bistricia oppidum 1180
bithiniæ imperant Turcæ.Richerius 1448
blassius Nagh.globo ictus.Ioan.Samb. 1723
blaubeira arx & oppidum.Pedius 886
bœoticã cœperũt Turcæ. Riherius 1451
bohemiæ regni in imperio priuilegia. Hart. Mau. 867. regis prę rogatiua.Hart.Maur. 867
bohemi ad bellum contra Turcas excitantur. Vuof.Laz. 1812
bohemorum duces in bello Pannico.Soiter. 1250

bohemis

bohemis Germanos olim legũ præscripsisse. Ioan.Sl. 1753
bohorium oppidum captum.Nic.Mam. 1843
bollẽburg arx.Her.1822
bollonia à rege Galliarum recuperata. Ioan. Sl. 1740
boluuylerus sclopeto in pede pcussus. Volf. Laz.1812. cum sua legione ad præoccupandum munimentũ Karothnã mittit. Vuolf. Laz. 1813. cum sua legione Canysiam proficiscitur.Vuolf.Laz. 1810
boluuyleri stratagema. Vuolf.Laz. 1813
boluuileri frater occisus. Vuolf. Laz. 1811
oratio ad milites. Vuolf.Laz. 1811
bombarda similes mortarijs.Stella. 1561
bombardarum inuẽtio. Tho.Vuintz.1789. natura.Eob.Hessus.1280
bombasum ubi crescat. Etropius 1378
bonauelle in pugna Papiensi captus.Bar.1854
bõna in Africa ciuitas. Etrop. 1343. oppid.Iouius 1415. oppidum. Nicol.Mam. 1847
bonifacius VIII. pontifex.Ioan.Sl. 1755
bonifacium urbs portu memorabilis. Nicol. Villag. 1420
bononia quomodo ornata fuerit in coronatione imperatoria. Cor. Agrippa. 1266
bononiæ Carolus V. à Clemente VII.pontif. diademate imperij insignitur.Nic.Mã.1842
bononiensis populus coronatum imperatorem quantis honorib. affecerit. Cor. Agrip. 1265
bophingã Cæsar in deditionem accipit.Lampertus 1653
borboniæ princeps Cæsarianorum dux.Had. Bar.1849. dux in Veronensem agrum uenit. Had.Bar. 1853
borbonius dux Cęsarianorum Romam cap. Nic.Mam.1842. dux occumbit in expugnatione Roma.de Rom. Capta 1855 in agrum Laudensem uenit.Hadri.Bar. 1853
borbonię uirtus in pugna Papiensi.Bar.1854
oratio ad milites in pugna Papiensi. Hadri. Bar. 1854
boristhenes amnis. Richer. 1458
bos integer tostus. Hart.Maur. 870
bosphori Thracij fauces.Richerius 1473
bossenses sedem ponũt in Illyrico. Herol. 1819
bosula in pugna Papiẽsi captus. Hadri. Bar. 1854
bouinia oppid. dirutũ & exustũ.Iac.Bas.1806
bozna. Broder. 1180. urbs in Dalmatia.Brodericus 1180
brabantia.Seruil. 1485
brabantium oppidum. Seruilius 1486
bracana.Pedius 892
brandenburgensis Marchio.Ioannes Harma. Maur. 856
brandenburgus elector conatur pacem facere inter Mauritiũ & electorem Saxonem.Lãpertus 1643
brassonia oppidũ Transyluaniæ.Broder. 1181
brecũ apud Turcas neglectarũ pœna. Rich. 1467
breda urbs.Seruil. 1487
brema ciuitas 1531. in fœdere Smalcaldico fuit.Lampertus 1584
brennẽsium fines inuadit Henricus Brunsuicensis Ioan.Sl. 1767
brenæ comitatus uexillum.Mamer. 1664
brenta amnis.Lam.1642
brettam Cæsar uenit.Ioan.Sl. 1763
brilacum oppidum. Herold. 1837
brion captus in pugna Papiensi. Bar. 1854
britanniæ rex nomine Eduardus VI. ueneno necatus. P.V. 1885
regnum rerum uicissitudinis narratio, quæ acciderunt anno Domini. 1553. scripta à P.V. 1883. rex mittit legatos ad Cæsarem. Ioan.Sl. 1763
britanorum arma.Iouius 1551
britannos Galli continente excludunt.Vuilhel.God. 1913
brixiam Veneti receperunt auxilio Gallorũ. Gall.Capel. 1105
brunsuiga urbs quomodo obsidione sit liberata.Bessel. 1685
urbs obsessa ab Henrico duce.Bessel. 1684
ciuitas 1531
brunsuicensis dux quomodo captus à Smalcaldicis fuerit 1517
brunsuicensis & Hessi bellum.Lamper. 1595
brunsuicenses duces occisi.Tho.Vuintz.1776

brunſuigeri exercitus in Francia contra Marchionem abit. Thom. Vuintz. 1773. duces militat Mauritio. Tho. Vuintz. 1772. duo occiduntur. Tho. Vuin. 1789
bruxella. Seruilius 1487
bruxellę in conuentu Cæſaris oratio. Vuilh. God. 1897
bruxellã Brabantiæ Cæſar uenit. Nic. Mã. 1848
bruxellas Philip. rex Hiſpaniarum uenit. Vuilhel. God. 1897
bruxina ciuitas à ruſticis capta. Gnod. 1090
bubauſius dux Francorũ in pugna Papienſi occiſus. Had. Bar. 1854
buda oppid. Her. 1831 Turcæ tradita. Ioan. Samb. 1734. caput citerioris Hũgarię. Brodericus 1180
budam olim dictam Sycambriam. Solte. 1228 Turca capit. Brod. 1195
bugea urbs clara. Iouius. 1389. regnum. Etropius. 1341. Nicol. Villag. 1426
buggoënſis ager. Beſſelm. 1690
bulla aurea. Georg. Sabinus 829
bullam aureã eſſe normam cæremoniarum. Hart. Mau. 866
bulgariam Myſiam dictam. Richer. 1450
bulgari, Richer. 1450
bullion capitur. Nicol. Mam. 1841
bulloniæ dux captus. Iac Beſ. 1805
bunthekuo nauigium ſic dictum. Beſſel. 1704
burenſis comes contra regem Galliæ mittitur. Nicolaus Mamera. 1243
buranus Haſsiam uaſtat. Lamper. 1639
burgundiam ſe reſtituturum Cęſari promiſit Gallus. Capella. 1147
burſia regum Bithyniæ ſedes 1449
buſcum ducis urbs. Seruilius 1487
buſiam Cæſar uenit. Nicol. Mam. 1846
buſius dux Francorum in pugna Papienſi occiſus. Hadri. Barland. 1854
buſsenus de Schulenburg captus. Beſſelm. 1696
byzacium regio. Stella. 1440
byzantij expugnatio. Richer. 1455

C

CAeremoniæ. Cor. Agrippa 1262
cæremoniarum norma eſt bulla aurea in coronatione imperatoris. Hart. Mau. 866
cæſar Metem obſidet. Ioan. Sl. 1764. principibus Francofurtum ſcribit. Ioan. Sl. 1767 militem conſcribit. Ioan. Sl. 1744. principes Germaniæ ad pacem cohortatur 1743 ex Brabantia Ratiſponam ad comitia indicta proficiſcitur. Nic. Mam. 1844. ante Metim in caſtra uenit. Ioan. Sl. 1764. Villacũ profugit. Ioan. Sl. 1749 Oeniponte noctu diſcedit. Ioan. Sl. 1749 ad Alberti Marchionis literas reſcribit. Ioan. Sl. 1766. uicit Proteſtantes. Ioan. Vet. 1925. in Bohemia militem colligit, eumq; aduerſus Turcam mittit. Heroldus 1819. Spiram proficiſcitur. Ioan. Sl. 1763. Argentoratum uenit. Ioan. Sleid. 1763. & principes quo ordine ſederint tempore quo inueſtiturã accepit Auguſtæ 1671. ſcribit ad Sueuos & Rhenanos. Ioan. Slei. 1762 mandat Henrico duci Brunſuicenſi ut à bello deſiſtat. Beſſel. 1684 Vimã uenit. Ioan. Sl. 1762. ſcribit proceribus Germaniæ & imperium abdicat. Vuilhelmus Godeleuęus 1901. 1908. ex Saxonia Auguſtam Rhæticam uenit. Nicolaus Mamera. 1848 Argentoratum petit. Ioannes Sleid. 1763 S. Deſiderij oppidum fruſtrà oppugnat. Nicolaus Mamer. 1847 Solymannum ex Hũgaria aufugit. Nicolaus Mameran. 1842 redit Oenipontem. Ioannes Sleid. 1761 ſcribit principibus interceſſoribus. Ioannes Sleid. 1758. ſcribit confœderatis principibus. Ioan. Sl. 1757 cum exercitu in Germaniam uenit. Nicolaus Mameran. 1847 an in cauſæ fuerit urbis Romæ expugnationis. de Rom. Cap. 1861. Gallico oratori reſpondet. Ioan. Slei. 1759. Ratiſponæ comitia celebrat. Nico. Mam. 1842 in Ger-

in Germaniam ex Italia redit. Nic. Mamer. 1842. ex Italia Augustam Vind. uenit. Nic. Mam. 1842 uicit Gallię regem. Iac. Baſ. 1805 Galliam uariis in locis miſeris depopulationibus depopulatur. Iac. Baſ. 1808
Cæſaris legati Francofurti. Ioan. Sl. 1767 habitus Auguſtæ tempore quo Mauritius accepit inueſtituram electoralis dignitatis. Mameranus 1668. Caroli V. copiæ in Italia aduerſus regem Galliæ. Capella. 1116. electi titulum aſſumpſit Carolus V. ſtatim poſt coronationē. Hart. Mau. 808. exercitus Belgicus populatur Galliā Ioā. Sl. 1764. expeditio uerſus Metim. Ioā. Sl. 1764. ueſtitus & armatura in coronatione. Hart. Mau. 858
Cæſari in oppugnatione Metēſi qui militarint. Io. Sl. 1763. in bello Pannonico qui militarint. Herold. 1821
inter Cæſarem & Mauritium ducem Saxo. pax eiuſq; conditiones. Ioan. Sl. 1760. 1761
cæſariani Karothnam expugnant. Vuolf. Laz. 1813. ſe ad pugnam parāt cōtra Turcas. Herold. 1828
cum Turcis prælium ineunt. Heroldus. 1826. uincunt Gallos ad Senarum urbem. Iacob. Baſ. 1890. Carothnam arcem expugnant. Herold. 1834
quando Romam duce Botbonio expugnarint. 1855. exercitus capitanei. Ioan. Sl. 1763. occupant Mediolanū. Capella. 1151
Zolnak arcem relinquunt. Ioan. Sam. 1721
cæſareanorum ἀναρχία in urbe Roma. de Rō. Cap. 1864. ſtrages ad Algieren. Nico. Mam. 1844. 1845. infortunium ad Algeram. Nic. Mam. 1845. militum clades ad Rutam. Ioā. Sl. 1748. multi capti. Ioan Sl. 1749. in prælio aduerſus Oenobarbū fortitudo. Etrop. 1364
inſolentia in urbe Roma. de Rom. Cap. 1855
quot occiſi ſint in expugnatione urbis Romæ. de Cap. Rom. 1855. equitum excurſiones in Picardiam. Iac. Baſ. 1808. in pugna Papienſi quot interierūt. Barland. 1855. indignitas. de Rom. Cap. 1861. 1862. militum capitanei in urbe Roma. de Rom. Cap. 1856. inſolentia in urbe Roma. de Rom. Cap. 1856. multi captiui à Turcis abducti. Vuolf. Latz. 1811. ingens facinus. Vuolf. Latz. 1814 ſtratagema. Herold. 1834
copiæ in Vngaria anno 1566. Herold. 1837
reditus ex Vngaria. Herold. 1837. præda. Herold. 1836. ad Papiam quot millia profligata ſint. Nico. Mam. 1842. caſtra in Pannonia. Herol. 1821. alacritas pugnandi. Iaco. Baſ. 1808. fæuitia in urbe Roma. de Rō. Cap. 1861. quōt interfecti ſint in oppugnatione Baboczæ. Vuolffgan. Latz. 1811. in Papienſi obſidione duces. Had. Bar. 1849
Cæſarianis quibus conditionibus papa ſe dederit. de Rō Cap. 1856
inter Cęſarianos & Gallos pugna ad Papiam. Had. Bar. 1853. 1854
& Gallos prælium ad Senarum urbem. Iac. Baſ. 1809. maxima lues. Nic. Mame. 1843
& Gallos rerum geſtarum uera & breuis narratio. Iac. Baſ. 1803
& Turcas pugna. Herold. 1824. & Gallos pugna apud Renliacum. Iac. Baſ. 1807
ā Cæſarianis Romā nō iuſtam ob cauſam expugnata eſſe. de Rō. Cap. 1862
cęſarinus Cardinalis captus. de Rō. Cap. 1855
calabriam Carolus V. peruenit. Nico. Mam. 1843
calamantia occupata. Vuolf. Latz. 1813
calaris Sardinię ciuitas. Etropius 1347
calaritanus portus. Etropius ibidem
calethani quomodo Cardinalem Polū exceperint. de Cō Aug. 1893
caletū urbs deditione capta. Vuilhel. Gode. 1913. urbem quamdiu Britanni inhabitarint. Vuilhelm. Gode. 1913. urbs acriter oppugnata. Vuil. Gode. 1912. urbem Galli duce Guiſio obſident. Vuilhelm. God. 1912

caleti urbis situs. Vuilh. Godel. 1912
calibia. Iouius 1481
caligæ Cæsaris tẽpore inuestituræ Mauritij 1668
calliopolis Richer. 1456
caluetj Stellæ de Aphrodisio expugnato commentarius 1429
camera scribit Alberto Marchioni. Ioã. Sl. 1765 respõdet Alberto Marchioni. Ioan. Sl. 1765
cameræ iudices Spira p fugiunt. Ioan. Sl. 1746 imperialis iudicium. Hart. Maur. 871
cameram Spirẽsem Carolus V. de abdicando imperio certiorem reddit. Vuil. God. 1906
cameracum oppidum. Iac. Bes. 1809. Carolus uenit. Nico. Mam. 1844. olim Samarobriua dictum. Iouius 1551
cameraci Maria regina angliæ proclamata. P. V. 1888
camesiensis princeps captus in pugna Papiensi. Had. Bar. 1854
campania Gallica incẽdijs uastata. Io. Sl. 1748
campaniam Gallicam Carol. V. inuadit. Nic. Mam. 1847
campeduniũ fuit in fœdere Smalcaldico. Lãpertus 1583
campegius Cardinalis prior præsbyterorum. Cor. Agrippa 1263
campidonenses supplices ad Cæsarem legationes mittunt. Lampertus 1641
camprilium oppid. occupatũ. Vuil. Go. 1911
candię portus. Fontanus 1014
canicularię insulæ. Stella 1434
canis Somatophilax. Pedius 912
caniſia. Vuolf. Laz. 1810
cannoſtadium deditur. Pedius 933. ſe dedidit. Ped. 891
cantiones Turcarum. Richerius 1468
cantus in ecclesia in coronatione imperatoris. Cor. Agrippa 1264
canysium oppidũ. Herold. 1820
à Canysio Babocza 8t milliaribus distet. Herold. 1822
cappellarius Colonien sis. Hart. Mau. 865
capelenberg occupant seditiosi. Pedius 88
capha urbs quomodo decepta & capta sit. Richer. 1471 urbs Genuensium à Turcis capta Richerius 1456
capitolium unde appellatum. Serulius 1486
capos capitur. Ioan. Sãbuc. 1730
capozuuyuar castellum munitissimum à Turcis relictum. Her. 1816
cappadociam quando diripuerint Turcæ. Richetius 1448
caralis Sardinia oppid. Iouius 1400
carauellæ naues. Iouius 1399
carcenna Colonia qualis. Iouius 1382
carcẽna Colonia. Etropius 1342
cardinalis de Croy in pompa Aquisgrani secutus Carolum V. Hart. Mau. 859 Sedunẽsis secutus Cæsarem Aquisgrani. Hart. Mau. 859
cardinales qui capti fũt in urbe Roma. de Rõ. Cap. 1855. quid Cæsareo legato respondent. Vuilh. God. 1917
cariæ imperant Turcæ. Richelius 1448
carinthiæ peditum dux in obsidione. Viennæ 1221
caritas rerum necessariarum in castris Gallorum. Capella. 1117
carnes equinæ & asininæ pro cibo usæ. Had. Bar. 1852
carolus Chates Basileã uenit. Herol. 1816. dux Burgundiæ. Ped. 894
carolus Borbonius desistit ab oppugnatione Massiliæ. Cap. 1133 Borboniæ princeps Cæsarianorum dux. Had. Barland. 1849
carolo Borbonio duce capta Roma est 1197
carolus ex Baiorum ueteri stirpe uir rei militaris excellentissimus. Herold. 1816. Czetotinus exploratum emittitur & quomodo ad Ferdinandum reuersus sit. Vuolf. Latz. 1814. rex Hispaniæ quo comitatu Aquisgranũ peruenerit. Georgius. Sabinus 850. Lolanius Hannonię prætor. Vuilh. Godel. 1906. Lucemburgensis electus imperator aduersus Ludouicum Bauarum. Georgius Sabinus 831
Carolus Magnus Conestabilis Philippi filius Carolo. V. auo obuiam uenit, & quo modo eum exceperit. Vuilh. Go. 1909. 1910

carolus

Carolus Tscheretinus uir rei militaris peritus. Herold. 1831
carolus. 1. Longobardos urbe Roma pellit. de Rom. Cap. 1864
carolus Quartus Vuirtembergiæ bellum intulit. Pedius. 903
quartus imp. unde sit oriundus. Ioã. Sl. 1755
caroli 4. parentis Caroli V. laus. Ioan. Sl. 1753
carolus V. nascitur. Nic. Mam. 1841. V. eligitur Cæsar. Pedius 898. Cæsar regẽ Galliæ insequitur. Iac. Bas. 1806. V. qua pompa Bononiæ sit coronatus. Cornel. Agrippa 1256. V. quando ad gubernacula imperij uenerit. Nic. Mam. 1841. V. Hispanias repetit. Nicol. Mamer. 1843. V. Ratisponam ad comitia uenit. Nic. Mam. 1842. V. ex Italia in Germaniam redit. Nicol. Mamer. 1842. V. contra Galliæ regem nouas copias scribit. Nico. Mam. 1843. V. ex Africa in Italiã uenit. Nicolaus Mam. 1843 V. in Italiam reuertitur. Nicol. Mam. 1842. V. ex Hispania in Africam uenit. Nicol. Mamer. 1486. 1841. V. Aquisgrani coronatus. Nic. Mam. 1841. V. per Franciam iter facit & quam humaniter à rege sit exceptus. Nic. Mam. 1844. V. in Germaniam Belgicã uenit. Nic. Mam. 1842 V. quid contra Galliæ regẽ in Italia gesserit. Nicol. Mamer. 1842. V. Imperator salutatur. Nicol. Mam. 1841 V. à Clemente VII. pontif. Bononiæ diademate Imperij insignitur. Nicol. Mamer. 1842. V. ducit uxorẽ. Nicol. Mamer. 1892 V. quot labores & pericula subierit ob Rem pub. Christianam. Ioan. Vet. 1927. V. imp. in arcẽ Zelandiæ Sudburgũ contendit. Vuilhel. Gode. 1907. V. Imp. abdicato imperio in monasteriũ Hieronymitanorum secedit. Vuilh. God. 1910 V. Hedinfurt ædificat. Iac. Bas. 1808. V. Sudburgo discedit. Vuilh. God. 1909. V. Terouanam expugnat. Iac. Bas. 1805. V. à quo sit natus. Nicol. Mam. 1841. V. quibus uerbis suo filio Philippo regi Hispaniarum regnũ tradiderit. Ioan. Vet. 1921 V. Campaniam Gallicam cum milite inuadit. Nicol. Mam. 1847. V. expeditionem in Africam adornat. Nic. Mam. 1844. V. cum exercitu in Germaniã uenit. Nicol. Mamer. 1847. V. quo die sit natus, coronatus & Aquisgrani regio diademate ornatus. Vuilhel. Gode. 1914. V. scribit procerib. Germiæ, eisq; Gubernationem imperij commẽdat. Vuilh. God. 1907. 1908. V. certior fit de uiolatione pacis à rege Galliarum facta. Vuilh. Go. 1911. V. capit Mediolanũ. Had. Barland. 1849. V. quo anno abdicarit imperium. Vuilh. Go. 1897. V. ad portum Neopornensem uenit. Vuil. God. 1909. V. scribit Philippo regi Hispaniæ, eiq; de uictoria gratulatur. Vuilhel. God. 1912. V. quomodo exceptus sit à proceribus Hispaniæ, & quomodo suã matrem salutarit. Vuilhel. God. 1909. V. latinæ linguæ gnatus. Hart. Maur. 861. V. quãtum fecerit Cameram imperialem. Vuilhel. God. 1907. V. quo anno contra Turcam pugnarit. Vuilh. God. 1899. V. quo anno à papa sit coronatus. Vuilh. God. 1899 V. quomodo imperium abdicarit. Vuilh. God. 1895. V. qualia præcepta Philippo regi Hispaniarum suo filio dederit. Vuil. God. 1900 V. cur imperium abdicarit. Vuilh. Go. 1895. V. suo filio Philippi regi Hispaniarum Belgium tradit. Vuil. God. 1897. 1898. V. Ferdinãdum certiorẽ facit de abdicando imperio Vuilh. God. 1905. V. quãdiu regnarit. Vuil. God. 1899. V. fit monachus. Ioan. Vet. 1929
caroli. V. imperatoris dies natalitia. Cornel. Agrippa 1264. V. electio. Ioan. Vet. 1923. V. electio & coronatio Georgius Sabinus 827. & 828.

V. rex

V. rex in Campania Gallica. Nicol. Mam. 1847. Cæſaris prouincias Galliæ rex inuadit. Iac. Baſ. 1805. V. præcipuorum geſtorũ breuis ac perſtricta, in paucula uerba relatio. Nicol. Mamer. 1841. V. uirtus & fortitudo. Iac. Baſ. 1804. V. expeditio in Algierẽ eiusq; ibi res geſtę. Nicolaus Mam. 1844. V. res geſtæ in ducatu Lucẽburgenſi. Nico. Mam. 1841. V. inſignes res geſtæ contra Turcam. Nicol. Mam. 1842. 1845. V. expeditio in Africam anno 1535. Nicol. Mamer. 1843 V. res geſtæ in Africa. Nicolaus Mam. 1843
de Caroli V. expeditione in Africã. Iani. Vet. 1926
caroli V. laus. de Rom. capt. 1861. V. potentia. Iacob. Baſil. 1804 V. res geſtæ in Picardia. Iac. Baſ. 1808. V. laus. Iacob. Baſ. 1804 V. in Tunetum expeditio. Iouius 1397. V. reditus ex Africa. Nicol. Mam. 1843. V. natura. de Rom. Cap. 1901 V. literæ ad Cameram Imperial. ſcriptæ earumq; tenor. Vuilhel. God. 1906. V. Imp. oratio lingua Gallica habita Bruxellis, in cõuẽtu procerum Belgicæ. Vuilhel. God. 1899 V. nauigatio in Africam. Vuilh. God. 1899 V. diſceſſus ex Belgica. Vuilh. God. 1909 V. uirtutes. Ioan. Vet. 1922. V. literæ ad Vuirtembergenſem. Lampertus 1654. V. labores diſtichis complexi' per Mameranum 1849 V. expeditio ad Argierã per Nicolaum Villagagnonem 1419. V. laus. Ioan. Vet. 1921 V. Cæſaris exercitus diripuit Romam 1198 V. liberalitas. Damia Goes. 1882. 1883. V. natura & ingenium. Ioan. Vet. 1921. V. inſignis ſententia. Ioan. Vet. 1922. V. res geſtæ in Africa. Vuilh. Gode. 1900. V. clementia. de Rom. Cap. 1861. V. ſtudium erga Remp. Chriſtianã. Vuilh. Godel. 1900 V. res breuiter comprehenſæ. Vuilh. Godel. 1899. V. oratio lingua Belgica habita Bruxellis de abdicatione imperij. Vuilhel. God. 1897. V. oratio de abdicatione imperij habita. Vuilhel. God. 1897. V. imp. tumulus. Ioã. Vet. 1931
de Caroli V. Imp. obitu Ioannis Veteris oratio. Ioan. Vet. 1920
carolo V. quid uaticinio prædictum. Balb. 872
inter Carolum V. & Frãciſcum 1. regem Gallorum belli origo. Hadria. Barland. 1849 V. & Franciſcum regem Galliæ belli cauſa quæ. Ioannis. Vet. 1928. V. & Galliæ regem decennales induciæ factæ. Nic. Mam. 1843. V. imp. & Galliæ regem pax conſtituta. Vuilhelmus Godele. 1906
de Carolo V. uaticiniũ. Cobola. 1857
carothna arx & urbs funditus euerſa. Herold. 1836. arx expugnata. Herod. 1834 arx munitiſsima. Herold. 1832.
in Carothnæ expugnatione quot Turcarum interfecti ſint. Herold. 1835
carruanum ciuitas. Stella. 1436
carthaginis urbis ruinę & reliquiæ. Nicolaus Mam. 1843. ueteris Ager multarum rerũ ferax. Etropius 1352
carthaginẽſis ſinus forma. Iouius 1402
carthaginenſium portus. Iouius 1396
caruenna urbs. Iouius 1389. urbs 1396
caſimirus Marchio præguſtator Regię Maieſt. Hart. Maurus 867
Marchio quomodo ſuos ſeditioſos ruſticos tractarit 1090.
caſparus Bathaſeghij ulneratus. Ioan. Sam. 1633. Caſtilionæus præfectus oræ maritimæ Gallicanæ. Vuilh. Godelepheus 1906. Flacus nobilis captus. Beſſel. 1697. de Ornen captus. Beſſelmeirus 1697. Peteu in pede læſus. Ioannes Sambucus 1724 de Schulenburg captus. Beſſelmeirus 1696.
caſpari Don oratio ad milites. Ioannes Sam. 1737
caſpia gens ſub Turca. Soiterus 1226

caſsides

caſsides ueterum. Etropius] 1366
caſſonia oppidum Hũgariæ. Brode. 1180
caſtaldus rerum militia rum peritiſsimus. Ioan. Samb. 1735
caſtellana ciuitas de Rom. Cap. 1856
caſtellatium oppidum. Capel. 1140
caſtelletum Menilium captũ. Vuilh. Go. 1912
caſtelli noua direptio. Richerius 1477
caſtellum nouum à Turcis expugnatũ. Richerius 1461
caſtrũ S. Remigij. Gnodalius 1057
caſtra Turcæ ante Viennã qualia fuernit 1212
caſtra incẽdit Turca relicturus. Viennã 1216
caſtrorum locãdorum ars. Eob. Heſſus 1280
apud Turcas prefecti. Richelius 1465
caſtrouillæ ſitus. Etropius 1378
caſtrouillanus ducatus. Etrop. 1378. agerfert prẽcioſum manna. Etropius ibidem
catalogus uirorum Illuſtrium in Obſeſſa Vienna 1219
catharina Hiſpana. Caroli. V. conſobrina Hẽrici VIII. regis Auſtriæ uxor. P.V. 1884
cathum oppidum. P.V. 1888
catuarorũ urbs fruſtra à Gallis obſeſſa. Vuilh. Godelepheus 1911
caueanum urbs. Iouius 1399
cauros appellat Chriſtianos Turcę 1556
celocem nauem uocãt Galeonem. Etro. 1345
cercina inſula. Stella 1445
cereuiſiæ uectigal in Saxonia. Lampert. 1663
ceruus pro diabolo reputatur. Beſsel. 1693
ceruorum furioſa libido. Pedius. 879
cetius mons quã ꝓcul à Viẽna diſtet. Soiter. 1233
chalibea arx. P.V. 1887
chalõ oppidum. Nicol. Mam. 1847
chanadinũ urbs in Hũgaria 1180
charippici equites. Richerius 1465
charonea Scrobus. Etropius 1380
charybdis uorago in mare Siculo. Etropius 1378
chariniũ captũ. Vuilh. God. 1912
chauri id eſt Chriſtiani. Herold. 1837
chenbergus mons. Soiterus 1251
chephalenia inſula. Fõtanus 1014
chiarnonius dux Gallorum in pugna Papiẽſi occiſus. Had. Bar. 1854
choreæ apud Turcos. Richerius 1467
choneoburgum in Hũgaria. Soiterus 1231
chemſij ingens incendidium. Soiterus ibid.
chriſtiani à Turcis quomodo appellẽtur. Herold 1837
chriſtianorum non eſſe de honore contendere. Mameranus 1673
captiuorum 20000 liberata. Ioan. Vet. 1927
infortunium ad Algeriam. Nico. Mam. 1845
chriſtianos in arce Tunetana in compedib. detentos plus minus uiginti milia. Etropius 1365
inter Chriſtianos & Turcas pugna. Her. 1826
chriſtierni ſecũdi regis Danmarchiæ crudelitas. Zieglerus 953
chriſtophorus Apollæ Vuylerus globo occiſus. Herold. 1826. Falco captus. Beſſel. 1696
Megelburgius dux regis Galliarũ obſes datur. Ioan. Sl. 1743
Oldeburgus. Ioan. Sl. 1751 Pheegel iuuenis impiger Dom. Gois 1971. Schenck captus. Beſſel. 1697. Tariauinus puer Dobonis in arce agria globo ictus Ioan. Samb. 1728
chriſtophori Richerij de reb. Turcarũ. Lib. 1447
ad Chriſtophorum Carouiciũ oratio de morte Mauritij. Ioach. Cã. 1790
chryſones Rhæti dicti 1130
chryſonum ſex millia in caſtris Gallorum. Capella 1140.
chymeriotæ pop. Herold. 1822
chynadinæ arcis amiſſio. Ioan. Samb. 1719
cibi & potus abſtinentia unde oriatur. Gerard. Bucol. 1868
cibo Cardinalis priot diaconorum. Corn. Agrippa 1263
cibinium urbs in Tranſyluania. Broder. 1181
cicilianæ Vallis Marchio. Etropius 1356
ciliciæ imperant Turcę. Richer. 1448

circellum urbs qualis. Iouius 1382
circelli regnum. Etropius 1342
ciſſelinck arx. Conrad. Bucol. 1867
ciſterna in arce Tuletana. Etropius 1361
citrarſum urbs. Iouius 1387
ciuitates in Smalcaldico fœdere quæ fuerint. Lampertus 1583
ciuitatibus ſuperioris Germaniæ principes confœderati ſcribunt. Ioannes Sleid. 1742
clades ad Laupham. Eob. Heſſus 1281
claudiani poëma de Honorio. Cæſ. & Stilicone principe. Vuolf. Lazius 1815
claudius mõs. Herold. 1819
clauena Chryſonũ quo modo capta ſit. 1141
clebergenſe agmen ruſticorum. Gnod. 1057
clemens. VII. ponti. Carolum. V. Bononiæ regio diademate ornat. Nico. Mam. 1842. VII. contra Carolum V. copias mittit Nicol. Mam. 1842. VII. pontif. à Carolo. V. liberè dimiſſus. Nicol. Mam. 1841
clemẽtia phil. principis Haſsię in uictos. Eob. Heſſus 1282
clementia Landgrauij Heſsi. Eob. Heſ. 1279
cliuenſis princeps mittit legatos ad regem Galliæ. Ioan. Sl. 1747
inter Cliuenſem principem & Colonienſem controuerſia pacata. Ioan. Sl. 1767
clupeæ promontorium Iouius 1418
cobolæ doctoris uatícinũ de Carolo V. 1857
cælius Curio ſecundus uir eloquens. Herold. 1817
cænobium S. Maximi incẽdio abſumptum. Latonus 1028
cænobia à ruſticis Alſaticis direpta & euerſa. Gnodal. 1056
colches Turcæ uaſtarunt. Richerius 1448
collis Martis apud Treuiros. Latomus 1026
colloquium de religione. Lampertus 1584
collum oppidum. Iouius 1395
colmaria urbs. Ioan. Sl. 1748
colocia oppidum Hungariæ. Brulericus 1180
colonia Agrippina inter urbes ruſticas numeratur. Hart. Mau. 865
coloniam Cæſar uenit. Nicol. Mam. 1848
colonienſis epiſcopus moritur. Ioan. Sl. 1762
epiſcop. præſcribitur. Lampertus 1649
epiſcopus pacatur cũ Cliuenſe. Ioan. Sl. 1767
epiſcopus à pontifice excommunicatur. Lãpertus 1599 archiepiſcop. fœdus init cum duce Sabaudię. Ioan. Sleid. 1749. epiſcopus accuſatur apud Cæſarem. Lampertus 1595
epiſcopus nomine Adolphus moritᵉ. Vuil. God. 1909
colonienſis eccleſiæ prę rogatiua. Hart. Mau. 853. archiepiſcopi equitatus. Hart. Mau. 857
coloſium urbs in Tranſſyluania. Brode. 1811
coloſſus ſolis. Fontanus. 989
columnæ duæ ante templũ Aquisgrani. Hart. Maur. 859
comaronis ad Danubium ſitus. Stellanus 1571
comes de Barraba. Thoma. Vuintz. 1774 comes de Sonnenberg occiditur. Pedius. 914.
comitis ab Helffelſtain lamentabilis interitus. Pedius. 901
comites à kalu. Pedius. 892. de Barraba cæſi. Thomas Vuintz. 1789. duo de Barraba occiſi. Thom. Vuintz. 1776 à Naſſouia. Mameranus 1668
comitum duorum ſimultas ex qua homicidium eſt conſecutum. Pedius. 914
comitia Auguſtana. Pedius. 921. Vuittembergæ celebrata. Beſſel. 1716 Vuormatiæ. Lampertus 1580
commendatores imperij. Mameranus 1666. 1667
commerciacum uilla, ubi uixit puella quædã ſine cibo. Gerard. 1868
concio ſequitur preces apud Turcas. Richerius 1467
conjugium ducis Vuirtembergici 880
conneſtablius mittit legatos Argentoratum. Ioan. Sl. 1746. legatus Gallicus Metim capit. Ioan. Sl. 1742
cõradus comes Vernẽbergenſis cum exercitu Louaniũ mittitur. Damianus Goys 1871

Conradi

conradi Pauperis origo & occasio 880
conradinus Lysinghoc Hassus. de Rom. Cap. 1850
constantia fuit in fœdere Smalcaldico. Lampertus 1583
constantina urbs in Africa 1395
constantini imperatoris regia apud Treuiros. Latomus. 1025
constantini imperatoris exitus. Riche. 1454
constantinopolis descriptio. Richerius 1474
expugnata. Richerius 1454. expugnata à Maomethe. Richer. 1472
conspirationis forma. Latomus 1023
cõspiratum in Landeo oppido apud Tribotes. Latomus 1022
continentia principis. Pedius 879
conuentus imperatoris & statuum imperij Vuormatiæ statim post coronationẽ Caroli V. quid tractarit. Hart. Maur. 870
conuiuij pontificis & Cæsaris Bononiæ apparatus. Corn. Agrippa 1269
copiarum in obsidione Viennæ. Catalogus 1220
coppanienſis Zanckzyaki statura. Ioan. Samb 1132
copstænum oppidum. Lampertus 1609
corbeiam Cæsariani ueniunt. Iac. Bas. 1808
corcutius frater imperatoris Turcarum. Etropius 1341
corcyra insula. Fontanus 1014
cordubæ gymnasium. Iouius 1389
D. Cornelio à Bergis episcopo Leodinensi &c. Gerardus Bucoldianus Physicus regius. S. P. D. 1866
cornu uenatoriũm insigne Vuirtem. Ped. 879
corona regũ Vngariæ Viennam mittitur. Ioan. Sam. 1735. quo modo imponatur Cæsari. Hart. Mau. 863
coronatio duplex Caroli. V. apud Bononiã celebrata. Cor. Agrippa 1256. Augustalis qua pompa sit incepta. Cornel. Agrippa 1260. Caroli V. Georgius Sabinus 827
coronationis imperialis ritus & ceremonię. Hart. Maurus 861
Caroli V. pompa. Hart Mau. 852
coronatione Lõgobardica peracta quid factum sit Bononiæ. Corn. Agrippa 1259
corinthus à Turcis uicta. Richerius 1455
cos insula qualis. Fontanus 979
cosmo Florentiæ Senatũ ciuitas se dat. Vuilhel. God. 1895
cottonũ appellant uulgò Gossipium. Etropius 1378
cotiæ Alpes. Capellan. 1133
crassus fluuius. Herold. 1819
crema urbs. Thomas Vuintz 1783
cremona urbs Mediolanensis ditionis. Cap. 1114
crepium oppidum. Nicol. Mam. 1847
creta Venetorum Colonia. Fontanus 1014
croatæ pop. 1820
croatia in Hungaria ubi incipiat. Brodericus 1180. in Illyrico. Richerius 1453
croatiæ caput. Brodericus 1180
crudelitas rusticorum, Gnod. 1049
cucullatorũ turba quæ in coronatione Caroli V. fuit Aquisgrani. Hart. Mau. 858
culcharos Turcæ afflixerunt. Richer. 1452
cullera oppidum. Stella 1433
cultus Deo gratissimus. Georgius Sabinus 832
cupri fodinę in Hungaria. Brodericus 1180
cusauca ciuitas. Etrop. 1378
cutheia urbs in Galatia. Richerius 1465
ciriscelebes Turcarum imperator. Riche. 1451
cyrtha Numidiæ regia olim. Iouius 1395
czabur Psalterium Dauidis apud Turcas. Richerius 1466
czofilar quales sacerdotes apud Turcas. Richerius 1468
czolachar apud Turcas qui dicantur. Richerius 1464
czougã Cæsariani reducũtur. Vuolf. Laz. 1811

D

DAcum Colonia. Ioan. Sam. 1734
dalmatia in Illyrico. Richer. 1453 ubi sit sub Hungaro rege. Brodericus 1180
Dalmatiæ situs. Brodericus 1180

Dalmatæ pop. Her. 1820
dalshemij in Palatinatu quot ruſtici in armis fuerint 1094
damaſcus expugnata. Richerius 1470
damianus Gois Louanium reuertitur. 1879 Louanio excluditur. Dam. 1845. 1876. Louaniũ uenit 1870. ad Longouallium accerſitur 1877. ſe redimat 9000. corona torum. Dam. 1877. 20000. coronatorum extorquatus. Damianus 1878. captiuus Digneſſã ductus. Dam. 1878. Gois capit 1877. in hoſtium caſtra abripitur. Dam. 1876
Damiani Gois equitis Luſitani de captiuitate ſua, & de iis, quæ ad Louanium à Longouallio Gallorum duce acta ſunt, ad Carolum V. uera narratio. 1869 oratio coram Longouallio. Damia. 1877. uxor Louanio electa 1879. colloquium cũ Longouallio. Dam. 1875. Gois equitis Luſitani apologia 1870
Damianũ fuiſſe auctorem ne Louanium oppugnaret. Dami. 1877
ad Damianum ſtudioſorum uerba aculeata. 1873
dampetra arx capta. Iac. Baſ. 1808
danis Germanos ſæpe leges olim præſcripſiſſe Ioan. Sl. 1753
daniel Greſſerus. Doctor. Tho. Vuin. 1786
danielis locus cap. 5. explicatur. de Rõ. Cap. 1864
danmarchiæ regis Chriſtierni doli & artes Ziegler. 955
danouertum urbs. Lampertus 1610
dantiſcus epiſcop. culmenſis 1277
danubium in Martiana ſylua. Broderic. 1180
danubij tractus. Herol. 1819. fons Ped. 899
danuillerium oppidum deditione captum à rege Galliæ. Ioan. Sl. 1750
darmſtatum capit Büranus. Lampertus 1639
daro fluuius. Her. 1819
dauidis Georgij Leidẽſis portentoſæ aſſertiones. Lampertus 1307
debrecinium urbs. Brodericus 1108
dedehouij oppidi ſitus. Ioan. Sl. 1764
demetrius Theſſeny interfectus. Ioã. Sã. 1732
delphinatus quomodo ad regem Franciæ peruenerit. Mamer. 1671
delphinus & humaniter Carolũ V. exceperit. Nicol. Mam. 1844
demoſthenis ſententia. Ioach. Cam. 1795
dermiſcher ſacerdotes apud Turcas. Richer. 1468
S. Deſiderij oppidum è Carolo. V. fruſtra oppugnatũ. Nic. Mam. 1847
diabolos Turcæ nigros equites appellant. Vuolf. Laz. 1812
diariũ expeditionis Tunetanæ Caroli. V. Ioã. Etropius 1341
dieſthenſis ciuitas 1487
dieſthum urbs. Seruilius 1487
diluuium ſtudgardianum. Pedius 890
dimoticum oppidum. Richerius 1459
dinaſtrum eripit Venetis Turca. Riche. 1456
dinckelſpula urbs. Lãpertus 648
dingelſpoelum exercitus principum peruenet. Ioan. Sl. 1742
dinckpula quam difficile ſe Cæſari dederit. Lampertus 1653
diocletianus ſponte regnum abdicauit. Vuilhel. God. 1896
dionyſiopolis urbs. Richerius 1454
diouantum arcem rex Galliæ oppugnat, & quibus cõditionibus ſit capta. Iac. Baſ. 1806
diouantum exuſta. Iac Baſ. 1806
dirnauia oppidum. Stella. 1559
diſcordia quantum malum. Gnod. 1031
diui Turcarum. Richerius 1468
dobra municipiũ. Vuilhel. God. 1912
dodehouium Cæſar ꝓficiſcitur. Ioan. Sl. 1765
dominicus de Maximis diues Romanus & V ſinus captus, eiuſq; filius occiſus. de Rom. capta 1855
domuſſula capel. 1114
donçum Cardinalis Polus uenit. de Con. Angl. 1793
donouerdam exercitus principum peruenit. Ioan. Sl. 1742
dorgutes Turca inſignis Pirata. Cal. Stella 1430
dorlanum. Iacob. Baſ. 1805. Picardiæ oppidum. Iac. Baſ. 1808

dornstadium deditur. Ped. 893
dracones tormẽtorum nomen. Latom. 1026
drauus fluuius. Herold. 1819
fluuius. Ioan. Sl. 1749
dreilebij dominium Georgo Mechelburgensi decernatur. Bess 1685
drepani portus. Etrop. 1373
drepani descriptio 1374
duacum urbs frustrà obsessa à Gallis. Vuilhel. God. 1911
duælã munit dux Vuirtembergicus. Ped. 898
duberus fluuius. Io. Sl. 1755
ducissę Mauritij luctus. Thom. Vuintz. 1785
ducum in Mauritij castris luctus. Thomas Vuintz. 1779
Io. Dudlæus fit summus in aula regis Angliæ. P.V. 1883
dudlæus de regno Anglico occupando cogitat. P.V. 1884. Eduardo VI. regi Angliæ librum arripit eumq́ aculeatis uerbis increpat. P.V. 1884. fit tutor Eduardi VI. regis Angliæ. P.V. 1883 fit Northumbriæ dux P.V. ibid. Northũbriæ dux proceres regni Angliæ in aulam Londinensem conuocat. P.V. 1885. regnũ Angliæ armis subiugare conatur. P.V. 1887 dux Northumbriæ captus & ad Reginã Angliæ deductus. P.V. 1888. Northũbriæ dux capite truncatus. P.V. 1889
dudlæ, ducis Northumbriæ oratio, in Anglia per eum è suggestu, antequam capite plecteretur, ad populũ adstãtem habita. P.V. 1889
duellum arx. Ped. 937
duffela urbs direpta. Seruilius 1509
durá oppidum captũ. Nicol. Mam. 1847
oppid. Nic. Mam. 1847
oppidum in Eburonũ finibus. Iouius 1548
duræ obsessio & descriptio, & expugnatio. Iouius. 1548
durantius captus. Barland. 1854
diadema quibus ceremonijs imperatori imponatur. Hart Maur. 863
dyrrachium Venetis ademit Turca. Riche. 1458
dysenteriæ causa in exercitu Cæsaris. Etropius 1372

E

EBenoa uicus. Bess. 1703
eberberg Lat. 1030
ebergi situs 1021
eberhardus Barbatus primus dux Vuirtembergensis. Ped. 910
Barbatus. Ped. 888
ecloga de morte Mauritij ducis Saxoniæ. Thom. Vuintz. 1788
ecloga de duce Vuirtẽbergensi 1304
ebusum oppidum. Stella 1433
ecclesiæ bona conferuntur ad usum belli. Brodericus. 1179. Coloniensis prærogatiua eximia. Hart. Mau. 853
ecclesiarum ministros quales uoluerint rustici. Gnod. 1036
ecclesiasticis bonis in Vngaria utuntur uersus Turcã. Brode. 1179
eck à Rischach 1210
edessam Syriæ urbẽ ceperunt Turcę. Richer. 1448
eduardus rex Britanniæ legatum mittit ad Cæsarem. Ioan. Sl. 1763
VI. ex matris utero cœsus. P.V. 1883 lectioni historicæ maximè deditus. P.V. 1884. VI. rex Angliæ moritur. P.V. 1883. VI. rex Angliæ ueneno necatus. P.V. 1885. VI. mortuus clam Vuestmonasterium auectus. P.V. 1885
eduardi VI. regis Angliæ natura & laus. P.V. 1884. VI. regis Angliæ ingenium. P.V. 1884. VI. exuuię in auitum sepulchrum conduntur. P.V. 1889 VI. regis Angliæ cædis initium. P.V. 1885
æstas calidissima & siccissima. Gerard. Buc. 1867
egbertus Marchio Misnensis occisus. Geor. Sabinus 831
egenolphus Cellensis, ciuis ad lacũ Acromium captiuus à Turcis abductus. Vuolf. Laz. 1811. Zellensis globo occisus Herold. 1828
einthouia oppidũ. Seruilius 1487
eisenhutenicum agmẽ seditiosorum rusticorum. Gnod. 1062
eistetum oppidum obsessum. Ioan. Sl. 1755
eisteti oppidi descriptio. Ioan. Sl. 1755
electoris præteriti pœna. Hart.

na Hart. Mau. 867
electores Ferdinãdo Cę sari iuramentum præstant. Vuilh. God. 1915
imperij quomodo ueſtiti fuerint cum Mauritius accepſt Auguſtę à Cęſare inueſtituram. Mam. 1670. quo ordine imperatoriam ſedem circumequitarint Francofurti. Vuilhel. God. 1915
electorum nomine oratio habita. Hart. Mau. 853. principum gratulatio. Hart. Mau. 863
trium literæ ad regem Carolum. Hart. Maur. 852
electoratus inueſturam quomodo Mauritius ſuſceperit. Mam. 1668
electiones diſcordes electorũ imperij 831
electionis decretũ. Hartman. Mau. 856. imperialis locus. Hartm. Mau. 853
eleonoræ Frãcorum reginæ tumulus. Ioan Vet. 1931
eluangen oppidum â Vuirtembergico principe receptum. Ioã. Sl. 1765. oppidum captũ. Ioan. Sl. 1765
embocenſes adſcribuntur in fœdus Smalcaldicum. Lamper. 1586
emericus Bebek in locũ nequam Stephani Hegedui ſuffocatur. Ioan. Samb 1725
Bebek inſtaurator Agriæ areis. Ioan. Samb. 1719. Nagh. occiditur. Ioan. Samb. 1724
emetienſis dominus urbe Louanio aufugit. Dam. Goſs. 1872. dominus Louanium cũ exercitu mittitur. Damian. Goſs. 1872
emporium Francofurti. Eob. Heſſus. 1281
enchrium arx expugnata. Iac. Baſ. 1809
enkenfurti Cardinalis ædes Romæ æſtimantur. de Rom. Cap. 1856
epaminundę morientis cura. Etrop. 1362
epeirus Larta nunc dicta. Richer. 1453
epigrammata Cornelij Agrippæ & aliorũ in triumphalẽ Caroli Cę ſaris coronationẽ. Cornel. Agrippa. 1271. & 1272. & 1273
epiſcopus Vuormatienſis occiſus. Georgius Sabinus 831
epiſcopus Magdeburgenſis occiſus. Georg. Sabinus ibidem
epiſcopi Franciæ & Noribergẽſes fœdus faciunt. Ioan. Sl. 1762
Franciæ pacem petũt Thom. Vuintz. 1771.
Franciæ magnam uim pecuniæ Alberto Brãdeburgico fruſtrã offerunt. Ioan. Sl. 1766.
Frãcię fuga ſibi ſalutẽ quærunt. Ioan. Sl. 1760
ad epiſcopum Argentinẽnſem mittit legatos rex Gallię. Ioã. Sl. 1743
epiſtola Turcæ ad Rhodienſes. Fontan. 979
epitaphiũ ducis Eberhardi ſenioris. Vuirtẽbergenſis. Ped. 929
equos & canes generoſos alit dux Vuirtembergicus. Ped. 880
equeſtris ſtatus dignitas. Hart. Mau. 864
equeſtris ludus. Ped. 911
cenſus. Hart. Mau. 564
ordinis uiros plurimos creauit imperator. Hart. Mau. 864
equeſtrium agminũ ordo. Hart. Mau. 856
equites ſub comite ab Hardeck in obſidione Viennæ 1222
equites atrati. Lam. 1634
equitatus apud Turcas quantus & qualis. Richerius 1465. Colonienſis epiſcopi. Hart. Mau. 857
equus Pontificis in põpa proceſsionis qualis. Cor. Agrippa 1266
eraſmus Sarcerius Doctor. Tho. Vuint. 1783
eraſmi Roterodami dictum. Herold. 1818
erebergum arx à conſœderatis principibus capta. Ioan. Sl. 1748. 1749
erencus â Künſperg militat Ferdinando contra Turcam. Vuolf. Latz. 1815
erenrychus kunigſpergicus uir rei militaris peritus. Herold. 1831
ericina Venus 1375
ericis ſinus. Stella. 1432
erlebachiũ. Ioan. Sl. 1742
erneſtus comes Mãsfeldicus captus. Io. Sl. 1752
eryx mons. Etrop. 1375
eſchuiægũ oppid. Haſſiæ. Gnod. 1064
eſdenum caſtrum ſolo ęquatum à Carolo V. Nic. Mam. 1841
eslingam dux Vuirtembergicus obſidet. Pedius 895
eslingi coniuratis Sueuiæ adhærẽt. Ped. 895
eslingos obſidet Vuirtembergicus dux. Pedius 939
eslingenſes ſcribuntur in fœdus

in fœdus Smalcaldicũ. Lampertus 1586
eteoclis ſententia. Ioach. Cam. 1791
euboeam Negropontũ hodiè uocari. Richer. 1456
eugenij tẽpore Gallus quidã diu ſine cibo uixit. Gerar. Bucol. 1869
eumi motus. Soite. 1226
euxinum hodie uocari mare maius. Richer. 1456
exemplum fortunæ inconſtantis. Barl. 1855
exercitus apud Turcã Eutropius & Aſiaticas. Richer. 1456. à principibus Saxoniæ & alijs quibuſdam cõſcribitur aduerſus ruſticos 1070. Cæſaris in Belgico qualis & quantus fuerit. Iouius 1548. regis Galliatum in Belgico bello aduerſus Carolũ V. Iouius 1552. Chriſtianorũ aduerſus Turcã. Ped. 947
exercitus ducem peritia. Eob. Heſſus 1281
regius. Ped. 905. Cęſaris in Africa quib. morbis & alijs difficultatibus laboraſit. Etrop. 1372. cogitur Francisco à Siccingen. Latom. 1024. imperatorij ſumma. Nic. Villag. 1421
expeditio cõtra Franciſcum Treuiros obſidentem. Latom. 1028
ezeek oppid. Brod. 1181

F

FActioſi quãm miserè crudeliterq; uincti. Ped. 920
factioſos punit dux Vuirtembergicus. Pedius 918
fames in caſtris Turcę fol. 1217
fames & morbi in Italia. Capel. 1168. in caſtris Smalcaldicorum. Lampertus. 1649. Hieroſolymæ. Coruin. 1335
Sagunti qualis fuerit. Anton. Coruin. ibid.
fame perire atrox ſupplicium. Lamper. 1330
fanum diui Quintini expugnatum. Vuilh. God. 1912
farina portus. Iou. 1400
farneſius Oſtiẽſes quomodo unxerit imperatorem Carolũ V. Cor. Agrippa 1263
fatũ inſtabile. Ped. 880
fati & numinis poteſtas. Lampertus 1623
felduar oppidum in Hũgaria. Broder. 1185
ferdinãdus Gonzaga. Etrop 356. rex quomodo Muleaſſem Tunetenſium regẽ exceperit & in caſtris habuerit. Etrop. 1356. rex eũ Saxoniæ duce de cõciliatione agit. Ioan. Sl. 1742. rex parat bellum contra Vuirtembergicum. Ped. 904. quo iure regnũ Hungariæ acceperit. Broder. 1196
rex mittit legatos Frãcofurtũ. 1767. rex certior fit de uictoria Agriẽſium. Ioan. Sam. 1729. rex quomodo remuneratus ſit legatos Agrienſes. Ioan. Sam. 1729. ſcribit Agrienſibus pręfectis. Io. Sam. 1720. Cęſar quomo exceptus fuerit à Vienſibus. Vuilh. God. 1916
Cæſar legationem mittit ad pontificẽ. Vuilh. God. 1916. Cæſar ſcribit Cameræ. Vuilhel. God. ibid. rex Roman. in Cæſarem eligitur. Vuilh. God. 1815 & Mauritius de pace agunt. Ioan. Sl. 1743
rex quomodo Agriã potitus ſit. Ioan Samb. 1717. Oeniponſem ad Cęſarem proficiſcitur. Ioan. Sl. 1748. ſcribit ad Germaniæ Proceres. Vuolf. Laz. 1810
rex mittit legationem ad Turcam de ineunda pace. Io. Sam. 1730
rex mittit legationem ad monachum. Ioan. Sam. 1734. rex ſe parat ad bellum contra Turcas. Vuolf. Laz. 1810. rex apparatas copias in Hungariam mittit. Vuolf. Laz. 1810
rex Spiram ad comitia uenit. Ger. Buc. 1867
Auſtriacus cõtra Turcam proficiſcitur. Herold. 1831. frater Caroli V. Nic. Mam. 1841
rex legationem ad caſtra principum confœderatorum mittit. Ioã. Sl. 1759. Archonus præfectus Mediolani, Gallos urbe excludit. Had. Bar. 1850. Archidux Auſtriæ certior fit de Karothna expugnata. Vuolf. Laz. 1814
rex Paſſauium refertitur. Ioan. Sl. 1750.
Ferdinãdi Auſtriaci Clementia. Herold. 1838
Archiducis Auſtriæ laus. Vuolf. Laz. 1815
Auſtriaci reditus ex Vngaria. Herold. 1837
Archiducis Auſtriæ reditus ex bello Turcico. Vuolffgangus Lazius 1815. regis filij expeditio contra Turcas

cas. Vûolf, Laz. 1813
filiæ nubũt una Alberto duci Bauarorum, altera Guilielmo Cliuẽsi principi. Lamp. 1600
luctus ob expugnatã Temesuarum. Ioãnes Sam. 1739. electio in Cæsaream Maiestatẽ Vuilh. God. 1915
ferdinando quomodo Carol. V. imperium tradiderit. Vuil. Go. 1895
Cæsari quid põtifex respõderit. Vuil. Go. 1917
Turca bellum indicit. Vuolf. Laz. 1810. regi Turca obsidionem Zigeth. denunciat. Ioan Samb. 1730. Cæsari electores iuramentũ præstant. Vuilh. God. 1915
ferdinandũ Carolus. V. Imp. de abdicando imperio certiorẽ reddit. Vuilh God. 1905
feritatis exemplum. Richer. 1470
fermerslebiũ. Bess. 1688
ferrandus Gonzaga. Nic. Villag. 1421
ferraria in Italia quomodo munita sit. Stella 1567
ferrariæ dux Hercules quid à Cæsare Carol. V. acceperit. Etro. 1371
ferron lacus in Hungaria. Brod. 1180
fessani reges. Ioui. 1389
filij cõtra patrem. Ioan. Sl. 1768
fides non habenda fœdifragis. Gnod. 1061
fiessa capta. Lam. 1609
fiessa capta à principib. cõfœderatis. Io. Sl. 1748
finarium urbs. Ioui. 1398
aminius uindex Græciæ. Ioan. Sl. 1741
flauianum olim dictam Viennam. Soiter. 1233
florenges in pugna Papienſi captus. Hadria. Bar. 1854
florentiæ præsidia imposita. Nic. Mam. 1842
florentiam Carolus. V. ex Africa uenit. Nico. Mam. 1843
florichena castrum solo æquatũ à Carolo V. Nic. Mam. 1841
floriuilla castrũ solo æquatum à Carolo V. Nic. Mam. 1841
flumẽ oppidum ad mare Siculum. Etrop. 1378
fœdus inter tres principes, Palatinũ. Hessum & Treuirensem episcopum. Latom. 1029
fœdus contra Smaldalcos. Lamp. 1590
fœminarum Agrienſiũ alacritas. Io. Sam. 1728
fons uino scaturiens. Ped. 913
fontem rapidum quomodo nutriuerit Cæsar. Stella 1576
forchemum oppidũ receptum à Bambergensi episcopo. Io. Sl. 1763
fortunæ exemplum insigne. Barland. 1855
fortunæ in humanis rebus ludibria 1660. ludibria 1226
forum Iulij Carolus V. capit. Nic. Mam. 1843
francia Orientalis ab Alberto Marchione depopulat. Io. Sl. 1767
franciscus Ambasiator captus. de Rom. Cap. 1855. comes à Turre. Vuolf. Laz. 1813. Kessas interfectus. Ioan. Sam. 1732. à Sickingen. Nic. Mam. 1841
franciſci à Siccingen actio memorabilis. Latom. 1019
franciscus à Sickingen. Ped. 889. à Siccingen. Latom. 1021
franciſci à Siccingen mors. Latom. 1029
franciscus à Steinenbrũ occisus. Herold. 1825
Thenus interfectus. Bessel. 1713. Thaius uir clarissim. Herol. 1816. Turacus uir insignis. Herold. 1831. Vitetus in locum Caspari Peteu subrogatus. Ioan. Samb. 1724. Zay uir clarus. Ioan. Sam. 1717
Zay fit prefectus arcis Zolnok. Io. Sam. 1718
Zay Cesareus legatus ad Turcam mittitur. Ioan. Sam. 1730.
franciscus 1. rex Gallitarum contra Carolum. V. Hadri. Bar. 1849
1. Galliæ rex magnũ exercitũ cũtra Carolũ V. scribit. Had. Bar. 1849. 1850. rex Galliarũ ducatum Lucemburgensem inuadit. Nic. Mamer. 1841. Galliæ rex quid respõderit Cesari petenti auxiliũ aduersus Turcas. Etro. 1344.
1. rex Galliæ mittit legationem ad electores imperij. Had. Bar. 1849
1. capitur in pugna Papiensi. Had. Bar. 1854. Galliarum rex frustrà Imperium expetit. Nicol. Mam. 1841. rex Galliæ hostis imperij iudicatur. Ioan. Sl. 1753
franciſci 1. regis Galliarum eulogium in pugna Papiẽſi. Had. Bar. 1854. 1. regis Galliæ uirtus & fortitudo in pugna Papiensi. Had. Bar. ibid. 1. regis Gallia-

Gallia rum fidei con ſtãtia. Vuil. God. 1900
inter Franciſcum 1. & Carolum V. belli cauſa. Ioan. Vet. 1928
Franckẽhuſium ruſtici fugiunt. Gnod. 1069
franckenhuſij quid actũ ſit inter ruſticos & principes. Gnod. 1070
frãcofurtum ad Mœnũ obſeſſum. Ioã. Sl. 1757 1758. oppidum obſidi one ſolutũ. Io. Sl. 1760
francofurti conuentus. Ioan. Sl. 1767. fit conuentus, inq; eo Ferdinandus Cęſar eligitur. Vuilh. God. 1913. Ferdinandus rex Rom. in Cęſarem eligitur. Vuilhel. God. 1915
francofurto quomodo Büranus potitus ſit. Lampertus 1639
francofurto Albertus Marchio diſcedit. Ioan. Sl. 1761
francoberga. Eob. Heſſ. 1283
in Franconia Marchionis Alberti Brãdeburgici ſæuitia. Thomas Vuintz. 1772
franconũ ſedes in Gallia. Ioan. Sl. 1753
francis quæ olim amicitia interceſſerit cum Gallis. Ioan. Sl. 1753
franconici ruſtici quomodo uicti. Gno. 1093
franconicorum ruſticorum octo millia cõuenerunt. Gnod. 1051
francorum reginæ Eleonorę tumulus. Ioan. Vet. 1931. regum potentia & uictoriæ. Ioan. Sl. 1753
fraxineus Gallicus legatus in Galliam redit. Ioan. Sl. 1761. Gallicus orator. Io. Sl. 1742
fraxinei Gallici legati oratio in cõuentu Paſſauiano. Ioan. Sl. 1753
frensheimij quid actum ſit in ruſticorum ſeditione. Gnod. 1099
friburgenſis ſenatus ob uiam uenit Mauritij funeri. Tho. Vuin. 1784
friburgum in Miſnia Thom. Vuintz. 1784 quando ſit conditum Thom. Vuintz. 1784
friburgi metalli inuẽtio. Thom. Vuintz. 1784
fridericus Goteſſemius mittitur ad regẽ Galliarũ. Ioan. Sl. 1746. dux Lunenburgenſis in caſtra uenit. Tho. Vuin. 1774. comes Palatinus capitaneus imperij aduerſus Turcam 1226. Palatinus elector moritur. Vuilh. Gode. 1909. dux Saxonię officij cupidior quam pecuniæ. Hart. Mau. 854
Treuirenſis epiſcop. ex comitib. Eiſenburgicis moritur. Vuilh. God. 1909. Thumb. Gnod. 1084.
friderici primi tempore Friburgum conditum in Miſnia. Tho. Vuintz. 1784
frigus ingens. Ped. 885
frobeniana impreſſoria officina. Herold. 1817
fronſpergius Georgius quid in ſeditione ruſticorũ egerit. Gno. 1090
frorentini pontifici Romano addicti. Gal. Capel. 1105
fructuũ arboreorũ fœcũditas in ſolo Carthaginis ueteris. Etropius 1352
fumiũ in Croatia urbs. Brodericus 1180
frugalitas Algeſtrium. Ped. 886
fruſium oppid. captum. Vuilh. God. 1910
fuldæ monaſteria deuaſtata à ruſticis. Gnod. 1068
fundani uincuntur & cędduntur. Iouius 1387
furtum quomodo apud Turcas puniatur. Richer. 1469

G

GAlatiæ imperant Turcę Riche. 1448
galeacij Capellæ de rebus geſtis pro reſtitutione Franciſci II. Mediolanenſiũ ducis liber primus 1105
gabriel Perenius. Ioan. Samb. 1735
galeon nauis. Nic. Mamer. 1846
galeones naues uocant Celoces. Iouius. 1359
gallia à Cæſaris exercitu Belgico populatur. Ioan. Sl. 1764
galliæ rex ſe armat contra Cęſarẽ. Iac. Baſ. 1805 rex quã humaniter Carolum V. in Frantia & alijs locis ſui regni exceperit. Nic. Mã. 1844 rex, cũ exercitu uenit Tabernas. Ioã. Sl. 1746 rex inducias facit cum Carolo V. Nic. Mam. 1843. exercitum Atrebates ducit. Ioan. Sl. 1760. rex Caroli Cæſaris hæreditarias prouincias inuadit. Iaco. Baſ. 1805. regis hoſtilitas. Iac. Baſ. 1806 regis hoſtilitas in Luceburgico agro. Ioan. Sl. 1752 regis ſcriptũ aculeatũ ad imperij ordines. Ioannes Sl. 1765. rex

cur in Germaniã uenerit. Ioan. Sl. 1747. rex Caletum urbem obsidet. Vuilh. God. 1912. regis postulatũ ab Argentinensibus. Io. Sl. 1746. rex quale responsum dederit Heluetiorum legatis. Ioan. Sl. 1748. rex respondet legatis principum. Ioan Sl. 1747. rex inducias uiolat. Vuilh. Go. 1911. rex mittit legationẽ ad Argentinenses. Ioan. Sl. 1746. regis colloquium cum Argentinensibus legatis. Io. Sl. 1746 rex capit Tulliũ & Virodunum. Ioã. S. 1742. rex Lotharingiam inuadit. Ioan. Sl. 1742. rex Philippo regi bellum infert. Vuilh. Go. 1911. rex Italiam inuadit. Nic. Mame. 1842 rex Mediolanensem agrum inuadit. Hadria. Bar. 1850. rex rursus ditiones Cæsaris inuadit. Iac. Bas. 1806. regis uirtus & fortitudo in pugna Papiensi. Had. Bar. 1854. rex discedit ex Germania. Ioan. Sl. 1747. uictus à Philippo rege Hispaniarũ. Vuilh. God. 1912. regem Henricus comes Nassauiæ ex Belgia adoritur. Nic. Mã. 1843. rex ad Valencenas à Cęsare uictus. Iac. Bas. 1805. rex cur ex Germania discesserit. Ioan. Sl. 1748. rex captus. Nic. Nam. 1842. rex domũ è Germania redit. Ioan. Sl. 1760. rex obsides in Germaniã saluos mittit. Ioan. Sl. 1761. rex Maneburgũ capit. Iac. Bas. 1806. rex Sabaudiam inuadit. Nic. Mam. 1843. rex reficit se. Iaco. Bas. 1805. regi quo anno Leonora soror Caroli V. sit in uxorem deuincta. Nic. Mam. 1842. rex fœdus init cum põtifice. Vuilh. God. 1911. rex uenit cum exercitu in Germaniam. Ioã. Sl. 1746. 1747. rex quomodo sit dimissus. Nic. Mam. 1842. regem societatem cũ Turca fecisse. Ioan. Sl. 1759

ad Galliæ regem quidã principes Germaniæ legatos mittunt. Ioan. Sl. 1747

contra Galliæ regẽ maximus exercitus mittitur à Cæsare. Nic. Mamer. 1843

inter Galliæ regẽ & Carolum V. Imper. pax. Vuilh. God. 1906

galliam Cæsar inuadit, & miserè in uarijs locis depopulat. Ia. Bas. 1806

de Gallia uaticiniũ 1857

galliarum rex apud Papiam à Cæsarianis captus. Capella. 1143.

rex in Hispania in magnum morbũ incidit 1145. rex cur in Germaniam exercitũ duxerit. Ioan. Sl. 1740,

gallicam Campaniam Carol. V. inuadit. Nic. Mam. 1847

gallicus legatus domũ redit. Ioan. Sl. 1761

gallici legati epistola ad principes confœderatos. Ioan. Sl. 1756. legati oratio in Passauiano conuentum. Ioan. Sl. 1753. 1754

gallico legato respõdet Cęsar per literas. Ioan. Sl. 1759

gallina una semiducato Papiæ uenditur. Had. Bar. 1852

gallus ex Francia in Brabantiam uenit. Nicol. Mam. 1844. quidam nomine Iacobus diu à cibo se abstinuit. Ger. Buc. 1869.

galli Vydmari de Pfussendo Cẽturionis Cõstantia Bessel. 1694.

galli cur olim Romam occuparint. de Rom. Capt. 1862. Caletũ urbem obsident. Vuilh. Gode. 1912. uicti à Cæsarianis ad Senatũ urbem. Iac. Bessel. 1809

Diouantum arcem expugnant. Iac. Bas. 1806.

Artheſiam depopulãtur. Vuilh. God. 1911.

Metim & Nanceium muniunt. Ioan. Sl. 1763. ob uiolatã pacem pœnas luunt. Vuilh. Go. 1911. Catuacorum urbẽ frustrà oppugnant. Vuilh. God. 1911. Britannos tota continente excludunt. Vuilhel. God. 1913. Valentium & Mediolanũ expugnant. Vuilh. God. 1911. Picardiã inuadũt. Vuilh. God. ibid. in oppugnatiõe Metem. ab Alberto Marchione fusi. Ioan. Sl. 1764. ex urbe Mediolanẽsi fugantur. Hadri. Bar. 1850. inuaserunt magnam Belgici partem. Geor. Sabinus 831.

Gallorum rex in Italia à Cæsarianis capt. Soiter. 1126. exercitus profligatus ad Ticinum. Capella

pella 1143. regis & Caroli V. fœdus 1147. clades ad Valẽcenas. Iac. Baſ. 1805. ſtrages. Had. Bar. 1851. exercitus aduerſus Carolũ V. in Italia. Gal. Cap. 1116. ſtrages. Iac. Baſ. 1807. occiſorum numerus ad Auguſtam Veromanduorũ. Vuilhel. God. 1912
ex Gallorum copijs qui nobiles ac principes in pugna Papienſi capti fuerint. Had. Bar. 1854
gallorum duces qui nã occiſi ſint in pugna Papienſi. Had. Bar. 1854. lætitia in urbe Roma. de Rom. Cap. 1864. centena millia ad Papiam profligata. Nicol. Mam. 1842. clades ad Papiam. Nicol. Mam. 1842. terror & trepidatio ob Cæſaris aduẽtum. Nic. Mam. 1847. 30000. occiſa ad Auguſtam Veromanduorum. Vuilh. God. 1912. ſtrages ad Auguſtam Veromãduorũ. Vuilhel. God. 1911. & Frãcorum ueterum amicitia. Ioan. Sl. 1735
gallos in Græcia uicit Turca. Richer. 1458
inter Gallos & Cæſarianos pugna ad Papiã. Had. Bar. 1853. 1854 & Cæſarianos præliũ ad Senarũ urbem. Iac. Baſ. 1809. & Cæſarianos pugna apud Rentiacum. Iac. Baſ. 1807. & Cæſarianos rerũ geſtarum breuis & uera narratio. Iac. Baſ. 1803
gamæus Marchianus obſes Gallicus. Ioan. Sl. 1743
gandauum. Vuilhelm. God. 1906
gandaui Carolus V. naſcitur. Nic. Mam. 1841
gatiæ quid tribuãt Turci. Richer. 1468
geela urbs. Seruil. 1487
geldria Ciſmoſana. Seruilius ibid.
geldrogallica cõiuratio aduerſus Antuerpiã. Seruil. 1482
gelues inſula. Etro 1373.
gemũdum capit Saxo. Lamper. 1653
georgius rex Albam Iuliam obſidet. Ioannes Sam. 1735. Auſtriacus fœdus init cum duce Sabaudiæ. Io. Sl. 1749
georgij Batori mors. Ioan. Samb. 1725
georgius Blatto captus. Beſſel. 1696. à Danhauſen uir nobilis. Herold. 1819. Fabricius in laudem Mauritij ducis. Th. Vuintz. 1769. à Fronsberg peritiſsimus rei bellicæ. Nic. Mame. 1842. à Fronsberg 1198. Guualay interfectus. Ioan. Sam. 1723. Hala nobilis uir interfectus. Beſſel. 1708. ab Haſenburg globo occiſus. Herold. 1835. Holius, à Treuiris urbe excluditur. Ioannes. Sl. 1762. Heruuath. puluere ſulphureo leſus, moritur. Ioan. Sam. 1725. Iuanus unus ex capitaneis in arce Agria. Ioan. Sam. 1721. Kysdezy interficitur. Ioan. Sam. 1732
georgius Lampertus. Hart. 853. à Liechtenſtein rei militaris peritiſsimus. Herol. 1836
georgius Macedonay occidit. Ioan. Sam. 1732
georgius Maldizius nobilis captus. Beſſe. 1698
georgius Mechelburgẽſis fit equitum magiſter. Beſſel. 1687
georgij Mechelburgenſis exercitus lætitia in agro Magdeburgenſi. Beſſel. 1685
georgius Mechelburgẽſis Magdeburgenſem archiepiſcopatũ inuadit. Beſſel. 1685
georgius Mechelburgẽſis Vuantzlebium oppidum capit & incendit. Beſſel. ibid.
georgius dux Mechelburgenſis captus. Beſſel. 1697
georgius Mechelburgẽſis fit dux exercitus in Magdeburgẽſi bello. Beſſel. 1685
georgius Mechelburgẽſis conſcribit militem. Beſſel. ibid.
georgius Mechelburgiæ dux Francofurti, tormento interfectus. Ioan. Sl. 1757. 1758
georgius Palady interficitur. Ioannes Sambu. 1732
georgius Rolyn Dam. Emmerienſis Louanienſibus auxilio uenit. Dami. Gois 1871
georgius Rolyn Dominus Emmerẽſis Louanio urbe aufugit. Dãmian. Gois 1872
georgius Sigiſmundus à Carolo V. Imp. ad imperij Proceres mittitur. Vuilh. Godele. 1908
georgius Thannebergus ad Norimbergẽſes mittitur. Io. Sl. 1751

georgius Vitezi ad regem Ferdinandū mitti tur.Ioan.Samb. 1729
georgius Vueldner.Herold. 1824
georgius Zekel interficitur.Ioan.Sam. 1732
geppinga uallatur.Ped. 887
gerardus Lotharij pater occisus 831
gerardi Bucoldini enarratio de puella sine cibo & potu uitam sustinente 1866
gereſgallum castrū Turcæ relinquunt.Vuolf. Laz. 1813
ex Gereſgallo Turcę fugiunt.Herold. 1836
germaniæ bellum inteſtinum.Lamp. 1578
germaniā reipub. Christianæ esse propugnaculum.Ioan.Sl. 1740
germaniæ Proceres scribunt regi Gallię.Ioan. Sl. ibidem
germaniæ ſtatus.Io. Sl 1740. 1741
germaniæ Procerib. Carol. V. imperator scribit,& abdicat imperium.Vuilh.God. 1907. 1908
germaniæ propugnaculum Belgradum subigit Turca 1227
de Germaniæ calamitatibus uaticinium 1857
germaniam rex Galliæ inuadit.Io.Frāc. 1746. 1747
germanicum bellum descriptum à Lamperto Hortensio 1579
germani quomodo à Romanis olim sint appellati.Ioan.Sl 1753
germani quam amicitiā habuerint olim cū Gallis.Ioan.Sl. 1753
germanorum potentia olim.Ioan.Sl. 1733
germanorum ſtratagema in urbe Papia.Hadri.Bar. 1852
germanorum clades in pugna Papienſi.Had. Bar. 1854
germanorum alacritas ad bellum contra Turcam.Herold. 1820
germanorum dira auaritia.de Rom.Cap. 1864
germanorum ueterū clementia erga deuictos. de Rom.Cap. 1864
germanorū præſidia cōtra Turcā.Nic.Mā.1842
geroltzhemum diruūt ruſtici.Gnod. 1051
gibellina factio.Capel. 1130
gienga oppid.Lam. 1643
girapolis urbs.Iou. 1399
gislinga oppidū ab Alberto Marchione Brādeburgico pecunia mulctatū.Ioan.Sl.1743
gladius quibus ceremoniſs Cæſari sit datus in coronatione.Corn.Agrippa 1264
gladius Caroli Magni magnus.Har.Mau.862
gladij deſcriptio, quem pontifex Cæſari dono dedit.Iouius 1397
gladij traditio quo ritu fiat.Hart.Mau. 862
gnidum promōtorium. Fontanus 980
gnodalius de bello ruſticorum 1031
godelfinga oppidum. Lampertus 1642
goeppinga obſidet.Pedius 925. deditur.Pedius 926
goletha arx â Carolo. V.expugnata. Nicol. Mam. 1843. arx expugnata.Vuilh.Godeleuæus 1900
gonzaga dux Mantuanorū. Gal.Capel. 1105
gorgonē Cæſariani perueniunt.Herold. 1830
goslar oppidum. Tho. Vuintz. 1784
goslariam ciuitatē quomodo affixerit iunior dux Brunſuicēſis 1517
goslarienſes ueniunt in fœdus Smalcaldicum. Lampertus 1586
goſsipium ubi proueniat.Etropius 1378
gotha ſylua.Herol. 1818 arx rurſus munitur.Ioan.Sl. 1766
gotha ualida urbs eſt. Lampertus 1648
gothi deſtructores urbis Carthaginis. Nic. Mam. 1843
gothorum clementia erga uictos.de Rō.Cap. 1864
gothos ſacris pepercisſe.de Rom. Cap. 1862
græco ſermone utuntur Turcę.Richer. 1462
græcos uicerunt Turcę. Richer. 1451
gralus locus ſic dictus. Beſſel. 1703
granata urbs. Iouius 1389
granuellanus Perenotus qualis uir fuerit. Etrop. 1352
grauesinum Cardinals Potus uepit de. Ang. Con. 1893
grauia urbs. Seruilius 1487
gregorius Bornemiſſa unus ex capitaneis arcis Agriæ. Ioan Sam. 1721
gregorij Bornemiſſe uirtus & excellentia in arte militari. Ioannes Sambucus 1726

Bornemissæ mirũ inuentũ.Ioan.Sam. 1726
Bornemissę aliud astutum inuentum. Ioan. Sam. 1726
Gregorius Byksith globo ictus.Io.Sam. 1731
gregorius Deak unus ex præfectis arcis Agriæ.Ioan.Sam. 1720
gregorius à Dieuẽ. Damian.Gois. 1875
grueningan.Ped. 936
grueninga obsessa.Ped. 893
gruenuicẽsis arx in qua Eduardus VI. rex Angliæ ueneno sublatus est.P.V. 1885
guido Rangonius. Capel. 1140
guilbertus uinculis solutus & ad summas dignitates euectus.P.V. 1887. 1889. Anglus duci Northumbrię obstrepens.P.V. 1886
guilhelmus Auraicus princeps à Carolo V. Imp.ad Proceres imperij mittitur.Vuilh.Go. 1908.
guilielmus Hessorum princeps. 1278
guinum oppid. deditione captũ.Vuil.Go.1913
guisa oppidum capitur. Iouuius 1551. oppidũ captũ.Nic.Mam. 1843
guisanus dux ex Italia demum redit.Vuilhel. God. 1911. dux cum exercitu in Italiam mittitur.Vuilh.Go. ibid. dux Caletum urbẽ capit.Vuilh.God. 1913.
guisius Cardinalis fit præses in Luceburgio agro. Ioan. Sl. 1760
guletæ situs.Iouius 1401
guletana arx qualis sit. Etropius 1361
gulfherdo Northũbriæ ducis fratri Ioannna Maria soror Henrici VIII.regis Angliæ nupta.P.V. 1884
gulielmus Schattus ad Noribergenses mittitur.Ioan.Sl. 1751
gundelshemum magistri Teutonici ordinis sedes.Gnod. 1048
gunthurus Schuuartzburgensis comes Cæsari militat.Ia.Bas.1806
guntheri Schuuartzburgŋ comitis uirtus. Iac Bas. 1807
gunza oppidum Hungariæ obsidetur à Turca.Soiter. 1243
gurcensis episcopi uaticinium de futuris Caroli V. sueecsib. Hieronymus Balbus 872
gutzmãnus supremus Camerarius Cæsareus ad pontificem mittitur.Vuilh. God. 1916
gutzmannus Roma discedit.Vuil.God. 1919
gutzmanno quid pontifex responderit.Vuilhel.God. 1917
gymnasium Tubyngæ quis instituerit 1291

H

HAbitus Cæsaris & equi eius in pompa qua ingressus est Aquisgranum corona imperialem acceпturus.Hart.Mau. 859
hadebia Albis insula uastata 1531
hadrianopolis expugnata à Turcis.Richerius 1450. in Græcia fuit Turcis sedes imperatoria.Richer. 1452
hadrianus VI. pontifex Gal.Papel. 1114. Blehemus prætor Louaniensis.Dam. 1874
hadriani Barlandi professoris Louaniẽsis descriptio Papiensis obsidionis 1849
haganoã rex Galliæ uenit.Ioan.Sl. 1747
rex Galliæ mittit legatos.Ioan.Sl. 1743. Cæsar uenit.Ioan. Sl. 1764
haidelshemium oppid. expugnãt rustici.Gnodal. 1061
haidenheim obsidetur. Ped. 836
hailbruna fuit in fœdere Smalcaldico. Lam. 1583
hailbrunnę quid à rusticis actũ sit. Gno. 1047
hailbrunnũ Cęsar in potestatem redegit.Lam. pertus 1657
haimsen dedit. Ped. 892
hala qualis urbs.Lamp. 1654
hala Saxonum. Bessel. meirus 1688
halemon urbs. Seruilius 1487
halberstadiensis diœcesis à Georgio Mechelburgensi transgreditur.Bessel. 1685
halibassæ oratio ad milites.Herold. 1825
halybaschę qui dicantur.Herold. 1823
hamburgum ciuitas 1531
hanium expugnatum. Vuilhelmus Godele. 1912
hannonia regio. Iacob. Bas. 1805
hannouera ciuitas 1531
hansgraue Viennensis uir insignis. Gerardus 1867
in Haradorffensi agro acres uelitationes.Bessel. 1690

hariadenus Mythylenæus.Iouius 1382
hariadenus Oenobarbus.Etrop. 1341
harmenſeul ,Irmenſeul. Ant.Cor. 1332
harsdorc uicus. Beſſel. 1690
hasbania. Seruil. 1486
haſsia à Burano uaſtatur.Lampertus 1639
haſsiæ comes captus. Nicol.Mam. 1848
hatſihilai apud Turcas qui uocent. Rich.1467
haybones.pop.Herold. 1822
haymburgum in Hungaria.Sotterus 1231
hazerduu ſylua. Ioan. Samb. 1733
hedinfurt uel hedinfort conditur,deq; eius etymo multa. Iacob. Baſ. 1808
hedinum arx obſeſſa à Cæſarianis & expugnata.Iac.Baſ. 1805
arx ſolo adæquata. Iacob.Baſ. 1805
hedini expugnationis narratio.Iac.Baſ. 1803
heduorum populi.Mameran. 1672
hegouia in armis ſeditioſa.Gnod. 1068
heidenheim obſidetur. Pedius 925
heidelbergæ nonnullorum principum conuentus. Ioan.Sl. 1766
heinus Almanus cõſul Magdeburgẽſis falsò traditus.Beſſel. 1715
helfenſteiniũ comitem quomodo ruſtici truci darint.Lamper. 1581
helphenſtein comes.Pedius 884
helfenſtænũ arx capta. Ioan.Sl.1743. arx recuperata.Ioan.Sl. 1765
helffenſteinium comitẽ quo pacto ruſtici interfecerint. Gnod. 1046
helmõda urbs.Ser.1487
heluetĩj mittũt legatos ad regem Gallię.Ioan. Sl. 1748
eluetiorũm legatis reſpondet rex Galliæ Ioan.Sl.1748.multi ad altare Romæ in templo S.Petri occiſi. de Rõ. Cap.1855. occiſorum numerus in pugna Papienſi.Had.Bar. 1854.
uiginti millia dux Vuirtembergicus conduxerat.Ped. 886. exercitus apud Gallorum regem in Italia.Capel. 1116. propter religionem tumultus.Lam. 1580. ciuile bellũ. Lãpertus 1583
enricus VII.Cæſar.Iohan.Sl. 1755
enricus VIII. rex Anhangliæ pater Eduardi VI.regis Angliæ.P.V. 1883
henrici VIII. regis Angliæ filia.P.V. 1884
henricus Brunſuicenſis uicinis bellum infert. Ioan.Sl. 1767. dux Brũſuicẽſis cũ Magdeburgẽſibus canonicis pactum facit.Beſſ. 1658
ditione pulſus, ad Cæſarem Metim ueniens ac ab eo auxiliũ petit. Ioan.Sl.1764. Brunſuigam urbem obſidet. Beſſel. 1684
inter Henricum Brunſuicenſem & Volradũ Manſſeldium bellum. Ioan.Sl. 1764
henricus Cattenus captus.Beſſel. 1697
henricus Dudlæus frater ducis Northũbriæ captus.P.V. 1888
henricus II. rex Galliæ uictus à Philippo rege Hiſpaniarum. Vuilh. God.1912. rex Galliæ legatos mittit ad principes Germaniæ.Ioã. Sl. 1741. II.rex Gallorum fœdus init cũ Germaniæ principibus.Ioan.Sl. 1741. rex Galliæ ſpe urbis rapiendæ Argentinenſis fruſtratur. Ioan.Sl. 1747. II. rex Galliæ uenit in Germaniã.Ioã.Sl.1747. rex Galliæ capit Metim 1742. Galliarum rex cur Metim cœperit, & exercitum in Germaniam duxerit.Ioan. Sl. 1740. rex Galliæ Tullum & Virodunũ capit.Ioan.Sl. 1742. II. rex Galliæ nouas copias mittit contra regem Hiſp.Vuilh God.1912
henrici regis Gallię titulus in literis miſsis ad Germaniæ principes. Ioan.Sl. 1741. regis Galliæ literæ ad principes Germaniæ. Ioan. Sl. 1741
inter Henricum II. regẽ Galliarũ & Angliæ regem.pax.Ioã.Sl. 1740
henricus Haſsius.Ioan. Sl.1767. Miſniæ Burgrauius cum Mauritio duce Saxoniæ de cõciliatione agit.Io.Sl.1742
Miſnię Burgrauius ad principum confœderatorum caſtra mittitur. Ioan.Sl. 1759. Otto Palatinus in locũ fratris demortui ſuffocatur. Vuilh.God. 1909
comes Naſſauiæ Galliæ regem ex Belgia adoritur.Nicol.Mam. 1843

comes

comes Naſſauiæ. Nic. Mam. 1841
henrici comitis de Naſſau equitatus & peditatus. Hart Mau. 857
henricus Nauarræ rex moritur 1895. de Nurẽberg cẽturio captus. Beſſel. 1692
heydones in Hungaria qui ſint. Stella 1561
herenalba cœnobium. Ped. 935
herendalſium urbs. Seruilius 1487
herholdi. Hart. Mau. 858
hermannus archiepiſcopus Colonienſis moritur. Ioan. Sl. 1762
hernbergę ſitus. Pedius 890
hernbergam uallant fœderati. Ped. 890
hernbergam capit dux Vuirtembergicus 900
herold quid ſignificet. Herold. 1817
heroum clades. Thom. Vuintz. 1776
heruagiana impreſſoria officiana. Herol. 1817
heſelinum captũ. Nico. Mam. 1843. arx capta. Ioan. Sl. 1764
heſſus Lantgrauius cõtra ſeditioſos ruſticos. Gnod. 1064. fœdere iungitur Heluetijs. Lampertus 1584
Vuirtembergicum ſuſcipit. Ped. 904
heſſi principis fortitudo. Ped. 905. principis inſignia leones. Eob. Heſſus. 1281. conditiones pacis. Lamp. 1656
heſſorum principis oratio ad milites ne nimium in uictos ſæuiant. Gnod. 1072
hidruntẽ occupãt Turcæ. Richer. 1456
H. Eobani Heſſi gratũlatoria acclamatio de uictoria principis Heſſorum 1277
hieronymi Morini Cardinalis cum Gallo ſimultas. Gal. Cap. 1106
hieronymi patria. Brod. 1180
hieroſolyma quando à Turcis expugnata ſit. Richer. 1448
hijula Hunnorum princeps. Brod. 1181
hildensheimẽſis, epiſcopi bellum contra ducẽ Brunſuicẽſem. Goblerus 949
hildẽsheimẽſe bellum. Goblerus 149
ad Hilderslebium pugna. Beſſel. 1686
hiltenburgum arx capitur à Vuirtemb. Ped. 884
hippo in Africa. Etrop. 1368
hippona oppidum. Iouius 1415
hipponem olim, hodie Bonnam uocant. Etropius 1372
hippolytæ Maſſalpinæ uirilis animi mulieris oratio ad milites Papienſes. Had. Bar. 1851
hippolytus Cardinalis contra Turcam ſuſcepit curam tuendæ oræ maritimæ. Iouius 1388
Hirſaugia monaſterium. Ped. 892. cœnobium. Ped. 934
hiſpalis alias Sibilia. Nicol. Mam. 1842
hiſmaëlis Sophi prouincia. Fontanus 1013
hiſpania à Turcis ſpoliata. Etrop. 1343
hiſpaniæ principes Carolo V. obuiam procedunt. Vuilh. Go. 1909
inter Hiſpaniarum regẽ & Paulum IIII. pont. f. bellũ. Vuilh. God. 1910
hiſpani q̃ comitatu ſecuti ſint Caſtellũ regem ſuum Aquiſgranum. Hart. Mau. 857
hiſpanorũ domos Germani pedites in urbe Roma expugnant. de Rom. Cap. 1855. ſolentia in urbe Roma. de Rom. Cap. 1855. uictoria terruit Africã. Stella 1446. dira auaritia in urbe Roma. de Rõ. Cap. 1864. multi Papiæ contra fidem datam necati. Hadr. Bar. 1850
hochſtœtũm urbs. Lampertus 1042
hœſtadium urbs. Lam. 1642
holmenſis populus. Zieglerus 944
homberga arx. Pedius 893
homburgum. Latomus 1030
homicidiũ quomodo apud Turcas puniatur. Richer. 1469
hominis naturę miſeria Etrop. 1356.
de Honorio Cæſare Claudiani poëma. Vuolf. Laz. 1815
hoochſtratum urbs. Seruilius 1487
horatius Farneſius globo ictus. Iacobus Baſ. 1805
horborgum oppidum. Lampertus 1634
horiſi quales ſint ſacerdotes. Richerius 1468
hornberga deditur. Pedius 893
horenſis comitatus. Seruilius 1407

iuxta

iuxta Hortum Braſsicanũ cõflictus. Beſſ. 1690
horucij caput in Hiſpaniam miſſum & circũ latũ in lãcea. Iou. 1383
hoſtia urbs Cęſari oppignorata. de Rom. Cap. 1856
hugo Dominus de Mõgadis Romam uenit. de Rom. Cap. 1856
comes Montfortius. Gnod. 1035. à Schimberg uir rei militaris peritus. Iac. Baſ. 1807
hudrichus dux Vuirtẽbergen. ad imberbis rerũ potitur. Pedius 879.
humana cõſilia qualia. Lampertus 1613
humanarum rerum caſus uarij. Lam. 1660
humanã infirmitatem uocat Turca ambitionem. Fontanus 1004
humbrechti Stoeri ſtirpis origo. Herol. 1835
huna flumen. Broderic. 1180
hungaria citerior & ulterior. Brod. 1180
hungariæ regni ſedes. Buda. Broder. ibidem ultra Danubianæ deſcriptio. Brod. ibid. flumina Broder. ibid. deſcriptio. Brod. 1179
hungari unde uenerint qui nunc ſunt. Brode. 1180
hunicaria oppidum captum. Nic. Mam. 1843
huſchochi pop. Herol. 1822
huſſari uaſtant Voetlãdiam. Lamper. 1647
hũtſchi uir militaris rei peritus. Herold. 1820
uirtus & fortitudo in pręlio. Hero. 1824. laus & epitaphiũ. Herold. 1820
hyems aſperrima & niuoſa. Ioan. Sl. 1765
hyperborei montes. Richerius 1447

I

Iacobus Bericus. Beſ. 1709. Hũtſchi ciuis Baſilienſis rei militaris peritus. Herol. 1820
iacobi Hũtſchi laus & epitaphiũ. Herol. ibi.
iacobi Hũtſchi mors. Herold. ibid.
iacobi Baſilici Marcheti, Morini atq; Hedini prælij apud Rentiacũ narratio 1803
iacobi Maſij oratio Bruxellis habita nomine Belgicæ procerũ. Vuilhelm. God. 1905
iacobus Monchius Damianum captiuũ abducit. Dam. 1878
iacobus Radouanuayda unus ex capitaneis in arce Zigeth. Ioan. Samb. 1731
iacobus Reyſchach occiſus. Herold. 1829
iacobus Velius iuris Licentiatus. Dam. Gois. 1875
iacobi de Schulenburg ſeruus captus. Beſſel. 1700
D. Iacobi Turris Magdeburg. ſeptem diebus fruſtrà ictibus globorũ cõcuſſa. Beſſ. 1701
D. Iacobi Turris Magdeburg. pinna deijcitur. Beſſel. 1702
ianiceri Turcæ quales 1212
ianizarorum numerus. Richer. 1464. arma. Richer. ibid. officia diuiſa. Richer. ibid.
ianizeris quæ lingua familiaris ſit. Riche. 1462
iaurinum. Vuolf. Laz. 1813. Ferdinãdus dux Auſtriæ uenit. Herol. 1838
iaurini pręfecti ſtratagema. Vuof. Laz. 1814
iayeza urbs Dalmatiæ. Broder. 1180
iazygum regio. Ioan. Samb. 1734
iberia à Parthis uicta. Richer. 1469
iconium hodie Cognyum dicit. Richer. 1460
iccium promontorium expugnatum. Vuilh. God. 1912
idolum Irmenſeul. Antonius Cor. 1332
idermanſeul. Antonius Cor. ibid.
ienebre mons 1135
ignis artificialis uſus in bello. Stella 1562
ilia Mauritij ſepeliuntur. Thomas Vuintz. 1779
illyricum Sclauoniã hodie nominant. Richer. 1453
illyri quomodo nũc appellentur. Herol. 1820
ilua inſula. Iouius. 1384
immanuel quid ſignificet. Herold. 1817
imperium quomodo Carolus V. abdicarit. Vuilhelm. Godeleuæ. 1895
imperij ſtatuũm ſeſsio. Mameranus 1665. conſtitutio. Georgius Sabinus 830. Romani officia militaria 1125 auxiliorum catalogus 1224. dux in obſidione Viennæ 1219 legitima ſedes Roma eſt. Hartman. Maurus 869. urbes contra nobiles Pedius 885 concilium in Germania abſente Carolo V. Hart.

Hart.Mau. 870
ad imperij ordines Carolus. V. imperator scribit, & imperium abdicat. Vuilh. God 1907. 1908
imperiũ quot modis uacare possit. Vuilh. Godele. 1918
imperator quæ iuramẽto Aquisgrani promiserit. Hart.Mau. 861
iurauit iustitiam facere. Hart.Mau. 863
imperatoris officium. Nic.Vib. 1424. coronatio Bononiæ celebrata 1259. persona qualis debeat esse. Ioan.Vet. 1926
imperialia ornamenta Norenbergæ asseruari. Hart.Mau. 862
imperialis conuentus Spira. Brodericus 1179
inautorata arma prohibita. Hart.Mau. 874
incendia Villarũ. Tho. Vuintz. 1771
inducię Magdeburgi facte. Besselm. 1716
inedia cõtabescere qualis miseria. Lam. 1330
ignis in urbẽ Treuicorum ab hoste missus 1027
ingratitudo quale uitium. Dam. 1869
insula sancti Petri. Etropius 1347
insulæ in Danubio. 1558
insubria tota ferè uastata. Had Bar. 1850
interbacum oppidum Marchiæ. Gnod. 1065
interamnẽsis Pannonia unde sit dicta. Heroldus 1819
in Interamnensi Pannonia rerum contra Turcas gestarũ descriptio. Bas. Herold. 1816
interregnum in imperio annorum octodecim. Georgius Sabin. 831
interregnũ à morte Maximiliani Cęsaris. Goblerus 949
interregnum periculosum. Pedius 885
inuidia crescẽtis gloriæ comes. Iouius 1384
inuidiæ causa populi erga clerũ. Latom. 1021
ioachimus Carsterus nobilis captus. Bessel. 1698. Arndorfius nobilis captus. Bess. 1703 de Liehen captus. Bessel. 1696. Camerarius Pabebergensis oration habuit in laudem Mauritij. Thom. Vuintz. 1782
ioachimi Camerarij epistola 1197. Camerarij epitaphium in laudem Mauritij electoris. Ioach. Cã. 1801 à Ioachimo Camerario Pabergensi oratio habita ad funus Mauritij electoris. Ioach. Camer. 1790. 1792
Ioachimus Marchio Brãdeburg. Vuolmerstadium petit. Bessel. 1689. Steinus captus & in urbẽ Magdeburgensem ductus. Bess. 1698
Ioanna soror Henrici VII. regis Anglię, fit regina Anglię. P.V. 1886
Maria, Henrici VIII. regis Angliæ soror Gulfherdo Nœrthũbriæ ducis fratri nupta. P.V. 1884. Arragonia Imp. Carol. V. mater moritur Vuilh. God. 1895
ioannes in Apocalypsi de Rõ. Io. Staph. 1859
ad D. Ioannem Albinũ Mauritij electoris oratio. Tho. Vuintz. 1777
ioannes Albertus archiepiscop Magdeburgẽsis moritur. Bess. 1658
ioannes rex moritur. Ioan Samb. 1734
ioannis Baptistę Gastaldi peritia in castris ponendis. Iac. Bas. 1806
ioannnes Cantacuzenus imperiũ abdicat. Vuilh. God. 1896
de Protõ nobilis captus. Bessel. 1697
ioannes Dudlęus Eduardum VI. regem Angliæ ueneno necat. P. V. 1885
ioannes Figedy unus ex capitaneis in arce Agria. Ioan. Sam. 1721
unus ex præfectis arcis Agrię. Io. Sam. 1710
Ioannes Fuggerus Ferdinãdo Austriaco supetias contra Turcam fert. Herold. 1835
ioãnes Fraxineus expugna fugit. Io. Sl. 1764
ioannes Fridericus dux Saxoniæ uictus & captus. Ioan. Vet. 1925
dux Saxonię domum remittitur. Ioã. Sl. 1761
dux Saxoniæ proscriptus. Nic. Mam. 1848
dux Saxoniæ è uinculis dimittitur. Ioan. Sl. 1749
ioannis Friderici Saxonię ducis uxor morit. Vuilh. God. 1895. & Mauritij legati ob monetam conueniunt. Ioan. Sl 1766
ioannes de Garmersleben nobilis captus. Bessel. 1697
ioannes Georgius Mãsfeldensis comes cõiungit se

git ſe cum exercitu Mechelburgēſi. Beſſ. 1687
ioannis Gulcheri, Neuſtattenſis tribuni ſignifer captus. Beſſel. 1705
ioānes Hagmaſy interficitur. Ioan Sam. 1732
ioannes Hotzhoty interficitur. Ioan. Samb. ibid.
ioannes Kindelbrucus moritur. Beſſel. 1706
ioannes à Layen fit epiſcopus Traiectenſis. Vuilh. God. 1909
ioannes ex Luceburgiorū familia fit rex Bohemiæ. Ioan. Sl. 1755
ioannes Marchio Brandeburgicus unus ex capitaneis Cæſarean. in obſidione Meti. Ioſl. 1763
ioannes Medices uir acris atq; bellicoſus. Hadri. Barl. 1852
ioannes Milenus captus. Beſſelm. 1709
ioannis Oſnabrucenſi camerę præſidi, Carol. V. ſcribit eumq; certiorem facit de abdicando imperio. Vuilhel. God. 1906
ioannes Oſoski magiſter machinarum bellicarum. Herold. 1831
Peſſingerus. D. Tho. Vuintz. 1782. Petheius uir clariſsimus. Herold. 1816. de Perera Luſitaniæ regis legatus. Ioan. Vet 1920
Poſgay occiſus. Ioan. Samb. 1724. Rudolphus Murbachi & Luteri antiſtes. Heroldus 1833. Rauenſchot patritius Louanienſis. Dam. Gois. 1874
ioannis Sambuci rerū ad Agriam geſtarum narratio 1717. deſcriptio. expugnationis arcis Temeſuari 1734. obſidionis Zigeth. uera expoſitio 1730
Ioannes Scheyring iureconſultus. Beſſelm. 1689
ioannes Sleidanus mittitur ad regem Galliarum. Ioan. Sl. 1746
ioannis Staphilæi oratio de excidio urbis Romæ 1858
ioannes Springerus re militari celebris. Beſſelm. 1706. centurio, in Magdeburgen. ſi obſidione globo percuſſus. Beſſel. 1710
ioannes Tommen conſul Louanienſis. Damian. Gois 1874
ioannes de Vrbina Hiſpanus. de Rom. Cap. 1856
ioannes Vuayda ad regem Ferdinandū mittitur. Ioan Samb. 1729 capitaneus equitū in Agria arce. Ioan. Sam. 1721
ioannes à Vueyſpriach, Ferdinando regi militat contra Turcam. Vuolf. Laz. 1813. uir rei militaris peritus. Herold. 1831
ioānes. Vueis Doctor. Thom. Vintz. 1785
der lāg lœrg. Hero. 1814
ioannitarum magiſter per Germaniam. Mameranus 1665
iſabella filia regis Portugalliæ Carolo V. nupta. Nicol. Mam. 1842
iſaiæ uaticinium. Ioan. Samb. 1858. 1859
iſchia inſula. Stella 1431
iſenacum urbs munita. Lampertus 1648
iſēburgicus comes à ruſticis interfectus 1058
iſfeldicum agrū depopulatur. Phiſerus Gnodalius 1860
iſna fuit in fœdere Smalcaldico. Lampertus 1583
iſnēſes ſupplices ad Cæſarem legationem mittunt. Lampertus 1641
iſtria in Illyrico. Richer. 1453
iſtrogranum. Stella 1557
italiæ ſtatus anno à natali Chriſtiano 21. ſupra M.D. Gall. Capp. 1105
italiam Galliæ rex cum exercitu inuadit. Nic. Mam. 1842
itali quas copias miſerint in Germaniam ad Carolum V. Lamper. 1616
italicobrabantia. Seruilius 1488
ithaca. Ioan. Vet. 1920
iudicatis rebus rempublic. contineri. Hart. Mau. 871
iuelæ arcis ſitus. Lampertus 1655
iuerſellius nobilis Gallus. Dam. Gois 1874
iuliacenſis ducatus ab Carolo V. ſubegitur. Nic. Mam. 1847
dux cū ſuo equitatu. Hart. Mau. 856
iuliacenſe bellum à Louio deſcriptum 1584
iulius cōmes Hardocenſis Ferdinādo regi ſuppetias fert contra Turcam. Vuolf. Laz. 1814
iulius Hardiccus uir inſignis. Herold. 1831
iulius III. pontifex moritur. Vuilhel. Godel. 1895

Iulij Cæſaris uirtus. Ioan. Vet. 1928
inter Iulium pontificem & redem Galliæ bellũ. de Rom. Ca. 1864
Iuodium oppidum. Damian. 1870
Iuæum captum à rege Galliæ. Ioan. Sl. 1752
Iura regni ſe recuperaturum iurat imperator. Hart. Mau. 861
Iuramentum imperatoris in coronatione factum. Hart. Mau. ibid.
Iuſiuradum Maurorum quale ſit. Etrop. 1371

K

KAlũ uetus opdidũ. Pedius 934
oppidum 892
kamanceh oppid. Brodericus 1181
karpum doñauit imperator Carolus V. Herculi duci Ferrarienſi. Etropius 1379
karothna munimẽtum expugnatum. Vuolf. Laz. 1813
kalamankze oppidum funditus deletum Herold. 1831
kleggoſij premuntur à comite à Furſtenberg. Pedius 902
klegouia in armis ſeditioſa. Gnod. 1068
kolbenſium turma ruſticorum Gnod. 1057
apud Koningshofium ruſticorũ clades. Gnodalius 1085. 1086
Koningshofio Vürtzburgum mouerunt cõfœderati aduerſus ruſticos. Gnod. 1085
kraſſo paſtus. Brod. 1186

L

LAcca indica. Iouius 1416
laconia eſt in Peloponneſo. Richer. 1455
lacus in Hungaria duo nobiles. Brod. 1180
ladislaus Kereckzenius præfectus arcis Zigethi. Ioan. Sambuc. 1730
lambertus Hortenſius Montfortius de tumultu Monaſterienſium 1306
lamberti Hortenſij de bello Germanico 1578
landauienſium cum comite Palatino tranſactio in ſeditione ruſticana. Gnod. 1100
landauium Cęſar uenit. Ioan. Sl. 1764
landgrauius domũ proficiſcitur. Ioan. Sl. 1762
domum reuertitur. Ioan. Sl ibidem liber faſtus. Ioan. Sl. 1760.
denuó capitur. Ioan. Sl. 1762.
landgrauij filius domũ redit. Ioan. Sl. 1761.
filius reuocat ſuos equites à Marchione Brandeburgico. Ioan. Sl. 1750.
filius cum Mauritio duce Saxoniæ coniungitur. Ioan. Sl. 1742.
Heſſorum Philippi filia, moritur. Vuilhelm. Godeleuæ. 1895
langęus Cardinalis à ruſticis obſidione preſſus 1091
landishutz urbis ſitus. Lampertus 1614
landreſium oppidum. Iouius 1551
landroſij oppugnatio. Iouius 1552
landritium oppidũ fruſtrà obſeſſum. Nicola. Mam. 1847
landunij Veromandię Damianus in carcere publico detentus. Damianus 1878
larghera urbs. Nic. Vill. 1430
laruneſiæ inſulæ. Stella 1434
larta olim Epeirus dicta 1453
lauandi mos apud Turcas. Richerius 1467
laudam Pompei Cæſariani peruenũt. Had. Bar. 1850
in Laudenſem agrum Borbonius dux cum exercitu uenit. Hadri. Bar. 1853
ad Laudum portũ peruenit Carolus V. Vuilhelmus Godeleuæus 1909
laugingam principum confœderatorum exercitu peruenit. Ioan. Sl. 1744
laupha Ped. 892. Pedius 934
lauphæ conflictus & uictoria Landgrauij. Eoban. Heſſus 1281
lauphainum urbs. Lampertus 1643
S. Laurentius arx fundítùs euerſa. Herol. 1831
laxenburgum emporium. Solter. 1251
lazarus de Suuenda in hoſtium caſtra ad magdeburgum ſita uenit. Beſſel. 1694.
lazarus Nagh interfectus. Ioannes Sambu. 1732
lazurium. Iouius 1416
lecera fluuius. Seruilius 1487
legati electorum ad regem Carorum. Hart. Mau. 852
legi quid tribuant Turci. Richer. 1468
legem ſeruare iurauit Imperator

imperator.Hart.Mau. 863
leitingæ quid seditiosi rustici fecerint. 1094
leiphemium deditum. Gnod. 1034
lemsdorfensia castra incensa.Bessel. 1706
lemnum insulam uastat Turca.Richer. 1456
lemberga oBsessa. Ped. 893
lengenses rustici seditiosi.Gnod. 1059
lenoncurtus Cardinalis.Ioan.Sl. 1742
lensa municipiũ â Gallis diremptũ & incensum.Vuilh.God. 1911
letigesia Muleasis mater.Iouius 1390
leo. X. pontifex contra Gallũ.Gal.Cap. 1105
leoburgensis Gob. 949
leodiensis episcopus. Hart. 854
leodinus episc. fœdus init cum duce Sabaudiæ.Ioan.Sl. 1749
leonora soror Caroli.V. matrimonio iungitur regi Galliarum.Nico. Mam. 1842
leonhardus â Velss 1210
leptis parua urbs. Iouio 1418
lesbon diripit Turca. Richer. 1456
lescu in pugna Papiensi captus.Had.Bar.1854
letmericia oppidum in Bohemia 1644
leucadia à Turcis expugnatur.Richer. 1456
leuinus Vuinterfeldus nobilis captus. Bessel. 1697
leytha fluuius.Her. 1839
liberalitas ducis.Vuirtẽbergici.Ped. 910
liberalitas ducis Vuirtẽbergici 914
liburnia in Illyrico.Richerius 1453
iburniæ naues 1435
llibyphœnices, Stella 1441
lichtebergus uulneratus.Ioan.Sl. 1756
lichtenauum arx capta. Ioan.Sl. 1749. incensa & funditus deleta. Ioan.Sl. 1750
limpurgum monasteriũ diripitur 1060
lindauia fuit in fœdere Smalcaldicorũ.Lamp. 1583
linguæ Turcarum plures.Richer. 1462
linium oppidum captũ. Nic.Mam. 1847
linthium uenit Mauritius dux Saxoniæ.Ioan. Sl. 1743
lincij quid factum sit inter Ferdinandum & Mauritiũ.Ioan.Sl.1743
linxa oppidũ.Lam. 1620
lippa à Turcis occupata.Ioan.Sam. 1736. ciuitas.Ioan.Sam.. 1734
lippæ arcis amissio. Ioan.Samb. 1719
lipsiæ conuentus habitus.Tho.Vuintz. 1772
lipsiam obsidet Saxo. Lampertus 1642
lipsiam Mauritij ducis Saxoniæ funus defertur.Tho.Vuintz. 1781
lipsensium sepultura. Thom. Vuintz. 1783
lisson Venetis eripiunt Turcæ Richer. 1456
litania.Hart.Mau. 861 dicitur suffragia. Cor. Agrippa 1264
literæ iaculis in urbẽ missæ ad solicitandam defectionem.Lato. 1027
literarum studia quid possint.de Rom.Cap. 1863. 1864
litha fluuius. Stella 1571
lituaniæ magnus dux 1175
lochiæ oppidum.Nico. Mam. 1844
lœchus fluuius.Ioan.Sl. 1748
londinum regina Maria Angliæ ingreditur. P.V. 1888. Cardinalis Polus uenit. de Ang.Con. 1893
londini conuentus celebratus, eiusq; conuentus narratio. Seb. Solydus 1891
londinensis episcopus captus.P.V. 1888
londienẽses quomodo Cardinalẽ Polum exceperint. de Ang. Cõ. 1893
longeuellanus dux captus.Vuilh.God. 1912
longina arx solo æquata à Carolo V. Nicol. Mam. 1841
longobardi Roma pulsi.de Ro.Cap. 1864
longouallius dux Gallorũ.Dam.Gois. 1874 Louanienſem obsidionem soluit.Dam. 1878 Damianũ ad se accersiri iubet.Dam. 1877. regis nomine Louanij deditionẽ expetit 1875
lorch cœnobium. Ped. 896
lorgos princeps captus. Bar. 1854
losontij interitus. Ioan. Samb. 1719
lossensis comitatus. Seiuilius 1487
losouczius uir cõstans. Ioan.Samb. 1736
lotharingia ab Alberto Marchione Brandeburgico inuasa. Ioan. Sl. 1762
lotharingiæ domina uidua

dua in Belgium profi-
ciscitur. Ioan. Sl. 1764
ducis in Alsatia factũ
in seditiosos rusticos.
Ped. 945. domina di
tione pulsa Argento-
ratum uenit. Ioan. Sl.
1760. princeps puer
captus & in Galliam
missus. Ioan. Sl. 1742
lotharingiam incendiũ
seditionis rusticanæ
quoq; inuadit. Gnod.
1056
lotharingiam rex Gal-
liæ inuadit. Io. Sl. 1742
lotharingici rustici &
Alsatici Tabernis ob-
sessi. Gnod. 1057
lotharius imperiũ spõte
abdicat. Vuil. Go. 1896
lotharij tẽpore puellã fe
rè triennũ à cibo absti
nuisse. Gerar. Bu. 1868
lotionum uariarum ua-
ria apud Turcas nomi
na. Richer. 1467
louãtium. Seruil. 1487
louanium munitur. Da-
mian. 1870
louaniũ opp. præsidio
munitum. Damia. 1871
louaniũ opp. obsessum.
Dam. Gois. 1871
louaniũ Damianus Go
is reuertitur 1879
louanium obsidione so-
lutum. Dam. 1877
louanium Damianus
Gois uenit. 1870
louanij studiosi se con-
tra hostẽ armant. 1872
louanij situs. Nannius
1512
louanio præfecti exerci
tus profugunt. Dami.
Gois. 1872
louanensis obsidionis
uera narratio Damia-
ni Gois equitis Lusita
ni 1869
louanensis obsidio Nã
nius 1510
louanenses colloquiũ
cũ hoste ineũt. Dami-
an. Gois. 1874. hostis
fecialem in urbem in-
tromittunt. Damian.
Gois. 1872. pacis cõ
ditiones ab hoste præ-
scriptæ, accipiunt. Da-
mia. Gois 1874. 1875
deditionem recusant.
Dam. 1876.
louanensium ingratitu
do. Dam. Gois. 1881
periculũ. Dam. Gois
1873
louanensib. auxilia mit
tũtur. Dam. Gois 1871
pacis conditiones à
Longeuallio quę pre-
scriptæ sint. Damian.
Gois 1874
luca oppidum. Nicola.
Mam. 1844
lucæ in Italia conueni-
unt Cæsar & pontifex
Nic. Vell. 1419
luceburgicus agerà Gal
liæ rege misere depo-
pulatur. Ioan. Sl. 1752
luceburgum agrum Al-
bertus Marchio Bran-
deburgicus ingredi-
tur. Ioan. Sl. 1762
lucemburgum ducatũ
Carolus V. recuperat.
Nic. Mam. 1847
lucemburgensem ducа-
tum rex Gallorum de-
uastat. Nic. Mam. 1841
luceburgeorum princi-
pum laus. Ioan. Sl. 1753
ex Luceburgeorum fa-
milia qui Cæsares fue-
rint. Ioan. S. 1755
lucidij oppidum. Iouius
1387
ludi equestres. Pedius
879
ludi apud Turcos. Rich
erius 1468
ludouicus comes Co-
nigstenus. Ioã. Sl. 1767
ludouicus comes Palati
nus elector. Lat. 1029
ludouicus secũdus rex
Hungariæ quæ passus
à Turca. Brod. 1179
secundus Vngarię rex
Stephanus. Brod. 1177
ludouici ab Anila Alcã-
tarensis militiæ præfe-
cti uirtus. Iac Bas. 1808
lues maxima exorta in-
ter Cæsarianos. Nicol.
Mam. 1843
lumitium oppidũ Mil-
niæ 1664
lunæ tres Magdeburgi
in cœlo conspectæ.
Bessel. 1706
luneburgẽsis princeps
occisus. Tho. Vuintz.
1776
luneburgum Albertus
Marchio uenit. Tho.
Vuintz. 1774
luneburgus princeps
occiditur. Thomas.
Vuintz. 1789
lutetiam Carolus V. de-
ducitur. Nicol. Mam.
1844
lutetiorum pauor & tre
pidatio ob Cæsaris ad
uentum. Nic. Mamer.
1847
lutheri epistola ad rusti-
cos seditiosos & magi
stratus in qua utrilq;
suum errorem ostẽdit
1043
lutheri libri combusti.
Hart. Mau. 871
lutherum quare repre-
henderit Muncerus.
Gnod. 1065
lutzelburgum. Latom.
1030
limbachum oppidum.
Herold. 1820
lyra urbs. Seruil. 1487
lynci poëta dictum. Io-
an. Vet. 1921

M

Macedoniã subiugatunt Turcæ. Richer. 1451
machia dicitur Turcis feria. Richer. 1468
machina mirabilis ex nauibus. Stella 1441
machinæ bellicæ inuentæ Taneti in arce. Etropius 1366
machlinia. Seruil. 1487
magdeburgum in fœdere Smalcaldico fuit. Lampertus 1584
magdeburgũ opp. à Cęsare ꝓscriptum. Bessel. 1685. acrius oppugnatur. Bessel. 1704. obsidione soluta. Bess. 1717
magdeburgij Burggrauiatus uexillũ. Mem. 1664
magdeburgi obsidio Bessel. 1684 tres soles, & tres lunæ in cælo eodem tẽpore uisunt. Bessel. 1706 Elephanticomium incensum. Bess. 1688. inducię factæ. Bessel. 1716. 1717. Turris D. Iacobi septẽ diebus frustrà ictibus globorum concussa. Bessel. 1701. Franciscanorum cœnobium excisum. Bessel. 1717 seditio quomodo sit composita. Bessel. 1706 seditio exorta & punita. Bessel. 1715. 1716. suburbium incensum. Bessel. 1689. seditio exorta. Bessel. 1710
magdeburgensis cõsul falsò traditus. Bessel. 1715. episcopatus caret legitimo domino. 1685. Archiepiscopatus à Georgio Mechelburgẽsi depopulatur. Bessel. 1685. belli historia. Bessel. 1684. 1685
in Magdeburgensi ciuitate multa millia ægenorum hominum numerata. Bessel. 1693
magdeburgẽses canonici quib. cõditionib. Georgium Mechelburgẽsem ducem exercitus. crearint. Bessel. 1684. se ad bellum parant. Bessel. 1686. multos hostium trucidãt. Bessel. 1709. legatos ad controuersiam cõponendam ordinant. Bessel. 1709. de pace agunt. Bessel. 1710. pacis conditiones reiiciunt. Bessel. 1869. nocte in hostes irrumpũt, & quam uictoriam inde portarint. Bess. 1695 hostes in fugã uertũt. 1689. capiunt ducem Mechelburgẽsem. Bessel. 1697. hostibus incommodum inferunt. Bessel. 1688. pacis cõditiones reiiciunt. Bessel. 1710. & quomodo sit punita. ibid. inducias faciunt. Bess. 1716. milites è uinculis liberati. Bessel. 1697. conditiones à duce Mauritio oblatæ reiiciunt. Bessel. 1713. frustrà auxilia petunt à maritimis ciuitatibus. Bessel. 1709. canonici fœdus cum Henrico duce Brunsuicensi ineunt. Bessel. 1685. canonicorum caduceatorem inauditum dimittunt. Bessel. 1701 in fugam cõuersi. Bess. 1686. ab hostibus tempesta nocte uiolento impetu petuntur. Bess. 1688.
magdeburgensium uellitationes & excursiones. Bess. 1684. tormẽtorum magister globo ictus, moritur. Bessel. 1704. subditi quomodo tractati fuerint à militibus. Bessel. 1686. castra ad Vuolmerstadium. Bessel. 1686. militum strenuitas in pugnando. Bessel. 1691. expeditio. Bessel. 1686. subditi ad arma concurrunt. Bessel. 1688. equitum magister captus ui autem rursus è manibus hostium ereptus. Bessel. 1698. agricolarũ fuga, & clades. Bessel. 1686. stratagema. Bessel. 1703. subditi à magistratu Magdeburgẽsi auxilium petũt. Bessel. 1686. clades. Bessel. ibid. legati in comitijs Vuittenbergensium. Besselm. 1716. insignis uictoria. Bessel. 1695. præda Bessel. 1703. stratagema. Bessel. 1760. eruptio. Bessel. 1690. alacritas. Bessel. 1688. 1689
magdeburgensibus à Mauritio duce diploma missum. Besselm. 1709. quæ conditiones pacis à duce Mauritio Cæs. maiest. nomine oblatæ sint. Bessel. 1712
inter Maddeburgenses & canonicos pugnacris commissa. Bessel. 1712. milites seditio. Besselmeier. 1705. & hostes ingens conflictus. Bessel. 1699
magiordech fluuius. Iouius 1415
magistratus apud Turcas.

cas.Richer. 1468
magmilia.Ped. 934
magonis portus. Iouius 133
mahadia Cal.Stella 1428 & 1430
mahomedia oppidum. Iouius 1418
mahometæ sinus. Iouius 1418
mahon portus. Nicol. Villag. 1420
mahumedeæ legis præcepta.Richer. 1466
mahummedem omnes ab inferis reuocaturũ credunt Turci.Richer. 1469
maiora insula. Etropius (1346
maioricam insulam præter naui gat Carolus V.Nicol.Mameranus 1843
maioris insulæ situs & descriptio. Nicolaus Villag. 1421
maklar.Ioan.Sam. 1722
malacce portus. Etrop. 1345
malacia maris.Etropius (1346
multa insula. Nicolaus Villag. 1421
mamaluchi quomodo educantur. Richerius 1458
mameranus de inuestitura Mauritij Augustę facta 1667
mamerani stratagema. Nic.Mam. 1485
per Mameranum labores Caroli V. destichis complexi 1849
mamoransius princeps capitur.Had.Bar.1864
manna miraculosum. Etropius 1378
mãdisfeldicum agrum inuaserunt rustici seditiosi.Gnod. 1069
mansfeldius comes captus.Ioan.Sl. 1752
mansfeldij in fœdere Smalcaldico fuêre. Lã pertus 1584
mansfeldensium matrona nobilis pilo ferreo læsa.Bessel. 1716
mansuetinum flumen. Herold. 1823
mantuam antiquis Carpentanam fuisse 1344
mantuanus princeps captus.Vuilh.God. 1912
maometes Turcarũ imperator.Richer. 1452
maomethes expugnauit Constantinopolim.Richer. 1472
marbachia.Ped. 892
marchio Casimirus. Harrt.Mau. 854
marchionis Marignani uirtus.Iac.Bas. 1808
marcus Antonius Amulius Venetus legatus. Ioan.Sl. 1763
marcus Croatius præfectus arcis Zegethi. Herold. 1819
marcus Croatus præfectus arcis Zigethi, eiusq; uirtus. Vuolf. Latz. 1812
marci Horuath laus. Ioam.Samb. 1734
marcomannorum duces in Hungaria.Soiterus 1250
marescallus diui Andreæ captus. Vuilhel. God. 1912
marescalli officium demetiendi auenã. Hart. Mau. 866
margaritha Austriaca moritur. Vuilh.God. 1899
maria Henrici VIII.filia regina Angliæ salutata.P.V. 1887
maria Cæsaris soror cõuentum celebrat. Aquisgrani. Ioã Sl. 1789
maria regina Belgicam gubernatrix exercitũ contra Galliæ regem mittit.Nic.Mam. 1843
maria Vngarię & Bohemiæ regina Mariemburgum ædificat. Iac. Bas. 1806
mariæ Angliæ regnum occupat.P.V. 1887
mariæ Anglorum tumulus.Ioan.Vet. 1931
mariemburgum oppidũ Galliæ rex capit. Iac. Bas. 1806. à quo sit cõditum.Iac.Bas. 1806
marignanus dux Cęsarianorum. Vuilh. God. 1895
marimontium rex Galliæ uastat. Iac. Basilius 1806
maris tempestas disiecit classem Caroli V. Etropius. 1377
maris ingẽs tempestas. Nic.Villag. 1432
æstus in quib. locis & quo tempore magis moueatur.Nic.Villag. 1427
maromarusij montes. Broder. 1180
maromarusia regio.Brodericus 1180
maros fluuius. Ioannes Samb. 1721
maroth locus in Hũgaria.Broder. 1195
mars omnibus communis.Etropius 1354
marsæum oppidum munitur. Ioan.Sl. 1766
marteleśij pop. Herold. 1822
martia regio in Africa. Iouius 1391
martiana sylua ad Vlmam.Broder. 1186
S. Martinus castrum è nudè relictum. Vuolf. Laz. 1813

martinus de Ornen captus. Besſel. 1696
Radouany interfectus. Ioan. Sam. 1732
Rhorus captus. Besſel. 1696. Rossemus uir insignis. Ioan. Sl. 1748
ex S. Martino Turcæ fugiunt. Herold. 1836
martini mõs apud Treuiros. Lat. 1027
martini Horuath uirtus & alacritas. Ioan. Sam. 1733
maryſium flumen. Brodericus 1180
maſcuelis oppidum ad Euphratem ſitum. Richer. 1460
maſerias Carolus V. fruſtrà obſidet. Nic. Mamer. 1841
maſouiæ dux 1275
maſſilia quo pacto ab obſidione liberata ſit. Gal. Capel. 1133 obſidione ſoluta. Hadrian. Bar. 1850. urbs Galliæ obſeſſa. Had. Barl. 1849. collibus munita. Stella 1576
maſſiliam Carolus V. cum exercitu ex Italia uenit. Nic. Mam. 1843
maſurum oppidum ad Moſam. Lat. 1021
matafuz. Nicol. Villag. 1421
matthias de Schulẽberg ſignifer in caſtris Otterslebenſibus. Besſel. 1696. Theiff copiarum præfectus in Vngaria. Ioan. Sam. 1719. Coruinus uir nullius frontis. Herold. 1831
matrimoniũ apud Turcas quale. Richer. 1463
mauritius dux Saxonię quam liberaliter renumeratus ſit legatos Agrienſes. Ioan. Samb. 1729. Saxoniæ ex caſtris diſcedit, & Magdeburgenſibus auxilijs ſuas copias auget. Besſel. 1695. proficiſcitur in bellum. Tho. Vuintz. 1773. Epiſcopis Franciæ opem ꝓmittit. Ioan. Sl. 1767 legatos mittit ad Marchionẽ. Tho. Vuintz. 1772. Saxoniæ quas urbes cœperit. Lã. 1048 dux Saxoniæ Magdeburgum urbem ingreditur. Besſel. 1717 dux Saxoniæ pacẽ cũ Cæſare facit. Ioan Sl. 1760. electionẽ equitum habet. Thomas Vuintz. 1773. dux ſe expurgat corã Norimbergenſib. Ioan. Sl. 1751. Mergethemum uenit. Ioan. Sl. 1757 mittit legatos Norimbergam. Ioan. Sl. 1751 dux Saxoniæ Paſſauium. petit. Ioan. Sl. 1749 dux fit imperator totius exercitus in oppugnatione Magdeburgenſi. Besſel. 1687. dux Saxoniæ Schuinfurtum uenit. Ioannes Sl. 1742. & Ferdinã dus de pace agũt 1743. dux Saxonię Linclum uenit. Inan. Sl. 1743 dux Saxoniæ Oenipõtem capit. Ioan. Sl. 1749. dux Saxoniæ in Vngariam contra Turcã copias ducit. Ioan. Sl. 1761 ſtrenuè ad pacem cohortatur. Ioan. Sl. 1759. rurſus Paſſauium uenit. Ioan. Sl. 1756. ſumit ſacramentum. Th. Vuintz. 1778. dux Saxoniæ conuentum ordinum ſuæ ditionis celebrat. Ioan. Sl. 1742. dux Saxoniæ in pugna ferè captus. Besſel. 1701 ex Vngaria domũ reuertitur. Ioã. Sl. 1764 dux Saxoniæ ferè à ſeditioſis militibus interfectus. Ioan. Sl. 1749. fœdus facit cum Brũſuicenſe duce. Ioan. Sl. 1767. Heidelbergam uenit. Ioan. Sl. ibid. dux redit in caſtra Otterlebenſia. Beſſ. 1700 læſus in caſtra deferẽ. Thom. Vuintz. 1777 atq; ſocij eius maximã auri uim à Norimbergenſibus flagitant. Ioan. Sl. 1750. quando natus fuerit. Ioachm. Camerar. 1793. in pugna globo lethaliter læſus. Tho. Vuintz. 1775. dux Saxoniæ quas conditiones pacis Cæſariæ Maieſtatis nomine Magdeburgenſib. obtulerit. Besſel. 1712. dux Saxoniæ Buccinatorem cũ Magdeburgum mittit. Besſel. 1701. dux Saxoniæ quid maximè ęgrè tulerit in Paſſauiano cõuentu. Ioan. Sl. 1755 ſcribit regi Galliæ. Io. Sl. 1747. conuentum celebrat Lipſiæ. Thom. Vuintz. 1772 globo ictus. Thomas Vuintz. 1789. quam diu regnauerit. Ioach. Cam. 1793. moritur. Thom. Vuintz. 1778 1779. ſepelitur. Thomas Vuintzel. 1786.
mauritij ducis Saxoniæ narratio. 1536. adhortatio ad pugnam. Thom. Vuintz. 1774 1775. natura. Ioach. Cam.

Cam. 1794. uerba ad Proceres ſuæ ditionis. Thom. Vuintz. 1779. facta & res geſtæ. Ioach. Cam. 1793. 1794. applicatio Chriſti paſſionis ad ſe. Thomas Vuintz. 1777. filię luctus ob mortem patris. Thom. Vuintz. 1780. electoris facta & res geſtæ. Thomas Vuintz. 1785. ducis Saxoniæ propoſitum in conuentu Paſſauiano. Io. Sl. 1752 ad D. Ioannem Albinum oratio. Thom. Vuintzel. 1777 laus. Ioachim. Cam. 1793. inueſtitura Regalium electoralis dignitatis & aliorum quorũdam dominiorum. Mamer. 1661 res geſtæ contra Turcam. Ioach. Cam. 1794 armiger. Tho. Vuintz. 1780. uerba ad Proceres ſuæ ditionis. Th. Vuintz. 1772. uita & labores. Ioach. Cam. 1793. mortis anni indicatio. Ioachim. Cam. 1803. electoris epitaphium. Ioachim. Cam. 1801. funus Lipſiam defertur. Tho. Vuintzel. 1781. electoris expeditio contra Marchionẽ. Tho. Vuintz. 1772. periculum. Ioã. Sl. 1749. in caſtra aduentus. Tho. Vuintz. 1774. uxoris imprecatio. Thom. Vuintz. 1781. uxoris luctus. Thom. Vuintz. 1780. uerba ad Chriſtum. Thom. Vuintz. 1777. 1778. confeſsio. Tho. Vuintz. 1777. & ducis Brunſuicenſis epiſtolæ & acta 1544. & 1545. & 1546. corpus exenteratur. Thomas Vuintz. 1779. ilia in ciſtula occluſa Seferſhauſen ſepeliuntur. Thom. Vuintz. 1779 ſepultura. Th. Vuintz. 1782

ob Mauritij mortem luctus ingens ducum. Thom. Vuintz. 1779

ad Mauritij funus oratio habita Lipſiæ à Ioachimo Camerario Papebergenſi. Ioach. Camer. 1790. 1792

de Mauritij electoris morte ecloga. Thom. Vuintz. 1787

μαυρικίῳ ἄρχοντι τῶν ἑσπερίων ἡγεμονι Σαξόνων ὃς νενικηκὼς τὰς πολεμίους καὶ πομπεύσας ἐν τῇ μάχῃ, μετὰ τῶν συμβολῶν ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἀπεθάνετο τριτῃ 1802

mauritio Albertus Marchio Brandeburgicus ſucceſsit. Ioan. Sl. 1760

inter Mauritium & Ioan. Fridericũ ducẽ diſſidium. Ioan. Sl. 1766

& Mauritium qua die ſit pugna habita. Tho. Vuintz. 1775

mauri quales ſint. Iouius 1382

mauri Alfachij. Stella 1446. Chriſtianæ religionis initiati. Etropius 1368 (trop. 1355

maurorum habitus. E-

maurorũ ſedes. Iou. 1389

maurorũ geſtus & mores dum edunt. Etrop. 1361. exercitus apud Oenobarbum quãtus fuerit. Etrop. 1364 ſacerdotes. Etrop. 1342

maximilianus de Siebẽbergen. Har. Mau. 854

maximilianus Auſtriacus in bello Germanico Cæſarem ſecutus eſt. Lamp. 1612

maximilianus uita defunctus. Pẽd. 922

maximiliani 1. expeditio in Italiam. de Rõ. Capt. 1864

maximiliani 1. mors. Ioan. Vet. 1923

maximiliani Cęſ. mortẽ quę conſecuta ſint. Georg. Sabinus 829. 1. laus. de Rom. Capt. 1863. 1. cõtinentia. de Rom. Cap. ibidem

medi uicti à Parthis. Richerius 1469

mediolanum capitur à Cæſarianis. Capella 1151. à Gallis expugnatum. Vuilh. God. 1911. Neapolitanus Vicerex ingreditur. Adrian. Barland. 1850

Gallici exercitus duces ingrediuntur. Hadrian. Barland. 1850

Carolus V. ex Africa uenit. Nicol. Mamer. 1843. oppidum à Carolo V. captum. Had. Barland. 1849. capit Gallus. Capella 1135

quomodo munierint Cæſariani aduerſus Gallos. Capella 1116

Mediolaniorũ oborta penuria ingẽs. Capel. 1126

mediolanorũ Galli multi interfecti. Hadrian. Barland. 1850

mediolanenſis imperij loca munitiora. Capel. 1114. urbs quo pacto contagione infecta fuerit. Galeat. Capel. 1131

mediolanenſem agrum inuadit rex Galliæ. Hadrian. Bar. 1850

mediolanenſium dux Franciſcus II. Gal Capella 1105
melchior de Fronſperg dux Germani peditatus in urbe Roma. de Cap. Rom. 1856. Hoptmannus. Lampertus Hortenſius 1307. de Lebē captus. Beſſ. 1696
melitam inſulā Rhodij nūc tenent. Etrop. 1343
melita inſula. Nic. Villag. 1421
meſopotania ſubacta à Parthis. Richer. 1469
melphiæ princeps. Etropius 1345
menige inſula. Etropius 1372
meminga fuit in fœdere Smalcaldico. Lam. 1583
memingis quam pœnā ſtatuerit Cæſar 1642
menſa Turcarum. Richer. 1463
menſarum ordo in cōuiuio coronationis imperialis. Har. Mau. 867
mercans urbs. Richer. 1472
mercatores pannarij Papiæ militem ueſtiunt. Had. Bar. 1851
mercurij ſtatua. Anton. Coruin. 1332
mergethemum principum confœderatorū. exercitus uenit. Ioan. Sl. 1757
meſi ſuperiores. Broder. 1180
meſſanæ cōmoditates. Etrop. 1377
meſſanæ quomodo Cæſar exceptus ſit. Iouius 1418
meſſanā Carolus V. peruenit. Nic. Mam. 1843
meſſenię deſcriptio 1377
metallarij Salisburgi & in Stiria quid in tumultu ruſticorum egerint. Gnod. 1062
metalli inuentio Friburgi. Tho. Vuintz. 1784
metas Carolus V. proficiſcitur. Nic. Mā. 1847
methonem nūc uocant Modonē. Richer. 1458
metis à rege Galliarum captæ. Ioan. Sl. 1742
à Cæſare obſeſſa. Ioan. Sl. 1764. ualidè cōcuſſa tormētis. Ioā. Sl. 1764
à Gallis munitur. Ioā. Sl. 1763. qua ratione ſit capta à rege Galliæ & quid ibi actum ſit. Ioan. Sl. 1742. obſidione ſoluta. Ioan. Sl. 1765.
meti publicè ſupplicationes inſtitutæ ob uictoriam. Ioan. Sl. 1765
metenſis epiſcopus Metim uenit. Ioan. Sl. 1766
Michaëlis Auguſti Vuirtembergenſis gratulatio ad patriam de reditu principis 1301
michaëlis Gaſparith. interitus. Ioan. Sam. 1725
militaria officia primi ordinis. 1219
militaris diſciplina Romanorum antiquorū. de Rom Cap. 1862
diſciplina. Eob. Heſſus 1281
militarium officiorū in obſeſſa Vienna præfecti 1220
milites qui nominandi ſint. de Rom. Cap. 1862
militum rapinæ. Pedius 931
militū impietas. Ped. 896
militiæ duces in Vienna obſeſſa 1219. quid maximè cōtrarium ſit. de Rom. Cap. 1862. Turcicę uis in quibus. Richer. 1465
minda ciuitas 1351
mindēſis epiſcopi fines Henricus Brunſuicenſis inuadit. Ioā. Sl. 1767
mineruę Caietanus Cardinalis captus. de Rō. Cap. 1855
minoricam inſulam Carolus V. peruenit. Nic. Mam. 1843
mirabillum palatium iuxta Papiā. Capella 1142
miſanchurla caſtrū ſolo æquatum. à Carolo V. Nic. Mam. 1841
miſnenſis Burggrauius militat Ferdinando regi. Vuolf. 1813
miſnenſiū tres alæ equitum profuſæ. Thom. Vuintz. 1775
miſniæ Burggrauius cū Mauritio duce Saxoniæ de conciliatione agit. Ioan. Sl. 1742
mithridatis uirtus. Ioan. Vet. 1928
mithynem urbem ſubiugarunt Turcæ 1456
modenam accepit à Carolo V. Ferrariæ dux 1376
modeſtia heroica. Eob. Heſſus 1281
mœnus fluuius. Thom. Vuintz. 1773
moguntia ab Alberto Marchione obſeſſa & capta. Ioan. Sl. 1761
moguntiæ templa ſpoliata. Ioan. Sl. 1761
moguntiam Cæſar uenit. Nic. Mam. 1843
moguntinus epiſcopus Argentoratum uenit. Ioan. Sl. 1760. archiepiſcop. mittit legatos ad regem Gallię. Ioan. Sl. 1747. archiepiſcopatus miſerè depopulatur ab Alberto Marchione Brandeburgico. Ioan. Sl. 1755. archiepiſco-

chiepiſcopus aufugit. Ioan.Sl. 1755. epiſcopus Cęſarem ſequitur. Ioan.Sl. 1761. elector quomodo ſedeat in priuata ſynodo cum ſuis ſuffraganeis. Mam. 1672
moguntini archiepiſcopi equitatus. Hartmã. Maur. 857
mohaczium oppidum. Brod. 1186
momachi fines. Etrop. 1376
mombronius Cõneſtabilis filius captus. Vuilhel.God. 1912
monachi iuræ infantulus regis Ioannis commendatur. Ioan. Sam. 1734. 1735
monachorũ turbã qui coronãdum Carolum comitati ſunt. Hartm. Maur. 858
monaſteria multa à ruſticis diruta. Gno. 1051
monaſterium quando & q̃modo captũ Lamperr. 1330. 1331
monaſterium urbs in Africa. Stella 1432
monaſterienſis epiſcopi fines Henricus dux Brunſuicenſis inuadit. Ioan.Sl. 1767
monaſterienſes ſeditioſi qualem famem perpeſsi ſint. Anton. Cor. 1335.
monaſterienſium miſerabilis obſidio & excidium. Anton. Cor. 1332
mõfortius dux occiſus. Had.Bar. 1854
moneta. Hart. Mau. 871
monpenſerius dux captus. Vuilh. God. 1912
monſpelegardi refugiũ ducis Vuirtembergici. Ped. 894
monſtriolum Picardiæ oppidũ. Iac. Baſ. 1808
monſtriolum oppidum captũ ciues̃q; omnes ex eo pulſi. Nic. Mam. 1842
monsleo ciuitas. Etrop. 1378
mõteſaris Marchiæ dux equitum. Etrop. 1356
montisferati March o. Corn. Agripp. 1262
morabitę Maurorum ſacerdotes. Etrop. 1342
moraui ad bellum contra Turcas excitantur. Vuolf. Laz. 1812
morini expugnationis narratio. Iac. Baſ. 1803
morinorum Metropolis quæ. Iac Baſ. 1804
morlachi Pop. Herold. 1822
mors porta ad cœlum. Thom. Vuintz. 1778
mortaria quales ſint Bõbardæ. Stella 1561
morus à rege Angliæ ſecuri percuſſus. Lam. 1586
moſæ traiectum Cæſar uenit. Nic. Mam. 1848
moſen legunt & colunt Turcæ. Richer. 1466
mozellini equites. Richerius 1465
muderis magiſtratus apud Turcas. Richer. 1468
muera amnis. Herold. 1819
mugela oppidum Miſniæ 1684
mulberg oppidum Saxoniæ à quo non procul dux Saxoniæ uictus & captus eſt 1664
mulbrũna cœnobium. Ped. 892
mulbrunnæ caſtra poſuit Vuirtẽbergicus dux. Ped. 911
mulda fluuius. Lamper. 1645
muldauia olim Dacia 1175
muleaſſes rex Tunetanus. Etropius 1341. rex Tunetanus regno expulſus. Ioã. Vet. 1926
muleaſsis & Cæſaris pacta & acta. Etropius 1367
muleaſsis imperium. Iouius 1388
mulieres pluſquam trecentæ à Turcis captiuæ abductæ. Herold. 1830
munceri acta ad Franckenhuſium. Gnodalius 1070
munceri falſa doctrina. Gnod. 1064
munetichim magiſtratus apud Turcas. Richerius 1468
munus à Cæſare pontifici oblatum Miſſam celebranti. Cor. Agripp. 1264
muræ pontes in Hungaria 1244
muſica apud Turcas 1468
mynois antrum. Fontanus 1014
myſia Richer. 1450

N

NAdaſtini cohortatio ad milites. Vuolf. Laz 1811
frater occiſus. Herol. 1830
circa Namurcum Cæſaris exercitus. Iac. Baſil. 1806
nanceium oppidum à Gallis munitur. Ioan. Sl. 1763
nanſtallum deditum, captiui uincti. Lat. 1029
nanſtalli oppugnatio. Latom. 1029

nantolietus moritur. Ioan.Sl. 1743
naſſauianus comes occiſus.Nic.Mam. 1847
naſſauienſis comes.Seruil. 1487
naſubek Zancziacus interfectus.Ioan Sam. 1731
natholia Aſia minor. Broder. 1195
nauarræ rex capitur. drian.Bar. 1854
rex moritur.Vuilh.Godel. 1895
naues ad Rhenum ferè omnis igne deuaſtatæ à Marchione Brandeb.Ioan.Sl. 1762
nauium & triremiũ numerus.Nic.Villag.1421
nauium uaria genera. Etrop. 1343
naufragia Rhodiorum petentium,poſt expugnatam Rhodum, Italiam.Fontanus 1014
naures princeps captus Had.Bar. 1854
naxus inſula. Fontan. 1014
nazadarum oppidum. Herold. 1820
neapolim Carolus V. ex Africa uenit. Nic. Mam. 1843
neapolitanus rex Romam uenit. de Rom. Cap. 1856. uice rex ſcribit Papiẽſibus.Hadrian.Barl. 1853. rex hortatur milites ad pugnam. Hadrian.Bar. 1754. uice rex Mediolanum ingreditur.Hadrian.Bar. 1850.
neapolitani quomodo Carolũ V. exceperint. Etrop. 1378
ad Neoportnenſem portum.Carolus.V.peruenit.Vuilh.God. 1909
neoſtadij quid actum ſit in bello ruſticorum. Gnod. 1099
neſeſogli apud Turcas qui dicãtur.Rich.1468
negropõtus. Rich.1456
nepanthũ hodie uocant quod olim Naupactũ dicebant. Richer. 1458
neper amnis. Richerius 1458
nerda flandriæ oppidũ. Lamp. 1663
neuſtattium occupatũ. Beſſel. 1692. incenſum.Beſſelm. ibidem rurſus à Magdeburgenſibus direptũ Beſſel. ibidem. Magdeburgenſes inuadunt. Beſſel. 1699
neuſtattij ignis excitatus.Beſſel. 1706
nicolaus Appollæ Vuylerus unde ſit dictus. Herold. 1822
nicolaus Appollæ Vuylerus.Herold. 1821
nicolaus Batoreus. Ioan.Samb. 1735
nicolaus Boſſutius.Damian.Goiſ 1874
nicolaus Geruel eques. moritur. Io. Sam.1732
nicolaus Olahus fit præfectus Agriẽſis. Ioan. Samb. 1718
nicolaus Polleuuylerus à Guiſiano duce in Gallias irrumpens,ex itinere pulſus. Vuilhel. God. 1911. Boluuyla impiger homo militem contra Turcã conſcribit. Vuolfgan. Latz. 1810
nicolai Boluuyleri frater occiſus. Vuolfgan. Laz. 1811
nicolaus comes de Salm dux Belli aduerſus Turcam.Brod.1179
nicolaus Salmenſis ad monachum Perthonithium mittitur. Ioan. Samb. 1734
nicolaus à Salm comes 1219. regem Gallorũ cepit.Sotterus 1220
nicolaus à Turri quas Viennæ copias habuerit in obſidione 1221
nicolaus Ziegler. Hart. Maur. 852. Hartm. Mau 868
nicolai Asbarbati oratio habita Marpurgi de expulſo & reſtituto duce Vuirtembergenſi 1284
nicolai Mamerani Lucẽburgenſis, relatio rerũ geſtorũ Caroli.V. 1841
nicolai. V. temporibus Gallus quidam Romę diu ſine cibo uixit. Gerard.Buc. 1868
nicolea turris inſula Rhodo. Fontan. 589
nicrigens ſeditioſa.Ped. 881
nicoſiæ fines.Etro.1376
niggrippinum fundum occupatũ Beſſel. 1780
nigri equites qua armatura utant.Herol. 1821
nigros equites Turcæ diabolos nuncupant. Vuolf.Laz. 1812
nigrorum equitum uirtus in Vngaria.Vuolf. Laz. 1811. equitũ uirtus & ſtratagema 1827
nitria oppidum Hungariæ.Brod. 1180
nobiles crudeli ſupplicij genere occiderunt ruſtico.Gnod. 1146
nobiliũ cædes.Ped. 901
interitus Vueinsbergę Ped. 944. eorum nomina, qui captiui ſunt in urbem Magdeburgenſem ex caſtris Ottersle-

terslebẽſibus adducti. Beſſel. 1696. nomina qui in caſtris Ottersle benſibus, equis ac armis, canonicorum gratia, fuêre expediti. Beſſelm. ibid.
nobilitas contra ciuitates. Ped. 885
norimberga obſeſſa. Io. Sl. 1751 obſeſſa. Tho. Vuintz. 1771. quibus conditionibus obſidio ne ſit ſoluta. Io. Sl. 1751 obſidione ſoluta. Th. Vuintz. ibid. obſidione ſoluta. Ioã. Sl. 1751
norimbergę ſuburbium incenſum. Ioan. Sl. 1751
norimbergenſes & epiſcopi Frãciæ fœdus faciunt. 1761. quomodo exceperint Carolũ V. Lamp. 1648. regẽ Ferdinandũ orant, ut ipſis liceret equitatum cogere per eius fines. Ioan. Sl. 1767. Alberto Marchioni Brãdeburgico reſcribũt. Ioan. Sl. 1750. cum Alberto pacíſcuntur. Ioan. Sl. 1751 pacis conditiones accipiunt. Ioan. Sl. 1751
norimbergenſium ditio ab Alberto Marchione Brandeburgico inuaſa. Ioan. Sl. 1749. fines ac ditiones ubiq; hoſtiliter à Marchione Brandeburgico deuaſtant. Io Sl. 1750. ſylua incenſa. Ioan. Sl. 1750 fines depopulant. Tho. Vuintz. 1771. milites quos cõſcripſerant in Bohemiæ fines ab Alberto Marchione intercepti. Ioan. Sl. 1767. fines omnia uaſtat incendijs atq; direptionibus Alberti. Io. Sl. ibi.
norimbergenſib. principes Germanię ſcribũt. Ioan. Sl. 1742. Albertus Marchio Brandeburgicus denuò ſcribit. Io. Sl. 1750. Albertus Marchio Brandeburgicus ſcribit. 1749. 1750. Albertus Marchio Brandeburgicus bellum denunciat Ioan. Sl. 1750
pro Norimbergenſibus Sueuiæ ciuitates apud Albertum Marchionẽ intercedunt. Io. Sl. 1751
notlinga fuit in fœdere Smalcaldico 1583
norlingã exercitus principum peruenit. Ioan. Sl. 1742
northumbriæ dux Edu ardum VI. regem Angliæ ueneno necat. P. V. 1885. frater Henricus captus 1888. rex Proceres Angliæ regni in Aulam Londinẽ. cõuocat. P. V. 1885. dux regnũ Angliæ armis ſubiugare conatur. P. V. 1887. dux Dudlæi pater ab Henrico VIII. rege Angliæ capite trũcatus. P. V. 1883 dux fit unus è ſecretis regijs Angl. P. V. 1883. dux captus & ad Reginã deductus. P. V. 1888. ducis oratio in Anglia, per eum è ſuggeſtu, antequam capite plecteretur, ad populũ ad ſtantem habita. P. V. 1889. dux nomine Dudlæus capite truncatus. P. V. 1889.
nouambriga. Vuilhel. God. 1912
nouaria expugnatur. Capella 1117
nouiodunum captum. Vuilh. God. 1912
nouomagũ ciuitas Geldriæ. Seruilius 1483
nouionum oppid. Gerard. Buc. 1869
numæ Pompilij uirtus. Ioan. Vet. 1928
numidæ Arabes. Stella 1426. quales milites. Iouius 1402. quales ſint. Iouius 1382
numidarum procerum ſepultura. Iouius. 1389
numidas nunc Arabes nominari. Etrop. 1364
numiſmatũ in pop. ſpartio. Hart. Mau. 858
nuncius Apoſtolicus, Hart. Mau. 859
nuptialis diei põpa qua ſacrum petũt. Ped. 912
nurẽbergę aſſeruari imperialia ornamenta. Hart. Mau. 862

O

OBeguinus captus in pugna Papiẽſi. Had. Bar. 1854
obſidio Vienna cœpit 26 die Septembris 1212
oceani acceſſus & receſſus cauſa. Vuilh. God. 1913
ochſenfurtum obſident ruſtici. Gnod. 1051
occiſi & mortui poſt pugnam inter Mauritiũ & Marchionem habitam ſepeliuntur. Tho. Vuintz. 1780
octauus Farneſius auxilium à rege Galliarũ petit. Ioan. Sl. 1740
œnipons à cõfœderatis principibus direpta. Ioan. Sl. 1749
œnipontem Cæſar redit Ioan Sl. 1761
Oenobarbus uictus. Etropius 1342 (1341
œnobarbi facta. Etrop.
œnobarbi iuniores co-

pię & opes.Etrop.1343
œtingenſis comes Cæſari recõciliatur. Ioan. Sl. 1764
inter Oetingẽſem comitem & ipſius filios cõtrouerſia.Ioan.Sl.1768
oletana Vallis.Vuilhel. God. 1910
oporinus uir eruditiſsimus & excudendis authoribus diligentiſsimus.Herold. 1817
oratio ducis ad ſeditioſos.Ped. 881. Franciſci ad ſocios.Lat.1029 ad Rotæ auditores, excidij urbis Romæ continens, habita per Ioan.Staphilæum 1858 alia de capta & direpta urbe Roma. 1860 comitis ad ruſticos.Pedius 901. ducis Vuirtembergici ad factioſos.Ped. 917. electorum ad regem 855. ducis Vuirtembergici ad Rieſanos Pedius 919
orandi apud Turcas mos & lex. Richerius 1466
orchanes Ottomanni qualis fuerit. Richer. 1449
oſnaburgenſis Bibliotheca. Antonius Coruinus 1333
oſtia Tyberina deditione capta. Vuilh. God. 1910. 1911.
otto Henrichus à Puechaym uir rei militaris peritus Vuolf. Latz 1812
otto 1. Berengarium deuicit.de Rom. Cap. 1864
otto cõditor Fribergi urbis Tho.Vuintz. 1748
otto dux Saxoniæ occiſus.Gerar.Sab. 831
ottoni Henrico Palatino ſuæ ditionis dominium traditur.Ioan.Sl. 1761
ottomanni uita.Richer. 1449
ottomãnorũ leges 1447

P

PAcis leges Lãdgrauio Heſſo à Cæſare quæ fuerint præſcriptæ Lam. 1657
pacis conditiones quas Cæſar Saxoni & Heſſo præſcripſerint. Lampertus 1650
pacti inter Carolum & Muleaſſem regem Tunetarum ſumma & tenor.Etrop. 1367
ad Palaſtum Toiffelij ſtrages.Ioan.Sam.1739
palatinus & elector Spiræ conueniunt Cæſarem.Lamp. 1597
comes Archidapifer. Hart.Maur. 866
princeps legatos mittit Vuiſſenburgum ad regem Gallię.Ioan.Sl. 1747 uenit Halam ad Cæſarem.Lamp. 1656
otto fœderatis ſe adiungit.Ioan.Sl. 1744 Frãcofurtum coactus mittit octo tormenta principibus confœderatis.Ioan.Sl. 1758
palatini electoris tormẽta Francofurtum portantur.Ioan.Sl. 1760
palatinatus quid paſſus ſit in Ruſticana ſeditione.Gnod. 1058
paleſtra nobilium Germanorum. Ped. 879
palianum oppidum captun.Vuilh. Go 1909
pallatium ſpecioſiſsimum.Hart.Mau. 866
palma ciuitas primaria in Balearibus inſulis. Etropius 1345
panegyrica dicta imperatoris Bononiæ poſt coronationem. Corn. Agrippa 1266
panis nauticus. Stellla 1434
panem quomodo pontifex fregerit in coronatione Cæſaris.Cornel. Agrippa. 1265
pãnicus caſus.Ped. 897
pannorum bellum contra Solymannum Turcã geſtum 1226
pannodatia regio & unde ſit dicta 1734
pannonia Interamnenſis unde ſit dicta. Herold. 1819
pannonię Interannẽſis deſcriptio.Herol.l 1819
pannoniam uexãt Turcæ.Ped. 905
pannonijs Germanos leges olim præſcripſiſſe.Ioan.Sl. 1753
panormus urbs quomodo munita ſit. Etropius 1374
panormus ciuitas Siciliæ primaria quomodo Cæſarem Carolum Quintum exceperit. Etropius 1275
panormi quomodo Cęſar exceptus ſit. Iouius 1418
panormum Carolus V. uenit.Nic.Mam. 1843
papa Cęſarianis quibus conditionibus ſe dederit.de Rom.Capt. 1856 in Caſtellũ S. Angeli fugit.de Ro. Cap. 1855 & imperator quomodo equitarint in Põpa Bononię.Cor. Agrip' 1267
papæ ſatellites interfecti.de Rom.Cap. 1855

Paphlagonia à Turcis pta. Richer. 1451.
papia præsidio munita Had. Bar. 1850. alias Ticinũ. Had. Bar. 1850.
papia obsessa. Had. Bar. 1850.
papiæ pulcherrimę ædes diruũtur ad cibum coquendum. Hadrian. Barland. 1852. molendina subuersa & in flumen delecta. Ha. Bar. 1850. pestis. Had. Bar. ibid. Hispanorũ multi contra fidẽ datam necati. Had. Bar. 1850. suburbium occupatũ. Ha. Bar. 1850. Gymnasium. Had. Bar. ibid. publicæ præcationes habitæ. Had. Bar. 2851. publicæ supplicationes institutę. Ha. Bar. 1850. maxima penuria rerum omniũ. Had. Bar. 1852. una Gallina semiducato empta. Ha. Bar. ibi. maxima annona. Ha. Bar. ibid.
papiam Cæsariani occupant. Had. Bar. 1850. communibus uiribus Galli aggrediuntur. Had. Bar. 1851. rex Galliæ obsideti Had. Bar. 1850.
ad Papiam inter Cæsarianos & Gallos pugna. Ha. Bar. 1863. 1854
ad Papiam inter Galliæ regem & Cæsarianos pugna. Nic. Mam. 1842
papienses pugna in qua captus est rex Gallorum. Capel. 1143
papiensis obsidionis & eorum quæ in ea accidere narratio, ab Hadriano Barlando conscripta 1849
in Papiensi pugna cæsorum numerus. Had. Bar. 1854
in Papiensi pugna qui nobiles et principes capti fuerint. Hadri. Bar. 1854
Papienses multos Gallos trucidãt. Had. Bar. 1850
papiẽsium eruptiones. Ha. Bar. 1852. uirtus & fortitudo. Ha. Bar. 1850 1851. calamitas. Had. Bar. 1852. terror & trepidatio. Had. Bar. 1853
papiensibus auxilio mittuntur. Had. Bar. ibid.
pappa opp. Heiol. 1821
Parisiorũ urbs nouis fossis & ppugnaculis munitur. Nic. Mam. 1843
parpinianum oppid. obsessum. Nic. Mam. 1847
parthenope oppidum. Etropius. 1380
parthorum rex Tammeranes uicit populos multos. Richer. 1469.
regnũ à Saracenis occupatum. Richer. 1469
rex in Asiã irrũpit 1469
passauium Mauritius uenit. Ioan. Sl. 1749
passauij conuentus constituitur. Ioan. Sl. 1744. situs. Ioan. Sl. 1743. conuentus. Ioan. Sl. 1752. formula pacis scripta. Ioan. Sl. 1761.
passauiani conuentus transactio. Ioã. Sl. 1752
paulus Sarkandi præfectus fit Agrię. Ioan. Sãbuc. 1729. à Zeltingen uir rei militaris peritus. Herold. 1831
III. Pontifex in Carolum V. & regem Galliæ decennales inducias cõponit. Nic. Mam. 1843. IIII. pontifex moritur. Vuilh. Go. 1919
inter Paulum IIII. & regem Hispaniarum bellum. God. 1910
pauli Iouij fragmẽtum ex lib. historiarum 1382
pauli Nagh. interitus. Ioan. Samb. 1725
pauper Cõradus factio quomodo à duce punita 919
pauper Cõradus in Ducatu Vuirtembergẽsi. Ped. 881
pauper Conradus in ducatu Vuirtembergico. Ped. 915
pecuniæ uis magna q̃modo sit coacta in usum belli. Brod. 1179
pedemõtanus princeps totius exercitus Cæsariani imperator. Iaco. Bas. 1805
peditatus apud Turcas qualis & quantus. Richer. 1464
peelandia regio. Seruilius 1487
peletini diui oppidum. Soiterus 1251
peloponnesus Græcorum pars clarissima. Richer. 1855
peloponnesus uulgò Morea appellata. Richerius 1453
pensio antiquata. Ped. 881. noua caput seditionis. Ped. ibid.
perona frustrà oppugnata. Nic. Mameran. 1843
persę uicti à Parthorum rege. Richer. 1469.
persecutio in inferiore Germania. Antonius Coruin. 1340
pestum urbs Budæ opposita 1180
pethij oratio ad milites. Vuolffgãgus. Lazius 1811

petreana

petreana impreſſoria officina. Herold. 1817
petreus collis Baſileæ. Herold. 1817
petrus Alcyonius. Fontanus 1013
petrus Antonius Kys Homerenſis unus ex capitaneis in arce Agria. Ioan. Samb. 1721
petrus Lupus à Louanienſibus iniuria affectus. Dam. Gois 1881
petrus Sturmius mittitur ad regem Galliarũ Ioan Sl. 1746
petrus Perenñ Agriam arcem in duas partes diuidit. Ioan. Sam. 1718
petrus Petrudy interfectus. Ioan. Samb. 1732
pfedersheimñ quid actũ ſit in tumultu ruſticorum. Gnod. 1099
phiferus monachus Apoſtata. Gnod. 1068
philibertus pedemontanorũ princ. Terouanã expugnat. Ia. Baſ. 1805
philibertus regis Sabaudiæ filius Cæſari militat. Ioan. Sl. 1763
philibertus Emanuel Albobrogum dux. Vuilh. God. 1911
philibertus Allobrogũ dux ſecutus eſt Carolum V. in bello Germanico. Lamper. 1617
philippus Maximiliani Cæſaris filius à quo deſcendit Carolus V. Nicol. Mam. 1841
philippus Maximiliani 1. Cæſaris filius moritur. Nic Mam. 1841
philippus rex Hiſpaniarum Auguſtã Vindelicorum ad comitia uenit. Vuilh. God. 1914
uicit regem Galliæ Vuilh. Godel. 1912.
Carolum V. certiorem facit de uictoria ſua et ga Gallos ad Auguſtã Veromanduorum nacta. Vuilh. God. ibid.
nuptias celebrat cum Maria. Anglicana. Vuilh. Godele. 1897.
profligat Gallos ad Auguſtam Veromanduorum. Vuilh. God. 1911. 1912. princeps Belgñ. Vuil. God. 1897
à patre eques aurei Velleris princeps dictus. Vuilh. God. 1897
in Angliam appellit. Vuilh. Godele. 1897.
philippi regis Hiſpaniarũ oratio lingua Gallica habita Bruxellis in cõuentu Procerũ Belgicæ. Vuilh. Go. 1901
philippo Hiſpaniarũ regia Belgiũ à Carolo V. datũ. Vuil. Go. 1897
inter Philippum regem Hiſpaniarum & Paulum IIII. pontif. bellũ. Vuilh. God. 1910
regem & Gallię bellũ. Vuilh. God. 1911
philippus Auguſtus Franciæ rex fœdus renouat cum Gallis. Ioan. Sl. 1753
philippus à Blechlingẽ comes occiſus. Tho. Vuintz. 1776
philippus Dorlay Gallicæ Brabantiæ prætor mittitur Louaniũ. Damian. 1871
philippus comes Haſſiæ proſcriptus. Nicol. Mam. 1848
philippi Heſſnrũ principis uictoria Vuirtembergẽſis. Eo. Heſ. 1277
philippus Lãdgrauius Haſsiæ captus. Ioan. Vet. 1925. Landgrauius in Heſſen. Lat. 1029.
Landgrauñ filius regi Galliarũ obſes datur. Ioan. Sl. 1745
philippus magnus & Carolus Victor principes. Tho. Vuintz. 1774
philippus More epiſcopus quinquecclesienſis. Brod. 1180
philippi Pulchri Galliæ regis amicitia cum Alberto Auſtriaco. Ioan. Sl. 1755
philippus ad Rhenũ Palatinus capitaneus in obſidione Viennę 1219
philippus à Rechberg. Ped. 902
philippus Vilerius ſcribit Turcæ. Fonta. 964
phrygiæ imperant Turcę. Richer. 1448
picardiã Galli inuadũt. Vuilh. God. 1911
philippus rex inuadit cũ exercitu. Vuil. Go. 1991. Cæſariani inuadunt & miſerè deuaſtant. Iac. Baſ. 1808
picochæ Galli cladẽ magnam acceperunt. Capella 1125
peina oppidum. Tho. Vuintz. 1774
pincerna imperij. Hartman. Mau. 866
piſcariæ Marchionis uirtus & fortitudo in pugna Papienſi. Hadria. Bar. 1854. Marchio Cæſarianorum dux. Had. Bar. 1849
piſidiæ imperant Turci. Richer. 1448
piſleoni in arce rex Galliæ captus ſeruatus 1144
pithecuſa inſula. Stella 1431
pius IIII. electus. Vuilh. God. 1919

Pio pontifici Germania nimium cognita. Har. Mau. 858
placentina ciuitas. Vuil hel. God. 1910
à Plauu dominus. Vuolf. Laz. 1813
pleumosij populi à Gal lis debellati. Vuilhel. God. ibid.
pœna noua. Ped. 9444
pœnorum mores. Iouius 1388
pæoniam cœperũt Tur cæ. Richerius 1451
poggij Florentini histo ria de quodam Gallo à cibo abstinẽte. Ger. Buc. 1868
pokuczia regni Polo niæ prouincia 1275
polentia in Balearibus insulis oppidũ. Stella 1433
politiæ fines. Etrop. 1376
poloniæ regis. Sigismũ di primi victoria 1275
polonis Germanos o lim leges prescripsisse. Ioan. Sl. 1753
polus Cardinalis quo modo exceptus sit, à Calethanis. de Con. Ang. 1893. Cardina lis quomodo à Londi nensibus sit exceptus. de Ang. Con. 1893
polykana turris in A gria arce unde sit dicta. Ioan. Samb. 1724
pompeius & Mithrida tes ubi signa contule rint. Richer. 1470
pomum aureum quo ri tu Cæsari tradatur. Hart. Mau. 863
pontamossum oppidũ. Ioan. Sl. 1764
pontifex respondet le gato Cæsareo. Vuilh. God. 1917. Gutzmã no Cæsareo legato au dientiã denegat. Vuil. God. 1919
pontificis Romani lega tus in pugna Papiensi captus. Had. Bar. 1854
Romani & Caroli V. fœdus cõtra Gallũ 1106
ad Pontificem Ferdinã dus legatos mittit. Vuilh. God. 1916
inter Pontificem & Gal liæ regem fœdus. Vuil hel. God. 1911
ponteuicum oppidum. Capella 1126
põtum quando diripue rint Turcę. Riche. 1448
põzettus Cardinalis ca ptus. de Rõ. Cap. 1855
portugaliæ infans 1345
portus Traiani. Iouius 1398. Veneris. Iouius ibi. nomine farina 1350
portus Messanæ in Sici lia amplitudo. 1377
portum Herculis expu gnatũ. Vuil. Go. 1895
posonium Hungarię ul terioris oppidum. Bro der. 1180
posonij conuentus cele bratur. Ioan. Sam. 1736
pessega regio. Her. 1819
posega Prouincia. Bro dericus 1180
potus & cibi abstinẽtia unde oriatur. Gerard. Buc. 1868
præpanum Carolus V. uenit. Nic. Mam. 1843
prætoris officium. Ped. 880
prætoria cohors apud Turcas. Richer. 1464
pragam Ferdinãdus rex uenit. Vuolf. Laz. 1810
pragæ Bohemię docuit Muncerus. Gno. 1065
preces apud Turcas p quib. dicant. Rich. 1465
apud Turcas quomo do diuidantur & dicã tur. Richer. 1467
prentius fluuius 1642
prima corona Aquisgra ni aurea est. Har. Mau. 862
primariæ pceres. Hart. Mau. 870
principes Germaniæ re spondent legato in cõ uentu Passauiano. Io an. Sl. 1754. 1755
principis boni officiũ. Vuilh. God. 1899. intẽ pestiua sagina 910
principes Germaniæ mittũt legationẽ ad re gem Galliarum. Io. Sl. 1750. confœderati Vl mam obsident. Ioã. Sl. 1743. confœderati Oe nipontem proficiscun tur. Ioan. Sl. 1749. Ger maniæ cur fœdus cũ re ge Galliarũ fecerint. Ioan. Sl. 1740. cõfœde rati à Ferdinando pe tunt ut certum modũ pacis decernat. Ioan. Sl. 1756. 1757. confœ derati multas ciuitates Germaniæ capiunt. Io an. Sl. 1742 confœde rati scribunt ciuitatib. superioris Germaniæ. Ioã. Sl. ibi. cõfœderati à Palatino petũt octo tormenta bellica. Ioã. Sl. 1758. quæ Cæsari promittãt. Hart. Mau. 861. quibus armis in structi esse debeant. Io an. Vet. 1922. confœ derati Erebergum ca piunt. Ioan. Sl. 1749. confœderati Cæsareanos ad Lœchũ amnẽ trucidant. Io. Sl. 1748
principũ ordinũq; impe rij, discordię ob religi onem. Nic. Mam. 1842
principum uigil cura. Ped. 905

inter

inter principes confœderatos inducię factę. Ioan.Sl. 1744
principissæ Mauritij luctus. Thom. Vuintz. 1780
proceribus imperij Carolus V. imperator scribit & imperium abdicat. Vuilhel. God. 1907
processio publica post Cęsaris coronationem qualis habita Bononię sit. Cor. Agrippa 1266
processiones in templū ordo in coronatione. Augustali 1261
prochita oppidum captum. Iouius 1387
procopij historia Francorum. Mamer. 1672
prodigia Studgardiæ noctu conspecta. Ped. 884. mirabilia in aëre uisa. Bessel. 1716
promissa apud Turcas seruari. Richer. 1466
prophetæ falsi. Lampertus 1308
protestantium bellum. Ioan. Vet. 1924. 1925
prudentia Philippi Hessi. Eob. Hessus 1280
prouidentia uictui necessaria. Eob. Hessus 1281
prussiæ magno magistro subiecti qui sint. Mameranus 1671
ptolemæus de Pannonia Interamnensi. Herold. 1819
puella triennium ferè à cibo se abstinens. Gerard. Buc. 1868
à cibo et potu abstinēs Spiram à Ferdinando rege uocata. Gerardus Buc. 1867
de Puella sine cibo & potu uitam sustinente enarratio. Gerar. Buc. 1866
puellæ cuiusdam ieiunium. Geradus. Bucol. 1866. 1867.
pugna apud Vueilam oppidum imperij. Pedius. 903. Cæsaris & Saxonis ad Albim. Lam. 1652. 1653. inter Gallos & Cæsarianos ad Rētiacum. Iac. Bas. 1807. inter Cæsarianos & Gallos ad Papiam. Had. Bar. 1853 1854. qua die sit habita inter Mauritium & Marchionem. Thom. Vuin. 1775. inter Christianos & Turcas. Herold. 1826. Ludouici II. Hungariæ regis & Turcæ. Broder. 1193. prope Hilderslebium. Bessel. 1686. ingens. Bessel. 1702. 1703. ad Turckhaim. Pedius 897.
pugnę inter Mauritium & Marchionem initiū. Thom. Vuintz. 1774. 1775. Historia inter Mauritium ducem Saxoniæ & Albertū Marchionem Brandeburgicum. Tho. Vuintz. 1769. inter Marchionem & Mauritium uictoria & finis. Thom. Vuintz. 1776. 1777
pugnam habitam inter Mauritium & Marchionem quid præcesserit. Ioach. Cam. 1796
puluis sulphureus in arce Agria incensus. Ioā. Sam. 1725
pyramethi gens Pontica. Richer. 1456
pyramis diui Stephani Viennæ 1212
pyrrhus Epirota. Eob. Hessus 1281

Q

Q Vedelburgū Magdeburgenses milites captiui deducti. Bessel. 1694
quercus annosa Basileæ. Herold. 1818
quinquecclesias Cæsariani proficiscuntur. Herold. 1836
ad Quinquecclesias Turcarū castra. Vuolf. Laz. 1813
S. Quintum Carolus V. iter facit comitante rege Galliæ. Nic. Mamer. 1844

R

Raba flumen Hungarię. Sotter. 1248
rabunza flumen in Hungaria. Sotter. 1248
rada oppid. Iouius 1402
raina oppidum ad Lycum amnem. Lam. 1613
rakelspurgum oppidū. Herold. 1820
raldhusia oppidum 1532
rascia. Brodericus 1180
rasciæ oppidum. Brod. ibid.
rasciani quæ teneant loca. Brodericus ibid.
ratisponæ comitia celebrata. Nic. Mam. 1842
comitia indicta. Nic. Mam. 1848. conuentus. Vuolf. Laz. 1810
comitia celebrata. Nicol. Mam. 1844
ratisbonam ad comitia Cæsar peruenit. Nico. Mam. 1848
ratisbonensia comitia. Lampertus 1591
rauelingæ cōuentus celebratus. Vuilh. God. 1903
rauesburgenses supplices ad Cæsarem legationem mittunt. Lam. 1641

recrodus à Cæsare proscribitur. Ioan. Sl. 1741
rebatini. Iouius 1392
rebbatum oppidum. Iouius 1392
rechberg nobilium familia. Ped. 946
regina Vngariæ aufugit. Ioannes Sambuc. 1735. Vngariæ obsessa. Ioannes Sambucus 1735
regio Lepidi. Gal. Cap. 1105
regis inunctio. Hartm. Maur. 862
religionis causa qui conuētus habiti sint. Lam. 1580
remsanauallis. Ped. 891
remsanæ uallis seditio. Ped. 880
remsanæ seditionis origo. Ped. 915
remsani ferotiores alijs. Pedius 881
renardus comes Solmēsis. Ioan. Sl. 1767
renatus, Auraniæ princeps comes Nassauianus, occisus. Nic. Mameran 1847. Arengiæ princeps. Seruil. 1497
rēdachi fines. Etro. 1576
repudium Turcis maritis liberū est. Rich. 1463
rentiacum arx obsidione soluta. Iacobus Basilius 1808. arx munitissima à Cæsare obsessa, & quid ibi inter Cæsarem & regem Galliæ actum sit. Iac. Bas. 1806
apud Rentiacum præliȝ habiti narratio. Iac. Bas. 1803
reutlingēses Vrachiam Vallem depopulantur. Ped. 885
reutlingi resistunt oppugnantibus. Pedius 884. se dedunt duci Vuirtembergico. Pedius 885
reutlingorum pertinacia. Ped. ibidem
rhegium concesit Carolus V. imperator duci Ferrariæ 1379
rhingrauius à Cæsare proscribitur. Ioan. Sl. 1741
rhodia res quibus modis breui creuerit. Fontanus 984
rhodium bellum. Font. 961
rhodiȝ milites in Melita. Etrop. 1343
rhodijs quam miserabilis discessus ex Rhodo fuerit antequam in Italiam uenerint. Fōtanus 1014
rhodus quo anno à Turcis expugnata sit. Fontanus 1013
rhodi obsesio & oppugnatio. Fontanus 981. & 982. &c.
rhodo insulæ Romani multum debent. Font. 984
rhodum religionis Christianæ antemurale subigit Solymanus Turca. Soiterus 1227
rhomaniam occuparūt Turcæ. Richerius 1450
rhomania prouincia quàm latè pateat. Richerius 1450
rhymnia fluuius. Herol. 1823
rhymnia amnis. Herol. 1823
in Rhymnia fluuio multi Turcarum suffocati. Herold. 1830
riaus captus in pugna Papiensi. Hadrianus 1854
richardus Morosinus legatus regis Angliæ. Ioan. Sl. 1763
richerij fanum captum à Cæsare. Iacobus Bas. 1808
rienses omnes in seruitutem abducti. Iouius 1384
rifebergus cum suis copijs transit ad Albertū Brandeburgicum. Ioan. Sl. 1761
rifebergus ad regem Gallię transit. Ioan. Sl. 1764
rifebergus à Cæsare proscriptus. Ioannes Sl. 1741. uir rerum militiarum peritus. Ioan. Sl. 1749
renfeliniū arx. Ioan. Sl. 1760
ringrauius comes captus, Vuilh. Go. 1912
rinniæ fluuioli. Vuolf. Laz. 1811
risbanum arcem Galli expugnant. Vuilhel. God. 1912
rischach familia qualis. Ped. 924
riuulum dominarum urbs Hungariæ. Brod. 1180
rium oppiduulm. Iac. Bas. 1808. oppidum captum. Iouius 1384.
robertus Cardinalis Lenōcurti episcopus Metensis. Ioan. Sl. 1766
rochliciam oppidum capit Marchio Albertus. Lampertus 1645
rodolphus dux Sueuiæ occisus. Georg Sabin. 831. rex Studgardam olim obsedit. Pedius 903

rodouanus uulneratur. Ioan.Sambuc. 1732
roed uilla, in qua nata fuit puella, qui sine cibo & potu diu uixit. Gerardus Buc. 1866
à Roeus dom. contra regem Galliæ cum exercitu mittitur. Nic. Mameranus 1843
roffensis episcopus à rege Angliæ securi percussus 1586
roma à Gallis & Gothis capta. de Rom. Capt. 1864. quomodo à Cæsariano ex excitu duce Borbonico capta & spoliata sit. de Rom. Capt. 1855 cur sit expugnata. de Rom. Capt. 1862. capta à Cæsarianis. Nicolaus Mamer. 1842 patriæ honoribus colenda. de Rom. Capt. 1865. semper domicilium doctissimorũ fuit. de Rom. Cap. ibid.
roma quasi communis patria ab omnib. semper exculta. de Rom. Capt. ibidem sedes imperij. Hartmannus Maurus 869. sæpe capta. de Rom. Capt. 1864. princeps imperij sacri. de Rom. Capt. 1865. urbs sub nomine Babylonis in Apocalypsi intelligitur. Ioan. Staph. 1859
omnium ciuitatum regina & domina. de Rom. Cap. 1860. imperij arx. de Rõ. Capt. 1861. quæ beneficia nobis omnibus dederit. de Rom. Cap. ibid. olim rerum pulcherrima. de Rom. Cap. 1865. ab antiquis Septemcollis appellata. Ioan. Staphilus 1859. princeps totius Italiæ. de Rom. Cap. 1865. expugnata & directa anno M.D.XXVII. 1197
romæ captæ ductore Carolo Borbonio cõmentarius. ibid Cæsarianorum sæuitia. de Rom. Capt. 1861. urbis uitia odiosẽ colligi. de Rom. Capt. 1865. militum insolentia. de Rom. Cap. 1855. urbis tentatæ causa auaritia. de Rom. Capt. 1862. omnia templa spoliata. de Rom. Cap. 1855. pestis. Ioan. Staph. 1858. urbis direptio. de Rõ. Capt. 1860. 1861. urbis excidium unde. Ioannes Staph. 1858. templa pro stabulis usurpata. de Rom. Capt. 1856. Cæsareanorum insolẽtia. de Rom. Cap. 1856. urbis excidij causam continens oratio. Ioannes. Staphil. 1858. de Romæ calamitatib. uaticinium. de Rom. Capt. 1856. 1857
romæ urbis Baptista excidium prædicit. de Rom. Cap. 1864
romam Carolus V. ex Africa uenit. Nicolaus Mam. 1843. non iustam ob causam à Cæsarianos expugnatam esse. de Rom. Capta 1862. literariæ suppellectiles ex Græcia portatæ. de Rom. Capta. 1863. cur Galli olim occuparint. de Rom. Capta 1862
de Roma capta oratio 1860
romana beneficia. de Rom. Cap. 1865
romana beneficia. de Rom. Cap. 1861
romanæ Bibliothecæ. de Rom. Cap. 1863
romanum imperium unde sit dictum. de Rom. Cap. 1861
romanis dies ater. de Rom. Capt 1864
romani ciues quot interfecti sint in expugnatione urbis Romæ. de Rom. Capt. 1855
romanorum ueterum potentia & magnificentia. Etropius 1381
antiquorum militaris disciplina. de Rõ. Cap. 1862
roperti comitis ab Amberga odium erga Carolum. V. Nic. Mam. 1841
roris nocturni in Africa uis mira. Etrop. 1372
ad Rotæ auditores oratio de excidio urbis Romæ. Ioan. Staphil. 1858
rotenburgica factio. Gnod. 1052
roteburgum exercitus Principum peruenit. Ioan. Sl. 1742. à principibus confœderatis occupatur, ibiq; nouus magistratus constituitur. Ioan. Sl. 1742. Principes confœderati ueniunt. Ioannes Sl. 1755
rotenburgenses quomodo exceperint Cæsarem. Lampertus 1654
prope Rotterdorffensem

ſem lacum militum concurſus. Beſſelmeirus 1690
royam Philippus rex Hiſpaniarum capit. Vuilhelmus Godeleuæus 1912
rubeacum oppidū. Herold. 1822
ruberam dedit Carol. V. duci Ferrarię. Etropius 1379
rupertus rex Coloniæ coronatus. Hartman. Maur. 853
ruremunda urbs. Seruilius. 1488. urbs Iouius 1550
ruſsiæ Palatinus 1275
ruſtici quid paſsi ſint apud Tabernas Alſaticas. Gnodal. 1057
ſeditioſi ad fontem Danubij uertūtur in fugam. Pedius 941
qua crudelitate ſint uſi in nobilitatem. Gnodal. 1046
ruſticorum ſeditioſorū poſtulata. Gnodalius 1036. tumultuum hiſtoria. Gnodalius 1031. tumultus. Nicolaus Mameranus 1841. 1842. quot millia intra tres menſes occiſa ſint. Nicol. Mameranus 1841
conſpiratio. Pedius 899 motus. Lampertus 1580. clades ad Lanchen. Pedius 900
octodecim millia in Alſatia dicuntur Cæſa. Gnodalius 1018. pugna ad Beblingā. Pedius 900.
ruta oppidum. Ioan. Sl. 1746. captū à principibus cōfœderatis. Ioan. Sl. 1784
rūtelinga fuit in fœdere Smalcaldico 1583

S

SAbana aqua. Herold. 1819. ciuitas in Hungaria. Broder. 1180
ſabaudiæ ducatus. Mamer. 1671
ſabaudiam rex Galliæ inuadit. Nicol. Mam. 1843
ſacerdotes apud Turcas. Richer. 1468
ſacerdotum apud Turcas genera quatuor. Richer. 1468
ſagittarij inter laniżeros quot. Richer. 1464
ſagūtum à Pœnis preſsum. Anton. Cor. 1336
ſal ex aqua ſole ſiccata. Etropius 1351
montanus in Trnſyluania. Brode. 1181
ſalbigenſis uicus. Beſſ. 1693
ſalernum urbs maritima qualis ſit. Etrop. 1378
ſalertinus princeps deficit à Cęſare. Ioan. Sl. 1742
ſalis abundātia ubi ſit. Etropius 1375. turris in Africa. Etropius 1351
ſalisburgum à ruſticis obſeſſum. Gnodalius 1090
ſallia occupata. Vuolff Laz. 1813
ſalutianorum fines. Capell. 1133
ad Samonæ ripam pugna. Iacobus Baſilius 1808
ſancti Angeli in Italia oppidi expugnatio. Capell. 1140
ſampaulum oppidum & arx captum, à Galliæ rege. Nicol. Mam. 1843
ſantememius capitur in pugna Papienſi. Hadrianus Barland. 1854
ſaoma ciuitas. Capella. 1140
ſara flumen. Ioan. Sl. 1752
ſaraceni ſæpe à Germanis uicti. Ioannes Sl. 1753
ſardinia inſula. Nicolaus Mameranus 1843.
ſpoliata à Piratis Turcis. Etrop. 1343
ſarnenſis regulus. Iouius 1403
ſarni princeps Totauilla. Etropius 1354
ſarra fluuius. Latomus 1025
ſauercacus fluuius. Soterus 1251
ſauus amnis. Herold. 1819
ſaui oſtia. Brodericus 1182
ſaxo quibus conditionibus ſeruatus in uita fuerit. Lampertus 1676
ſaxoniæ ducis equitatus. Hartman. Maur. 857. dux in reditu in ſua quibus imperarit pecuniam. Lampertus 1653. ducis Friderici mors Gnodalius 1069. uexillum. Mameran. 1665. dux captus. Nicolaus Mameran. 1848. ducis aliquot epiſtolæ 1545. 1546. &c. ducis & Heſsi proſcriptio. Lampertus 1611. dux captus potius mori uoluit

fuit quam abnegare religionem. Lamper. 1655. dux, elector quomodo captus & tractatus à Cęsare sit. Lampert. 1654
saxoniã Albertus Marchio inuadit. Thom. Vuintzel. 1773
Cæsar inuadit. Nicol. Mam. 1848
saxonica Chronica. Antonius Coruin. 1332
de Saxonica stirpe epigramma. Tho. Vuintzelius 1787
scaldis fluuij fontes. Iouius 1553
scarandila municipiũ. Vuilhelmus Godelœus 1910
scecireguli. Iouius 1389
sceptrũ imperiale quale. Cornel. Agrippæ 1262
sceptrum quo ritu regi tradatur. Hartman. Maur. 863
scepusiẽsis comes. Brodericus 1184
scepusi oppida. Brodericus 1180
schefflẽzerina Vallis. Gnod. 1048
schembergũ expugnatum. Gnod. 1047
schertelinus à Cæsare proscribitur. Ioan. Sl. 1741
scheruuileræ quãta clade affecti sint rustici. Gnod. 1058
schiltpergij historia. Soiter. 1236
schnebergũ capit Mauritius. Lamper. 1648
schonbuoch sylua. Pedius 928
ad Schenbeccium Mechelburgẽsis exercitus castra. Bess. 1687
schonbechensis consul captus. Besselmeirus 1700
schõdia. Zeiglerus 955
schordorph recipitur à duce. Ped. 918
schorndorphum Vallatur obsidione. Pedius 891
schorndorphum occupant seditiosi. Pedius 882
schrottdorff. Besselm. 1690
schufferina Vallis. Gnodal. 1085
schultach exustum. Pedius 935
schultachium deditur. Ped. 893
schutte insula in Danubio. Stella. 1558
schuuinfurtum dux Saxoniæ cum exercitu peruenit. Ioannes Sl. 1742. oppidum Albertus Marchio Brandeburgicus occupat. Ioan. Sl. 1767. oppidum. Ioan. Sl. 1742
suueinfurti quid actũ sit in rusticorũ tumultu. Gnod. 1089
sclauini. Pop. Herold. 1820
sclauoniæ caput. Brod. 1180
sclauoniam annexam Hungariæ. Broderic. 1180
sclauonica lingua utũtur Turcæ. Richerius 1462
scipionis à Landẽberg stratagema & uirtus. Herold. 1834. 1835
scipionis à Landeberg interitus. Herold. 1835
scodram Venetis eripit Turca. Richer. 1456
scomma ioculare. Pedius 880
scotia pristinæ dignitati restituta à Henrico II. rege Galliarum. Ioan. Sl 1740
scutariæ uigiliæ. Stella 1570
scylla scopulus præruptus in mari Siculo. Etropius 1378
scytas uicerunt Parthi. Richerius 1469
sebastia expugnata. Richerius 1470. ab Ottomanno expugnata. Richer. 1449
apud S. Sebastiani oppidum quam humaniter Carolus V. à regis Galliarum filio sit exceptus. Nicolaus Mameranus 1844
sebastiani Solidi narratio de Anglicano conuẽtu Lõdini habito, 1891
sebastianus Dobo multos Chirurgos in arcem Agriam uocat. Ioan. Samb. 1720
sebastianus à heusenstein Moguntinus archiepiscop. moritur. Vuilh. God. 1895
sebastianus de Rothenhan orator electorũ. Har. Maur. 853
sebastianus Vilaky unus ex capitaneis in arce Zigeth. Ioannes Samb. 1732
sedes regia in littore Rheni sub aperto loco posita. Hart. Maur. 860
seditio Magdeburgi exorta. Besselmeir. 1710
inter milites Magdeburgenses. Bess. 1705
Magdeburgi orta. Besselmeirus 1715

ſeditio Arm Conradus. Ped. 880 in Agria arce. Ioan. Samb. 1724 in aula ducis Vuirtẽbergici. Pedius 883
ſeditionis autores ẽ uinculis cauſã dicũt. Ped. 883. Monaſterienſis autores. Lampertus 1309. ruſticorum quidam ad ducem Vuirtembergicũ deficiunt. Pedius 942
finis apud Monaſterienſes qualis fuerit. Antonius Cor. 1335
teſſera Pauper Conradus. Pedius 881
ſeditioſa Monaſteri doctrina. Gnodal. 1067
ſeditioſi ad genua ducis procumbunt. Ped. 883
ſeditioſorũ petitio. Pedius 881
ſeditioſos q̃modo dux alloquatur. Ped. ibid.
ſegnia Dalmatiæ urbs. Broder. 1180
ſeifershauſen pagus, ubi condita ſunt ilia Mauritij electoris. Thom. Vuintz. 1779
uilla. Thom. Vuintz. 1787
ſeifridt Vueis agricola ex quo nata eſt filia, quę ſine cibo & potu uitam diu tranſegit. Gerard. Buc. 1866
ſeletſtadium oppid. Ioan. Sl. 1748
ſelimus Turcarum imperator. Geog. Sabin. 829
ſelimi Turcæ geſta. Richer. 1459
ex Sellyo Turcæ fugiunt. Herold. 1836
de Sena Cardinalis captus. de Ro. Cap. 1855
ſenarum uetuſta Hetruriæ urbs, ob defectionem à Cęſare obſeſſa. Iac. Baſ. 1809
ciuitas deditione capta. Vuilh. God. 1895
ad Senarum urbẽ prælium commiſſum. Iac. Baſ. 1809
ſenenſes præſidium Hiſpanorum eĳciunt. Ioan. Sl. 1761
ſenenſium defectio. Ioan. Sl. 1761. 1762
ſentinellæ uigiliæ. Stella 1570
ſententiarum executio Hart. Mau. 871
ſequanorũ populi 1672
ſequanos Galli inuaſerunt. Geor. Sabin. 831
ſerinius comes Croata uir præſtans. Vuolf. Laz. 1811
ſerlorius Romanorum dux fortiſsimus quo in loco occubuerit. Vuilh. God. 1910
ſeruię oppidum in Dalmacia. Brod. 1189
ſeruĳ. Richer. 1450
ſerui apud Turcas quo modo emantur & tractentur. Richer. 1466
ſeruitus apud Turcas. Richer. 1466
ſeuerinus Feitẽ. Dam. Gois 1872
Sfortia Patauicenus fit pręfectus Agriæ. Ioan. Sam. 1729
Sforta Patauicinus. Herold. 1831
Sfortianorum ducum ædificia Mediolani. Gal. Capel. 1107
ſibyllæ Piſcina. Etrop. 1380
ſichenenſis ciuitas. Serilius 1487
ſicilia à Turcis Piratis ſpoliata. Etrop. 1343
ſiciliæ ciuitas Meſſenia qualem portum habeat. Etrop. 1378
ſiciliæ fœcunditas. Etropius 1375
ſigersdoiffer occiſus. Herold. 1830
ſigersdorfius tribunus peditum Styrenſiũ occiſus. Vuolf. Laz. 1811
Styrẽſium pręfectus. Herold. 1822.
ſigeth caſtrũ à Turcis obſeſſum. Vuol. Laz. 1810
ſigethinorum uirtus Vuolf. Laz. 1812
ſigethũ caſtrũ à Turcæ denuò obſidione cingunt. Vuolf. Laz. 1812
ſigilla aurea. Hartman. Mar. 866
ſigiſmundus Poloniæ rex fœdus cũ Turca pepigit. Brod. 1179
ſigiſmundus Heberſtãtius legatus mittit ad monachum. Ioannes Samb. 1734
ſigiſmundus rex Poloniæ quomodo uicerit Vuayuodam 1275
ſilẽtium apud Turcas. Richer. 1468
ſimon Forgach uir inſignis. Ioan. Sam. 1739
ſimon Forgacz. Ioan. Samb. 1735
ſircum Albertus Marchio Brandeburgicus uenit. Ioan. Sam. 1762
ſirmienſis regionis fœcunditas. Brod. 1181
ſirmium comitatus. Brod. 1180
ſitis ingẽs in caſtris Cęſaris. Etrop. 1365
in Sipo conuentus celebratur. Io. Sam. 1720
Slauonia. Brod. 1180
ſmalcaldica caſtra quãta fame laborarint per aliquot dies. Lã. 1649

malcaldiæ conuentus. Lam. 1584
ſmalcaldicæ fœdus qui recuſarint Lam. 1585
ſmalcaldicum bellũ cõtra Henricum Brunſuicenſem 1517.&c.
ſmalcaldici fœderis formula.Lam. 1582
fœderis qui fuerint. Lamp. 1588
ſmyrna expugnata. Richer. 1470
ſocioſia à Turcis direptum 1556
ſocratis dictum. Ioan. Vet. 1921
ſocratis locus in Phœdonẽ. Ant.Cor. 1340
ſocratis ſentẽtia de Aulicis hominibus.Ioan. Vet. 1922
ſol iam exortus lucidus ingenti circulo lacteo circumdans, uiſus. Beſſelm. 1708
ſoles tres in cœlo Magdeburgi uiſi. Beſſel. 1706
ſolahci q ſint apud Turcas 1464
ſolaſtri equites.Richer. 1465
ſoleymanni Turcarum imperatoris uita et geſta.Richer. 1461
ſolonis ſententia. Herold. 1810
ſoluphtari equites. Richerius 1465
ſolymannus rex Turcius.Richer. 1448
ſolymannus Turcarũ rex mittit exercitum in Vngariam. Ioan. Sam. 1736. Turcarũ Tyrannus obſidet Viennam 1226. Viennam Auſtria obſidet. Ioan.Vet. 1926. Turcarum rex Viennam Auſt. fruſtrà oppugnat.Nic.Mam. 1842
ſolymani Turcæ literæ ad magnum magiſtrũ Rhodi.Fontan. 964
ſomerſetenſis dux capite trũcatur.P.V. 1884
ſomerſetenſis dux Edu ardi VI. regis Angl. auunculus.P.V. 1884
ſomma fluuius. Iouius 1551
ſomona fluuius. Iacob. Baſ. 1808
ſontgouia regio. Ioan. Sl. 1748
ſophia urbs in Seruia. Richer. 1465
ſophoclis dictũ. P. V. 188
ſoſsinum caſtrum ſolo æquatum à Carolo V. Nic.Mam. 1841
ſpachioglani equites apud Turcas. Richer. 1465
ſpaluglani equites.Richer. 1465
ſpartaci motus. Soiter. 1126
ſpecia oppidum Liguriæ.Stella 1432
ſpecies oppidum. Nic. Mam. 1844
ſpectacula indicta.Hartman.Maur. 871
ſpecus Montana exhalans ſpiritum peſtilentem.Etrop. 1380
ſpedia urbs Liguriæ Stella. 1432
ſpelunca oppidum. Iouius 1387
ſphragericum ſignũ imperatoris Caroli V. Cor.Agrippa. 1268
ſpira Cameræ iudices præfugiunt.Io.Sl.1736
ciuitas.Ger.Buc. 1856
ſpirẽ comitia celebrata.Nic.Mam. 1847
templi primarij tectũ plumbæum demoliri inceptum à Marchione.Brand. Ioã.Sl. 1761
comitia celebrata.Gerard.Buc. 1867
ſpiram Cæſar uenit.Nicol.Mam. 1848
ſpirenſis epiſcopus Tabernas fugit.Ioan. Sl. 1760
in Spirenſi epiſcopatu puella quæ ſine cibo & potu uitam tranſegit.Ger.Buc. 1867
ſpirenſes maxima ui pecuniæ ſpoliati. Ioan. Sl. 1762
ſpitz oppidum in Hungaria.Soiter. 1231
ſpringerus capitaneus ſautiatur.Beſſ. 1691
ſtanislaus Sciulok inſignis uir. Ioan.Samb. 1739
ſtarckenbergiũ arx Soiterus 1251
ſtaynaprunnius præfectus occiſus.Vuolf. Laz. 1811
ſteinenbrunnius occiſus.Herold. 1826
ſteinenbrũnij uerba ad milites.Herold. 1827
ſtella mõs.Richer 1470
ſtella ingens uiſa.Vuilhel.Go. 1906. mõs. Richer. 1451
ſtellæ doctoris ad fratres epiſtola de Turcę ſucceſsibus 1555
ſtephanus Balogh. moritur.Ioan. Sam. 1732
Cyabius uir inſignis. Ioan.Sam. 1719. Dobo de Ruſca fit procurator Agriæ. Ioannes Sam. 1717. Dobo q bus muneribus à regẽ Ferdinando ſit remuneratus. Ioan. Samb. 1729. Dobo Vayuoda Tranſyluaniæ à Ferdinando rege declaratẽ. Ioan.

ſoan.Sam.1729. Dobo præfectus in Agria.Ioan.Samb. 1720 Deak interfectus. Ioan.Sam. 1738.

Stephani Feketę laus. Ioan.Sam. 1729

ſtephanus de Frōſperg dux Cæſareanorum. de Rom. Cap. 1856 Hegeduus in locum Kendy ſurrogatus.Ioan.Sam. 1724. Hegaduus perfidus comprehēſus,& iuſtis pœnis punitur.Ioā. Sam. 1724

ſtephanus Loſouczius uir cōſtans. Ioa. Sam. 1736.Ioan. Sam. 1735

ſtephani Loſouczij cōſtantia & uirtus. Ioa. Sam. 1738. miſerabilis interitus. Ioan. Samb. 1739. oratio ad milites. 1738.

ſtephanus Meczkey lapide ictus.Ioan.Sambuc. 1727. uir pręclarus.Ioan.Sam.1718 præfectus in oppugnatione Agria. Ioā. Samb. 1720.

ſtephani lamētabilis interitus.Io. Sam. 1729. 1730

ſtephani Meczkey admonitio ad ſubditos ſuos,& quale reſponſum ab eis illi ſit datū. Ioan.Sam. 1720. fortitudo.Ioan.Sam.1727 uirtus Ioan.Sambuc. 1728. cadauer ſepelitur.Ioan.Samb. 1730 memorabile facinus. Ioan.Samb. 1726

ſtephanus Nagh globo percuſſus.Ioannes Samb. 1727

ſtephanus Zoltay præfectus in oppugnatione Agriæ.Ioā. Samb. 1720. unus ex capitaneis in arce Agria.Ioan.Sambuc. 1725.

ſterkrieg bellum.Ped. 884

ſtiblingerina Vallis. Gnod. 1059

de Stilicone Cæſare Claudiani poēma. Volf.Laz. 1815

ſtiriam quā miſeris modis afflixerint Turcæ 1211.

ſtocachum confœderati principes petunt.Ioan.Sl. 1743

ſtracznicza. Vuolffgā. Laz. 1812

ſtratagema inſigne.Pedius 904

ſtrabo quid ſcribat de Pannonia Interamnēſi.Herold. 1819

ſtridon urbs Hūgariæ. Broder. 1180

ſtrigonium quo loco ſitum ſit.Stella 1557

ſtrigonium.Vuolffgangus Laz. 1814

ſtrigonium Metropolitana.Broder. 1180

ſtudgardia regia ducis. Ped. 909. regia ducis.Ped. 891. noctu capta.Ped. 938. deditur.Ped. 932

ſtudgardiæ ſitus. Ped. 890. regia ducū Vuirtemb.Ped. 879. qualis aquarum inundatio fuerit 891

ſtudgardiā ſuam dux oppugnat. Ped. 943

ſtudgardiam noctu cœpit dux Vuirtembergicus.Ped. 895

ſtyrijs Cæſar iniungit ut bombardas ſuas maiores ei auxilio mittant. Herold. 1819

ſucro opp. Stella 1433

ſudburgum in arcē Carol.V.proficiſcit 1907

ſudeburgum igne funditus ſublatum. Beſſ. 1692

ſudburgo Carolus V. diſcedit. Vuilh. God. 1909

prope Sudeburgenſe patibulum cōflictus. Beſſel. 1691

ſuecia armis ſæpe tentata à regibus Dammarchia.Zieglerus 955

ſueſum ciuitas munitiſſima.Nic.Mam. 1847

ſueuiæ ciuitates apud Marchionem Brandeburgicū pro Norimbergenſibus interceduntloan.Sl. 1751

ſueui fœderati Vuirtēbergico bellum indicunt 885

ſueuorum frugalitas. Ped. 886. nobilium ſtudia uenandi. Ped. 879

ſulphuraria & alumināria iuxta Puteolos.Eutropius 1380

ſultanorum uetus ditio.Fontanus 1013

ſupplicium crudele.Pedius 944

ſupplicia uaria in ſeditioſos.Lamp. 1328 & 1329

ſycambria olim, nunc Buda.Soiterus 1228

ſychenum urbs.Seruil. 1487

ſyderonia oppid.Richerius 1453

ſydus ingens & lucidū uiſū. Vuilh. Gol 906

ſylua Herculis apud Veſtphalos Antonius Coruin. 1332

ſylua Othonis.Eoban. Heſſus 1281

ſyma inſula Rhodio-

rum. Fontanus 980
Symbolum quo loco Athanasius cõposuerit. Latom. 1028

T

TAbernas rex Galliæ uenit. Ioan. Sl. 1746. Spirensis episcopus fugit. Ioan. Sl. 1760
Alsaticas Argẽtinenses episcopi sedem occupant seditiosi rustici. Gnod. 1056
tabernis quid à Lotharingo duce actum sit contra rusticos 1057
tachriat lotio apud Turcam. Richerius 1467
tammerlanis Parthi res gestę. Richer. 1469
tarracina urbs capta. Vuilhel. God. 1910
tarracinam diripuerũt Turcæ. Iouius 1388
tauberi Vallis. Gnod. 1051
taurinorum Augusta. Capel. 1134
taurinos Albanus reliquit. Vuilh. God. 1910
taxandria regio. Seruilius 1487
tefrit liber apud Turcas. Richer. 1466
telchines aliquando habuisse insulam Rhodi. Fontanus 984
teloneum oppugnatũ. Besselmeir. 1691
temes fluuius. Ioannes Samb. 1737
temesuarum arx munitur. Ioan. Sambucus 1736. 1737. dediti one capitur. Ioannes Sambuc. 1738. 1739 obsessa à Turcis. Ioannes Sambuc. 1737
temesuari situs. Ioan. Samb. 1736
temesuari arcis expugnationis descriptio. Ioannes Sambucus 1734. descriptio. Ioan. Samb. 1737
temesuarini ad deditionem sollicitantur. Ioannes Samb. 1738. 1739.
temesuerani milites ad unum interfecti. Ioannes Sambuc. 1739
temesueranis fides à Turcis non seruatur. Ioannes Samb. 1739
tempestas ad Algieren exorta. Nic. Mamer. 1844
tempestate quot naues Cæsari perierint. Nic. Villag. 1425
templum Aquisgrani humile à Carolo Magno conditum. Hart. Maur. 860
templa oppidum. Iouius 1387
tergestum oppidum. Soiterus 1251
terouana metropolis Morinorum. Iac. Bas. 1804. 1805. obsessa. Iac. Bas. 1805. capta & solo æquata. Iacobus Basilius 1805 frustrâ obsessa. Nicol. Mamer. 1843
terouanæ expugnationis narratio. Iacobus Bas. 1803
terræmotus in Agriensi Pallatio. Gerardus Buc- 1868
tetschel uocant Turci Antichristum. Richerius. 1469
teucri quam regionem in Asia tenuerint. Richerius 1447
teucros esse Turcę. Richerius ibidem
teuthonici ordinis magister & Vuirtembergicus dux campacati. Ioan. Sl. 1766. ordinis magister Argento ratum uenit. Ioan. Sl. 1760. ordinis magistri ditio miserè dauastatur. Ioan. Sl. 1757. magistri ditiones Albertus Marchio Brandeburgicus inuadit. Ioan. Sl. 1749
Thamysis fluuius P. V. 1185
Theck. arx Ped. 888
Themes fluuius. Ioan. Samb. 1721. fluuius. Ioan. Samb. 1719
Themesiensis nobilissima in Vngaria arx. Broder. 1181
Thenæ ciuitas. Seruil. 1487
theobaldus Ziegler à Senheym occisus. Herold. 1830
theodoricus Marcellus cõtra Bebecum proficiscitur. Vuolf. Laz. 1810. militẽ conscribit cõtra Turcam. Vuolfgang. Laz. 1810
theodosius imperator Constan. sponte regnum abdicat. Vuilh. God. 1896
theophilus imperator Cõstantinopolitanus sponte regnum abdicat & fit monachus. Vuilh. God. 1896
thermæ feræ. Ped. 892
thermæ Paduanæ. Soiterus 1290
thassaliam occuparunt Turcæ. Richer. 1451
theutonici ordinis prouinciales. Mameran. 1665
thomas de Astenburg, magister equitum in castris Otterslebensibus

bus.Beſſel. 1696
thomas Muncerus qd fecerit. Lamper. 1158
uarijs locis eiectus. Gnod. 1065
thomam Muncerum ſacrarum literarum ſcientia perpolitum fuiſſe.Gnod. 1064
thomas Polyki interfectus. Ioannes Samb. 1723
thoraces ueterum.Etropius 1366
thorominæ fines.Etropius 1376
thraciæ termini.Richerius 1450
thraciam occuparunt Turcę.Richer. ibid.
throttus eques nobilis captus.Beſſel. 1709
thuigon Baſſa Zigeth obſide.Ioã. Sambuc. 1730
thuringicus tumultus 1279
thuringiæ uexillũ. Mameranus 1664
thuſciæ portus. Liburnus.Stella 1432
thyſſagetæ. Richerius 1447
tibiſcus fluuius piſcoſiſſimus.Broder. 1180
ticinum aliâs Papia. Hadrianus Barland. 1849 1850
ticinus amnis. Hadrianus Barland. 1851
fluuius.Nicolaus Mamer. 1842
in Ticino amni multi Gallorũ abſorti. Barland. 1854
tigurinus ſenatus quãdo & quomodo multa mutârit in religione.Lamper. 1581
tigurinorum cum Heſſo & alijs ciuitatibus & principibus ſocietas.Lamper. 1584
tillinga oppidũ. Lam. 1641
tingitana Mauritania. Iouius 1389
tipographiæ Baſileæ. Herold. 1817
tirnauia oppidum.Brodericus 118
tonſura Turcarum. Fõtanus 1003
tormenta ænea Turcæ, ante Viennam quot & quanta 1212
tormẽtorum inuentio. Thom.Vuintz. 1789
trachinæ fines. Etrop. 1376
trachenfelts. Latomus 1030
traiani pons in Hungaria.Broder. 1181
traiectum Landgrauius uenit.Ioan.Sl.1762
tranſiſelana prouincia. Lamper. 1579
tranſyluania Daciæ pars olim.Brod. 1181
tranſyluaniæ fœcunditas.Brod. ibid.
tremiſenium urbs. Etropius 1343
tremiſenij rex. Iouius 1383
tremolius princeps occiſus in pugna Papiẽſi. Hadrian Bar. 1854
treuirenſis epiſcop. moritur.Vuilh.Go. 1909
archiepiſcopus mittit legatos ad regem Galliæ.Ioan. Sl. 1747
archiepiſcopi equitatus.Hart.Mau. 857
à Treuirenſi epiſcopo qd Albertus Marchio petierit.Ioan.Sl. 1755
treueris bellum indictũ Latomus 1024. ab Alberto Marchione capta.Ioan. Sl. 1762
treuiris acerrimè oppugnatur 1026
treuiri preſidia impoſita.Ioan.Samb 1762
treuiri muniuntur preſidio atq; operib. 1025
treueri quid Albertus Marchio egerit. Ioan. Sl. 1762
treuirorum obſidio & eiuſdem exitus.Latomus 1020. tutelares ſancti qui habeantur. Lat. 1024. defectio. Ioan Sl. 1762. fines Albertus Marchio inuadit. Ioan. Sl. 1762
contra Treuiros quare bellum Fracciſcus mouerit. Latom. 1023
tricinium urbs in Hungaria.Brod. 1118
tridenticus epiſcopus Ferdinandi regis legatus & orator. Cornel. Agrippa 1259
tripolis urbs. Iouius 1389
tripolis capta. Richer. 1470
triuultius Venetorum exercitus prætectus. Gal.Capel. 1113
troia ubi fuerit.Richer. 1447
tſcheribaſchi centuriones qui apud Turcã. Richer. 1465
tubinga obſidetur. Pedius 888
tubinga ſe dedidit cum ducis filio Chriſtophoro.Pedius 890
tubinga deditur. Ped. 906
tubingæ ſitus. Pedius 889
tubingenſis Vniuerſitas 1291
tubingenſis Academiæ fundator.Pedius 888
tubingenſium fortitudo.Ped.

do.Ped. 930
tullam à rege Galliæ capitur.Ioan.Sl. 1742
tulna oppidum.Herol. 1831
tumulus Trebetæ.Lat. 1027
tunetana expeditio Caroli V.Etrop. 1341
tunetanum imperium quantum fuerit aliquando.Iouius 1389
tunetum ciuitas.Etropius 1343. diripitur. Iouius. 1416. à Carolo V. captum.Ioan. Vet. 1927. urbs à Carolo V. expugnata. Vuilh.God. 1900
tunetum urbem Carolus V. capit.Nicol. Mam. 1843
tunetum ab Carolo V. expugnatum. Iacob. Baſ. 1809
tuneti regem Cæſar cõſtituit.Iouius 1418
tunetẽſis rex Muleaſſes q̃modo ſe obſtrinxerit Cęſari.Etropius 1371
turca Ferdinando bellum indicit. Vuolff. Laz. 1810. obſidionem Viẽnæ quare ſoluerit 1217
turca quomodo in Vngariam uenerit.Brod. 1179. Viennam fruſtrà obſidet. Vuilhel. God. 1899. literas Agriam mittit. Ioan. Sam. 1721 Zigethũ obſidet. Ioan.Samb. 1730. à Monacho & regina Vngariæ deceptus.Ioan. Sam. 1735 quare ſoluerit obſidionem Viennæ 1570 quomodo ſoluerit Viennæ obſidionẽ 1216 humili loco natus ſun de ad tantam potentiam peruenerit. Stella 1430
turcæ epiſtola ad Rhodianos.Fontan. 1004 cum Turca rex Galliæ ſocietatem init. Ioan. Sl. 1759
turcę Temeſuarum ob ſident.Ioan.Sam.1737 per inſidias occiſi.Herold. 1836. quomodo nigros equites appellent .Vuolf. Laz. 1812. aufugiunt.Herold. 1836. ſunt procero corpore.Fontan. 1003. ex improuiſo aggreſsi.Herold. 1836 Ottomannorum legibus parẽt. Richerius 1447. Aſiam minorẽ inhabitare. Richerius 1447. Zolnok arcem obſident.Ioan.Samb. 1721. obſident Zigeth. Ioannes Samb. 1730. perfidi & fœdifragi. Ioan. Sambucus 1739. exercitus quo Viennam obſedit.Stella 1558. ab oppugnatione Agrię pulſi. Ioan.Sambuc. 1728. Zigethum acriter oppugnant. Ioan. Sambucus. 1731. Agriam ſummo conatu inuadunt. Ioannes Sambuc. 1727. Temeſuarum deditione capiunt. Ioan. Samb. 1739. Agrienſes ad deditionem ſollicitãt. Ioannes.Samb. 1724. obſidionem Zigethanam relinquunt. Ioan. Samb. 1733. quantum in militia Chriſti anos ſuperẽt. Stella 1565. à Parthis uicti Richer. 1451. ſæpe à Germanis uicti. Ioſl. 1753. uerecundi & mundi. Richerius 1446. quando in Aſiã peruenerint 1448. Vngariam inuadunt. Ioan.Sambuc. 1736 quot modis cum Agrienſibus de ditione egerint. Ioan. Samb. 1726. 1727. obſident Agriam. Ioan. Sambucus 1722. ueſtiuntur ineptæ ad pugnam indumento.Fõtanus 991. quibus temporibus uicti ſint à Chriſtianis. Richer. 1448.
turcarum multi occiſi. Ioan Sambuc. 1728
turcarum aſsiduitas & fortitudo in oppugnatione Agrienſi. Ioannes Sambuc. 1726 origo.Richer. 1447 turcarum ueſtitus. Richerius 19403. controuerſia & ſeditio. Richerius 1456. cęſorũ numerus in obſidione Zigethana.Ioan.Sambucus 1734. legem eſſe Arabicè ſcriptam. Richerius 1462. alacritas in oppugnãda arce Agria. Ioan.Sambuc 1733. clades.Ioan.Sambuc. 1732
turcarum perfidia. Stella 1556. clades ad Karothnam. Vuolf. Lazius 1813. clades ad Baboczam. Vuolfgangus Lazius 1812. Gymnaſia & Xenodochia.Richer. 1467 equitum ſex millia apud Oenobarbum. Etropius. 1364. latrocinia. Font. 1003. in Panno-

in Pannoniam excursus. Ped. 905. copiæ in Austria. Ped. 947. habitus & accubitus cum prandent & cœnant. Etropius. 1361
in Zigethana obsidione quot occisi fuerint. Vuolf. Laz. 1815. septẽ millia desiderata. Herold. 1831. exercitus in obsidione Zigeth. Herold. 1823. cædes. Herold. 1829. duo millia & quingẽti occisa. Herol 1830. clades in arce Carothna. Herold 1835. tyranni exercitus in Hũgaria 1228
post prælium crudelitas 1194.
turcis plures esse linguas. Richer. 1462
turcas pro Teucris dictos. Richer. 1447
à Scythis oriundos. Richer 1447
inter Turcas & Cæsarianos pugna. Herold. 1824
turcia pro Teucria dicta. Richer. 1447
turcicus magister glande interfectus. Ioan. Samb. 1726
turcici belli anno LVI. gesti & descriptio. Vuolf. Laz. 1810
turcicorũ peditum genera. Richer. 1464
turnhoutum urbs. Seruilius 1487
à Turre nobilis quidã occisus. Herold. 1830
turris Aquaria & Salis in Africa. Etrop. 1351
tutlinga. Pedius 936
tutlinga frustrà uallatur à Rotuuilensib. Pedius 893
tybur oppidum captũ. Vuilhel. God. 1910
tyrolẽsem comitatum afflixerũt seditiosi rustici. Gnod. 1090

V

VAcia oppid. Hũgariæ. Broder. 1180
uaccula municipium. Vuilh. God. 1906
uaga fluuius. Stella 1559
uagus Hungariæ fluuius. Brod. 1180
ualuoda Stephanus Broder. 1177
ualachiæ duæ. Bro. 1181
ualachorum consuetudo in puniendis ignauis militibus 1276
ualencem Cæsar uenit Iac. Bas. 1805
ualentia in Italia expugnatur. Capella. 1124
ualentina regio. Etrop. 1367
ualentinorũ littus. Stella 1433
ualẽdinus Klinhardus uir eruditus. Herold. 1839
ualentinus Papa occisus. Ioan. Sam. 1728
Thot occiditur. Ioan. Samb. 1733
ualentium expugnatũ. Vuilh. God. 1911
de Valle Cardinalis captus. de Rom. Capt. 1855
uallis Ameræ. Ped. 890
ualmontius captus in pugna Papiensi. Hadrian. Bar. 1854
ualinga oppidum deditur. Ped. 934. de ditur. Ped. 892
uandalinum captum. Latom. 1025
uandali destructores urbis Romæ. Nicol. Mamer. 1843
uandalos Belisarius deleuit. Iouius 1388
uantholdium urbs. Iouius 1550
uaradinum oppidũ Hũgariæ. Brod. 1180
uaradinum Petri. Brodericus 1181
uaticinium de uarijs rerum euentibus 1857
de Carolo V. Cobolę ibid.
de Romæ expugnatione. de Rom. Capt. 1856. 1857.
Hieronymi Balbi 872
uayuoda uictus à regẽ Poloniæ 1275
uehicula Cotia. Soiter. 1249
uelitationes in obsidione Magdeburgensi. Besselm. 1688
uelleris aurei ordo à quo sit constitutus. Vuilh. God. 1897
uenatio autumnalis. Ped. 879
uenationes Germanorum. Ped. ibid.
uendinga oppidũ comitis Œtingici. Lam. 1628
ueneris dies apud Turcas celebrior est reliquis. Richer. 1467
de Veneta republica uaticinium 1857
ueneti quæ dona Cęsari Carolo V. obtulerint 1379
ueneti legatos mittunt ad Cæsarem. Ioannes Sl. 1763
uenetorum fœdus cũ Gallorum rege. Gal. Capel. 1105
uenetis quæ à Turcis adempta sint. Richer. 1458
uẽloa urbs. Seruil. 1488
uenloa oppidum. Nic. Mam. 1847

uerbanus

uerbanus lacus. Gal. Capel 1114
uernaula riuus Capel. 1140
uernẽbergenſis comes Louanium cum exercitu mittitur. Damianus Goís 1871. Louanio urbe aufugit. Dam.Goís 1872
uerona à Venetis quomodo munita ſint. Stella 1576
ueronam receperũt Veneti auxilio Gallorũ 1105
in Veronnenſem agrũ Borboniæ dux uenit. Had.Bar. 1953
ueſtitus electorũ 1670
imperatoris in coronatione. Cor. Agrippa 1264
ueudofordus dux Gallorum. Vuil.Go. 1912
uexillum electoratus. Mameranus 1664
uexilla à parte Mauritij quot nacta ſint. Ioachimus. Cam. 1795. pugnæ ſigna à Marchione miſſa. Th. Vuintz. 1775
victoria Chriſtianorũ incruẽta. Soiter. 1254
uienna Auſtriæ à Solymanno obſeſſa. Ioan. Vet. 1926. quomodo obſeſſa à Turca & à noſtris defẽſa ſit 1210 quantum abſit à monte Cetio. Soiter. 1233 quomodo munita fuerit aduerſus obſidionem Turcę. Stella 1558 quorum uirtute ſeruata ſit. 1219. à Solymãno Turcarum Imp obſeſſa. Nic. Mam. 1842 à quibus condita. Soiterus 1233
uiennæ urbis deſcriptio. Stella 1524
uiennã Turca obſidet fruſtra. Vuilhm. God. 1899
uiennenſes quomodo Ferdinandum Cæſarem exceperint. Vuilhel. God. 1916
uigiliæ militum uarijs nominib. appellatæ. Stella 1570
uigilijs obeundis diligentia. Eob. 1281
uiglebanum urbs. Iouius 1397
uillacum Cæſar profugit. Ioan. Sl. 1749
uillarum incendia. Th. Vuintz. 1771
uincẽtia capta. de Rõ. Capt. 1863
uinidaum deditũ 933
uinum poſt coronationem publice præbitũ. Hart. Maur. 870
uirgiliana imitatio. Eoban. Heſſus 1279
uiriati motus. Soit. 1226
uirodunũ à rege Galliæ capitur. Ioan. Sl. 1742
uitulus biceps. Nicol. Villag. 1420
uitus à Vualenburg præfectus numorum in obſeſſa Viẽna 1220
uitum Schẽck quomodo trucidarint ruſtici. Gnodalius 1046
uiuortum urbs. Seruil. 1487
ulma obſidione ſoluta. Ioan. Sl. 1743. à Proteſtantibus obſeſſa. Ioan. Sl. 1743. pecunia mulctatur. Ioan. Sl. 1743. fuit in Smalcaldico fœdere. Lamper. 1583
ulmam Cæſar uenit. Ioan. Sl. 1762
ulmam Cęſar uenit. Nicolaus Mam. 1848
ulmenſes Alberto Marchioni Brandeburgico reſcribunt. Ioan. Sl. 1751. Helfenſtænum recuperant. Ioan. Sl. 1765
ulmenſium uicos et oppida incendijs uaſtat Albertus Brandeburgicus. Ioa. Sl. 1741
ulmenſium legati Halam ueniunt ad Cęſarem. Lamper. 1556
ulmenſibus Albertus Marchio Brandeburgicus ſcribit. Ioannes Sl. 1751
ulricus de Veltheim captus. Beſſelmeirus 1696
unctio regis. Hartmannus Maur. 862
unibertus de Grũbach. Gnod. 1084
unibertus Derſgoius captus. Beſſelmeirus 1708
ungariam quo tempore Solymannus agreſſus ſit. Stephanus. Broder. 1177
uocuntiorum populi. Mamer. 1672
uoetlandiæ ſitus. Lam. 1647
uogelſpergius Auguſtæ capite decollatur. Ioan. Sl. 1741
uolradus Mansfeldius Henrico duci Brunſuicẽſi bellum infert. Ioan. Sl. 1764
uota Turcarum. Richerius 1468
urachium capitur. Ped. 890
urachij ſitus. Pedius 890
urachij arx oppugnatur. Ped. 906
urbes receptæ. Eoban. Heſſus

Heſſus 1282
urbini dux. Cor. Agrippa 1262
uſnucaſſanus rex Perſidis uicit Turcas. Richerius 1456
uticæ portus. Etropius 1350
uulnus Franciſci. Latomus 1029
uura fluuius. Damian. Gois 1872

VV

VVAelheimium urbs. Seruilius 1487
uuaiblinga deditur. Pedius 933
uualachos Turcæ afflixerunt. Richer. 1452
ualderfingam Galliæ rex uenit. Ioan. Sl. 1752
uualko comitatus 1180
ualpo arx in Hungaria. Stella 1555
ualsbrabantia. Seruil. 1488
uuantzlebium oppidũ à Georgio Mechelburgenſe captum & incenſum. Beſſ. 1685
uuintzlebij dominium Georgio Mechelburgẽſi decernatum. Beſſel. 1685
uuarkõpagus, ubi Stephanus Mezkey interfectus eſt. Io. Sam. 1729. 1730
uuarzag oppidũ. Trucceſij. Gnod. 1035
uuaſſengare. Herol 1819
uueiblingę ſitus. Pedius 891
ueeinsberga. Ped. 892
uueinsberga diripitur. Ped. 944
uueinsbergã fœderati ſolo æquant. Ped. 902
uuelleuuarum oppid. Herold 1829
uuenfeld. Pedius 889
uuentzelaus depoſitus. Hart. Maur. 856.
uuernherus à Reitnau globo occiſus. Herol. 1735
ueeſt monaſterium rex Angliæ clã deuectus. P.V. 1885
ueeſtphaliæ caput monaſterium. Lam. 1308
uueylha liberatur ab oppugnatione. Ped. 927.
uuierteſia ſyluæ. Brode
uueilak opp. Brod. 1181
ricus 1181
uuileræ Valles in Alſatia. Gnodalius 1058
uuildberga ſubdit fœderatis. Ped. 935
uuidbergæ ſitus. Pedius 893
uuilhelmus epiſcopus Argentinenſis. Gno. 1048
uuilzigradũ urbs. Stella 1557
uuinſemium fuit in fœdere Smalcaldico. Lãpertus 1583
uuinſpergũ ruſtici capiunt. Lampert. 1581
uuinſpergij quid à ruſticis actum ſit. Gnodalius 1046
uuireiburgicus epiſcopus pacẽ petit à Marchione Brandeburgico. Ioan. Sl. 1751
uuirtemberg arx deditur. Ped. 891
uuirtemberga arx comburitur. Ped. 898
uuirtembergiæ breuis deſcriptio. Ped. 878
ſitus. Pedius 908
libri duo Tethingerus. Ped. 875
uuirtembergicę gentis origo. Pedius 980
uuirtembergicus dux literis addictus. Ped. 919. dux conſcribit aduerſus confœderatos Sueuos exercitũ. Pedius 886. dux imperialibus terrori fuit. Ped. 923. dux bellum parat. Pedius 904. & Teuthonicus magiſter compacati. Ioan. Sl. 1767. dux Heidelbergam uenit. 1766. ejcitur ex ducatu. Soiterus 1216
princeps Eluangum oppidum recipit. Ioan. Sl. 1765. ad Heſſum ſe contulit. Pedius 904. dux patiens laboris. Ped. 911
dux è ſuis exercitum conſcribit. Ped. 924
uuirtembergici ducis caſtra & oratio ad ſuos. Pedius 939
ducis deſcriptio. Pedius 912. fortitudo. Ped. 905. ducis Huldrici deſcriptio. Ped 875. ducis exercitus. Ped. 907
ducis oratio ad ſuos milites. Ped. 886
ducis oratio ad ſuos. Ped. 897
uuirtembergico ſolenniter indicunt bellum fœderati Sueuiæ. Pedius 924
uuirtembergicũ Reutlingis congrediuntur. Pedius 885
uuirtembergenſis dux quo tempore reſtitutus ſit 1303. dux Chriſtophorus. Eob. Heſſus 1283. dux mittit legatos ad regem Galliæ. Ioan. Sl. 1747. regionis cultura uaria. Ped. 909

uuirtembergorũ principis res gestæ. Ped. 875. uictoria ad Vueil oppidum imperij. Pedius 903
uuisseburgum fuit in fœdere Smalcaldico. Lamper. 1583
uissenburgum rex Galliæ uenit. Ioannes Sl. 1747
uuissenburgici quomodo se gesserint in seditione rusticorũ. Gnodalius 1100
uuirtemberga urbs ualida. Lampertus 1648
uuirtembergæ comitia celebrata. Besselm. 1716
uuolfebutilum obsessum 1531
uuolffgãgus princeps Anhaldinus Magdeburgum ingreditur. Besselmeirus 1689
de Blatto captus. Besselm. 1696
uuolffgangus Fuldensis antistes. Herold. 1839
uuolffgãgus, equitum ordinis Germanici magister, Eluangum oppidum capit. Ioan. Sl. 1765
uuolffgãgus Hallerus à secretis Imp. Vuilh. God. 1908
uuolffgangus Teutonici ordinis magister Argentoratum uenit. Ioan. Sl. 1760
uuolffgangi Lazij Viennensis, regij historici ac medici rerum gestarũ cõtra Turcas anno LVI. narratio 1810
ad uuolmerstadiũ Magdeburgẽsium castra. Bessel. 1680
uuolmerstadij dominium Georgio Mechelburgensi decernatur. Besselm. 1685
uuormatia ab Alberto Marchione capta. Ioan. Sl. 1760
uuormatiæ quare conuentus imperialis celebrari soliti. Hartm. Maurus 870. comitia celebrata. Nicolaus Mameranus 1847
comitia celebrata. Nicolaus Mamer. 1841
uuormatiam Cæsar uenit. Nicolaus. Mam. 1848
uuormatiensis conuentus. Lampertus 1590
uuormatiensis episcopus quibus rationib. se redemerit ab Alberto Marchione. Ioan. Sl. 1760
uuürtzburgo episcopo Albertus Marchio Brandeburgicus bellum infert. Thom. Vuintz. 1771

X

Xenodochia apud Turcos. Richerius 1407
xenophon de Cyro. Ioan. Vetus 1921

Z

Zacharias Robelus captus. Besselm. 1696
Zacinthum capit Turca Richer. 1456
zacynthus insula. Fontanus 1014
zagrabia in Sclauonia ciuitas. Brod. 1180
zala amnis. Herol. 1819
zaladiensis comitatus. Herold. 1838
zalonkemẽ oppidum. Broder. 1182
zamosium flumẽ. Brodericus 1180
zeckzardum oppidũ. Broder. 1185
zegedinum urbs Hungariæ. Broder. 1180
zelandiæ insulæ. Seruilius 1487
zenitzari milites Turcæ quales sint. Stella 1561
zeta promontorium. Stella 1430
zafranium promontorium. Iouius 1402
zigeth à Turca obsessa. Herold. 1819
zigeth obsidione soluta. Ioan. Samb. 1731
zigethum castrũ Turcæ denuó obsident. Vuolf. Laz. 1812
zigeth à Turcis obsessa. Ioan. Samb. 1730
præsidio munita. Ioannes Sambuc. 1731.
arx obsessa. Ioannes Samb. 1730. obsidionis uera enarratio. Ioan. Samb. 1720.
à Turcis acriter oppugnata. Ioan. Sam. 1731
frustrà à Thuigõ Bassa obsessa. Ioan. Sam. 1730. à quo sit condita. Ioan. Sam. 1731.
à Turcis obsessa. Vuolffgan. Laz. 1810.
obsidione soluta. Herold. 1836
zigethi situs & descriptio. Ioan. Samb. 1731
arcis situs & descriptio. Herold. 1819
zigetho noua præsidia imposita. Herol. 1836
in Zigethana obsidione Turcarum quot numero interfecti fuerint. Ioannes Samb. 1734

zigethani leges sanciunt. Ioan. Sam. 1731
zigethanorum periculum & penuria. Herold. 1821
ex Zigethiensib. quot numero interfecti fuerint. Ioan. Sambuc. 1734
Zinna amnis. Herold. 1852
zirla urbs. Ioannes. Sl. 1749
zolnok ab Agriensib. erepta. Ioannes Sambucus 1718
zolnok arx à Turcis obsessa. Ioannes Sambucus 1721. capta, ibidem
zuiccauiæ docuit aliquādiu Thomas Mūcerus. Gnodal. 1065
zuiccauiā capit Mauritius. Lampert. 1648
zuifalt monasterium 886
zumbasthi apud Turcas qui sint. Richerius 1465

FINIS INDICIS, TOMI SECVNDI *Historiarum.*

ELECTIO ET CORONATIO CAROLI V. IMP. AVG. DOCTE ET eleganter per Georgium Sabinum Brandeburgen. conscripta.

AD CLARISSIMVM VIRVM DOMINVM DOCTOREM PHILIPPVM BVCHEMERVM, ILLVSTRISsimi Principis Alberti Cardinal. & Archiepiscopi Moguntini Medicum,

GEORGII SABINI PRAEFATIO.

CVm mihi se præsent faciles in carmine Musæ
Quæ noua sit forsan causa Philippe rogas:
Cur magis historiæ, quàm carminis, author, haberi
Posthabito tandem nunc Helicone, uelim.
An, quia nulla manent hoc tempore præmia uates:
Me sacri titulum uatis habere pudet?
Non ita: nam dulces amplector, ut antè, Camœnas:
Et plus Aonia me nihil arte iuuat.
At modo plana dedi numeris quòd scripta solutis,
Non leuis authoris iussa uerenda sequor.
Scilicet armipotens hoc me Germania uatem
Historico filo texere iussit opus.
Est gelidas inter ualles, lucumq; silentem,
Herbidus ad Viadri rauca fluenta locus.
Hìc ego dum sedeo nemoralibus abditus umbris,
Blandaq; consueto carmina more cano:
Ecce gerens frameam dextra, parmamq; sinistra,
Fœmina castrensi uenit amicta sago.
Atq; ita, pone metu: neq; enim licet arma feramus,
Martia nos tecum bella geremus: ait.
Illa ego sum genitrix magnorum clara uirorum,
Vrbs quibus imperium nunc Tyberina dedit.
Inclyta Teutonicis qui gentibus indidit heros
Nomina, me natus matre Tuisto fuit.
Multa quidem gessi diuersum bella per orbem:
Multaq; sunt armis parta trophœa meis
Ipsa meos illuc deduxi inuicta colonos,
Qua rapido spumans amne Garumna fluit.
Ipsa Calidonijs incussi bella Britannis,
Anglorumq; recens nomen habere dedi.
Quid loquar Hũnorũ durissima regna? quid urbes
Hesperias? nostræ quas domuere manus.
Hei sed iniqua mihi sors hunc inuidit honorem,
Clara uoluminibus ne mea gesta forent.
Ecquibus Aeneadum non uiuit gloria chartis?
Græcia præcones est quot adepta suos?
At mea laude caret uirtus: quia nemo notauit
Res, nisi scriptorum barbara turba, meas.
Haud tamen indignor, meritis fraudata quòd olim
Laudibus, & nullo nomine clara fui:
Tum populus nostri de stirpe Tuistonis ortus,
Nil minus, eloquij quàm studiosus, erat.
Non sacra Musarum, sed Martis castra, colebat:
Tempora non doctis artibus ulla dabat.
Culta sed hæc postquam studijs efforuit ætas,
Quòd meritæ careo laudis honore, queror.
Nanq; meos quamuis multi nunc inter alumnos
Facundæ docta Palladis arte ualent:

Quamuis eloquij præstantem dotibus æquant
Cecropium Latio cum Cicerone senem:
Nullus in his peragit nostræ præconia famæ:
Nec patriæ curat facta referre suæ:
Tu nisi quòd tenero cecinisti carmine nuper
Prælia Cæsaribus facta Sabine meis.
Ergo per Aonij te fontis amabile nomen:
Te per Apollineas quas colis, oro Deas:
Vt patriæ dignas ad sydera tollere laudes
Primus, & historici munus obire uelis.
Quamuis impariter iunctos deducere uersus
Aptius, inq; pedes cogere uerba, queas.
Aspice Pontanum, Sebetida cuius ad undam
Nobilis historicum Musa recepit onus:
Non'ne senis calamo Patauini bellica scripsit
Gesta? licet melior carminis author erat.
Nec tamen immensa rerum te mole grauabo:
Tantùm clara tui temporis acta refer.
Quantas ediderit me Carolus auspice strages,
Gallica dum regnis expulit arma suis:
Egerit & capto quantum de Rege triumphum,
Aurea qui clypeo lilia trina gerit:
Vtq; rebellantem Tyberim superarit & Arnum:
Depulerit Libyca uictor ut urbe Scytham:
Duxerit Algeræ quantas ad littora classes,
Maurus ubi rapido sole perustus agit.
Deniq; quàm celeri uirtute subegerit hostem,
Freta Sicambrorum quo duce terra fuit.
Hæc precor intexas uicturis gesta libellis:
Teq; sinas patriæ, quæso, mouere preces.
Si tamen aut precibus minus, aut pietate, moueris:
Acre tibi calcar fama perennis erit.
Nam bene si longa de posteritate merentur,
Condere quos patriæ non piget acta suæ:
Hæc, quibus historiam referes patriæq; triumphos:
Scripta tibi quantum sunt paritura decus?
Desierat, cœpi: faciam matrona quod optas:
Et præstabo libens omne quod ipsa iubes.
Illud enim quanquam nostris est uiribus impar,
Haud tamen impositum ferre grauabor onus.
Nec meus egregia conatus laude carebit:
Nam pius est patriæ facta referre labor.
Vix ea fatus eram: per opacæ deuia syluæ,
In sua bellatrix illico castra redit.
Ergo opus aggrediens: primis exordia cepi
Regibus, ab extincto Cæsaris huius auo.
Gallus ut ipse sibi desponderit orbis habenas,
Mortuus Imperij cum moderator erat:
Carolus eximia uirtutis & indole princeps,
Vt sit in Augusta sede locatus aui.
Hæc modo complexi paruo sumus acta libello:
Cætera quo referam, grande uolumen erit.
Vnica nunc rerum tutela Philippe mearum,
Hoc opus auspicio nominis ædo tui:
Qui mihi cùm tali sis fœdere iunctus amoris,
Taurica uix nostram soluat ut ara fidem:
Inter honoratos merito tu primus amicos,
Ingenij debes munus habere mei.
Hoc igitur læto, quo conuenit, accipe uultu:
Hoc tibi synceri pignus amoris habe.
Quin & contigerint ubi mollia tempora fandi,
Fac tuus ut Princeps hæc monimenta legat,
Eius in hoc fiunt etiam præconia scripto,
Laudatiq; frequens nominis extat honos.
Nempe quod is fuerit suffragatoribus author,
Liligero Regi ne sua sceptra darent:
Tradere sed mallent ut Cæsaris illa nepoti:
Teutona ne patrium perderet ora decus.
Quod nisi tam constans ac prouidus ipse fuisset:
Publica res quantis nunc foret aucta malis?
Legibus orba suis Germania, turpiter esset
Iussa sub externi principis ire iugum:
Quiq; feris Scythæ cum gentibus impia iunxit
Fœdera, Cæsareas Gallus haberet opes.
Ipsius æternas igitur testantia laudes,
Exhibeas illi scripta legenda uelim.
Sic triplices ducant tibi stamina longa sorores:
Sic tua sit fœlix sospite prole domus:
Sic, alter ueluti Podalyrius, arte medendi
Languida mortifera corpora tabe leues.

MAMERANVS LECTORI.

HVius te hic admonitũ uolo Lector, ut cum in Sabino legis Moguntinum simul & Colonieñ. Cæsari imposuisse coronam, intelligas parum explorate Sabinũ retulisse: magisq; Mauro credendum, qui ipsemet sui Domini Electoris cõsiliarius interfuit, quàm qui relatu uel absens, uel non officiarius in ea accepit. Nam uerè scribit Maurus tres Archiepiscopos Electores simul præstitisse hoc officij. Quanquam ad solum Colonieñ. ratione prærogatiuæ suæ Ditionis, in qua Aquisgranum est, spectare perhibeant. Cuius tamen officij mirũ est nullam prorsus in Aurea Bulla Caroli IIII. expressam fieri mentionem, sicuti nec de nonnullis alijs quoq; nõ minus necessarijs, ut opus reformatione aliqua habere uideri possit.

DE

DE ELECTIONE ET CORONATIONE CAROLI V. CAESARIS AVG. HISTORIA.



VM Maximilianus exemptus esset rebus humanis, & magno in luctu esset Germania: exteri reges quasi custode publicę pacis à statione remoto, in tanta occasione rei bene gerendæ non cessandũ sibi esse ducebant. Alibi Selymus Turcarũ Imperator, pacato regno in Syria & Aegypto: magna fœlicitate adiecit animũ ad Pannonias occupandas: eamq; in rem omni cura & studio incumbebat. Alibi Gallus Mediolanũ nemine iam aduersante tenens: & elatus clarissima uictoria, cum trienio antè ingentes copias Heluetiorũ profligasset, habere se occasionem optatam arbitrabatur decus ac nomẽ Imperij ad Gallos transferendi: & recuperandi regni Neopolitani quod aditũ in Italiam, & eam partem teneret, quæ quasi domicilium fuisset Imperatorum. Itaq; repentè nouas res moliri cœpit: conscribit exercitus, fœdera cum Burgundis dissoluit, facit nouã cum ijs, quorum sibi profuturam amicitiam existimabat. Et in primis pontificem Leonem X. sibi adiungere studet, ut petitionem Imperij adiuuet. Flagitat etiam sibi titulũ Imperatoris Constantinopolitani decerni. Nam ut persuaderet, ex Republica esse, ut Imperium sibi committeretur, pollicetur se moturum esse Turcicum bellum, ad quod gerendum maximè profutura esset, coniunctio Italiæ, Galliæ, & Germaniæ. Neq; hæc Romæ tantùm aguntur: inuitantur & Veneti ad societatem consilij. Mittuntur Legati in Germaniam, petituri Imperium apud Electores. Interea sollicitantur & ciuitates aliquæ in Germania, ut Gallicis exercitibus receptum præbeant: quæ uidebantur arces belli futuræ, si armis possessio Imperij tuenda esset. Tali tempore maximè conspici potuit, quantũ ad tranquillitatem & salutem orbis terrarum conducat Electorum in Germania consilium. Cùm enim impenderet ingens rerum mutatio, sapientia, cõstantia, concordia, & fide Electorum, dignitas Imperij & forma Reipublicæ cõseruata est. Statim enim Archiepiscopus Moguntinus Albertus Marchio Brandẽburgensis Cardinalis titulo diui Chrysogoni, intellecta morte Maximiliani, cũ ipsius munus sit cõuocare Electores: significat eis interitum Imperatoris, & Francofordiam eos ad deliberationem de successore, & ad electionẽ uocat. Quos etsi per sese mouebat officij ratio, ut electionem maturare studerent: tamen cum in tantis periculis quæ uidebant impendere, magis etiam properandum esse intelligerent: ad dictum diem omnes Francofordiam ad Mœnum conuenerunt: uidelicet Albertus Cardinalis Archiepiscopus Moguntinus: Hermannus Comes de Vueda Archiepiscopus Colonienſis: Richardus Archiepiscopus Treuirensis: Lassa Dominus de Sternberga, Ludouici regis Bohemiæ legatus: Ludouicus Comes Palatinus, dux Bauariæ, Fridericus dux Saxoniæ, Ioachimus I. Marchio Brandenburgensis. Velut omen fuit faustæ electionis, quòd nemo Electorum aberat: Sed conuenerant omnes, ut communi consilio atq; animo rem tantam agerent, quę ad salutem totius orbis terrarum, & ad uniuersam posteritatem pertineret. Ac die Iunij XVII. Anni M. D. XIX. in æde diui Bartholomæi Francofordiæ, ut auspitia horum consiliorum essent fœlicia, sacrum de Spiritu sancto celebratum est: in quo ad aram stantes Electores singuli trabeati, inspectante Ecclesia publicè iusiurandum religiosè dederũt: se bona fide seruaturos decreta de electione, quæ in aurea Bulla (sic enim Imperij constitutio-

nem uocant) sancita sunt. Et articuli ea de re in aurea Bulla publicè lecti sunt. Mox ab ara in sacrarium interius eius templi, ubi ueteri more solet electio fieri: Principes Electores ingressi sunt, ibi Moguntinus ut deliberationem auspicaretur, hanc ad Collegas orationē habuit. Vt in publico sacro uota fecimus, ut Deus gubernet consilia nostra de re omnium maxima, uidelicet de eligendo Imperatore: ita nunc postquam auspicatò ad hanc difficillimam deliberationē inchoandam, inter ipsas aras congressi sumus: iterum precor Deum optimum maximum, ut mentes nostras regat, ad retinendam inter nos concordiam: & flectat, ad eligēdum Principem salutarem uniuerso Imperio Romano, ac præcipuè utilem ecclesiæ Christianæ. Nec dubito quin uos omnes magna solicitudine & pietatè, assiduis uotis idem à Deo petatis: Nulla enim difficilior deliberatio de ulla re humana incidere potest, quàm de Imperatore eligēdo. Nam cæteri Reges, non sustinēt hoc ingens onus externa regna propugnandi. Noster Imperator eligitur, ut sit Dux publici consilij inter omnes Reges: ut propugnet Italiam: ut tranquillitatem Ecclesiæ præcipuè custodiat. Itaq; cum tantarum rerum cura Imperatori commissa sit, nō ut in cæteris regnis, nascuntur successores: sed grauissimo consilio constitutum est, ut iudicio atq; autoritate nostri collegij quæratur successor, qui molem tantarum rerum sustinere possit. Equidem agnosco huic tam difficili deliberationi, nullam humanam sapientiā parem esse: sed me in his curis præcipuè hæc consolatio erigit, quod cum Imperia diuinitùs constituta sint, nō dubito, & nostrum collegium à Deo gubernari: qui, si nos legibus nostris obtemperabimus, si pietatem, fidem, & diligentiā, quantum prospici hominum mentibus potest, præstiterimus: aspiraturus est consilijs nostris, ut electio sit fausta ac fœlix patriæ, ac uniuerso nomini Christiano. Deinde ea quæ in tali senatu & summo consilio orbis terrarum requiri possunt, uideo in uobis esse: rerum usum, sapientiam, pietatem erga Deum, fidem erga Rempublicam, studium tranquillitatis communis. Cumq; præcipuè nobis cōcordia opus sit, declarastis ea in re aliqua ex parte uoluntatem uestrā, quod sine contumacia omnes in tempore conueniistis. Quamobrem uobis publico nomine gratias ago. Et modo iusiurandum dedistis, cum in cæteris articulis obtemperaturos uos esse legibus: tum uerò in eo qui ad retinendam communem tranquillitatem præcipuè pertinet, ut illi qui plurium suffragijs Rex creatus & renunciatus fuerit, omnes obediant. Quare satis prouisum est iureiurando, ne qua publica in Imperio discordia oriatur. Hic aditus ad causam nostram, bonam mihi spem facit, de cæteris quę restant agenda. Sed tamen ut magis muniatur, concordia, duxi initiò uos cohortandos esse: ut priusquam in suffragium itur, inter nos re disputata, demus operam, ut omnium suffragia consentiant. Multa in hac natione bella ciuilia, plena crudelitatis, & pernicioſa toti orbi terrarum, & antequam concilium Electorum cōstitutum est, & postea, propter successionem aut suffragiorum dissimilitudinem, in electione, exarserunt. Ludouico Pio filius Lotharius conatus est regnum eripere. Capto patre postea Lotharius cōflixit cum fratribus, tam atrociter, ut in eo prælio Francorum uires adeò afflictæ sint, ut postea decus imperij tueri non potuerint. Saxones deinde rerum potiti sunt, quos exercuerunt asperrimæ seditiones. Aduersus Henricum primum, dux Bauariæ Arnoldus bellum mouit, quod tamē moderatione Henrici citò sedatum est. Sequens bellum quod Lotharingus mouit aduersus Othonem, ut Francico nomini Imperium restitueret, annos durauit sex: estq; Germania fœdè igni ac ferro uastata, donec ad extremum in acie interfectus Lotharingus pertinaciæ suæ pœnas dedit. Othonis secundi tempore, Galli armis conati sunt ad se transferre Imperium. Othoni Tertio eripere conati sunt Imperium. Henricus Bauarus, & quidam Romæ Crescentius.

Hæc

Hæc certamina ut caueret ad posteritatem Otho tertius, grauissimo cõsilio & comprobante Romano Pontifice, collegium Electorum instituit: cuius collegij sapientia & fide, iam annos quingentos Imperij possessio in hac natione retinetur. Quod non modò Germanico nomini gloriosum est, sed etiam toti Europæ multis modis salutare fuit. Sæpè enim nostri Imperatores ex Italia barbaros depulerunt, & pernitiosas mutationes magna uirtute prohibuerunt: Sed tamen aliquoties contentio de regno, grauissimè afflixit Germaniam atq; Italiam aduersus Henricum IIII. uirum fortem & impigrum, multi Principes in Germania atq; Italia conspirarunt: qui Rodolpho duci Saxonum, & Sueuorum, tribuerunt nomẽ Regium. In hoc bello cum essent duæ fortissimæ nationes coniunctæ, Saxonica & Sueuica, nec posset Henricus sine acerrimis dimicationibus dignitatẽ suam propugnare: ita ab utrisq; dilacerata est patria, nunquam ut postea pristinam maiestatem recuperauerit Imperium nostrũ. Dum enim ciuilibus bellis domi conflictamur, interea Galli bonam Belgici partem & Sequanos inuaserunt. Deniq; multis ubiq; præsidijs atq; ornamentis amissis, postea cęteris nationibus opem ferre non potuimus ut antea, nec Regibus alijs formidabiles fuimus, ut olim. Potest & inde æstimari, quàm funestũ & luctuosum bellum patriæ fuerit, quòd in eo nõ solùm multi prophani Principes interfecti sunt, Rodulphus dux Sueuiæ, Otho dux Saxoniæ, & Gerardus Lotharij pater, Egbertus Marchio Misnensis, sed etiam trucidati sunt aliquot Episcopi, quos religio aduersus bellorum iniurias defendere debebat. Sunt enim occisi Episcopi, Magdeburgensis & Vuormatiensis. Ad hæc mala accessit & perturbatio religionum, & Schisma. Secutum est aliud bellum, ortum ex dissimilitudine suffragiorum in electione, inter Conradum Sueuum, & Lotharium Saxonem: quod, postquam multæ urbes in Imperio ui captæ sunt: autoritate diui Bernhardi sedatum est. Exarsit multo crudelius bellum inter Philippum & Othonem IIII. propter Electorum discordiam. Aliquot prelijs uictus Otho fugit ex Germania in Angliam. Postea aduersus Fridericum II. à quibusdam electus est Henricus Landgrauius Thuringiæ, qui in obsidione Vlmæ ex uulnere perijt. Secutum est interregnum, quod durauit annos fermè octodecim: in quo nonnulli Electores accersiuerunt in Germaniam ad Imperium Richardum fratrem regis Britanniæ. Interea cum sine rege esset Resp. non solum defecerunt in Italia ciuitates, sed etiam in contemptum uenit apud omnes Germanica natio. Aliquanto pòst, dissensio in electione Ludouici Bauari, & Friderici Austriaci, bellum ingens excitauit, quorum alter Bohemos, alter Hungarica auxilia in Germaniam adduxit. Ita utrinq; à Barbaris Germania crudeliter uastata est. Deinde aduersus Ludouicum, electus est Carolus Lucemburgensis. Neq; hæc electio habuit omnium suffragia, & statim nonnulli ex Electoribus expetiuerũt Eduardum Angliæ regem. Alij deinde Comitem Suarceburgensem. Toties inciderunt certamina in hac natione de successione, quibus & domi maiestas Imperij grauiter concussa est, & interea foris neglecta est Respublica. Dum enim occupati sumus ciuilibus bellis, aut fracti domesticis cladibus, non potuimus reprimere Turcas: quorum potentia nemine obsistente, quantum creuerit, uidetis. Tot igitur exemplis tristissimis moniti, pertinacissimè tueri concordiam debemus: præsertim hoc tempore, cum Turcæ nobis bellum denunciant: comminantur se non modo Imperium, sed libertatem & religionem erepturos esse. Etsi autem iureiurando uestro prospectum est, ne qua seditio oriatur, etiamsi suffragia non consentirent: tamen uos ipsi intelligitis, plurimum referre, ut prorsus consentiant suffragia. Nam quamlibet leuis dissensio, tamen multas in Rebuspublicis deliberationes impedit: & sæpè horribiles motus parit. Nec desunt, qui captant omnes occasiones distrahendæ Ger-

miniæ in diuersas partes. Multum autem ad illos deterrendos, profuturus est consensus noster. Plurimum etiam afferet momenti, ad uoluntates Principum ac populi Germanię, ad nostram sententiam adiungendas. Cogitate omnium Regum ac Principum oculos in nos esse coniectos: qui non modo de eo, quisquis electus fuerit, sed de nobis etiam iudicium facient: an grauitatem tantam præstiterimus, quanta in hoc summo consilio orbis terrarum requiritur, an saluti orbis terrarum consulere uoluerimus, aut priuatis cupiditatibus morem gesserimus. Et nos quidem non modo hominum iudicia, sed multo magis Deum testem atq; arbitrum harum nostrarum cogitationum uereri decet, qui cum Imperia constituerit ad defensionem pacis, iuris, & religionum, nequaquam uult ea discordijs non necessarijs labefactari, aut dissipari. Nec dubium est cultum Deo gratissimum esse, studium concordiæ publicæ, præsertim quæ ad Imperiorum conseruationem pertinet. Quam opinionem, etsi omnibus hominibus oportuit infixam esse, tamen uiros Principes ita amplecti decet, ut in publicis consilijs nunquam ab ea deflectant, ut omnes deliberationes atq; actiones referant ad communem concordiam retinendam. Ego quidem mori malim, quàm autor esse publicæ inter Electores discordiæ. Quare sententiam meam re disputata libenter cum uestra coniungam, ut consentientibus suffragijs, id quod optimum erit, Deo adiuuante, statuamus. Velim igitur prius nos de uniuersa Republica colloqui, quàm in suffragia eatur. Est enim disputandũ etiam quarum rerum curam Imperatorem maximè suscipere uelimus: quas Imperij partes sanari initiò necesse sit: quomodo constituenda iudicia in Imperio, & pax munienda sit. Et sunt alia multa, de quibus expedit nostras opiniones conferre. Locus impositus mihi necessitatem dicendi, & inchoandæ huius deliberationis. Cæterùm meum iudicium non antè fero, uosq; pro excellenti sapientia & grauitate uestra scio uenire huc paratos & meditatos. Quare sententias uestras audire maximè cupio: uosq; rogo, ut orationem meam profectam ab animo & amante Reipublicæ, & de uobis amanter & honorificè sentiente, boni consulatis. Etsi autem fortasse, non necessaria fuit hæc cohortatio: Noui enim uoluntates uestras, ac sæpè comperi uos concordiæ publicæ cupidissimos esse, & multa nos fœdera coniungunt, cognatio, societas religionis, & huius nostri amplissimi Collegij, tamen huic tempori uidebatur apta hæc oratio. Nunc enim toti orbi terrarum maximè opus est nostro consensu.

Hæc cum dixisset Moguntinus, congressi reliqui Electores, breuiter colloquuntur, & cum adhortationem de retinenda concordia in tanto publico periculo, gratissimam sibi fuisse, ostendũt: tum uerò sapientiam Moguntini laudant, quòd & dux publici consensus esset, & monstraret uiam, qua dissentio caueretur, seq; omnes profitentur assentiri dictæ à Moguntino sententię, & summo studio daturos operam, ne suffragia discrepent. Hæc iubent communi nomine omnium dici à Ioachimo 1. Marchione, cui libenter has dicendi partes tribuebant cęteri Principes, propter excellentem eloquentiam. Erat enim tum quidem ea uirtus & grauitas Principum, ut sine inuidia singulis concederentur suæ laudes, nec parum ad communem salutem tum quidem profuit, quòd adhuc priuatim magna inter se beneuolentia deuincti erant, quam & Reipublicæ causa diligenter tuebantur. Et quia ueteri Germanorum more sentiebãt bona fide amicitias colendas esse. Et erat ea magnitudo animi non solum, ut priuatas simultates nullas afferendas esse ad publica consilia ducerent: sed etiam ut nullas admitterent in animos aduersus cognatos, præsertim in Republica coniunctos. Sed ab hac uirtute quantum degenerauerit sequens ætas, non libet hoc loco commemorare. Videmus enim in multis magnis Rebuspublicis consilia priuatis odijs impediri. Sed redeo ad historiam, cum Ioachimus Marchio,

Marchio, Moguntini frater, dixisset communi omnium nomine, assentiri omnes dictæ sententiæ, ut prorogato die suffragationis, postridie ad deliberationem conueniant: interea uenerant Moguntiam legati Caroli Archiducis Austriæ & Burgundiæ, & regis Hispaniæ: Matthæus Episcopus Gurcensis Cardinalis: Fridericus Comes Palatinus Dux Bauariæ, Casimirus Marchio Brandeburgensis, Henricus Comes Nassauensis: Ex his adiuncti cõsiliarij aliquot. Hi nomine regis Caroli modestè petebãt, ut eius in electione ratio haberetur: quoniam & indole ad uirtutem egregia esset, & religionem ac iustitiam summo studio coleret. Natura uerò à crudelitate, & ab obscœnis libidinibus abhorreret: & iam specimen dedisset industriæ, fortitudinis, & fœlicitatis suæ in occupandis Hispaniæ regnis. Cumq; de eius ingenio spes esset optima, pollicebantur potentiam, qua cæteris Principibus antecelleret, futuram esse præsidio Germaniæ, & uniuerso nomini Christiano. Admonebant etiam Electores, à Maximiliano Imperatore, nepotem ipsis commendatum esse, cuius memoria ipsis, propter excellentem eius uirtutem & sapientiam, gratissima esset. Tanta autem in Maximiliano grauitas fuit, tantus amor patriæ & communis salutis, ut nisi probasset ingenium nepotis, & iudicasset profuturam orbi terrarum, electionem ipsius non fuerit eum commẽdaturus Electoribus. Hæc cum Legati Austriaci Electoribus significassent, postea Moguntię cum summa modestia euentum electionis expectabant: nulla præsidia comparabant, ne quid contra Electorum libertatem in interregno moliri uideretur. Erant & Conflu-entiæ, Gallici Legati, qui priuatim ingentibus promissis, animos non Electorum tantum, sed etiam aliorum Principum, & ciuitatum, conciliare regi Francisco conabantur: disputabantq;, nihil contra leges facturos Electores, si Francorum regem designarent Imperatorem, quòd Francorum reges à Germanica stirpe orti sunt. Addebant olim tantam fuisse coniunctionem utriusq; gentis Gallicæ & Germanicæ, non ut distractæ in duo regna fuerint, sed uelut unũ regnum sub ijsdem signis, sub eodem rege Francorum, socia arma gesserint: do mijsdem legibus, eodem iure, gubernatę sint: eamq; coniunctionem primum gloriosam fuisse Germanico nomini. Deinde etiam salutarem uniuersæ Europæ ac præcipuè Ecclesiæ. Nam Imperij decus initiò partum utriusq; nationis uirtute, postea Germanos, quasi usucapione retentum, possedisse. Quantum uerò profuerit coniunctio Galliæ & Germaniæ initio, inde æstimari posse, quòd cum Italiam alibi Saraceni popularentur, alibi uerò Longobardi nõ contenti finibus suis, Romam ipsam, arcem & caput Christiani nominis in Europa, in barbaricam seruitutem redigere conarentur: diu quassatæ Italiæ, hæc una res, uidelicet coniunctio Galliæ & Germaniæ, optatam pacem attulerit: quæ durauit annos ferè centum, quoad familia Pipini & Caroli Imperium tenuit. Defensas esse, aut pacatas à nobis communiter, & alias regiones in Europa: Saracanos ex Hispania effusos in Galliam, fuisse repressos, liberatam Germaniam terrore Hunnorum. Sed si unquam, nunc maximè optandam esse, cõiunctionem Galliæ & Germaniæ, ad reprimendam barbariem Turcicam. Tenere autem regem Franciscũ etiam bonam Italiæ partem, & habere studia reliquorum Italorum. Semper Gallicos reges Romanam sedem singulari pietate ueneratos esse. Quare & erga regem Franciscum, & Gallicum nomen, optimam esse hoc tempore Romani Pontificis uoluntatem, nec uerò aliam ullam ostendi posse expeditam rationem belli aduersus Turcicam nationem gerendi, quã si communibus opibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ res suscipiatur. Has regiones propter oportunitatem locorum, propter copias & exercitus, etiam antea uisas esse in primis idoneas, ad hoc bellum gerendum. Nam & Sigismundi Imperatoris tempore, exercitum contractum fuisse, ex Italis, Gallis, & Germanis.

Adhæc quod classem ita instructam habeat Gallia, ut si Veneta classis adiũcta fuerit, non dubium sit, mari toto, quæ uelint littora, quas oras, insulas, portus, tutò petere & oppugnare possent. Porrò si tanto bello Dux quærendus esset, Rempublicam ipsam flagitaturam esse regem Franciscum: Quia nõ solùm autoritate reliquos Principes anteiret, sed etiam usu & peritia rei militaris. Nec deesse eius uirtuti fœlicitatẽ. Quantas enim res gessisset, dum recuperaret Insubriam, omnibus notum esse: quanta fœlicitate maximas hostium copias profligasset: quoties toto triennio dimicasset acie. In his rebus cùm fœlicitas eius cõspici potuerit: tum uerò uirtus, magnitudo consilij atq; animi, laborum tolerantia, diligentia in omnibus rebus prouidendis, quæ ad Imperatoris curam pertinent, tanta fuerit, ut peritissimorum confessione nemo ei Ducum hoc tempore anteferendus sit. Etenim quod hoc bellum non tantum auspicijs ipsius, sed etiam consilijs & ductu gestum fuerit: ipse loca castris ceperit, intentus fuerit in occasiones pugnandi: prouiderit, ut non hostis arbitrio, sed suo dimicaret: rationem inierit, quarum artium oppugnatio tentanda esset, ubi hostis elici posset. Quia uerò in Imperatoribus, non minus fœlicitas, quàm fortitudo spectanda sit, hactenus Deum fauisse incœptis regis Francisci: & in spem omnes adduci, propter cæteras eius uirtutes hanc fœlicitatem diuturnam fore. At nihil esse, quòd Germanici Principes, accersito rege Galliæ metuant ueteri suæ libertati, cum & rex sua uoluntate, leges & instituta maiorum, libenter obseruet: & Electoribus permissurus sit, ut conditiones ferant, quas eum in accipiendo Imperio seruare uelint. Quia rex non aliam ob causam petat Imperium, nisi quod toti nomini Christiano, hanc Galliæ, Germaniæq; coniunctionem, maximè profuturam esse iudicet. Quæ coniunctio non esset diuturna & stabilis futura, si alterutri nationi libertas eriperetur. Eamq; ob rem promittebatur, regem nõ collocaturum esse Gallica præsidia in Germania, sed Germanicos exercitus suo stipendio conducturum esse, quibus de consilio Principum, duces Germanici, quorum uirtus & fides probata esset, præficerentur. Ostendebatur etiam quas commoditates allatura paulatim esset Principibus hæc nationum coniunctio, cum rex etiam Gallicis ditionibus donaturus esset Germaniæ Principes: Sicut olim sub Carolo Magno, aliqui Principes tenuissent amplos Principatus, in utroq; regno. Hæc ferè summa fuit Gallicæ orationis, cui erat adiecta adhortatio, ut Electores nõ amitterent hanc occasionem cõiungendæ Germaniæ cum Gallia, quòd ea res Germanis esset futura gloriosa, qui hac uirium accessione facta, multo essent futuri ad res maximas gerẽdas instructiores. Et quod ad defensionem Europæ, & ad Christiani orbis tranquillitatẽ, nihil hac cõiunctione posset utilius cogitari ac reperiri. Recitatis legatorũ literis, breuiter responderunt Electores: gratam sibi esse beneuolentiã Regum, erga nomẽ Germanicũ, sed de electione se, Deo adiuuãte, optima fide facturos esse id, quod postularẽt leges, & instituta maiorũ, & religio iurisiurãdi, quod dedissent. Miserat aũt Gallus paulo antè Legatos in Heluetiã, petieratq; indici conuentũ, quòd pro uetera amicitia, quæ Heluetijs fuit cum Gallico regno, quędam ad utilitatẽ Europę pertinentia, ad ipsos referre cuperet. Indicto cõuentu, exposuerãt Legati, regẽ Franciscũ re deliberata cum summis Principibus Christianis: adhortatione etiã quorundã, quorum præcipua sit autoritas & uoluntas erga Rempublicã Christianã optima, constituisse: petere ab Electoribus, ut designetur Romanus Imperator. Cõmemorant, nihil ui, nihil per seditionem facturũ esse contra Germanorum libertatem, sed Electorũ suffragijs, & autoritati Pontificiæ rem permissurum esse. Sed ad hoc consilium, initiò adiungendos duxisse Heluetios, ut si Electorũ suffragijs fuerit electus, ipsi non aduersentur, sed potius sint in partibus, & hanc electionẽ una defendant. Quod ut faciant, non modo uetus cum

Gallis

Gallis amicitia, mutuis utriusq; gentis beneficijs confirmata, eos hortetur: sed etiam salus totius Christiani orbis. Quia hæc petitio præcipue hanc ob causam instituta sit, quòd ad pacem in Europa cõstituendã, & ad depellendos Turcas, nihil cogitari accomodatius possit, quàm coniunctio Italiæ, Galliæ & Germaniæ: quę si procederet, bellum terra mariq; aduersus Turcas, rex moturus esset. Est autem Heluetiæ situs opportunus, primum ad Italię tranquillitatem defendam, deinde ad expeditiones ad uicina Italiæ loca suscipiendas. Itaq; ferebant Regem, adiuncturum esse Gallico equitatui, Helueticum peditem, idq; robur ac neruos Christiani exercitus fore. Nõ enim dubitabãt rex libenter uenturos in societatem periculi generosos Heluetiorum spiritus: quia nulla ætate iustius, aut magis necessarium bellum unquam gestum sit. Depellendus est à nostris ceruicibus hostis, qui non de gloria Imperij, ut ueteres Monarchæ, bella gerit, sed ut religionem Christianã deleat: ut uniuersam disciplinam ciuilem, ut iura matrimoniorũ tollat, ut ad stupra nostras cõiuges ac liberos rapiat, liberandæ sunt hac miserrima seruitute gentes uicinæ, quæ nobiscum religione, & alijs multis fœderibus antea coniunctæ fuerunt. Hæ sunt causę graues & iustę uiris fortibus arma capiendi. Quare nõ dubitare se aiebãt, quin Heluetij huius militię decus, maximè expeterẽt. Cum aũt electio illa his tantis rebus gerendis oportunitatẽ allatura esset, debere Heluetios quoq; suis studijs ac significatione uoluntatis, eam adiuuare. Postremò pollicebantur, regem, si eligeretur: gentis Helueticæ libertatem nulla in re labefacturũ esse, sed potius cõfirmaturum, & multa additurũ esse cõmoda, atq; ornamenta, si Heluetiorũ uirtus & fortitudo non esset communi saluti nominis Christiani defutura.

Hæc cum Gallici Legati cõmemorassent, quanquã priuatim multos ingenti pecunia & nouis largitionibus obligatos, tenebant: tamen honesti uiri delecti ex ciuitatibus modestè respondẽrũt, se nõ impedituros libertatem Principũ Electorum, nec significatione aliqua uoluntatis suæ, aut terrore ullo, præbituros occasionem turbandæ tranquillitatis Germaniæ, quam agnoscerẽt patriã. Deinde cum nominatim Heluetico fœdere exceperint Romanã Ecclesiam, & Romanum Imperium, profitebantur se nihil contra Romani Imperij Maiestatem facturos esse. Pertinet autem ad Maiestatem, libertas Principum Electorũ. Ita Gallis dimissis, scribunt Heluetij literas ad singulos Electores, in quibus cõmemorant, se scire quam uehementer ambiat Gallus Imperium, & quod multorum animos ea de re solicitet. Narrãt etiam quæ apud ipsos petiuerit, quidq; ipsi responderint. Deinde exponunt, se defugere omnia consilia, quæ uideantur esse contra Germaniæ tranquillitatem. Et negant se ulla in re libertatẽ Principum Electorũ impedituros esse. Adijciunt dehortationẽ, ne ad Gallos transferatur Romani Imperij decus, neue moueãtur Principes, opibus aut uiribus Gallicis, quia adhuc in Germanica natione tantum sit consilij, & uirium, ut nihil opus sit exteros Reges accersere. Postremò hortantur, ut aliquis eligatur ex Germaniæ Principibus, & pollicentur, sua arma nõ defutura esse defendendæ tranquillitati Germaniæ. Scribũt & ad Leonem X. Romanum Pontificem, & petunt, ne sit auctor Electoribus eligendi regis Francisci, quòd Gallorũ dominatio in Germania paritura esset ingentia bella, & futura exitiosa utriq; nationi. Nec impliciti Galli Germanicis bellis, Italiam defensuri essent, aut alias res utiles nomini Christiano moturi. Ad has literas Romanus Pontifex respondens, narrat in fœderibus, quæ Romana sedes habeat cum regibus Neopolitanis: cautum esse, ne quis simul Romanũ Imperium teneat. Cum autem sibi Romanæ sedis priuilegia religiosè & summa ope tuenda sint, ea de re certiores factos esse Electores, ne quid fieret cõtra libertatẽ & cõmodum Romanæ sedis. Quod aũt alium quendam Principem euehendum esse ad fastigium Romani

Imperij magis senserit, adductum se non priuata beneuolentia, sed certo iudicio, quòd cognouerit eum excellenti ingenio, industria, & magnitudine animi præditum esse, & cupere potentiam suam ad cõmunem salutem cõferre. Hanc excusationem scripsit ad Heluetios Leo Pontifex, omissis regum nominibus. Etsi autem intellexerant Electores, quæ omnium Regum ubiq; terrarum uel studia essent, uel expectatio de hac electione, & quo singulorum uolũtates inclinatæ essent: ipsi tamen summa cum grauitate cauebant, ne ad ullũ inflectere se quisquam uideretur, ante suffragationem. Nemo ullas aluit factiones, nemo parauit sui suffragij defensores, sed integris animis cõuenerunt in colloquium Electores, è quibus Moguntinus, unus omnium grauissimũ onus sustinebat. Nam cum primus sententiam dicturus esset, laborandum ei fuit, non modo ut suffragio suo aliquem nominaret, sed etiam causas suæ suffragationis exponeret, ut reliquos ad suã sententiã adiungeret. Itaq; prius cum Friderico duce Saxoniæ de uniuersa Republica Christiana, & omnibus Imperij Germanici partibus colloquitur. Et his cõgressibus totas impertit noctes: ac re diligenter disputata, huic ostẽdit maximè è Republica sibi uideri ut Carolus Archidux Austriæ eligatur. Idem cum uideretur duci Saxoniæ, iubet eum constanter in sententia manere, ut cõsensu suo dubitantes inuitarent, & repugnantes uincerẽt. Cum igitur constituto die ad deliberationem Electores in Curiã Francofordię (quæ dicitur Romana) cõueniissent: Moguntinus bene paratus, orationem habuit in hanc sententiam. Non dubito equidẽ, Principem orbi terrarũ diuinitus dari: tamen cum nostra suffragatio requiratur, primum oro Deum optimũ Maximum, ut mentes nostras gubernet: Deinde censeo nobis quoq; diligentiam & fidem præstandã esse, ut quantũ à nobis prouideri potest, maximè idoneum eligamus, qua in re primum habenda est ratio legum nostrarũ, & iurisiurandi. Et quoniã hic cõgressus institutus est, nõ ut suffragia feramus, sed ut libere colloquamur, cum de uniuersa Republica, tum de electione: dicã quid mihi maximè uideatur è Republica esse. Etsi aũt mirificè angor animo, de euentu electionis: tamen hæc res nonnihil leuat animũ meum cura, quòd antea pollicitũ estis, uos nõ cõmissuros esse, ut suffragia dissentiãt. Disputabo igitur liberius, uosq; ut idem faciatis, adhortor. Deinde collatis opinionibus sine priuatis affectibus, ut decet Principes, quorũ sapientiæ & uirtuti res omniũ maxima commendata est: unam sententiã eligemus, quæ uidebitur utilissima uniuersæ Reipublicæ Christianæ. Existimo uos omnes de tribus sententijs disputare: an rex Galliæ sit ad Imperiũ accersendus, aut Carolus rex Hispaniæ: an uerò satius sit, aliquem eligere ex cæteris Germanię Principibus, qui uirtute & potentia alijs antecellere uideatur. De his omnibus exponã breuiter meã opinionẽ. De Gallo arbitror nos impediri nostris Legibus & iureiurando. Est enim diserte cõstitutũ, ne extero, sed Germanico Principi Imperiũ cõmendemus, ne hoc tantum decus ad exteras nationes transferatur: & nõ modo Germania ueniat in seruitutẽ, sed etiã in Italia, aut statu Ecclesiæ, mutatio sequatur. Nec uerò dubiũ est, regem Gallicũ esse peregrinũ Principem, & eo appetere hoc fastigiũ, ut ad suos transferat: sicut idem maiores ipsius sæpè armis ad se retrahere conati sunt. Nec sine acerrimis dimicationibus, Carolus Crassus, & Othones, possessionẽ Imperij in Germania retinuerũt. Quod aũt aliqui referant uetustã originẽ Francorũ regum ad Germanos, hæc leuiora sunt, quàm ut Principes, tanta sapientia & grauitate præditos, mouere debeãt. Constitutio postulat talem eligi, qui uere sit hæres alicuius ditionis, quæ huic nostro Imperio paret. Alioqui si illæ ueteres fabulæ Gallis patrocinantur, perinde poterũt à Turcis Troiã repetere, atq; à nobis Imperiũ: quia perhibent se ab Hectoris filio ortos esse. Cùm igitur constet, excludi Gallicum regem constitutione publica, quam iurati in electione

sequimur:

sequimur: nihil opus est longa disputatione. Quanquã etiamsi natio nihil impediret, dissuaderem hanc electionem. Primùm enim in Germaniam adducendus erit Gallus. Quantum ea in re periculi erit, cùm exercitus peregrinus distribuetur in urbes Imperij? An superbiam & libidines equitum Gallicorum, ciuitates ferent? Sed aliud impendet grauius malũ. Veniet inimicus Carolo, quòd ne cui dubium sit, iam bellum denunciatum est: antiqua fœdera Burgundionũ & Gallorum rescissa. Bellum etiam Neapoli inferre decreuit, itaq; cum detrectabunt Imperium Gallorum Austriaci & Belgæ, & habebũt alij aliorum Principum studia, atq; auxilia: uidebitis arsuram ciuili bello uniuersam Germaniã. Porrò cum alia nobis prospicienda sunt, tum hoc natura primum est, ne nostra electio ciuile bellum in Germania accendat. Iam si Gallum elegerimus, oportebit nos suffragia nostra tueri. Vbi si incidet discordia cum Austriacis, num arma geremus ad opprimendam domum Austriæ? Nec nos uetus necessitudo, nec sanguinis coniunctio, nec merita & nobilitas domus Austriacę: denicq; nõ Maximiliani manes à tanto scelere deterrebunt? Deinde oppressis Austriacis, an putatis libertatem cæteris Principibus in tuto fore? Vt Mediolanum non reddet unquam Germanis, ita ubi poterit, Gallorum potentiam augebit. Nihil me illa magnifica promissa mouent, quæ audistis. Non pacta, non Leges plus ualent, quàm iracundia, superbia, ambitio uictoris. Scimus Gallum in patria, quam natura amare debebat, quosdam iam Principatus rapuisse: breuiq; orbatam uidebitis Principibus uniuersam Galliam. Est omnino Gallus excelso animo præditus, sed nimis cupidus Monarchiæ. Nos autem nisi Aristocratiam Principum, in Germania omni consilio, omnibus uiribus ac neruis tuebimur, malè consulemus uniuersæ posteritati. Minus etiam mouent me, illa glorioſa promissa de bello Turcis inferendo. Equidem agnosco cõiunctionẽ Germaniæ, Italiæ, & Gallię, magnũ ac salutare præsidiũ Europę esse: si quis teneret pacatas & obedientes. Sed Gallus nihil gerere aduersus Turcas, aut uolet, aut poterit: nisi prius domitis in Germania Belgis, in Italia uerò recuperata Neapoli. Has ad res armare Gallum, hoc est, ad crudele bellũ in ipso imperio excitandum, nostra autoritas nequaq; debet. Nec est, quòd mihi quisquã obijciat, uaticinari me de rebus ambiguis. Ego uerò certa & explorata cõmemoro. Iam enim, ut dixi, bellum denunciatum est, conscripti exercitus: quos tamen fama nostræ electionis, si alius fuerit electus, facilè reprimet. Quare ut finiã hanc disputationem, primùm lege & iuramento impediri nos censeo, ne regem Gallicum Franciscũ ad Imperij fastigium euehamus: Deinde etiã, si eligere eum liceret, censeo id non esse è Republica, sed futurum exitiale Germaniæ & fortasis uniuersæ Europæ. Quare profiteor me suffragio meo nequaquã accersere Gallum ad Imperiũ. Restant duæ deliberationis partes, an Carolus sit eligendus, aut alius quispiã Germanicus Princeps. Hęc deliberatio multo mihi difficilior est. Nam de Carolo, opinor plerosq; uestrum, propter multas graues causas dubitare, quæ etiã meum animũ non leuiter mouent. Primum Hispania longè dissita est à Germania, quòd ut libertati nostræ tutius uidetur, ita si Carolũ detinebunt Hispaniæ, interea sine præsidio, & sine custode publicæ tranquillitatis erit Germania. Et uel Turcici belli causa, uel propter domesticos Principum tumultus, necessitas publica flagitat, ut uelut in statione adsit Imperator. Quid? si etiã subitò de Imperio, aut de religione, exarserit aliqua seditio? Equidẽ perhorresco, cogitans quantũ tunc habitura sit periculi hæc natio, absente Imperatore. Fateor huius periculi cogitatione angi animũ meum. Aliud leuius est, sed tamẽ nõ cõtemnendũ. Si enim iratus aliquãdo in Germaniã ueniret, & Hispanos adduceret, libertas nostra nõ esset in tuto. Fortasis & Hispani difficulter nobis restituẽt Imperij decus, postq; semel in hãc possessionẽ uenerint: pſertim

cum

cum aditum ad Italiam eis patefaciat. Et cum suo sanguine recuperabunt Mediolanum, non sine certamine inde nobis cessuri sunt. Videretur igitur tutius, omissis exteris Regibus, eligere aliquem, prudentia, iustitia, fortitudine, & fide præstantem uirum, ex reliquis nostris Principibus, ut sæpe maiores nostri fecerunt: qui plerunq; uirtutem in electione magis spectasse, quàm potentiam uidentur. Agnosco id quidem, sed tunc populi Germaniæ minus erant contumaces. Facilè erat, ut dicitur in Prouerbio: Imperium in bonis. Nunc autem quid fieret, si electo Imperatore infirmo, nec Belgæ, nec Austriaci parerent? Et ut futurum non dubito, si bellum inter duos reges, Gallicum & Hispanicum, in Belgico, aut in Italia orietur: an Imperator, uelut ociosus spectator, sineret duas exteras nationes diripere bonã Imperij partem. Quid? quod ipsi Principes Germaniæ, ut nunc sunt mores, spreto suo Imperatore, alij se cum Austriacis, alij cũ Gallis cõiungunt. Vt igitur lepores dicuntur frustra cõcionari leonibus, ita sedebit noster Imperator, uelut lepus, edicta componens leonibus, uidelicet istis Regibus, quę edicta derideãt omnes exterę nationes. Minus periculi fuit, cum regnaret Fridericus III. & tamẽ dedecori nobis fuit, tunc Burgundũ ferre signa per bonã Germaniæ partẽ: Philippum Mariam impunè grassari in Italia: Alibi etiã circumsederi Imperatorem in ipsa Austria: nec sibi Bohemicis auxilijs liberari. Postremò ab Hungaris pelli Austria, & eijci ex suis laribus cum quidẽ ea ætate haberet cõiunctos Principes, meum auum Marchionẽ Albertũ, fortem & sapientem uirum, & Albertũ Saxoniæ ducem: Quid nunc fieret, cum exteri Reges haberẽt alij alios Principes stipendijs obligatos? Et quam multæ causæ incidere possunt, uel Principibus, uel ciuitatibus detrectandæ obedientiæ? Videntur etiam de religione impendere horribiles tumultus. Sunt enim semina iam sparsa de indulgentijs, de potestate pontificia, de autoritate Ecclesiasticarum traditionum: quæ etiamsi adhuc sanabilia existimãtur, tamẽ paulo pòst, magnã mutationem uniuersę Ecclesię afferent. Nullum enim doctrinæ genus maiore applausu exceptum est, quam hoc. Et quotidie plura dogmata mouentur, irritantur ingenia ferocissimarum gentium in Germania, Saxonicæ & Heueticæ. Nec poterit sine Synodo trãquillitas Ecclesiæ restitui. Quæ autem erit infirmi Imperatoris autoritas, uel in petenda Synodo, uel in defendenda: præsertim si cæteri Reges aduersabuntur. Nihil enim de Turcicis bellis dicam, etsi nostrũ est, nõ modo de defendendis finibus nostris, sed etiã de liberanda Græcia cogitare. Quam ad rem opus est multarũ Nationũ copijs, & uiribus: quas cõtrahere Imperator, si parum habeat autoritatis, nõ poterit. Hæc atq; alia multa, meum animũ adducũt, ut in hac electione potentiæ rationẽ ducendã esse iudicem: nisi Imperatorẽ uelimus habere, qui titulũ & umbrã Imperij, sine autoritate, sine uiribus gerat. Itaq; antefero Carolũ Archiducẽ Austriæ cæteris Germanię Principibus: & incõmoda, quę de illius electione colligi possunt, leuiora iudico omnibus, quæ alterius cuiusquã electionem secutura essent. Primùm origo est uerè Germanica: nec dici potest, nos re transferre Imperiũ ad exteros, titulo tenus Principem habere Germanicũ. Possidet enim in Germania ditiones plurimas, quæ parent nostro Imperio: & quarũ aliquæ antea pepererũt Imperatores. Nec credibile est, hoc animo esse Carolũ erga patriã, ut uelit Austriã, aut Belgas, opprimi seruitute, ab ulla extera natione. Ergo de origine Caroli nulla disputatione opus est. Et si quis scrupulus est, ne transferatur Imperium ad exteros, habemus solennem formulã iurisiurandi: iuxta quam fidem dabit Carolus, se non labefacturum, aut mutaturum iura electionis nostræ, & Imperij statũ. Cum igitur & origine uerè sit Germanus, & tempora flagitent potentem Imperatorẽ: censeo Carolũ Austriacũ euehendũ esse ad Imperij fastigium. Quod ipsum tamen non facerem, nisi indoles eius nobis nota & probata esset.

Omnium

Omnium maximarum uirtutū, præsertim in Principe, fons est, amor Religionis Christianæ. Hæc uirtus inprimis eminet in Carolo. Quare pactorum, & iurisiurandi uiolationem, tanquam summū scelus detestatur. A' crudelitate eum abhorrere natura, multis certissimis inditijs comperi. In cōtrouersijs dijudicandis, in coërcendis improbis, iustus est. Ingenij uis, prudentia ac diligentia, iam conspici potuerūt. In Tyrocinio regni Hispanici magnos motus compescuit. Et constat eum suo ingenio multa grauiter & dextrè respondere & constituere. Magna laus in iuuene & hæc est, & signum multarū aliarum uirtutū, quod pudicitiam amat: quòd nullis libidinibus obnoxius est. Quare religionis, iustitię, & pudicitiæ custodem fore credibile est. In tali natura nihil tyrannicum exoriri potest. Regent enim eum illæ uirtutes: ut seruet pacta, ut nulla moueat bella iniusta, ut non mutet ueterem & constitutam Imperij formam: Excitabūt eum etiam ad liberandum orbem terrarum impietate Turcica: ad propagationem Ecclesiæ Christi: ad tuendam & muniendam disciplinam: ut homines ad pietatem & cæteras uirtutes assuefiant. Ac ne ingenium eius mihi inexploratū esse putetis: prudentissimorum hominū, qui eum familiarissimè norunt, & acutissimè de ingenijs iudicare possunt, exploraui sententias. Hi probant ingeniū, ac mirificè eius bonitatem laudant. Postremò si de ingenio coniectura facienda est ex natura maiorum (quia quædam similitudo propagari solet) meminimus quanta uis animi, prudentia, iusticia, fortitudo, continentia, in Maximiliano fuerit. In patre Philippo dexteritas, & industria singularis erat. Non dubito autem, quin maiorum naturam Carolus referat. Nec ætas est aspernanda, quæ iam matura est rebus gerendis. Nec enim quærēdus est senex Imperator, ut cū biduū aut triduū imperarit, postea de electione noui tumultus oriantur. Videtis in hoc nostro consensu, quàm uaria sint multorū Regum certamina de electione: quid futurū est aliquādo, ubi dissentient Electores? Vtinam quidē Electorum concordia perpetua sit: sed multa incidere possunt, præsertim in hac disciplina, ac morū corruptione, & glíscentibus Ecclesiasticis discordijs: quæ animos eorum disiungāt. Quare interregna plena periculorum futura sunt. Accedit & illud, quòd Carolus utetur consiliarijs aui: & leget in senatum Principes Germanicos, sine quorum consilio, nihil de maximis rebus decernet. Exposui causas, quare Carolum eligendū esse statuā: ac meo iudicio, ita multę ac graues causæ cōcurrunt, ut hanc electionē sperem Germaniæ ac toti Europæ salutarē fore. Quod aūt initiò disputabā, quantū foret incōmodi, si Imperator perpetuò abesset extra Germaniā, moueor equidē hac difficultate: sed de ea re in formula cōstituendi & regendi Imperij, cum Carolo agendū erit. Cumq; habeat amplissimos in Germania & in Belgico Principatus, tribuet hoc necessitati earū gentium, tribuet patriæ, ut sæpè in Germaniā ueniat. Non ad ociosa spectacula se accersi intelligit, cum ad Imperiū uocat: res magnæ ei gerēdæ erunt. Galli depellendi ex Italia: Turcæ arcendi ab Austria, liberādæ & uicinæ regiones: Ecclesia emendanda & cōstituenda. Harū maximarū rerum curā, ut suscipiat, ipsa eum Heroica natura & uirtus exuscitabit. Hæc nō sinet eum domi languescere ocio & uoluptatibus. Et facilis aditus est in Germaniā ex Italia, quæ ei multis de causis sæpe adeunda erit. Sicut Carolus Magnus, Othones, Henrici, crebro in Italiā uenerūt: aliàs, ut Ecclesiasticos tumultus sedarēt: aliàs, ut depellerent barbaros: aliàs, ut ciuitatum seditiones opprimerent. An existimatis eum nō uenturū esse, ut Austriæ, quæ uerè ei patria est, opem ferat? cum uel in Pannonijs, uel in ipsa Austria Turcicas legiones uagari audiet. Ille uerò magno animo accurret, ut & patriæ, & toti orbi Christiano, opē ferat. Quare de absentia cum cogito, qua mēte præditus sit, q̄ eum pericula exuscitatura sint, etiā minus sum solicitus. Fata etiā his temporibus promittunt Imperatorem, qui maiores,

magnitudine

magnitudine potentiæ, superaturus sit. Et addunt alteram laudem, multo gratiorem: futurum ut bonitate & clementia præter cæteros Reges excellat, nec alium nisi Carolum, uaticinor. Quare opto ut Deus Imperium ipsi cõmittat, eumq; gubernet, ad salutem orbis terrarum. Dixi, quæ in præsentia de electione colligere potui. Sed quia cõmunis est hæc deliberatio nostri amplissimi senatus, & uos pro uestra sapiẽtia, plura etiam de Republica cogitasse existimo: quæso, ut singuli suas sententias exponant, ut deinde eligamus eam, quam omnes collatis opinionibus maximè è Republica esse iudicabunt.

Hæc cum dixisset Moguntinus, & hortaretur cæteros, ut suo quisq; ordine exponeret suam deliberationem: congressi alij, ac pauca collocuti. Treuirum iubent dicere, qui pollebat ingenio, doctrina & usu rerum. Nam & Romæ in iudicijs & negotijs publicis diu uersatus fuerat. Et in Germania propter domesticam administrationem, & dexteritatem in publicis negotijs, uel Imperij, uel aliorum Principum, magnam prudentiæ laudem erat consecutus. Nec ulli ex nostris Principibus res Gallicę erant notiores. Is quia in priuatis congressibus aliquoties oppugnauerat Caroli electionem: uidebatur paratus ad dicendum uenire. Cæteri, ut liberius suam sententiam exponerẽt, initio audiendum eum esse censuerunt. Sic igitur exorsus est.

Audio in hac ipsa urbe, cùm patres uestri ad eligẽdum Maximilianum cõueniissent: adfuisse uatem, qui dixerit, ultimum Germanicorum Imperatorum fore Maximilianum. Cumq; initio fabulam, sine certo autore natam, existimarent: diligenter inquiri autorem iusserũt. Quem cum ad se uocassent, & ex moribus & sermonibus hominis, iudicarent non temerè eum has fatidicas uoces edere: ualde hoc uaticinium admirati sunt, multaq; de posteritate, muratione Germaniæ collocuti feruntur. Meminit hæc sine dubio dux Saxoniæ Fridericus, qui tunc una cum patre Ernesto adfuit. Propemodum autem respondet illi prædictioni, euentus. Audiui enim attentè eloquentissimum Principem Moguntinum, qui cum diligentissimè collegerit omnia, quæ nobis in hac deliberatione prospicienda sunt: tamen ad extremum hoc censet utilissimum esse orbi terrarum, ut peregrinum Imperatorem accersamus: id si fatale est, frustra repugnamus. Sed illud miror, cur ipse Hispanum anteferat Gallo: Qua in re primum mihi deploranda est Germaniæ conditio. Nihil nobis externis præsidijs, nihil peregrinis ducibus opus esset si maiorum suorum uirtutem nostrę ætatis Principes imitari uellent. Otium & seruitutem quærimus, dum externum Principem adducimus. An putatis, aut auos uestros, Albertum Marchionem, aut Fridericum Palatinum, aut Albertum Saxonem fuisse unquam externum Dominum adducturos? ipsi militabant, res gerebant. Nec unquam exercitus, pecunia, arma, nostris defuerunt, quandocunq; uel mediocres Duces habuerũt. Verùm omitto querelam. Si omnino peregrinus Imperator habendus est, causæ sunt plurimæ, quare Gallicus rex anteponendus sit omnibus. Ac priusquã dicam huius mei iudicij rationes, primum de lege & iureiurando disputabo, unde exorsus est Moguntinus. Opinor maiores nostros hac lege cauere uoluisse, ne Germania amitteret Imperij decus, eoq; peregrinos Reges eligi noluerunt, hoc est tales qui nõ haberent in Germania domicilium: ne externa natio paulatim usu caperet imperium. Hæc si est uoluntas legis, nihilo magis licebit Hispanum eligere, quam Gallum. Hispanicus rex longius à nobis abest. Et natio ipsa dominationis cupida & bellicosa, postea sibi Imperium extorqueri nõ sinet, ut postea iterum dicendum erit. Et si hoc satis est causæ, cur Carolum eligimus, quia tenet quasdam ditiones ad Imperium pertinentes? Valeat idem in Gallo, qui Mediolanum, & regnum Arelatense, ueterem nostrorum Imperatorem sedem, in potestate sua habet. Deniq; prorsus ita sentio, quod ad electionẽ attinet,

attinet, non minus accersi peregrinum Imperatorem electo Hispanico, quam Gallico rege: etiamsi aliqua subtili interpretatione iam inseritur Hispanus Germaniæ, eamq; totam deliberationem in utranq; partem disputari posse iudico: & penes nos declarationem legis esse sentio. Quærendum igitur est, utrum sit utilius. Ego cum cogito illam auream ætatem nostri Imperij, cum essent cõiunctæ Francorum temporibus, Germania & Gallia: Ac reputo quantum ea coniunctio ad tranquillitatem uniuersæ Europæ contulerit: mirabiliter afficior, nosq; beatos ducerem, si eum statum restituere possemus. Diuinitus aũt nunc oblata est occasio eius rei efficiendæ. Quare nihil dubito uos adhortari, omni studio, ut occasione utamini. Nec ab hoc meo iudicio discrepat Italia. Idem optare scio Romanum Pontificem, Venetos, Italiæ Principes, ac ciuitates omnes. Cum tot iudicia congruere uideatis hominum sapientissimorum, nolite existimare leues causas esse, cur idem tanto consensu probent, & omnibus uotis expetant omnes. Gallica gens ut est uerè cognata Germanis, ita opinionibus, ac moribus, liberalitate, clementia, pietate, literarum cultura, Germanis simillima est. Et quod constat una est exterarum nationum maximè amans nostrorum hominum: ut uestigia quædam cognationum in hac ipsa beneuolentia agnosci possint. Vicinia uerò quam est opportuna, ad defensionẽ utriusq; regionis, si quis subitus tumultus inciderit. Nec ad Italiæ pacem tuendã reperiri utilius consilium potest, coniunctione harum duarum gentium: quarum utraq; exercitus ingentes equitum ac peditum conficere, & Gallia suppeditare belli neruos: uidelicet ingentem uim pecuniæ potest. Et quia non solum Germaniæ, sed toti nomini Christiano, in hac electione consulere debemus, quærendum est præsidium aduersus Turcica arma. Cum enim teneant iam pacatã Asiam, nihil dubium est rursus in Europa bellum molituros esse. Inuadẽt Pannoniam, & Italiam. In tali discrimine, quid erit optatius, quàm Imperatorem habere instructum, copijs ac uiribus Germaniæ, & Galliæ? At contra, ut de ingenijs ac natura gentis Hispanicæ nihil dicam, quæ etiam si est bellicosa, tamen nõ tam uiribus pugnat, quàm arte. Itaq; nulla magna res ab eis in Italia sine auxilijs Germanicis gesta est. Sed cogitate, quam procul disita sit, certè in subitis tumultibus non poterit nobis, uel Italiæ, uel Pannoniæ, opitulari. Patria est Caroli Austria, ne hanc quidem Hispani tuebuntur: Et ut uolent, non poterunt. Non enim nisi exiguas copias domo mittunt, eiusq; rei causa est, quòd nauigationibus Hispania exhauriatur: nec cœli nostri grauitatem satis ferre possunt. Est & illud commodi, si cum Gallis militemus, uestro ductu omnia gerentur: uos in gloriæ societatem admittent Galli, etiamsi sunt glorioſi. At ubi cum Hispanis militabitis, illi uos tanquam mancipia regent: ipsi laboribus ac uictorijs uestris fruentur: præripient honores: præerunt prouincijs. Vos tum serò deplorabitis seruitutem uestram. Sed gentium collationem omitto, de ipsa Electione dicam. Tenet hoc tempore Gallus Mediolanũ, qui si erit Imperator, ne causa quidẽ belli in Italia futura est. Nam quod Gallus existimatur Neapolim petiturus, uestra eum autoritas facilè ad alias res utiliores auertet, si habebitis obligatum beneficio uestro. A' Belgis etiam abstinebit, si quiescant ipsi, ut facient certè, conterriti Germaniæ consensu, præsertim si non fuerint irritati. Nec ego uelim illos irritari. Vicinos enim habuimus Belgas longo tempore, non socios Imperij. Nostra edicta nihil morantur, nostris periculis nihil afficiuntur. Suum quoddam regnum ibi habent, nihilo magis cõiunctum cum Imperio, quã sunt Angli aut Scoti. Quare quod uerentur aliqui futurũ, ut Germania bello implicetur, si Belgæ nõ obtemperarent, qui Imperia nostra multis iam sæculis contemnunt, nihil periculi est, nullum sine uestro cõsilio bellũ Gallus mouebit. Et quia Insubriam tenet pacatam, & hoc tempore optimè instructus est omnibus

rebus

rebus ad bellū necessarijs: unam hanc laudē, unum hoc decus petit, ut à nostris ceruicibus depellat Turcas: ut Selymū ingentibus successibus elatum, ac minitantem Italiæ exitium, adoriatur omnibus uiribus. Quare nihil dubito pollicerī, electionem Galli allaturam esse Germaniæ tranquillitatem, Pannoniæ atq; Italiæ salutem. At contrà si elegerimus Hispanum, quàm atrox bellum accendetis in Italia, ad recuperandum Mediolanum. Etsi autem incerti sunt exitus bellorum: tamen ut tandem sit fortuna Imperij superior, diu trahet bellum Hispanus, ut solet assiduitate uincere, non Achillæo more properans, ut totis uiribus dimicet. Interea Italia uastabitur crudeliter. Nos occupati rebus Italicis, Turcam non poterimus arcere. Hæc pericula nescio cur extenuentur, quæ ad totum orbem terrarum pertinent, cum eregione tam diligenter colligantur & amplificentur pericula, quæ Galli electionem comitari uidentur: quæ tamē & leuiora & incerta sunt. Illud certum est, Italiæ horribilem uastitatem denunciari electione Hispani: futurum etiam, ut Turci interea opprimant Pannonias. Nihil dicā de exitu belli Italici, in quo si Gallus uincet, tum uerò appetet Neapolim, & fortasse Romæ coget Pontificem, ut nostram electionem improbet. Qualem tragœdiam ea res paritura esset? Sed uincat Imperij fortuna, quid accidet? Hispani tenent Italiam, nunquam nobis reddituri. Noui eam gentem, cupidam dominationis: Polypi sunt, quod semel prænenderunt, extorqueri sibi non sinunt. Et cum Italiæ possessione retinere Imperium haud dubiè uolent. Non diuino equidem, sed de rebus futuris coniecturas colligo probabiles: Nulla est tam ignaua natio, quæ si Italia potiretur, ultro cessura esset: Tantū abest, ut genus hominum bellicosum, gloriæ atq; Imperij auidum, cessurum nobis existimetis. Omnibus temporibus creuit hoc modo Regnum, & populorum potentia. Carthaginenses semel accersiti in Siciliam, postea multis sæculis depelli non potuerunt. Sed uetera omitto. Illi ipsi Turcæ, quos iam tantopere formidamus, postquam semel in Europam traiecerunt, accersiti à Constantinopolitano Imperatore: progredi, nō regredi, postea statim conati sunt. Ipsi Hispani infinitas ærumnas perferre maluerunt, quàm deserere Neapolim, quam accersiti specie societatis, & Italorum ope adiuti, redegerunt in suam potestatē. Ita nunc inuitati, adiuti à Germanis, potientur Mediolano. Quare censeo, non esse in Italiam adducendos Hispanos. De ipsorum Regum ingenijs pauca dicam. Etsi enim existimo indolem in Carolo ad iustitiam & bonitatem esse dignam isto genere. Et audio, modestum ingenium esse, tamen si quis existimet in adolescente conspici posse eas uirtutes, quæ in summo Principe orbis terrarum ac Duce præstantissimo requiruntur, errat. Opus est orbi terrarum primū tali Principe, qui sapientia & moderatione sua emendet Ecclesiam: Sapienter enim Moguntinus de religione, & de impendentibus Ecclesiæ tumultibus locutus est, quorum sparsa sunt semina. Scio autem regem Franciscum non modo singulari dexteritate ingenij, & prudentia in iudicando præditum esse: sed etiam de religione cum doctissimis hominibus multa solere disputare, multa ipsum legere, Et intelliget hanc esse summam laudem magni Principis, ut non desit rectè constituendæ Ecclesiæ. Deinde hæc tempora requirunt Ducem peritum, acrem, & fœlicem in armis. Hac in re non indolem in Francisco, sed spectatam iam industriam prædicare possumus. Nemo enim Regum Gallicorū, aliquot sæculis res gessit maiores: Et quidem exiguo tempore. Cumq; uulgò tribuatur Gallis quędam animi mollities, quòd inchoata negocia citò abijcere dicuntur, si initio non responderit eorum spei euentus: hic Rex constantiam suam in rebus gerendis declarauit, cumq; diuturnum & uarium bellum in Insubria gesserit, res tantas præcipuè suis consilijs gubernauit. Nec defuit ei fortuna: Nemo enim profligauit ulla memoria, inde usq; à Iulio, maiores aut firmiores,

miores Heluetiorum exercitus. In his negocijs, cum fortuna penè indulgens in eum fuerit, sperandũ est, & in posterũ eius consilijs Deum affuturũ in Imperij pace tuenda, & in defensione totius Reipublicę Christianę. Quid igitur asseremus adolescentem, cuius indoles nondum satis explorata est huic Regi? cuius sapiẽtia, uirtus, & fœlicitas, in toga & in armis cognita est. Postremò addam hoc unum argumentũ, quo etsi fatetur se moueri Moguntinus, tamẽ nos bene sperare iubet. Nullis uerbis dici potest, quantũ periculi sit Imperatorem abesse extra Germaniã, & ita abesse, ut non statim cum opus est, accurrere possit. Quid fiet, si uel Turcę subitò irruptionẽ fecerint in Germaniã, uel seditiones aliquæ orientur inter Principes? Vt in sæuis tempestatibus nauis sine gubernatore, ita Respublica sine Imperatore, tali tẽpore seruari nõ potest. Accedit aliud perpetuũ incõmodum: non aspiciet res Germanicas ex propinquo. Itaq; multa nescíet, multas falsas fabulas credet: leuius afficiẽt nostris rebus. Nullos habebit secum Principes Germaniæ, qui cum eo liberè de Repub. loqui possint. Sedebit circumfusus ab Hispanis, quorũ de multis rebus iudicia & uoluntates à Germanis discrepãt. Mittet edicta in Germaniã, nec causis, nec temporibus cõgruentia, quæ tranquillitatem perturbatura sunt. num hæc incõmoda leuia ducitis. Quid? si ipse etiam incensus artificijs aliquorum, ueniet iratus in Germaniam, & adducet Hispanos? qui ut Campaniam, ut Apuliam inter se partiti sunt, ita uestras ditiones, prædam suam esse arbitrant. Prouidendũ est aũt ne talis aliquis error Germaniæ uastitatem & huic imperio interitũ afferat. An illas maiorũ uestrorũ sedes uultis Hispanorũ colonias fieri? uestros posteros à summis ortos Heroibus, uenire in seruitutem? & aboleri ornamenta Reipublicæ, à uobis sapienter & sanctè instituta iura, iudicia, disciplinam? Hęc enim omnia in seruitute mutant. Sed de hac re plura dicere ominis causa nolo. Si igitur est habenda potentiæ ratio in electione, ut ego quoq; arbitror, & fatale est horum regum alterũ eligi, ego Gallum antefero: & nequaq; censeo Hispanũ eligendũ esse. Sed si lex impedit, ne Gallus accersatur, magis etiã impediat, ne Hispanus eligatur, cum eius electio, quantum prospici humanitus potest, minimè salutaris futura Germanię uideatur. Ac decurramus ad maiorũ nostrorũ exempla, & uerè, non callida interpretatione, legem seruemus. Ac uerè Germanicũ Principem, qui non aliud domiciliũ, nisi in Germania habet, qui origine, ingenio, lingua, moribus Germanus est, eligamus. Nec me usq; adeò mouet quod ait Moguntinus, leporem leonibus imperaturũ esse: magis illud uidendũ, ne ciconiã ranis, seu coruis uulturem, præficiamus. Potentia Germaniæ satis magna est, si quem eligemus, qui uirtute autoritatẽ sibi cõparare poterit. Accepit hoc Imperium & penè funditùs collapsum, Rodolphus mediocris Princeps, tantũ propter uirtutem electus: ac breui ita erexit, ut regibus uicinis omnibus formidabilis esset. Audio Ludouicum regem Franciæ proximũ, cum essent de Imperio Germanico sermones: & quidã Maximilianũ per iocum uocasset cõsulem Augustanum, significans eum paucis ciuitatibus imperare, duriter increpuisse illum, & respondisse: Imò uerò nequaq; Germanici Imperatoris potentia contemnenda est, cum ille Consul tympanum pulsat, tota Francia tremit. Honestè Ludouicus: Noluit enim in regum Maiestatem iocos, aut conuicia dici: Sed tamen illud etiam ostendit se Maximilianũ propter uirtutem, cuilibet potentissimorum regum parem ducere. Nec adeò uidetur extincta esse uirtus in familijs uestris, nemo ut reperiri possit, hoc fastigio dignus. Tres sunt familiæ, Bauarica, Saxonica, & Marchica, quę quadam mediocritate potentiæ autoritatem in Germania tueri possunt. Et sunt in his aliquot Principes, qui ingenijs & uirtute sustinere magnitud. nẽ huius administrationis queunt. Ex his si quem elegerimus, consentientibus suffragijs, eumq; nos defensuros esse ostendemus, ut

æquum est, omnes Principes & populi erunt in officio. Vt igitur habeat autoritatem, uirtute opus est: ut accedant uires formidabiles exteris omnibus, una re opus est, uidelicet Electorum consensu: quem inter nos quidem perpetuum spero futurũ esse. Nemo est enim inter nos, qui sibi potentiam aliquam quęrat: quem ambitio, aut ulla cupiditas incitatura uideatur aduersus cõmunem imperij tranquillitatẽ. Tali sapientia & grauitate præditos esse Electores, cum salutare est Reipublicæ, tum uerò ad omnem posteritatẽ Germaniæ glorioſum. Itaque mirificè delector recordatione huius ueſtræ uirtutis. Omittamus igitur Hiſpanũ, & uirtute cum exteris certemus. Non quæramus alios qui nobis imperent ociosis. Nihil enim indignius est natis Heroico genere, quàm inertia fugitantes laborem, alijs cõcedere Imperij gloriã, & seruitutẽ accersere. Quoties in Germania mediocres Principes cõtraxerunt Regios exercitus, & res præclaras gesserunt? fuit recens dux Saxoniæ, Albertus, qui suis sumptibus magna ex parte bellum in Belgico gesit. Quid? ante hunc quantos exercitus sæpe cõtraxit Marchio Albertus? Patri tuo, Friderice, duci Erneſto, bellũ denunciarat rex Pannonię Mathias: quantas copias, quantum robur ex uicinis regionibus subitõ cõtraxerunt, pater & patruus tuus? Itaq; ceſsit uobis Pannonius sine dimicatione, quod non feciſſet, si duorum fratrum ingenia & uires cõtempſiſſet. Quare nõ dubito posse iniri rationem electo Germanico Principe, ne ei uires, copię, arma desint ad tuendam autoritatẽ domi & apud exteros. Expoſui meę opinionis causas, non ut postulat magnitudo negotij: sed ut in præsentia potui, maximeq; cupio audire, quid iudicent cæteri Electores, qui diu Imperij cõsilijs interfuerunt. Qui Germaniæ statum & uires, qui omnium Principum ingenia & facultates norunt, qui Maximiliani consilia de rebus his meminerũt. Deniq; qui longum in administratione Imperij usum habent, quorum cum audiero orationes, de tota re diligentius disputare potero.

Cum dicere desijſſet Treuir, taciti aliquandiu sederunt Principes, tanq; defixis animis in cogitatione utriusq; orationis. Exaggerata enim magnitudine periculorũ in utraq; parte, quorundã animos nonnihil impulerat Treuir, ut ad illud decurrerent, ut omiſsis Regibus quærerẽt aliquem alium ex Germanicis Principibus. Sed hunc quærentes, animis magis etiã dubitabant. Iubent igitur tandem Fridericũ Saxoniæ ducem, natu maximũ, suam sententiam exponere: qui pauca præfatus de lege, dixit: Interpretationẽ Treuiri, subtiliorem esse quã qua uti ipsos deceat. Addiditq; nõ dubitandũ esse, quin lex impediat Galli electionem, planum & illud esse, Carolum uerè Germanicũ Principem esse: Et in Germania domicilĩũ habere. Et opus esse his turbulẽtis temporibus Principe, qui autoritatem uirtute & potentia tueri posit. Ideò se non dubitari, quin omnibus anteferendus sit Carolus Archidux Auſtriæ. Sed tamen prius conditiones quasdam ei ferendas esse, ut in tuto sit Germaniæ libertas, & ut pericula, de quibus disputatũ est, quantũ prouideri potest, caueant. Eadem sententia dicta est à cæteris Electoribus. Treuir cum uideret omniũ animos ad Carolum inclinare, agnoscere se, inquit, Germanię fatum, & impendentem Imperij mutationem. Quanquã igitur non desinit hortari, ut diligentius hæc res deliberaretur, tamen affirmat se publicæ cõcordię causa, suum suffragiũ cum illis cõiunctũ esse. Hac acerrima cõtentione eius diei in multã noctem producta, tandem ita discedũt, ut postridie cõueniant de cõditionibus deliberaturi, quas Caroli legatis propoſituri erant, qui Moguntiæ euentũ expectabãt. Fuit igitur de cõditionibus illis postea per aliquot dies non minus contentionis: quæ præscriptæ & Moguntiã ad Legatos missæ, cùm essent receptæ, dies cõstituitur, eundi in suffragium solenni more. Itaq; rursus sacro publicè facto, ingressi in sacrariũ interius templi diui Bartholomæi suffragia ferunt hoc ordine. Cœtus Electorum

reliquus

reliquus interrogat Moguntinū, quem eligat regem Romanorū & futurū Imperatorem: is respondet, se eligere Carolum Archiducem Austriæ. Deinde & Moguntinus reliquos interrogat. Hoc modo omnium consentientibus suffragijs Carolus electus est Imperator. Deinde suffragia relata sunt in literas, & cō firmata singulorū sigillis. Postea accersita Nobilitate ac multitudine uniuersa, publicè facta est renunciatio, tū in hāc sententiā habuit Moguntinus orationē.

Quòd fœlix, faustumq; sit Ecclesiæ Christianæ, Imperio nostro, & patriæ, renuncio uobis electū esse regem Romanorū, & designatū Imperatorem Carolum Archiducem Austriæ & Burgundiæ, regem Hispaniæ. Qua in re primum agendæ sunt Deo gratiæ, quòd summa concordia & consentientibus Electorum Principū suffragijs res tanta perfecta est. Sæpè enim antea cùm dissentientibus Electorū studijs & uoluntatibus diuersi eligerentur, orta sunt inter Germanos bella ciuilia, plena impij furoris & crudelitatis, in quibus domi mutua cæde flos Nobilitatis extinctus est. Absumptæ Imperij uires ac penè uniuersa Germania in solitudinē, uastitatemq; redacta est. Foris aūt nomen Imperij nostri contemni cœpit: Italia deficere, & alios reges accersere: Turcæ impunè grassari, dum nos impliciti domesticis bellis, reprimere eos non potuimus. Porrò quantū mali hoc tempore discordia Electorum paritura erat? Cum non solùm Germaniæ Principes, sed fortassis etiā exteri reges in media Germania de Imperij possessione dimicaturi fuissent. Nec leuiter tentata res est, ut cōsensus non ster dissolueretur. Quare ego quidē nō minus propter concordiā nostrā, quàm propter electionē ipsam, lætor: Deoq; gratias ago, qui mentes omnium ad concordiam retinendā flexit & gubernauit. Qua incolumi speramus huic nationi nō defuturū consiliū ad defendendā patriā & Imperij dignitatē. Etsi diuinitus potius, quàm humana prudentia perfectū est, ut uoluntates nostræ cōgruerēt, tamē hac in re etiam uestra uirtus ac sapientia Electores, maximā gloriā uobis apud exteros reges pariet: cōciliabit & beneuolentiā nostrorū Principum, qui uobis tantæ rei arbitrium solis cōmiserunt, ut Dominū ipsis, ut custodē publicæ salutis, ut Ecclesiæ, orbis terrarū propugnatorē elegeritis. Apud hos eo plus admirationis hæc uestra diligentia grauitasq; habet, quòd ipsi norunt quosdā nō modò uarijs artificijs, sed etiam propositis minis ac terroribus, cōscripto exercitu hoc ipsum conatos esse ut nostras mentes distraherent ac dissociarent. Vtinam nostrū exemplum & posteris prosit, qui quantis laudibus uestrā celebrabunt sapientiā, & uirtutem? quod cauistis ne discordia inter uos orta bellū æternū & exitiale patriæ excitaretur. Sed ut antè dixi, Deum agnoscamus autorem esse huius cōsensus: eumq; ardentibus uotis precemur, ut sit perpetuus. Deinde postq; electus est Carolus, nō dubitemus quin Dei consilio & uoluntate ad hoc tantum fastigiū euectus sit: Nam haud dubiè fato & uoluntate Dei Imperia dantur. Agamus igitur Deo gratias, quòd Principem nobis optimæ atq; amplissimæ spei dedit: ac petamus, ut auspicia Imperij sint fausta ac fœlicia, & ut Deus gubernet regis Caroli animū, consilia, actiones, ad gloriā Christi illustrandā, ad Ecclesiæ tranquillitatem constituendā, ad patriæ atq; Imperij pacem defendendā, ad religionis, legum, iustitiæ, disciplinæ, conseruationem. Hæc ingentia bona cogitemus uere esse cœlestia beneficia, quæ generi humano per bonos Principes Deus impertit. Quare à Deo pijs & assiduis precibus petenda. Quemadmodū ille, cum inquit de Deo: Qui dat salutem regibus: admonet ita esse fœlicia Imperia, si Deus det salutē, si gubernet atq; adiuuet eos, qui Respublicas administrant. Omnes igitur inuocate Deum & Dominū nostrum Iesum Christū, & hanc Psalmi uocem pio pectore ingeminate, quæ precationem pro rege cōtinet: Mittat tibi auxiliū de sancto, & de Sion tueatur te. Publico etiam nomine postulamus, ut Carolo regi Romanorū, & electo Impe-

ratorí,ac Domino ueſtro obediatís.Quod quidem uos pro fide, uirtute, ac ſapientia ueſtra,facturos eſſe,non dubitamus:præſertim cùm ille tanta modeſtia iudicium noſtrum ac ſuffragia expectauerit.Et quemadmodū nos in electione præſtitimus,ne qua inter nos diſcordia oriretur:ita uos propter publicā Imperij tranquillitatē imitamini noſtrum exemplū & cōmuni animo electo Imperatori obtemperate:quem iure ac legibus ſcitis iam eſſe noſtrum Dominū. Nam electio iure ac legibus facta eſt.Nullius noui exempli autores ſumus contra leges.Eſt aūt officium neceſſariū,& præſertim ſapiētibus ac magnis uiris dignū, iurí ac legibus obtemperare, parere Dominis,cauere omni ſtudio,ne cōtumacia diſſipentur Imperia.Ac tamen ut libentius huic Domino pareatis, eædem uos rationes hortentur,quę animos noſtros in Electione mouerūt.Etenim nō ſolùm nihil cōtra leges fecimus,ſed etiam quantū proſpici à nobis potuit,Deo gubernante noſtras mentes in deſignando Principe,cōmuni ſaluti orbis terrarum cōſulere conati ſumus.Quare,ut ſancitū eſt,Germanicū Principē, & quidem in familia Imperatoria natum elegimus quem indole ad uirtutem egregia præditū eſſe cognouimus.Eminent aūt in eo duæ uirtutes,quæ in ſummo Principe maximè neceſſarię,ſalubres,& gratæ ſunt,uidelicet,amor religionis,& bonitas eximia.Quarū altera eum ad fugiendas libidines,ad uitandas temerarias mutationes,in Eccleſia & Repub.ad fidem ſeruandā conſtantiamq; in promiſſis,ad defenſionē religionis & Imperij,exuſcitat.Vtraq; uerò prohibet ſæuitiā, crudelitatē,iniuſtam cupiditatē uindictæ.Etſi enim iudicauimus opus eſſe potente Principe,qui autoritatem etiā uiribus tueri poſſet:tamē prius ingenium, & mores cōſideranimus.Potentia enim nō ſalutaris,ſed pernitioſa eſſet orbi,ſi ingenium leue aut malū eſſet.Eſt aūt ea iam ætas penè,quæ fuit Alexandri Magni capeſcentis Imperiū:in qua uires corporis propemodū maturuerūt & ingenij uigor,induſtria,ſagacitas,& mores ſe proferūt,ut iudicari, qualis ſit natura poſsit.Itaq; cum ſciremus,regem Carolum ſuo iudicio multa honeſtè & grauiter reſpondere,& nō ſolùm nō hebetem,ſed etiā ſingulari induſtria & diligentia in obeundis negocijs,aut prouidendis,aut iudicandis,præditū eſſe:& cæteras uirtutes habere,bono & magno Principe dignas,ſtatueremusq; tali præditum natura,opes & potentiā ſuam collocaturū eſſe,non ad nocendū, ſed ad ſalutem humani generis:potius duximus tantis inſtructū uiribus eligendū eſſe, quàm alium his neceſſarijs præſidijs deſtitutum.Hoc conſilio cenſuimus boni Principis potentiā autoritate armandā eſſe.Et quoniā nos nō tantum Germaniæ,ſed uniuerſo orbi terrarū conſulere debemus,uires cōparandæ ſunt,aduerſus ualentiſsimos hoſtes,nō modo Germaniæ,ſed totius Chriſtiani nominis. Tantis incrementis,& tam ſubitis,annos iam fermè centū auctæ ſunt res Turcarum,ut nemini dubium eſſe poſsit,eos Imperium orbis terrarū ſibi polliceri, nō modo propter uirium magnitudinem, ſed multo magis propter inuſitatos atq; admirabiles ſucceſſus.Et ut omittamus priora,Selymus nuper non minorí uirtute, quàm fœlicitate Perſas,antea inuictos,ingēti prælio ſuperauit, & ex Armenia eiecit.Deinde duobus ampliſsimis regnis Syria & Aegypto potitus eſt.Et in oriente Imperij Turcici limitē eum cōſtituit,qui quondā Romani Imperij fuerat.Ac tantā gloriā cōſecutus eſt,ut maiores ſuos nō ſolùm regni amplitudine,ſed etiam fœlicitate ſuperare uideatur.Nam & pater & auus Machometes,cùm quidem dux eſſet unus omniū eius ætatis acerrimus,& fœliciſsimi cum tentaſſent Syriam,acceptis magnis detrimentis inde ſunt repulſi. At Selymus,uelut in eodem curſu,profligato Perſico exercitu,Syriam atq; Aegyptum nō ſine acerrima dimicatione in poteſtatē ſuam redegit.Hunc,cum natura gloriæ & immenſę cupidus ſit,nō acceſsio uiriū,non magnitudo ſucceſſuū incitaret ad res maiores ſuſcipiendas? Ille uerò iam claſsicum cecinit,& exercitus in

Pannoniam

Pannoniam misit. Videmus aũt fato quodã hoc tempore duas bellicosissimas nationes cõiunctas esse, Germanicã & Hispanicã: Ac tenet Carolus magnam Italiæ partem. Itaq; si omniũ gentium consilijs dux aduersus Turcas legandus esset, haud dubiè omniũ uotis expeteretur, & omniũ suffragijs designaretur Imperator Carolus. Quare & uos & pleraſq; alias gentes, quæ cum Imperio nostro societate, aut fœderibus cõiunctæ sunt, speramus iudicium nostrũ summo studio probaturos esse: præsertim cum omnes norint Carolũ singulari moderatione naturæ præditum esse, maximeq; à superbia, læuitia, cupiditate iniustæ dominationis, abhorrere. Esset enim formidanda liberis tanta potentia, essent metuendæ Imperij & orbis terrarum graues mutationes, nisi naturæ bonitate & timore Dei potentiam moderaturus uideretur: Quod ut speremus, grauissimis argumentis adducimur. Indoles enim ipsius penitus nobis perspecta est, cognouimusq; eum habere infixã animo mirificã reuerentiã erga religionem, fidem pactorũ cõstantissimè præstare, & à crudelitate quàm maximè abhorrere. Sunt aũt omnium reliquarũ uirtutum nutrices, religio, ueritas, & mansuetudo. Deinde familiæ natura mouemur, quæ Imperiũ iam annos plus octoginta ita tenuit, ut nondum pœnitere nos Austriacorũ Principum debeat: Inprimis enim enituit in utroq; auo & proauo, eximia moderatio & lenitas: quæ quidem in Maximiliano Cæsare non poterat segnities uideri. Nemo enim erat illo in armis acrior. Quoties armis dimicauit ipse? Quoties paruis copijs, ingentes fudit exercitus? Nunquã fortunæ succumbebat eius animus. Rursus in uictoria, in toga mitissimus erat. Et quod singularis erat prudentię, præcipuo studio cauebat ne iracundia incitatus, præberet occasionẽ mutationibus Ecclesię aut Imperij. Ab hoc prognatũ Carolum, referre auitã moderationẽ animaduertimus: & ea esse grauitate præditũ scimus, ut intuens in maiorũ exempla nõ sit cõmissurus, ut ab illis degenerasse dicatur: ut alienos mores, indignos maioribus, accersiuisse, ut primus laudatissimæ familiæ notã superbiæ, & crudelitatis inusisse feratur. Meminit etiã aui præcepta, de timore Dei, de cura tuendæ religionis, de clementia: quæ ut decet, uelut oracula obseruat. Quanquam quid opus est longa oratione. Iam specimen industriæ & uirtutũ aliarũ dedit in Hispania. Auo eius materno extincto, magni motus in regno, & ciuiles discordię erant exortæ. Has aduentu suo repressit: cumq; eius nationis ingenia bellicosissima sint, & exteros dominos nõ facilè patiantur, tamẽ ipse non tam armis, quàm uirtutis, ac præcipuè bonitatis admiratione, totam Hispaniã nunc ita retinet in officio, ut nemo regum unquã tam pacatã tenuerit. Quare quantũ humanitus prouideri potuit, elegimus Imperatorem, in quo cum uirtute potentia cõiuncta est, ut eius uires præsidio essent religioni, Imperio, & uniuerso nomini Christiano. Proinde uos auspicijs Imperij ipsius læta & fausta precamini: eiq; libenter obedite, ut decet Principes & populos amãtes publicæ tranquillitatis. Postremò cum ingentem luctũ & mœrorem, interitus Maximiliani attulerit, decet uos uim fati æquiore animo ferre: postquã nepos, quem ille charissimum habuit, & nobis aliquando cõmendauit, ipsi successit, ut nõ omnino extinctus uideri possit. Deinde ipsius manibus hoc officiũ tribuite, ut maiori studio nepoti pareatis, & consilijs uestris & copijs, suscipientẽ grauissimã Imperij molem, summa cõcordia adiuuetis. Quod eò etiam uobis faciendũ est maiore cura ut Imperij possessionem retineatis, quam sine concordia tueri nequaquã possumus. Cogitate aũt quantum decus sit, unam hanc nationem delectã esse, quæ nõ tantum suos fines defenderet, sed custos esset etiam cęterarũ gentium: & pro cõmuni salute Christiani nominis præcipuã stationem teneret. Hoc decus magna uirtute partum à maioribus, & annos ferè iam octingentos in hac natione cõseruatum, sapientia & cõcordia Principũ: nolite nunc per discordiã

amittere, eaq; in re cum ueſtræ gloriæ & tranquillitati, tum uerò ſaluti orbis terrarum conſulite. Idq; officium Principes & eos qui præſunt Reipublicæ, maximè debere Deo ſtatuite, ut cõmuni ſaluti omnibus uiribus conſulant. Hæc renuncianti, populus cum plauſu acclamabat. Nihil enim omnibus ordinibus erat optatius, quàm eiudi expectationẽ Gallorũ, qui Imperiũ ſibi deſponderãt. Itaq; audito Caroli nomine, omnes una uoce & cõſenſu electionem approbãbant. Agunt gratias Deo Opt. Max. primũ quod metus Ciuiliũ bellorũ ſublatus erat cõſenſu ſuffragiorũ: Deinde, quod omnes iudicabãt diuinitùs orbi terrarum ſalutarem Principem datum eſſe. Omnes iam tum ominabantur huius Caroli uirtutẽ & fœlicitatẽ præſidio futurã toti Europæ: omnes uota faciebãt, ut auſpicia eſſent fauſta & fœlicia. Secundũ hæc, Legati ipſius Caroli Moguntia euocantur: qui magno honore excepti, atq; in comitium introducti, certius ex ipſis Electoribus cognoſcunt: Diui Maximiliani nepotẽ, cuius ipſi Legatos agebãt: cunctis ſuffragijs ritè electũ & renunciatũ eſſe Romanorũ Imperatorẽ. Deinde adhibiti in cõſilium ab ijſdem Principibus cõſuluntur de gubernanda Imperij adminiſtratione, donec rebus in Hiſpania conſtitutis, Carolus in Germaniam ueniret. Nam ipſo procul abſente efficiendũ erat, ut Germania tranquilla eſſet, neue Gallicæ factiones, motus in Germania excitarent. Delectus eſt igitur Caſimirus Marchio Brandeburgenſis, qui legiones certis in locis collocatas haberet in præſidijs, & duceret exercitũ, ſi qua belli gerendi neceſsitas incideret. Adiuncti ſunt Electores certi, quorũ cõſilio uteretur. His rebus conſtitutis, legati dimittuntur: quos diſcedentes proſecuti ſunt Principes electores uſq; Moguntiã. Inde Francofordiam reuerſi, ſuos & ipſi Legatos cum literis ad Carolũ mittunt: cuius legationis, Fridericus Palatinus Rheni, principem locum obtinebat. Interea electionis nuncij magnis, diurnis, nocturnisq; itineribus in Hiſpaniam cõtendunt, è quibus unus eximia celeritate cæteros anteuertens, nono die Barcinũ (uulgò Barſellonã uocant) peruenit, ex eo quo Francofordia profectus eſt: cumq; lætum, exoptatumq; nunciũ illuc attuliſſet, à rege, quem in cubiculo mane adhuc quieſcentẽ inuenit: magno auri pondere donatus eſt. Nec Fridericus Palatinus longam in itinere moram fecit. Nam prid. Calend. Decembris eodem peruenit, cumq; ad urbem accederet Barſellonam, rex cognito eius aduentu, ad tria fermè milliaria obuiã ei proceſsit. Legatis benignè & comiter exceptis, inq; oppidũ introductis, literæ Regi ab Electoribus ſcriptæ redduntur. In literis primum inerat cõmemoratio beneuolentiæ Principum erga Carolum, & officij. Cum aũt Imperia fato regantur, narrabãt diuinitùs hanc electionem gubernatã eſſe, ut ſuffragiorũ concordiã, & uniuerſæ Germaniæ uota cõſentientia oſtenderent, etſi ipſi etiã iudicio ſuo de familia, deq; ipſius uirtute, neminem putarint ipſi anteferendũ fuiſſe. Huic orationi grauiter ſcriptæ, adiecta erat petitio, ut Imperium ſine recuſatione acciperet, & conſtitutis rebus in Hiſpania, maturet iter in Germaniã Carolus, acceptis & lectis literis, cum exiſtimaret ſe quaſi diuina uoce, tanto cõſenſu totius patriæ uocari, etſi uidebat quanta rerum moles ſibi imponebatur: tamen & Deo obtemperandum, & patriã non deſtituendã eſſe cenſebat. Reſpondit autem Legatis per Mercurinũ Oratorem: Huic enim ſumma laus eloquentiæ tribuebatur. Vſus eſt igitur Mercurinus luculenta Oratione, atq; huiuſmodi uerba fecit. Iurè lætatur rex Carolus, cùm beneuolentia, tum uerò etiam grauiſsimo iudicio ſummi Senatus, Germaniæ Principũ, qui tam dubio tempore, Imperij gubernationem ipſi uni, tùtò cõmendari cenſuerũt. Quid enim aut gratius ei accidere poteſt? quàm quod ab uniuerſa patria ſe uerè amari intelligit, aut honorificẽtius? quàm quod ſapientiſsimi Principes tantã ipſi uirtutem tribuunt, & quaſi diuinantes, eam ſpem de ipſius fide & fœlicitate cõceperunt, neminẽ ut ad hoc Imperij

perij fastigium, quam ipsum, euehere maluerint. Vicissim igitur & patriæ pietatem, & cognatis principibus beneuolentiã perpetuã pollicetur. Deliberantem aũt de Imperio accipiendo diuersæ curæ diu exercuerũt. Etsi enim magni animi est, nõ deterreri mole rerũ, & magnitudine periculorũ, quæ uidentur impendere intuenti nunc Italiã quæ à Gallis tenetur, nunc Turcas denunciantes bellũ Pannonijs, tamen cum uerè sit diuina res gubernatio, nec nisi aspirante Deo, fœlix esse possit, contanter & religiosè Imperia accipienda sunt. Hæc etiã Hispania, etsi uires suas, quæ nõ sunt exiguæ, ad societatẽ rerum gerendarũ offert, tamẽ ipsum regem domi, uelut in specula regni, assiduum esse mallet. Sed eregionè durum uidebatur, patriæ opem ab ipso imploranti deesse. Mouit etiã animũ gentilium decus, atq; honestũ esse iudicat, aui & proaui exempla sequi. Et cum auus collapsas res rursus erexerit, cumq; huic familiæ potitæ hoc fastigio, tantæ accesserint opes, arbitratur diuinitùs hanc familiã ad Imperij defensionem uocari. Postremò etiã principum Electorũ uotis & iudicio permouetur, ut rem omniũ difficillimã, Imperij gubernationẽ, suscipere minus recuset. Tam multæ graues causæ cum cõcurrerent: cumq; diuinitùs se uocari ad Imperium, patriæ cõsensu, statueret: tandem, quòd fœlix faustumq; sit, Imperiũ accipere rex Carolus decreuit: & hanc uoluntatẽ suam dux Friderice à te exponi Electoribus, & perferri in totam Germaniã postulat. Principio uerò quod Regum sapientissimus Salomon unum optabat, id ipse quoq; optat, cùm humana sapientia non sit par tantæ gubernationi, ut Deus pectus & consilia ipsius in toga, & in armis regat, ac perficiat, ut Ecclesiæ & toti generi humano, hæc ipsius gubernatio salutaris sit. Meminit rex Carolus, ex hac ipsa Hispania duos Principes ad Imperiũ uocatos esse, Traianũ & Theodosium: quorũ alter optimus appellatus est: alter non solùm bonitate & armis Traiano par fuit, sed etiã hac laude excelluit, quòd uerè Deum coluit: ac perfecit, ut Euangelium latius propagaretur, & cõcordiam Ecclesiæ, piè, diremptis dissidijs, cõstituit. Hi duo Principes ex Hispania euocati, cum fuerint salutares orbi terrarũ, lætatur omine. Horũ exemplà sibi proponet, & annumerari laudatissimis Imperatoribus uolet. Summa uirtus maiorũ fuit in utraq; familia, Austriaca & Hispanica: Horum similitudo in regis Caroli natura & indole iam præclarè lucet. Comitatur aũt fœlicitas cum cęteras uirtutes, tum uerò præcipuè pietatẽ erga Deum, quę in rege Carolo eminet. Quare spes est eius gubernationẽ faustã, fœlicẽ & salutarem fore orbi terrarũ, & ut sit, omnes boni toto pectore uota facere debent. Tu uerò dux Friderice ito, & Principibus Electoribus gratias agito, quorũ cognouit eximiã erga se beneuolentiã esse, ac uoluntates eorum cõfirmato, & Imperatorem Carolũ petere dicito, ut ipsi tanq; custodes publicæ pacis, sua fide, cõcordia, uirtute, Germaniæ tranquillitatẽ tueantur, donec Imperator in Germaniã ueniet, qui quidem aduentũ maturare quamprimũ decreuit. Hæc cum Mercurinus dixisset, tota curia lætitiæ plena, regi Carolo & Imperatori omnia fausta precabatur. Postea scriptæ sunt literæ ad Electores, in quibus rex se Imperium accepisse profitetur, & de cõstituendo statu Imperij, nihil sine consilio Electorũ, facturũ esse profitetur. Cõmemorat sibi beneuolentiã ipsorũ iucundissimam esse: & uoluntates eorũ cõfirmat. Postremò pollicetur etiam breui se in Germaniã uenturũ esse. Vt igitur solicitis Electoribus quamprimum uoluntas Caroli Imperatoris significaretur, Fridericus Palatinus amplissimis muneribus ornatus, statim dimissus est. Cæsar autem initio ueris ex Hispania soluẽs, traiecit in Angliã, ubi à rege Henrico VIII. nõ solùm comiter, pro ipsorũ necessitudine & hospitij iure, sed etiã splendidissimo apparatu, exceptus est. Cumq; fœdera inter duos reges cõfirmata essent, Anglus pollicitus est, se Caroli coronationi interfuturum esse, honoris ipsius causa. Post paucos dies inde uenit in

Belgicum, ubi magna frequẽtia omnium ordinum, fauſtis eum ominibus excepit. Gratulantur reditum eo maiore uenerationẽ: quia iam uirum cernebant Principem, qui in Hiſpaniam ante annos aliquot admodum adoleſcens profectus fuerat. Optant læta & fœlicia Imperij auſpicia. Commoratur autẽ rex Carolus aliquãtiſper in Belgico, tum ut ciuitatum ſuarum ſtatum cognoſcat: tum ut Angli aduentum expectet. Sed hunc facilè rex Franciſcus perpulit, ne Carolum comitaretur, ac ſibi Anglum nouis pactionibus adiunxit, quæ deinde magnas rerum conuerſiones attulerunt. Tandem igitur Aquiſgranum uenit rex Carolus, florem ſecum Burgundicæ & Belgicæ nobilitatis ducens. Et quanq; in oppido & uicinia graſſabatur lues peſtilens, tamẽ ne noui exempli autor eſſet, mutare locum coronationis noluit. Aduenienti obuiam proceſſerunt Electores, & ferè omnes reliqui Germaniæ principes. Aderat & cœtus ſacerdotũ, Caroli Magni monimenta gerens. Poſtero die, qui fuit dies duodecimus menſis Octobris: coronatus eſt in æde maiori Aquiſgrani, ueteri ritu. Moguntinus & Colonienſis indutum trabea ad aram adduxerunt. Dux Palatinus orbis figuram præferebat: Dux Saxoniæ enſem, Marchio Brandenburgenſis ſceptrũ. Treuirenſis uerò, more à maioribus accepto, regem unxit. Hic ad aram iuſiurandum prælectum eſt. Deinde corona à Moguntino & Colonienſi impoſita. Poſtea tradita, ſceptrũ & enſis. His cæremonijs peractis, regium cõuiuium apparatur: in quo Electorum diſtributa ſunt miniſteria. Aſtat Moguntinus codicillos & ſigillum manu geſtans: Marchio Brandeburgẽſis ſceptrum, regis Bohemici legatus, Pincernæ munere fungitur, Palatinus, Dapiferi. Interim in foro dux Saxoniæ auenam equitibus diſtribuit. Aſſatur & taurus integer, refertus altilibus omnis generis, unde primum coronato regi Romanorum apponitur ferculum. Poſt coronationem Cæſar cum principibus Coloniam uenit, ut de futuro conuentu colloquerentur, in quo de ueteri more poſt coronationem lex de pace communi renouatur, & de ſumma Reipublicæ deliberatur. Decretum eſt igitur, ut ad Calendas Ianuarias indiceretur cõuentus Vuormatiæ. His actis, & Carolus in Belgicum rediit, & cæteri principes in ſuas ditiones diſceſſerunt.

HERMANNI COMITIS NEVENARII, PRAEPOSITI ECCLESIAE COLONIENSIS EPIGRAMMA IN defectionem ſolis & Electionem Caroli regis Romanorum.

Delituit nuper cœli ſub uertice Phœbus,
Occuluitq; ſuum Dælius ipſe iubar.
Emerſit ſubitò diuinum Cæſaris aſtrum,
Cumq; nouo rediit Cæſare Phœbus ouans.
Ergo hoc iam conſtat, quo pacto regnet uterq;,
Phœbus apud ſuperos, Cæſar in orbe regit.

Eiuſdem Epigramma in Cæſarem & Atlantem.

Magnus Atlas humeris geſtare putatur Olympum,
Quamuis Herculea ſit releuatus ope.
Magnus item Cæſar terrarum ſuſtinet orbem
Solus, & ex alto pectore cuncta gerit.
Fortior eſt igitur robuſto Cæſar Atlante,
Ille capit ſocium, rennuit iſte parem.

Eiuſdem ad Carolum rẽgem Romanorum diſtichon.

Dent ſuperi ſanum te uincere Neſtoris annos
Carole, iam nequeunt hi dare plura tibi.

CORO-

CORONATIO CAROLI V. CAESARIS AVG. APVD AQVISGRANVM, PER HARTMANNVM MAVRVM HERMANni Archiepiscopi Colonienſis Conſiliarium, qui ei coronationi interfuit, deſcripta.

SERENISSIMO, ILLVSTRISS. Q. PRINCIPI, ATQVE DOMINO, D. FERDINANDO, HISPANIARVM Principi, Archiducí Auſtriæ, Ducí Burgundiæ, &c. Cæſ. Maieſt. per Germaniam ſupremo Vicario, gratioſiſs. D. ſuo Hartmannus Maurus, legum Profeſſor, offert immobilem fidem, uoluntariam q; ſeruitutem.

SERENISS. atq; illuſtriſs. Princeps, gratioſiſſime Domine, aliquanto ante fauſtiſſimam coronationem inuictiſſimi Hiſpaniarum regis Catholici, fratris Serenitatis tuæ amantiſſimi, in Romanorum regem Principum Electorum conſiliarij uocatu Regiæ Maieſt. cum generoſo atq; præſtrenuo uiro Florentio de Yſelſtein, Comite de Egmunda, Regio tunc magiſtro equitum (Aquiſgranum ad apparandum cuncta, ne qua res Cæſarem moraretur) præmiſſo, de cærimonijs tantæ celebritatis ritè exequendis, aliquandiu ſimul commentati, ob in medium exhibitas diuerſas ſchædas olim ab imperitis annotatas, non parum difficultatis atq; moleſtiæ, antequam in unam ſententiam conuenirent, habuêre. Quapropter uiſum eſt Domino Laurentio operæ precium fore, tanti ſacri ritus (quos non niſi ordine tractari conueniret) aliquando ſimpliciter, atq; uerè literis ſigillatim quemadmodum oculis ſubiecti fuerunt, commendare: ut ea re, tum populi ab eo, in quo hactenus uerſati errore, liberentur: tum poſt futurorum quoq; quieti) præſciſis tam ineptis altercationibus) conſuleretur. Tametſi uerò iuſſu eiuſdem hanc tam magnificam feſtiuitatem utcunq; iam pridem tumultuario profecto ſtudio, uerbiſq; planè caſtrenſibus obiter, aliáq; iuxtà agendo conſarcinaſſem: imbecillitatis tamen meæ conſcientia deterritus, conſtitui primum has meas qualeſcunq; ineptias ſic comprimere, ut nunquam emanarent. Sed cum interim multi multa de his rebus temerè ſcribere, rerumq; ex confeſſo falſarum admixtu, hanc tam illuſtrem atq; ſplendidam dignationem commaculare non erubuere. Nec gentes, quibus aquilæ acerbitati, nomenq; Germanum ſempiterno odio diuinis illis honoribus ſuo more malignè interim detrahere ueritæ ſunt, non potui me ulterius continere, quin has meas pertenues lucubratiunculas (pro perenni paruitatis meæ erga Cæſaream Maieſt. deuotiſſima fide) rurſus deſcriptas, tuæ Serenitati, ob hoc potiſſimum, quod eo tempore, quo regales honores impendebantur, Serenitas tua Bruxellis ſubſiſtens, fraternæq; ut opinor Maieſtati cedens, aut ne uno loco orbis ſalus periclitaretur, fraternos honores coram (quod unicum tantum maximè lætitiæ, exoptatiſſimæq; congratulationi deſuit) ſpectare non potuit, humillimè offerrem. Vellem nihil magis, quàm quod dignæ lectu forent. Sed cur hoc haud ſatis cogitata ratione uotis expoſco? cum non debeam animo præſumere propter meam impolitam ſcriptionem tanto fulgori, unde manantibus radijs terræ mariaq; illuſtrantur, quicquam lucis atq; ſplẽdoris acceſſurum, cum eius generis res ſint, quæ proprio ſuo rutilante iubare abſq; ſubminiſtratis collectitijs igniculis ſatis exſplendeſcant, & ſine orationis phaleris atq; pigmentis, eo ipſo quod nudæ ſolum ueritatis reſpectus habitus ſatis dignè quæ legantur. Proinde ſtudij mei certiſſimũ iudiciũ tuæ Serenitati, quàm ingeniolum probari malim. Foueor tamẽ bona ſpe, hunc meum laborem dupliciter tuæ Serenitati acceptum fore: cum quòd cõiunctiſſimi fratris diuinos honores, quibus eadem Serenitas tua ob effuſiſſimam fraternam beneuolentiã non ſecus quàm proprijs delectatur, quaſi ob oculos præſcriptos (ubi per aliarum rerum occupationes licuerit) legere poterit: tum quod tuæ quoq; Serenitati perbreui (ſi modo cõmunita omniũ penè mortaliũ uota fœlices (de quo non ambigo procurſus habuerint) uſui aliqua ex parte eſſe poterunt. Sed ut finem faciam optime Princeps, ſi hunc ſucciſiuum laborem meum læto, ſereno q; uultu benignè ſuſceperis, neq; officioſam ſedulitatem meam penitus improbaueris, & laborum præmium me abunde cepiſſe putabo & maiora pro gloria tuæ Serenitatis omnibus ingenij, corporiſq; neruulis multo alacrius conabor. Hilarem te atq; fœlicẽ optime Princeps (ut ille olim Traianum iuſtiſſimum Cæſarem) & priuatim & publicè opto.

DE CORONATIONE CAROLI V. IMP. PER HARTMANNVM MAVRVM CONS. ARCHIEPISCOPI Colonienſis.

POMPAM proximæ Coronationis qua haud ſcio, an noſtra ætas magnificẽtiorem unquam uidebit, ideo rudi, caſtrenſiq; latinitate ſcribere ſtatui, ne de tam celebri feſtiuitate apud ſucceſſiuam poſteritatem, inepta aliqua diſceptatio, quemadmodum in præſentia ob diuerſiſsimas adnotationes tempore coronationis diui Maximiliani factas, uſuuenit, ſuboriatur. Accedit quod non deſunt, qui ea ipſa, quæ proximè omnium penè mortalium oculis ſubiecta fuere, alio longè modo atq; geſta ſunt, in publicum temerè incogitataq; ratione edere non erubuere, permulta quæ non contigere referendo. Verùm non tantũ mihi ſumo, ut non arbitrer, perplures hanc tam ſplẽdidam relatu materiam, pro illuſtriſsima ſua dignitate inquiſitius, expolitiusq; literis mandare, æternitatiq; conſecrare poſſe. Sed quia omnibus penè pręhabitis conſultationibus à reuerendiſsimo Domino Archiepiſcopo Colonienſi, uocatu Cęſaris Aquiſgranum pręmiſſus cum alijs principum electorum conſiliarijs allatis antiquis monumentis interfui: propterea citra arrogantiam (ut opinor) polliceri poſſum, rem me totam ex fide ſimpliciter ut geſta eſt, ueriſsimè traditurũ, enixurumq;, ne quicquam à me prætermiſſum uideatur. Illis aũt qui forte me operã non ſatis utiliter collocaſſe putant, hoc tantũ reſpondeo: Aequiſsimũ mihi uideri, dare nos diadematibus Imperatorũ, penes quos infinitus cuncta gubernandi labor conſiſtit, ueniã, ſi modò laureis hæderarijs, gramineisq; tantopere celebratis coronis eandem impetrare uoluerimus.

Quanquam deſtinaſſet Imperator poſt fœliciſsimum in Belgas aduentum die 8. Michaẽlis coronari, Principesq; ut præſtò adeſſent, ſeq; ad præſtitutam diem Aquiſgrani ſiſterent, per epiſtolas hortatus eſſet, ob urgentes tamẽ (quæ inciderunt) cauſas, res primo in ſextam diem menſis Octobris alijs literis dilata, quibus licet Imperator certam quoq; ſpem faceret, pręſcripta die ſeſe omnino Aquiſgranum uenturum, peteretq;, quò omnia maturius peragerentur, ut quiſq; Electorum cõſiliarium commentandi cauſa de cæremonijs coronationis ex more perficiendis ad generoſum & perſtrenuum uirum Florentium de Iſelſteyn, Comitem de Egmunda, regium magiſtrum equitum Aquiſgranum præmitteret, ne rebus inapparatis Regia Maieſt. in loco peſtilentiæ obnoxio, longiorem moram trahere cogeretur. Increbreſcente autem interim deſæuientis in Aquiſgrano peſtis rumore, auctoq; (ut fit) in maius, Archiepiſcopus Moguntinus, Comes Palatinus Rheni, & dux Saxoniæ, regis aduentum in Colonia Agrippina præſtolantes, miſsis continuò literis, magnis precibus petiere, ut Imperator ob tam probatam, euidẽtemq; cauſam, tam ſui quam principum reſpectu habito, alium coronationis locum indiceret. Cum autem parum more antequam Principibus reſpõderetur, interceſsiſſet, ciuesq; Aquiſgranenſis. Coloniã ad principes oratum miſsi, impenſiſsimis precibus nihil profeciſſent, ſtatuerũt principes electores cõmuni conſilio, miſſa ſolenni legatione prius petita inſtantius flagitare. Nobis autem in itinere exiſtentibus, ad priores literas Regia Maieſt. reſcripſit, quod ad cauſam tantæ neceſsitatis deſideratis principum annueret, atq; Nicolaũ Ziegler Vicecancellariũ poſt factum ad eos cum mandatis deſtinaret. Sed legatio principum electorum actarum rerum ignara, cœptum

Literæ triũ Electorum ad Regem.

Legati electorum ad Regem.

Nicolaus Ziegler.

cæptum iter continuauit, quæsitoq; frustra rege in oppido Hoy apud Eburones, ditionis Episcopi Leodiensis, cuius ibidem munitissima arx uisitur, in sequenti die Louanij Regiam Maiest. conuenimus: Postridieq; bene mane potestas dicẽdi quid petitũ uenerimus facta cõsilio introducti, mandata quibus accepimus uerbis peregimus, locutusq; est D. Sebastianus de Rothenhan eques Germanus, Iurisq; professor, lingua Alemana in hanc fermè sententiam.

Oratio nomi ne electorũ habita per D. Sebastianum de Rothenhan.

Principes quidem Electores ad regia beneplacita semper paratissimos fore, sed uereri, ne dum studeant obsequi suę Maiest. & Regem & se in manifestum, periculosumq; ignem conijciant, indies magis magisq; pestẽ digrassari. Ideoq; ob eam qua Regiæ Maiest. astringeretur fidem atq; deuotionem Principes cõsulere, rogitareq;, ne se temerè cum principibus tanto periculo cõmitteret, sed etiam suæ Maiest. unde totius orbis, quàm principum electorum saluti consuleret. Comes Vuilhelmus de Nuenar & nos, qui à Domino Archiepiscopo Colonienſi, missi eramus, licet eadem ex animo postulassemus, tamen præter ea petitum, oratumq; nos destinatos diximus, ut uidelicet Regia Maiest. in hac si qua uisa loci commutatione rationem iuris atq; eximiæ prærogatiuæ de nõ commutando, neq; nouando quicquam ex his, quæ ad coronationẽ, locumq; eius spectant, principe nostro insçio, habere dignaretur: euestigioq; exhibuimus ubertimas archetypas nobiscum allatas diui Ruperti Romanorum regis Coloniæ coronati literas, quæ documẽto essent inter aliàs inclitæ Ecclesiæ Colonienſis, hanc quoq; prærogatiuam competere, ut Colonienſis Archiepiscopus quocunq; loco suæ prouinciæ suo arbitratu coronationi locum præfinire posset. Dominus Florentius quoq; (uir, ut omnibus uirtutibus, ita humanitatis quoq; laudibus instructissimus) ubi resciuit, quamobrem legati principum amandati essent aduocatione ciuium suscepta, ne qui suo incitatu supra uires pro expediendis hospitijs, comparandisq; edulijs impendia fecere irrecuperabiliter damnificarentur, ne ue apparatus per eum summo labore, ut tantæ multitudini pateret receptus irritarentur, citatis equis postridie quam Aquisgranũ egressus, festinato itinere regem Louanij assecutus, aliquanto ante aduentum legatorum Regiæ Maiest. omni ratione affirmauit, pestem non tam uehementem esse, neq; tam latè desęuire, sicut supra fidem ueri disseminatum esset. Ea igitur admonitione, etiam quia à regibus Romanis (ut uulgò persuasum) qua li pro dono urbi Aquisgranensi olim Gallicanarum prouinciarũ capiti assignata sedes Regia & ab hac gente uelut hæreditaria semper obtenta, effectum est ut mox ubi hæc comperta, in diuersum demutata sententia legatis Principum haud diu dilata consultatione ad hunc modum responderetur per D. Georgiũ Lamperter Iurisperitum, à cuius ore uelut beato quodã eloquentię fonte ideoma Germanicum manabat, Imperatoriam Maiest. antiqui moris respectum habere, constanter decreuisse, mentiq; fedare, nullibi, nisi in antiqua Carolorum sede, regni diadema assumere: non cõsultum esse, ob leuem momentaneamq; causam ritum coronandi priscum aduersum præscripta bullæ aureæ Caroli nouari. Et quia Maiest. suę compertum, morbi uim non tam latè uagari, sicut falsò rumore ad principum aures delatum, ideò ob expertam principum erga suam Maiest. beneuolentiam, se non dubitare, quin principes electores eo conuenirent, quo Maiest. suam tendere uiderint. Et quia aureæ bullæ mentio facta, addam hic non intempestiuè unum, ut opinor nõ uulgò cognitum. Quanquam Carolus Quartus Imperator bulla aurea statuerit, regũ Romanorũ designationes Franckfordiæ apud Moganũ celebrari debere, idem tamẽ Carolus, aureæ bullæ conditor, ea quæ de Electionis loco statuta contraria sanctione ad prætextum, quod tantam electionem loco restringi perabsurdum fore, anno à natiuitate Domini M. CCC. LXIII. palàm rescidit, summa (ut meũ est iudiciũ) ratione.

Eximia prærogatiua Ecclesiæ Colonienſis.

Rupertus rex Coloniæ coronatus.

D. Georgius Lamperter.

Locus Electionis.

Non

Non enim è Maiest. tanti Imperij est, ut Principes semper circum Rheni margines hæreant immobiles, fieriq; potest, ut Imperator cum Electoribus procul in hostili solo degat adeò dissito, ut intra præfinita bullæ tempora nullo pacto Franckfordiam attingere possint ad eligendum, si Imperator fortè occumbat, aut in fata concedat. Hæc non scribo, quod putem temerè maiorũ morem mutandum. Magni enim Prouinciales faciunt: teste Iurisconsulto, seruari ipsis antiquas consuetudines: sed quod nõ sit Principibus necessitas imposita, solùm Franckfordiæ electionem celebrare: non me tamen latet olim extra Romanũ agrum, qui Italia terminabatur, non potuisse dici dictatorem. Vix audeo asserere, quòd hæc reuocatio omnes Principum Consiliarios, alijs maioribusq; rebus intentos latuerit. Sed de his satis. Licet Legati hæc responsa referre iussi, tamẽ absq; mora generosus Dominus Maximilianus de Siebenbergen, magnæ ob integrè administratam tumultuantem Sueuiam autoritatis Coloniam ad Principes responsum operientes missus, qui hortando monendoq; nunc singulos, nunc uniuersos tandem effecit, ut Principes se in potestate Regis futuros esse dicerent, morem uoluntati Regis gesturos, imperataq; obedienter facturos, sequuturosq; quocunq; rex uoluerit, etiam Aquisgranum: magis profectò dissimulato quam spreto periculo rati hanc solicitudinem nõ plus tridui futuram. Solus dux Saxoniæ Fridericus: cui inclyta gloria integritatis nihil unquam charius: ob aduersam ualetudinem Coloniæ manere cogebatur. Die igitur qua conuenerat XXI. Octob. Coloniæ Moguntinus atq; Treuirensis Archiepiscopi, Legatus Marchionis Ioachimus Aquisgranũ ingressi, ciues inter spem metumq; dubios (plures enim hebdomadæ interceserant, cum res parũ certa uidebatur) maximoperè exhilararũt. Statim atq; Principes equis descendissent, Marescalci siue Magistri equitum singulorum Principum in hospitio Marchionis Casimiri conuenerunt, consultaturi, præsente domino Florentio de Yselstein, cæterisq; regijs Consiliarijs, quo ordine proxima luce agmina Principum ingrederentur: ne ob contentionem antelationis aliquis tumultus atq; dissentio aboriretur. Et licet diuersitas antiquatũ annotationum difficultatem peperisset, omniũ tamen una atq; inuariabilis sententia fuit, atq; ita conuenit, ut Principum Electorum agmina iunctim & ex ordine absq; aliorũ admixtu, per debita interualla ingrederentur.

Maximilianus de Siebenbergen.

Fridericus dux Saxoniæ officij cupidior, quàm pecuniæ.

Marchio Casimirus.

Cœna peracta, primarij regis Consiliarij, Principes, uiri amplis. honoribus usi, inter quos erat Episcopus Leodiensis Princeps fidei, pietatis immobilis erga Cæsarem, Dominus Florentius, Dominus de Siebenbergen, accesserũt Archiepiscopum Colonien sem coronatorem, deq; ratione coronationis communicarunt. Inter alia autem disceptabatur, an die sancti Seuerini, quæ instabant coronatio ritè expleri possit, ex quo is dies apud incolas non foret celebris. Præsul Leodiensis, in cuius diœcesi Aquisgranum cõsistit: asserebat, omnis dubitationis præscindendæ causa sese iussurũ proclamari, ut pro celebri uel in foro feriaretur. Complacitumq; omnibus, ut is dies festus haberetur. Nec hoc cuiquam absurdum uideri debet, tametsi enim Episcoporum consecrationes ex more solum diebus Dominicis fiant: hoc tamen in unctione regum (quæ nihil significat, quàm quod datam cœlitùs potentiam leniter placideq; eos exercere cõueniat) haud opus fuit seruare, hoc potissimum tempore, & in tanto contagionis metu atq; trepidatione nihil minus expediebat, ubi etiam ex diligenti temporum supputatione liquidò cõstat, neq; Fridericũ Cæsarem, neq; qui eum præcessit Sigismundum, die Dominica fuisse coronatos.

Episcopus Leodiensis.

Postera die Principes electores præter Archiepiscopum Colonien sem, qui alijs rebus intentus in hospitio mansit, ascenderunt domum Senatoriam inferiorem, habitaq; consultatione de singulis, ulterius ascenderunt ad uidendum

ordinem

ordinem menſarũ: reliquumq; apparatum, deferebãturq; ante eos dum aſcenderent deſcenderentq; publicè ex iure Regaliũ uaginis exempti enſes: nondũ enim ſuprema poteſtas aduenerat.

Prandio facto, omnis ętas ſexusq; ultra Italicum miliare ſeſe ad ſpectandum effudit, Principesq; cum armatis agminibus Cæſari obuiã prodierunt: & cum haud longè proceſsiſſent, apparuit Regia Maieſtas cum ornatiſsimo equitum peditumq; exercitu, quæ cum peruenillet ad locum æditiorem, ad inſtruendũ explicandumq; ordines militum, atq; componẽdum agmina, oportunum ad hoc à Domino Florentio Mareſcalco præmeditatum (per uiam quippe quam regiam incolæ nominant difficilis in urbem aditus patebat, aliquandiu Regia Maieſt. ſubſtitit è conſpectu in loco eleuatiore interiacente patente atq; equitabili campo, Principum Germanorum agmina ſimiliter expectabant, donec Marchio Caſimirus, & D. Florentius ordines diſponerent, agminaq; explicarent. Cum aũt Regia Maieſt. ſeſe mouere cœpiſſet, atq; iam in conſpectu Principum electorũ eſſet, ſinguli Principes aſſumptis XII Comitibus cęteriſq; ſubſiſtere iuſsis, Regiæ Maieſt. obuiam properarũt, deſilientesq; de equis ſinguli cum quatuor cõſiliarijs Regiã Maieſt. equo etiã deſcẽdere nitentẽ, permanere coẽgerũt. Dein reuerẽdiſsimè honorificentiſsimèq; per Archiepiſcopum Moguntinũ exceperũt, qui in hunc fermè modũ lingua Teutonica uerba fecit. Illuſtriſsimè, inuictiſsimèq; Rex, gratioſiſsimè Domine, fratres mei Principes electores, etiã Legati illuſtriũ Principum ducis Saxoniæ, Marchionisq; Brandenburgenſis fratrũ meorũ, & ego, uenimus uocatu ueſtræ Maieſtatis eidem obuiam. Quantum aũt nos omnes de fauſto fœliciq; aduentu ueſtræ Maieſtatis in ſacrum Romanum Imperium & Germanicã nationem gauiſi ſumus, haud dubiè ueſtra Maieſtas partim à noſtris perſonis, partim ab ambaſiatoribus noſtris gratioſè ſufficienterq; didicit. Nunc uerò magis exhilaramur, eo quòd datur ueſtræ Maieſtatis optatiſsimã deſideratiſsimamq; perſonam uidere, colloquiq;. Cum eadem paratiſsimi ergo adſumus, ad ingrediendũ cum ueſtra Maieſtate urbem Aquiſgranũ, operã ſtudiumq; nauare ad explendũ laudabiliſsimum ueſtræ Maieſt. propoſitũ, exequendumq; munus coronationis. Deniq; ad agendũ, pertractandum, cõficiendumq; omnia, Deo adiutore, quæ ad eam rem aliquo modo pertineant, atq; requirantur, nos ſtatusq; noſtros ueſtræ Maieſtatis, ut Domino noſtro gratioſiſsimo obſequentiſsimè commendantes.

Oratio electorum ad Regem.

Dominus Cardinalis Salisburgẽſis, homo pro anxia ſua diligentia atq; uirtute dignus, quòd tam fidis eum fortuna uberibus aluerit, iuſſu Regiæ Maieſtatis hortatus, Principes reaſcendere equos, nomine Regis Principes reſalutauit: eorumq; beneuolentię gratias agens, dixitq; Regiæ Maieſtati, ob perſpectam erga ſe Principum amicitiam, gratulationem eorum probatiſsimam eſſe: nec minorem uoluptatem de amiciſsimorum Principum ſuorũ conſpectu cepiſſe poſt mutuam ſalutationem. Continuato familiari colloquio, extrahebãt tempus in Palatini aduentũ, qui eadem die, abſq; eo quòd deſcendiſſet equos, ciuitatem pertranſiẽs, Regi ante portas obuiam uenit, qui ſimiliter Regem excepit, & rurſum equum aſcendit. Dumq; hæc agebantur, parum erat ultra horam ſecundã poſt meridiẽ: ſic, quòd niſi inepta altercatio atq; cõcertatio, inter Legatum ducis Saxoniæ, Principem de Anholt, & ducem Iuliacẽſem, uter eorum præequitaret, incidiſſet, potuiſſet ornatiſsimus ſplendidiſsimusq; exercitus Regius (ad quem uiſendũ, die opus fuiſſet) ſumma luce, die ſereniſsima lucidiſsimaq; ciuitatẽ ingredi, quòd magnopere Regia Maieſt. cupere uidebat, eo quòd pridie quã ingrederetur, in arce quadã non ultra ſeſquimiliare diſsita, pernoctauerat. Dux etenim Iuliacenſis, quia propè quadringentos equites inſtructiſsimos in cãpis habebat, nõ tã aurata atq; diſcolori ueſte, q̃ ferro atq; ętate fulgentes,

Cardinalis Salisburgenſis.

fulgentes,non ſuſtinuit ſuos inter Germanos equites nullis ſecundos, nouiſſimo loco ordinari. Saxones uerò ad antiquũ morem,repertasq; ſchædulas,quę eis ſuffragabantur,prouocantes obfirmatè urgebant,aſſerentes, ſe quidẽ permiſſuros,ut Iuliacen̄.cum uigintiquatuor modò equitibus,in fidei publicæ eo loci ex iure præfecturę dandæ,ſiue ſalui cõductus atq; cõmeatus ſignum,præcederent,quẽadmodũ retroactis temporibus omni ratione affirmabant factũ, iniurioſq; eſſe Iuliacenſes,ſi ultra hoc pergerent,Principi eorũ Archimarſcalco Imperij (cui ſtatibus,in campis Imperij,& expeditione exiſtentibus,competeret prærogatiua præcedendi,ordinesq; inſtruendi) contra irrefragabilem,uetuſtiſsimumq; morem,petita denegare. Nec potuit hæc pertinax pluſculis uerbis habita cõtentio,quæ rem interturbauit,diu ſedari. Multa igitur deſuper collocuti,hanc unam uiam (ut materia tumultus ſubduceretur) tandem inuenere,quòd dux Iuliacenſis cum ſuis copijs,eueſtigiò ciuitatem abſq; eo,quòd hoſpitia ſubintrarent,ante omnes pertranſiret.

Diſceptatio ob antelationem.

Itaq; poſt innumeros penè,qui uarijs armis,ueſtitu atq; moribus, partim armati,equis inſidebant,partim uerò ueſtibus holoſericis induti, mulis inhærebant,uenit Marchio Ioannes Brandenburgẽſis: Ille,qui Reginam uxorem duxit Arrogoniæ,in ueſte aurea,cum aliquot equitibus leuiter armatis. Circum eum currebant ſex expeditiſsimi pedites,ſerico diuerſi colore induti. Poſt Marchionem uenit D. Ioannes Ausburger,cum XXX equitibus uexilliferis, clipeatis,geſtantibus oblongos pileos.

Marchio Ioannes Brandenburgẽſis.

Pedites.

Sequebantur inde tria millia delectiſsimorũ peditum,ornati Germanicis ſecuribus,haſtis atq; bombardis,qui pagatim diſtributi: non longè ab Aquiſgrano uenientem ex Eburonibus Cæſarem aliquandiu expectauere: habebant ſigna militaria,ſi memini ſeptem,magna pars probè thoracibus armata fuit. Hi in quadrato agmine cõſiſtentes,primo in campo,dum exercitus cliuum ad urbem ducentem deſcenderet. Deinde ciuitatem ſeptem & ſeptem pertranſeuntes,cum ad medium forum peruentum fuiſſet,ſimul quaſi ſigno dato,adeò formidabilem ſonitum,terrificaq; tonitrua ſuis bombardis fecere, ut etiam inhorreſcerent,qui ſpectarent ex tuto,& abſq; mora,ſine eo,quòd dilaberentur, aut uſquam ſubſiſterent,ciuitatẽ recta egrediebantur. Intrarunt poſtea Senatores ciuitatis,& qui in Magiſterijs municipalibus cõſtituti,cum albis bacillis comitiua quadraginta equorũ,hi ex uſurpato more,Regiam Maieſtatẽ,ubi ad fines eorum peruenìſſet,ſumma cum obſeruantia deuotiſsimeq; exceperũt. Reges quoq; Romanorum coronandi, decretum electionis Magiſtratui oſtendunt, antequam patiuntur,regem electum in ſolium regale ſublimari. Ideò cum tam Pontificis iuſſu,quàm Principum electorum unanimi conſenſu, Vuentzelaus Imperator: ob ſocordiam atq; nequitiam,ſcripta ſententia,quam uidi atq; legi, depoſitus,& in eius uiuentis locum Rupertus, Comes Palatinus ſuffectus fuiſſet,in ſedem tamen regiam eum collocari nequaquam permiſere: prætexentes præſtitam fidelitatem,pœnam tamen contumaciæ, paulo poſt multo ære mulctatos luiſſe,non ignoro. Sed redeo ad deſcribendum ordinem equeſtriũ agminum,ſicut ante fuit cõuentum,ſequebatur dux Iuliacenſis,cum quadringentis propè equitibus,grauis,fortisq; armaturæ,decorisq; armis, conſpicuis continentibus ſignis: duo habebant uexilla, quorum unum altero minus, nigri coloris ueſtitus,inſtar omnes fermè,quemadmodum conuentum fuit,urbi exceſſerunt,perpaucis ad hoſpitia contra depacta diuertentibus. Saxones uerò quærebantur aduerſum habitam collocutionem actum, & aliquandiu ſubſequi abnuerunt, ſicq; redintegrata altercatio (ob antelationis ineptam contentionem) rem in ſerum protraxit,multorumq; oculos gratiſsimo,iucundiſſimoq; ſpectaculo orbauit.

Decretum electionis.

Vuentzelaus depoſitus.

Iuliacenſis.

Tandem

Tandem post longum interuallum, equites sexaginta ducis Saxoniæ nigro uestiti, sagittarij insigniter gemmis ornati subsequuti sunt. *Saxones.*

Exigua intercapedine (præeuntibus duobus cum tibia atq; tympano quibus Germaniæ pedites utuntur) sequebantur copiæ Domini Palatini, equites haud pauciores septingentis, in nigris uestibus cum tubis & ferreis tympanis, horum perpauci sagittarij, reliqui omnes hastati: & inter eos multi cataphracti, hoc est, undequaq; perarmati fuere. Equitibus enim equisq; tegmenta, aut ex laminis chalibeis serie inter se cõnexis: aut ex præduro corio depicto, siue auro sericoue obducta fuere: galeæ quoq; atq; capitũ gestamina, gemmis, margaritisq; distincta adornataq;, multum splendoris attulerũt. Licet autem hastæ eorum fuere breuiatæ habiles, necq; tantæ longitudinis, quantæ illæ sunt, quibus inferiores Germani utuntur, nec reliqua armatura tam grauis fuerit, iucundissimum tamen de se spectaculum præbuerunt. Præter fratres Germanos, ferunt Dominum Palatinum plures alios Principes, Comites atq; illustres, in sua comitiua habuisse. Deinde quadraginta equites sagittarij, qui in ministerio Episcopi Brandenburgensis legati Marchionis Ioachimi, erant induti uestibus, sagisq; diuersi coloribus: hos comitabantur C xxx. equites Archiepiscopi Moguntini pari armatura, leui uidelicet, atq; sagittarij rubeis uestibus induti. *Moguntinensis.*

Post equites Archiepiscopi Treuerensis ducenti, in nigris uestibus hastati, probè expediteq; armati, cum uno æneatore. *Treuerensis.*

Post Treueros immediatè ante Regios satrapas, equitatus Archiepiscopi Colonien sis proximo loco intrauit, cum tibicinũ cantu, inter quingẽtos equites hastatos: grauis armaturæ nonaginta, tres cataphracti fuere apparatissimæ armaturæ. Viri enim atq; equi insigniter ornati iuxtà splendebant, honoratioremq; locum ob hoc obtinuisse crediderim, quòd Episcopus Colonien sis coronator legitimus sit, & Aquisgranũ in sua prouincia situm. Treuiros uerò autumo Moguntinensium concessu, eo quod instructiores fuere, proximum ante Colonienses locum obtinuisse. *Colonienſis.*

Post agmina Electorum incedebant Regij aulici ditissimi, purpuratorũ maximæ amplitudinis, uiri preciosissimis uestibus induti, insignesq; excellentissimo cultu. Tam abundanti enim auro, gemmis atque purpura usi, ut (licet iam præceps in noctem diei tempus erat) tamen in dubia luce enitebant, cultusq; eorum regalem planè opulentiam præ se ferebat, nulla profectò ab eis impensarum ratio habita. Fuere enim maiores Satrapæ curiæ, atq; magistri curiæ interiores cubicularij, præsides, rectoresq; prouinciarum, ductores turmarum, & illi, qui aurei uelleris dignatione honorati, Hispaniæ, Germaniæ, Burgundiæq; Principes. Et quia regiorum equitum penè duo millia fuere, ideò non uno, sed diuersis agminibus turmatim ingrediebantur, illatis per interualla decẽ uexillis, singula digesto numero equitum subsequẽte. Horum equitũ pars sub Henrico comite de Nassau militabat, pars ductu Marchionis de Schiueren regebatur, alij D. de Rabenstein: item D. de Fenis, suberant nonnulli quoq; D. de Emmeri, militabant nobiles adolescentes, qui in Regia educant, Regijs equis gradarijs insidebant: omniumq; penè gentium uestitũ, habitumq; repræsentarũt, horum respectum Regius magister stabuli habuit. Dominus insuper de Roy, magnus magister curiæ turmam ductabat ornatissimam. Nec Hispani pro exi mia sua in Regem charitate atq; obseruantia quicquam, quòd ad magnificentiam pertinet, omisere. Sed maximo cultu, paratuq; rerũ Regi affuere, Nobiles adolescentes post Principes suos ualidas, prælongasq; hastas auratas, argentoq; exornatas ferebant, horum equi tegmina (unde plura aurea, argenteaq; tyntinabula propendebant) è solido auro habuere. Aliquorum equi nedum instrati auro, uerum auro aurum subductum radiabat, atque squalebat. *Henricus Cõmes de Nassau.* *Hispani.*

Itaq;

Itaq; haud credo ornatiorem apparatum, proximis sæculis oculis mortaliũm subiectum fuisse unquam.

Penè in medio Regiarum turmarum XII tubicines, ad ferrea tympana alacrem sonitum fecere.

Proxima his quoq; turba Monachorum, atq; cucullatorũ, tam incerta mendicitate, quàm alio modo uiuentium.

A' tergo Monachorum aliqui maiores purpurati Regis, genere, famaq; longè clarissimi, prævalentibus equis uehebantur undequaq; tam rutilantibus armis, quàm auro argentoq; perspicui.

Deinde duodecim alij æneatores Regij, tubis grauius horridiusq; insonere taratantara. Sequebãtur eos tres uiri regia Aquila, triumphalibusq; insignibus ornati, qui equis insidentes, missilia uariorum numismatũ non mediocris summæ ex more in plebem, quo clero, principibusq; pateret facilior transitus, continuò sparserunt. Proximi ibant Canonici, ante quos processit, arte fabricata Caroli Magni effigies, miræ prodigiosæq; magnitudinis, gestãs in manibus templum. Portabaturq; à Canonicis in ferculis propitiatorijs caput diui Caroli Magni, & quædam aliæ reliquiæ, circum caput discurrentes uigiles ciuitatis, æneis cornibus satis rudem inconditumq; sonitum fecere. Vigilum quoq; unus Regio equo, qui ipsis ex ueteri consuetudine cessit, insidens præcessit. Mos est antiquitus introductus, quòd ubi regia Maiest. peruenerit ad portam exteriorem, quæ hoc tempore fuit diui Iacobi, quòd equo descendat: atq; sanctam crucem, à Canonicis regem expectantibus illuc delatam reuerendissimè exosculetur: factaq; reuerentia diui Caroli capiti, dimisso equo priore, in alium subinde transiliat, ciuitatemq; ingrediatur.

Sparsa missilia.

Tam Canonicos procedentes, quàm Principes, atq; Regem cingebant undiq; regij Satellites atq; stipatores, turbamq; submouerunt: hi sunt ducenti numero, quorum præsidio salus Cæsaris custoditur: quorum centum, perpaucis demptis, Germani superiores, cum securibus Germanicis, pedibus Regiam Maiest. sequuntur: Reliqui uerò Regis populares, Flandri, Burgundiones, atq; Hannonienses, dum rex in expeditione fuerit, hastati equis regem comitãtur. Dumq; Cæsarem in aliqua celebri urbe morari contigerit, ornati tunicis argenteis, auro distinctis atq; in modum loricæ contextis, utuntur, grauibus gestis Gallicis, quæ dum rex in itinere est cum sarcinis uehuntur. Simul tamen distributis noctium uicibus, proximi foribus ante ædes, in quibus Cæsar acquiescit, excubias agunt. Præterhos Regiæ quoq; Maiestati, cum equum ascendit descenditq;, XII expeditissimi, uelocissimiq; Hispani cursores præstò sunt. Reliquias delatas Herholdi cum insignibus Imperij, regnorumq; Hispaniæ sequebãtur. Hoc hominum genus, olim cum uirtuti maior locus esset, unde ipsis lingua Germanica nomen inditum constat, uitiaq; liberiore palàm censura, absq; personarum respectu coargui, detestariq; poterant, maiore in precio apud Germanos atq; Gallos fuit, quemadmodum Pius Papa (cui res Germanorũ, plusquam Nationi fortè utile, exploratæ fuere) in quadam epistola testatur.

Herholdi.

Pio Pontifici Germania plusquã Nationi utile cognita.

Maior natu, sceptrũ regnorũ Hispaniæ ante regem præferebat Herholdos, amplissimos. Principes Germaniæ, atq; Galliæ duces, atq; Marchiones sequebantur.

Principes deinde Electores hoc ordine regem præcessere: Comes Palatinus dextro, Legatus Marchionis siniſtro latere, medium Archiepiscopum Treuerensem accepere.

Cæsar armis: uestibusq; nobilis uarietatis indutus.

Loco Domini ducis Friderici Saxoniæ, qui excusationem aduersæ ualetudinis Coloniæ, mansit nullo mediante, Vdalricus Pappenheim, minor Marescalcus Rom. Imperij, exertum euaginatumq; gladium ante Regiam Maiest. uibrabat. Tandem illuxit rerum certa salus, terrarũ gloria Cęsarea Maiest. equo nobilissimo,

nobiliſsimo, flexibiliſsimoq́ insidens, quem auro, argentoq́ distincta arma, desuperq́ fulgentisima, argentea uestis maximopere honestabant. Caput regium tectum erat birreto argenteo, plumula exornato, gaudiumq́, quantum dinosci poterat, præ se moderatum ferebat.

Parum post, neq́ ita longo interuallo, & quasi iuxta regem adequitarunt, latere dextro Archiepiscopus Coloniẽsis, siniſteriore uerò Moguntinus Archiepiscopus. Quod cum adhuc fixum sit in recentiſs. memoria: demiror quod nonnulli contra ea, quæ ab omnibus uisa fuere, publicè scribere non dubitauerunt. Sequebatur regem Legatus regis Bohemiæ. Sed neq́ nuncius Apostolicus, neq́ legatus regis Angliæ pompæ adesse sustinuere, ne ordinarentur post principes Electores, rati per hoc principum suorum dignitati derogari.

Colonienſis regi à dextro latere.

Nũcius Apostolicus.

Subsequi tamen non fastidierunt, Cardinalis Sedunensis, uir acerrimæ prudentiæ, inq́ excitandis ad alacritatem animis fœliciſsimæ facundiæ, Cardinalis insuper Salisburgensis, & Cardinalis de Croy, Archiepiscopus Toletanus, qui post tempore conuentus Vuormacensis in præuiridibus annis, in magna animi & corporis ægritudine uita excesit, unde non secus quàm par erat, D. Marchio de Artzot grauiter motus atq́ affectus fuit. Regem quoq́ de subita morte nepotis D. Marchionis mœstum fuisse, permolesteq́ tulisse inde apparet, quòd funeri magnifico apparatu exquisitiſsimis honoribus, cum maximo luctu, planctu, atq́ lamentatione, pompaq́ elato cum Principibus adfuit.

Cardinalis Sedunenſis. Cardinalis de Croy, Vuormatiæ obijt.

Deinde perplures alij honoratiſsimi uiri, qui Legationis nomine Regum, Ducum, Marchionum, communitatum Regiam Maiestatem comitabantur: item tam ueteres Maximiliani, quàm Regiæ Maiestatis Consiliarij, & qui à secretis erant.

Nouiſsimè claudebatur totus exercitus instructiſsimis Satellitibus, atq́ stipendiarijs equitibus regis, consimili modo armatis, uestitisq́, uidelicet rubeo colore, albo, flauoq́ distincto, sicut priores Regij equites fuerant: numerusq́ uniuersorum instructiſs. equitum quatuor milia & amplius.

Cum iam se intendentibus tenebris, ad porticum diuæ Virginis uentum, rex equo, quo introiuit, descendisset, Comes de Riffersheit, tanquam Archimarescalcus Archiepiscopatus Colonienſis Regium equum pro suo iure ex usurpata consuetudine sibi uendicauit, multisq́ stabularijs (præsertim regijs) pertinaciter renitentibus tandem traduxit. Oborta uerò ob hoc inter eundem, & D. de Schuuartzberg, qui eundem sibi ob ius præfecturæ (cuius hypothecam habet) deberi affirmabat, alia quædam concertatio, in Coloniam reiecta fuit: ibidem de hac controuerſia actum quidem, non autem (quantum ego scio) excussum.

Regiam deinde Maiest. eo loci, quo oportuit Colonienſis, atq́ Moguntinus Archiepiscopi templo introduxere. Licet autem aliquæ antiquæ annotationes documento sint, id iuris Abbati sancti Cornelij aliquando competijsse, eoq́ tunc usum, cum Sigismundus coronabatur: Moguntinus tamẽ Archiepiscopus pernegauit hoc, præsentibus Archiepiscopis, Principibus Electoribus, locum habere. Ante fores ædium sacrarũ stant duæ structiles quadratæ columnæ, uni uulgus impositam æneam lupam arbitratur: mihi ex effigie magis uel ursa, uel leæna uidebatur: quæ suscepto in pectore latiſsimo uulnere, nihilo secius pro catulis, siue ulsulis inde tamen ablatis, moribunda depugnare uidetur. Volunt incolæ loci designari, non secus Imperatorem, subditorum suorum curam gerere debere.

Duæ columnæ ante templum.

In altera cernitur quasi Pyramidalis, siue orbicularis ænea figura acuminata, & in uarias, quasi linguas dissecta: ea contendunt Imperatorem mundi Dominum, cunctis gentibus imperitare debere significari: fides utriusq́ rei penes au-

tores sit. Nullum enim uestigium alicuius certæ antiquitatis, quamuis percuriosè inquirerem, inuestigare potui. Et ideò ea, quæ incomperta, uulgaria q; traditione dicuntur, uera, an falsa sint, non laboro.

In media templi area, rex sub pensili corona paululum super tapetis, atque stragulis prostratus iacuit, donec per Archiepiscopum Coloniēsem certæ preces dicerentur: deinde stabat erectus, donec absolueretur canticum gaudij: Te Deum laudamus. Post genu utroq; nixus ante aram diuæ uirginis, toto orbe celeberrimam, humiliter, deuotissimeq; Deum orauit, oblatoq; dono secessit in Sacrarium, remotisq; arbitris, cum solis Principibus Electoribus semi horæ spacio, quædam secretiora pertractauit: Principibusq; priuilegia sua, ex more, ut autumo confirmauit, ratificauitq;. Quod coronandi Reges, olim Rhenum à Franckfordia deuecti, super saxeam sedem Regiam sub diuo, inter crebras nuces, in amœnissimo Rheni littore, propè oppidulum Reensz positam, facere consueuere. Cumq; fuissent inuicem collocuti quę uoluerunt, desideriumq; Principum expletum, Rex post diuinam ueneration̄em, omnibus solenni more ritè peractis, subsequētibus Principibus Electoribus palatium suum acquieturus introiuit, hora ferè noctis secunda.

Sedes Regia in littore Rheni sub diuo posita.

Proximè, & quasi unis ædibus illustrissima domina Sabaudiæ Margareta (quæ pridie coronationis curru, quem albentes equi trahebant, inuecta fuit, cum uirginibus facie inclytis, atque admodum uenustis: quæ candidis pariter gradarijs cum ingrederentur, insidebant) hospitium habuit. Marchioni quoq; de Artzot, Principi maximæ apud Regem authoritatis & gratiæ, hospitium in proximo præparatum fuit. Carolum enim, non ut Regem suum modò, uerum etiam ut alumnum eximia charitate semper coluit.

Marchio de Schiuerem.

QVAE CAEREMONIAE IN TEMPLO *seruatæ sint.*

Die sancti Seuerini, Principes Ecclesiastici ordinis, cum administris suis Episcopis suffragantibus, cæterisq; Christianæ religionis Heroibus diluculo templum ingressi, in Sacrario decentibus ornamentis Pontificijs sese induere. Licet autem in templo ex more asseribus, tabulatisq;, duplicia interstitia distincta fuere, ut separatis, discretisq; locis, quisq; iuxta suum ordinem atq; conditionem spectaret, edictumq; ex instituto antiquo fuerat, ut Principes, Comitesq; absq; discrimine, & aliorum Electorum quatuor modo primores Consiliarij, cæterorum uerò Principum duo tantum ad Chorum, interioraq; sepa intromitterentur, & reliqua nobilium multitudo exterius, atq; de templi testudine desuper, è sublimi prospectaret. Prouisum insuper Regia ordinatione fuisset, ut singuli Principes suorum nobilium nomina, regio Marescalco annotata traderent, eidemq; suos magistros equitum adiungerent, ut militibus positis ante ualuas, ad custodiam aditus, nobilium nomina diligenti, exactaq; cura darentur, ne ob exclusionem seditionem aliquam, siue turbas oriri contingeret. Tantum tamen hominum amplissimorum undiq; confluxit, quòd antiquus hic mos, atq; diutina usurpatione firmata consuetudo, præ multitudine uariarum gentium seruari non poterat. Plericq; enim uestium pretiosarum commendatione adiuti, penetrarunt ignobiles. Alij nobilitatis fiducia non admissi, uel ad altare irrupere. Quanquam enim ante fores armatæ cohortes dispositæ fuerunt, parum tamen abfuit, quin templi fores impulsu turbæ conuellerentur. Phanum autem licet neq; laxitate, neq; cultu conspicuum, ut in quo breues columnæ, sine marmore ullo, aut insigni pauimento, ob religionem tamen, conditoremq; Carolum Magnum, tota Germania celeberrimum est. Venienti haud

Interstitia distincta spectandum templo.

Templum perpusillū.

haud longè pòst Regi, cum egregia prorsus atq; magnifica comitiua anteam bulonum, Principum, Comitum, Baronum, Procerum, Satraparum, Purpuratorumq;, induto Archiducali uestę, aureoq; amiculo Pontifices ad cellam diui Nicolai usq; obuiam processere: Regemq; in limine uenerabundi cum cruce, thuribulo, libroq; Euangeliorum, qui antiquissimus, correctissimusq; Aquisgrani, dono Magni Caroli asseruatur, excepere. Tũ Archiepiscopus Colonien sis, indutus omnibus (ut aiunt) Pontificalibus, uoce submissa cantauit: Adiutorium nostrum in nomine Domini. Cum Clerus respondisset, & Colonienſis preces ad Deum pro Rege fudisset, ordoq; subinde Clericorum caneret interim: Ecce ego mitto Angelum meum, Moguntinus atq; Treuirensis à dextra, lęuaq; appręhensum regem duxere subtus testudinem, ante aram diuæ Virginis toto orbe religiosissimè cultam. Ante eam prona iacuit Regia Maiestas super stragulis, donec Archiepiscopus Coloniẽsis precatus fuisset à Deo, quatenus Carolo suo adiutorio adesset, ut ab aduersitatibus liberatus, posset prœesse & prodesse. Precationibus, quibus Colonienſis opem diuinam poscebat, peractis, duo Archiepiscopi alleuatum regem in auream sellam, eregione altaris deduxerunt sessum. Dein se quoq; Principes Electores, Ecclesiastici quidẽ, pari habitu in præparatas sedes collocarunt. Quia uerò sedes multum præpropere tumultuarięq; apparatæ fuere, cogebantur earum defectu Regum legati, atq; Oratores in promiscua Principum multitudine spectare.

Missæ officium inchoante Archiepiscopo Colonienſis, regij cantores in medio chori canere cœperunt: Ecce aduenit dominator Dominus: Kyrieeleyson, Alleluia: Vidimus stellam, prosa, Festa Christi. Deinde cantabatur illud canticum: Desiderium animæ eius tribuisti eis. Lectione dein per Canonicum Ecclesiæ cantata: Surge, illuminare Ierusalem, prouolutus ad genua Clerus, cum Principibus cœpit canere Litaniam, siue obsecrationem, rege iterum ante altare super tapetas resupinato, cõgruo tempore Archiepiscopus Colonienſis in pedes erectus, baculumq; Episcopalem in manu tenens, regi benedicẽs, bona, faustaq; precabatur. Postquam autem ad finem perducta Litania surrexisset Rex, rogauit ab eo Archiepiscopus Colonienſis lingua primò Latina, an fidem Catholicam operibus iustis seruare? an ecclesiarum tutor & defensor? num regnum efficaciter secundum iustitiam defendere uellet? An iura regni dispersa congregare? an uiduarum, miserabiliumq; personarum pius defensor, & iudex futurus? an Romano denicq; Pontifici debitam subiectionem exhibere uellet? Vbi hæc omnia se facturum adpromisisset, ductus ad altare, positisq; super dextrum cornu duobus digitis, conceptis uerbis, hoc modo iurauit: Sic uolo, & in quantum diuino fultus fuero adiutorio, precibusq; Christianorum fidelium adiutus ualuero, omnia præmissa fideliter adimplebo: Sic me Deus adiuuet, & sancti eius. Regresso rege Colonienſis ad circumstantes Principes conuersus, Latinè quæsiuit: An uellent tali Principi, ac Rectori sese subijcere, ipsiusq; regnum firmare, fide stabilire, adiusionibusq; illius obtemperare, iuxta Apostoli præceptum, dicentis: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Cum ad rogata illi, qui intellexerunt, fiat, fiat, conclamando annuissent, Abbas de Prueme ex Comitibus de Manderscheit, iussu Archiepiscopi Colonienſis, lingua Alemanica eadem à Principibus percontabatur. Regiæ quoq; Maiestati, si Latina lingua penitus ignara fuisset, idiomate Alemanico præstandum sacramẽtum, interpretatum ex more fuisset. Sed tantum Maiestas sua Latinè, & loquitur, & intelligit, quantum est satis ad intelligendũ uoluntatem, sacrasq; iussiones Maiestatis suæ. His transactis Archiepiscopus Colonienſis, iterum Rege prostrato, precatus est à Deo, quatenus regem suo clypeo protegeret, honorificaretq; præ cunctis regibus gentium, ut uiuat inter

Litania.

Interrogatus rex.

Imperator cõceptis uerbis, iurauit se regni recuperaturum.

Interrogati circumstãtes principes.

Abbas de Prueme.

Rex Latinæ linguæ gnarus.

gentium cateruas magnificus, utq; gentes Carolo fidem seruent. Quæ omnia his inferere superuacuum foret, cum omnium sacrarum precum liber, tam Aquisgrani, quam alibi extet. Secundum precationem Rex ad genua sese submittit, inunxitq; oleo Cathecuminorum Archiepiscopus Coloniēsis regis caput: deinde pectus inter scapulas, ambasq; iuncturas brachiorum, dicēs: Pax tibi. Dein: Vngo te in Regem de oleo sanctificato, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Cecinit dum ungeretur chorus: Vnxerūt, Salomonem, Sadoch sacerdos, & Natan propheta, regem in Geon. Et procidentes, læti dixerunt: uiuat Rex in æternū. Palmas quoq; manus utriusq; oleo imbuendo, subiunxit: Vngantur manus istæ de oleo sanctificato, unde uncti fuerunt Reges & Prophetæ, choro interim concinente: Vnxit te Deus.

Inunctio Regis.

Vnctum regem, Moguntinus & Treuerensis, Archiepiscopi in Sacrarium deduxere, ubi postquam Regij Capellani, mundissima lana oleum detersere: depositio aureo amiculo, quod in usus ornamentorum templi cesserit: indutum rursus Dalmatica chlamyde aurea, soccullis, Imperialibusq; ornamentis diui Caroli, Diaconi more iterum Sacrario eduxere.

Imperialia ornamenta Nurembergæ asseruari.

Ornamenta uerò diui Caroli, quibus ex more coronandi Reges induuntur, Nurenbergensis magistratus summa cum diligentia, atq; ueneratione publice ad aliquot sæcula asseruauit, quæ tempestiue Aquisgranum delata, ubi Reges coronandi fuerint, rursus coronatione expleta, asportantur, subq; fida custodia recluduntur. Subnotatas autem reliquias, Nurembergensis à Carolo gestatas pro uero habent, traduntq;, & inde eximiè coluntur. Dalmaticam albam holosericam preciosissimis margaritis, gemmisq; distinctā: Auream stolam margaritis quoq; adornatam: Vnam cappam holosericam, uiolacei coloris, cui aurum in modum aquilæ intextum. Alterum amiculum rubei coloris, contextum pari modo magna aurea aquila. Insuper coronam Caroli, non ferream, ut uulgus falso autumat, & (quod magis pudendū) passim in iuris professorum commentarijs reperitur, sed ex puro puto auro fabrefactam: sic tamē, ut in ea ueterum laudabilis parcitas satis eluceat.

Prima corona Aquisgrani aurea est, non ferrea, ut uulgus imprimit.

Pomum, & sceptrum aurea.

Gladium Caroli admodum grauem, utpote à uiro robustissimo uersatum: uerùm non tam prodigiosæ magnitudinis, quàm à tanto Heroē gestatum credi posset.

Præter hæc aduecta sunt hac tempestate duæ Dalmaticæ, una uiolacei, alia uerò nigri coloris.

Duæ chyrothecæ, unionibus preciosisq; lapidibus ornatæ: Socculi duo aurei, stola, zona coriacea, retinaculumq; eius aureum, quę omnia preciosis lapidibus affabre picturata, redimitaq; fuere.

Rege post egressum Sacrarij iterum procumbente, Colonienſis Archiepiscopus ante traditionem gladij, terna precatione usus est.

Refellitur opinio, assentium imperium successoribus non fore deferendum.

Qua in re unum nequaquam silentio prætereundum, quòd Archiepiscopus Colonienſis in sacris illis precibus, illud præcipuè solenniterq; inter plura alia comprecabatur, ut reges quoque, de lumbis Imperatoris, per successiones temporum futurorum egrediantur. Quo uno solo, satis planè constat non minus inepta, atq; frigida, quàm inuidissima ratione illos uti, qui negant optimè meritorum Imperatorum clarissimo sanguini Imperium deferendum electione, ne ob id uideatur quasi successioni deberi, cum eos optimo merito, spes successionis potissimum manere debeat. Alijs quoq; solennibus comprecationibus pro Carolo factis, Colonienſi associatis Moguntino atque Treuirensi Archiepiscopis, regi eductum uagina gladium, his additis uerbis simul tradidere. Accipe gladium per manus Episcoporum, licet indignas, uice tamen & autoritate

Traditio gladij.

toritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter impositũ, nostræq; benedictionis officio, in defensionem sanctę Ecclesiæ diuinitus ordinatum: & esto memor illius, de quo ille prophetauit, dicens: Accingere gladium tuum super fœmur tuũ potentissimè, ut in hoc, & per eundem uim æquitatis exerceas, iniquitatis molem potenter destruas, & sanctam Dei Ecclesiam, eiusq; fideles propugnes, ac protegas. Nec minus sub fide falsos, quàm Christiani nominis hostes execreris ac destruas, uiduas & pupillos clementer adiuues ac defendas, desolata restaures, restaurata conserues, ulciscaris iniusta, conserues bene dispositа, quatenus hoc agendo uirtutis triumpho glorioſus, iustitiæq; cultu egregius, cum mundi huius Saluatore, cuius typum geris, sine fine merearis regnare qui cum Patre, &c.

Gladio in uaginam recondito, Regia Maiestas sese accinxit: Solus deinde Colonien sis Archiepiscopus, Regis digito annulum immisit. Pallium quoq; diui Caroli, simul regale insigne aurei uelleris loco armillarum, quòd ornamenti genus, in usu esse desijt, collo Regis adaptato, addidit hæc uerba: Accipe Regiæ dignitatis annulum, & per hunc Catholicæ fidei cognosce signaculum: & ut hodie ordinaris, caput Princeps q; regni, & populi, ita perseuerabis auctor, ac stabilitor Christianitatis, & Christianæ fidei, ut fœlix in opere cum Rege regum glorieris per æuum.

Sceptrum uerò aureumq; pomum tradens, fœlicia regi ominabatur, admonebatq; suam Maiestatem dicens: Accipe uirgam uirtutis, atq; æquitatis, qua intelligas mulcere pios, & terrere reprobos. Quemadmodum hæc fusius in libro, de ritu coronandi, habentur, inibiq; leguntur. *Sceptrum, Pomum.*

Coronam autem, atq; regni dyadema, tres Archiepiscopi, Colonien sis, Treuirensis, atq; Moguntinus regi simul imponentes, dicebant: Accipe coronam Regiam regni, quæ licet ab indignis, Episcoporum tamen manibus capiti tuo imponitur. Hic quoq; minimè opus est reliquam admonitionem apponere. *Corona imposita.*

Coronatione expleta, Regia Maiestas aram accessit, moreq; maiorum sacramentum super altare, sacrumq; librum Euangeliorũ è scripto legendo, in hanc fermè sententiam Latinè præstitit: Profiteor & promitto coram Deo & Angelis eius, leges seruare, iustitiam facere, iura regni conseruare, debitumq; honorem Romano, alijsq; Pontificibus, atq; uasallis exhibere, donata Ecclesijs conseruare, Christo mihi præstante auxilium, fortitudinem, & decorem. *Imperator iurauit legem seruare, & iustitiam facere.*

Ductus inde fuit rex per Moguntinum, atq; Treuerensem Archiepiscopos, per deuexum supra testudinem templi, subsequente Archiepiscopo Colonien si, simulq; collocabant Regem in saxeam sedem, positam ante altare Symonis & Iudę Apostolorum, addita inuestitura, ita retinè à modo locum regium, quę hic, ne longior sim integrà ponere consultò omisi.

Dum autem ascenderet, cecinit Chorus: Desiderium animæ eius tribuisti ei Domine, & uoluntate labiorum eius non fraudasti eum, & quę sequuntur: Posuisti super caput eius coronam de lapide precioso, &c.

Regi in solio Maiest atquè in excelso gloriæ fastigio residenti, Archiepiscopus Moguntinus nomine collegarum suorum, his fermè uerbis lingua Alemanica gratulabatur. Superillustrissime & gratiosissime Domine, ex quo Regia tua Maiest. tam diuina gratia atque prouidentia, quàm Principum Germaniæ concordi electione, ad decus, honorem atq; gloriam Imperatorij nominis, atq; potestatis, accita atq; sublimata est, & nunc coronam Regiam, cum laudabilibus honoribus atq; ornamentis requisitis suscepit, sumus nos eò magis lætati, exhilaratiq;, quo magis ardentiusq; hoc cernere ex animo desiderauimus. Hunc itaq; honorem, Deum Opt. Max. tuæ Maiest. fortunare uolumus, optamusq; Regiæ tuæ Maiestati longæuum, diuturnumq; regnum, corporis sani- *Gratulatio Electorum.*

tatem perpetuam, plurimumq; bonæ fortunæ atq; fœlicitatis, firmamq; spem, atque indubitatam fiduciam habemus, Imperium ex tua, maiorumq; tuorum uirtute administratum iri. Quodq; hæc inprimis Deo Opt. Max. probata, accepta, grataq; erunt, & ad honorem, decorem, incrementumq; sanctę, atque Orthodoxæ Ecclesiæ Catholicę sacri Romani Imperij, inclytæq; nationis Germanicæ, cessura sint: Rogamusq; obnixè, ut nos, cæterosq; Principes, statusq; sacri Rom. Imperij, Regiæ tuæ Maiestati, sicut supremo orbis terrarum in temporalibus capiti, sese obsequentissimè commendantes, gratiosissimè sub tutela tuæ Maiest. mansuetudinis commendatos habere uelis, omniumq; nostrûm gratiosiss. Imperator esse & permanere.

Canonici quoq; templi, Regi honorem, bene, fœliciterq; cedere optauere, eorumq; ordini ex more rex initiabatur.

Deinde Chorus, tubicines, & organa alternatis uicibus summa cum alacritate canticum: Te Deum, absoluerunt.

Creauit interim Regia Maiestas gladio diui Caroli pregraui plurimos equestris ordinis uiros uariarum nationũ, summa cum solennitate. Horum perpauci Germani fuere, qui hoc decus per hostium stragem demereri malunt, atq; in ponte Tyberino, splendidissimo ordini initiari, magis pulchrum atq; egregiũ putant: desieruntq; Germani præcipuæ nobilitatis assertores, hunc ordinem magnifacere, quando uiderunt humilibus, sordidissimisq; mercatoribus precio aditum ad amplissimum honorem patere: sitim, ardoremq; glorię plurimũ hæc indignitas restrinxit. Et fortè ob hoc, quidam ab equestri ordine deterrebantur, quòd honorem equestrem, titulumq; ex lege equestri, intra anni spaciũ statim post assumere illo tempore creati coguntur, aliàs ni se pro equitibus gerant, soli imaginarij equites futuri. Insuper quamuis ab antiquo non nisi nobiles admittebantur, ordinariq; solitum, ut quibus initiari huic ordini uotum, atque mens esset, nomina, & agnomina sua descripta, magistris equitum traderent. Hac tamen tempestate, in tanta diuersarum gentium turba, plurimi non sponte, sed aliorum impulsu, inuiti, siue temerè ad Cæsarem delati, flexis genibus dorsum gladio submisere: quorum multis bene cõsultum foret, si cum ictu equestri, censum quoq; equestrem accepissent.

Multi sine censu equestri creati.

Principes sedi affixi, expectabant (prætet Archiepiscopũ Colonienſem, qui ad aram rediit) donec reducendi regem officio fungerentur. Cumq; descenderent, unus Canonicorum Euangelium: Cum natus esset Iesus in Bethleem Iudæ cecinit post Symbolum fidei, & cantionem illam: Reges tharsis, Regia Maiestas delatis ante se gladio per Marescalcum Imperij, pomoq; per Dominum Palatinum, qui tum testudinem ascenderet, similiter præcedebant, sceptrũ manu tenens, obtulit altari nummum aureum, ualoris decem ducatorum, qui Capellanis Archiepiscopi Colonienſis, renitentibus aliquandiu Ecclesiæ Canonicis, tandem cum alijs donis oblatis, remissus fuit.

Post regem Principes Electores ordine dona ad altare deferebant, Archiepiscopo Colonienſi singulis osculandum sacrum præbente.

Coronæ curam Imperij Subpincerna N. de Limpurch, quem admodum Comes de Zorn, minor Imperij Camerarius, sceptri respectum habuit. Subministri enim perpetui Imperij, Legatis Principum in executione officiorum cedere noluerunt.

Cum deinde Archiepiscopus Colonienſis pacem pronunciasset, Regiq; & cœtui Pontificis more benedixisset, Episcopus Leodienſis sacrum deosculandum flexis genibus reuerentissimè susceptit, credentiaq;, ut aiunt, mundissimo peplo facta, illud Archiepiscopo Moguntino tradidit: qui eodem modo, credentia facta, sacrum regis ori inclinando sese, decenter admouit.

Sacris

Sacris omnibus ritè peractis, Regia Maieſtas flexis genibus ſalutare ſacramentum Euchariſtiæ ſumpſit, tanta quidem mentis deuotione, ut animi inde aſpicientium uehementiſsimè commouerentur.

Dextro latere, non longè ab altari erat ligneum ſpectaculum ſub teſtudine, pro illuſtriſsima domina Margaretha præparatum, unde ipſa, & regina Arragoniæ, quondã Ferdinandi uxor, modò Marchioni nupta, cum uenuſtiſsimis uirginibus nullo uelo, neque umbraculo tectis, ſic ut ab omnibus uiſerentur, ſingula ſpectarunt. Ante omnes illuſtriſsima domina Margaretha, tam inexpleto ſingula, quæ agebantur, lumine ſpectabat, ut non uanè crediderim, tacitum ipſius pectus immenſum gaudium pertentaſſe. Cunctis in templo finitis, Rex ſella aurea reſidens, creãdis ulterius equeſtris ordinis uiris, tam diu intentus fuit, quoad Electores Eccleſiaſtici exutis ſacris, induerentur ueſtibus rubeis, Electores ſolos decentibus. Quibus ornati, Regiam Maieſtatem, ſumptũ ri cum eadem ſolenne prandium, ad palatiũ concomitabantur. Reliquiq; Principes regem è templo, cum lætitia, atq; gratulatione ſolenni proſecuti ſunt.

Domina Margaretha.

Operæpreciũ eſt, hîc quoq; adnotare, qui Comites atq; Barones Archiepiſcopo Colonienſi ſacrificanti, officij gratia præſtò fuerint. Dum obuiam iretur regi templum intranti, Comes de Vualdeck Canonicus maioris Eccleſiæ Colonienſis ante Archiepiſcopum crucem, Comes uerò de Schuuartzburg thuribulum præferebant.

Archiepiſcopo Colonienſi ſeruierunt xxiiij. Comites.

Comes Georgius de Vuitgenſtein, Capellarius Colonienſis, cui præter alia incumbit ab antiquo, aulicorum quoq; controuerſias dirimere. Hic cum domino Vuilhelmo de Nuuenar Magiſtro curiæ humeris ante Epiſcopum Colonienſem geſtabãt duo flagra, quibus frumentum excutitur, albi uiridisq; coloris. His ſignificatur, Archiepiſcopum Coloniẽſem uelut prouinciæ Præſidem, ab Rom. Imp. utile dominium ciuitatis Colonienſis obtinere. Colonia enim Agrippina, hoc tempore inter urbes ruſticas Imperij numeratur. Licet autem non ignorem, prudentiſsimos huic Imperij ſubordinationi, ſiue diſcretioni parum fidei, atq; momenti tribuere: ne tamen iſtud penitus commentitium putetur, uideantur quæſo Annales, atq; libri Chronicorum ciuitatis Colonienſis, quomodo in medio nigræ crucis, colonus cum flagello depictus ſit. Abbas de Pruem, de quo antè mentio facta, commiſſum à circumſtantibus Principibus, poſtulare debitam ſubiectionem.

Capellarius Colonienſis.

De Colonia Agrippina.

Comes de Blauue, Decanus maioris eccleſiæ Colonienſis, ſacrum Chriſma ad inungendum regem, Archiepiſcopo Colonienſi porrexit. Comes de Hennenberg Canonicus, lanam, qua Epiſcopi manus detergerentur, obtulit. Comes Gompertus de Neuuenar, & nobilis Baro de Reinegk, mappulã ad eam rem in tempore exhibuere. Comes de Virnenberg, dum opus eſſet, aquam manibus dabat. Comitibus Ioanne atq; Bernardo de Naſſau peluim, mappamq; tenentibus, gladiũ Comes Ioannes de Vuieda frater Germanus Archiepiſcopo adportauit. Comes de Seyne loco armillarum, quæ in uſu eſſe deſierunt, ligne aurei uelleris tulit. Comes Salentinus de monte Ferrato, aureum annulũ pallium Caroli Comes de Schauuenberg è tabula ornamentorũ adportarunt.

Sceptrum Comes Theodericus de Manderſcheit, Imperiale pomũ, Comes Eberhardus de Arburch, perpetua fide Burgundionibus adhærens, præſentarunt. Comes de Rieffenſcheit, & Comes Vuilhelmus de Neuuenar, Magiſter curiæ, & Mareſchalcus diocœſis Colonienſis, bacillis turbam arcentes, prouidebant, ut ſinguli ad officia parati, atq; tempeſtiuè intenti eſſent, cunctaq; ritè iuſſu eorum exequerentur. Comes Hermannus de Neuuenar, cuius nomẽ ob eximiam doctrinã, tota Germania ſuſpicit, librum, è quo omnes precationes, atq; obſecrationes legebantur, ſuſtentabat, Comes de Eppenſteyn, Scholaſti-

cus,& Comes de Bichelen Chori episcopus Colonienſis Eccleſiæ baculi,& mitræ Archiepiſcopalis curam habuere. Degenardus de Vuitte, iuris Pontificij Doctor, Cancellarius Colonien. tabulæ aitans, ad cuncta intendebat. Mea uerò paruitas deſtinato officio, obſeruãdi uidelicet ſedis Archiepiſcopalis, prę turba Purpuratorum, qui denſiſsimè circumſtabant, ægrè ſatisfacere potuit.

QVO APPARATV, ATQVE MAGNIFICENTIA, SOLENne conuiuium in ſuperiore palatij aula celebratum.

Pallatiũ ſpecioſiſsimum ædificium.

Regia Maieſtas Imperali habitu, atque ornatu induta, delatis ante ſe Imperij inſignibus maximo Electorum, cæterorumq; Principum comitatu, pallatium tota Germania celeberrimum, cuius latus forum ſpectans, Imperatorum marmoreis ſtatuis ſpectabiliſsimum, aſcẽdit, ubi omnia ad ſplendorem gloriamq; magnificẽtiſsimè, aureis periſtromatibus, ſtrãgulisq; aureis ſic adornata fuere, ut maximã rationẽ publicæ dignitatis habitã fuiſſe dixiſſes, ſolennique cõuiuio, præter Principes Germanos ſtatusq; Romani Imperij, nemo interponebatur.

Officiũ Mareſcalci, de metiẽdi auenam.

Statim atq; rex aſcendiſſet, minor Imperij Mareſcalcus Vlricus de Pappenheym, equo cui inſidebat in cumulum auenæ uſq; ad pectus, adacto argenteo modio duodecim marcarũ, publicè in foro, ex more uice ducis Saxoniæ, auenam demetiebatur. Aqua deinde aurea pelui Regijs manibus à Marchione Ioanne de Brandenburg, & minore Imperij Pincerna dabatur: tenuitq; Comes Palatinus, & alij aſtantes Principes mappam, qua aſpergebãtur manus regiæ.

Primas dapes Palatinus.

Comes deinde Palatinus Archidapifer, præcedente Submareſcalco geſtan eleuatum bacillum, cum D. de Roy magno, & alijs minoribus magiſtris curiæ, ad coquinam deſcenderunt regiam.

Benedictionem Treuerenſis.

Antequam reuerterentur Electores, Eccleſiaſtici benedictionem menſæ le gerunt. Quamuis autẽ hoc antiquæ annotationes Archiepiſcopo Colonienſi coronatori ſaltem illa die tribuerunt, tamen Treuerenſis ſibi hoc competere cõtendebat ad cauſam, quod ſenior in cõſecratione foret. Archiepiſcopus meus

Aurea bulla norma cæremoniarum.

Colonienſis ob ea, quæ in aurea bulla continentur, cuius autoritas in dubijs merito ſequenda, æquo animo ceſsit.

Sigilla aurea.

Poſt benedictionem Archiepiſcopus Moguntinus, aſſociatis duobus Archicancellarijs Colonienſi, à dextris, Treuerenſi à ſiniſtris, ſigilla regia à baculo argenteo duodecim marcarum pendentia, regiæ menſæ oblata, cum retra derentur, Moguntinus ea collo aptauit, totaq; die publicè inde dependentia geſtauit. Tametſi Treueri contendebant, Aquiſgranum eſſe Archicancellatus Gallici.

Ante dapes uenere tubicines atq; æneatores regis. Herholdi quoq; inſigniter ornati: inter quos Anglicus quoq; Herholdus, cum inſignibus regis ſui honoris cauſa conſpiciebatur.

Palatinus Rheni Dapifer.

Tubicines præcinentes ubi ad medium atrij peruenere, ſubſtitere: tubis tamen omnia perſonabant, quouſq; Dominus Palatinus per deuexũ aſcendendo ſeptem gradus, primum ferculum coopertum, Regiæ Maieſtati reuerentiſsimè appoſuiſſet. Controuerſia erat inter Legatum regis Bohemiæ, & Subpincernam Imperij N. de Limpurch, uter eorum regi uinum aqua dilutum, ex more propinaret. Sed excuſſum pridie fuit, pro Friderico agnomine, & officio Pincerna, cum ille ſemel & primo propinaſſet. Poſt durante prandio Palatinus Fridericus pocillator regis fuit.

Omnibus Principum Electorum officijs ſolenniter defunctis, ad menſas ipſis præparatas, Principes ſeſe repoſuere. Singuli ſuos Comites, atq; nobiles habuere, quibus inter epulas miniſtris utebantur.

Hic

Hic oportunum de ordine mensarum relationem facere.

Regia mensa posita latere dextro, quod forũ respicit inter columnas, in meditullio aulæ, & parietem substructas, eleuataq́ fuit fastigio septem pedũ. Electorum uerò mensæ modicis interuallis positæ, pedalis altitudinis fastigiũ habuere, & tam regis, quam Electorũ mensæ aureis stragulis stratæ. Aulæa quoque aurea suprà, & à tergo propendebant, magnificẽtissimi operis. Licet prandium prælautum omnibusq́ cupedijs ciborum instructissimum abundantissimè quinquaginta scilicet ferculis sic præberetur, ut dena semper ædulia apponerentur, inter ea tamen multa non esui apta, digna solum erant, ut cum admiratione spectarentur. Licebat enim uidere species castellorum, arborum, leonum, aquilarum, unde Romani Imperij, regnorumq́ Hispaniæ uexilla dependebant, mensis singulis singuli abaci ordinatim dispositi, priuis, priui ministri quoq́ fuere.

Marchio Casimirus structor, siue prægustator Regiæ Maiest. fuit.

Regem sedentem in aurea sella, circumstabant dexteriore latere D. Marchio de Arschot, & Episcopus Leodiensis. Sinistro latere. Comes de Zorn sceptriger, pluresq́ alij Principes, atq́ Comites, Germaniæ atq́ Hispaniæ. A' sinistro erat abacus regius, oneratus spectabilissimis uasis ueteris cælaturæ, oĩs usus, duo præsertim unicornua, admirandæ, prodigiosæq́ prorsus magnitudinis. Vas item aureum ingentis capacitatis, Regiæ Maiestati dono à rege Anglorũ, gratulandi causa missum, ut ferebatur, uisebatur. *Abacus regius.*

Latere dextro, duobus passibus infrà regem primæ mensæ assedit Archiepiscopus Coloniensis. Qui secus contenderunt, ob annotationes, imperitorum scilicet, quòd primus discubitus regi Bohemiæ deberetur, illi auream bullam, normam cæremoniarum Principum non uiderunt; quæ his rebus statum modum præfinit, morisq́ Imperij non satis gnati, cæcutierunt. *Primæ mensæ Archiepiscopus Coloniensis assedit.*

Tametsi secũdo loco mensa regi Bohemiæ strata, præparataq́ fuisset, uacua tamen ædulio mansit. Non absurdum erit, hic paucula de regno Bohemiæ adnectere, cognitu fortè non indigna. Quanquam rex Bohemiæ perraro adsit cõuentibus, tractatibusq́ Electorum, neq́ fœdera pro manu tenenda communi dignitate, cum eisdem proximis sæculis percusserit, non operas Imperio, uoluntariasq́ collationes præstet, neq́ gratuita onera ferat, non deniq́ in circulis illis, in quos Imperium digestum atq́ partitum compræhendatur, tamẽ Elector Imperij est, & tertium in consilio electorum, tempore Electionis regis suffragiũ adhibet; ita, quod impunè præteriri non poterit, ob pœnam, quæ in aurea bulla exprimitur. Et cum tempore Electionis diui Maximiliani, eo, quod fortè nõ satis cõueniebat inter Fridericum Cæsarem, & Regem, præteritus fuisset, adeò non dissimilanter tulit, ut pœnam aureæ bullæ, in quam inciderunt Principes acerrimè interpellando, postulare non cessaret, armaq́ præter hoc se illaturum minaretur, redireq́ aliquandiu in gratiam, litiq́ renunciare, pertinaciter recusauit: nisi ea conditione, ut remitteretur regibus Bohemiæ ius illud Imperatorum, quòd reges Bohemiæ, Imperatores in Italiam in personis euntes, sequi coguntur. Aut loco eius seruitij, octingentos ducatos quoties Imperatorem Alpes transcendere contigerit, exoluere. Illo negato, à Cæsare Friderico tandem sub pacto, atq́ conuentione ulterius, ipsos nequaquã prætereundi reges Bohemiæ, sub pœna quingentarũ marcarũ auri decisum, transactumq́ fuit, & Ladislaus rex, ratificata Electione Maximiliani quæsitis liti Iuriq́ renunciauit Principibus hac etiã excusatione utentibus Electionẽ Maximiliani, nõ ex prædestinato Franckfordiæ, sed urgẽtib. de causis ꝑceleriter, atq́ subitariè celebratã. Habet Bohemus illã prærogatiuã quoq́, ꝙ Archipincernę officiũ, nõ amota corona, ex- *De regno Bohemiæ.* *Pœna præteriti Electoris.* *Prærogatiua regis Bohemiæ.*

na, explere potest. Sed latius euagari libet. Egit Maximilianus Coloniæ cum Principibus Electoribus, ut Archiducibus Austriæ, exemptis alioqui, honoribus haberetur, ut ipsis suffragij quoque latio tempore electionis Regis esset. Sed Principes ne antiquissima instituta maiorum commutarentur, precibus Maximiliani, uotoq; abnuerunt. Post Bohemum ex ordinatione aureæ bullæ Comes Palatinus accubuisset, uerum eo neglecto, secundam à læua, post Moguntinum mensam habuit. Et quia aurea bulla suo tenore, aut beneuolentia, aut conniuentia, atq; dissimulatione Principum non semper ad amussim seruatur, ob hoc fortè futuris tempestatibus nouus aliquis de rebus friuolis labor Imperatori adcrescet.

De domus Austriæ exẽptione, Francisci Petrarchæ epistola ad Carolum Quartum uidetur.

Ordo mensarum.

Tertia mensa pro duce Saxoniæ uacua. In quarta prandium sumpsere Episcopi, Vuormatiensis, Ratisponensis, dux Otto Henrici Bauariæ. Quinta ad tempus fuit uacua: post occupabatur à regijs Consiliarijs. Sextæ assidebat Magistratus Aquisgranensis. Nurembergensis Legati, qui Imperialia ornamenta aduexerunt, ad septimam mensam collocati fuere. Reliquæ duæ mensæ conuiuarum uacuæ mansere.

Latere sinistro prope columnam, prima mensa Moguntini Archipræsulis. Secunda D. Palatini. Marchionis de Brandenburg tertia, sed esculentorum uacua, ob Marchionis absentiam.

Quarto loco duces Braunsuicenses, & Iuliacenses accubuere.

Quintam occuparunt missi à ciuitate Colonienſi.

E regione Regis directè posita fuit mensa Treuerensis Archiepiscopi. Paulum infra mensas Colonienſis, atq; Moguntini Archiepiscoporum. Conuiuiũ Regium, oppiparum, lautissimumq;, quatuor propè horis, quasi regali cum silentio agebatur.

Expleto prandio, gratijsq; à Treuerensi dictis, omnia tubis, tympanisq; personabant: strictoq; diui Caroli gladio, iterum Regia Maiestas uiros equestris ordinis creauit.

Omnibus absolutis, rex Imperialibus ornamentis indutus, cum Electoribus, suo quoq; peculiari habitu uestitis, ingentiq; Principum frequentia, atq; comitiua, præcedentibus æneatoribus, hospitium intrauit: Regeq; deducto, singuli Principes ad sua quoq; hospitia diuerterunt. Archiepiscopus Moguntinus statim regi sigilla, cũ argenteo illo baculo, cuius antea mentio facta, insuper candidum, eximiumq; equum dono misit. Quæ omnia à Cæsare mox remittebantur. Rege subiungente, se fidem Moguntini adeò exploratam, perspectamq; habere, ut sigilla regia nulli tutius, quam eius fidei credi possint. Regẽ insuper futurum suæ personę gratiosissimum Dominum, Episcopatumq; Moguntinum potenter, efficaciterq; protecturum. Moguntinus fidei eius cõmissa sigilla quidem retinuit, argenteum autem baculum, equumq; D. Nicolao Ziegler, homini solerti, suo Vicecancellario pro honorario liberaliter dedit.

Nicolaus Ziegler.

Altera luce Imperator Principes Electores cœna magnificẽtissima excepit.

Post coronationem, facta abeundi potestate, maior Principũ pars, non plus biduo moram Aquisgrani traxit, sed directa Coloniam profecti sunt. Imperator uerò Iouis clypeo protectus, triduanam moram constantissimè traxit.

Statim post coronationẽ permissu Põtificis, rex titulum Electi Cæsaris assumpsit.

Sextaq; feria, sacris (quibus Imperator aderat) publicè in templo factis, Maiestas sua sacras reliquias (inter quas fasciolam, qua uagientẽ Saluatorem nostrum inuolutum esse constat) deuotissimè suspexit. Archiepiscopus inde Moguntinus lectis apicibus publicè edixit, Romanũ Pontificem electionẽ Regis probare, uelle iubereq;, ut Imperator ulterius titulo electi Cæsaris uteretur. Non ignoro diuum Maximilianum à Gallis, Venetisq;, aduersum ea, quæ ficto officio, simulata'que sedulitate adpromississent, transitu (occupatis itineribus) prohibitum

prohibitum, impeditumq́ quo minus armatus, ut Imperatorem tantũ decet, pro corona Cæsarea Romam proficisceretur, cogitata ratione titulum Cæsaris, non renuente Pontifice Romano assumpsisse, ne supremum honorem negligere, atq́ pro derelicto habere uideretur. Hic tamen imaginarius honos (sit uenia uerbo) inuictissimo Carolo collatus, sitim ardoremq́ gloriæ heroico Maiestatis suæ pectori insidentem, nõ restringet, uerum adaugebit, inflammabitq́, ut nihilo secius pro consummatione, gloriarum suarum, refractis, reuulsisq́ inimicorum impotentibus claustris, Italiam auitam possessionem, regni domicilium legitimũ, Imperij sedem, non inermis ad hostium, pertinacissimorumq́ æmulorum præscriptum, ociosè, peregrinantis more (quod saluo capite super hoc, quòd parum decorum est, saluaq́ tanti Cæsaris Maiestate sine ludibrio tantorum regnorum, atq́ insultu fieri non posse reor) sed suo arbitratu: ne ueluti uictus, à uictoribus leges accipere cogatur, quàm maturrimè cũ maximo, fulgentissimoq́ exercitu in splendore gloriæ intrabit, desponsamq́ suæ Maiestati prouinciam, gentium dominam, amplexabitur. Hoc anxiè percupiunt, desiderantq́ Germani Principes, egregio aliquo facinore ostentare, Imperium non usquequaq́ malè in Septentrione locatum esse, non se somno inexpergiscibili torpere. Ea profectò animorum magnitudo in maioribus nostris fuit, sicq́ omnia ad splendorem, gloriam, Maiestatemq́ reuocauere, quòd non satiati, Imperatorem coronationis tempore Aquisgrani præstito sacramento, generatim obstrictum esse ad recuperãdum ea, quæ Imperio adempta. Verùm præter hoc, sacramento adegere, adnominatim regijs literis sanctè ad promittendum, quòd temeraria inconsiderataq́ acta Vuentzelai Imperatoris, ignaui quidem uiri, licet altis imaginibus prognati, rescinderet, irritaret, & ante omnia reuocaret, quòd in non æstimabile Imperij detrimentum, atq́ dispendium Mediolani ducem, & Padi Comitem cõstituisset, terrasq́ Longobardiæ, Imperio perpetuò, ne in Italia redditus deessent, adiungerent, à tempore quo hæc acta, paulò plusquam centum anni effluxere. Horum uestigia insequentes Principes Germani, qui Carolum, collapsi Imperij restauratorem, concordibus uotis denunciarunt, pro conseruanda, manutendaq́ eximia Imperij gloria, neq́ rerum dispendia, nec personarum suarum formidabunt pericula. Nec ob hanc expeditionem apparandam opus erit aras sacris uasis nudare, non conditoria sanctorum disiectis sacris reliquijs flare: non deniq́ necessarium erit, genti semper ab ancipiti temporum mutatione pendenti grauia tributa pendere. Persæpe concordes Germani, gloriosissimam hanc expeditionem suo marte, suis ducibus, suo ære, absq́ commilitio, absq́ socijs, peregrinisq́ suppetijs, externoq́ subsidio fœlicissimè perfecere.

Roma legitima Imperij sedes.

Robertus rex, & qui eum præcessit Sigismundus: coacti Electoribus adpromittere, sese abolituros gesta Vuentzelai, potissimum quod Mediolani ducem constituerat.

Expeditio Italica.

Non exaruerunt penitùs uires nostræ, non hebetata usq́ adeò Germanorũ arma: non omnino exhaustus equestris ordo, neq́ ad tenuitatem extremam redactæ bonorum ciuium opes, principesq́ quod maximè faciundum amplissima uectigalia imperio accepta æquo animo ferunt.

Heluetios notat.

Quæ ergo nunc temporis trahendi ratio ulla hinc deducendi exercitum in Italiam adest? affulgente tam pulchra raraq́ (quanta profectò nunquam antea) occasione, ubi Germanis, sicut fratres, fidissima gratia, associati sunt fortissimi Hispani, qui præter ingenitam illi inclytæ genti ubiq́ terrarum prædicatã erga reges suos obseruantiam, atq́ uenerationem, uix dici, exprimiq́ potest, quanta omnes Caroli charitate flagrant, qualiterq́ quisq́ pro se operam suam offerat. Quæ Gens? quæ Natio? qui populi quæso horridæ duarum fortissimarum gentium in se connexæ uirtuti, robori corporum, animorumq́ magnitudini, nõ modo recta fronte cõcurrere, sed uel rectis oculis instructas phalanges fortissimarũ gentiũ aspicere audebũt? Sed huius loci non est, de hoc plura

uerba

uerba facere, apud Germanos præsertim suapte natura incitatos, sed ad institutum à diuerticulis redeundum.

Vinum publicè præbitum. Silentio prætereo, quomodo post coronationem tota die uinum duabus cannis, per speciem aquilæ, atq; leonis columnellæ ligneæ impositis, ante palatium Regis, ductu subterraneo publicè fundebatur. Omitto insuper, quòd magnus bos, multis alijs animalibus minoribus fartus, ligneoq; ueru ante palatiũ

Integer bos tostus. dominæ Margarethæ tostus, resciſa carunculæ portione pro rege, à plebe in multas partes tumultuariè lacerabatur.

Triduo pòst coronationem, Imperator festinato itinere, & præter consuetudinem, die etiam Dominica iter faciẽdo, Principes Coloniam subsequebatur.

Domina Margaretha. Illustrissima uerò domina Margaretha, retrò in Brabantiã, atq; Morinos cõcesit, q̃ regredientẽ D. de Rabenstein, & quidã alij regij Satrapę comitati sunt. Colonienſis iuuentus, ultra Germanicum miliare, Regi, armata cum militaribus signis, ordinatim, honorificeq; obuiam prodijt, effusaq; innumera inermium turma, multis mortalibus maximè proximis, quibusq; eo studio uisendi Caroli confluxis. Pernoctauerat enim Cæsar pridie quam Coloniam ingrederetur, in monasterio Bruuijlre. Ingrediebaturq; Cæsar Coloniam cum Principibus, qui nondum Colonia abierant, uerum Maiestati suæ obuiam prodierunt, summa cum serenitate, populiq; exultatione. Inde mittẽbãtur, qui undequaq; per Imperium edicta deferrent, quibus Principes, statusq; Germanię cõuocabantur ad conuentum Vvormacienſem, sexta Ianuarij indictũ. Marchio Casimirus quoq;, Coloniæ in fratris sui (ut creditur) uxoris reginæ Arragoniæ gratiam, cœnam, ut dicunt additialem, magnifico epularum, cõuiuarumq; apparatu atq; ornatu exquisitissimè, comitatis Cæsari, Principibusq; publicè exhibuit. Rheno ascensurus Imperator Bonnæ biduo cum Archiepiscopo Colonienſi moratus, sumptoq; in arce Poppelstorff manè ientaculo, ad uenationẽ ferarum profectus, spumantem aprum incurrentem, fortissima dextra sua cuspide interemit, cœnæq; ab Archiepiscopo Colonienſi perlautè instructæ in oppido adfuit.

Nauibus Archiepiscopi Colonienſis postera luce Cæsar ascendens, inundatione Rheni retardatus, serius opinione primò Moguntiam, ubi parum substitit, pòst Vuormatiam Vangionum urbem peruenit. Eo loci potissimum conuentum celebrari placuit, quòd urbs lacera quidem, atq; ruinis deformata, in

Vuormatia. fertili tamen solo posita, plurimum commeatus habet, réq; cibaria copiosa, pari interuallo à superioribus, inferioribus Germanis distet.

Sed hic addam unum, quòd silentio penè prætermissem. Tametsi omnes Imperatores à Carolo IIII. atq; plures ante eundem prærogatiua primariarũ precum, absq; ullius concessu, aut ipsa faustissima coronationis die, aut mox pòst

Primariæ Preces. sine dilatione usi, tamen ea res his nostris temporibus in unum, alterumq; annum, contra Basilienſis concilij sanctionem, ob nescio quem metum, penè ad desperationem extracta fuit. Sicq; paruo tempore mutata sunt magnarum rerum momenta.

Strictim de conuentu Vuormatienſi. Quæ uerò in magno conuentu, ubi Principes tanta frequẽtia, quanta nunquam antea congregati fuere acta, ea fermè sunt huiusmodi. Quia nulla re nisi consilio, domestica concordia uastissimæ Turcarum potentiæ, qui quasi signis positis reliquijs prostratæ Europæ insultare uidentur, cæteris q; Imperij æmulis resisti poterit. Nec imperator perpetuum à florentissimis regnis Hispaniarum abesse poterit, actum de creando ex omnibus statibus Imperij concilio atque regimento, penes quod summa rerum, perpaucis regalibus iuribus

Regimẽtum delectorum ex classibus Imperij. demptis, Cæsare extrà Germaniam existente, foret. Antiquæ quoq; L L. pacis propè abolitæ, nouarum adiutorio fulcitæ, quibus perpurgaretur aliquando

Germanica

Germanica natio, non magis tamen graſſatorum crudelitati, quàm monopolio-
rum fœneratorumq́ inexplebili rapacitati obnoxia.

Actumq́ ut uia præſtruatur hoſtibus ne ulterius temerarias manus ſacro Ro *Iudicium Ca-*
mano Imperio iniiciant, ut ſtata, fixaq́ erigantur tribunalia Cæſarea, ubi pari *meræ.*
conditione priuatis, atq́ Principibus æquabile ius dicatur, iuſticiamq́ expedi
tam collitigantes (ne immortalibus litibus contereantur) obtineant. Et cum
ſtatus Reipub. rebus iudicatis maximè cõtinentur, ut decreta perceleriter exe- *Executio ſen-*
cutioni demandentur, tali ad reperta uia aliqua ne opus ſit, ad intempeſtiuas *tentiarum.*
execrationes diraq́ anathemata Pontificum, ueluti ſubſidiarias ſuppetias con
fugere. Conſultatum inſuper de moneta, ſic per uniuerſum Imperium flanda, *Moneta.*
cudendaq́, ne ſemper in enorme contrahentium diſpendium incerta æſtima-
tione fluctuet, atq́ uacillet, auaroſq́ fœneratores ad lucrum nephandum inui
tet, ut gula, ueſtiumq́ non neceſſarij ſumptus in ordinem redigantur: tuba etiã
ſigno publicè in foro dato edicto Imperiali ſub exilij, cuius nulla ſperanda abo
litio, pœna prohibitum, ne pedeſtris, equeſtriſq́ Germaniæ iuuentus, corru- *Contra inau-*
ptiſsimo more ſe contra publicam autoritatem pro ſcrupulo argenti elici pate- *torata arma.*
retur, mancipiorumq́ more, ab hoſtibus contra patriam conduci ſinerẽt. Cum
hoc de induſtria, dataq́ opera, quemadmodum ſæpe compertum, fiat, ut quaſi
ad lanienam ducti, inuicem committantur, mutuoq́ in uiſcera ruant. Satis e-
nim ea in re præteritis diebus uoluptatis æmulis noſtris exhibuimus. Hoc etiã
fonte unico inautoratorum armorum omnium ſceleratorum turba ubiq́ ſca-
tet. Tractatum præterea, quo potiſsimum tempore, quibus, quantiſq́ copijs,
quo ordine expeditio Italica, nõ minus neceſſaria, quàm in Tracas Dardaniã,
aut Miſiam pro coronatione, recuperandiſq́ his, quæ Imperio magis dolo, at-
que fraude, quam ui, apertoq́ Marte adempta. Multa alia inſuper ad cõſtituen
dam Rempub. uulneraq́ eius procuranda prouidentiſsimè cõſulta, quæ nunc
non eſt narrandi locus: dicam autem aliâs latius, exactiusq́. Conſultantibus
Principibus ne iuuentus interim ocio marceſſeret, indici Cæſar ſpectacula iuſ- *Indicta ſpe-*
ſit, propoſitis præmijs, conſtitutiſq́ iudicibus, haſtis in foro publicè de uirtute *ctacula.*
certatum. Cæſar etiam cum nobiliſsimis Principibus, equis eximiæ uelocitatis
inſidentibus, fugacem pugnam Sarracenicam, iucundiſsimum ſpectaculum
exhibuit, ſæpe Cæſare in recentes equos ex feſsis, mira agilitate tranſſultante.
Sub idem tempus Gallorum machinatione incurſionibus crebris, temerè irri-
tata fœdera, ferocq́ Principes per epiſtolas efficere conati, ut utrinque redirent
in gratiam, ſed re multifariam per Gallos malè geſta, plus cladium, quam intu-
lerunt, acceperunt. Nec dubito crebris uictorijs contuſos criſtas, quas plus ni-
mio ſuſtulerunt demiſſuros, prægrandiſq́ aquilę iuſsionibus, cuius iuſtam in-
dignationem excitarunt, tandem parituros, Imperiumq́ comiter obſeruatu-
ros. Pridie quam abiret Cæſar, libri Lutheri Theologi tanquam nouatoris, pol *Deuſti libri*
lutoriſq́ priſcarum cæremoniarum, ne animi hominum auocarentur à Ponti- *Lutheri.*
ficum inſtitutis, antè palatium poſt tubicinum concentum, facto igne publicè,
recitatiſq́ decretis Cæſaris cremabantur. Soluto conuentu, Rheno Cæſar de-
ſcendens, Moguntiæ ad aliquod dies moram traxit. Ferunt Franckfordienſi-
bus, ſpem quidem aduentus ſui feciſſe, ſed non fuit eius commodè præſtan-
di facultas.

Compotes igitur uotorum facti, atq́ tam magno honore à Carolo honora-
ti: Cumq́ ſub tutela manſuetudinis ſuę acquieſcentes, plena libertate fruimur,
palamq́ perſpicimus uerbis adpromiſſa re præſtari, Cæſarem nihil, præter di-
ſpenſandi laborem, ſibi uendicaſſe: nihilq́ Maieſt. ſuam tam cupere, quam
Rempublicam æquabili iure ſtabilire, militarem diſciplinam reformare, ui-

cia

cia acriter uindicare, uirtutesq; benignissimè fouere: denicq; in omnibus summi Imperatoris specimẽ ostendere. Propterea illustrissimi Principes, cùm uos maximè deceat immobilis fidei puritas, synceræq; deuotionis affectus, si rem recta reputaueritis uia, omni pectore incumbendum est ad fortissimos Caroli conatus promouendos, non Cæsarem, neq; Rempub. immò nec uosmetipsos (qui non salua Repub. subsistere ulla conditione poteritis) frustrabimini. Neque de leuissimis rebus causando, oportunitates optimas corrumpi sinetis. Proinde æquum est, nos omnes pro inuictissimi Cæsaris nostri salute, perpetuaq; incolumitate omnibus delubris uotis excubare, Deumq; immortalem omni mente comprecari, ut cum penes Carolum, tum hominum, tum Dei consensus, maris, terrarumq; habenas esse uoluerit, ut Cæsarem faustissimis auspitijs coronatum, diuturna uita, æternaq; maiestate seruet, actuosamq; uiam ingresso diuina suffragatione clementissimè adsit, ualere nunc, & semper, perq; eum res Reipub. Christianæ, nationisq; Germanicæ meliores, auctioresq; fieri, de hostibus (effuso à cœlestis concordiæ sinu, inter Satrapas amore mutuo) triumphare, & in splendore gloriarum consenescere sinat.

HIERONYMI BALBI EPISCOPI GVRCENSIS DE FVTVRIS CAROLI V. CAESARIS Aug. successibus, uaticinium.

Nox erat, & puro radiabant lumina cœlo,
Roscidaq; in bijugis luna nitebat equis.
Cum me nocturnis operantem sacra Camœnis,
Curarum domitrix, ceperat alta quies.
En Phœbus uiridi redimitus tempora lauro,
Est uisus nostro limine ferre pedem.
Clara serenato lampas fulgebat ab ore,
Plurimus in toto corpore splendor erat.
Aurea Cæsaries longa ceruice fluebat,
Hærebant lateri munera grata lyræ.
Pectine qui cytharam simul ac percußit eburno,
Fatidico tales ædidit ore sonos.
Heus, mihi quàm uanum est humanis fidere rebus,
Quàm uanum est ullo ponere certa loco.
Cum rotet ambiguo fortuna uolubilis orbe,
Quæq; ualent, fato sæpe iubente, ruant.
En tibi Cæsareis celeberrima Roma triumphis,
Protulit in geminos quæ sua sceptra polos.
Septenis urbs alta iugis de culmine tanto
Excidit, innumeris exagitata malis.
Hæc Arabas Medos, gracilesq; coercuit Indos,
Teq; sagittifera Parthe superbe fuga.
Paruit hinc lapsus septena per ostia Nilus,
Turbidus & rapta factus Oaxis aqua.
Paruit & toto diuisa Britannia mundo,
Et posita Eoo littore Tabrobane.
Vtq; altum excreuit paruis à sedibus orta,
Sic lapsa est, imo præcipitata gradu.
Nec licuit duri uitare pericula casus,
Cùm ratio fatum uincere nulla queat.
Indæ Scythæ, Gottiq; truces, & durus Alanus,
Proxima Rephæo qui colit arua iugo.
Cæde, fuga, flamma, Latios fregêre Penates,
Ipsaq; ab hostili est Roma peruста face.
Aspice, nunc alijs infestus miles ab oris,
Vt ruat in clades Ausonis ora tuas.
Hinc properat latis audax Hispania terris,
Hinc Italas Galli depopulantur opes.
Inde furit densis pubes Germana maniplis,
Hinc eques, inde pedes pronus ad arma ruit.
Appulus & Sanus, iunctusq; Sabinus Hetrusco,
Sentit uicinis classica pulsa locis.
Agmina collatis coeunt in prælia turmis,
Aestuat audita militis ira tuba.
Cæde madet tellus, squalent populatibus agri,
Et cremat innocuas hostica turba casas.
Tecta rigent densis ueluti uallata sagittis,
Et graue muralis machina pulsat onus.
Vix urbes miseri uallo, portaq; tuentur,
Hæc quoq; habent hostes, quoq; uetantur, eunt.
Quisq; tamen posito sumat noua gaudia luctu,
Nullaq; funestus contrahat ora dolor.

Nam

Nam iam læta redit uultu fortuna secundo,
Iam remeat pulsa nube serena dies.
Carolus in toto Phœnix uelut unicus orbe,
Auspicijs reuehet prospera fata suis.
Hic caput Imperij repetet, domitisq; Tyrannis,
Eximet à turpi colla subacta iugo.
Victricesq; aquilas Capitoli sede locabit,
Nec nisi Romanum, quod uereamur, erit.
Sed simul ac uincet, uictis sua iura remittet
Carolus, ut bello, sic pietate prior.
Vincit enim ut uictis ignoscere posit, & illa,
Qua gerit, hac gaudet ponere tela manu.
Patris non domini ritu, complectitur omnes,
Qui ueniam lapsi supplice uoce rogant.
Et quàm Marte ferox, domito tam mitis in hoste,
Moribus exæquat clara trophæa suis.
Hoc Duce libertas Latium migrabit in orbem,
Paxq; erit, & pacis fida ministra quies.
Candida pax olea cinget sacra tempora Regum,
Candida pax Proceres in sua iura trahet.
Gloria Pontificis, cui dat clementia nomen,
Crescet, & eximium surget in astra decus.
Quæq; procelloso nunc fluctuat æquore puppis,
Ducet in offensas peruia tuta uias.
Ast ubi secura populos in pace locarit,
Qui gemino claudit littus utrunq; mari.
Nil ille in Turcas cessabit Marte feroces
Sancta salutiferæ ponere signa crucis.
Et cum fratre pio communem raptus in hostem,
Delebit populos (nec mora longa) truces.
Qui licet immites æquent feritate Cyclopas,
Et rigida durum Gorgone pectus alant.
Hi tamen, (ô facinus, nostriq; ô dedecus æui)
Cladibus Eoos, Hesperiosq; premunt.
Hosq; Syri metuent, Arabes, & Cares, & Indi.
Atq; Semiramia mœnia structa manu.
Carmanisq;, Cilixq; & longè cultor Imaui.
Aequa nec hospitibus Taurica terra suis.
Quaq; fluit Ganges, auro qua turbidus Hermus,
Tygris & Eufrates quæ loca culta rigant.
Iamq; Asia domita, spolijs Orientis onusti.
Europæ in medio bella cruenta gerunt.
Nec Thracas domuisse sat est, Hemumq; niualem
Fregisse & uires Græcia docta, tuas,
Mesia uicta iacet, iacet ingens Illyris ora,
Flexaq; montanæ brachia Dalmatiæ.
Pannonij subière iugum, subière Liburni,
Et quos præterea longa referre mora est.
Iamq; iter ad Rhenum, fontemq; bimominis Istri,
Ense cruentato trux Solimanus agit.
Hocq; magis sitiens, quo plus bibit ille, cruores,
Pascitur è nostris, luxuriatq; malis.
Dira quoq; in Superos, sæuorum more Gygantum,
Bella gerit, nullum dum putat esse Deum.
Carolus hoc monstrum cœlestis robore clauæ
Sternet, & in Stygias præcipitabit aquas.
Et simul Arctoo rex Ferdinandus ab axe,
Arma geret, fratri consocianda suo.
Occidet extincto Mahometica secta furore,
Notus erit toto uerus in orbe Deus.
Quà Boream spectat sublimis ab æthere uertex,
Quà tepet aduersi mitior aura poli.
Quaq; oriens dat signa dies, qua uesperè sero
Lapsus, in æquoreas præcipitatur aquas,
Suspicient pura natum de uirgine Christum,
Missaq; de supero mystica sacra polo.
Tunc belli finis, requiesq; optata malorum,
Tunc nihil infesti, quod uereamur, erit.
Hæc tibi Phœbus ego, superis delapsus ab oris,
Euentura sono uaticinante cano.
Voce Dei monitus te lux clarissima mundi.
Alloquor, imq; sacros ora resoluo sonos.
O decus Austriacæ, spes & noua gloria gentis,
Proxima qui magno cum Ioue regna tenes.
Cuncta tuo pendens à numine, machina mundi,
Tota humeris cœpit nunc onus esse tuis.
Tu clarum afflictis lumen mortalibus affers,
Et nitidum toto spargis in orbe iubar.
Tu Senonũ strages, & Cymbrica damna rependes,
Tu Totile flammas, Vandalicumq; nephas,
Tu Mausolæi redimes pia templa sepulchri,
Sacraq; barbaricas non bene passa manus.
Turca ferox dabit ora tuo nectenda capistro,
Atq; Boristhenio Tartarus orbe nocens.
Insignemq; feres superato ex hoste triumphum,
Quæ ritu ueteres, instituistis aui.
Qualis ab edomita uictor Tyrinthius hydra,
Qualis & Eoo Bacchus ab orbe tulit.
Alta triumphali scandes Capitolia curru,
Quatuor in niueis conspiciendus equis.
Ferdinandus ouans curru sublimis eodem
Frondenti lauro tempora uincta geret.
Præcedent diris onerati colla cathenis.
Sanguineas uincti post sua terga manus.
Qui scelerata colunt Mahometæ sacra nephandi,
Pro falsisq; gerunt bella pudenda Deis.
Præcipuè Turcæ, domita ceruice ferentes,
Vincula, qui nostris gentibus horror erant.
Fercula ducentur celebri solennia pompa,
Cum titulisq; legent oppida capta tuis.

Fluminaq;

Fluminaq; & ueros simulachra imitantia mores,
Armaq; per cumulos, telaq; iuncta suos.
Ornabis sacras spolijs hostilibus ædes,
Virtutiq; feres tot monumenta tuæ.
Curia gaudebit patribus stipata uerendis,
Plebs, eques, ora, manu, prospera signa dabunt
Et lætum Pæana canent duo fulmina belli
Austriades, superis regna secunda tendunt.
At tuus argento chlamydem contectus & auro
Miles, Io, magna uoce triumphe canet.
Dicite Io, fœlix, Pylios dominetur in annos
Carolus, & nostro semper in ore sonet:
Dicite Io, fastos quibus hoc sub Principe nasci
Contigit, & tanto Numine posse frui.
Dicite Io, longum Rex Ferdinandus in æuum
Floreat, & fratri proxima sceptra ferat:
Austriacosq; Duces solitis circumuolet alis,
Gloria, quæ solis lustret utramq; domum
Ipse pio cultu solennes pronus ad aras
Propitio reddes debita uota Deo.
Costum molle fluet, passim spargetur Amomum
Et quæ sepositus munera mittit Arabs.
Ast ubi iam manibus purgatum sanxeris orbem,
Clauseris & firma bellica templa sera.
Prisca renascentur meliori templa metallo,
Et senio posito iam nouus orbis erit:
Sic renouat ueteres ales Gangetica nidos,
Quæ perit ut uiuat morte secunda sua,
Iustitia æthereas tandem delapsa per auras
Pollutam nulla labe reuisit æuum.
Insiliet stricto nusquam sicarius ense,
Præda nec innocuas quæret auarus opes:
Non struet insidias fido delator amico
Præda nec ullius plena cruoris erit.
Captator fumos populo non uendet inanes
Credula quem foueat simplicis aula ducis.
Nullus in aduersos tendet sua brachia fluctus,
Cum liceat facili currere cuiq; uia.
Hæc ego Pieria referam securus in umbra,
Sit licet exiguo paruus in ore sonus.
Sed tamen ingenij quicquid de paupere uena
Fluxerit, id uotis seruiet omne tuis.
Dum Sol uoluetur rapido contrarius orbi,
Lunaq; fraternis obuia fiet equis:
Te super astra uehet sublimi gloria penna,
Tantus ineſt Musis, carminibusq; uigor.
Carmina non metuunt carioſæ damna senectæ,
Illa licet rapido gutture cuncta uoret.
Quod mihi si placida facilis Deus annuet aura,
Hos repetam cantus uberiore lyra.
Lætarum interea mea sit prænuncia rerum,
Musa per æthereas cardine lapsa uias.
Alitibusq; bonis uenientia fata renarret,
Quæ tibi de niueo uellere Parca trahit.
At tu Phœbe pater certis qui legibus æui,
Quæ sunt, quæ fuerant, quæq; futura canis:
Ista tuo monitu cùm sum uentura locutus,
Adijce carminibus pondera digna meis:
Nilq; sit in terris occasu solis ad ortum,
Quod non Austriadum sub ditione fluat.
Sic fore uaticinor, moneoq; fauete monenti,
Vtq; hæc sint stabili credita uerba fide.
Præscia signa ferat, uenturaq; omina fati
Proximus auroræ uectius ab axe dies.

FINIS.

VVIRTEMBERGIAE LIBRI DVO, QVIBVS ILLVSTRISSIMI VVIRTEMBERGORVM PRINCIPIS HVLDRICHI, DVCIS A' THECK, COMITIS A' MONTE Pelegardi, &c. Inclytíssimi, Res militiæ domiq; gestæ, in eo potíssimum bello quod illi à Fœderatis, ætate nostra, Sueuis illatum fuit: Autore Ioanne Tethingero Pedio Tubingio, Friburgi Brisgoiæ Pædonomo. Liber I.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. HVLDRICHO, DVCI VVIRTEMBERGENSI, & à Theck, Comiti Montis Pelegardi, &c. Ioannes Tethingerus Pedius Tubinganus. S. P. D.

ALEXANDER Macedonum rex, Illustríssime Princeps, non solùm rebus, terra mariq; prę clarè gestis, sed animi quoq; magnitudine, gloriæ fortunæq; prosperitate uerè magnus, olim edicto cauit, ne quis imaginem suam pingeret præter Apellem, neue ære sculperetur à quoquam, præterquam à Lysippo, qui eius ætatis artifices erant omnium prę stantíssimi. Sed idem interim totius Asiæ nec non Africæ ac propemodum Europæ uictor à Cherylo, nec abundæ uenæ, nec Attici leporis insubido poëta fortíssima belli facinora describi non tulit indignè. Quibus Illustríssime Princeps adductus, in spẽ protinus erigor, nostra poëmatia quantulacunq; sint (quibus res à te Duce clarissimo belli domiq; gestas memoriæ summatim uellicatimq; prodere decreui) celsitudini tuæ non fore penitus ingrata, nec ingenioli mei sterilem uenam, sed amantem uoluntatem respectui fore, sunt in Vuirtembergensi ducatu (quod ingenuè fateor) etiam hodie uiri ingenij claritate, doctrinæq; fama longè celeberrimi, quibus etiam præstare matulam non sum dignus: ast uerò nemo qui Ducis egregia facta deterere præsumat ingenij culpa. Nihil enim naturæ beneficentia in te summo Principe neglexit, quod ad animi corporis'ue dotes optare queas, id unum celsitudini tuæ quod pio Aeneæ, imò quod pientíssimo diuo Max. Aemiliano Romanorum Cæsari defuit, innatæ scilicet ac genui næ uirtutis fida comes melioris notæ fortuna. Quæ si fato quodam fuerit inauspicata, fortíssimos quosq; uiros susq; deq; habet. Quis autem nescit quantis aduersæ fortunæ procellis celsitudo tua iactata sit, atq; adeò satis superq; exercita, ut non Cherylo aliquo, sed Marone sit opus ad illa describenda, quæ uel cassus aliquis, uel fatalis illa necessitas, intulerit amolienda gladio, seu ferenda animo, ibi ego ausim centum deposcere linguas, ibi ego modis omnibus optarẽ Vergilij grauitatẽ, Silij facundiã, Lucani tubam, Nasonis uberem facilitatem, Flacci luxuriantem uenam, quo singula dignè possim posteritati commẽdare. Sed quãdo id fieri non potest, æquo ferendum animo quod præsens, & (quod aiunt) mola salsa litandũ cui thura desunt, dicat quis, tecum habita. Sed ô Princeps optime mihi temperare nequaquam possum, quin uel inuitis astris illum honorem (si quis olim quod spero fuerit honor huic incœpto) domui Vuirtembergicæ priuatus habeam, quò post mille annos, posteritas ipsa, celsitudinem tuam coràm uidere cum suis colloqui, inter suos uersari, sibi uideat. Dum

leguntur ea, quæ manu fortiter acta, siue oratione sapienter elocuta fuerunt. Quæ res olim Xerxi Persarum regi lachrymas haud quaquam excussisset, si uenisset in mentẽ uiros illustres ob uirtutis insignia mori non posse. Tantus enim Rex sublimi colle sedens quingentas bellatorum myriades armis opibus animi corporisq; robore præstantes, aspiciens os totum fletibus opplet ritu fœminæ, rogatus à proximo quoq; purpurato, quid ita faceret? Heu miseros (ait) mortales ab hinc annis centum, nullus è tanto fortium uirorũ numero manebit in uiuis. Quare ne totus intereat homo, reor operæpretium literis utcunq; mandare celsitudinis tuæ memoratu digna & egregia facta, si non exactè satis & eleganter, at anxiè & non oscitanter omnino, nõ enim omnes nascimur aut Marones aut Horatij, neq; quod Flaccus ait, non cuiuis homini cõtingit adire Corinthum. Deniq; quis quæso post Vergilium (ut de Homero silcam) bella scribere frustra conetur? Quis uerò ueteres illos Poetas per omnia possit imitari. Qui Iouis consilia fulminaq;, Iunonis iram, Mercurij nuncia, Dianæ uenationes, Apollinis arcum, Lyram, Laurum, Aeolias rupes, Neptunia regna, Plutonia tartara, Proserpinas, Eumenides, Cerberos, Martis iras, & ut semel finitã leues musarum cum satyris choros decenter & eleganter carmine complexi sunt, sed ea omnia (licet amœni Poematũ flores habeantur) etiam fabulamenta (nisi τῆς φύσι@ inuolucra scruteris) ad Christianam religionem nihil omninõ faciũt. Quæ uerò si ueterum poesi dempseris, quota pars historiæ remanet? Ego paucis aut ferè nullis immoratus figmentis (quæ sola fortasse poetis conueniunt) ipsam rem breuibus absoluo. Et in gloriam celsitudinis tuę Princeps inclytissime posteritati mando, nec pudet ob hanc audentiam Cherylli colaphos, Meuij choliambos, Mabilij ronchos, à quouis Alexandro, Horatio, Politiano ferre, citraq; stomachũ deuorare, dummodo C. T. meritus honor apud posteros uigeat. Quid? quod exemplo mei Pieridum cultores deliniatã Vuirtembergiam nostram, secuti, cedro digna scribere fortius enitẽtur, & à me lampada cursu poscẽt. Sed ad rem Princeps illustrissime, ante aliquot annos quatuor Vvirtembergensium bellorum syluam C. T. uictoria uelut encomium dedimus in lucem, nec audebam tam sterile poematium summo tibi Duci dicare proprium, quamuis nulli magis proprium. Sylua tamen ab ipso statim prælo prodebat incuriosam festinationem, partim nostram, partim Calcographi, pertęsum laboris erat, quare sarculo sumpto syluę spineta radicitus eruncaui, Vuirtembergiam deinceps (quoniam fermè noua totius erit fœturæ facies) appellare libet, qua breuiter uniuersum bellum T. C. patriæq; (tempore nostro) illatum duobus expedio libris, & id carmine. Deinde quo respondeã non uni palato, commentarium libuit adijcere tribus eundem libris absolutum, ut fastidienti ligatã, soluta succedat oratio, immò si quis uelit utrisq; licebit uti. hanc ine operulã Princeps illustrissime C. T. dedico libens, quam precor æquo animo exporrecta q; fronte suscipiat. Coruus olim Augusto Cęsari ab Actiaca redeunti uictoria concauum salutare strangulata uoce crocitans adeò gratus erat, ut eum multis nummũm millibus emeret, atq; etiam in delitijs haberet, eodem modo gratum sit C. T. quod ineptè cornicor, & amanter ineptio. Fortassis alicui non ita magni momenti labor iste uideri potest. Sed magno mihi constitisse prædico, qui docẽdi munere fungens negocijs ita distrahor ut uix æque alius, hoc unum superfuit, ut euntibus alijs ad pocula, stertentibus, aut ludentibus alijs, ipse ad uersus recurrerẽ. Nihil opinor eorũ quod ad historiæ fidem pertinet omisi, qualiacunq; sint alia: proauorum quædam subiunximus fortia facta, quæcunq; uel à patrum memoria, uel à Nauclero nostro licuit indagare, citius enim cerui cornua quàm nobilium Sueuorum strenuè facta queas inuenire, tam negligentes (gloriolæ puto contemptores egregij) rerum sumus

ubiq;

ubiq; nostrarum Germani, quibus inoleuit illa consuetudo, res principum fortissimè gestas cantilena patrio idiomate compositas, in triuijs, aut inter pocula, domi foris occinere: quæ postquam cœpit obsolescere, uentis illico traduntur alia, & in aquam præclarè facta scribuntur. Secus autē Romani qui multo uerborum leñocinio sua ipsorum facta trahentes in gloriam suam, posteritati commendarunt, alienæ fortitudini non perinde fauentes egregiè aliorum facta uel suppresserunt, uel obscurarunt. Si quisquam uel infimæ classis, at ingenuo candore scriptor ea mandasset memoriæ, non eo uentum fuisset inopiæ, uti Germania bellax ab exteris egregiè partam bello gloriā cogeretur emendicare. Quapropter inclytissime Princeps habebunt posteri quod legant, habebit inclytus Princeps Christophorus, C. T. filius quod imitetur, qui uel à puero paruo fortunam plus æquo nouercam constantissimè tulit, imò superauit, cuius fortitudo militiæ, uirtus egregia domi, spem de se præbent optimam. Deus optimus maximus C. T. nobis quàm diutissimè seruet incolumem. Datę Friburgi Brisgoiæ Kalendis Martijs, Anno à Christo nato. M. D. XLV.

CANDIDO LECTORI IOAN. PE-

DIVS TETHINGERVS S. D.

DEdimus in uulgus ante decennium plus minus Candide Lector Syluam, de quatuor bellis Vuirtembergicis, licet Typographus alium suppoſuerit titulum, quatuor bella scilicet, quæ mihi, postquam in lucem fuit edita, adeò displicuit ut nulla res in uita magis. Titulus aliud promittebat, poematiū longè aliud præ se ferebat, promissis haudquaquam respondens, quòd ego uix uno mense fretus inter Phrontisterij negocia compegeram non omnino bellum (quod supra uires meas esse fateor) sed syluam de bellis Vuirtembergicis scribere uolui, fore sperans fœlicioris aliquem uenæ poetam, qui id negotij paulo pòst capiat, & ex professo bellum hoc scribat. Sed interim neminem audio, nimirum non hoc fit ingeniorum penuria, quorum plurima doctissimaq; uigent in Vuirtembergensi Ducatu, sed nimia uerecundia, ne dicam, rusticano quodam pudore quo sese occultare malunt, quàm in nasutum hoc seculum incidere. Ego semel frontem perfricui (nec ob id mihi placeo) quare Syluam rursus ad incudem reduxi, ac penè interpolaui, quòd uel parum uel nihil de ueteri cortice retineat, & id quidem breui tum laboribus obrutus, insuper illud quale quale est poematiū, Vuirtembergiam dici malo, quòd de Vuirtembergiæ fortunis, hoc est, de rebus belli domiq; gestis carptim dicere, easq; posteris mandare libitum sit, tam carmine quam prosa (tractans idem argumentum) quàm fœliciter iudicent alij: ego mihi ipsi non facio satis, uerum nequeo dormire. Sunt autem qui uersus non adeò curent, hi Commentarium legāt, tum qui solutam nolint orationem, carmina (si modo digna lectu sunt) ad manum habebunt. Præterea diligens Lector facilè deprehendet quid immutarim, & quibus auxerim. Auctarium indicabit ipsa pagella sequēs, reliqua lectio suggeret. Quare Lector optime meam audaciam boni consulas, optimè Vale. E' nostro musæo Friburgi Brisgoiæ Kalendis Martijs, Anno à Virgineo partu. M. D. XLV.

AD D. IOANNEM FABRITIVM DECANVM STOCKAchiani Capituli Mainuuang, Parochum, Ioannes Pedius.

Chare faber noſtras iamdudum ſume camænas,
Ad uiuam has raſit turbida lima cutem.
Vix reor agnoſces ueteris ueſtigia ſyluæ,
Vſque adeò (eruncans plæraq;) muto locos
Si uacat, à ſacris tibi Vuirtembergia rurſus
Ambas immuni, degrauet uſq; manus.
Quam tecum forſan communem nobilis ille
Vualdſbergæ ex Hewdorph uoluet & ipſe libẽ,
Noſtri uiue memor doctiſſime uiue beatus,
Inter preſbyteros fama decuſq; pios.

M. Ioannes Antonius Tethingerus, in libellum Patris.

Lector amice manu procliui, & pectore læto,
Vuirtembergiacæ ſuſcipe facta domus.
Ne ruges frontem, quòd ſint uulgaria forſan
Carmina, ſunt memoris ſigna futura notæ.
Poſteritas olim perpendat principis acta,
Tum caſus patriæ diſcat ametq; ſuæ
Quæritur haud aliud, Maro ſit qui Lãpada poſcat
Atq; aurum ex Enni hoc ſtercore forte legat.

Theophilus, Timotheus, Chriſtophorus, Amandus, Theodorus, Tethingeri, in eundem libellum Patris.

Improbe Mõme tuos ne ringas, contege dentes,
Sis bonus in noſtri dulce poema patris
Quandoquidem facilè eſt taxare, ſed ardua res eſt,
Aedere quid ſimile, & ſcribere lege pari.

VVIRTEMBERGIÆ LIBER PRIMVS.

PER IOANN. PEDIVM TETHING.

[1] Breuiſſima Vuirtembergiæ deſcriptio.



RDior acta ducis Vuirtembergen ſis, atroci
Quem pridem adfligunt Sueuorũ fœdera bello. (cruore
Tum patriæ motus, factas nõ abſq; Pugnas ad Nicrum, paucis perſtringere conor.
Aptius eſto aliquid poſcat uel uiuida uirtus
Principis eximij, uel ſæui buccina Martis,
Quam noſtræ exiguæ poſſint attingere uires.
Ergo intra pellem dicat quis tutus agunto.
Seu lege tentatis æqualia pondera neruis.
Icareo ne more cadas ſublime uolando,
Ne Phaetonteo ſubuertas omnia nixu.
Qui patiar (tenui uel prorſus indole nulla)
Fortunam patriæ Letheo flumine ſcribi?
Num uento tradam duræ feralia Parcæ
Fila? nouercales fortunæ mobilis iras?
Fortè perituris tamen hæc illino chartis
Si minus exactè, tamen ægrè hæc tradimus æuo,
Quum cygni taceant, coruo licet eſſe poetæ.
Dumq; parum faciunt dulces ad farra camœnæ,
Quid uetat incoctos etiam protrudere uerſus.
Quare agite ô Muſæ liceat ueſtro omine telam
Sic temerè exorſam, craſſo pertexere filo.
Quin potius mitto nebulas Heliconis & umbras.
Virgineo lactate ſinu ſator optime rerum,
Tu menti gelidæ latices aſperge ſupernos.
Eſt locus in Sueuis quo [1] Vuirtembergia cultis,
Multi nominis arx uineti collibus hæret
Priſca domus comitum, nunc clari fama Ducatus.
Quo Studgarda loco, pinnatis ardua muris.
Emicat, aula Ducum, quo pinguia Neccharus arua,
Quo ſata læta rigat, piſcoſum flumen amœno
Littore Turrigeras ubi Neccharus alluit urbes.
Vicinos ubi lambit agros, ibi uitis aprico
Plurima colle uiret, rus fertile farris opimi,
Sardoas ibi penè æquat cum fœnore meſſes.
Tota quidem regio quam Vuirtembergus aratro
Vertit, ubiq; ferax frugum, latè educat uuas,
Excepto qua contiguas ea gens colit alpes.
(Inter Danubium & Nicrum ſic incola montes
Nominat, auroram uerſus, mediocriter altos:)
Qua ſerit Hercynium runcatis uepribus aruum.
Vtraq; uitis inops, lapidoſo illa aſpera ſulco.
Hæc rubræ tellus glebæ, ſed frugis abundans
Vtraq;. Tum fœlix pecori pingui optima tauro.
Iucundi paſſim curuis anfractibus amnes
Et ualles & rura ſecant, labentibus undis.
Qui ſeſe Nicro ſpumoſis lapſibus addunt,
Nuſquam non gelidi & muſcoſo margine fontes
Stagnaq; præſtructis operoſa ac pluria ſeptis.
Graminea ualles, & florea prata reſectis

Paſcua

Pascua mille rubis, lympha perculta salubri,
Prouentus pomi Calabro fœcundior agro.
Vis ingens pecorum totis his pascitur oris.
Quid memorem crebras nec inerti robore syluas?
Annosæ quercus, frondosæ ad sidera fagi.
Fructiparos iactant prægrandi stipite ramos:
Infœcundæ abies nigræ tenet ardua syluæ.
Versu efferre feras haud promptum saltibus illis.
Adsuetas, alibi uilloſi tegminis ursus,
Hic setosus aper, luco sese abdidit atro.
Hic lupus insignis prædo clamore fugatur:
Plurimus absq; metu fata pascit pinguia ceruus.
Quid referam capreas, lepores, te subdola uulpes.
Grandibus his alitur uenatio commoda syluis.
Ostentent Itali glebas, Hispania ferrum
lactet, ametq; Tagos, cristam uel Gallia tollat.
Totius Europæ locus haud fœlicior alter
Quàm Nicri sit cultus ager, non gratior alter.
Iam tellus rastri patiens, iam lympidus amnis,
Iam nemus umbriferum, iam syluæ culmē amœnæ:
Nunc uici ingentes, nunc pulchræ mœnibus urbes,
Vadenti occurſant, nunc celsæ in montibus arces.
Quid multis, erit intentos quod pascat ocellos.
Quoquò te uertas, erit huc spectasse uoluptas.
Aer præterea constans, uentiq; salubres.
Terra uirum nutrix & agrorum prospera cultu.
Quo fœlice loco [a] Dux Vuirtembergus auitam
Studgardæ sedem tenet, illo haud clarior alter,
Pugnacem populum, turritis oppida muris.
Munitas arces, magna ditione gubernat.
Ille pius Cæsar ter maximus Aemilianus.
Imperij sacri Romani sceptra gerebat.
Cuius consilio fretus, fauſtoq; fauore
[b] Dux rerum summam nactus, uix puberis æui,
Quin potius nulla prorsum lanugine ephebus,
Sed uegeta princeps adolescens indole, musas
Primis gustarat labris fœliciter, illinc
Traductus, patrio de more adsuescere syluis
Discit, & à teneris duro seruire labori.
Lætus adit nemus, usq; feris intentus, ad alpes.
Crebrò, ac Hercynios ad lucos retia transfert.
[c] Sæpius in multam foris orto à lumine Phœbi
Perdurat noctem, uenatu degere tempus
Est cordi uacuum, feriasq; impendere syluis.
Sudificum solem, glacialis frigora brumæ,
Humectas Austri nebulas, largo toue nymbos,
Vnus ut è medio perferre famemq; sitimq;.
Consueuit, plerumq; manu uenabula gestat.
Lorica aut armis ad pubem tectus ahenis.
Vectus equo, [d] cornu de collo pendet auitum
Insigne, ut rauco per syluæ deuia cantu.
Concitet è latebris prædam, comitesq; reducat,
Nobilitas equitum longa stipante caterua.
Sæpe secuta Ducem, [e] uenando exercita pubes.
Ille canes trahit, hunc arctos extendere casses.
Illum uestigare feras iuuat, ille fatigat.
Alter figit apros, telo transuerberat ursos.
Hicce leues cruda prosternit cuspide ceruos.
Præfuit ille auibus, quas ferre per aera prædam
Trux natura docet, pars claudit cætera saltum,
[f] Dux inter primos gratum subit ipse laborem.
Nonnunquam solus nulloq; satellite septus
It pedibus per lustra feras sectando feroces.
Cornipedem linquens sub fago frena terentem.
Sole sub urenti se limi uelat amictu,
Frigore Brumali denso tegit ora cucullo.
Quærens horrendum nigris in saltibus ursum,
Quem princeps forti transfigat comminus hasta.
Vulnificos prosternere apros, ceruosq; fugaces
Cuspide suscipere, aut telo, non promptior alter.
[g] Autumno redeunte redit non una uoluptas
Venandi, ad pulchras fagos tum degere princeps
Assolet, ac studio consueto fallere tempus.
[h] Ceruus ubi ad uenerem furibundus in auia tendit.
Sublato clamore suos ferus exprimit ignes.
Ramosa fronte elatus, quin prælia miscet,
Congressu intrepido nactos defendit amores.
Dux ibi delitijs actus, nemus omne pererrat:
Arbore sæpe cana occultus, iam figere ceruos.
Externos gaudet prompta celeriq; sagitta:
Iam notat ipse oculis peregrinos gnauiter istos
Alpestres, ac Hercynios, quos figere possit.
Et soles totos luco spatiatur in amplo.
Quandoquidē hoc studio dux horas fallit inertes.
[i] Non Baccho indulget, non luxu frangitur ullo,
Nullius natæ uitium patris obtulit unquàm.
Nullius uxorem stupro fœdauit adulter:
Hoc uotum [K] Ducis, aut syluis impendere curas.
Aut sese armatum conferto ostendere circo,
Ferratas equitum dare turmas, edere ludos.
Nobilibus dignos (specimen uirtutis) equestres
Sæpius in medium ruit, armis undiq; tectus.
Ferreus à capite ad calcem, longeq; coruscus.
Sæpius ære leui, aut lorica tectus ahena:
Iam celer in gyros equitans, iam plana remensus,
[l] Cornipedem dextra leuaq; reflectere doctus.
Ingenuo uultu, procero corpore, glauco
Lumine, cesarie flaua, crispante capillo,
Cui tenerum rubra lanugine syluula mentum
Vestijt, atq; genas pubentes spargere cœpit,
Dum cataphractus in optatam descendit arenam
Agmen agit, partitur equos, certamen inire

[a] Regia Ducum Vuirt. Studgardiæ.

[b] Dux Huldrichus adhuc imberbis rerum potitur.

[c] Nobilium Germanorū palæstra.

[d] Vuirtemb. insigne Venatoriū cornu.

[e] Venādi studium apud nobiles Suevos.

[f] Dux uenationi deditus.

[g] Autumnalis uenatio.

[h] Ceruorum furiosa libido.

[i] Continentia principis.

[K] Dux ludos equestres edit.

[l] Ducis Huldarici facies.

Primus auet, signoq; dato prior inruit acer.
Hunc deturbat equo, fulgenti comminus hasta,
Alterius ualidos non segniter excipit ictus.
Fermè aliâs pugnam cinctus thorace capeßit,
Deijcit hunc claua, hunc gladio fugat, ocyor Euro
Vertit equum, nunc librat atrox, nunc effugit ictũ.
[a] Belli in Palatinum Rheni mentio. Palmam præripiens multis æqualibus, inter
Hæc lu ui sonus atq; tubæ uox personat auras.
Longum sæpe diem solet his transmittere ludis.
[b] Ducis Huldarici coniugium. Nobilium cœtu uix aula frequentior ulla,
Quã ducis Huldrichi, nusquã res maior equestris:
Non dicam quale ante pilos confecerit olim
Cæsaris instinctu bellum, quo pectore, quanto
[c] Huld. Ducis filius. Marte [a] Palatinos Rheni quo adflixerit æstu.
Princeps uxorem claris natalibus ortam
Duxit, quæ multo proauũm genus inclyta ramo
[d] Dux equos et canes alit generosos. Diducat, seriem præclari stemmatis ornet:
Quæ decus allatura [b] Duci gentiq;, secundis
Prodibat stellis, Bauarũm de sanguine summo
Creta Ducum uirgo, Ledæis pulchrior ouis.
[e] Fati rota instabilis. Cui forma similis Dux obtigit, alite fausto
Cœptum coniugium, tollunt mox pignus amoris:
Ludit & ante patrem spes altera sedis auitæ,
Qui patrij regni, fatis poscentibus, [c] hæres
Iura daret populo, generosis moribus, alto
[f] Seditio Rẽsanæ uallis cui nomen (Arm Conrad) pauper Conradus. Pectore Christophorus princeps (tũ reptilis infans)
Nil aget indignum diuino principe quondam.
Consilijs procerum [d] Dux aßidet, ocia nactus,
Rus equitat, specie insigni, perniceq; cursu.
Gaudet equis, canibusq; patrum quis indita uirtus.
Hos in delitijs habet, his in saltibus uti
[g] Pauperis Conradi origo, nomen, & occasio. Sueuerat, aßt illos ad equestrem deligit usum.
Dicere ius alias, tortam componere litem,
Suscipere oblatos attenta mente libellos
Est illi curæ, querulas incidere causßas,
[h] Ab allußione uocularũ Arm, Kain Rhat. Non aditu solum facilis, sed comis in omnes
Extitit, id multis uisum fuit ominis albi
[e] Patum, quin patriæ fœlix faustumq; futurum.
Perpetuum nihil in terris, sors improba certo
Nescia stare loco, mortalia pectora fallit.
Nutrix alma uirũm pax lætas euehit urbes
Vuirtembergorum, floret gens nescia Martis.
Ecce mouent bellum [f] Remsanæ uallis agrestes,
Aduersusq; Ducem sæui arma domestica tollunt,
[K] Pauperis Cõradi plebs eligit prætorem. Schorndorphi turba ebullit, mox occupat agros
Totos dira lues, calcarq; facemq; Megæra
Subijcit, atq; modis indignis omnia miscet,
Multimodum uulgus discussa pacis habena,
Tendit in exitium Conrado paupere reßim
[l] Prætoris officium. Ducente, in turbas ruit, armis effera plebes,
Prætexit patriæ stricto mucrone salutem
Tutari, totam uideas insurgere gentem.
Gens aliâs deuota Duci patriæq; fidelis
Vix premitur ferro, Tragico furiosa tumultu.
Scire operæprecium quo pacto factio demens
Cæpta, uel ad ferri concreuerit usq; furorem
[g] Pauper Conradus Schorndorphi primitus oriũ. Pro deridiculo protritum scomma, dicacis
Commentum uulgi, uerbum sine felle iocosum
Spargitur in ciues multo sale. planius intro
Si inspicis, à simili transsumpta occasio ludi.
Sueuis [h] arm, Kain, Rhat, fuerit quod fortè, Latinis
Pauper Conradus, qua uulgi uoce notatur
Res angusta nimis, spes frigida, macra culina.
Tangitur hoc ioculo pauperculus ordine ciuis
Ex illo, durè tenuem qui quærere uictum
Cogitur, in peius ditescens Hercule surdo,
Prouidus insulsæ qui spartum torquet asellæ,
Seu qui rem patriam fumo dedit atq; culinæ.
Quolibet in cœtu nouus hac de classe popellus.
Assolet alternis colludere, [i] scommate salso
Alter in alterius fortunam ludit, in albo
Nostro nunquid eris? Conradi pauperis est quod
Præscriptum facias, tam censu paupere ciuis.
Pauperiem cole nobiscum, quid ni incipit alter,
Vester ero deinceps, opulentum desero partes.
Spes ut ditescam nulla est, me dedo cohorti
Vestræ, hæc ridiculi causa lusere frequenter,
Hoc pacto accreuit stolidi politêia popelli.
Quid quod uenit eò festiua licentia tandem
Stulticiæ, quod fossor, inops, pannutius, excors,
Communi [K] plebis puncto, prætoris obiret
Munia, & ille rei summam uirtute meretur,
Cum fastu solitus suspenso incedere gressu,
Lino uestitus, Sueuorum scilicet ostro
Pauperior Codro, natura scurra facetus.
Rex uerè Tragicus, cui dum prouincia talis
Traditur, ut Rhoncho exciperet, de fece popelli.
Pultiphagos fabros, obnixius omnia ridet,
Omnibus illudit, doctus motare cachinnum,
Huius nanq; notæ si quis prodire solebat
Vulgi in conspectum, prætori tradere nomen.
Cogitur actutum, ciuisq; nouicius albo
Scribitur, & numero Conradi pauperis, istunc
[l] Officij causa, prætor suspendit adunca
Nare, colore suo graphice depingit, ab imis
Plantis, ad summos populo ridente capillos.
Certos deinde modos agrorum muneris instar,
Collocat in miseros, aduersæ sortis in aruo
Sine in colle famis, quos dotis nomine uertant,
Sic malus hisce famem tolerandam præcinit ales.
Denicq, uicinos iocularia tanta per agros

Gliscebant,

[2] Gliſcebant, hominum mens ſtulta ac neſcia fati.
Plebs fouet excetram proprijs conſtanter in ulnis.
Res abit in lachrymas quantũuis ludicra primò.
Quandoquidem princeps alieno obnoxius ęri,
Pondera diminuit librę, perſuaſus ademit
Menſuræ partem, quo fiſcus creſceret, iſtuc
Aulæa conſilijs reperere, quod aduena quiuis
Penderet in tota paßim ditione tributum,
Tum ſi quis proprijs mactaret in ędibus, aut ſi
Priuatim moleret, uectigal pendere iuſſus,
[b] Penſio mox inuiſa molæ, non grata macello,
Vuirtemberganos conturbat protinus omnes.
Hiſcere nemo tamen quiſquam mutire nec auſus.
Aſt uerò populus Conradi pauperis ægro
Cum primis hæc ferre animo, tacitoq; ſuſurro
Neſcio quid monſtri per conciliabula paſtum,
Deîn libitum clandeſtinis erumpere telis.
Et quiduis potius quàm tanta grauamina ferre,
Plus autem ruri plebs mota bile fremebat.
Ecce autem Beutelſpachæ (quæ uicus in iſta
Valle ſepultura Comitum memorabilis olim.)
Sub tempus Paſcæ noua uix illata macello,
Pondera cùm libra rapuit non treßis agaſo.
Vilis homo quidam, modò non deſpectior Iro,
Et procul aſportans in Remſam conijcit amnem.
Sed quo illuſtre foret facinus ſectante caterua,
Mârtia cum rigido Tibîcine tympana ſtridunt.
Hinc turbæ gliſcunt, hinc Ilias illa malorum
Protinus emergit, [c] Conradi pauperis olim
Seria ludus agit, magniq; eſt Teſſera motus.
Ocyus è cunctis templorum turribus altum
Claßica concrepuere, ſtatim fit curſus ad arma.
Tempore non longo plus millia quinq; uirorum
[d] Conueniunt raptis Schorndorphi ad mœnia telis.
Aſſerere uſq; manu ſua iura nepotibus audent,
Et poſcunt grauis ut rurſus exactio cedat,
Dux aberat peregrè Heßiacum uiſebat amicum,
Rerum ſecurus, nec quicquam tale timeſcit,
Sed poſtquam ſubiti ſit certior ipſe tumultus,
Perdius & pernox reliqui nil fecit, ut ingens
Vincat iter, properans ad regna paterna uolatu
Quam celeri potuit, Studgarda conſtitit arce.
Sed tamen interea præfecti mobile uulgus
Sedant, Neſtoreis mulcentes pectora dictis.
Atq; domum uno euictos miſere colonos.
Plebis Remſanæ ſedata bile per omnes
[e] Pauper Conradus bis tanto inſanius agros
Perfurit, atq; urbeis, nuſquam non itur ad arma,
Quam ſi alibi pacant, alibi furit acrius amens
Plebes, non aliter quam dum ferus Hercules olim,
Hydram diſſecuit, trunco exiluere cruento
Colla decem, ſquamis & linguis fœda triſulcis.
Princeps pollicitus (quæ fors medicamina tanti
Viſa mali) priſcæ pro conſuetudine ſeſe
Singula geſturum, grauis iſta exactio [f] rurſus
Antiquata fuit, poſthæc componere litem
Qui poſſent lecti proceres, & uertice cano,
Et mira grauitate uiri, iuſtiq; boniq;.
Cultores, ueris qui cernant omnia punctis.
Maiorum pro more fidem pacemq; reſumant.
Quo plebs audito ſumptis diſceßit ab armis.
Aſt ucrò ſemel atq; iterum [g] Remſania uallis
Bella mouet, quanquam pax conciliata Ducatum
Seruet in officio reliquum tranquilliter omnem.
Soli Remſani mordebant frena feroces.
Contenti minimè iam libertate priori.
[h] Dux equite aſſũpto Schorndorphũ pgit, ut ipſus
Componat litem, turbas ut deprimat acres,
Forſan pollicitis, ſperans terrore miniſq;,
Ore ſuo effrenes in callem ducere mentes.
Conuocat Agricolas, qui dum ueniſſe relictis
Deberent armis, quam pridem maior anhela
Corripit arma cohors, & multo ſæuior ambit,
Iam quoq; uicini accurrunt ſyluana propago.
Qui ue per ætatem gerere arma coruſca ualebant,
Et prope [i] Schorndorphũ conſiſtunt agmine toruo.
Quo uiſo dux præfectos ablegat atrocem
Qui turbam placent, hi dum lenire furorem
Nixi, flammiuomis oleum inſudêre caminis.
Inſano fremitu furit implacabile uulgus,
Non ſecus ac rabidos ſi quis turbauerit urſos
Fulmineos & apros, genus aut immite luporum,
Præfecti clamore fero ſtrepituq; repulſi.
[K] Dux re percepta calidæ feruore iuuentæ
Motus, ad inſanos procedit ab urbe colonos,
Quadraginta equites non plures pone ſequuntur.
Remſani uelut ad pugnam ſtatuere coruſcas
Haud iam pigrè acies. Lętalitaq; ęra minantur,
Cunctatus nihil ad ſæuas dux uerterat haſtas.
Conſpecto duce confeſtim fera murmura ponũt,
Dant operam taciti, ſurrectis auribus adſtant,
Sicut in obſcura quoq; tempeſtate recedunt,
Humectæ nubes, retrò fugit humidus Auſter,
Sol ubi pulchricomum caput oraq; lucida profert,
Non aliter calidæ tenuere ſilentia turbæ.
[l] Dux ubi Cæſarie flaua, uultuq; ſereno.
Prodijt, in medium, qui coràm talia fatur:
Veſtrá ne Lethæus præcordia comprimit error?
Quæ ue malum res, aut quæ nam uęſania uecors?
Vos agitat tanto cur tollitis arma tumultu?
Nulli hoſtes adſunt me diro cedite ferro
Si merui, ſed enim nec Thrax, nec Sarmata quiſquã

[a] Pauper Conuicinos etiam delectat ioci gratia.

[b] Noua penſio caput ſeditionis.

[c] Seditionis teſſera pauper Conradus.

[d] Seditioſorum petitio.

[e] Factio Conr. uniuerſam Nicri gẽtẽ cõmouet.

[f] Penſio rurſus antiquata.

[g] Remſani ferociores alijs.

[h] Dux ipſe paucis equitibus adit Schorndorph.

[i] Remſani raptis armis Schorn. ueniunt.

[K] Dux ad ſeditioſos.

[l] Oratio Ducis ad pauperem Conradum.

Pollueret domini non sontis sanguine dextram:
Non est quod timeam ferratas unicus hastas,
Non dubitem gremio sub uestro carpere somnum,
Si fidas mentes retinetis more parentum,
Exuite effrenes animos, perpendite quantam
Perniciem ferat, internos agitare tumultus.
Quos opus interdum rapido compescere ferro,
Dij meliora, sed innocuos cum coniuge natos
Concipitote animo, fessosq; ætate parentes.
Desinite in proprios mucronem stringere uultus.
Quæ uos commouit noua pensio tollitur, atqui,
Pristina libertas iam dudum reddita pacat,
Nostrates, placidam patriæ ne rumpite pacem,
Quin parete Duci rectumq; piumq; monenti,
Conseruate fidem, tradamus cæterauentis.
Dummodo pax uigeat uestro non empta cruore,
His dictis oritur clamor, strepitusq; furentum.
Pars aulæ proceres probris inceßit amaris,
Atq; Duci obijciunt furiali murmure sumptus.
Immodicos, Venatores, turbamq; supinam
Symphonetarum, ludos equitesq;, tubasq;.
Oblitii cur tela gerant, metamq; modumq;
Transgressi, causa meritò cecidere potita.
[3] Dux abit è telis equitum sectante caterua
Studgardam sese turbata mente recepit,
Confectus uarijs uoluebat plurima curis.
Et pendens animi, nunc perdere destinat omnes,
Nunc subit insonium temerarius error, & iræ
Comprimit ardores, mentem ratione gubernat,
Ceu clauo nitens maris atro in turbine nauta,
Cautè agitat lembum quaßatum uortice, donec
Portum contulerit facilis Melicerta propinquum.
[b] Remsani uerò nihilo tum segnius augent
Turbas, insanis seruebant motibus omnes.
Postquã discesßit princeps Schorndorphia quantũ
Possunt tecta petunt, non clausas impete portas
Occipiunt cursu, ui raptis clauibus urbi
Præficiunt alios custodes, bellicus horror,
Perturbat ciues, tantum non cæde madebat.
Vrbs quasi capta, grauem plebs auersata senatum,
Rectos contemnit monitus, plebs cœca furore.
Post paulò mentem furiati, mœnia linquunt,
Rapto militiæ signo, ducloribus ante
Selectis collem propere ascendere [c] sacelli.
Persuasi reliquam Conradi pauperis illuc
Venturam fecem, de toto littore Nicri,
Dux uelut in triuio consistens, omnia uersat.
Omne mouet saxum, nunc huc nunc cogitat illuc.
Tanta pericla timet, quæ præsentißima nullus
Tollere nec tolerare queat, sine perpete damno.
Tandem conscribit Studgardos, atq; Tubingos,

Quos pollere fide, præstareq; nouerat armis.
Interea laturus opem re clarus equestri
Francus adest, Hessus domitum uenit ense rebelles
Remsanos, Ducis hi uires auxere animumq;.
Quis equitem iungit patria quem pascit in aula.
Deinde petit lecto Vaiblingam milite colli
Vicinam, quem plebs armis infesta tenebat,
Non adeò experti rerum, discordibus armis
Atq; animis trepidis Remsani castra tuentur,
Pars melior pacem malunt, fex infima bellum.
Principis aduentum postquã olfecere, per umbram
Noctis abire libet, paulatim colle relicto
Dilapsi repetunt gurgustia nota, proterui
Quos cœpti pudet, armorum piget atq; laborís.
Deserto iam colle suos procedere iußit
[d] Dux equites post hos pedites Schorndorphia rur
Mœnia suscepit, Conradi pauperis ordo
Conspuitur probris, odiosaq; factio torpet,
Principis aduentu perterritus unus & alter
Aufugiunt, quorum bona diripienda proteruis
Militibus dederat Dux, horrida Martis imago.
Flebilis heu rerum facies, discurritur, armis
Omnia perstrepuere, æquata solo domus una
Diruta puluis erat, tecto paulò antè superba.
Plebs iam pressa latet, ferro tamen abstinet atrox
Miles, & indicta nullos occidere causa
Tum licuit, uerum [e] coniecti in uincula quidam
Seditiosorum, uicatim curritur ingens
Vinctorum series arcto tremit anxia fune,
Sera subit plebem tanti damnatio cœpti.
Iam luctu fessæ matres, natiq; sedebant,
Et miseri expectant, quem det Ramnusia finem,
Sol ubi posterior motis sese obtulit umbris
Agricolæ è uicis Remsanæ uallis inermes,
Schorndorphum iussu ducis aduenere, frequenti
Campo consistunt, prope Remsam, quo prius armis
Induti micuere truces, nunc re quoq; fracta
Conueniunt illuc, dubij quis finis iniquæ
Fortunæ fieret, contusi corde coloni.
Dux capere arma suos iubet ac circumdare telis,
[f] Remsanos raptim armatis includere metis.
Ipse equitem ducens, præmisso milite, longo
Subsequitur strepitu, radianti casside toruus
Splẽdet eques, multo ære minax equitatus oberrat,
Remsani iam septi armis stant omine leuo.
Quos princeps telo uelut acri indagine clausos
Alloquitur, seroq; nimis trepidantibus, infit,
[g] Vos ne modo nullo placati ponitis arma?
Remsani? ratio non ulla æquiq; boniq;.
Vos potuit uetitis auertere leniter armis?
Perdere uos potui, ferro, flammaq;, rebelles.

[a] Dux infecto negocio Studgardam recedit.

[b] Pauperis Conradi uulgus occupat Schorndorphum.

[c] Factiosi mõ tẽ sacelli conscendunt uulgò Capelenberg.

[d] Dux recipit Schorn.

[e] Seditiosi cõiecti in uincula.

[f] Remsani circũuenti clauduntur armis.

[g] Oratio Ducis ad Conpaup.

Viſæuáq; manu, inſandos punire tumultus,
Abſq; cruore tamen, citráq; negocia capti
Statis, & arbitrio ſubiecti uictima noſtro.
Non animo ſedet in quenquam ſæuire meorum,
Iuſtitia monitus, iuri, dum ſiſtere phas eſt,
Authores ſcelerum, diræ capita impia turbæ.
Remſanos iubet arma citò deponere, uaro
Sydere iam parent, in aceruum tela reponunt,
Nil præter gladios, tamen aut uenabula cincti.
Pro delatorum nutu rapiuntur in atram
Carceris illuuiem, plus octogena uirorum,
Non ſecus atq; canes numeroſo fune trahuntur
Captiui, reliquos armatis undiq; ſeptos,
Vltra mille uiros in mœnia ducere iuſſit.
Interea e uinctis mandans exculpere uerum.
Nox ea tormentis fermè tranſacta reorum.
Poſt ubi diluxit, primum captiua colonûm,
Turba foras agitur, biduûm ieiuna, ſitiq;
Torta iacens, rabiem ſemel edormiuerat omnem,
Poſt uerò ad pœnas uinctorum turba ſecuta.
Diuiſis ad fata reis, pars cætera plano
Stare loco iuſſi prope Remſam milite clauſi.
Princeps extemplo, turma ſtipatus equeſtri,
Proceſſit radians armis, ibi protinus omnes
Remſani ad genua ipſa Ducis prouoluere ſeſe
Certatim nixi, curuato poplite totam
[a] Strati fermè horam, deſpectam poſcere pacem,
Stultè factorum ueniam cœper, fidemq;
Deinceps infractam belliq; domiq; futuram
Polliciti, has turbas fatis ut imputet orant.
Dux animo perdifficili, præfractus, & aſper,
Remſanis uiſus, monitus qui temnere amicos
Perſtiterunt, aſt in præſens bonus omnia donat,
Errori & fato, per cætera quos fore ſperet,
Et magis addictos fidei, cautoſq; pericli.
Continuò uinctis permiſſum dicere cauſam
Structa quidem propius ſubſellia iudicis adſtant,
[b] Huc turba ſpectante rei ſtatuuntur, & omni
Conatu ſe quiſq; dato ſub iudice purgat.
Quare omnino decem captorum de grege tanto,
Supplicio affecti capitis, pars cætera pulſi.
Finibus è patrijs, pars hinc impunè recedunt,
Plus quadringenti proſcripti rure paterno
Cedunt, elapſi pœnis, exempla daturi
Triſtia, nĩ meritam fugiſſent principis iram.
Iuratos iterum conceptis antea uerbis.
Remſanos repedare domum permittit ademptis,
(Pace frui in reliquũ præceperat) omnibus armis.
Dimiſſis bello Studgardis atq; Tubingis
Magnifice dicit, uicinis inde benignam
Nobilibus ſpondens operam ſi uenerit uſus.

[c] Seditione foris paeata, principis aulam
Litis amans Ate funeſtis implicat iris.
Peſtiferis feruens odijs Ate omnia turbat,
Dux præter ſolitum rugoſa fronte ſeuerus.
Paucis aut nullis iam fidens anxius egit,
Seditionis ad hæc quoties reminiſcitur inter
Purpureos, tacita frueſcens bile fremebat,
Aulæ conſilium nunc acriter increpat, & nunc
Augendi fiſci ſententia cruda rebullit,
Nunc falſis turbas præfectis imputat iſtas,
Nunc uerò proceres incuſat, uindice paſſim
Delatos gladio punit, non ulla uirorum
Magnatum ratio, ſuſpecti uita laborat,
Quæ res non paucos commouit gente, loco, re,
Summos, inuidiamq; Duci res illa mouebat,
Nam quidam ſponte officijs abiere ſupremis.
[d] Quidam non adeò deiectæ ſortis equeſtres
Coniurant in perniciem Ducis, atq; ruinam
Communis patriæ, libet hic conſidere uerum
Ne uulnus tangam, prudens compendia ſaxo.
Coruus adulator turbatæ obrepſerat aulæ,
Suſpectos reddens uel fidos omnia rixis,
Cuncta opplet nugis, oleum quo ſubderet igni.
Quicquid ubiq; fuit dictum factumúe malignus
Inuertit, miſcens (ut fit) uaniſſima ueris
Concidit occultis iam principis aula ruinis.
Vindelicûm Auguſtæ conuentum [e] Cæſar habebat,
Maxmilianus eò Germanæ plurima terræ
Nobilitas uênit, princeps Huldrichus iniquis
Turbatus fatis, dubitat prorepere, tandem
Deſtinat eſſe domi, miſſo oratore manendi.
Qui cauſas reddat quem uultu Cæſar amico,
Clementiq; animo prius audijt, inſuper illud
Addidit, ut ſolus captato tempore, princeps
Colloqueretur ei, quem uellet mittere Cæſar.
Blaubeyram poſthæc tranſmiſſus epiſcopus ille
[f] Ille Saliſburgi Sacræ de Cardine Langus
Sedis Apoſtolicæ, Mitræ quem Gemma decorat,
Cui muſæ ex æquo & uirtus nomenq; decuſq;,
Pleno addunt cornu qui Cæſaris alter Achates.
Quo feſtinus abit, quo ſe dux contulit, armis
Munitus, Vuirtembergûm ſibi millia dena
Tutamenta ſui conſcripſerat, aſt ubi ferme
Colloquio triduum conceſſum, cedit uterq;
Dux patrios fines, Auguſtam Langus adibat,
Dux alacris uoto, uectus peracue ueredo.
Nunc primos, nunc poſtremos, uelociter ambit,
Vuirtembergenſes ut contempletur in armis.
Iamq; animo pugnas meditans, hortatibus urget
Agmen, ut ad buxi flatus, ad tympana rauca.
Componat greſſum, ceu uiſis hoſtibus ornat,

[a] Turba pau. Con. ad genuam ducis procumbit.

[b] Seditionis authores è uinculis cauſam dicunt.

[c] Dux inteſtinis aulæ ſeditionibus agitatur.

[d] Quidã nobilium coniurãt in principem.

[e] Cæſar, Max. Aemil. edicit Auguſtenſe comitium.

[f] R. P. Matheus Langus Cardinalis Epiſcopus Saliſburgi.

Disponitq; acies, fulgenteis ordinat alas.
Horrida bella agitans, illi tot cursibus uso.
Aereus emicuit phœbi sub lampade Thorax,
Auricomæ uolitant, à fulua cassíde pennæ.
Fortè per arua meant, ubi uallis amœna sonoro
Perstrepit amniculo, uetus arx, & amabile gyro.
[a] Sedes Comitis ab Helphenstain. Non procul oppidulum, [1] Comitis notissima sedes,
Cuius gentile est Elephas insigne repandus.
Iuxtà non magni sed arato iugere uici,
Hîc Vuirtembergi mandabant corpora curæ.
Sol medium feruens æstu conscenderat axem,
Tota manus patinas ac Vuida pocula bellat.
Arcis custodes quæ nam dementia uecors
Ceperit, ignotum, iaculantur tecta propinquæ
Cauponæ, ærata sambuce, tortilis ictus
Omnibus illæsis abit, ingens ansa tumultus.
Orti clamores, hinc effera classica multo
Concrepuere sono, iam quantum quisq; ualebant
Arma citi rapiunt, cunei densantur in agmen.
Qualiter à tonitru rabidarum turba ferarum,
Per præceps ruit, aut magno cane concita fertur.
Princeps in medium uasto clamore uocatus,
Ante alios ruit, ære micans, animoq; sagaci
Disquirit causam turbæ, nimium tulit ægrè
Despicier uelut è sublimi. sæuus oberrat.
Qualis aper (quem frustrato non prouidus ictu,
Venator latitans petit) irritatus in agros
Fertur, & in quemuis collectas euomit iras.
Imperat exemplo comitis comburere uillas
Ferro uti, facimus iubet ense rependere tantum.
Armis fulgentes Kurchani & Vueylica pubes,
Principis in uultum procedunt multa precati.
Ne uelit immeritos uicinos perdere, si quid
Custodes arcis peccassent, mente recepta
[b] Arx Hiltenburgum capitur à Vuirtemb. Dux ait, ergo age uicinis iam reddita uestris
Gratia fit facti, tamen expugnabimus arcem.
Tunc mora nulla tubæ pro signo, miles in armis
Ardua montis adit, nemo postremus, in altum
Lætifera æra crepant, par pugnæ personat ingens
[c] Prodigia Studgardæ noctu conspecta. Clamor, dilapsi custodes arce relictæ:
Nescius ecce rei peregrè Comes abfuit, huius
Audito fremitu, de parua prouolat urbe
Coniux, allatis ut pandat clauibus arcem.
Strauit humi sese ante pedes Ducis anxia mentis,
[d] Reutlingi resistunt oppugnãtibus. Et pregnans, uisam Dux territus ipse leuabat.
Atq; bono iubet esse animo, spemq; addidit, ast iam
[b] Vuirtembergenses domus in penetralia fractis
Irrucrant portis, capta dominantur in arce.
[e] Bellum hoc uulgò Stettkrieg dictũ. Dux uerò dominam uerbis solatur amicis,
Atq; domum repedare iubet, deîn milite munit,
Arcem, post iter incœptum ducto agmine pergit.
Suspectum deinde inuentis (sic fama) tabellis
Hiltenburgiacum Vulcano tradere iussit.
Interea functus fato, ter maximus Heros
Aemilianus obit, ferali sydere, Cæsar.
Quo patriæ patre defuncto, respublica tetris
Cladibus afficitur, simul inter spemq; metumq;
Fluctuat orbis, & arma ferox Mars ipse minatur,
Signa mali præsaga polo sunt uisa Sueuis,
Splenduit ignifero fatalis crine Cometes.
[c] Armatos noctu Studgardo in climate uisum,
Terrifico trepidum certamen inire tumultu.
Confines Franci Nicro fera bella mouebant,
Deîn coniurati socias spondisse cateruas
Dicuntur, nil non Sueuis fors inuida miscet,
Dux animo forti (ceu murus aheneus) omnem
Fortunæ insultum, peruersaq; sydera spernit.
Omnia ludus erant uel mille pericula, donec
Reutlingam Imperij Romani inuaserat urbem
Percitus, irritans inuisos sponte crabrones.
Sæuit hyems Aquilone fero, nix frigore denso
Contegit arua, Nicrum glacies crurum tenus obdit,
Quum Dux Reutlingam premit obsidione, locatis
Ad murum castris, iam propugnacula sæuus
Oppugnat, quàm prouisus prius imminet urbi.
Ingenti sonitu quatit ærea machina turreis.
Intonat ære cauo polus horrisonoq; fragore
Terra tremit, ualles reboant, immurmurat aura.
Vrbani contra fusi per mœnia passim
[d] Conati, obsessos armis defendere muros.
Castraq; fulmineo strauisse potentius ictu
Certant, hostiles resono falcone phalanges
Excipiunt, procul aereis è turribus acto,
Mox noctu erumpunt subiectis undiq; flammis.
Vulcano egregiè constructa suburbia donant,
Clausuri accessum si dijs placet hostibus omnem.
Ante fimo & topho ferratas undiq; portas
Occluserè, modis properabant omnia miris.
Non animo fracti, sunt quos accendit auitum,
Pro patria pugnare decus, nam fertur & olim
Ciuis Marte ferox, prope mœnia fortiter hosti
Congressus, ferro stragem fecisse cruentam.
Dum Vuirtembergi comites dum Sueuus equestris,
Imperijq; urbes, ciuilia bella gerebant,
Sueuiaq; in proprios ensem stringebat alumnos.
Vuirtembergiacis, Ebrardus (rebus ubiq; Præclarè gestis clarissimus) imperat oris,
Iam senior, qui municipi bella acria mouit,
Assumit socios uicinos gnarus equestres.
Quos aut nobilitas effert, aut bellica uirtus,
Iunior huic natus, sed auitis haud minor actis.
Delectam iussere manum considere signis.

Conspirant

Conspirant, urbeis opibusq; uirisq; potentes,
Mox ceptum uarijs passim conflictibus uti,
Vrere, prædari, latè loca cede repleri.
Sæpe ex insidijs pecus aruo abducere ciues
Asueti, sesq; in tuta referre uicissim.
Nobilitas non clàm sed aperto Marte lacessunt
Hostem, collatis cupiunt decernere signis.
Crebra cladè quidem, crebris hinc inde ropæis,
Signauere locos, madefactaq; sanguine rura.
Factio nobilium turritis urbibus, urbes
Nobilibus uario Mauorte negocia reddunt.
Quingenti numerò [b] Reutlingæ è mœnibus olim
Effusi pedites populantur atrociter agros
Vrachiæ uallis, succensis undiq; uillis.
Dum spolia ampla trahunt redeuntes agmine læti,
Iunior Huldrichus temerè & sine uelite, tantum
Correptis equitum turmis, perrexerat ultum.
Tam fidens facinus, [c] Reutlingæ ad mœnia pugnam
Conseruit, dubio pugnatur Marte, fragosus
Impetus astra ferit, cœlo sonus infremit alto.
Tela crepant telis impacta, gemuntq; ruuntq;,
Nunc bellator equus, nunc fessus uulnere miles.
Bombardis uti nescitum ætate priori,
Verum intra pinnas postquam labor iste suorum
Ciuibus innotuit (pro ut quenq; præhenderat intus
Ad sellas operasq; fragor) pars maxima raptis
Festine sudibus, facto uelut agmine currunt.
Porta prius clauso marcebat cardine, qua mox
Infracta erumpunt, & ad hostes calle feruntur.
Occulto atq; acies languenteis integer ambit
Ciuis, & Heroes cæsim punctimq; trucidat
Non Fabiana cohors Cremeræ per littora quondã
Tam diræ confossa fuit, tam prodita Veijs,
Iunior Huldrichus profligatis rebus ad Achelm
Sautius euasit, paucis comitantibus, arcem,
Conflictus parti magno constabat utriq;.
Nonnulli comites, non imæ classis equestres,
Plus quinquaginta cæsi per rura iacebant
Constrati, præter seruorum ignobile uulgus.
Ciues plus minus in pugna cecidere ducenti.
Maiorum fama hac, ardet [d] Reutlingia pubes.
Hostes à patrijs muris arcere, uel instar
Hispanæ obsidium ueteris perferre Sagunti.
Verum non idem fortunæ cultus in armis,
Atq; olim præsens intentant omnia fatum.
Ciues spem capiunt hostem per [e] frigora tanta
Non duraturum, nisi cornea pectora gestet,
Vsq; adeò furit acris hyems, urentibus auris,
Immitis Boreæ, Scythici cum frigore Cauri,
Ianus enim glacie hirsutum caput extulit anceps.
Orsus natalem Christi, Brumæq; Kalendas.

Quid quod succretas niue fundit aquarius urnas.
Corrupta in glaciem potusq; cibusq; peribant.
Dirigere gelu multi, Dux arduus ambit,
Nunc iubet ad uallum pubem exercere strucndum,
Nunc ignes fieri magnos docet undiq; lignis
Congestis, per castra pyras facit esse frequentes,
Namq; breui rerum tantarum confore finem.
Circuit ipse sago tectus, uiliq; galero,
Exemploq; sui monet ad fortissima Sueuos.
Primus ad æratas Bombardas nocte dieq;
Adstitit, ipse globos, rapidasq; in mœnia flammas.
Inijcit, urbanis extrema pericla minatur,
Quid facerent ciues, quos undiq; Martis iniqui
Pressit onus, glacies torpentia flumina texit,
Paucus aquæ restat concretis fontibus usus
Omnibus id curæ est, ne dux incendia miscens,
Expugnet captam conscensis mœnibus urbem.
Murus adhæc (aditum longa præbente ruina)
Ruptus hiat, latè fossas æquauerat acris
Tempestas brumæ, ac discussi rudera muri.
Machina terrifico magis ac magis ærea bombo,
Sæuijt in turreis, euersa mole, ruentes.
His animaduersis reserata in mœnia porta.
Suscepere [f] Ducem, iuratam protinus urbem
Præsidio munit, Dux, in tutumq; recedit.
Germani Heroes & Romani alitis urbes
Illustres, fœdus iam pridem pacis alendæ
Caussa percutiunt, huc tradunt nomina, Sueui,
Vindelici, Bauari, Franci, illi Noricus albo
Scribitur, accedunt non unus Episcopus, Abbas,
Non unus, multiq; Duces, Comitesq;, Baronesq;,
Id libet à Sueuis, Sueuorum dicere fœdus.
Diuersa de gente licet communiter ictum,
Fœderis Huldrichus dux pars non infima tanti
Strinxerat in socios iris stimulantibus ensem,
Vlciscens cæsum Reutlinga in urbe ministrum.
Prærapidis alis uolitat iam fama per orbem
Reutlingam ferit à Vuirtembergo duce captam.
Res ea sollicitos habuit de fœdere Sueuos.
Nec non municipes quorum Reutlingus in albo
[g] Vicini trepidant, portas munire, suorum
Lustrare arma, foris tentoria tendere, belli
Signa nouare, uiros conscribere, mœnia saxis
Opplere, ærius armare in prælia turreis.
Aeris adhæc uarias infesto gutture moles
Ducere, quæ tonitru iactarent fulmina toruo.
Principis Huldrichi nemo non horruit arma,
Porrò [h] interregni damnosa licentia multos
Terruit, usq; adeò totis Mars æstuat aruis.
Imperij proceres & ab icto [i] fœdere Sueui
Consilium cogunt, rem pendunt sensibus imis.

[a] Vrbes imperij contra nobiles.

[b] Reutlingenses Vrachiam uallẽ populantur.

[c] Comes Huldrichus Vuirtembergensis, cum Reutlingis cõgreditur.

[d] Reutlingorum pertinacia.

[e] Frigus intolerabile.

[f] Duci Vuirtembergo sededunt Reutlingi.

[g] Vicinorum trepidatio.

[h] Interregnũ periculosum

[i] Fœderati Sueui Vuirtembergorũ Duci bellum indicunt.

Non

Non aluere diu tacito sub pectore menstrum,
Vuirtembergiacis indicunt prælia campis.
[a] Dux Huldrichus exercitũ conscribit. Copiat [a] Huldrichus dux Vuirtembergus, habetur
Delectus uehemens, patrio de more, canoris
Tympana rauca sonis crepitabant classica passim,
Militiæ iam signa uolant, iam per fora currus.
Extructi stabant Bombardis, omnia tristis
Indicia hæc belli, cordi est arcere cateruas.
A' patria hostiles, aut duro occumbere fato.
Millia Dux bis quina uirũm delegerat audax,
Vrbibus è patrijs, animos in prælia natos.
Nam Vuirtembergi quoq; duri Martis amore,
Sueti in militiam proficisci, stipe merêre.
Quo patriam discant propria uirtute tueri,
Triginta peditum conscribere millia posset.
Dux è subiectis, sed ne in discrimen apertum,
Desuetos armis post ocia longa reducat.
[b] Helueticorũ uiginti millia Dux conduxerat. [b] Millia uiginti Heluetiũm dux ære soluto,
Conduxit, quibus adiunxit quoq; millia dena
Sueuorum quos opponens hostilibus armis,
Blaubeyram properè perrexerat obuius hosti.
Sed tamen auerso nec quicquam Marte parabat,
Magno Dux animo funestas uincere Parcas.
Heluetij simul ac moniti sunt fœderis inter
Sueuos atq; suos dimisso principe dudum
Concessere domum, Ducis ultro castra secuti,
Libera gens actis retrò iam pluribus annis,
Colla iugo excussit, seuos exosa Tyrannos.
Gens bello insignis, reges illectat amicos
Indole, ui, pugna, Spartanis haud minor ausis
Attamen abfuj; patrum populiq; assensibus, illuc
Sese contulerat bellatum, allecta iuuentus.
Hinc iussi repedare domum, tentoria linquunt,
Principis Huldrichi, sub cultro ast ille relictus,
[c] Oratio Ducis ad suos. Hosti ludibrio gemebundo hæc pectore fatur,
Auribus arrectis iam circumstante corona.
[c] O' fortes mala fata meis conatibus obstant,
[d] Haidẽheim obsidetur. Iratisq; dijs capio primordia belli.
Nam prius ad pugnã quam uênimus ilicet, actu' est
Cedam fortunæ, quid enim tricena uirorum
[e] Blaubeira arx & oppidum. Millia, de nostris in prælia ducere possem?
Desuetos bello tam longa in pace colonos?
Militiæ oblitos, uariabilis alea Martis
Multo aliter nobis, & lux hæc inuida suadent,
[f] Alpestrium frugalitas. Decreui Heluetios nostris adiungere fortes,
Hostibus inuisis ambas opponere gentes.
Viribus exuto, quid multis imminet hostis,
[g] Sueuorum frugalitas. Vobis ô ciues patrias ante omnia præstat
Vrbes tutari, quàm multo sanguine dirum
Discere Martis opus, quàm uaro sidere niti.
Fluminis aduersus tractum sortemq; nouercam,
Propterea obtestor uestri geniumq; fidemq;,
Res utcunq; cadet fortes pugnate paternæ
Virtutis memores, si quando fronte serena,
Si me respiciet melior sors, præmia quiuis
Factis digna feret, genibus dum fultior istis.
His dictis fremitu contollunt murmura longo
Vuirtembergenses concussa atrociter hasta
Prompti per medios itare haud segniter enses,
Pro duce, pro patria, ni perfida fata negarent,
Aegrè discedunt confessi uocibus iras.
Interea Bauarũm Dux bellica signa mouebat
In Vuirtembergos, cui tum socia agmina iungunt.
Mox Franci, deìn Vindelici, pòst Noricus asper,
Imperij proceres iurati fœdera Sueui.
Millia triginta peditum (sic fama) coibant,
Octo equitum numero ferratis millia peltis.
Quadrigæ innumeræ, quæ bellis apta uehebant,
Aereaq; immani iam plurima gutture nutat,
Et Sambuca uiris, & muris, horrida pestis.
Obsidio premitur primo [d] Haidenhaimica rupes.
Arx atq; oppidulum, non multis ciuibus, illi
Fœdereos ausi tamen, aruo arcere paterno.
Rus macrum circà, cliui, syluæq; frequentes,
Rus per tristiciam cœli, nec uitibus aptum.
Sudifico Agricolæ proscindunt uomere glebas.
Aes tamen effodiunt, iam docti cudere ferrum,
Angustam dirimit uallem Brens flumine paruo
Labens, stagnanteis piscosa corte paludes
Efficit, Abbatum tres amplas præterit ædes.
Halbuochæ in primo Kingsbrunam limine syluæ
Post uerò Anhusam præterfluit amne secundo,
Proximaq; aduersas tenet Heruertingia ripas.
Aequa mente patres dedunt se protinus hosti,
Iurat & Haidenheim properant iurare coloni.
Mox uerò ad Blauum tenuis [e] Blauberia flumen
Fœdereis referat portas, se dedidit abbas.
Arx uetus ad rupem uicinam condita iurat.
Rusticus hic fidis Bromio sed egentibus aruis
Semina concredit Cerealia fœnore certo,
Saxosos tamen occat agros, [f] alpestria uernit
Sudans rura, pecus colit omnigenum, sed habendi
Maior cura ouibus, quis frontem cornua cinguni.
Nam quæ confines Nicro, & Blauo, colit alpes.
Danubij (patientis adhuc coniungere pontes)
Quæ uc Lici, Coceri ue colit gens Sueuica ripas.
Sola refert ueteres longa adsuetudine Sueuos
Multæ gens operæ, non rebus inepta gerendis.
[g] Frugali uictu, multi nec prodiga sumptus,
Flauo crine, oculis glaucis, uultuq; feroci.
Canabe non secus ac ostro gens illa superbit,
Vt nescit uites, ita uini parcior, omnem

Luxuriem

Luxuriem ſpernit, pulmento & lacte beata.
Feſto ad uina die ſi uir conceſſerit, uxor
Sole perusta iacet fumoſæ ad limina uillæ,
Quam circum grandes uideas colludere natos,
Quidè quòd fœmina init conuiuia publica raro
Liberiore modo celebrant ſponſalia. Sueui.
Vir mulierq; nouo gaudent ſplendere paratu,
Priuatim certis agitant Dionyſia feſtis.
Sedula tam coniunx hilari quo luce fruantur,
Cum butyro lagana (ex ouis molliq; farina
Et lactis modico) ſartagine cocta, caniſtris
Plenis adponit, pueris plaudentibus, illas
Delicium ſummum Sueuis glutire placentas.
Caſeoli, Corylæq; nuces, & poma, ſecundas
Exornant menſas, & aquæ potatio mulſæ.
Parcè aliàs uiuunt docti perferre labores
[a] Zuifalt Cœnobium prædiues deditur hoſti.
Fœderis inde adijt [b] Gæppingæ mœnia miles,
Quæ turrita procul campeſtri urbs eminet agro.
Parua, ſed hoſtili non contemnenda phalangi.
Rus circùm pingue, & multa conualle, bicornem
Latè intra uallem, diſtenditur, id ſecat amnis
Vultza uorax agri, ſilicoſo margine, multis
Itq; reditq; uadis, Nicri ſe fluctibus infert.
Mitior hîc aer, ſed enim uicinior alpi
Sueuæ, haud ſert uuas, tellus uberrima frugum.
Nobilium non una iugis extructa ſupremis
Sedes, priſcorum belli monumenta uirorum.
Ipſe (extra uites) adparet tractus amœnus,
Vultzanam dicunt paruo de flumine uallem
Commoda morboſis hîc [c] balnea fontis amari.
Vici ſtructura nitidi, cultore frequentes,
[d] Diues Adelbergum, non ſolum nomine clarum
Cœnobium, ſed re pollens, ſpectabile muro.
Non procul hinc, ſylua tectum florebat in alta,
Quod cogunt equites iurare in fœdera Sueuûm.
Longior à Rechberg Gæppingæ præſidet, illuc
Præſidium ſimul è uicis imponitur urbi,
Dudum caſtra ferox ad muros collocat hoſtis.
Et quatit ære cauo turreis, ac tecta, boatu
Terrifico rus omne tonat, per mœnia fuſi
Gæppingi, patriam totis defendere neruis
Conati, æratis Colubrinis eminus actis,
Arcent à muro geminato fulmine Sueuos
Non ſine clade quidem, uapido ſambuca uolatu,
Lætiferum ueluti fulmen Iouis obuia ſternit.
Sed contra rapidum torrentem brachia ciuis
Iactabat, fortuna æquis conatibus obſtat.
Iuncta fuit muro, ſublimi culmine turris,
Ardua quadrato quæ tendit in aera ſaxo,
Perfugij ſpes, & forti ſacra ancora ciui,
Quæ in lapſum prona urbanis infauſta minatur,
Nam uaſtis foſſam compleſſet uerſa ruinis,
Hoſti aditum ſpondens, animũ quod fregerat urbi,
Quæ ſe fœdereis inuito pectore tradit.
Fœderei ad læuam conſcenſo colle recedunt,
Et Kurcham uerſus traducunt agmina, uentu' eſt
Planicies ubi ſagiferis circumdata ſyluis,
Multo ſarre uiret, deîn grandes undiq; uicè
Nobiliumq; domus, ſub ſigno incedere iuſſus
Miles, & à manibus, quo temperet ordine ſtructo
Ducitur, hoſtiles placuit prætexere fraudes.
Mons à Gæppingis (dorſo quem ſylua perenni
Veſtit) Vueyllanos iugiter conuertit in agros.
Cuius ad anfractum ſpeculæ ueſtigia lapſæ
Reſtant, quam coluit [e] Comes Aichelbergius olim.
Paruæ urbi imperitãs Vueyllæ quæ proxima pinnis
Exiguis floret, ſinuoſis uallibus amplum
Rus colit, ac uites in apricis collibus ornat,
Quas iuga ſyluarum claudunt, rura irrigat amnis,
Quo dilapſa cohors, inhiabat perfida prædis,
Contempto imperio, ſine ſignis, rure uagatur.
Atq; adeò Vueyllam ſine iuſſu, inuadere miles
Spe prædæ allectus, cœpit: iam tympana raucum
Claſſica dira canunt, collectoq; agmine primi
Iunctis irrumpunt haſtis, è cardine portam
Denſati in cuneos euellunt protinus unam.
Mox aliam adgreſſi, ciues pro limine portæ
Pugnant interius, non extra ſegnius hoſtes
Hi fregiſſe, illi certant defendere limen.
Cœno fœda palus ſtat portæ proxima, pontem
Quæ iungit ligno, per quem ferus irruit hoſtis
Vix deni in paruo poſſunt conſiſtere ponte
Murum conſeruant ciues quem nemo petebat.
Solum certabant fragiles excindere portas
Sudatum ſatis, æra tonant lætalia feruet
Pugna foris, iam nunc actum de ciuibus eſſet,
Ni quidam audito peditum clamore Tribunus
Militiæ aduolitans conatibus obuius iſſet
Infandis, erepta lupis uix præda cruentis,
Coruus hians miles miſere blaſphæmus abibat.
Mons hîc in medio longè cultiſſimus aruo,
Nulli contiguus, ſublimi uertice ſurgit.
Pampineis de imo ad ſummum ſe uitibus ornat.
Multa fruge uiret, multa ſimul arbore pomi.
Quondam Lympurgûm ſedes (ſic fama) Baronum
Nunc phani locus, à ſummo (mirabile uiſu)
Culmine promanat ſcatebris & perpete uena.
Fons prælargus aquæ, qui ſicca æſtate ſcatebat,
Tantopere ut phano imbueret cementa ſtruendo.
Montem Vueylha tenet, cuius decliue remenſi
Sueuorum proceres, à Kurcha paſſibus abſunt

[a] Abbas Zuifalt.
[b] Gæppingæ uallatur.
[c] Balnea fontis amari.
[d] Abbas Adelberg.
[e] Comes ab Aichelberg.

Haud

Haud multis resides in aprica ualle, sed extra
Telorum iactus. Iesingæ castra locabant.
Clausis urbani portis hostilia temnunt
Agmina, cincti armis turres & mœnia seruant.
Plano urbs parua loco, turritis ardua muris
Et uallo & fossa, longè munitior inter
Vuirtemberganas, longeq; uenustior urbes,
Vbertate soli excellens, & lenibus auris.
Vitiferi colles, & opimi farris aristæ
Herbosæ passim ualles, riuiq; loquaces.
Fagiferæ passim syluæ, rus pingue coronant.

[a] Theck arx Ducum sedes olim.

[a] Theck, antiqua Ducum sedes, sublimis & acri
Monte superba, suos olim contempserat hostes.
Quondam Kurchani tutela ferocior agri,
Vnde redit nostræ decus indelebile terræ.
Nostri insigne Ducis, nomen titulisq; decori,
Prisca domus dudum capitur sine puluere Sueuis
Arx illa ingenti spatio iuga montis in alpes
Sueuorum ducit, per apricas undiq; ualles:
A' Vultza ad Nicri fontem mons ambit, & ipsas
Separat à Nicri Sueuas campestribus alpes.
Lõga ambage arces Nypham, cõiungit & Achelm,
Oppidaq; Alpinis quæ sunt confinia glebis,
Dux fractis rebus, spe cassus, & hostibus impar,
Noluit in damnum producere bella suorum.
Non arces sibi, non quantum licet oppida munit,
Obuius ire hosti, ferro decernere mallet,
Collatis adeò signis, non fidere muro.
Non septis claudi, non illatebrarier antris,
Si Mauors dexter, si fors non leua fuisset.

[b] Fœderati Kurchanis intactis abeunt.

[b] Fœderei illæsis Kurchanis castra mouebant,
Ciues occlusis agitare silentia portis.
Longæ intra uallem splendens exercitus ibat
Hostilis, tantum signis à culmine turris
Conspectis, acri Colubrina aspergitur, angui
Sæuior ictus abit, ui conterit ordinis alam.
Douryphori fremuere truces horrenda minati,
Iam libet expugnare urbem, libet edere stragem,
Sed postquam diuersa Duces monuere quiescunt.

[c] Nurtinga belli secura.

Fœderei exiguam sed amœnis mœnibus urbem
[c] Nurtingam linquunt, ad dextram tramite uerso
Vrbs ripam Nicri tenet, aruo diues opimo
Vini aut impatiens confines ubere gleba
Vici, qui parent urbi pro more Ducatus.
Brandenburgensi Dominæ quæ subdita, chari
Coniugis Arrabo, sacri dos debita fulcri,
Vuirtembergiaca licet in ditione iaceret,
Fit belli secura mali, fœlicibus astris.
Paruaq; tranquillis crescit respublica rebus.
Quanquam hîc ponticulus traiectũ præbeat, infra
Ne fors damna daret ciui, traducitur ingens
Bellantum numerus, qui ripas agmine complet.
Iam nemus, ad pulchras, procero stipite fagos
Fulgentes armis hostes adiere, fragoso
Sylua crepat fremitu, qua uix illustrior extat
Latè per Sueuos, pecorum de more uideres
Pascere turmatim nulla formidine ceruos,
Quondam summa Ducis, dum lucẽt fata, uoluptas.

[d] Barbatus Vuirtẽbergũm Dux primus Ebrardus,

Hac situs in sylua, non ambitiosa stupesces.
Mausolæa senis cordati, principis omni
Musarum cantu celebrandi, at perbreue bustum,
(Pro foribus templi) patrioq; parabile saxo.
Mystas instituit cineri solamen honoro,
His amplas ædes his census prædia donat,
Illic aula Ducis modico sed sobria tecto,
Turritæ in speciem de sylua prominet arcis
Quæ tenui splendet gyro, quam fossa refusis
Cingit aquis, ducto tabulata in pluria muro.
Planis Italiæ ritu fert culmina tectis,
Quo se uenatu rediens Dux ferre solebat,
Pulchris egressi fagis, fulgente corona
Cingebant bifida munitam ualle [c] Tubingam,
Quæ mihi terra parens uagitu cognita primo
Fortuna tenui, sed honesto utroq; parente,
Nascor, ad externos iuuenem protusit egestas.
Non adeò grandis turrita mole, Tubinga,
Condita magnificè, cliuis incumbit apricis.
Fermè hic nulla domus præduris edita saxis
Dedaleo tamen, exurgit, nimis alta paratu,
Quam decorat quercus uicino monte recisa,
Seu quæ pulchra stetit sublimi uertice fagus.
Et silice instratas ornat uia lata plateas
Hîc celebris floret sacris [f] Academia musis,
Quam pius instituit princeps Barbatus Ebrardus
Mœcenas alter, musarum fauit alumnis.
Pectora docta, uelut terrestria numina, princeps
Impense coluit, quin longè uecire solebat
Claros arte uiros, mysteria nouerat ille
Sacræ scripturæ, nodos hic soluere iuris
Alter Ianus amat, medicis hic prouidus herbis
Languores uetat aut pellit, considerat alter
Stellas, hic terræ metas, sublimia rerum.
Discutit ille fagax, gnauos hic nectit elenchos,
Rhetoricis ille argutijs, hic daphnide lauro
Humani gaudent, quos ornat Suada Venusq;.
Quîs delectatus princeps, docta ipse corona
Cingitur, Aonijs attentus mente loquelis
Asidet usq; uiris si qua est occasio doctis.
Totus in hoc fuit, ut florens Academia, quondam
Multigena uirtute uiros effunderet orbi.
Quem dubio procul Elysij tenet aurea sedes,

[f] Tubingensis Academiæ fundator Dux Eberhardus Barbatus.

Illustri

Illustri uirtute Ducem patriæq; parentem.
Multo usu rerum prudensq; sciensq; senatus,
Ciuis pro patria dulci qui fata subiret.
[a] Mons ibi Pampineo floreſcens palmite, dictus
Austrius, exculto nusquam non fertilis aruo.
Hîc botri florent, hîc pomum parturit arbos.
Hîc gelidi fontes ima radice resusi.
Lassatos recreant æstu atq; labore colonos,
Inter quos [b] fons exiguo sed perpete cursu
Prosilit, ex antro muscoso, atq; arte cauato,
Frigidus, & uisum & fauces delectat, amœno
Rauciſonus lapsu, sinuosa in saxa recurrit.
Pletq; tubam ferri, sitibundo gratior ori
Non alius quisquam potus, dum Syrius urit.
Fons Helicen uersus umbras & frigora præbet,
Adde quòd è saxis aderint sedilia sesso.
Dulces hîc somnos sub dio carpere suetus,
Dum patrij cusos apud hunce relictus agelli.
Non ui (namq; puer) sed uoce repellere furem
Pomorum licuit, nymphis ego cura pudicis.
Mons geminas ualles diducit perpete dorso,
Hinc Ameræ uirides, Nicri, illinc diuidit agros
Cuius, & in tergo [c] sita rupta fauce Tubinga.
Tollit utrinq; ferox in propugnacula terres,
Arx monti incumbens uallis tutela bicornis.
Altior hostili defendit ab impete cines,
Vrbis pars Ameram tangit, pars altera Nicrum.
Neccharus ad murum fluit, actus flumine leni,
Tutaturq; domos ad climata stridulus Austri.
Pons lapide extructus labentem separat amnem,
Quem nymbo effrenis silicosus Stainachus auget.
Pluria sed uada parua secans, è ualle propinqua
Decurrit, properas Nicro citus ingerit undas,
Hic uallis Nicri multa conualle uiresçit
Hic pagi, hic fruges, hic cultis montibus uuæ.
Florea planicies ibi, iuxta mœnia pulchri
Margo Nicri, latè campum distendit apricum,
Quem nulli frangunt inuecto uomere sulci.
Totus perpetuo reuiresçit gramine cespes,
Quem riui scindunt, quem crebra salicta coronant,
Aut ulmus uiridis, gratam quæ præbeat umbram.
Pallados à studijs lassatam hæc area pubem,
Pellicit ingenuos ad ludos, ambulat ille
Dulci colloquio intentus, lepidisq; Camœnis,
Hic iaculo, hic saltu, hic cursu, sesé usq; fatigat.
Ille unda Nicri tepida lauat, arte natandi
Sublimis, non insido se credidit amni.
Hinc sese ad pluteos referunt musasq; seueras,
Hac in ualle olim maiores hoste fugato,
[d] Constituunt ædem facti monumenta pusillam,
Nomen adhuc retinet de uersis hostibus aruum,
Longo illic tractu dites est cernere uicos.
Quâ gelidis aquilo perturbat flatibus uuas,
Limosæ hac modicis [e] Ameræ fluit unda procellis.
Herbida prata secans, illic pomaria crebris
Arboribus, crebræ ualles, & plurima uitis
Celsa quidem patulis iuga florent undiq; sagis.
Pars Ameræ seruire operis ciuilibus, intra
Muros ducta soiet, saxis inclusa politis.
Fœderei spatio figunt tentoria magno,
Quâ pigrum soliti ciueis spectare Bootem.
Pars ad aquas Ameræ, pars ad decliuia collis,
Amniculum prope cæsolo cui nomen, atroces
Lustnoiæ tendunt equites, & in his [f] Stratiotæ
Quos (olim Rhætos) Scythiæ uel Bosphorus ædit,
Aut sinus Illyricus, lacus aut Mœoticus illos
Educat, è longis quòd certum finibus adsunt
Qui Scuto, atq; armis leuibus freti, ensęq; curuo,
Non longis hastis, & equis pernicibus usi,
Præcipites adeunt hostem, pugnæq; fugæq;
Ceu dubij, modò suffugiunt, modò prælia poscunt.
Pilea celsa (apices) gestant, clamore feroces
De quibus insignem uiuum cepere Tubingi
Quendam, (qui triduo post uulnere sessus obiuit)
Propulsis reliquis, cæsisq; in cespite Nicri.
Conspectum procul æratis falconibus hostem,
Non suaue accipiunt urbani, auideq; salutant.
Bombardis autem positis ferus hostis in arcem
Atq; urbem sine fine spuit, sonituq; fragoso
Concutit à fundo pinnatas undiq; turreis.
[g] Contrà in defessi per propugnacula cines,
Certant hostiles muris arcere cateruas.
Iam porta erumpunt, palantes fortiter hostes
Adgressi occidunt, spolijs in mœnia tractis.
Iam uigiles turbant, nocturnaq; classica motant,
Omni fœdereus Bombarda sæuit in arcem,
Nixus ibi elatam prorsus euertere turrim.
Quam princeps magno subuexit in aera sumptu,
Quadratis saxis, uallum non uile futurum,
Quæ toties concussa labat, casumq; minatur.
[h] Dux cum filiolo quadrimo in arce Tubinga
Perstitit, (ut dicunt) in castra hostilia summo
Conatu, horribiles demittit fulmina glandes,
Dum uidet attritam Bombardæ insultibus arcem,
Cautus discessit noctu per dæuia syluæ.
Durante obsidione perit uicinius aruum,
Proxima Lustnoiæ diues [i] Benenusia, duro
Milite cœnobium premitur, quin prædia circum
Ditia, tum uici grandes, cultore fugato,
Lugent acceptis ab iniquo milite damnis.
[K] Franciscus belli fama præstabilis ille,
Sickingus ueniens equitatu, protinus igni

[a] Mons Austrius.
[b] Schmalbrunlin.
[c] Tubingæ situs.
[a] Vuenfeld.
[e] Vallis Amerana.
[f] Stratiotæ equestres.
[g] Oppugnatio Tubingæ.
[h] Dux Tubingæ diu perdurat.
[i] Cœnobium Bebenhusen.
[K] Franciscus è Sickingen.

Vastat

Vastat agros, ferroq; premit, spoliatq; colonos.
Quod Bauarûm quũ Dux animo perferret iniquo,
Temperat à flamma, trepidis incendia uendit.
Peius habet ciuis, quin spe quoq; decidit omni
[a] Tubinga se dedidit cum Ducis filio Christopho=ro.
[a] Miles in arce, malis euicti, fida Tubingæ
Mœnia, Marte parum fœlice, in fœdera tradunt.
Principis ignarus fortunæ, deditur una
Filius, & patria quadrimus in arce manebat.
Ad tempus, deinde ad regem deductus, in aula
Ferdinandi Regis pueriles exuit annos.
[b] Vrachium suscipitur.
Interea [b] Vrachium nemorosi montis ad imas
Radices, alto oppidulum spectabile muro,
Fœderei occipiunt, & celsi uerticis arcem
Non modò natura sed ab hostibus aggere tutam,
Iam facili cepere manu, citraq; laborem.
[c] Vrachij situs.
[c] Vrachij uicina locis alpestribus occant
Rura, sed in uiridem Nicri per littora uallem
Tenditur urbis ager, multa conualle uenustus.
Amniculi passim stridunt, uersusq; Tubingam
Tellus pinguis, & ad fruges uinetaq; mitis
Aer, qui irriguo nusquam non amne tepescit.
[d] Alpis Vuirtembergiæ confinis.
Durior in Sueuûm siccis est [d] alpibus aer,
Nam rari fontes, rarus quoq; lympidus amnis
Conspicitur, potus collectæ ex imbre lacunæ,
Quin saxosus ager dura uersatur in alpe.
Quæ cum fonte Nicri surgens, latus occupat illud
Danubij ad dextram, protensum solis ad ortum.
Vuirtemberganos, uel claudit perpete circo
Vel tendit fines, gelidam deîn uergit ad arctos.
Blaui pertingens fontem, Coceroq; propinquos
Campos quos dicunt duros, rursusq; nigrantes
[e] Fœderati Tubinga discedunt.
Hercyniæ ad saltus, Nicri ad confinia uertit,
Cui uelut opposita Hercyniæ sunt culmina syluæ,
Quæ Nicri ad fontem surgunt, & flumine prono.
Pro Zephyro, ad leuam, Nicrum sectantur, & illic
[f] Vallis Ameræ.
Hornbergam, deîn Schultachiũ, deîn mœnia spinæ.
Nagolti à tractu ad Thermas, hinc mœnia paruæ
Haimsæ, Mulbrunnam prælongo uertice tangunt.
[g] Hernbergã uallant fœderati.
Vuirtembergæ campestres ditionis ut urbes
Circundent, Helicen uersus à flatibus Austri.
Vuirtembergus utrinq; illis latè imperat oris
Hinc Alpestre iugum, nigræ illinc culmina syluæ,
[h] Hernbergæ situs.
Latè montano uallant campestria tractu.
Hostes pacatis soluebant castra [c] Tubingis,
Insonuere aruis, rauco fera tympana bombo.
[i] Beblingam fœderati petunt.
Signifer in promptu Germano more cohortes
Colligit, ingressiq; uiam pedites equitatu
Præmisso, properant Mariani incedere muli
Sarcinulis grauidi, sectatur inutile uulgus,
[K] Studgardiæ situs.
Lixa, calo, scortum, claudebant agmen equestres.
[f] Vallis amœna Ameræ, uitreis ceu gẽmea pratis,
Deuehit amniculum, quem iuxta mœnia fundit
Hernbergæ stagnum, resluis non segne procellis.
Vallis utrinq; iugo, spatiosa in iugera bino
Tenditur, hinc floret bene cultis uinea cliuis.
Hinc nemora, hinc aruo fœlicis undiq; uici,
Nam glebas Ameræ rigat unda loquacula paruæ,
Quæ fluit in Nicrum Lustnoio è rure Tubingæ.
Iam uentum quâ uitisatos [g] Hernbergia montes
Occupat, oppidulum non latis mœnibus atqui
Turribus egregium, non aspernabile uallo,
Stabant armati sparsim per mœnia ciues,
Si qua fides, si qua auxilij spes ulla fuisset,
Forti animo patrijs pepulissent hostica glebis
Signa, sed incerti rerum sua mœnia tradunt.
Mons ibi uite uiret porrectus adusq; Tubingam,
Qualem diues opum uix obtinet Itala tellus.
Huic [h] Hernberga decens incumbit culta lyæo,
Ciuis agri cultu uiuit, uitemq; colendo.
Templum sublimi cameratum culmine donis
Heroum largè ditatum, collibus adstat,
Campestris prope farrifero patet ambitus agro.
Quantum uix Linceus uidet, altis campus aristis,
Longo circuitu sunt grandes undiq; uici.
[i] Beblingam uersus illinc exercitus ibat,
Extemplo in uicos (insignes ædibus altis
Vrbis ad exemplum constructos) labitur hostis
Illic nusquam non offert se pinguis aristæ
Cãpus, & hinc syluæ, hinc herbosaq; pascua florẽt.
Iam Beblinga datur cliuis adnixa, uenusto
Proxima fageto, stagni uallata lacunis.
Exiguo ciues muro clauduntur, & aruo
(Pauca uite) bono freti, de uomere uiuunt,
Sindelfinga iugum subit, atq; in fœdera iurat,
Quæ præpingue solum colit, alta caule beatum,
Illic par modio caput altum brassica tollit.
Vuldranos aditurus agros, iam signifer effert
Signa, per excultas conuerso tramite uillas.
Inter Studgardos accliuior atq; Tubingos
Est regio Vuldram quam nominat ipsa uetustas,
Vitis inops, at farriferis nõn pinguior agris
Altera, non uicis locupletibus altera maior.
Nec pecorum cultu, nec equis generosior ulla,
Quam domuit manus hostilis, cupidissima prædæ.
Iam uentum quâ Metropolis Studgardia celsas
Ostentat pinnas, Ducis illic regia quondam
Floriger hortus erat pascendis aptus equabus.
[K] Campestri Studgarda loco, sita, uallibus imis
Incubat, excultis uinetis undiq; septa.
Quam prope iucundo spatio sese obijcit uber
Campus, & optato cultissimus angulus aruo,
Pampinei colles syluescunt proximè ad urbem.

Tum

Tum grauidi botris per uasta cacumina, montes
Masica musta ferunt, herbosis cætera pratis
Rura uirent, rarus uenit unci uomeris usus.
Neccharus haud longè hinc spumoso labitur amni.
Paruus, & innocui cursus [a] Studgardia riuus
Tecta subit, toti nunquam non utilis urbi.
Qui tamen usq; adeò tumidis increuerat olim
Nimbis, ut muri partem diruperit, ædes
Euertens aliquas, hominum pecorumq; cruentam
Facturus stragem, nisi fractis mœnibus urbis,
Inuenisset iter, Vesano gurgite sternax.
[b] Studgarda egregijs insignior ædibus, alta
Mole superbit, ad hæc rerum cultissima floret.
Vtpote Metropolis totius prisca ducatus,
Præclaris conferta uiris, populoq; seuero.
Principis aula ingẽs pulchræ latus occupat urbis
Attalico procul à fastu, nec sordida cultu,
Atria clara Ducis noti ignotiq; frequentant,
Atq; adeò ingenui grata se compede stringunt.
Iam uerò præsens Sueuorum fœdus oberrat
Mœnia, iam propius parmæ galeæq; coruscant.
Studgardi ne more Phrygum, sapuisse dolerent,
Ne'ue labor frustra sumatur in hoste, uel ipsam
Xerxis colluuiem qui uincat, fœdera iurant.
Proflictis rebus, turbato pectore princeps
Iam capit arma, feros ultro ruiturus in hostes,
Vlcisci patriam cupiens, iam cogitat omnes
Euentus belli, socio sine milite frustra
[c] Conatur, tantis quum sit legionibus impar,
Abdita syluarum turma stipatus equestri
Præcludit, ferroq; uagos intercipit, istos
Compilatores arcarum, auidosq; rapinæ.
Sicut in Armeniæ leo uallibus, undiq; pressus
Venantum cuneis, rugiens in tesqua recedit,
Si fors lustra subit, prædæ uenator auarus
Dum calet ira feræ discerptus, & ungue cruento
Fœdatus perit, ac bilem uix mitigat acrem.
Fœderei Turckhaim, Nicri pro margine pagum,
Prædatum irrumpunt, diffractis antea cellis.
Incussisq; cadis, uinum uel Nectaris instar
Fundunt, completis casus quas obtulit obbis
Indulgent genio, belli discrimina ponunt,
Et stertunt, uenas inflati uindice Bacho.
Fato, aut consilio si Vuirtembergus acutum
Strinxisset gladium, non sic ô prædo iaceres.
[d] Contropolim modicis, accedunt mœnibus, urbẽ
Quam celer arrodit sinuosis Neccharus undis.
Fertilis urbis ager, frumento & uite beatus,
Dedi urbem, Tubicen petit, eminus ære canoro,
Ne saperent icti, ne passa clade cauerent,
Ciues tradunt se, diffisi uiribus, hosti.

[e] Confestim ueterem Vuaiblingam miles adibat,
Signa sequens ita neglectim, nam rure uagatur
Addictus prædæ, rus illic diuite cornu.
Diffundit lætas & amico sidere fruges,
Sunt culti passim uici, cultore proteruo
Pleni: at accisis mansuescit & incola pennis,
[f] Vuirtemberga obiter, præclaræ gentis origo.
Vuirtembergiacæ, nullo custode Suêuis
Citra sudorem capitur, citraq; cruorem,
Regibus ausa olim digitos ostendere uaros.
Vuaiblingi acri animo ruituri in prælia stabant
Armati, patriamq; manu defendere portis
Conclusis audent, in propugnacula sparsi.
Celsas hic turreis, hic murum seruat in armis,
[g] Vrbs accliuis apricantem tenet ardua collem,
Non captu facilis: Conradi pristina regis
Contra Guelphones (ut dicunt) castra feroces.
Spumeus infra amnis Rems, muros alluit urbis
Qui se Nicro addit, suprà spatiosior extat
Planicies agri urbani, Ceres aspera spicis
Exornat campum, colles comit uua Lyæi,
Diffisi auxilio Vuaiblingi fœdera iurant.
Fœderei, pperãt Schorndorphi ad mœnia, signis
Erectis, per Remsanam sæua agmina uallem
Ductantur, uix est tota in regione Sueuûm
[h] Fertilior uallis, Rems diuidit arua bicorni
Culta iugo, nemus est sursum, rus pingue deorsum.
(Quod lepidum usu) medijs in collibus uuæ
Farris amans tellus, gratiq; uberrima pomi,
Crebri illic & opes ostentant undiq; uici.
Iam positis castris Bombardæ in mœnia toruo
[i] Grassari tonitru cœpere, atq; impete crebro,
Demoliri altas numeroso culmine turreis.
Ciuis ad arma ruit, non fracto pectore, sumptis
Spes est in telis, falconibus eminus actis.
Non blandè accepit geminatis ictibus hostem.
Turribus è uarijs nixus defendere murum,
Rapto infante petit latebras perterrita mater.
Diffugiunt pueri imbelles, atq; ægra senectus.
Non secus atq; cantum ceruæ latratibus actæ,
Sic matres, ueluti lepores quos fulmina terrent,
Sic pueri, atq; senes; hypogæa requirere pergunt.
Campestri munita loco non magna, sed inter
Primas, urbs cultu ac positu numeratur, & olim
Turritis fidens pinnis, obsistere Regi
Romano ausa fuit, sæuum quoq; ducere bellum
Longius, ast à fœdereo urbs euersa diebus
Paucis, turrigeros quæsisset perdita muros.
Vsq; adeò rapidis tormentis mœnia quassant
Hostes, elatas conati euertere turreis
Vltro citroq; horribili Bombarda fragore

[a] Studgardia nũ diluuiũ.
[b] Studgardiæ Regia ducis.
[c] Dux Huldrichus rerũ dubius.
[d] Cannostadium se dedidit.
[e] Vuaiblingam fœderati petunt.
[f] Arx Vuirtemberga deditur.
[g] Vuaiblingæ situs.
[h] Remsana uallis.
[i] Schorndorphum obsidione uallatur.

[2] Schorndorphi se dedunt.

[2] Damna dabat, ciuis frustra luctatur, in arctum
Cogitur, inuito se pectore tradidit hosti.
Quorsum tot uicos ciuili more superbos
Nunc memorem, tot uitiferis quoq; iugera cliuis
Schorndorphensis ager, quo uix fœcundior alter
Syluas circuitu & sinuosum amplectitur aruum,
Summa ferunt glandes, media uuas, infima spicas.
Rems fluuius uiridem placidè circumfluit agrum,
Planiciemq; arui multa conualle reflectit.
Discendente datis Sueuorum fœdere signis
Vinidaum capitur paruum, Bacanumq; uetustum,
Quid Bacanum referam, sulcisq; opibusq; uirisq;
(Quod numero dicam) fœlix, illustre beatum,

[b] Bracana. Suscipiunt [b] Bracanam cõstructam margine Nicri,
Quæ gerit (ut credo) Catulinæ insignia gentis,
Labroso catulum rictu, qui pendulus aures,
Os amplum pando. ingens diducit hiatu,
Nata labori gens, nec non exercita bello.

[c] Bimnica. Beßica. Bietica. Marbachia. Laupha. Vueinßberga.

Non durè uictum tam fido quærit in aruo,
Ferre iugum lentè uictoris discit acerbum.
Rura Nicri inferiora quidem ditissima frugum
Miles auarus adit, miseros compilat agrestes.
[c] Bimnica mox iurat Setina uite beata.
Beßica dein fœlix uuis & farris arista,
Bietica uinetis multaq; siligine diues.
Nota sodalitio Marbachia frugis abundans.
His Laupha accedit, celso Mogmyllia muro
Vitiferis Vueinßberga ferens à collibus ipsis
Nomen, & ad Nicri se dedunt oppida tractum
Plurima (nota licet) quorum me nomina fallunt,
Tot monachûm sedes, tot uastas turribus arces,
Tot præfecturas, complecti carmine longum.

[d] Mulbrunna cœnobiũ deditur.

Partibus his totis, ubi Neccharus irrigat agros,
Iuxta Heuchelbergi declinia, mitior aër,
Fertile rus, parq; Elysio, si munera quisquam
Multiparæ terræ, si spectet ouilia quisquam

[e] Vahinga deditur.

Panos, uel Protheî plenis pecuaria septis.
Hîc far, hîc uitis, nemus hîc, aut herbida tellus
Multæ urbes, uici locupletes, incola bellax.
Post hæc [d] Mulbrunnam munitam ualle tricorni
Fœderei uallant, & crudo milite cingunt.

[f] Haimsen deditur.

Quâ Notus obseritur cliuo, deinde obijcit arctum
Hostibus accessum, quâ Phœbi prouenit ortus.

[g] Kalu oppidum Hercyniæ proximum.

Quâ Boreas uallum piscosis utile stagnis,
Muro uisa quidem uix expugnabilis alto.
Ne tamen in longum producant bella monastæ
Cedunt iure suo, iurant in fœdera Sueuûm.
Extemplo ductis per culta nitentia signis
Conficiunt iter, ac toruo obsidere Vahingam
Bellatore breuem cliuosis mœnibus urbem.

[h] Comites à Kalu.

Turribus ornatam plateis ac ædibus æquè
Cultam, Ciuis ad hæc procliuis in utraq; fata

[i] Hirsaugia cœnobium.

[c] Dulci pro patria pugnare, aut sumere pacem.
Prudens uictori submisit colla senatus,
Circùm sarrifero floresçit iugere tellus
Nunc facilis cliuo, nunc plano mitis agello,
Bachi muneribus, Cereriscq; uberrima donis.
Cedua sylua subit rarò, seges occupat aruum,
Flumen nescio quod, per florea prata susurrat.
His actis adeunt [f] Haimsæ pars mœnia paruâ
Ciues inuitis iurabant fœdera linguis,
Hîc quoq; mite solum cumulata fruge uiresçit.
Mox uentum qua se nebulosa in ualle recondit
[g] Kalua iugis macris, muscosisq; obsita muris.
Partim uerrucæ incumbit, uelut area partim
Tenditur, attingens Nagolti fluminis undam.
Nobilium quondam [h] Comitum notissima sedes
Rara Ceres, tamen illa suo cum fœnore surgit
Inter saxosos iacto quoq; semine sulcos
Gleba negat uites, ouibus plus commoda, densò
Infernè ualles herboso tegmine pinguent
Nagolti irriguis humentes molliter undis.
Et lana, & tela, consueti quærere uictum,
Ciues, dum faciunt mediocri stamine pannum
Pallados arma uafræ belliq; domiq; retractant,
Militiæ gnari, sed in alma pace seueri.
Vna cum Kalua, sedis [i] Hirsaugia tradit,
Hostibus, in pulchra monachûm domus edita ualle.
Collibus accumbens rubris, ubi plurima pinus
Crescit, & alta abies, nigræ iuga fumida sylvæ.
Comminus horrescunt, Nagolti flumen agellos
Hirsaugos lento sueuit subrodere flexu.
Vallis opaca iugis cliuûm sed amœnula pratis.

[k] Diuus Aurelius.

[k] Diuus ibi Aurelius cubat arcta conditus urna.
Post hæc Hercyniæ per deuia tesqua seorsùm
Milite traducto [l] Thermas adire tribuni.
Thermæ de fumante cauo quæ paruula tollunt
Mœnia, grata palus quondam syluestribus apris.
Atq; adeò inuentas primò à uenantibus aiunt,
Setigerum sectatus aprum, uenator in atram
Defertur uallem, brumali tempore, dum nix
Alta genu tangit, claudens homines q; ferasq;.
Primo suffumare locum uidet, atq; calere
Colliquente niuis cumulo, causæ inscius hæret.
Vulnificos uidit mox curuis dentibus apros.
Cum strepitu è cœno, calidisq; emergere lamis.
Ipse stupet retroq; gradum per dæuia flectit,
Donec syluestrem queat intercludere prædam,
Repperit imprudens, ægrotis commoda membris
Balnea, perpetuis quæ feruent usq; lacunis
Pinifèros inter nebulosa cacumina montes
Actis in numerum paruis sine puluere Thermis.

[l] Thermæ feræ.

Hercyniæ ſaltu traiecto, per iuga ſumma
Cœnobium florens Hernalbam miles adibat,
Quem Comes Ebberſtein olim fundauit Ebrardus,
Ante chorum ſitus inſcripto leui ære ſepulchro.
Vaſta fuit quondam hîc tenebroſæ uallis eremus,
Quam ſimul Aerij montes, ſimul horrida pinus
Circumuallabant, nunc omni ex parte uireſcunt
Herboſi colles, & leni murmure riui.
Fonticuli paſſim gelidi, ſyluæq; lubentes,
Seſe odio belli fœdratis tradidit abbas.
Pars uerò adgreſſi [a] Vuildbergã montibus altis
Atq; feris tutam, quæ ſparſim condita cliuo.
Saxoſos inter ſublimia culmina montes
Nagoltum lento penè ambit mœnia fluctu,
Lanea pro uictu pertexunt ſtamina ciues,
Nagolti tractus prorſum non aptus Iacho
Hercyniæ propior, ſed multæ frugis abundat.
Incola nec belli ignarus ſi uenerit uſus,
Vuildbergi, & uici confines fœdera iurant.
Nagolt oppidulum duróq; arx addita colli,
Iurant fœdereis una cum rure propinquo,
Oppida traduntur Vuirtembergenſia paſſim,
Quæ latè florent nigræ per culmina ſyluæ.
[b] Dornſtadium tenui diducens pergama ſulco,
Saltibus Hercynijs uicinos occat agellos.
Colliculo incumbens pecori ſtudet incola alendo,
Hac iter Alſatiam uerſus per atræ iuga ſyluæ.
[c] Schultachium piceo ſeptum uelamine, ſauces
Hercyniæ pandens, iter ad Rheni edocet agros.
Noſtro æuo exuſtum communi clade ſuorum.
Proh ſcelus infandum mulier congreſſibus uſa
Dæmonis, inſuæuit parère uenefica monſtro.
Deinde alium ſpreto hoc iuuenem dilexit, at ille
Priſtinus ulciſci factum contendit amator
Atq; ex confeſſo, clara quoq; luce flagrantem
Ollam, riualis tecto ſubiecit, & omne
Funditus oppidulum flamma graſſante cremauit.
Theſſala deîn mulier ſceleris conuicta nefandi
Cauſſa etiam dicta, pœnas combuſta luebat
Vnius ob noxam diuini numinis ira
Sæpè urbem, ſæpè extinxit cum puluere gentem.
Strenuus hîc ciuis, ſed collum ſubijcit hoſti.
Vuillingi [d] Hornbergã Sueuorũ nomine cingũt
Milite, parua quidem ſe faucibus implicat arctis
Hercyniæ non hoſti adeò penetrabilis, abdit
Mœnia, celſo cum caſtro quæ ſuſcipit hoſtis
Hac iter ad Rhenum quoq; Briſgoiamq; patebit,
[e] Diui cœnobium non æqua mente Georgi.
Ædeitur, alta abies quod nigro tegmine ueſtit,
[f] Syluicolæ Sueuis inuito pectore iurant.
Nigræ tota quidem paſſim contermina ſyluæ,
Gens auidè tenuem quærit præſtrenua uictum,
Parſq; ligone ſolum, pars glebam uertit aratro,
Paruaq; ſtramineis habitant gurguſtia tectis
Contenti paruo, quidam tamen arte ſagaces,
Sectis aſſeribus diſcunt corradere nummos.
Et uiti pedimenta ſecant, & ligna ſtruendis
Aedibus, & Nicri multa ratè flumina complent.
Lanigerum pecus, atq; boues multo grege paſcunt,
Nec non melliſluas & apes, cum fœnore curant.
Corpore procero uultuq; ferocc coloni,
Humani tamen, & faciles, ſtipendia longè
Iam facere, ad ſæuos adſueti currere Mauros.
Deîn [g] Rottuuilenſes Tutlingam milite uallant,
Nomine Sueuorum uicinos Marte laceſſunt.
Tutlinga exigua uallo ſortita paluſtrem
Planiciem, non obſidio perterrita, portas
Clauſit, & ad muros tutandum læta iuuentus
Arma capit, falcone procul graſſatur in hoſtes.
Turribus è denſis crepat ærea machina crebris
Impetibus, parua urbs, at munitiſſima longè,
Danubius rapido muri Pomeria curſu
Stringit, & in foſſas paſſus deducier altas
Acceſſum prohibet, uimq; hoſtis longius arcet.
[h] Arx noua, tutamen non aſpernabile ciui,
Supra in uerruca pinnato culmine fulget,
Quæ procul æratis inhibet falconibus illis
Atq; colubrinis, hoſtem ſuccedere muro,
Protrahere in longum Tutlingi bella parabant.
Ne fruſtra ſumant aliena in meſſe laborem.
Rottuuilani abeunt infectis tempore rebus.
Interea uallant campeſtrem ſigna Balingam
Fœdratũm, glebis fælicem, mœnibus arctis.
Captu difficilem tamen ocyus arma requirunt
Ciues, ac patriam tutari mente ſedebat.
Verùm ne ſtultè paſſi plorabile damnum.
Ne ſaperent icti, iurant in fœdera Sueuũm.
Hoſtibus accedit modicis Oebingia muris.
Florens oppidulum ſaxoſa in alpe, ſed illic
Terra extra uites eſt nullius indiga uictus.
Fœderei domitis alpeſtribus Hercynijsq;
Rurſus ad ripas Nicri fera prælia uertunt,
[i] Lenbergam cingunt non multo culmine uaſtam.
Quæ ſe Fœdereis ſed lento pectore tradit,
Pleni illic cultore ſuo, & gleba ubere uici,
Omni prouentu rerum proſperrima tellus.
Tandem [K] Gruningæ Sueuorum conſtitit atrox
Miles, & enixus ueteres dirumpere muros.
Collocat horriſonas bombardas gutture ſæuo.
Quæ reuomunt in ſublimes tela horrida turreis.
Campeſtri Gruninga loco turrita patentes
Opponit foſſas, hoſtili infeſta cateruæ.

[a] Vuildbergæ ſitus.
[b] Dornſtadium ſe dedidit.
[c] Schultachium deditur.
[d] Hornbergã deditur.
[e] D. Georgij Cœnobium.
[f] Accola Hercyniæ.
[g] Tutlinga fruſtra uallatur à Rottuuilenſibus.
[h] Arx Honaberga.
[i] Lenbergam cingunt fœderati.
[K] Gruninga uallatur obſidione.

[a] Aſbergæ ſitus.

Tela parat, quondam obſidium perpeſſa trimeſtre,
Quin Hunnis quin Cæſareis illa obſtitit armis.
Nunc uerò nulla ſpe, ciuis ducere bellum
Fruſtra audet, ſine præſidio, ſine principe, tandem
Seſe hoſti tradit uetus urbs, non copia maior
Vſquam frumenti, non terra feracior uuæ.
Non plures uici, quos percolit incola bellax.
Fœderei Aſbergam circumdant protinus arcẽ,
Præſidio quæ fiſa truces quoq; deſpicit hoſtes,
Multiſq; exitio telorum grandine ſæuit.
Fronſbergus tulit indigne, remoram fore factis
Iam rebus, nidum turrito colle ſuperbum,
Diffringi muros horrendo fulmine iuſſit.
Arcis cuſtodes non ſegniter agmina diro
Bombardæ tonitru, iam non ſine clade repellunt,
Naturaq; loci fidunt, ualidiſq; lacertis.

[a] Arx Aſberga nitet pinnatis edita muris
Pyramidum ſpecie latum ſuſtollit acumen.
Cretoſo teres in cliuo, campeſtria prorſus
Occupat, acceſſu haud facilis, non aſpera cultu,
Libera, uinetis ex omni parte decoris,
Nullius exhorret uicinæ incommoda rupis.
Herbida planicies circum ditiſſima frugum,
Non procul hinc Nicri piſcoſi defluit amnis.
Arx turres iactat longè ſpectabilis altas,
Hoſti aditus natura loci, ac induſtria claudunt,
Bombarda altiuolis ni rumperet omnia telis.
Hoſtibus infamem ſpretis oſtenderet unguem,
Tandem Aſberga malis exercita, deditur hoſti.
Qua capta proceres Sueuorum milite miſſo,
Dilapſi penitus uictores, bella remittunt.

Primi Libri Finis.

VVIRTEMBERGIÆ
LIBER II.

[b] Dux ad montem Pelegardi conceſſit.

Rinceps [b] eiectus regnò, fatalibus armis
Euerſuſq; opibus ſolio diſcedit auito
Et Nicri extorris ſublimes deſerit arces,
Trans Rhenum longè comitatus nobilis ampla,
Cum ditione illi Burgundis extat in oris,
Mons Pelegardi (olim Comitum ditiſſima ſedes
Vuirtẽbergorũ) arx atq; urbs quis proxima parẽt,
Quò ſe cum fidis & amicis contulit exul.
Dux Burgundorum bello illuſtriſſimus Heros,
[c] Carolus Dux Burgundiæ.
[c] Carolus hanc arcem quo callidus occupet, omnes
Ceu Protheus olim in formas ſe uerterat, aſtu
Non ferro, comis, non horridus ambit (ut hoſtis)
Blandus amicitiæ prætextu irrepere tentat,
Vuirtembergorum tum claro nomine gentem
Henrichus regit illuſtris Comes, ille nouarum
Turbine tot rerum motus (nam Carolus audax
Omnia Burgundus diuina humanaq; miſcet)
Venerat è Sueuis, cuius dum certior eſſet
Carlus adire cupit Comitem, ſimul ardua quædam,
Prætexens, fore quæ ſimul in commune loquantur.
Pro uero Comes hoc habito, non abnuit illi
Colloquium, libuitq; Ducem intra tecta uocare.
Ciues hoſpitio Carlum prohibere laborant,
Verſutum Ducis ingenium, uulpinaq; corda
Deſcribunt fruſtra, nam certæ pignore dextræ
Facta, fides Comiti, Dux Carlus mœnia ſpectat,
Quem ſtipant proceres, qui dum perſpexerat intus
Singula amore loci captus, iam pectore uerſat
Inſidias, nectitq; dolos, animo occupat arcem.
Sed tacitus uulpem cedens ſub corde tegebat.
Quem Comes Henrichus cauſa deducit honoris
Longè extra muros, gratum facturus opinor
Carlo, aſt in caſſes tunc incidit inſcius Heros.
Pro tanto officio, Dux, heu nil tale uerentem,
Captiuum Comitem abduxit, mortemq; minatus
Innocuo, ſua ni tradat ſibi mœnia, fortis
Infractusq; animo, Comes amplo hæc ore profatur.
Principis ut uideo falſus dextraq; fideq;
Deſtituor ſimul auxilio captiuus ab omni,
Pompeio grauiora feram licet ignibus urar
Mœnia non tradam, nec prodam caſtra Tyranno.
Conſpicit hæc quæcunq; fero Deus æthere ab alto,
Dux ira feruens Comitem ſeruabat in aula
Vinctum, atq; ad belli redit ipſe negotia ſæuus.
Dux acie uictus Leucorum ad mœnia naſti,
Poſt paulò occubuit, conſpecta clade ſuorum
Vinclis exemptus Comes inde à coniuge Carli
Studgardam redijt ſolus uiliq; caballo
Fretus, ad hæc multo ſqualore ſituq; timendus.
Sat feciſſe ratus quod parui mœnia regni
Seruarit, Vuirtembergæ quæ ſubdita genti
Noſtro æuo, iam nunc Huldricho principe floret.
Seruat & excultum Dux alta rupe Duellum
(Duiel uocitant) arcem qua uix illuſtrior ulla

Hegoico

Hegoico in tractu Sueuorum montibus extat,
Quatuor illa plagis cœli pulchrè edita surgit,
Acronij magna unda lacus stat solis ad ortum,
Rhenus & Heluetij incumbunt à partibus Austri,
Sternax Danubius Boreali à climate currit,
Pro Zephyri flatu caput Hercyniæ imminet arci.
Hinc Rhætorum alpes niue totis solibus albent
Et uarias longo prospectu est cernere gentes.
Arx alta, accessu uelut insuperabilis, astra
Penè ferit, muro spatioso, turribus altis.
Ad speciem paruæ turritæq; eminet urbis,
Planicies intus latissima, regia sedes.
Ditia quæ princeps (licet exul) regna tenebat,
Sed nihil ad tantas quas dudum amiserat urbes.
[a] Quare animo forti bellum renouabat eodem
Mox anno quo pulsus erat, iam transijt æstas,
Pomifer & musto spumans autumnus iniuit,
De stipatorum numero Dux misit amicos,
Qui tacitè caperent Haimsæ pomeria paruæ,
Principium bene habet belli stratagemate freti.
Cepere oppidulum, deîn septus equestribus illos
Pone secutus adest lætus de sorte secunda
Vicinos iam captat agros iam captat & urbes.
Fama quidem rapidis uenientem præuolat alis,
Et maiora fide prænunciat, ire cohortes
(Delectu insigni peditum) sine uindice, magnas
Quin Ducis à Brunsuig, & Rheni principis istæc
Auspicio, Huldrichum moliri maxima fingit.
Quo rumore nouo gens Vuirtemberga mouetur
Totaq; despecto iam fœdere principis audet,
Gens reditum cupere insoliti iuga temnere freni.
[b] Dux uerò impigrè Nagolti fluminis oræ
Hercyniæq; iugis confines occupat urbes:
Deinde ex composito Studgardiam nocte silenti
Atq; adeò illuni peruenit, uelite pauco,
Paucis septus equis, uigilum statione repulsa,
Limen adit portæ diffracto cardine, tandem
Fit uia ui, plateas stricto mucrone Ducales
Iam tenuere truces, stabant crepitantibus armis
Improuisæ acies Io Vuirtembergæ per atras
Occeptum clamare umbras pauor occupat urbem
Fit clamor peditum fragor atq; hinnitus equorum,
Non exire domo quisquam non sistere contra
Visus, præsidio impositus non hiscere miles
Ausus, at insomnem trahit intra limina noctem.
Mox iubare exorto Ducis, in nomenq; fidemq;,
Studgardi unanimes dimisso fœdere iurant.
Metropolis postquã capta est Studgardia noctu
Missi qui caperent ad ripas oppida Nicri
Nulla mora est sub signa decem traxere uirorum
Millia, qui patrijs ex urbibus arma gerebant.
Tam patriæ studio, quàm principis asperа fati,
Quæuis ferre parant ad bellum prona iuuentus.
Hastati bis mille aderant, equitesq; ducenti,
Quos Dux ære suo conduxerat agmine lecto
Lætior incedit, spe magna accensus, & omnem
Credo subegisset patriam, nisi fata uetassent,
Ni mala Tisiphone tragicos mouisse tumultus,
Pro uotis habeat, segetes & plaustra malorum
Spargere per uulgus, per tristia regna uicissim.
[c] Principis haud quisquã cœptis audacibus alter
Obstabat, nisi nobilium de stemmate quidam
Quos mala coniunxit quoq; coniuratio dudum.
(Extorres prius) expulso qui principe regnant.
Vrachium alpinis uicinum collibus alter
Munit Gæppingos alter, licet agmina princeps
Ferret eò satis ad pugnas instructa pedestres,
Votis frustra habitis operam sumebat inanem,
Machina quæ frangat non affuit ærea muros,
Deinde Ducis gnato confisa Tubinga quiescit,
Sic Vuirtembergi fit factio multa Ducatus
Munitæ à uictore prius sub montibus arces
Iniecere duci tricas, cursumq; morantur.
[d] Eßlingi quoq; Bellona stimulante feroces
Bella redintegrant uicini, talibus ausis
Obsistunt, patriaq; Ducem prohibere laborant.
Nam uomicæ ueteres ciuem pulmone sub ægro
Felle suo exacuunt, odium uetus, ægra simultas,
Subijciunt stimulos animis in prælia pronis.
Iam uenit in mentem, quibus ærumnis prius urbem
Vuirtembergi affeciſſent ætate Rodolphi,
Iam subit Heróum bellum ciuile Sueuûm.
Non animo exciderat uicinæ nuperaq; urbis
Captio Reutlingæ, seseq; hortantur ad arma
Muttuiter, quîm bella palàm fatalia tentant.
[e] Eßlingam re comperta Dux obsidet urbem
Confertam populo fidentem fœdere Sueuûm,
Non facilè obsidio cingi ualet, arcta prælatis,
Incubat urbs cluis, non expugnabile septum,
Qua sibi parte timent opponunt hostibus intus,
Tum faciles aditus fossæ cluiq; tuentur,
Neccharus irriguo perstringit flumine murum.
Ciuis inaduersum tormentis fulminat agmen,
Sæpius impunè, ecquid enim dirumpere muros
Hostibus haud licuit, non ærea machina coràm
Conspicitur, qualis Reutlingæ plurima centum
Vix trahebatur equis, immani gutture nutans.
Fortunis exutus enim per fœdera Sueuûm,
Princeps exuitur Bombardis grandibus illis,
Turrigeras quibus oppugnant atrociter urbes,
Falcones rapidos princeps in mœnia mittit
Atq; colubrinas prohibens excurrere ciuem.

[a] Dux Huldrichus bellum redintegrat.

[b] Dux Huld. Studgardum noctu cepit.

[c] Coniurati Ducis incepta morantur.

[d] Eßlingi cõiuratis adhærent.

[e] Dux Huld. Eßlingam obsidet.

Ne tamen interea traduceret ocia miles,
Eßlingûm uillas ſpoliatum prouolat audax,
Sub finem Autumni maturis dum rubet uuis
Vinea, miles atrox per diras undiq; glandes
Bombardæ per tela trucis uineta ſubintrat.
Raptor & iniuſſu Ducis enſe recidere uites
Incipit, ut botris potiatur, deinde recurrit,
Vindemiam ex humeris euulſo palmite geſtans,
Sæpe hæc præda fuit non abſq; cruore petita,
Sic dedit Eßlingis bellator damna malignus.
Conſilio Princeps mutato caſtra mouebat
Linquens Eßlingos, premit obſidione rebelles
Vrachios, res ſucceſſu caret, ocyûs armis
Eßlingi ſumptis excurrunt, agmine facto,
Succendunt uillas, Vuldrani ruris, & ipſos
Agricolas ferro fœdant, prædaſq; reportant.
Segniùs haudquaquã Gæppingi incendia miſcẽt
Vicinos igni & gladio populantur agreſtes,
Tum coniurati rerum capita illa nouarum,
Lectis Alpinis urunt contermina Kurchæ
Latè ſeruebant loca, flamma, cæde, rapina,
Vicini occidunt uicinos Marte ſiniſtro,
Filius aduerſus genitorem tela gerebat,
Non ſocer à genero lætalia uulnera uitat,
[a] Bellum inteſtinum. Namq; hic fœdereos, Vuirtembergum ille ſecutus.
(Arbitrio non quiſq; ſuo) quo quenq; ferebat
Caſus, uel patriæ ditio, diuerſa ſubibat
Caſtra, acti fato [a] bellum ciuile gerebant
Vuirtembergenſes, uicino à limite pugnant,
Fœdè in uicinos, immò in ſua uiſcera ſtringunt,
Non recti ratio, reſpectus iuris & æqui
Nullus erat, Mars infanda furit impius ira.
[b] Impietas militum. Quid ſpolia enarrem, cunis euoluitur infans,
Friuola diripiunt hoſtes, arcamq; penuq;
Compilant, pecus abducunt, rus cæde cruentant.
[c] Cœnobium Lorch. [b] Ecce ſenex nec tela manu qui ferret, anhelus,
Surdus, & in tumulum qui plãtas uergeret ambas.
Centum penè trahens, Parcis ludentibus, annos,
[d] Dux Huld. ad Eßlingã caſtrametatur. Territus horrendo quo uilla flagrauerat igni
Fortè gradu elabi nitens properando ſenili.
Ferro interceptus, miſerè conciditur ægram
De labris animam, tenues efflauit in auras.
O' furor, ô facinus Sueuûm nec nomine dignum,
[e] Kurch. milites Aubam opp. Quod foret in ſæuis quoq; deteſtabile Turcis.
Nec minus ærumnæ peperit Gamundia ruri
Vicino, quæ Remſanos prædatur agreſtes,
In ſumum uertens opulentos undiq; pagos.
[f] Coniurati fœderatos rurſus ad arma mouent. [c] Lorch cliuo incũbens Ducibus Stauphẽſibus olim
Sedes, nũc monachûm domus, hoſtica ſenſerat arma
Iam laceris uelis aduerſoq; obruta uento.
Principis impingit ſaxo, ratis acta retrorſum
Per præceps ruit, & ſcopulis illiſa laborat,
Conſilium fruſtra eſt, ſors omnes impedit actus.
Princeps Vrachio diſcedens obuius hoſti
Signiferos omnes ad Kurchæ mœnia transfert.
Illic præſidio tutentur ut arua relicto,
Fit rerum dubius, qui tot ſimul hoſtibus impar
Obuius ire queat, Nellingæ, [d] caſtra locabat
Proximè ad Eßlingam, peditatu protinus urget
Vrbanos, ne quâ erumpant, ne excurrere pergant
Eßlingi tamen aßiduis excurſibus uſi,
Caſtra Ducis turbant, & multo Marte laceſſunt
Palantes, non tota manus, ſed ſingulus uni
Congreditur, fidens ſe Vuirtembergius offert.
Mutua fit cædes, captiuûm turba replebat.
Horrea Nellingæ, nam capti ſidere læuo
Ciues, pars cæſi, feralia damna ferebant,
Nec minus è caſtris Vuirtembergenſibus intra
Mœnia captiui multo clamore trahuntur,
Pars uiſi uirtute ſua moriuntur in armis,
Vltro citroq; inſidias & noxia paßi.
[e] Kurchani interea Gæppingis acriter obſtant,
Ne uillas igni uaſtent, ne proxima quæq;
Prædentur, ſæpe excipiunt crudo enſe latrones.
Oppidulum uetus anguſtoq; ignobile muro
Auben, radicem Theckani montis ad imam
Kurchani oppugnant, quam Spætus munijt unus
Coniuratorum, Iouis atro fulmine peius,
Aërea plumbatis Sambuca tonabat utrinq;
Non ſine peſte graui, ſæuire ut grando ſolebat,
Scalis admotis hi certant ſcandere muros,
Illi intus murum ſubeuntes enſe repellunt,
Mißilibus ſaxis uitasq; domosq; tuentur,
Nonnulli oppidulo excurrunt qui pectore prorſum
Deuoto inuadunt obeuntes mœnia, uerùm
Neſcia plebs pugnæ, robuſtis fiſa lacertis
Alpinum uulgus, pedibus pars magna ſalutem
Quærit, & in dumos uinetaq; proxima cedit,
Pars trepidi repetunt portas, pars maxima cæſi.
Præſtò ingens aries qui multo funè redactus
Aerata fronte in portas toruè inſilit altas,
Tum paßim tormenta crepant, ferit æthera clamor
Oppidulum captum perijſſet, deniq; uictum
Militis inſano foris impete, fumida noctis
Vmbra oppugnantes, funeſtaq; tela diremit,
Kurchani abſcedunt (ſubiectis ignibus ædes
Antè ſuburbanas comburunt) Marte remiſſo,
Multa ex alpinis confoſſa cadauera torpent
Hoſtili oppugnata manu, iam parua ſecundum
Auba reſeruabat, depulſo milite pinnas.
Nil [f] coniurati ceſſabant donec aperto
Marte licet cum Vuirtembergis cernere, donec

Comminus

Comminus in faciem Ducis ausi trudere sicas.
Interea passim Heroes ad bella ciebant,
Noctu syluarum plærumq; per auia ductis.
Militibus munire urbes, in prælia Sueuos
Armare, aduersusq; Ducem (quem limine pellunt
Indignè patrio) dictis accendere bellum.
Quo uiso custode uiam clausere Ducales,
Sæpe ex insidijs errantem intercipit hostem
Tectus eques, nec miles agit ferus ocia, passim
Cædibus indultum, non intra castra teneri
Vuirtembergiaci possunt, amor omnibus idem,
Communem patriam summo defendere nisu.
Dum tamen in longum producitur iliacs illa
Muttua damnorum, nullos habet aspera fines
[a] Bellorum seges, hostili rediuiua furore.
Tempus inane perit, hora imminet arua serendi,
Nil tamen effectum, flagitatur missio donec
Arua seri possint, quando uerò hostis apertam
Proruat in pugnam, crudo decernere ferro
Tum libet, atq; animam duris impendere fatis.
Sic torpere situ, sic conterere ocia tædet,
Maxima pars horum poscebant urere fines,
Imperij hostiles, ulcisci damna suorum,
Non latuere Ducem quæ per tentoria fiunt,
Ancipiti rerum fortuna motus, amicos
Consulit, atq; animum cura mordace fatigat.
Non fuit ex usu legiones mittere, præstò
Pro foribus Coniurati fera bella subornant.
Accidit ut subitus (nam plurima inania belli)
Rumor serperet, insano quod turbine portis
[b] Emissi Esslingi, sæuirent ense per agros.
Re qua uulgata, prorumpunt agmine castris
Vuirtembergiaci, nullo tamen ordine, signis
Neglectis, Duceq; ignaro, ductoreq; nullo.
Dux re comperta frendens in bella ruebat,
Insigni sublimis equo, simul ære coruscus,
Facturus forti facinus memorabile dextra,
Si modo fata sinunt, pugnæ feruebat amore.
Cum reliquis equitum peditumq; ruebat, aperto
Campo incedebat, sed nullo hic hoste reperto.
Vuirtembergenses consistunt collibus altis,
In tuto trepidare etiam, discurrere ciues
Conspiciunt, pugnam ereptam Dux ipse dolebat.
Haud aliter quondam Cyclopes montibus adstant,
Elapsamq; gemunt Troum per cærula puppim.
[c] Dux omnes lato numeros consistere campo
Iussit, & in uasto dein circo talia fatur:
Vestra uiri fortes, innata & uiuida uirtus,
Indubitata fides, iam pridem cognita nobis
Et perspecta fuit, belliq; domiq; perennes,
Illa procul dubio laudes uicisset auorum
Ni tam perspectè nos inuida fata uocarent,
Quid multis? campo quo stamus aperta tropæa
Ipsa docent Proauûm res actas, ipsa loquuntur,
Esslingis quanto starent inuisa cruore
Bella, olim suscepta nimis uiolenter in agros
Vuirtembergenses, quantis hæc empta periclis.
Esto uices rerum, quin irreuocabile fatum
Multa ferant, & perspicuè funesta minentur,
Auxilio tamen ipse Dei contra acrior ibo,
Asserere usq; manu patriam, siue exul in arctas
Fortè ferar Gyaros, seu me ferat ultima Thule.
Iam patrios (quis nam uitio dabit) expeto fines,
Et uoti (reor) haud impos agitare quietus
Possem, ni mihi quos alui in penetralibus angues
Præcipuè obstarent, dignas ô maximè pœnas
Iupiter exigito, pœnas tu sume cruentas.
Scilicet Vrachij aut Gæppingi pollice nerso
Nollent, in nostrum nomen iurare fideles
Antea spectati nisi iam uictore domentur,
Iàm pridem oppressi à coniuratore maligno.
Quod uerò imperij hostiles comburere fines
Et ferro uastare libet, par reddere damnum.
Non mihi cum Regno Romano (discite) bellum,
Nec mihi Reutlingam digito tetigisso libido
Tanta fuit, nostrum (quo nos prior ipsa lacessit)
Præfectum gladio confossum impunè referret?
Vicimos autem quo facto læsimus istos?
Esslingos? mea cœpta suis hostiliter armis
Qui primi impediunt, quare hos in mœnia cogo,
Ne populentur agros, ne uillas urere pergant.
Quod grauiter fertis longo terere ocia bello,
Nec nostro in luco, phanóue situm fuit, hostem
Parthi more fugæ addictum præuertere, cum quo
Conferere in manibus, conferreq; signa liberet:
Mœnibus erumpunt, & facta clade retrorsum
Protinus in latebras & in oppida tuta facessunt.
Sed si uos arui tenet anxia cura serendi,
Dimittam quibus id cordi, si fortè nouarum
Quid rerum exoritur, nec me falsi fugit hostis
Fabrica, quamprimum redeuntes tollite signa,
Induite arma citi finemq; imponite bello.
Quo dicto redeunt in castra uiæq; parabant
Sese omnes, conductitio cum milite princeps
Studgardam petijt, præfectis antea uicos
Qui tueantur ab Esslingis, ne excursibus usi
Perdant uicinos sic munit mœnia Kurchæ.
Vix ita dimissis non fausto Marte cateruis,
Protinus in magnam spem ducti sacra prophanis
Coniurati audent miscere, immo infima summis,
Et cœlo pontum confundere, Sueuus aperto
Donec uexillo bellum exitiale subornat.

[a] Bellum produci, dolent Vuirtemb.

[b] Pannicus casus.

[c] Oratio Ducis ad suos.

Imperij Sueuûm percußi fœderis urbes
Vindelici, Bauari, Franci, gens Norica, rursus
Vuirtembergenſes adeunt hoſtiliter agros.
Frigidus in ſolem pandebat Scorpio chelas,
Et nox humectas fundebat opaca pruinas.
Magno equitũ numero peditũq; phalãge reuerſus,
Non procul Eßlinga Nellingæ conſtitit hoſtis.
Hac fama excitus Dux ocyùs euocat illuc
Quas potuit uires, feſtinus ad arma recurrit,
Non expectatis tamen omnibus obuiat hoſti
Non longè uſq; adeò proceſſum, comminus armis
Ambæ acies ſtructis, pro Nicri margine ſtabant
[a] Conflictus à Turckheim. [a] Turckhaimo in cãpo, pugna horrida feruet utrin-
Clamore elato rectis concurritur haſtis, (que.
Bombardæ fragor obtundit uiolentior aures.
Iam ſimul aſtra ferit bellantum crebrior ictus,
Armorum crepitus, reboans adit æthera clamor,
Aerea noxa rapit multos, utrumq; per agmen.
Vuirtembergenſem iam deijcit hoſtis in arua,
Sublimi de colle (prius quem ceperat) illinc
Deiectumq; inuaſit eques magno impete, uerſa
Vuirtembergus equos haſta diſcußit, & ipſum
Seſſorem foſſo deturbat cornipede, illuc
Protinus adducti qui tormenta ærea geſtant,
Funeſta qui glande equitem pepulere ferocem.
Sed numero obruitur iam Vuirtembergus, auitæ
Quamuis uirtutis memor, in pugnam ruat acer
Auerſo ſed Marte ruit, fatiſq; ſiniſtris.
Inferior tandem ſyluam concedit in altam,
Proxima quæ floret uirgultis aſpera duris,
Diſperſuſq; lares iam quiſq; redire paternos.
Re conclamata Dux ſeſe in tuta recepit,
Et turmis equitum & fidis ſtipatus amicis.
Victores Vuirtembergam crepitantibus arcem
Flammis exurunt, celſæ ruit arcis acumen,
Bis Phrygio ſuccenſa modo uolat atra fauilla.
Quam (uelut enixus decus extirpare uetuſtum,
[b] Arx Vuirtemberga cõburitur. [b] Vuirtembergiacæ gentis) ſuccenderat hoſtis.
Longa atauûm ſeries (nullo delebilis æuo)
Quo rueret uelut à radicibus eruta pinus.
Iam Vuirtembergi perculſi Marte ſiniſtro,
Hac una fracti ſed non ſine ſanguine pugna
Fœdereis iterum præbebant ora capiſtris,
Victor præſidio domitas ut munijt urbes,
Dimittens equites peditesq; receßit ab armis.
[c] Carolus Quintus eligitur Cæſar. Rex Hiſpanorum Romani inſignia regni
[c] Carolus Auſtrigeno Archiducũ de ſtẽmate Quin-
Francfordæ ſáſces acceperat, ore potentum (tus.
Puncto omni procerum Cæſar Romanus, auorum
[d] Duielam Dux munit. Sceptro inſignitus, ſolio ſedet aureus alto.
Principis Huldrichi ſit mentio crebra fugati,
Cæſaris oppugnant procerum pars ocyùs aures
Ingenti prece, iam ſueſcat dare munera Cæſar.
Extorri poſcunt reditum, patriamq; repulſo.
Iam uerò obrepſit fallaci mente ſuſurro,
Qui mite ingenium placidas qui Cæſaris aures
Faſcinet, inq; Ducem fallax odia aſpera ſpargat.
Compoſitis regni rebus ſe Carolus aufert
Continuò è Belgis Germano milite partim
Septus, & Hiſpano partim, Germanica ſæuè
Tranſuolat Oceani freta, deinde Britannica uitæ
Littora, Gallorumq; ſinus fugit, æquore uerſo.
Bethica regna petit, fortesq; attingit Iberos.
Dux Vuirtembergus Pelegardi montis in aula,
Ceu falſam ridens fortunam tranſigit æuum,
Non tortus curis, caſu non fractus acerbo
Conſtanti uultu ſpem certam concipit, olim
Viſendi patrios fato admittente penates.
Conuocat in cœtum proceres & talia fatur:
Ludos fortunæ modicè qui ferre grauatur
Hic ſe mortalem neſcit, proprijq; uidetur
Nominis oblitus, ſcenæ quin ſeruiat ultro.
Humanæ ſortis patiens homo, dura ſubindè
Perferat, iratis quin ſperet proſpera fatis,
Non placuere olim, qui ferro abrumpere uitam
Malunt, aut angi, ac nimia tabeſcere cura,
Quam contra Parcas audientius ire minaces.
Fortunis quanquam pene omnibus exuar, at non
Exuor hoc animo, quin mox fœlicibus aſtris
Si mihi uita comes, ſi cœpto adſpirat Olympus
Vel regno reddar, uel telis obruar, ingens
Fama Ducum, quos fortunæ rota perfida uerſat,
Solus num dicar uicibus iactatus iniquis?
En Rex Danorum ſolio depulſus auito
Dux Mediolani, Dux Gelrius arduæ paßi,
Iam Brunſuigenſem taceo mihi ſanguine iunctum.
Euerſi exilium fortunis triſte ſuéſcunt
Ferre, immò diſcunt falſam contemnere ſortem
Noſtræ ſpectati Comites ſortisq; fugæq;.
Fata ſequi mecum ſi cui ſententia certa,
Nobiſcum uiuat modica nutritus in aula.
Si cui decretum noſtrates uiſere, per me
Non ſtabit, dimiſſus eat, nummiſq; iuuetur.
His dictis pars nobilium petiere paternas
Sedes, cum uenia Ducis, at pars magna manebat.
[d] Duielam Dux munit magno tum frugis aceruo.
Tum numero uimi, ſale, plumbo, puluere, ligno
Fabricat hìc poſitis incudibus arma liquenti
Maſſa, Bombardas immani fauce reſundit,
Perdius & pernox animo uoluebat auitas
Quo pacto ſedes, iuſtis conquireret armis.
Poſt paulò exactis adeò non pluribus annis.

Ruſtica

[a] Rustica seditio Sueuorum gliscit in agris
Hegoici tractus cultor prior arma capessit, (mox
Inde Tulingus, & hinc Lacobrigus, Rauracus &
Qui caput Hercyniæ fodiunt, qui fonte refusum
Leni Danubium potant, deinde accola Nicri
Accolaq; Acronij, post Almangauius asper,
Vindelicusq; ferox, & potor fluminis Oeni,
Rhetorumq; (Lici pars raaci) sæua propago,
Danubij Sueuus qui ripas uertit aratro
Brisgoiæ plebs & Vogesi gens proxima Rheno.
Et Franci Eói, sæuit Germanus in armis.
Contra summates rapiebant arma coloni,
Parsq; Euangelij obtendunt ius phasq; recentis.
Ferro non uerbo ueri stat scire medullam,
Pars uerò immunes à censibus atq; tyrannis
Esse uolunt, & aquas & syluas reddere certant
Communes, alijs aliud placet, impare puncto,
Credo alium paruo feciſſent tempore mundum,
Stultis ni uotis renuisset Iupiter olim
[b] Bella Giganteis expertus gesta lacertis.

Commoda uisa Duci renouandi occasio belli,
Contrahit Heluetiûm fermè bis millia dena
Florentes ætate uiros, pugnæq; scientes.
Solis his fretus sedes affectat auitas,
Vere ineunte nouo, non dum nix albida ruri
Liquitur, & glacies non dum dissoluitur acris.
Agmine quum structo, Dux regna paterna petebat.
Tutlingam armatus iam faustis attigit auris.
Quam dum præsidio munitam comperit, iram
Dissimulans abit, & patriam discedit ad arcem.
[c] Coniuratorum ductu de fœdere Sueuûm
Quidam nobilium, Tutlingæ penè ducentos
Continuere equites, peditum duo signa, feroces
Pressuri Agricolas, furiali Marte rebelles.
Dum sensere Ducem natales quærere terras,
Magna Duci indicto fecere negocia bello.
Non ausi in manibus pugnare, lacessere telis
Heluetios licuit, palantes cogere in agmen.
Regi Ferdnando iam Vuirtembergia dudum,
Doni oblata loco defendi fœdere Sueuûm
Debuit à Ducis incursu atq; ferocibus armis
Coniurati igitur noctuq; diuq; benignum
Regem sollicitant, Sueuorum fœdera scriptis,
Exagitant, ne pigrè adeò, Ducis arma retundant,
Ne ue adeò temerè Agricolum fatalia prorsus
Bella darent uentis in uastas spargere Syrtes.
Auxilio ueniant conscripto milite, ne fors
Vuirtembergo animum iunctis umbonibus addant.
Agricolæ, ne iuncta quidem sit copia fraudi
Nobilibus, quos extinctum uenisset arator.
Iampridem non segnis eques per frigora Bruma
Perq; niues altas, coeuntes Marte colonos
Deprimit, atq; fugat prope Danubij caput amplũ.
Molliter è cluis Arbonæ ebullit amœnus
[d] Danubij fons, & uitreo se gurgite prodit.
Sub dio, accessu liber, promanat apertus,
Non syluæ tesquis, non muscoso abditus antro,
Aeschingam prope Sueuorum gurgustia uicum
Non tenui spatio, scatebris emergit aquarum
Largis, illustrem iactans quærentibus ortum.
Non secus ac oleum primo tranquillus in orbem
Ceu fluat usq; unda stabili, quasi nolit abire,
Natales amat usq; locos, & segniter ambit,
Mollior à partu, tandem nullo impete prorsus
Fertur, & Hercyniæ Pregenum syluestribus ortum
Torrentem lamis, & Prygem suscipit amnem,
Qui tamen ignotus, nisi dum Villingia Pryges
Mœnia pertingit, syluanis paruus ab undis
Collectus, modicam uallem perlabitur, ipsum
Nomen Danubio exiguis cum fluctibus infert.
Multo sarre uiret tellus quæ proxima fonti,
Quam durus ualido Sueuus proscindit aratro.
Priscis Arbonæ iuga, nunc regiuncula Bâre,
Dicitur, & uillis & agris & splendida syluis
Celsior, at bene culta patet non aspera cluis,
Non uimi sed sarris amans, & florida pratis,
Hercyniæ caput huic fonti Zephyrusq; resurgunt,
Ad Boream tepidi floret gens accola Nicri,
Sunt ad clima Nóti, Lacobrigius atq; Tulingus
Rhenus & Heluetij ripa Histri uergit ad Eurum.
Fonticulus Nicri (sub eodem culminæ montis
Arbonæ, quo Danubius) promanat ad arcton,
Vuirtembergensem percurrit spumeus agrum,
Et longo flexu Rhenum pulchro amne subintrat,
Quando Palatini Comitis præterfluit urbem.
Danubius placido quantum de fonte recedit,
Molliciem tantum deponit, solis ad ortum
Pontifragus ruit, Euximum petit efferus undis.
Qui caput Hercyniæ, qui leni gurgite fontem
[e] Danubij retinent, quin totius incola Bâre,
In Furstembergi Comitis ditione cohortes
Agricolæ cogunt socias, ciuilia iurant
Bella, suos contra non æquo iure Tyrannos.
Facto militiæ signo raptisq; maniplis,
Vltro castra Ducis sectari atq; agmina sponte
Iungere constituunt, eadem sententia cunctis,
Obliti uxorum, natosq; domosq; perosi,
Festinant in perniciem, uesania sensus,
Atq; adeò mentem furor illis abstulit omnem.
Iamq; iter ingressi Lauchani accliuia ruris
Infausto pede contingunt, ibi corpora curæ,
Mandaturi amplas adponunt ignibus ollas,

[a] Rusticum bellum oritur.

[b] Dux Huld. patriam bello repetit.

[c] Duci Huld. cõiurati resistunt.

[d] Danubij fons.

[e] Rusticorum quorundam conspiratio malè cessit.

Sed iam ceruici uiolentior imminet enſis,
Nobilitas quæ Tutlingæ hybernabat in illos
Ocyus educens equitem (non ſegniter omni
Re prius experta) peditum duo ſignáq; ducit,
[a] Ruſticorum clades ad Lauchen. Feſtinatq; citis [a] Lauchana ad rura quadrigis,
Improuiſa quidem ſonuerunt claſſica, uillis
Agricolæ emergunt, ad ſyluæ deuia raptis
Currere auent armis, certamen inire parati.
Tecti equites, ex inſidijs mox impete curſu
Proſiliunt, ruit inde pedes, licet ordine ſtructo
Ruricolæ pugnam facerent, ſed Marte ſiniſtro
Stringebant uetitos aſtrisq; negantibus enſes.
Nobilibus Mars dexter adeſt, qui gnauiter iſtos,
Iam circumuentos ſtricto mucrone colonos,
Non ſecus atq; lupos ferali ſtrage trucidant.
[b] Dux Huld. Hernbergã cepit. Interea [b] cepit Dux arctæ ualla Balingæ,
Terruit Heluetios quoq; pugna ſiniſtra colonûm,
Dux tamen incepto non abſtinet, arua feracis,
Iam tenet Hernbergæ, belloq; incedit aperto.
Lauchana de clade recens uenere Tubingam
Victores equites, peditumq; auxere phalanges,
Diſſimiles tamen Heluetijs, excurrere nixi
Turbare hoſtiles aliquo ſtratagemate curſus.
Nocte una emiſſi pedites equitesq; Tubinga.
Iam crepero mane Heluetios fidenter adorti
Non lautè excepti retro ceſſere Tubingam.
Princeps Hernberga Studgardam pergit adepta
Pulſis præſidijs Studgarda ſuburbia cepit,
Heluetius, lætus Cereri Bacchoq; litabat,
De locuplete penu, dolio de diuite totos
Haurit uini amnes, fruiturq; à ciue relictis.
Dux præter uotum Studgardia mœnia ſenſit
Præſidio munita focosq; arasq; tueri,
Planiciem tenet urbs, uaſto foris aggere cincta,
Turribus aërijs, foſſaq; ſuperbit aquoſa,
Difficilis captu, ſi fido præſide freta,
Vrbi ex Helphenſtain Comes intus præſidet, acer
Ac nimium uehemens bellator, non ſine damno,
Depulit Heluetios accepto, multua clades
Creſcit, & ad pinnas intusq; foriſq; tuendas.
[c] Dux infeſta re, diſcedit. Non auſus quiſquam tutis accedere plantis.
Fœderei interea collectis uiribus adſunt,
Principis Huldrichi bellum properantibus obſtat,
In præſens, quibus eſt curæ modo factio ruris.
[d] Ductores agminis fœderatorum. Non bene conſultum, pariter non utile uiſum
Fœdereis fuit, inſani ſimul arma coloni,
Heluetiũq; ſimul dubias pernoſcere uires.
Heluetij ex pacto diſcedunt Principe ſecum
[e] Ruſticorum pugna ad Blingam. [c] Deducto, quos tuta fides à fœdere dudum
Promiſſa, è Nicri ſineret diſcedere campis,
Princeps infecta re, Duielam ſe tulit ægris
Confectus curis, re fracta mœſtus agebat.
Ruſtica colluuies Beblingia rura tenebat
Formidanda acies, ſi phas & iura ſecuti
Pro patria agricolæ, ſi tanta pericla tuliſſent,
Ex Vuirtembergis maior pars illa colonûm.
Non à parte Ducis ſtabant, ſua bella gerebant,
Illic fœderei perpauco milite, uerum
Iuſto æquitũ numero (duce preſſo) protinus adſunt.
Inclytus ille Baro Dapifer Vualdburgius Heros
Totius belli curam gerit, arma gubernat,
Non alius quiſquam prudentior iſſet in hoſtem,
Non adeò ſæuus bellator, parcere uictis
Nouerat, & uiciſſe haud deleuiſſe rebelles.
Furſtembergus itẽ Comes Hercyniæ accola ſyluæ
Mole Gigantea Friderichus [d] ducit equeſtres,
Huic Turno ſimilis præſtanti corpore frater,
Præclarus rebus Guilielmus Satrapa geſtis
Magnificè, qui ruricolis duo flumina uadunt,
Ad pugnas Friderichus eques, pedes alter inibat,
Tũ Comes à Lupfen, Comes Oethingẽſis, & ingens
Nobilium numerus, qui diffiſi arcibus omnes,
Tutas exquirunt acies, ædesq; relinquunt,
Fronſbergus ductat pedites, non maior in armis
Dux alius fuit hoc æuo, non fortior alter,
Auſpice quo Cæſar præclarè plurima geſſit
Carolus, Heluetios cum Gallis contudit unus
Non ſemel, atq; ipſo duce Cæſar uincula Gallo
Captiuo iniecit, Romam quoq; cepit, & acres
Italiæ uires Germano milite preſſit.
Fœderei Ducibus freti illis, uelite pauco,
Mox ubi ſint hoſtes exquirunt, prælia primi
Poſcere uiſi equites, Beblingæ ad mœnia ſæuis
Stant acies telis, pro libertate colonus,
Nobilitas pro iure ſuo diſtrinxerat enſem.
[e] Ruſticus accinctus ferro, non uomere toruus
Menteq; lapſus, ad hoſtiles ruit ipſe cateruas,
Deligit ante locos, & caſtra pedeſtribus apta
Pugnis, hinc ſylua hinc ſtagnũ, diſcluſit equeſtres.
Sed ſigno mora nulla dato prior ingruit acri
Fretus eques turma, Bombardis intonat æther,
Concrepuere tubæ, fera ſtridunt tympana raucum,
Surdeſcunt aures, tonitru ſonituq; fragoſo.
Principiò impigrè iaculis haſtiſq; coloni
Depellunt equitem, deuotè in bella ruentem,
Sanguine rura madent, ſtagnumq; cruore rubeſcit,
Neſcia plebs pugnæ non arte micantia torquet
Tela, nec exitat, non aſtu, at robore pugnat,
Bombardis pars magna perit diſiecta fragoſis,
Pars miſerè confoſſa cadit, moribundaq; torpet,
Languidius uerò pugnantum ſcinditur agmen
Ruricolûm, ruit hic, fugit ille, hunc increpat alter

Fruſtre

Fruſtra deſidiæ, Martemq; inſtaurat iniquum.
Viſa ſtrage pedem retrò iam ferre coloni
Cœpere, & pleno iam terga obuertere paſſu,
Feruidus hæret eques fugienti, calcibus actis
Quadrupedem nunc huc, nunc illuc impete uertit,
Obterit hos, fulgenti illos tranſuerberat haſta.
Anceps ille fugæ, cadit ocyor ille ſagitta
Magnæ ſe credit ſyluæ, denſiſq; rubetis,
Hunc tegit alta palus, hunc occulit ulua paluſtris.
Acre datur ſignum uictricibus abſtinet iris,
Victor eques rediens in caſtra fluentia tabo,
Ruricolæ paſſim proſtrati rura tenebant.
Fœdereis animum reddit uictoria conſtans,
Danubij ad fontem primò ſtrauere colonos,
Leuchanæ uix dum riguere cadaucra ſtragis,
Tertia Beblingæ ad muros hæc palma refertur,
Triſtior interea uictorum perculit aures
Nuncius, & mœſto perturbat gaudia luctu,
Perfidus illicitis, ait, heu furioſus in armis
Ruſticus, occulta ſub proditione recluſis,
[a] Vucinſbergæ portis, omnes de ſtemmate natos,
Illic quotquot erant extinxit, prodita dire
Nobilitas perijt, rerum proh triſtis imago.
Pauci erga plures fruſtra pugnando ſtetiſſent,
Præterea aggreditur telis munitus inermem
Ruſticus ex improuiſo uiolenter equeſtrem,
Vox una agricolis, equites occidite, ferro
Dilaniate equites, ſtudioq; fugæ inter anhelos
Hunc gladijs iugulant, hunc haſtis mille trucidant,
Præcipitant illos è turribus atq; cruentæ,
Collidunt terræ cerebris ad ſaxa rotatis,
Delatos rapidis in propugnacula plantis,
Sulphureo extinguunt iactis cum puluere flammis,
Nobilium innocuo conſpergunt omnia tabo,
Nulli perfugium, nulliq; patebat aſylum,
Fatum nobilibus parat extremum effera plebes.
Inter quos [b] Comes ex Helphēſtam Martius heros,
In medium trahitur, fortuna dignior æqua
Ruſticus hunc lentas ad pœnas ſeruat, ut alto
Sanguine prognatus deterrima fata ſubiret,
Ire per infeſtas compulſus atrociter haſtas,
Conſtitit in uulgi medio mimitatur utrinq;
Ruſticus extenta iamdudum cuſpide mortem.
Additus eſt lateri Comitis Tibicen, amaros
Pro flatu buxi greſſus, quo temperet Heros,
Cui læti uia per telum ſuperanda cruentum.
Iam Comes in circo ſtetit hoſtia fidere leuo,
Magnanimus tamen hæc fatur: Licet omnia uentis,
Quid loquar [c] agricolæ quæ prima aut ultima dicã
Ferrea uincla gero, claro quòd ſanguine cretus,
Namq; aliud nihil emerui, nocet eſſe creatum
Summo fortè loco, atq; illud mihi cauſa nephandæ
Mortis, quæ nam uos trahit inclementia dira,
Perdere me licet innocuum? crudelibus haſtis
Obijcere, atq; animos noſtro ſatiare cruore,
Num ueſtras ferus igne caſas, aut enſe Tyrannus
Diripuit? num ue uxores, aut pignora læſit?
Num pecus abduxit? uos primi bella mouetis,
Quiſq; ſuum contra non æquo Marte Tyrannum,
Me licet occiſo non undiq; tota poteſtas
Interit, à ſummo quæ dudum electa tonante,
Protinus à natis mortalibus, uſq; manebit,
Donec cœla ruent, ius ſi contemnitis, illum,
Qui regit aſtra Deum tamen exhorreſcite, pœnas
Tantorum ſcelerum uindex ille exiget olim.
Quid, quod per toruas moriturus atrociter haſtas,
Proditor aut deſertor agi ſolet, hiſce nephandis,
Afficior pœnis inſons? quòd ſtemmate clarus
Naſcor, ad hanc turpem rapior diro omine mortẽ?
Iam ſatis atq; ſuper ferro indulſiſtis & iræ,
Tot fortes animas orco miſiſtis auarò,
Ne uos, aut ueſtros, maneat pœna æqua, nepotes,
Inſontem ſeruate, precor, me demite uinclis.
Ach quid ego incaſſum tam ſaxea corda querelis
Mollio? Caucaſeis non tanta inſania Turcis,
Quanta modo uobis, unum tamẽ obſecro ſupplex,
Ne per funeſtas rapiar tam turpiter haſtas,
Enſe recidendum caput innocuus licet hocce,
(Supplicij ſatis) offero, fata obnixius atro.
Non magis agricolæ commoti uocibus iſtis,
Quàm pinus Zephyris, Adamas quàm robore ferri,
Clamant indomitum, nolentem incedere probris
Inceſſunt, haſtis impellunt, ictibus urgent.
His excita foras Comitis ruit inclyta coniunx,
Filiolo arrepto, nec ſat rationis habebat,
In tanto luctu, mentem perculſa uirago,
Fertur ad effrenes curſu pernice colonos,
Corporis obiectu defenſat fata mariti,
Plurima promittit, multoq; paciſcitur auro.
Sed fruſtra ſimul infantem prætendit, & orat,
Nunc ius, nunc phas, inclamat, ſummiq; tribunal
Iudicis adpellat, Scythici non accola Cauri,
Non gens Cyclopum, non Maurus in hoſte uel ipſo
Talia conſpiciens à fletu temperet unquam.
Sed furibunda cohors cultorum ſurdior omni
Littore, cunctantem uibratis diriter haſtis
Confodiunt, aſt hicce labante genu cadit inter
Filioli fletus, miſerandæ coniugis inter
Ploratus, Comes illuſtri tam ſplendidus ortu,
Tam clarus facto, non fauſta ſorte cadebat,
Non ſaturi ſcelerum plebes genetricis in ulnis
Confodere infantem nixi, quem de grege raptum

[a] Nobiliũ cædes Vucinſbergæ facta.

[b] Comitis ab Helphēſtein lamentabilis interitus.

[c] Oratio Comitis ad Ruſticos.

Mater

Mater clara labans, præ luctu nescia mentis
Asportans, ægrè è medio subducit & aufert,
Cor insignitum gestantem uulnere crudo.
Solus ego elapsus triduum sub culmine tecti
Deliteo ueteris, demum per nubila noctis
Aufugio miser, & uitæ distædet amatæ.
Cum gemitu hæc dicens, os totum fletibus opplet.

[a] Fœderati Vueinsbergam comburunt, & solo æquant.

[a] Fœderei primo horrescunt animisq; receptis
Tristia nobilium deplorant fata uirorum.
Ille suum gnatum, hic fratrem, hic defleuit amicum,
Mox indignantes properato milite uallant
Vueinsbergos, atq; expugnant authoribus illis
Infandi exempli dilapsis, omnia ferro
Deuastant, rapidis comburunt omnia flammis,
Muros æquauere solo, turresq; superbas.
Corruis ô Vueinsberga leui subuersa fauilla,
Corruis in lignis in fumum uersa ruinis
Quæ paulo antè nites turritis edita pinnis,
Pingui extructa loco, numerosa uite beata,
Nomen ut inde feras uineti à monte uetustum,
Vuirtembergiacæ ditionis gloria dudum.
Iam cinis, atq; strues carbonum, fabula fati,
Duris adscribes hæc diffortunia Parcis,
Quæ similes olim Conrado rege ferebas.
Infœlix casus, quum cernis mœnia capta
Ciues addictos læto trepidare per urbem,
Quos tamen arte noua muliebris liberat æstus.

[b] Matronarum facinus egregium.

Rex clementer ait [b] matronis, tollite quicquid
Quæq; humeris efferre potest, id demite flammis.
Quo dicto sua quæq; uirum complexa, periclis
Eximit, & curuo fert pondus amabile tergo.

[c] Friderichus Comes à Furstẽberg Kleggoios premit.

Ille dolum ridens inuersaq; uerba, relictis
Dum sibi quæq; bonis effert post terga maritum.
Rex ait haud ita decreui, tamen irrita nolo,
Verba mea uxores, discedite, sarcina uobis
Si placet illa, uorax deinde omnia peräidit ignis.
Fœderei sumptis iam pœnis castra mouebant,

[d] Oratio Philippi à Rechberg. cognomen Longi.

Vueinsbergi euersi fortunis plurima questi.
Lugent exangues (miserabilis ecce caterua)
Matres, cum pueris tendunt ad sidera palmas,
Deplorant frustra non euitabile fatum,
Testantur cœli numen, stellasq; coruscas.
Esse extra noxam sese omnes, morte piandum,
Si quid Ruricolûm demens patrauerit ordo.
Sed ne ultra septum saliam, ne longius extra
Callem digrediar, nostra in compendia uertam
Missos Agricolas faxo, quos ferre capistrum
Nobilitas cogit, Francorum in finibus una
Atq; alia pugna fusos fœdeq; fugatos.
Post Vlmæ ad Sueuos, ubi se Almägauius asper,
Sueuis addiderat socium, profligitur ordo
Rusticus, inq; fugam post irrita prælia uersus,
Disiectus perijt uel non sine sanguine cultor.
Rursus non saturum pugnæ deuicit equester
Agricolã, Altdorphi hîc ubi Guelpho federat olim,
Mœnia turrigeris prope Rauensburgica pinnis,
Acronij taceo turbam stragemq; colonûm.
Hegoicum populum premit armis inclytus ille
Vuerdenbergorum Comes apto nomine fœlix.
Iam Lacobrigorum trepidam describere pugnam
Nolo, nec huc referam tollentes arma Tulingos
Quos [c] Furstenbergus Comes acri Marte repressit.
Dux Lothringorum quàm cladem fecerit unus
Ad Rheni ripas, longum foret edere uersu.
Fama fuit centum ferro occubuisse colonûm
Millia, qui passim Germano in climate cæsi,
Quid quod presbyteri cõplures undiq; pendent
Quercubus à uarijs in quos transfertur atrocis
Ilias hæc turbæ, quos constat imagine ueri
Deceptos, Euangelio non spiritus arma
Sed carnis tribuisse, tamen ceu nomine Christi
Colla darent laqueo, uisi contemnere mortem.
Huldrichus Princeps patrio iam limine pulsus,
Duielam frumentis, & fido milite munit,
Ad Montpelgardum, turma comitatus equestri,
Contendit cassus spe fractus pectore, tandem
Deposuit uotum redeundi ad regna paterna,
Questus apud proceres falsæ ludibria sortis.
Tristis ait frustra petram commouimus omnem,
Quò me nunc uertam, quîs auxilijs fruar ultra,
Non spes auxilij, non consilij locus ullus.
Non ego detrectem caput obiectare periclis,
Si modo paruoto respondeat horula fati.
Non uirtus bello, sed sors dominatur iniqua.
Desino iam longis mea fata referre querelis,
Non uerò Heluetiûm libet hic describere uires,
Quîs nihil efficio, ualeat fortuna, ualebis
Ambigue & pellax ad muttua uulnera Mauors,
Exul in his degam, sic certum, inglorius oris.
Principis adstabat lateri maturrimus æui
[d] Rechbergus, rude iam dignus, tamẽ acer in hostẽ,
Cui nomen Longo dedit ipsa statura Philippo,
Nestoreo qui corde senex, hæc optima fatur.
Dux animose tuis iamq; inde exercite fatis
A puero & cunis, mentem ne subtrahe rebus
Tot dubijs, par Vertumno fortuna rotatur,
Non bona semper sors, non omni luce nouerca,
Quo plus aduersa est hoc plus spero affore blandã.
Fidendum est, Generose tui monumenta laboris,
Olim carminibus cantabunt, Rhenus & Hyster.
Fortia si spectas proauorum facta resumes,
Fortem animum, non abijcies animosior hastam,

Vuirtembergorum res gestas dicere paucis
Si conor, numero silices Nicri, & maris undas.
Vuirtembergorum Comitum stirps nobilis ortu,
Primitus angusto, cœpit primordia parua.
Præclarè gestis mox tollit ad æthera nomen,
Quorum mens bellax ferali sidere frangi
Non unquàm potuit, bellis non uincier ullis.
Proloquar ex atauûm factis compluribus unum
Siue aliud, reges infensos mitigat olim
Vuirtembergorum uirtus & gloria bellax.
Studgardã quondã [a] Rex obsidione Rodolphus
Cingit, & externo latè loca milite uastat,
Vuirtembergus ad arma ruit Mauortis alumnus,
Omni telorum genere oppugnantibus obstat,
Excursu crebro premit, occupat, obterit hostem,
Regis amicitiam sancita pace meretur,
Deinde in uicinos mouet arma abeunte Rodolpho.
Obsidet Eßlingos, bellat Theck, occupat Achelm,
Villas incendit, cædem facit, atq; rapinis
Indulget, quod uicini cum Rege Rodolpho.
Vuirtembergensem spoliassent nuper agellum,
Hostes adflixit digna talione superbos.
Quo uiso rediit Rex, Eßlingensibus ille
Regis ad arbitrium Comes icto fœdere pacis,
Vicinisq; aliis ex hoste redibat amicus.
Quid memorem Reges crudelia bella mouentes,
In Vuirtembergos, odio commotus Ebrardum,
Septimus Henrichus patria fugat arce, priusquàm
Viribus instructis, ferro decernere posset,
Rex urbes cepit, celsasq; in montibus arces
Expugnans, prædatur agros cultore perempto,
Tum Vuirtembergã quoq; Rex cõbusserat arcem,
Deinde sepulturam Comitum destruxerat hostis.
Vuirtembergiacam nixus deperdere stirpem,
Sed uita functo mox Rege, reuixit Ebrardus,
Atq; arces patriæ contractis occupat armis.
Iam non contentus ueteri ditione uagatur,
Vlciscens hostem, sedes ditauit auitas.
Post uerò ingenti peditatu hoc nomine Quartus
[b] Carolus, in Vuirtembergos bella horrida mouit,
Magno equitum numero, conductis longius Hunis
Atq; Bohemis, Cæsar Vuirtembergica bellat
Oppida, suppetias illi pars magna ferebat
Imperij, uolitant aquilæ, ferus imminet hostis.
Et populatur agros, incensis undiq; uillis.
Viuitur ex rapto, quin facta cede, cruentis
Cuncta ruunt armis, ruri mapalia fumant.
Diuiso peditum numero Rex perdere stirpem
Nititur inuisam, totamq; euertere gentem.
Carolus exiguis obsedit mœnibus Aulen
Oppidulum, quod cum cepit, regno addidit, inde
Schorndorphũ aggreditur numerosa turre superbũ
Dux Rheni oppugnat Gruennigã Marte Rupertus.
Regni urbes illi cis Rhenum signa Ruperto
Suppeditant uiresq; suas, atq; agmina iungunt,
Imperij superas Germania quæ tenet urbes.
Obsidio uallat Gæppingam, totus in hoc est,
Carolus, ut perdat Nicri magno impete fines
Namq; locis tribus adgressos ferus impetit agros.
Segnior ast nihilo tum [c] Vuirtembergius Heros,
Armatus ruit in bellum, Dux Austrius icto
Fœdere cum Vuirtembergis, belliq; domiq;
Sese addit socium, contracto milite tricas
Hostibus iniiciunt, intentos sæpe rapinis
Excipiunt, ac palantes per rura trucidant,
Non leue iam reddens occulta per auia damnum.
Strenuus insequitur strictis mucronibus hostes,
Hìc equites, illìc pedites, fundebat, & illos
Captiuos trahit, hos cædens simul exuit armis.
Nusquam non uideas campum feruescere pugna,
Carolus hoc uiso confecta pace recedit.
Quo cedente suos ad prælia contrahit audax
Vuirtembergus, & imperij ferus opprimit urbes
Exacta ui nummorum, nec inultus abibat.
Accidit in bello ciuili digna relatu
Res, & auum facinus memorabile cuius aprici
Antè senes paulum possunt meminisse sinistra
Pugna, ad Reutlingam, qua uictus nobilis instat
Expuncti fuit urbanis, contemptus equester,
Pro nihilo fuit, usq; adeò fortuna iocatur
Et Mars ambiguus, nunc hos, nunc adiuuat illos,
Municipes latè per rura incendia miscent.
[d] Vueil urbs imperij Vuirtembergensibus agris
Non modo uicina est, sed eodem limite saltem
Sulcat agros, ibi magna uirûm quoq; copia sæpè
Delituit, qui iam crebris excursibus usi.
Vicos incendunt, cædunt impunè colonos
Mœnibus effusi prædas agitantq; trahuntq;.
Quodam tempore Tœffingam comburere uicum
Subiectis facibus Delubri excindere uallum
(Quo se perfugio tulerant è rure coloni)
Conati, interea ruri gurgustia fumant,
Fit passim cædes, uillæ spoliantur opimæ:
Indicio fumi quæ dum perspexerat Heros
Vuirtembergus, auûm gentili nomine Ebrardus,
Præsenti motus damno rapit arma, colonis
Auxilium laturus, agit sub signa cohortes.
Mox equitũ peditumq; ferox trahit agmina, gnatus
Vnicus huic Huldrichus erat, lanugine prima
Cui rubicunda genas uestibat barba decentes.
Festino Comes ipse uiam superare tumultu
Nititur ac propè Vueyl redeunti est obuius hosti,

[a] Rex Rodolphus Studgardam obsedit olim.

[b] Carolus Quartus Vuirtembergic. bellum intulit.

[c] Dux Austriæ cum Vuirtembergic. fœdus icit.

[d] Vuirtembergorum uictoria ad Vueil oppidum imperij.

Congreditur

Congreditur conſtructa acie, tremit aſpera tellus
Cornipedum ſonitu, bellatorumq; fragore.
Paucus erat iam tum Bombardæ peſtilis uſus.
Iunior Huldrichus calcaribus ilia punctim
Bellatoris equi fodit, ac ruit acris in hoſtem
Pugnat, & intrepidè ſe multis milibus infert,
Hos premit acer equo, hos ferro fodit, atterit illos,
Et facta iam ſtrage cadit fortiſſimus Heros.
Sic olim Decius patriæ cadit hoſtia charæ,
Territus occiſo iam principe conſtitit omnis
Vuirtembergorum trepidans exercitus, ac iam
Languidius pugnat, quo uiſo exclamat Ebrardus
[a] Egregium ſtratagema. [2] Stentorea quaſi uoce ſenex, diſcriminis, inquit,
Pauxillum ſiue ipſius herus, ſiue occidat alter,
Iam pugnate uiri, tenſo ſimul indice in hoſtem
En fuga turpis, abire loco, dare terga fugaces
Hoſtes laxato fugere ordine cernitis? iſtoc
Audito ſoluere globos, cuneoſq;, retrorſum
Diſcedunt hoſtes, quando ſibi quiſq; timebat,
Reſpiciens qui fortè fugam, qua parte capeſſant.
Interea ruit in trepidos fodit, ac ferit, acer
Vuirtembergus, & hoc ſuperat uel nomine, poſtq̃
Mentio facta fugæ, timor hoſtibus obfuit ille,
Sanguine Vurmſa fluit cæſorum, cladis acerbæ
Nuntius ad matres Vueylanas uoluitur amnis,
Huc haſtas clypeoſq; trahens infractaq; tela.
Quæ res in luctum dedit omnem protinus urbem,
Municipum quando cæſum plus mille uirorum,
Sexcenti capti, reliquos fuga ſeruat anhelos.
[b] Dux Huld. ad Heſſum ſe contulit. Non equiti paruo conſtat uictoria, cæſi
Nobilium quinquaginta, de monte leonis.
De Zollern Comites, tum Vuirtembergius ille
Iunior Huldrichus, nec inulta morte ruebant.
[c] Auguſtenſe Comitium. Quorſum tot referam ſtudio non diſpare Ebrardos
Tranſeo, plura libens, ſexcentaq; tanta relatu
Digna, ſed hæc monuiſſe ſatis. quare optime Prin-
[d] Dux Huld. bellum parat. Fidendum fatis, ſimul ac melioribus horis, (ceps
Quin potius confide Deo, qui percutit unus
Ac ſanat, quiq; exaltat qui deprimit unus,
Qui te reſtituet patrijs fauſto alite regnis,
[e] Coniurati exercitũ nomine Regis Ferdinandi conſcribunt. Adijcito ipſe manus, nec tu tibi ſtrenue deſis.
Sermo Duci ſubſpergit aquam, mentemq; reducit,
Recbergum aſpiciens, nunc me calcaribus urges
Ad maiora ſenex, proauũm ueſtigia quantum
Phas erit, uſq; ſequar, per mille pericula donec
Antiquis reddar fortunis, ſoſpite uita,
[f] Carolus V. Et ſummo ducente Deo. ſectanteq; fato.
Tantundem effatus, cognatum pergit ad [b] Heſſum.
[g] Bella ætate noſtra confecta. Cui queritur uarios turbato pectore caſus.
Heſſorum princeps charum ſolatur amicum,
Suauibus hunc tractare modis regaliter ambit,
Tanta uiri miſerans incommoda corde uolutat.
Heſſus iam tacito, qua nam ratione paternum,
Quaq; uia regnum, Princeps, quò quæreret aſſit.
Carolus [c] Auguſtæ conuentum indicere Cæſar
Principibus iußit Germanis, cardoq; ſacræ
Verſatur fidei, tractata negotia primum
Sacri Euangelij, reſpublica deinde bonumq;
Commune accipitur, Synodi uice copia magna
Doctorum auſpitio confluxit Cæſaris illuc.
Principis Huldrichi fuit inter cætera tandem
Præ manibus ſuſcepta (quidẽ uaro omine) cauſſa,
Nobilium nemo non uellit Cæſaris aurem,
Concordi prece, uel ſummis conatibus inſtant,
Idq; Heßi inſtinctu, patrijs ne longius oris
Exulet Huldrichus Dux, uano hoc omne labore
Sumitur, effectum nil, Vuirtembergia rurſus
Enſe lucranda (audit) uia rurſus enſe paranda eſt.
Dux uoto caſſus, fatis urgentibus, exul
Ter quinos aberat patrijs à finibus annos,
Poſt antiquato Sueuorum fœdere, rurſus
Ciuili ſtudio patrias inquirere ſedes
Incipit, ac Proceres Sueuũm, imperijq; monarchas,
Nunc onerat ſcriptis, nunc oratore fatigat,
Amiſſas urbes repetit, patriamq; repoſcit,
Pace bona, ac fauſto conſenſu Cæſaris illud
Ambit, & uſq; dies rogitando perdit inanes,
Enſe uia eſt faciunda audit belloq; ſeuero.
Tandẽ bella parat [d] Dux, Heſſo principe fretus,
Triginta peditum conſcribit millia (præter
Quadrigas) equitum pariter ſex millia ducit,
Egregie inſtructo patriam petit agmine princeps.
Aeſtas arua recens herboſo flore coronat,
Stat cliuũm Decus adiunctis quoq; uinea palis,
Iam uiret omne nemus, ſeges undiq; lactea ſpicas
Induit, & prægnans ornatur fructibus arbor.
Re qua commoti pulſa torpedine tandem
[e] Coniurati agitant haud uanis pectora curis,
Auſtrigeno Archiduci Ferdnando Romulidarum,
Atq; Bohemorum Regi, prius ille ducatus
Vuirtembergenſis dono datur, ancora lapſis
Extrema hæc rebus, bellum quod nomine Regis
Poſſe geri inueniunt, multo conamine Regem
Ferdnandum nunc ſollicitant, nunc arma ſubornãt,
Ipſi, ac mœſti animis huc, illuc, omnia uerſant.
[f] Carolus ipſe alibi Cæſar uiuebat in armis,
Strenuus in Pœnos aut adparat arma doloſos,
[g] Aut Siculas urbes defendit ab impete Mauri,
Siue ad Maßiliam Gallorum uiribus obſtat,
Allobrogum'ue Duci ſedem defendit auitam,
Seu Mediolanum bellis fatalibus urget,
Ante Italos premit, & Venetos in fœdere ſeruat,

Antè

Antè domat ferro coniectum in uincula Gallum,
Turcas Hungaria uictricibus eijcit armis.
Imperium externis tutatur ab hostibus ultor.
Rex quoq; Ferdinandus cũ Turcis bella gerebat,
Quẽfors Pannoniam populantur & usq; Viennã,
[a] Ducti, hanc Riphæis prius obsedêre maniplis.
Atq; oppugnarunt, quam tum Germanica pubes
Præsidio imposita obtinuit uiolentior armis,
Inuisumq; genus Turcarum depulit Histro.
Rex igitur nunquam feriatus ab ense Getarum,
Arma Ducem contra nolensq; uolensq; parabat.
Coniuratorum ductu instinctuq; uolabant,
[b] Regia signa quidem, collecto milite nusquam
Cessatum, sed utrinq; moræ dispendia rentur,
Festinant pariter, iam uentum Neccharus aruum
Quâ rigat ad Laupham cliuosam, regius illinc
Armis ac telis fulgens exercitus adstat,
Acronij bellax sub signis accola stagni
Stabat, & Algauius, Rhætûm pars inde Brigantes.
Et Bauari, & Sueui, qui curui flaminis Oeni,
Quiq; Lici ripas, & Norica rura colebant.
Danubij cultor (stipendia quisq; secutus)
Hercyniæ pubes, Nicri his adiecta iuuentus,
Magno equitum numero, ferratis horrida parmis,
Clausa acies, densis ceu murus aheneus hastis,
Lætiferas uasto Bombardas gutture uectant.
Inde stetere [c] Duces nimium radiantibus armis,
Ingentes equitum turmæ, peditumq; phalanges,
Saxones rigidi cis Albim nata propago,
Belgæ equites, bifidi quoq; bellax accola Rheni,
Hollandi pedites, non segnis in ære Sicamber,
Hessus utrumq; celer certamen inire, pedester
Fortis, & acer eques, telo galeaq; coruscant,
Non temnenda acies, Germanûm inuẽta trahũtur,
Bombardæ, horrifico tonitru quæ fulmina sputant.
Structa acie tentant auidæ præludia pugnæ,
Mutuus inflicto clangor sonat ense, uicissim
Feruebant ictus, crepat ærea machina, diro
Per capita alta sono, stragemq; per agmina densat,
Sol fugiens umbra terram contexit opaca,
Conflictum ardentem dirimit, pugnamq; moratur,
Commoditate loci Regi uictoria cessit.
Regius hinc miles rem factam credidit, ortum
Iam solis tardum, seramq; in crastina pugnam
Differri queritur, nassa inclusum ratus hostem
Successu elatus, spolijs imbiabat, & inter
Pocula, nunc partitur equos, nunc diuidit aurum,
Hoste uelut uicto, probris quoq; pugnat, in istos
Rheni altos culices in mœsti guttura zyphi,
Saxones pingues, auidos abdominis Hessos,
Textores ad bella rudes, deîn cantharus ambit
Viti frater imit plenis certamina zyphis.
Interea lusu, cantu, & clamore ferocit.
Principis hinc tacitus florenti in cespite miles
Stratus, ad audacem firmabat pectora Bacchum,
Mussanti labro ille minas, hic fortia iactat,
Hic uerò & caput, & curas in graminé ponit.
Hessorum [d] Princeps, & Vuirtembergius Heros,
Attentis animis, uigili statione subinde
Castra subire solent armati, perspicere intus
Quid fieret (prius umbrosæ data tessera noctis)
Somnus abest oculis, industria feruet utrinq;,
Non adeò seiuncta quidem tentoria stabant,
Nam circumductis faciebant castra quadrigis,
Nocturni propius lucebant clarius ignes,
Contenti excubijs hostem secludere cautis.
Multo mane uafri prærepto colle Ducales
Regia castra loco turbant deinde equitatu
Protinus immisso, gladijs hastisq; repellunt,
Regales iamq; arma crepant, legitq; uirum uir,
[c] Dux uerò Huldrichus ferrarum circuit agmen,
Fretus equo insigni, qui trux flammantia uoluit
Lumina, frena terens spumantia, morditus hostem
Arripere adsuetus, morsu atq; omni pede pugnax,
Aëreus hunc Thorax, & equum sua lamina texit,
Hastatos urget dictis, animosq; labantes
Erigit, ad pugnas accendit uoce manuq;
Strenuus, & stricto cuneis hostilibus instat
Ense ferox: Pugnate uiri, uictoria nostra est
Sæpius inclamat, defuncti instante labore
Totius patriæ potiemur, iuris & æqui
Vos ratio moneat, melior uos causa iuuabit,
Nunc Ducis officium, nunc militis occupat ardens.
[f] Princeps Hessorum nihilo quoq; segnior ambit.
Iam pedites, iam uerò equites spumante caballo
Vectus adit, quosdam uocat ipso nomine equestres,
Virtutis memores quo pugnent, fortiter ipse
Fulmineo ense ferit nunc hos, nunc proterit illos,
Non minus aduersæ ductores agmina partis
Dictis accendunt, multis hortatibus urgent.
Et spes ostendunt amplas certamine parto,
Iamq; usum linguæ pugnantum clamor ademit,
Ingenti strepitu telorum sæuijt horror,
Bombardæ tonitrus, quin rauco tympana bombo,
Rumpere saxa queant, tantum non corda uirorum,
Cessatum nihil, ambæ acies magno impete pugnãt,
Saucius ille gemit, cadit hic ceu fulmine tactus,
Hic moribundus adhuc terram quatit ilia fossus.
Crure Palatinus Comes icto Satrapa Regis,
Fortis equo extincto iuuenis, per brachia fertur.
Tum Coniurati quibus alea luditur illa,
Solliciti instaurant acies, iam penè labantes,

[a] Turcarum in Pannoniã excursus.

[b] Regius exercitus.

[c] Ducalis exercitus.

[d] Vigil Principum cura.

[e] Ducis Huldrichus fortitudo.

[f] Hessi Principis magnanimitas.

Hortatu

Hortatu crebro languentes erigere alas
Fruſtra conati. trepidis in rebus habenas,
Bellator ſpernit, feſſas Mars opprimit aures.
Sic paſtor clamore, manu, uirgaq; fugaces,
Diſperſosq; greges incaſſum ſiſtere tentat:
Dum lupus in pecudes ruit, aut armenta leones
Dum laniant, præceps fati pauor omnia turbat.

a Miles Regius in arctũ cogitur.

a Miles in anguſto deſudans Regius arctè
Comprimitur telis, & circumuentus iniquo
Stare loco nequiens, laſſo trahit arma lacerto.
Vineti crepido fuit, quam Neccharus infra
Velox arrodit, prope quam ſit pugna, Ducales
Inſtant à fronte, à tergo regalibus obſtat,
Altus montis apex, qui Bachi conſitus uua
Tenditur ad Nicrum decliuus, ſtructilis altas
Tophus agit foſſas, præcelſas, aggeris inſtar.
Per quas in præceps fugiens ruit impete magno
Regalis miles, proprijs pars inſilit haſtis,
Pars fixi palis (qui iuncti uitibus) hærent.
Hic proprio incubuit gladio miſer, ille cruenta
Rupe caput fregit, Nicri pars flumine merſa,
Pars alibi fugiens equitum uictrice caterua
Opprimitur, coniurati de puluere dudum
Ceſſere emenſi non tardis paßibus aruum.
Chriſtophorus Dapifer telis oppreſſus in altas
Fiſus equo rupes ſaltauit, ab hoſte feroci
Preſſus, cornipede amiſſo, quin uulnere tardus
Nicrum ſublanguens armis tranauit onuſtus,
Aſbergam poſt hæc à milite ductus in arcem.

b Tubinga deditur.

Iam lituo reſonante Duces cecinere receptui.
Haud placuit ſæuis exemplis perdere uictos
Fama per occiduos nimium pennata Súeuos.

c Arx Vrachij oppugnatur.

Iam uolat atq; adeò per Podmica ſtagna, per omnes
Danubij Rheniq; urbes, leuis aduolat oras
Fimi timas, mites iam Regi uellicat aures
Palmam ferre Duces deuictis hoſtibus æquam
Auſtrigenus ſanguis pendebat talia parui
Contentus patrijs, & auũm diademate, regnis:
Coniuratorum niſi callida techna fuiſſet,
Rex non curaſſet gladio retinere Ducatum
Vuirtembergenſem, uel auita ſede beatus.
Mutant caſtra Duces, iam protinus hoſte fugato
Aſbergam uerſus properant hanc milite cingunt.
Plurima quandoquidem magnatum elapſa caterua
Fugerat Aſbergam, qui pulſo principe dudum
Studgardæ primas tenuere, fauentibus aſtris
Fœlices, uerſa trepidi uice, montis aſylum
Huius amant, huc fortunas huc uotaq; ponunt.

d Arx Aſberga fortiter oppugnatur.

Studgardam uerſus properatur tempore capto
Rebus adhuc trepidis, ut princeps occupet urbem
Antea quàm uicti reparent lecto agmine uires
Milite diuiſo pergebant, ne mora tantis
Auſpicijs foret arx, cretoſo colle ſuperba,
Obſidione quidem in montis radice relicta.
Dum noctu excubias agitabant collis ad imum
Heßi equites, prendunt (in opacis repere culmis
Farriferæ ſegetis) parua comitante cohorte
Signiferum, qui præſidio tranſmiſſus in arcem
Nocte ſub obſcura cœcis errabat in agris.
Quo uiſo ad pugnam ruit Heſſus & impete curſu
Proterit aut temerè obſtantes aut noctis in umbra
Seſe occultantes capit, aut ferus enſe fatigat.
Ventum ubi turritis floret Studgardia pinnis,
Vuirtembergorum ueterum notißima ſedes.
Studgardi reſerant portas, tam pectore læto
Quam pronis pedibus, prolatis clauibus urbis.
Suauiter excepere Ducem, iam pluribus annis
Optatum, ruit in uicos effuſa iuuentus.
Cum ſenibus pueri, matres, teneræq; puellæ,
Spectatum uenere Ducem, multo ante petitum.
Studgardis uerò iuratis alite fauſto
Omnes accedunt ultro quas Neccharus urbes
Alluit, & ſeſe procliui pectore dedunt
Gratanturq; Duci rerum æquo Marte potito.
His actis adeunt turrita mole b Tubingam
Quæ propenſo animo portas q; uiasq; recludit:
Atq; Ducem læti iuuenesq; ſenesq; ſalutant.
Quotquot ad Hercyniæ reſtabant oppida ſaltus,
Quotquot erant pigri Nagolti ad flumina paßim
Dein iuxta Blauũm, & Vulſam notißima Sueuis
Oppida, Danubij Tutlingia proxima ripæ,
Contribuere Duci ſeſe ac ſua mentibus æquis.
c Vrachij ſpeculam frondoſæ rupis in alto
Vertice pendentem cingunt pugnace corona.
Dux, Heſſusq;, prius nam ciuis fræna recepit,
Heſſus ut aſpexit præcelſam turribus arcem,
Conſilium cælans, quin alas nectimus inquit,
Nemo huc perueniet niſi factis Dædalus alis.
Haud facilis fuit acceſſu, mons editus illic,
Qui procul aëriæ frondeſcens imminet arci.
Princeps huc hominum ueſtigia nulla ſecutus,
Per Dumeta ſecat, deſerta per auia montis
Munit iter noctu, dein ſolers conuehit illuc
Altiuolos angues, & in altam fortius arcem
Tormentis penetrat, Bombardis perſona uallis
Contremit, incuſſæ turres tectumq; trabesq;
Corruere occipiunt, Bellator in arce laborat
Strenuus, at fruſtra tamen oppugnantibus obſtat.
Tandem tradebat diffractis mœnibus arcem,
Princeps implumes ibi pullos eximit Heſſus.

d Arx Aſberga labor poſtremus reſtitit, illuc
Ducitur actutum feſtinis copia ſignis.

Plurimus

Plurimus (à teneris qui dudum bella secutus)
Bellator fidus munitæ præsidet arci
Summa rei quibus extiterat Studgarda potestas
Fugerat huc è Lauphana rapto pede pugna,
Arx telis munita suis, tam puluere, plumbo,
Quàm uini & frugis numero contempserat hostes.
Extemplo princeps Hessorum Bellicus Heros,
Admouet ad murum Bombardas, illicò turres
Occupat, elatas turrito uertice cristas
Disijcit, atq; arcis uerrucam circuit, ausus
Noctu usq; ad portam tacitis accedere plantis.
Illi è sublimi telis grassantur in agmen
Hostile, ac sistunt contrà pro uiribus intus
Turribus è densis (fretiq; loco q; situq;)
Glandes demisere truces, spes erigit illos,
Hos natura loci, uirtus accendit utrosq;.
Sudatum satis atq; diu, non absq; ruina,
Non sine clade, tonans ultro citroq; uolabat
Aerea militibus quæ præsens machina pestis.
Hessus in Asbergæ montem præstrenuus omni
Telorum genere incumbit, noctuq; diuq;,
Murifragi sine fine globi sublime petebant.
Vsq; adeò firmi quatientes mœnia montis
Quod nemo auderet caput exertare uel unguem
Latum, qui saltem probris incesseret hostem.
Qui fuerant intus repetunt hypogæa, nec usquàm
Tuti. tantus erat uapor in penetralibus arcis.
Pulueris atq; olidi nidor, dum fulminis instar
Bombardæ tonitru rapit obuia quæq; subinde
Tegula, saxa, trabes, conuulsaq; tigna, minantur
Omnibus exitium, postremaq; fata, per arcem.
Iamq; fatigati obsidio, fractiq; labore
Douryphori Martem terraq; mariq; sequentes
Pars confecti annis testantur talia nunquam
Tantaq; uidisse insoliti stratagemata Martis
Qualia Bellator meditata reponeret Hessus:
[a] Obsessi proceres una cum milite tandem
Arcis turrigeræ tradebant mœnia, multis
Rupta locis, uita donati & milite Zona.
Plus octingenti nido inueniuntur in illo
Hastati fratres, horrenda examina, Viti.
Iamq; Duces capta soluebant protinus arce
Castra, ultra fines Vuirtembergos prope ripam
Danubij ueteris Riedlingæ ad mœnia ponunt,
Pacatiq; sedent, positis in margine castris.
[b] Tantas uix Macedo quondã duxisse phalanges [b] Exercitus
Creditur, omnigenis ubi fulgent agmina telis. Ducis Huld.
Quid Martis pullos, quid Viti fratris alumnos?
Quid referam longos & crassos centuriones,
Ingentes artus, hirsutaq; brachia setis
Quis non miretur? facies non omnibus una.
Rasis iste labris, sylua hic tegit ora trinodi.
Hic raso tantum summo ore, aut gutture prodit.
Alter pubetenus barbam promittit inertem.
Quid quod ueste quidem diuersi, Gallicus ille
Creditur, Hispanum fert hic de more cucullam,
Insectæ uariant imitatæ uulnera uestes,
Teutonici nihil hîc uideas nisi Martia corda,
Fœlices nimium, qui non sensere lacertos,
Istos hostili grassantes more modoq;.
Quis non horreret cataphractos undiq; ferro
Munitos, ac horrenda se mole mouentes,
Deinde equites armaturæ leuis agmine prompto.
Huc illuc agiles hostem prosternere gnaros
Bellatoris equi spumantia fræna paueres,
Immani uideas Bombardas stare Barathro,
Plaustraq; militiæ compluria, raraq; uisu,
Quæ simul arma uehãt, simul actis cõmoda castris,
Multi ac furtifici sectantur castra calones.
Quis nouisse ducum potuit secreta pauorem
Non modicum Sueuis infert exercitus oris
Tantus, & effrenis, dubium quò tendat in armis.
Acronij Venetiq; lacus Rheniq; bicornis
Oppida quæq; pauent nusquam non bella timẽtur.
Perculsi agricolæ deponunt omnia tutis
Mœnibus exhorrent, Huldrichi principis arma
Vir, mulier, pueri, atq; senes, arma horrida fingũt:
Sed Deus Altitonans qui maximus optimus illa
Contulit in melius quæ tristia fata parabant,
Quandoquidem fines confecta pace paternas
Ferdinandi auspitio Regis, Dux obtinet, ac iam [a] Asberga
Romani imperij tutamen moribus ornat. deditur.
Sueuos iustitiam edulcans æquoq; bonoq;
Certus iam rerum patriæq; potius ab armis
Cessit, dimittens equitum peditumq; cateruas.
Quem cœli numen fatis & sospite uita
Nestoreos Nicro Dominantem seruet in annos.

FINIS.

COMMENTARIVS DE VVIRTEMBERGIAE REBVS GESTIS, HVLDRICHO Principe, Lib. I. per Ioan. Pedium Tethingerum Tubingensem.



ILLVSTRISSIMI Vuirtembergorũ principis Huldrichi Ducis à Theck, Comitis à monte Pelegardi, &c. atq; adeò Vuirtembergiæ totius auditu cognituq; nõ absurda, tum fata tum facta (quantum priuato licet) illinere chartis libuit: Nullus in hoc enitar, ut homo Sueuus historiam Romano more contexere, siue Latialis gloriolam facundiæ frustra uenari laborem. Verũ crassiore Musa, quæ uel ab ipso principe militiæ domiq; præclarè facta, uel in Vuirtembergensi ducatu pro fortunæ libidine bene male'ue ceciderint, ætate potissimum nostra, quæ partim uidimus, partim certò comperimus, ea litteris mandare sedet animo, ne prorsus obliuioni tradantur. Vt quæ uel ad uirtutem commodè parandam, uel ad Reipub. gubernãdę prudentiam facere uidentur, ea legant posteri. Quæ uerò notas infamiæ cuiquam uel nobilium, uel popularium possent inurere, longè sepulta, quàm diuulgata malo. Nemo sapiẽs id mihi uitio uertet, opinor, aliud enim licet Ethnicis, aliud (quod mea fert opinio) Christianis expedit, quibus in ædificationem sinceræ fidei, morũq; probatorũ fieri deberẽt, tàm uerbo q̃ facto, plæraq; si nõ omnia.

Origo Vuirtembergiacæ gentis.

Vuirtembergensis Ducatus (ut ab ipso lare quod aiunt incipiam) nomẽ habet, à Vuirtemberga ueteri specula, quę nunc in umbilico eius dominij sita, nõ ita procul à Studgardia, montuoso tamen editiore loco, neq; munimine neque structura formidabilis hosti. Sed pro maiorũ cõsuetudine, quibus ferrea quàm terrea magis placuere mœnia, loci potius amœnitate spectabilis, antiquitate

Arx Vuirt.

solùm commendatur, iucundo fruitur in orbem prospectu, suprà fagiferi uirgulta nemoris, infrà fertiles uitium colles. Adde quòd Neccharus amabili prorsus alueo (plus minus ad iactum teli) profundius in amœna uicinaq; ualle per uiridia prata, leni murmure strepit. Qui præterquàm quod pisculentus est amnis, humore quoq; tepido uitiferos undiq; cliuos irrigat. Ad Bootæ uerò sidus ager huic arci proximus extat undequaq; floridus, partim saltuoso nemorum dorso, partim uinearum uirecto, partim frumenti copia, nimisq; fœcundus, fœlix, amœnus. Hancine speculam Vuirtembergi proximo Comites multis retrò seculis incoluerunt, inde nomen, genus, insignia (quod res ipsa loquitur) adepti. Sunt qui Vuirtembergos Heroes è Tuscis aut Rhætis ortos autument. Sunt qui de Gallis oriundos affirment, utri quis accedat opinioni suspensus habeo. nam de re prorsus incerta nihil assero, cõstat externos fuisse, de Italia ne an de Gallia uenerint, incertum. Verùm Vuirtembergi Comites, paruis initijs, angusto q; regno primum freti, dum strenuè domi foris q; rem gerunt, gnarimi litiæ, patrios auspicatò fines augent, atq; adeò famã præclarè factis extendunt, iam longè lateq; dominantur. Illustrissimi Vuirtembergiæ, & Theck à patrum memoria creati Duces, quamplurimis Europæ nationibus & illustri nomine coluntur.

Vuirtembergiæ situs.

Regio Vuirtembergensis in prima ferè superioris Germaniæ parte, tractum Sueuiæ fœliciter occupat, ad Nicri potissimum ripam sita (Charitinorũ quondam sedem fuisse putant) cuius ditio latè patet, ad solis ortum Sueuos, Vindelicos, & Noricos attingit, ad occasum Comitis ad Rhenum Palatini Principis electoris, & Marchionis è Baden limites. inde nigræ syluæ iuga complectitur, ad meridiem montes Arbonæ pariter ac Sueuicæ prominent alpes: ita uocant incolæ

incolæ montes eius regionis editiores. Versus autem septentrionem Francos habet uicinos, & non ita procul Othonis syluam. Vuirtembergẽsis itaq; ditio nec alibi commodè magis initium sumit, quàm ubi Nicer ortum. Qui sublimiter montuosis Arbonę iugis leni fonticulo, in Vuirtembergensi Ducatu proximè ad pagum Schuuenningen oppido Vilingæ uicinũ sitienter ebullit (à fonte Danubij nõ amplius quingentos passus) Ab ipso statim ortu Rotulensem percurrit agrum, leua Hercynię caput, dextra Sueuicas alpes linquẽs Vuirtembergensem Ducatum flexuoso meatu perlabitur (interiacentibus ita sparsim nonnullis nobiliũ castris, & imperij Rom. oppidis) ab origine sua plus minus itinere quinq; dierum, crebris hinc inde fluuiolis accrescens, ac iam nauigabilis, apud Heidelbergam in Rhenum festinè defertur. Vniuersa regio pro glebę natura tam cultu quàm fructu non ubiq; conformis. Ea namq; pars qua Necharus oritur, & quæ confinis Hercyniæ, tum quæ Sueuicis (inter Danubium & Nicrum sitis) alpibus est contermina subaspera quidem, uitibus inimica, pecorum cultui satis idonea. Ager in Alpe lapidosus, at frugis abundè ferax, item per nigræ cacumina syluæ rubro colore, tellus harenosa, quæ frumenti satis tamen abundans. Vtrobiq; gens ea magno colendis bobus operę uacat, ad Hercynios saltus hæ præfecturę Ducatui subditæ memorantur. Hornberga, Schultachium, Dornstadium, Nagultum, Vuildberga, Kalua, Thermæ feræ, Neuenstadium, per Alpes aut illis uicinæ præfecturæ, Balinga, Vrachium, Blaubeira, Heidenheim, Gæppinga, Tutlinga iuxta ripam Danubij. Quæ ueluti quodam interuallo separantur. At ubiq; Vuirtembergiacæ ditioni confines in orbem, quasi gyro latè circunducto, sese recipiunt ad Nicrouicina loca. Vbi uerò Necharus in campestria diffunditur, ibi nõ aëre solum, sed agricultura quoq; terra mitior, nusquam non amnes admodum piscosi, fonticuli salubres, lacus amœni, gratæ cõualles, undiq; Bacchi colles, herbida prata, fertiles agri, syluarum nemorumq; uiridaria, quibus inest plurima fagus, numerosa quercus, inumeræ per saltuosa nemora feræ, pascua latè florea, pecoris omnigeni uis undiq; magna, copiosus ubiq; uini, frumenti, pomiq; prouentus. Aer æstate commodus, hyeme temperatus: ad tortuosum Nicri marginem, longè lateq; florẽt urbes celebres. Quædam mediocri magnitudine, quædam paruæ quidem, sed ædificio cultuq; spectabiles, in superiore Nicri regione Hernberga, Tubinga, Nurtinga, Kurcha: Deinde Studgardia, quæ uelut in medio telluris eius dominio condita, metropolis existit, & regia Vuirtembergorum principum, cæteras urbes opibus, ædificijs, hominum frequentia & magnitudine excellit. Per inferiorem Nicri plagam florent hodie Vuaiblingia, Schorndorphum, Vinida uium, Bacnaugia, Brackenaugia, Binnica, Besica, Bietica, Vuinsbergia, Moegimilium, Laupha, Grieninga, Vahinga, proximę ad Studgardiam Bebelinga, Lenberga, Cannostadium: quæ urbes præfecturis singulæ suis pollent, uicis uiris, & armis ualidæ. Adde quòd per Vniuersum Ducatum, populus armis, humanitate, constantia, religione spectatus, oppida non ita (quod suprà dixi) grandia, sed magnificè condita, quædam loco, quædam industria satis munita, pagi frequentes, plericq; ad instar oppidorũ culti, ligneis at affabrè structis ædibus. Arces natura, loco, manuq; munitæ, captuq; difficiles, alterã profectò Laconiam Sueuis ineſſe diceres, ea est uirorum domi belliq; præstantia.

Nicri fons in Vuirtembergensi Ducatu.

Regionis Vuirtembergensis cultura dispar.

Dux Huldrichus ex instituto patrio Studgardiæ frequenti nobilium stipatus aula se cõtinebat. Ante barbam rerum potitus: Diuus enim Maximus Aemilianus Imperator Romanus, adolescentem Principem, quum pro ætate cordatiorem, summo fauore prosequebatur. Quare non minus Cæsaris auxilio, quàm hæreditario iure, tanti gubernacula principatus, albo summatum populiq; suffragio fuit adeptus. Antea patrio ritu literis imbutus potissimum uerna

Studgardia Regia Ducis. Dux Huldrichus imberbis ad Reipub. gubernacula subuehitur.

culis: Namq; Latinæ linguæ peritiam nonnulli nobilium Sueuorũm principi uiro, quem deceret arma tractare, parum conducere peruersè iudicabant, dictitantes huiusmodi studijs addictum, rei militaris omnino negligentem fore, quin effœminatum quoq; fieri, quem res equestres, & uenandi studium reddderent alacriorem, ad ferendam, si necesse foret, belli duritiem. Nam Reipub. gubernandæ sufficere patrias leges, ac instituta maiorũ: sed longè secus ætate nostra sapiunt ingenui, quum nobilissimus quisq; studijs addictus, florentes annos optimè collocet. Adeò stupidę mentis haud erit, opinor, quisquam, qui nõ intelligat ingenuas artes, ingenuos homines in primis ornare, decere, requirere, quarum ignorãtia principes, ut adparet, haud raro miscent sacra prophanis.

Dux Huld. literis addictus.

Princeps Huldrichus à puero sua sponte literas amabat, acri præditus indole quãdoquidem fertur inter uiros nobilitate, loco, doctrinaq; præclaros oratione meditata, semel atq; iterum gnauiter orasse, idq; Latinè tum penè puer constanti uultu, decenti gestu, tenaci memoria, mirabili facundia. Quę res aulæ primores mirum in modum delectabat. Omnia bene sperantes de futuro Principe, qui iam inde à primo uitæ rudimento uestigijs insisteret auitis, ingenio referens Eberhardum principem non ita dudum uita defunctũ, primum Vvirtembergiæ Ducem, quem (licet inhumanis esse desierit) in oculis etiam tum ferebant. Quare Princeps adolescens instinctu procerum, frequens adepto quoque principatu, magistros audiebat. Sed ex ephebis cedens ab assentatoribus in diuersum trahitur. Est enim ab honesta disciplina procliuis in luxum uia, tã defunctorie literis operam nauat, Musicen in primis habebat studio, cæterarũ disciplinarum non perinde cupidus. Symphonetas animi causa quamplurimos alebat, ipse non solùm Symphoniam canendi sed componẽdi quoq; gnarus, instrumenta Musices omnifariam comparat, interdiu feriatus ab ocio literario, rus foras equitat, equos insigni specie, canes itidem generosos habebat in delitijs, ita tamen adolescentiam egit, ut nulli uirginum uitium, luxuriæ deditus obtulerit, fœminas nobiles iuxta ignobiles honestè colebat. Ebrietatem deuitabat, aleæ ludo captus nonnunquam ludo nimis indulgebat. Ea tempestate Cæsar Max. Aemilianus Comitia Constantiæ Ducibus Germanię Comitibus, Baronibus Imperialium ciuitatum Primatibus indixit. Eò se conferebat Huldrichus Vuirtembergensis dux trecentis equitibus comitatus, equos eximia pulchritudine, nigricanti colore, singulos humi trahẽtes caudam, ferocientes æuo, delegerat. Equites partim sagittarios, partim hastophoros, leuis armaturæ quosdam, cataphractos alios ostentabat. Qui præterquam quod pugnæ scientes erant, corpore ualidi, quin ad subeundum periculum, si necesse foret, animo prompti. Cũ uerò Dux stipatus equitatu paruo, sed instructo, Constantiæ per stratas duro silice plateas ingenti strepitu ferebatur, oculos omniũ, præsertim Cæsaris in se conuertit, cuius bonam princeps adolescens gratiã demerebat, eam potissimum ob rem, quòd militaris animi genuinam quasi fortitudinem suo stipatu prodebat. Princeps Huldrichus instructa sumptuosè curia comitij tempus (quum per feria licebat) hilariter egit, impositos ante paulum uehiculo cantores illico sequi se iussit (quod aliâs etiam domi postea facere solebat) ut sacris Symphoniæ modulo canendis, illi priuatim pro libito protinus adessent (Cæsar enim suos habebat) ac etiam inter epulandum (solito more) suauiter occinerent, interim qui tuba, tibia, lituo, fistula, cantatores in pretio habiti, culinam Principis agminatim sequebantur: adhæc puer insidens equo castrense tympanum celeri magnoq; strepitu quatiebat, Cæsaris amicos alios q; principes excipiebat magnificis conuiuijs. Exacto demum Commitio domũ se recepit, principum fauore sublimis. Dux adolescens indulgens ocio, sub ocij literarij prætextu, satis immaturè fœdeq; pingueścit, obesum caput, inflatæ buccæ,

Eberhardus Barbatus primus Vuirtembergẽsis dux.

Cæsaris Maximiliani Constantiæ Comitium.

Ducis Huld. comitatus.

Liberalitas Ducis Huld.

Principis intempestiua sa gma.

brachia, carnosa brachia cruraq́, distentus abdomine uenter, informia cassaq́ membra, dedecori fuere principi qui nondum duodeuiginti (quod arbitror) annos attigerat, absq́ coniugio, tum quod Epicureæ philosophiæ supramodū deditus esset, dilucidè canebat ipsa corporis effigies.

Interea loci Rom. Cæsar Max. Aemilianus aduersus comitem Palatinū Rhe ni bellum subornauit. Ei negotio tum cæteros Germaniæ nōnullos principes, tum Vuittembergiæ Ducem præfecit, ut in hostem quisq́ grassaretur, ea parte, qua cuiq́ uicinus. Dux Huldrichus alacri prorsus animo, belli munia subit, etiamdum barbitij tenera lanugine sparsus genas. Extemplo conscribit exercitum, habito pro ritu patriæ delectu: nam Suetii præsertim Vuittembergenses mercenario milite rarius uti cōsueuere, uel si libet perpaucis uruntur. Sed opulentissimus quisq́ cum nobilibus deinde qui re mediocri ualent, oppidatim uicatim q́ cōscribuntur, æstimantes illum pro focis & aris in acie magis impigrè pugnaturum, cui domi sit quod perdat, quàm illum, qui nō habeat ubi pedem ponat, cum sæpenumerò paupertas malarum artium repertrix esse uideatur. Quamobrem proletarios aut capitecensos (ut ita loquar) ubi Mars ingruit, habent derelictui neglectuiq́, nisi fortassis ex eisdem quidam sua sponte stipendia facere uelint, aliâs id genus homines cōlendis agris interim uacant. Instructis igitur copijs in agros hostiles princeps Huldrichus impetum facit, obuia quæq́ nisi dederentur igni ferroq́ uastans. Oppida nonnulla simul arces quasdam cepit. Ad Mulbrunnam cœnobium castra posuit, ibi cum diutulè subsiste ret, æstiuo sole, flagranteq́ canicule sydere Princeps in stagno quod muros illic ambit exuta ueste lauat, ut unus è medio. Soleat enim Germani uel in flumine uel in stagnis æstate lauare, cōcurrit exercitus studio uidendi principis: Nemo non ratus id ad fortitudinem facere, quod cōmuni Dux lauacro sit usus, & natare didicisset. Quum uerò sic inter suos innaret aquis, natandi peritiam fortasis ostentans, admirationi fuit omnibus, id solum Principi uertebant uitio, qđ intemperantius abdomini seruiret, uentriq́ liberius indulgere uideretur, id em pinguis aqualiculus absq́ indice prodebat. Audito quod ei desidiæ luxuriæq́ uerteretur intempestiua sagina, quum luxuria non modo ab ætate tali, sed à bono Principe quoq́ per omnem uitam deberet esse alienissima, peracto postea bello, quod paucis ab eo die mensibus auspicatò confecit: euestigiò Latinis literis longum ualere dicit, ex professo, quasi genialiter achilare uiuendi præberent ansam, quum tamen in ocio Musico negotium sit inexplicabile. Verùm trahit sua quemq́ uoluptas.

Cæsaris Maximiliani bellum in Palatinum Com. Dux Huld. belli munia subit.

Dux Huld. ad Mulbrunnam castra posuit.

Dux uenationi totus incumbit, omni conatu, summoq́ nixu uentris abdomen ignominiamq́ desidiæ cupiens abolere, ieiunis ab ortu solis in multā fæpissimè noctem syluis inæquitat, frigoris, æstus, imbris, inædiæ patientissimus, equo sæpenumerò descendens itinere pedestri, siue per ardua montium iuga, siue per niuem genuum tenus altam uenabulum gestans incedebat æstiuo sole, linteo sagulo, Brumali sydere Santonico cucullo uestitus, alto perone crura tectus, insectando feras robustissimum quemq́ Venatorem cursu præuertit, uectus equo per deuia syluarum, tanto curriculo ferocientem cornipedem flectebat, præcipuè feris intentus, ut equestrium suorum uel nullus, uel rarus eum consequi posset, alij timebant oculis à spinarum frondiumq́ uirgultis, alij præcipitia formidabant, per quæ Dux ferebatur illæsus, equo nōnihil ad eam rem adsuefacto, simul arte moderato. Si quis nobilium pudore ductus imitari uolebat, alius præceps in decliuia labitur, alius hęret in dumetis, in summa causatur alius aliud, ipse dux suapte manu non ex equo iaculis aut missilibus, sed uenabulo cominus immani rabie, feras, ursos aprosq́ figebat, inuestigandis autem, retinendisq́ bestijs insuetos usu canes habebat nōnullos ex Hispania, Gallia,

Dux Huld. li boris patiēs.

Britannia, item de Bohemia cæteris q̃ nationibus, uenaticos ingenio, ferocitate, cursu commendabiles, precio comparabat. ob id à Regibus etiam externis, & à principibus dono canes qui momẽti forent alicuius accipiebat, animo gratissimo. Quin ad lectum noctu suum fertur habuisse Molossum ferocissimum, sed eximia tam specie quàm pernicitate, cui collaria bullis deauratis insignita, Ducis insigne leui sculptura docentia, pendebãt, custode qui duceret eum interdiu admoto, quo præsente nemo quisquã, præter Ducem, propius ad spondam fuit ausus accedere, nisi uelit à peruigili Somato philace cane delaniatus, ad manes ocyssimè descẽdere. Quem canẽ princeps magni pendebat, utpote custodem corporis, & ad feras retinendas audacem. Qui semel irritatus ipsum ducem mordicus arripuit ac læsit. Quare Princeps accẽsus ira, stricto protinus ense canem dimouit, inflictis etiam uulneribus, hunc adhibito postea Chirurgo curari iussit: Sed ad rem.

Canis Somatophilax.

Equestris ludus.

Princeps Huldrichus domi quoq̃ multa, tum fame tum labore uigiliaq̃ sese macerabat, equestre certamẽ instituens, hic ad instar pugnæ rectis hastis cõcurritur, iam cataphracti, iam leuis armaturæ bini & bini cõmittuntur: in eo ludicro quum nemine uolebat inferior haberi, palmã nulli nõ præripuit. Quamobrẽ hisce fretus gymnasijs uentrẽ breui domuit, in maciẽ penè uersus ipsam.

Dux Huld. qualis.

Quod plurimi nunquã fieri posse putabant, genuina tandem corporis habitudine prodit summis minimisq̃ gratissimus. Adulta iam ætate procerus euasit, heroica planè statura, ingenio sagaci ualidoq̃ iuxtà pio (nisi aliquando fortunæ malignitas inuertisset) amabili promptoq̃, præstanti corpore, flaua cæsarie quæ uelut intorta calamistro capiti crispans inhærebat, illustri facie, decenti naso, glaucis ac uegetis oculis, eleganti membrorum compage, forti robustoq̃ latere certo, longis rectisq̃ tibijs, uultu cætera rubicundo, barba tenui. Sed Aenea, quid multa dicã forma, proceritate, præstantia corporis, uix ulli principũ secundus. Interea natalium splendore clarissimã ducis Bauariæ filiã princeps Huldrichus uxorem ducit, insigni tam forma quam pudicitia Virginem. Sed quanto nuptias adparatu cõfecerit auditu iucundũ foret: uerum dictu mihi perdifficile tum ob ingenioli mei tenuitatẽ, quam libens agnosco, tum quòd ingens ille paratus etiã omnino maior erat, quàm ut à nobis elegantia uerborũ satis idonea dignè describi queat, sed summa sequar fastigia rerum. Aderat iam dies nuptijs antea dictus ad quẽ nõ princeps tantũ, uerum populus etiã Vuirtembergiacæ ditionis uniuersus, omni cultu uotoq̃ celebrandũ sese parabant, præsertim Studgardiæ (ubi nuptiæ confectæ) geniali modo splendebãt omnia. Primores aulæ prospiciũt omnifariã necessaria ad tantos adparatus. Ciues ad excipiendos suauiter hospites intenti sunt, expoliuntur ædes, Tapetis insternũtur atria, Stragulis exornantur cõclauia, plateæ passim scopis emundatę nitẽt, aduentante sponsa. Dux Huldrichus equitatu suo quem semper equis egregijs, equitibus exercitatis, armatura decenter instructis habebat in promptu, prorupit in propatulũ. Deinde Comites, Barones, Proceres, Aulici, qui uel auito stẽmate uel insigni uirtute cęteris anteibat. Ducis Huldrichi latera claudebãt ipse Sidonio splendẽs ostro lorica sub ueste munitus, equo præferoci, grandi, specie supra modũ præcellenti, uelocitatis eximiæ, quin ad omnẽ sessoris arbitriũ docto uehebatur, hoc itaq̃ modo cõpositis ad hilaritatẽ suis obuiã spõsæ processit. Sponsa nitens auri ueste purpuraq̃ auratis insignitè quadrigis uecta, circum quam principes Bauariæ fratres & illustris equestriũ nobilitas, tam uirtute q̃ ætate præstãs uisebaẽ. Plurimus utrinq̃ cõueniebat eques æreis integumentis leuiter armatus, uestes punicei coloris ardebant, galeæ radiabãt, aheneithoraces per uestium scissuras elucebant, ad nuptiale decus adpositi simul omnes quin ad pugnã satis instructi si foret opus. Splendent utrinq̃ uelut acies diuersæ, tot

Dux Huld. Bauariæ Ducis filiam duxit uxorem.

ſæ, tot in agmen coacti ſimul obſtreperi equites, in ardore ſolis eminus arma rutilis emicant ictibus, mox ubi conuentum eſt, comiter inuicem ſalutabãt, iunctis hinc ordinibus Studgardiam conceſſerunt, interim tubæ clangunt, tympana crepitant, fiſtulæ ſonant argutiſsimè, cantores indefeſsè uario cõcentu mulcent aures omnium, donec in regiam uentum fuit, ibi famulitium menſis adſtabat Cererem Bacchumq; miniſtrans, dapibus centum famulæ menſas onerabant. ibi poculis & choreis indultum in plurimam etiam noctem, iubare deinceps exorto protinus ad diuina ſeſe pariter omnes accingunt. Sed qua nam pompa, quo'ue paratu cætera peregerint, ordine dicendum puto.

Ducalis aulæ cuſtodia ex Vuirtem.

Electi pridem iuuenes, quicunq; per uniuerſum ducatũ corporis proceritate præſtabant alijs. Hiſce principalis aulæ demandata fuit cuſtodia, qui cõformi cõcoloriq; ueſtitu, Phœniceo colore pariter ardebãt omnes, armorũ fulgore cõſpicui. Præter ærea corporis integumenta, ſinguli militarem geſtabant ſecurim (Holoperdam uocant) qua cælim punctimq; ſolent uti, uel in prælio, rubrum quiſq; pileum pennis albis ornabãt, omnia ſcilicet ad genialẽ diem ſatis hilarè feſtiuiterq; cõpoſita, qui ſelecti iuuenes, plus quàm ſeſquimille Duci diligẽter adparebãt. Iam aderãt Epiſcopi, Abbates, Antiſtites, ac honorifica Cæſaris Maximiliani legatio, Duces è Bauaria, Dux à Brunſuuig, Comes Palatinus Rheni, Princeps Haſsiæ, & alij Comites, Barones ac nobiles Germaniæ cõplures, ex equitũ millia, Studgardiã ad ducales nuptias cõueniſſe memorãt, ipſo die, quo ſacris operatur, immortalẽ Deum, quàm diuite pompa, quàm ſplendido cultu, ſacras ædes ineunt. Dux ſponſus Tyrio nitens oſtro, Dux itidem ſponſa rigẽs auri ueſte, uirgines, immò Veneres aureæ. Nobiles quoq; matronæ, quę ſuperaſſent Helenã uenuſtate, Dianã caſtimonia. Deinde nobiliſsimus quiſq; purpuratus ac holoſericus incedunt, Opt. Max. quo fauſtum ſit coniugiũ, precaturi. Strepit interim cum lituo tubæ permiſtus ſonitus inclitus à Vuertemberg Comes cui nomen fœlix, ortus illuſtri genere, ſponſam ducebat. Vbi uentum ad limen templi, mox ab Epiſcopo Conſtantienſi cui cognomentũ Hugo ni de Landenberg matrimonij fœdus antea fœliciter ictum, ſanctè cõfirmatur, quo finito, delubri penetralia ſubeunt, ibi cantorũ Chori ſuaue cõcinunt, organa uiciſsim ſuo cõcrepuere modulo. Diuino ſalutato numine, redeunt in aulã, ibi per ampliſsima ſtabant atria, Sybaritico menſę paratu, hinc aulæa belluata, tapetes auro texti. Vbi cõpluria ſacræ paginæ, præſertim ueteris inſtrumẽti, partim præclarè facta, partim amatoria tenui filo proponebantur. Præterea gentilibus hiſtorijs excerpta uiſebantur. Veluti Paridis & Helenæ, Pyrami & Tyſbes amores, præter cætera fabulamẽta, ſtructus ad manũ Abacus, aureis argenteiſq; crateribus Perſici montis alicuius inſtar ingens explendeſcit, ibi plus cẽ centũ famuli dapibus onerãt menſas, Heliogabali fercula, Aeſopi patinas, Antonij Vitellijq; prandia, parum ſumptuoſa, præ iſtis fuiſſe credas, tum quædã factitia tragemata, quæ uiſum non uentrem paſcunt, à cupediarijs illis afferuntur, interim fons albo rubroq; uino ſcaturiens in atrij ueſtibulo conſpicitur, ut quantum quiſq; uolet, ebibat: nihil tamen aſportare licebat. Atria ſymphoniacis Cytharœdisq;, ac omnifariam muſicis inſtrumentis, infremunt.

Nuptialis diei pompa qua facrum petunt.

Adparatus aulicus.

Ducis Abax.

Fons uino ſcaturiens.

Acto prandio Choreis indulgent Homerici quemadmodũ dij ſoliti quondam. Præterea Circus in fori planicie ſtratus harena, ſi cui forſan equeſtri certamine palmarium reperire cordi ſit, in promptu, locus, & armamenta, ſunt: Illic bini & bini cõmittuntur. Nunc Adamantina à uertice ad Talos tunica æreí ac ſolidi cataphracti, nunc ſolum clypeo tecti, cætera nudi concurrunt, ærata fulgenticq; cuſpide. Nunc uerò leuiter armati clauis ac enſibus inter ſe dimicant, prælium non ludum putares, ruunt equi, præcipitantur uiri, ſtrati paſsim cataphracti mole ſua grauati ſurgere nequeunt, tanto namq; concurritur impetu,

quod, equi quantiuis ante paulum pretij, mox terga fracti sternantur humi, ci-
tis quadrigis ex harena semiuiui trahuntur ad coruos excoriandi. Quidq; quod
nec dignitatis nec ætatis erat ulla ratio, quando sociale certamen oboriebatur,
inter eos, qui descendunt in harenam, quem quisq; nactus in proximũ strenue
ruit, obuium quenq; straturus, aut ipse sternendus, omnia ueræ pugnæ simula
chrum referũt. Princeps Huldrichus in postremis esse nequaquam uolens, ad
ualetudinis usq; dispendium concertabat. Aliquando sui similes adgreditur,
utpote principes, æremicans, equo spectabilis insigni, staturosus, & acer in ar-
mis sonipedem spumantia frena mandentem leui brachio quoquo uersum fle
ctebat, sursum ac deorsum per harenam sæpius equitans. Ad manum satellites,
illum curriculo sequuntur: Deinde Tubicines ac symphoniaci: puer item qui
castrense tympanum quatit, expectant, ac pro luctæ casu, fortunaq; sese gerũt,
iacente Principe (ineſt & huic ludo Martis alea) iacent & ipsi simul exanimati,
nec tibia, nec tuba, neculla uox, imò ne gry quidem auditur: eo uictore tubæ
clangunt, tympana crepant, suaue cantorum melos encomij uice Duci gratu-
latur. Dux aliquando mutatis armis ne fors agnosceretur in medium prorum-
pit, fortissimum quenq;, seu fortè fortuna, seu dedita opera (quisquis is est) ob-
uium sternit humi, nunquam non nisi multa laude cumulatus harena discedit.
Ad hunc modum, totus penè mensis abit, in summa, Nuptiale tempus in tanta
multitudine, sine sanguine lætis auspitijs absoluitur. Attamẽ orta simultas illic
inter duos Comites, etiã uicinos, infortunatè postea finijt. Id accidit hoc pacto.

Simultas inter duos Comites. Felix Comes à Vuerdenberg, ut dixi, spõsam ducebat, Sonnenbergus ingen
ti statura Comes, ac re militari clarus è fenestra in Vuerdenbergum de sublimi
(ioco ne an serio nescitum) clamitãs, ingeminat: Altè satis Vuerdenberge, erat
enim exiguo corpore Vuerdenbergus, nec longitudine sponsæ par (homines
autem staturosos Germani magnificiunt) id in cõtumeliam Vuerdenbergus
accipiẽs, ægerrimè ferebat. Exacta re diuina, cum Sonnenbergo minabundus
expostulabat iniuriã. Is ut erat ingenti Comes animo, Verdenbergi minas floc
ci faciebat, eum subinde studentulũ pro detidiculo uocitans (ita literis addictũ
putãt imbellẽ) hoc etiã fertur adiecisse, minimũ mihi digitulũ dentibus eius in-
terpositum, mordere nõ auderet. Ea res animũ Vuerdenbergi magis ac magis
exulcerauit. Attamen ad tempus premit altum corde dolorem, occasionẽ quę-
Comes de Sonnenberg occiditur. ritans ulciscendæ nuper acceptæ cõtumeliæ. Non ita longè post Vuerdenber-
gus in agro Riedlingẽsi, Comitẽ de Sonnenberg, armatus, inermẽ trucidauit.

Aulicum consilium. Exactis aui secunda nuptijs animum Princeps ad gerendum circumspectè
Rempub. protinus adplicat, Aulicum sæpenumerò senatum frequentat, luriq;
dicundo præsidet. Nam Dux Eberhardus, cui cognomentum Barbatus, antea
consiliarios (quos regentes uocant) instituerat, partim loco, re, stemmate, no-
biles: partim uirtute, fama, doctrina claros, penes quos esset rerũ summa. Qui
Principi ius dicenti, frequenter assident, quos item diligenter, & audit & adiu-
uat pro uirili. Nactus interim filiam, quę breuis æui, deinde filium, cui Christo-
phoro nomen, principem proceritate corporis, & animi præstantia (iam enim
adultę fuit ætatis hæc dum scribebam) parentis effigiem pariter ac indolem re-
ferentem. Aulici consiliarij loco Principis, etiam nunc forẽsium ciuiumq; ne-
Dux Huld. nimium liberalis. gotia curant, eorum Dux paulatim fastidium cepit. Interim uenatui more suo
uacat, interim ludos edit equestres, à teneris ad liberalitatem factus, ac ita sem-
per edoctus, ut tam publici quam priuati commodi prouidentior esset, ditari
quàm ditescere magis assuetus. Aulam confertissimam sumptu quàm dici po-
test maiore fouet, præter Comites ac Barones, ingens equestrium, nobiliumq;
turba. Huldrichi Principis aulam sectantur à patria procul, ut equestri rei da-
rent operã. Qua Dux alijs Principũ aulis opere maximo præcelluit, Gregarios

equites

equites habuit complures: Deinde qui præessent auitio, quos falconarios uocant: obticeo uenatores, saltuarios, nemorum præfectos, qui syluis tuendis, inuestigandis q; feris operam darẽt, erat odora canum uis innumera: Erant innumeri quo q; qui canibus pascendis ducendis q; præficerentur. Adde cantores quo q; Symphoniacos, quorum repleta fuit aula, quos etiam Dux in oculis ferebat, eos splendidè uestitu cibatu q; sustentans, & ad pinguia sacerdotia, prænaria sæpius emolere. Vinarias insuper Apothecas exhaurire uidebatur, illis uix etiam parcens, ad fortunam belli quæ reponuntur. Verùm tantus est eius regionis annonę prouentus, ut Heluetijs alijs q; uicinis in frumẽti penuria sit ille Ducatus, q; olim Sardinia Romanis in egestate fuit: ea tamẽ Dux nimia liberalitate prorsus imminuit, deficiente uerò fisco, res simul ad incitas penè redijt.

Princeps unam atq; alteram suis imponit exactionem, tum quod suos aulicos, ut cœperat, opulentè sustentaret, tum quod æs alienum, cui Ducatus erat obnoxius, absolueret. At emulgatæ uiritim pecuniæ uel nihil etiam uel parum faciunt, ad huiusmodi sumptũ, nisi sese princeps ad frugem bonam recepisset. Postremò fuit inuentum quasi de Phœbi tripode consilium, quod tum uidebatur adprimè cõducibile, quo multitudo quo q; non tantopere grauaretur, exactionibus etiam tum nouis onerata. Sed peregrinus eodem quo quilibet incola pacto cogeretur in Vuirtẽbergensi ducatu, uel edendo, uel potando tributũ pendere. Quod scilicet in uinarijs undiq; tabernis, in laniena, in molendinis, p Ducatũ pensio protinus ediceretur. Imminutis aliquantũ ponderibus ac mensuris, illis quibus emetitur uinum, uel caro penditur. Ita tamen quod plebi decresceret, id Caupo, Lanius, ac Molitor, integrè persoluerẽt, unicuiq; loco suus adhibetur scriba, quibus etiam pensionis addicta pensio, malum malo. Sed ea pensio quoniam dura populo uisa nimis, exitiosam per Vuirtembergos excitauit seditionem, quæ Duci populo q; maximum ferebat infortunium. Gens ea duci suo supra modũ deuota, quẽ uel Deum faciunt, ita ut ab alijs nationibus pro delectamento sint, stultitiæ q; notentur. Ita q; non modo patria bona, sed etiam uitam pro principe suo periculis exponere gloriæ ducunt. Attamen in furorem tandem uertitur indignè tractata patientia. Licet eam pensionem nemo non ægerrimè ferret, sed pro se quisq; sedulo tacebat, donec ruptis uelut habenis iugum iactant Remsani. Qui primi contra Ducẽ rapiunt arma, qui hanccine pensionem prorsus antiquare, uel pro libertate quoduis adire periculũ moliuntur, atq; adeò cõspirant, haud abs re fuerit opinor altius huiusce tumultus originem repetere, quo dilucidè magis omnibus in comperto siet.

Erat autem Schorndorphi dudum ludicra factio quædam, cui pauperi Conrado cognomentũ, quæ sine omni mala malitia, sine praua suspitione, ioci gratia pluribus illic annis eluditur. Id si penitus intro inspicis etiã nostrate lingua facilè comperies, *Arm kain rbat*, alludens ad hoc nomẽ, Pauper Conradus, uulgò, *kain rbat*, hoc est, inops, cui nec res nec spes, quæ uox pro ridiculo iactatur in re tenui uiros, etenim si quis inter sellularios artifices, atque eos qui foris operam locãt, utpote fossores, in medium progreditur, hoc quasi scommate propalàm feritur, obganniente uulgò, *Der ist auch mit vns im armen Conradt*. Hoc est, Et ille nobiscum in egestate uitam traducèt. Eò dementiæ uentum est, ut huius farinæ popellus etiam præfectum sibi deligeret: Is erat homuntio notæ paupertatis, insi gni uæcordia, qui summo cum fastu, suspenso quasi gradu superbus ingreditur, amictu lineo, Sueuorum scilicet ostro uestitus, alioqui dicax, & stolidè facetus, quod ad hanc præfecturam facere uidebatur. Eius erat prouincia pauperculos ultro suspendere naso, nonnunquam uel ad uiuam cutem mordaci sale perfricare. Quin circumstantibus intempestiuè quidem,

Origo seditionis Remsæ, cui nomẽ pauperi Conrado.

Præfectus cõradi pauperis.

sed quod illi uisum, nimis urbanè deridendum propinare, quando, scilicet eius inopiam palàm facit, ac eum suo quasi colore depingit, à capillis ad imos usq; pedes, inciuilis autem habitus agrestiq; prorsus ingenio, qui scurrę licet amaru lenti procacia dicta molestè ferret, aut ei succenseret.

Catalogus Taup. Con. Huius item politiæ catalogus erat, admodum festiuus, nõ enim sine delectu quiuis in eo scribitur. Expuncti fuere, uel mediocriter opulenti, tũ qui mendicabulo trahebant inopem uitam, circumforanei mendici qui non digni fuerant hoc albo, sed qui sudore uictum quærerent, ac in diem uiuerẽt, obærati, seditiosi nepotes, qui patria bona decoquerent, quiue diteſcerẽt in peius, hosce præfectus adibat, exigens fidem qua se dederent Pauperi Conrado: mox in uiros diuidit, in campo tamis diffortunijq; certos agri modos, ita per lusum diuinabat illis inopiam. Ludi festiuitas agros quoq; cõterminos adprimè delectabat. Stulti homines nesciebant, quem sinu fouerent anguem.

Quamprimum uerò dux Huldrichus, & eius Aulici consiliarij mensuris & ponderibus adimunt exiguam, quam dixi, partem, ut hoc modo fiscus augeretur. In ualle Remsana primò fit seditio, Pauperis Cõradi, ludus pro tessara factionis arripitur, concurrunt primi, quicunq; ioculariter antè iurauerant in uerba Pauperis Conradi, postea diuitiores accedunt, ne malam rem sibi quærant. Erat Beutelspachiæ (quæ uilla Vuirtembergæ arci proxima) quidam fæcis infimæ tenebrio, cui ne teruncium quidem diuitiarum fuit, huic nomen erat Petro capræ, uulgò *gaiß Peter*, ille facta conspiratione, primus in profesto Paschæ, libras & pondera noua, de macello suaptè ui rapuit, inde procul asportans in Remsam fluuiolum, inde uallis nomen habet, abiecit eius loci compluribus eum sequentibus, cum tympano simul ac tibicine, quibus etiam facinus illustre magis innotesceret omnibus. Hoc iam patrato, ne fortassis ad supplicia poscerentur, huius authores tragœdiæ, fit illico tumultus. Cuncti Remsanæ uallis agricolæ raptis armis ad Schorndorphum, præfecturæ scilicet oppidum facto uelut agmine confluunt. Exiguo tempore quinquies mille uiri, Bombardis, hastis, alijs bellicis instrumentis, atrociter armati conuenerunt, aliud nihil expetẽtes, quàm tanta nuper inuenta pensione liberari, pristinæq; libertati restitui. Quos præfecti placatos, pane, uinoq; largiter oppletos ad propria remittunt.

Dux Huld. peregè ueniens factiosos premere frustra conatur. Princeps eo tempore nihil tale metuens apud Hassię Principem agebat. Huius autem Tragœdiæ certior iam factus, in patriam se recepit, maxima qua potuit celeritate, tantum uiæ breui superat. Interim per Vuirtembergensem Ducatum factio sine modo grassatur, eam summates arte consilioq; premunt, ac plærisq; in locis oratione plebeculam Duci conciliant. Interea Remsani cæteris insolentiores ad arma sæpe recurrunt: iam non cõtenti pristina libertate, sed quasi ueteres affricare uomicas, enixi, nimis antiqua (libellis etiam protinus oblatis) grauamina, recoquere stultiùs adfectant, ea res malè uertebat quàm plurimis. Tandem conuenit inter Ducem & plebem, ut seditionis huiusce causa, componeretur, à uiris integritate simul ac prudentia spectatis, à quibus extemplo Tubingæ noua pensio, rursus, antiquatur. Hoc audito Vuirtembergenses reliqui cum principe redeunt in gratiam, soli Remsani frena remordẽt, præter æqui bonijq; rationem, quia præ ferocia in se suosq; pessimè consulunt, parum considerantes futura.

Quocirca dux Huldrichus ad Schorndorphum se confert, non plus equitibus octoginta stipatus (qui Ducem pro more sectabantur etiam re tranquilla) optimã spem capiens, in uiam reducendi seditiosos. Illuc ubi uentum, cõuocat agricolas quos dũ siue telis ac inermes uenire iubet, horridus armati ueniũt, septies M uiri, q̃ prius aucti, nũero magis, prælõgas hastas, Bõbardas, holoperda, ærea

ærea corporis integumenta bellico more gestabant. Interea leguntur articuli compositæ litis, mensuræ ponderisq; pristinus usus, in integrũ restituitur pensio recens antiquatur. Inter legendum nonnulli ruricolarũ probra, uelut è plaustro, iaciunt in aulicos, alios perfidiæ, nonnullos etiã furti simulant, exprobrantes illis ædificia, qualia compilato fisco summis in montibus educerẽt, insuper etiam sumptum Duci nimium petulanter opprobrant, indigentiæ causam dictitantes ociosam aulicorũ turbam, præsertim Cantorum gregem, quem Dux uelut inutilem reiicere deberet. Hæc omnia præfecti renunciant principi, qui feruens ira prorumpit ex oppido, quem sequuntur equites. Euestigiò sese rusticí collocant in aciem, prætentis hastis, ac tormentis istis æreis aduersum Ducales quasi pugnaturi, si res exposceret. Hac re minimè perterritus animosus ille Dux, inermis armatam concionem, uel, ut luculente dicam, aciem, paucis eum commitantibus exclusis aliis intrat, orsus in hunc modum.

Nequeo cõminisci satis, Coloni, quæ (malum) peruicatia uos, incogitantiaq; teneat, quòd oblíti fidei, coniugum, liberorum, possessionumq; bellum ciuile suscitatis, omnibus exitiosum. Esto quod iniquitate fortunæ coacti susceperitis arma. Sed ea rursus haudquaquã deponere, nisi malo prius edocti, summa dementia uidetur. Antiquata pensio, iamdudũ fuit, insuper ea lis, ad bonos uiros etiã relata, quorũ nuper arbitrio, pax cõciliata, reliquos mihi subiectos in officio seruat. Ast uos intumetis animo? nec ulla ratione recõciliandi tractatis armã? Quod si pro maiorũ cõsuetudine principẽ uestrũ diligitis, arma deponite, domũ discedite, rus colite, pro more uestro, fidẽ seruate. Quandoquidẽ seditionis ansa huiusce de medio sustollit, exactionis immunes, antiqua libertate frui mini. Adhęc omnium, quæ temere gessistis, in hoc tumultu, iam nunc obliuionem uobis impunitatemq; polliceor, inconsultè dicta factaq; protinus in uentum scribo. Quo nondũ finito sermone subijcit ex aulicis quídã, qui cum principe oblatã uelit accipere cõditionẽ, propius ad nos accedat, hoc audito, dicto citius omnes utroq; pede discedunt in diuersum, relicto principe: Qui cũ solus adstaret, hæsitanti similis, neq; quid agendũ foret, aut amplius dicendũ satis occurrebat: ortus enim fremitus intercepit dicẽdi facultatẽ. Quare dux nouitate rei pculsus admirãs insaniã uulgi, Studgardiã citus abit, una cum suis equitib.

Interim seditiosi, Schorndorphum, cuius ad mœnia constiterant, omni conatu festinantes occupant, intereeptis oppidi clauibus, illico de suo gregè portis custodes præficiunt, intra muros etiam quasi furore perciti uagantur, concilíabula cõtrahunt, anxij consultantes inter sese, de suis rebus. Verum rectè consulentes (hoc est ut dicto principis audientes ab armis discederent) inhumanè, nonnunquã capillitio quoq; tractabãt, ueri nequaquã patientes. Tandem reperto suaptè sponte consilio, nõ diu cessandum gladio rem gerendã censentes, Schorndorpho mox abeunt, electis inter se ductoribus, arreptoq; militiæ signo, quòd præfecturæ fuit, ad flatum tibiæ tympaniq; crepitũ, qui mos est Germanis bella gesturis ad Sacelli montẽ, uulgò Capelenberg, in eadẽ ualle Remsana situm, non adeò, quod ipsis uidebatur, expugnabilẽ, cõtendunt, Iouem sci licet è regno pulsuri. Fama cõfestim uulgatur in omnẽ Vvirtembergię regionẽ, Remsanos in armis esse, pro cõmuni libertate paratos in utranq; fortunã. Nuncij præterea mittebantur à seditiosis ad finitimos, ut secum pro Reipublicæ salute pugnarent, & ad eundem Sacelli montẽ festinãter adessent armati. Persuasum enim fuit plerisque, plus quadraginta millia uirorum de Vuirtembergensi ducatu cõuenturũ, nisi princeps animo uigilanti præuenisset huic malo. Quid enim faceret agrestis illa multitudo, quæ neq; leges, neq; iura nouerit, in omne facinus adeò procliuis, ut ne sacris abstinere manum in furorem uersa, queat, Tantum abest ut à prophanis sibi temperet.

Oratio Ducis ad factiosos.

Dux

Dux in seditiosos arma parat.

Dux uerò nequaquam cessabat, diu noctuq; uoluens ac reuoluens animo, quo pacto perniciosam tolleret seditionem, quam sine ferro tamen opprimere desperabat. Magna cura cæteros ei subditos crebris litteris, plurimis item nuncijs hortatur, ut in fide maneant. Extemplo delegit ex oppidis hisce, quæ minori factione laborabant. (erat enim uulgus ubiq; seditiosum) aliquot pedites tam fide quàm belli peritia præstantes. In primis autem Studgardianos, ac Tubingios, utpote minus factiosos, & rerum prudentiores conscribit. Exercitum contra patriæ concordiæ uiolatores paraturus: à nobilibus uicinis auxilium rogat. Ipse suis aulicis equestribus à principio fretus obequitat, suæ ditionis nobilibus imperat equos. Interim ueniunt equites, Hessiani, & Franci, quibus in equestri studio palmarium datur, Episcoporum præterea turmæ Duci ferebãt opem. Ita breui factum est, ut equitatum contraheret, haud contemnendum. Princeps collecta manu festinat ad indignè seditiosos, Vuaiblingã, quod proximè ad mõtem Sacelli suæ ditionis oppidum copias adducit. Præfectos suos, item speculatores interim mittens ad cohortem factiosorũ, hi quid agatur edoceant, illi ut uulgus admoneant seruandæ fidei. Dux interea temporis ad usum pugnæ quæ facerent ocyssimè prospicit, interim per exploratores nonnullos commonefactus, ut parum differret adornare pũgnam, fore enim ut fugæ magis, quàm prælio studerent factiosi, tanto dissidio suum quisque uotum tenere mordicus attentarent.

Factiosi Vuaiblingæ puniuntur.

Interea uerò delatores Vuaiblingensibus negotium faceſſunt, ad Ducem ferunt nomina quorundam factiosorum Vuaiblingensium, quos illico comprehendi iubet. Eorum suppellectilia militibus diripienda uel permisit, uel ad eorum direptionem cõniuere uoluit, ut fortassis exemplo in unum atq; alterum edito, reliquos in officio seruaret, sursum ac deorsum tumultuanter auidi prædæ Ducales cursitant. Si qua domus erat factionis, infamia notabilis ea prædæ fuit Harpagonibus & rapacidis, qui raptis utensilibus atq; adeò pecoribus & peculijs fenestras & fornaces incidebant: Si cui uinum reconditũ fuit, hoc partim fuit effusum, partim pro rapinis ablatum. Ciues uerò factionis insimulati, conijciuntur in carceres: Fuit autẽ eo pacto animaduersum in seditiosos ubiq; per Vuirtembergensem ducatum, plurimi bonis exuti, multi supplicio capitis affecti, suæ dementiæ pœnas dederunt.

Seditiosi uerò Remsani super montem Sacelli Principis aduentu nõ animo solum fracti, sed re frumentaria quoq; prorsus egentes, præterquam quòd colluuies illa passim collecta, penè ad septem mille uiros cõcreuerat, inter se discordia laborabat, alijs aliud uisum; clamore, tumultu, consultabant inter se conclusis atrociter hastis, arma clamitant præsertim fæcis infimæ fossores, bellum nõ pacem poscebant, hi uerò quibus domus & res licet exigua curæ fuerant, cum principe redire postulabant in gratiam, quid multis? uulgus in diuersa studia scinditur, tandem uicinorum promissis auxilijs infœliciss imè destituti, nocte beneficio dilapsi, domum se recipiunt quantum quisq; potest, ne Ducis exercitu circumuenti, trucidarẽtur. Quo comperto Princeps una cum suis illico per uallem Remsanam subsequitur, præmissis antea qui Schorndorphium reciperent pagos factiosorum, quos obuios habuit, ira dissimulata transijt.

Schordorph recipitur à Duce.

Schorndorphenses principem lubenti suscipiunt animo, quamuis in periculo maximo fuerint. Eos enim contagiosa factio primitus inuaserat, ob id non parum multi, præsertim plebis infimæ, deinde qui fuerant alicuius apud uulgus authoritatis, affluentes diuitijs (è Senatorum tamen ordine, uix unus & alter seditiosis accessit) quæ res illis uertebat malè. Quare plurimi ciuium notati, seditionis crimine, Principis aduentum non expectant. Sed relictis rebus omnibus, uxore, domo, liberis è patria procul aufugiunt.

Princeps

Princeps uerò quàm primum Schorndorphũ peruenit, factioſos ulciſci de- *Paup. Con-*
ſtinat, id negotij præfectis, atq; adeò militibus dederat. Hi nequaquam pigri, *factio malè*
domos factioſorum, uiolenter incurrunt, huiuſce criminis inſimulatos in con- *tractatur.*
ſpectu, clamoreq; coniugũ, liberorumq; conijciunt in uincula, bona diripiunt,
& in prædam, quod cuiq; libet aſportant, feneſtras incîdunt, fornaces euertũt,
rapinis addicti, ſurſum ac deorſum curſitant. Luctuoſa rerum facies, miſerè tre-
pidant urbani, clamitãt fœminæ, eiulant pueri, perinde quaſi captum ſit ab ho
ſtibus oppidum, excepto quod neminem licebat occidere indicta cauſa. Do-
mus una diruitur ac penitus æquatur ſolo, cuius poſſeſſor inter primos ſeditio
ſus ferebatur, alioqui pauperculus. Sunt & alibi factioſorũ domus ſolo tenus
direptæ. Exitioſa fuerat hæc irruptio multis, præſertim diuitibus, qui tale nihil
timebant, eorũ pecunia malè cuſtodita perijt: ſcrinijs enim fractis, obuia quæ-
cunque fuerant rapicidæ quidam ſurripiebant, friuola hi deſtruebant, illi uerò
abijciebãt rapta melioribus adeptis. Hoc uerò tumultu ſedato, iam appetebat
ueſpera, portæ cuſtodia militum continuò munitæ, nulli hominum uel intran-
di, uel exeundi copia fuit, ne fortaſſe rumor auerteret agricolas, atque adeò fa-
ctioſos ad fugæ ſtudium conuerteret, quum Ducem audirent animaduertere
in ſuæ farinæ cõplices. Nam princeps præfectò dederat in mandatis, uti Rem-
ſanæ uallis omnes præfecturæ Schorndorphenſi iuratos adeſſe præciperet, ad
urbis mœnia ſine armis, quam rem dicto citius effectam habet.

Agricolæ Remſani prima luce iuuenes ſenesq; Schorndorphi propè muros *Remſani inſa-*
(ut iuſſi fuerant) inermes adparent, principis edicto tandem, ſed æquo ſerius *ſu Ducis ar-*
audientes, hoccine mandato concuſſi, nonnulli malè ſibi conſcij diffugiunt; *ceſſuntur.*
pars in ſaltuoſa præruptaq; loca, quæ proxima nouerant, pars in finitima impe
rij municipia, ubi tum ſe tutos fore putabant, donec tanti diſſortunij perſpice-
rent euentum, plæriq; tamen ad Schorndorphia mœnia tremebundo pectore
ſtabant, quamuis inſontes. Attamen in tanto, quod fieri ſolet, periculo prorſus
exanimati metu. Complures incerti quid agãt, in agris dubio greſſu, nunc huc
nunc illuc ire, redire uiſi, quorum pars maior, à ducalibus intercepti, trahuntur
ad principem, qui uinculis onerati, rapiuntur paulo pòſt ad ſupplicium. Qui-
dam ſuis quoq; factis diffiſi, monitiq; ne cõcederent illuc, aut præſtò adeſſent,
obfirmato animo periclitari malunt, quàm domum, uxorem, liberos q; dere-
re. Quid multis? cõuenit ad Schorndorphi mœnia iuſſu principis ingens mul
titudo, nihil armorum geſtantes, præter uenabula, dimidiatas haſtas, holoper-
das & gladios. Mos enim Vuirtembergis, uel amicos uiſentibus, arma geſta-
re. Stabant agminatim Remſani quid futurum neſcientes, anxij tamen inauſpi
cata diuinabant omnia.

Interea Princeps armata manu, ingenti tam peditũ quàm equitũ numero nõ
aſpernando prorumpit è mœnibus, illico quod imperauerat inermes Remſa-
nos, & impenitè trepidantes, armis undequaq; uelut indagine claudũt. Stabãt
exangues miſereq; pallentes, uno agmine omnes intercluſi. Dux Huld. præter
loricã indutus ærea corporis integumẽta crurum tenus, uectus equo feroci, cu
ius frontem pariter ac pectus ærea lamina tegebat, inter equites adproperat.
Quo uiſo Remſani uertice nudato, flexoq; poplite, pro more gentis, afficiunt
honore Ducẽ, iã nõ ea qua nuperrimè petulãtia ferociẽtes. Dux in mediũ pro-
tinus agmẽ, cum paucis equitibus intromiſſus, ad hunc ferè modũ locutus eſt.

De miror equidẽ Remſani, quæ cæcitas quæue (malùm) demẽtia uos adeò *Oratio Du-*
cœperit, quòd præter ius & æquum, fidei prorſus obliti, contra me, principem *cis ad Remſa*
ueſtrũ ſuſceperitis arma, necullo quiſquã pacto uos in uiam reducere potuit, *nos.*
nunc uerò ueluti uictima ſtatis inter ſacrũ & ſaxũ, imò quod nunc ipſi uidetis,
inter enſes & haſtas occluſi, quos impetu facto perdere atq; adeò pro merito

ueſtro

uestro trucidare liceret, si liberet. Ego uero multò æquiore in uos, quàm paulo antè in me fuistis animo, nulli uim facturus, in id enitar, ut imprudenti uenia, scelerosò pœna, sit in promptu. Vos igitur arma deponite, sceleratæ factionis Authores indicate, curandum censeo, quo pacto talis in posterum deuitanda puniatur iniuria.

Authores factionis uincuntur.

His uerò dictis extemplo Ducales Remsanis utpote captiuis illudere certaut, gladios & hastas in aceruum portare cogũt. Interim sibi quisq; ducalium quod arridebat accipiens. Quidam Remsanorum tanto pauore perculsi trepidantes, ut etiam crumenas ære graues, fortasis ad fugam paratas, una cum armis imprudenter abijcerent. Quæ res militibus oportunam rapiendi præbuit ansam. Depositis armis turba seditiosorum stabat, & animo prorsus effracto. Protinus accedunt delatores, qui nominatim seditionis Authores indicabant, pars infami digito notabant, etiam parui delicti reos atq; adeò præ inuidia nimis insontes, iniecta sunt ocyssimè uincula, defecerãt iam laquei, trahuntur autem longo agmine penè centum captiui capitali crimine delati, qui conijciuntur in carceres, opplentur ubiq; turres & lacunæ. Reliqua Remsanorum turba traducitur in oppidum, sicuti prius armata manu circumsepti, sine cibo potuq; clauduntur in Curiæ senatoriq; theatrum, satis amplum, sed tantę multitudinis, haud ita capax, quamuis infrà, supraq; paterent illis habitacula cõclauiaq;, decimo cuiq; tamen uix erat standi locus, tantum ab est, ut sedere licitum fuisset, fame, sitiq; tota die macerantur. A' custodibus aliquando panem, uel aquam precio precarioq; clanculum nacti, ne deficerẽt præ inædia uicissim partiebantur. Interea torquentur maioris notæ uincti, qui tenebantur in Curia, tremore quatiuntur, inter spemq;, metumq; languentes, ne plura.

Postera lux aderat, & iam ad meridiem urgente sole, producuntur è Curia captorum aliquot millia, quibus iam spes affulsit melior, ut quasi uita donati non cum sanguine pœnas daturi uiderentur. Attamen impunè nõ abituri. Stabant ad Remsani fluuioli ripam, ne fortè occasione data quis aufugeret, tum fameli ci, tum sitibundi. Quum uerò famem sedare non dabatur, in fluuiolum licebat inspicere, sed attingere non concessum. Tandem nescio quis infœlicissimæ plebis misertus, de fluuiolo miseris hauriebat aquam, allatis è proxima leprosorũ domo uasis. Hic uidisses irruere more pecorum ad aquales, certatim raptis è quibus potare solebant catinis, proni labra gelidis aquis proluebant, & concaua multi manu lambebant: nam duos fermè dies, & integram noctem sine cibo potuq; detenti fuerant in Curia. Consistentibus autem diu Remsanis ad fluuioli ripam, sole subardenti, Dux equitum peditumq; stipatus exercitu pro-

Dux Huld. procedit ad Remsanos.

cessit in medium. Quo uiso Remsani procidebant ad genua Ducis (ut fortasis edocti fuerant) erratorum ueniam precantes, iacebant humi flexis genibus ad sesquihoram, priusquam Principis alloquio dignarentur. Inter aulicos consiliarios (annuente Principe) collatis capitibus cõsultatum fuit: Ad postremũ surgere iussis, à præfectorum quodam principis animus aperitur, in præsentia scilicet, animo clementi uitam donari factiosis à Principe. Quamuis uniuersi contra Ducem suum pernicioſa moliti fuerint. Attamen ut in posterum fidei tenaciores esse uelint, neq; committant unquam, ut bellis intestinis implicentur, immemores suorum suorum, præterea sua præfectis arma dedant, longis hastis, æreis integumentis, æneis item balistis, tormentisq; post hac non usuri, præter gladios & pugiones, præter uenabula, dimidiatas hastas, armorum nihil gestent. Ad hæc articuli compositæ dudum litis in corona legebantur, ad

Victorum caterua producitur.

quos conceptis uerbis uniuersa turba iurare cogebatur.

His actis captiui trahuntur in propatulum, catenis onerati, stragulis & uili tegete circumtecti, ne nudi prodirent, complures enim comprehensi fuerant

ad

ad sellas in opere, quin abiectis quoq; uestimẽtis occultarant sese, uel in fœno uel in stramine quàm plurimi, qui sic deprehensi fuerant seminudi. Quare ne propudiose proreperent in conspectum populi, suum quisq; tegumentum lecti circumtexerat: Rei statuuntur ad subsellia iudicum, quæ sub dio strata fuerant, reliquis Remsanis, qui paulo antè iurauerãt adstantibus. Reis ut causam dicerent permissum fuit. Præsto Dux aderat, nec latum digitũ discedit à tribunali; non inter iudices, at equo insidens auscultando, quomodo suam quisque causam defenderet. quid multa? astabant trepidi rei, qui præter mortem nihil sperabant. Iudices uerò tam grauitate quàm iustitia spectati, decem omnino de tanto captiuorum numero pœnæ capitis adiudicabant, eorum capita proportis item suspendi iussum, quo terrerent iniquè factiosos. Reliquis autem captiuis pleriscq; fuit interdicta patria: nõnulli graui mulctabantur ære, reliquam nihilominus uitam cum ignominia degere coacti, pars magistratus honore, spoliati, pars armis omnibus præter cultellum quo panem scinderent, exuti uagabantur. Proscripti uerò plus quadringenti de Remsanis, qui capitali supplicio fuissent affecti, nisi fuga sibi cõsuluissent. Qui triennium fermè fuerant extorres, ingruente bello, rursus sunt in patriam cum bona gratia principis recepti, tanta est rerũ humanarũ uicissitudo, disparq; fati perfidia. Seditione Remsana prouide sedata, Princeps Huld. Studgardiam rediit, dimissa legione.

Decem è uiris capite plectuntur.

Interea Cæsar Maximilianus Augustæ Comitium Germaniæ principibus indixit, illuc ad Cæsarem Dux Huldrichus oratores suos mittebat, ipse uenire noluit: sæpius ab Imperatore uocatus, aliud atq; aliud causatur. Eo tandem res peruenit, ut ad locum constitutum Cæsareus legatus, ac ipse Princeps adessent. Quare Cæsar Episcopum Saltzburgensem, Cardinalem Langium ad Ducem Huldrichum Blaubeyram Vuirtembergiæ ditionis oppidum, mittit legatum, conueniendi gratia Ducis, quo & ipsum uenire mandauerat. Dux uerò decem uirorum millia, ut armis, ita proceritate corporis excellentium secum trahit Blaubeyram. Vidi ego paruum quidem suorum agmẽ, sed armis & iuuenum uigore præclarum, quod uel Cæsar ipse uidere cupiuisset, triduum, aut quatriduum colloquijs hisce priuatis est concessum, illic & episcopus & princeps seorsim, sine arbitris multa locuti. Discessit uterque, Legatus Augustam, Dux in patriam. Quum uerò Vuirtembergi patrias ad sedes remeant, Comitis ab Helphenstein ditionem transeuntes, quæ Vuirtembergiæ finitima regiuncula, ipsa satis amœna, uini tamen impatiens, sed feracissimi tritici, fœniq;. Dux inter eundum, suos subindè recenset, æreis integumentis à capite ad genua munitus, exiguo equo, sed uelocissimo fretus agmen nunc inter primos, nunc inter postremos circuit, & suos contemplatur. Interea sui principem tollunt ad astra, fortitudinem laudant, qui nec æstu, nec siti, nec fame fractus ad agmen adesse gaudeat. Ille staturam, alius æreum thoracem, alius auricomas radiantis galeæ pennas, alius equitandi peritiam, alius aliud in eo suspicit, & acclamatione probat. Nam dici uix potest, quanto ea gens, sit in suum Ducem affectu, Dux equo nonnunquam propius accedens, quo modo pro fistulę flatu, tympaniq; crepitu sit incedendum, belli rudiores hortatur. tribuni quoque, & qui militiæ peritiores erant, quorum copia tum aderat, circumeunt, iam uelut in hostem pugnaturi sępius aciem instruunt, & ordines constituunt, donec medium diei processerat, & ipsi uiæ multum superauerant, diuertunt igitur in ipso meridie in uicos Comitis corpora curaturi, nihil mali uel subornantes uel suspicantes.

D. Max. Comitium Augustæ.

Erat autem Hiltenburgum castrum, Comitis, haud ita procul, de quo custodes æreo tormento iaculantes cauponam, in qua multi sedebant, patinis & poculis intenti, quamuis illæsis omnibus (per conclaue multis refertum uiris)

ictus

ictus abiret, tamen seditionem non paruam cõcitauit, concurritur & ad arma, ad arma clamatur. Dux ut erat indutus in mediũ paucis equestribus illico prorumpit. Et huiusce tumultus causam quærens, indignissimè tulit ab arce uelut è sublimi se suosq; despectui haberi, nixus uniuersam uallem unà cum uicis incendio perdere, obuios quosq; ferro premere, tantum facinus ultum ire. Quare territi omnes Vuirtembergi, aderant uicini Kurchani, Vuilenses & alij, qui flexo poplite principẽ uenerati, fandi copiam nacti, summopere rogitabant, ne uicini, huius rei penitus ignari, perderentur, ne pauperes Coloni, plecterentur, si quid infidi custodes ex arce deliquissent. Verum si non aliter fieri possit, ad arcem expugnandã, se fore primos et promptos, modò miseri Coloni prorsus innoxij, sint in tuto: quibus auditis castrũ iubet expugnare, & quoquo modo capere, dicto citius aduersus collem festinãt, colubrinæ, falcones, & nonnulla iustæ magnitudinis tormenta, quæ campestri prælio trahuntur idonea, crepitant aduersus arcem. Hoc uiso custodes elapsi diffugiunt, & castrum uacuum relinquunt, tormentorum tonitrua, tum uirorum clamor, fremitusq;, tota uallem personabant. Comitis coniunx audito tumultu, req; percepta (nam proximè in oppidulo Vuisenstaig Comes se plurimum continebat) festinat ad principem, quem prece molliri conabatur, ut cœpto desisteret, afferens adhæc arcis claues, aperire uolens, ipsa prægnans ante pedes Ducis prouoluitur, uisam Dux ocyus alleuat, & bono iubet esse animo. Sed interea securibus fractæ dissiliunt portæ. Orat præterea Comitis coniunx, ne quicquàm deuastaretur, usque ad sui coniugis aduentum. Comes enim ab Helphenstein in comitijs imperialibus, Augustæ tum fuit, cui (quo malum malo adderetur) equus unguiæ ictu crus infregerat. Dux arcem præsidio de suis munit, & iter Studgardiam uersus cõtinuat. Non multo pòst arcem iussit comburi ueluti suspectã & Vuirtembergis inimicam. Sic improborum perfidia custodum sedes amœna uertitur in cineres.

Cæsar Max. uita defunctus.

Haud ita multo pòst, Max. Aemilianus Romanorum Imperator, è uiuis excessit, ibi bellorũm fomites undiq; suboriebantur, inter Reutlinganos & principem non admodum conueniebat. Est enim Reutlinga Ro. Imperij municipium, uicinum Vuirtembergensibus uterq; conterminus ager, cõfines syluæ, coniuncti limites. Accidit autem, casu'ne an industria, dubiũ, quod è Vuirtembergicis saltuarijs quidam Reutlingæ à ciue intra mœnia, occideretur. Re qua comperta, parat ultionem princeps, contrahit exercitum de suis subditis, eximprouiso in media hyeme Reutlingios, obsidione cingit, & adductis ingẽti mole machinis æreis, quas Bombardas uocant oppidum (premissis ante paulum, qui bellum indicerent) oppugnat. Oppidani subito diffortunio perterriti sed non fracti, protinus occlusis portis, pro muro strenuè pugnaturi, stabant, tormentis in castra sæuissimè fulminant. Noctu quo facilius oppidũ seruare, queant, crumpũt, suburbanas egregiè constructas ædes, ipsi sua sponte comburũt, muros aceruo proiectilium saxorum indefesse muniunt, spem capiunt, hostes in tanto frigore non posse durare, erat enim circa natalem Christi, quo tempore frigora sunt latu difficilia, quæ tum maximè sæuiebant, nix alta iacebat, sole proximè ad aquarium festinante, perierũt è Vuirtembergis multi frigore. Præterea esus et potus gelu concreta fauces militũ molestabant. Ingentes flagrant ubiq; pyræ, magni conspiciuntur ignes, apud quos Vuirtembergi se defendebant quoad potuerunt ab urenti gelu. Dux uerò nhilo segnior ad urbem expugnandam, totus accingitur, uili sago tectus, & rusticano pileo, circuit, hortatur suos, ut animo forti frigora perferant, & domẽt, iubet ignes fieri, casulas infodi subterraneas, breui tanto labore defunctos fore. Stabant im mensо, numerosæ Bombardæ hiatu, quibus in tecta perdius & pernox, absq; ulla intercapedine

pedine crebris tonitribus irrumpit, igneos globos è machinis æreis, atrocius iniicit & extrema malorum mala ciuibus indefessè minatur. Oppidani rebus suis nequaquam diffisi, strenuè patriã defensitant, nihil intentatum relinquũt, quo resistere queant hostibus, adfore propediem subsidium, uel ab imperialibus oppidis, uel à Sueuico fœdere, literas quibus auxilium rogitarẽt, huc illuc missitare frustra nituntur, intercepti tabelliones ad principem trahebantur, ab illis explorat omnia princeps quæ fierẽt in oppido: Quapropter iniquiore fortuna, quàm obsidione premebantur oppidani, quibus cum sæuo Brumæ gelu dimicandum quoq; fuit. Nam densa glacies aquas obduxerat, fontes riuiq; frigore constiterant. Ciues aquarum primò laborabant inopia, si (quod sæpe fieri solebat) igneus ex æreo tormento globus superne fuerat illisus in tecta, latu rus incendiũ, hunc non flumine sed fimo cogebantur extinguere. Deinde nulli ciuium uel farina, uel usu lignorum, uel aliis rebus aduersus obsidium necessariis usq; adeò prouisum, ut oppugnationem diutulè ferre possent. Humiliores domos pro focis urebant, etsi manuarię molæ pro necessitate fuissent extructæ, tantæ multitudini paucæ sufficere non potuissent, præterea magna muri pars æreis euersa machinis & horrisono tonitru concussa corruit, âltæ Brumali gelu fossæ concreuerant, hostibus aditum præbebant haud ita difficilem, quibus malis oppressi Reutlingani Huldricho principi se dediderunt, Princeps urbe præsidio de suis munita, domum se recepit.

Commentariorum Libri primi Finis.

COMMENTARII DE VVIRTEMBERGIAE REBVS GESTIS, HVLDRICHO Principe, Liber II.

PRINCIPIS Huldrichi factum uniuersas urbes imperij territat. Et quo magis Vuirtembergensi ducatui uicinæ fuerãt eo uiuebant anxius, eam ob rem singulæ protinus arma lustrare, saxo proiectili, muros aremare, colubrinis & falconib. aërias turres munire, Bombardas educere, portis custodiam præficere, signa nouare, hastas & enses extergere. Corporis aerea integumenta studiosius expolire. Deniq; nihil eorũ omittere, quæ facere uidentur, ad usum belli, fuit iamdudum fœdus, inter Sueuos ictum, fortassis à maioribus excogitatum, quo pacis almæ studium uigeret. In eo fœdere multi principes in Germania superiori, multi Episcopi, complures Abbates, Principes, Comites, Barones, ac nobiles urbes insuper imperij Romani pluri-mæ maximæq;, quamuis id fœdus è Francorum, Noricorum, Vindelicorum, Bauarorũ, Sueuorumq; proceribus longè lateq; percussum fuit. Attamen uno titulo Sueuicum fœdus adpellabatur. In horum fœdere Reutlingia quoq; fuit, ob id extemplo res ad fœderatos delata (Reutlingam scilicet ab Huldricho Duce Vuirtembergensi, captã) tumultus haud ab re magnos excitauit. Coeũt fœderati, semel atq; iterum concilia cogunt, Dux Huldrichus expugnationis Reutlinganæ rationẽ redditurus, si modo uelint admittere, suapte sponte prodibat, fœderati, Ducis insignem prorsus audaciam, Reutlingæ prærerea deditionem ferentes indignissimè, audire ducem nolunt. Adde quod interregnum mortuo pridem Cæsare Maximo Aemiliano belli minas portendere uidebatur. Fœderati non diu cunctantur, bellum Vuirtembergis indicunt, per fœciales ex more nobiliũ pueros duodecim, qui præfixas equestribus hastis ad principem literas ab hostibus singulatim subscriptas ferebant. Quos princeps humaniter

Dux Huld. terrori fuit imperialibus.

maniter acceptos ac aureis nummis opulente donatos impunè remisit. His ac-

Dux è suis exercitum cõscribit.

ctis utrinq; paratur exercitus. Dux Huldrichus, fidens animi, feruidus iuuenta, periclitari cum suis maluit, quàm Reutlingam gladio partam restituere. Ob id è suis illicò subditis habere delectum parat, oppidis suis arma, frumẽta, currus, qui deuecherent bello necessaria mandat. Bellicas ex ære machinas ingenti mole fabrefactas protrahit in propatulum, puluere sulphureo, plumbeis item globis affatim prouisas, animo forti, propulsurus è patrijs agris hostem: adhæc ne duceret in prælium suos bellandi fortassis imperitos, ob diutinam pacem,

Nobilis familia à Rischach.

misit è nobilibus aulicis Iohannem Leonhardum de Rischach, qui stipendio conduceret Heluetios. Est autem familia de Rischach apud Sueuos, exteros q; tam belli uirtute, quàm rerum ciuilium prudentia uerè nobilis: Fuit antè paulũ inuictissimo Cæsari nostro Carolo v. atq; adeò Romanorum, Hungarorum, Bohemorumq; regi Ferdinando non in postremis amicis Eck de Ritchach eques auratus, cuius auspicio ductuq; (nam pedestri plærunq; præfuit exercitui) rem sæpissimè bene gessit uterq; tum in Gallijs, tum plurimum in Pannonijs ubi etiam uitam in bello finiuit, dignus qui nõ mea Carica sed Attica quadam musa posteritati commendetur. obticeo tot Eberhardos peregrinos Huldrichos, Nicolaos, Friderichos fortissimos à Rischach quos ego noui. Nec depingam nunc suo colore clariss. Dn. Ioannem Vuernerum à Rischach ordinis Teutonici summũ in Germania Dynasten, quẽ tam politiore literatura quàm iuris prudentia (quod ipsa etiam inuidia fatebitur) longè præstantissimũ, atq; adeò omnium studiosorum Mecœnatem, nobiles & ignobiles uerè prædicãt, amant, & uerentur: ob eam rem gens ea talis in Sueuia qualis olim Romæ Fabiana domi foris q; nobilissima. Paucis pòst diebus uiginti Heluetiorum millia Studgardiam numerato diuite manu stipendio uenerunt. Quos princeps una cum suis educere decreuerat in hostes. Sed mutato cõsilio suæ gentis (nam conscripserat triginta uirorum millia) decies mille uiros proceritate belliq; peritia præstantes iungit Heluetijs, ad arma reliquos imperat esse paratos, ut li uerit usus educantur in subsidium.

Dux exercitu satis ut uidebatur instructo, contendit ad Blaubeyram suæ ditionis oppidulũ, illic hostibus ingressum præclusurus. Alacris animi princeps, adhuc ætate florenti, fortunã belli cupit experiri. Traducit illuc ingentes & innumeras Bombardas, largissimum præterea commeatum cõuehit, sed frustra. Fœderati copias quantum possunt, cogunt, hastatos milites, ære merentes undiq; conscribunt, paucos intra dies plus triginta millia peditum, adhæc equitũ

Fœderati copias contrahunt.

octo millia contraxerunt. Quorum pars maxima bellis adsueta iuuentus collecta, de Bauaris, Vindelicis, Noricis, Francis, & è potentissimis imperij ciuitatibus, in Sueuicũ fœdus iurare solitis cogebant exercitus. Cæsari quoq; Romano negotium facturus opibus, armis, æreis bombardis, tam ualidus. Imperatores erant Bauariæ Dux Guilielmus, & Georgius à Fronsberg eques auratus rei bellicæ peritissimus, cuius ductu postea quoque Cæsar Carolus v. in Italia, Galliaq; res multas præclarè gessit, audito quod Huldrichus Vuirtembergiæ Dux, ad Blaubeyram se contulerit, & Heluetios ad se stipendio pellectos accerfiuerit, extemplo Sueuici fœderis Duces Vlmam (quæ Blaubeyræ finitima diues Imperij Rom. urbs) copias suas adducere destinabant. Interim cum Heluetiorum primoribus agunt fœderati missis in urbes eorũ legatis, ne Ducis Huldrichi negotio bello q; se nunc immisceant, suos abscedere iubeant, memores factæ pacis inter Cæsarem Max. Aemilianum, & auos nostros, pacem tranquillitatem q; seruare malint, quàm cõtra fœderatos, atq; adeò Romani regni proceres arma sumere, quibus in ocio degere liceat. Hoc audito Heluetij suos abscedere domum per nuncios imperant. Quibus autem discedentibus in triuio

dux,

dux,animiq; dubius aſsiſtens ad ſuos,ad hunc modum locutus: Quòd me nũc uertam fortiſsimi,omnem ſpem,cunctamq; belli fortunam collocauerã in Heluetios,quorũ præſidio patrios tueri fines,hoſtesq; propulſare potuiſſem,nunc in arctũ coguntur noſtræ copiæ,uiribus exutus adſto,hoſti ludibrio,mihi dam no:quid enim proderat euocare gentem bellicoſam, niſi decernere cum hoſte ſediſſet animo,nihil omnino periculi fugiturus. Eſt uerò iam quod gaudeat, quodq; ſeduló triumphet hoſtis. Quod ad manus antea quàm fuit uentum ad unum uicti ſumus,non ignoro de noſtris eſſe uiros adprime ſtrenuos,quorum triginta millia producere poſſumus ad pugnam,genuina quadam animi fortitudine præditos,at bellandi propter diuturnam pacem prorſus ignaros: Quare domum recedite pro uirili ueſtra,priſtinaq; fortitudine pugnate pro patria, quantũ licet:Ego uerò licet extorris & exul patrijs expellar ſedibus,haudquaquam tamen abiecto prorſus animo quieſcam,donec auſpice Deo,uita comite,fauente fortuna,uobis reſtituar,cuiq; digna factis præmia redditurus. Hoc audito Vuirtembergenſes magno fremitu fortunam ſuam, quæſti, quòd non liceret ad manus pugnare,collatisq; ſignis,Martis aleam tentare,domũ quiſq; ſuam dilabuntur.

Princeps auxilio Heluetiorum deſtitutus,animum prorſus abiecit,nec oppida præſidijs, nec arces militibus (de gente ſua licet bellandi gnaros haberet q̃ plurimos) ſatis oportunè munire potuit. Aduentum hoſtium non armata manu, neq; collecta multitudine,quod maximè cupiebat,expectãs, ſed diuiſis in loca munitoria ſuis,hoſtilem impetum uel inhibuit, uel quoad fieri potuit palantes in ordinem redegit. Sueuici fœderis agmen interea loci caſtra poſuit ad Heidenheim (aras flauias quidam uocant) inueni illic olim in uetuſto ſaxo literas grandiuſculas Romano more inciſas, at iam præ uetuſtate fugientes, & exeſas,ut legi nõ queant:quibus omnino quid uellent in dubio fuit, niſi quod coniectare potui,non abs re doctos in eam uenire opinionem,qui putent aras Flauias dici hoc oppidulum Halbuochæ ſyluæ uicinum,cui Helenſtein arx in aſpera rupe,quæ uelut in ciuitatulæ tutamentum condita,expugnatu nõ adeò facilis:cui Stephanus à Lichen adprimè nobilis,ætate ſenecta,præfuit fœderatis aliquantum reſiſtens,at intra paucos dies & arx & oppidũ imperata faciũt. rus ibi ſubaſperum non incultum tamen, ſtrenuo labore domatur, frumenti ferax,uites ob cœli triſtitiam non producit,ſyluæ fagis & quercubus amœnæ, feris aptæ,ceruos potiſsimum alunt,præterea ferocitatis eximiæ lupos,ſetigeros apros,paucos illic urſos uidere licet:incolæ præter agriculturam pecori ſtudẽt habendo,æs effodiunt,ferrum procudere docti, fluuius adprimè piſcoſus per uallem fertur exiguo prorſus alueo,ſed interim ſtagna plurima ex induſtria facta præbet,Brentz ei nomen qui uoluitur paulo poſt in Danubium. In eo tractu monaſteria tria fuere magnificè condita, cenſu reditu q; ſatis opulenta, Kungsbrunna,Anhuſia,Heruuertinga, quibus in fidẽ protinus acceptis, per Halbuochæ iuga faciunt iter ad Vulſam fluuium properantes,propè Gæppin gam caſtra metati ſunt,oppidum campeſtri loco ſitum,turribus altis,uallo foſſaq;,ſatis egregiè munitum.

Heidenheim obſidetur.

Gæppinga uallatur.

Præfectus eius oppidi Philippus à Rechberg cognomento longus, quòd à proceritate corporis impoſitum habebat,uir nobilis,& genere & opibus, belli cæ rei non imperitus,æui maturus,is in ducem ſpectata fide, pro patria mori multò potius,quàm cum hoſte paciſci decreuerat,mœnia in deditionẽ petentibus fœderatis animo ſè reſpondit,occidendum ſe prius inſtar bouis quàm ſe uiuo,tradatur oppidum portis occluſis ciues in muri propugnacula conſtituros hoſtibus opponit. Hoc audito,fœderati bombardas expediũt,oppidi munitiones aggrediũtur,æreis undiq; machinis ciuibus horrorẽ forſan incuſſuri.

Verùm præfectus unà cum ciuibus ſtrenuè repugnant, æreis aſsiduè tormentis in caſtra ſæuiunt, ad murum propius accedentes emiſsis eminus globis, ad Acheronta mittunt, plurimos ceu fulmine tactos interimentes. Telis ultro citroq; miſsis pluſculum dierum, utrinq; non ſine damno perſeuerãt. Erat ad muri latus turris antiqua quadrangularis extructa, lapide quadrato, quam præter alias acrius oppugnabat extrinſecus hoſtis, eius ruinam formidabant oppidani, timebant enim ne collapſa urbica tecta ruinis opprimeret, aut foſſam complendo facilem præberet acceſſum obſidentibus. Ob eam cauſam præfectum uel inuitum compellunt, ad deditionem. Qui tamen abiectis oppidi clauibus, ipſe neq; prodire in medium, nec in Fœderatorũ uerba iurare uoluit, perſiſtens in arce quã in urbe ducis nomine habitabat, donec publica fide per Fœderatos data liceret abire, quocunq; libitũ eſſet. Si princeps tali moratos in ducatu ſuo more præfectos habuiſſet, haud dubiè maiori ſanguine Sueuico Fœderi conſtitiſſet hoc bellum. Rechbergus ille nõ multo pòſt, quendam ex eo numero qui conſpiraũerant in exitium Ducis obuium transfixit haſta, nõ impunè feres, inquiens, quòd Principi ſeruus, ignobilis nobilibus indixeris bellum. Ea regionis pars præter quã quod uites raras parturit, alioqui ſatis amœna, frugiferaq; multis ab omni parte conuallibus admodum iucunda, ſyluas hinc, illinc oſtentat amœnitate lubentes, arborum fertilitate commodas. Pagi per uallem (quæ Vulſana de fluuiolo Vulſa uocitatur) pulchris ædibus urbano ritu conditi, frequenti cultore celebres, denicq; ui pecorum, cultuq; ruris opulẽtiam iactantes: hoc interim Fœderati milites infeſtabant, præſertim quæ uel ad uictum, uel ad pabulum facerent impunè rapientes, arces utrinq; montibus impoſitæ, latè cõſpiciũtur in hac ualle, quas licet expugnatu difficiles ultro deditas audiuimus.

Gæppinga deditur.

Interea miſsi qui Blaubeyram, cui Volfgangus à Rechberg præfuit, qui tam nobilitate, quàm iuuenili preſtans animo, reſtitiſſet hoſtibus, niſi uictus iniuria temporum, ciuiumq; calamitate deterritus, in melius conſilia ſua retuliſſet, oppidum & arcem Sueuico fœderi dedebat cum opulento monaſterio. Ager in his regionibus aſper, alpeſtria contingens, arduus cultura, uitis impatiẽs, at frugum feraciſsimus, nemorum præterea fœcunditate proſper, in eo tractu imò à fonte Nicri ad Blauum, deinde ad Licum & Oenum rurſus ad Danubij ripas & ortum, hinc per Saltus Hercyniæ ſiniſtrorſum ad Nagoltũ, hinc ad Francos uſq; per iuga mõtium, populus aſper ad laborem natus, parco parabilíq; uictu cõtentus, non niſi feſto die largius agitare, genioq; indulgere. Nuptias quoq; ſumptuoſè pro opibus ſuis celebrant, aliàs aquæ potores, potiſsimum lacte uictitant. Quid? quod probro datur fœminis aliquando uinum bibentibus inſuper ad pocula ſi qui frequẽtes Agricolę ſedent, prorſus audiunt malè. Nec molli ueſtitu niſi feriatis diebus incedunt alioqui fortes & pugnaces, modo rituq; uiuendi ueteres Sueuos adhuc referunt, quaſi robuſtiſsimæ Sueuorum gentis reliquiæ. Gæppingis igitur in deditionem acceptis conſcenſo colle Kurcham uerſus abit exercitus. Nõ ita procul à Gæppinga balneæ multi nominis extãt, non ſuaptè natura calidæ, ſed ahenis igni ſubiecto calefiunt, ad ſanandos omnifariam morbos adpoſitæ. Ab amaro (qui propemodum uini præ ſe fert acrimoniam) quem ſeruant aquæ ſapore nomen ſortitæ ſunt: ibi Bollenſis ager uicis, frumẽtis, ſyluis iucundus. hac tranſeuntes Aichelbergam iam uetuſtate collapſam ſpeculam, quam Comes Aichelbergus incoluit olim prętereunt in uillas interim prædabundi milites euagantur, edicto tamen Imperatorum multo antè cautum fuerat, ne quiſquam militum prædaretur agros, nimirum ſtipẽdio quod ſingulo menſe præſenti pecunia numerabatur, contenti manus à rapina continerent. Verùm tanta perditorum plerunq; hominum colluuies, nec ferro nec laqueo cõprimi poteſt, ut abſtineat ungues ad modũ uiſcatos, & ad ſcrinia

compilanda

compilanda nimis adſuetas manus. Bonis ego non detraho, qui gloriam, uel in militia quærunt, ſed hiſce mille cruces optarim, qui pro nihilo ducũt occidere, furari, ne dicam prodere, dummodo nummis onuſti domum redeant, aut in præſentia gulæ, ueneriq; ſeruiant, paulo pòſt ad infernos manes agminatim deſcenſuri. Quid multa? illinc rectà proficiſcitur exercitus ad Kurchæ mœnia miſſo præcone, qui Vueilhaim oppidulum poſceret in deditionem, extemplo Vueilhani ſe fœderatis dedere deſtinarunt, electis ad eã rem Senatorculis duobus, aut ad ſummum tribus. Eſt enim ciuitatula non admodum grandis, habẽs infrà ſupraq; ſuburbia ſe multò maiora, homines in eo ſimplici, rudiq; prorſus ingenio, ſed uiri ſi res poſcat haud ignauè pugnaces, ad quatercentũ, qui ſe cõtinebant intra muros, expectantes eorum reditum, quos ut ſe dederent iamdudum ad hoſtilia caſtra legauerãt. Aſt uerò dum conueniendi ducis Bauariæ captant occaſionem, dum eunt redeuntq; nimium cunctabundi, funeſtus militũ gregariorum cœtus, qui fortuitu conflixerat ad Vueilhæ mœnia, circuire cœpit uallum: Nam qui fuerant intus, agebant ocia, neminem lædere, ſed è muro, colloqui cum milite panem proijcere, ueluti iam facta pace, ſolebant, hic è fœderatis unus extra muri uallum æneo tormento protinus emiſſo in aëra, expugnandæ ciuitatulæ ſignum dedit, fit illicò concurſus, fit clamor: Ad arma, ad arma, iam qui muri pinnas obſeruabãt. Ab hoſte foris æreo falcone petebantur, ipſi interim nõ auſi referire. prius à ſenatu capitis pœna cautum fuit, ne quempiam læderent ex fœderatis ad deditionem parati. Sed interim totus in expugnando muro miles erat, fortè fortuna in oppidũ tralatæ ſcalæ fuerãt de Suurbijs. Et rotæ partim in foſſam cœno turbidam (detractæ plauſtris) demiſſæ iacebãt. Miles igitur ablata cõſcendendi muros anſa, cum impetu fremituq; portam prætentis haſtis inuadit. Euulſis è cardine foribus unis, ad alteras euertendas & haſtis & ſecuribus accedit. Ciuis hoc uiſo, fortiſsimè reſiſtit, ac ut res expoſcebat, abſq; ductore, ſua ſponte, militem nunc lancea, nũc gladio retundit, ianuas catenis ferreis implicitas mordicus arripit, ac ui retentat, ingentia ſaxa quæ fortè fuerant ad manum templi extruendi gratia huc uoluit, & haſtas per patentes portæ rimas ab oppugnantium uiribus, aliquantum diſtractas intertas, ferro abſcindunt, & pro renata militibus obſiſtunt. Non enim audebant cõtra magiſtratus edictum æreis uti machinis, donec ad ſummũ propè diſcrimen ueniſſent, ibi tumultu procul audito: Tribunus quidam militum, admiſſo celeriter equo feſtinus adcurrit, milites obiurgans, atq; adeò uerbis uerberibusq; repellens, ſacramẽti militaris admonet, quòd in deditos abſq; ductu iuſſuq; imperatoris auſint arma tollere. Milites tandem fremitu multo diſcedũt ab oppugnatione, quæ res ciuibus bono fuit, eorum nullus euaſiſſet, opinor. Quin eorum bona militi prædæ fuiſſent, fœderatorum militũ plus duo millia foris erãt. Ciuium non plures quadringentis, quorum pars minima tuebatur portas, reliquis in muri propugnacula diuiſis. Qui uerò ſtabãt ad tuendas portas tot oppugnantium (licet hoſtes anguſtè conſiſterent) inſultus diu ferre non potuiſſent. Deum immortaliũ qualis indignatio, qualis execratio erat inter ſceleratos milites, partim quod lentè nimis egiſſent, partim quod è faucibus erepta præda uideretur, alter alterum ignauiæ ferocius inſimulat. Erat autem oppidulum, pecore multo, ſuppellectili multa repletum, nec ſine pecunijs quas in templum ciues depoſuerant.

Vueylhali beratur ab oppugnatione.

Interea fœderati non procul à Kirchaim in uiridi ualle, ſed extra teli iactum Ieſingæ caſtra poſuerunt. Eſt hoc oppidum ſuapte natura, deinde uallo foſſaq; turribus atque adeò mœnibus arduis & natura & humana gnauiter induſtria munitum, plano loco ſitum, cliuos habet uitibus undiq; cõſitos. Ager alioqui frumenti ferax, ſyluæ circum fagis & quercubus umbroſæ, feris abundantes.

Rſui per conualles iucundo murmure mœnia præterlabuntur, quos alueo facto pro magna parte intra mœnia ducunt, ac per uicos diſcurrere faciunt. Ciuis in eo oppido populus, ad pugnam fortiſ & acer. Olim templum fuit eius regionis incolis commune, unde nomen habet, illuc à Theck illuſtriſsimi quondam Duces itabant Deum ſalutaturi. Fœderati ne ocioſi ſederent nonnullos è tribunis mittunt, qui caperent finitimos ei præfecturæ uicos. Quibus in deditionem protinus acceptis: adeſſe dicto citius ad caſtra licuiſſet. Verùm neq; tribunis & nobilibus quibuſdam ſine præda redire libuit, militi gregario capitale fuit agros urere, colonos prædari. Verùm tamen quum tribuni plericq; rapinis inhiarent, cumulandiſcq; manubijs intenti rura paſsim popularentur, ad eum modum ceteri preſertim ueterani bene nummatos agricolas adorti, uel uita uel pecunia ſpoliant. equites ruri uagantur, hinc armenta, hinc ouium pecorumq; greges abigunt, in Bauariam aut ad Francos. Quidᵉ quod plurimas quadrigas uino grauiter oneratas Auguſtam uerſus abducerent ipſi Duces, præter ingentem prædatitij pecoris multitudinem. Poſt pluſculum dierum fœderati caſtra ſoluũt intactis omnino Kurchanis. Dum uerò quòd uidebatur ſecurus malorum longius intra uallem ſplendens exercitus ibat, ex oppido quidam de turri ſublimi iaculatur agmen ærea machina (quam Colubrinã uocant) ictus ordinis alam turbat, quam fortè corripit: Arreptis ad Stygios manes militum nõnullis, quod cum ferrent indigniſsimè quotquot aderãt doryphori, cõuerſiſq; ſignis, uno uelut impetu ſine icalis etiam, uolebant oppidum protinus expugnare, pariter ac euertere, quod, mea quidem ſententia non ſine ſanguine capi potuiſſet, egregiè munitum. Sed imperator in ordinem reduci militem, ſigna procedere, uiam continuare iuſsit.

Iam uentum erat ad Nurtingam, quam domina Brandenburgẽſis dotis nomine tenebat, ob eam cauſam Nurtingani fauſto meherclè ſidere belli ſæuitiã non experti, degebant ab armis ocioſi uitam, cum uicis in eam præfecturã pertinentibus, hos igitur illæſos miles præterijt, Neccharum traijciens in ſyluam Schonbuoch, Tubingã uerſus abducebatur, eius ſyluæ longitudo cõtinet decies mille paſſus, eius autem latitudo non ubiq; pari modo metiri poteſt, aliàs quingentis, aliàs mille, aliàs bis mille paſsibus euagatur, interiectis aliquando campis & fluuijs, aliquando uicis, ac oppidulis interpoſitis, in amœniſsima rura diſpergitur. A pulchritudine proceritateq; fagorũ ſylua Schonbuochia nomen habet, tanta ferarum præſertim non uſq; adeò ferocium fœcunditate ſcatens, ut illac tranſeunti fuerit ominoſum niſi ceruorum paſcentium, & ſine pauore liberecq; uagantium, conſpexerit armẽti ſpecie grandius agmen, in ea potiſsimum ſylua ſeſe princeps oblectabat, dum fortuna ſinebat. Ac præter alias in ditione ſua ſyluas, quarũ per Hercyniæ ſaltus, & ubiq; per alpeſtria (quibus ea regio clauditur, auroram uerſus) multitudine gloriatur, præter nemora ſpariſsim uirentia. Schonbuochæ gaudebat amœnitate, illic diu noctuq; more maiorum uenatui deditus obequitabat autumni tempore ceruos intra cauam nonnunquam ſedens arborem figebat, aduentitios præſertim: hyeme uerò ſylueſtres apros uenabulo excipiebat. Aeſtate ſaltus indagine claudebat, feras agitando, à ſummo ſæpe mane diem terebat, ad ueſperam uſq;, ſine cibo potuq; non ſine moleſtia ſectatorum. Eſt in ea ſylua arx parua quidem, ſed affabrè condita, quæ feſſum labore uenandi principem excipiebat, cum paucis & intimis quidem aulicis cæteri uel equites, uel uenatores in prædijs illic agebant, iacentes in fœno. Nam principis hæccine domus ad uoluptatẽ potius quàm ad amplitudinem, fabrefacta fuit à primo Vuirtembergorũ duce Eberardo Barbato, quam muris quidem latis, & ad prohibendum quoq; impetum celſis ædificauerat, intus planicies exigua, ubi domus ædita lapide cementitio educta, tria

complectens

Sylua Schonbuoch.

Arx ad pulchras fagos.

complectens aut ad ſummum quatuor tabulata, ubi principis conclaue, & no bilium habitacula, tectum planum, non Germano ſed Italico more conditum, intus ad ingreſſum domus, Atrium familiæ deſtinatũ, ſolum ad reficienda cor pora, nõ illic uel habitent, uel ſomnum capiant, foris, ut dixi, ſtabulantur equi, manſitãt equites, interdiu nemo niſi nobilis intromittitur, cuſtode portam ad ſeruante, foſſam præterea circumduxerat idem dux Eberardus (ad inſtar arcis omnia) cum ponte ſublicio, penſiliq; quem noctu ſubtrahere ſolent. In monumentum portæ Dux Eberardus proximè ad hanc arcem monaſterium condiderat Canonicos regulares quos caputiatos uocant longius aſcitos addiderat amplis redditibus & cenſibus condonatos. Erant ætate noſtra uiri doctrina, uitæq; puritate conſpicui in eo cœnobio, quibus Antiſtes præerat (quem uocabant præpoſitum) Theologiæ Baccalaureus nõ imperioſè neq; cum faſtu, uerum demiſſus animo regebat domum, tam parêre, quàm præeſſe paratus, unanimi uoto uiuebant, nõ ſuperſtitioſè quæſitis ad eam uiuendi formam regulis, diuinis adſtabant, & horarijs canciunculis more Canonicorum, dein celebrabant diuina, reliquum tempus lectioni dabant, nullo ciborum delectu præter cõſuetudinem cõmunem omniũ. Quin cõmuni menſa pariter utebãtur, initiò ſacratę menſæ legebatur è ſacro codice diuinus Chriſti ſermo, qui dabat anſam diſputandi, imò colloquendi de rebus altè perpendendis. Erant aũt plærique magiſterij titulo decorati, Theologiæ ſectatores indefeſsi, colloquio cum menſa ſublato, ſuam quiſq; cellam repetebãt amantes inter ſe, nec ulla in re diſcordes, in eo cõuentu Gabriel Byel, eruditione iuxtà pietate clarus uitam ſuam finiuit. Princeps Eberardus in eodẽ cœnobio uita functus uoluit ſepeliri. Qui nõ ita diu poſtquã creatus in Ducem fuerat, morbo Tubingæ correptus obijt diem ſuum, tralatus illuc, magna Canonicorũ, monachorumq; uenerationę ſequentibus Tubingẽſis Academiæ (cuius author erat) proceribus atq; adeò ſtudioſis omnibus, unà cum nobilibus aulicis, atq; cum ſenatu populoq; Tubingẽſi, deducitur extra portã Luſtuoſam, poſtea quadrigis impoſitũ exanime corpus adhibitis ſacrificiorũ quibuſdã, ducitur ad eum, quẽ deſtinauerat ipſus in uiuis adhuc exiſtens locũ, de ſepulchro magnificẽtius extruendo laborare uetabat, maluit enim ſanctè magis quàm ſumptuoſè terris mandari, ſepulchrũ (uulgatioribus haud impar) extabat à terra cubito non altius uno, iniciſa ducis armati ſtatua, cum gentilitijs inſignibus, ærea quod opinor arca tenebatur humi corpus, eodẽ quo caputiati habitu ueſtitũ, tum quo ſeruaretur à putredine uarijs illitũ ferebatur unguẽtis, paries proximus Epitaphiũ tenebat unũ atq; alterũ ab Henricho Bebelio Poëta Laureato præceptore quondam noſtro ſuffixũ, atq; adeò ſaxo inſculptũ, quod adſcribere libuit ob honorẽ tum ducis tum Poëtæ.

EPITAPHIVM ILLVSTRISS. PRINCIPIS EBERARDI, ſenioris Ducis Vvirtembergenſis, quod ad Tumbam eius poſitum eſt per H. Bebelium compoſitum, anno M. CCCC. XCVI.

Qui fueram quondam Sueuorum gloria prima,
Hac iaceo triſti contumulatus humo,
Ceruigeræ genti merui uirtute Ducatum,
Signiferum imperij Cæſar & eſſe dedit.
Martis opus tractans non uictus ab hoſtibus ullis,
Suntq; procul pulſi quos ſcelera atra fouent.
Pacis at in primis ſtudioſus triſtia bella,
Teuthonicis populi ſæpius ipſe plagis.
Relligionis amans, templum hoc fundaſſe iuuabat,
Hic ubi poſt obitum corpus inane cubet.

De laudibus eiuſdem apud Tumbam.

Aſpice fatorum ſeriem quicunq; Viator
Tendis ad hanc Tumbã, quia mors nõ abſtinet ullis
Terricolis, iacet hic Ebrardus præda lacertis,
Eheu Sueuorum columen, qui pacis amator
Mars erat in bellis, Ithacus ſermone diſerto,
Pectore & Alcides, ſuperans grauitate Catona,
Te alter mecœnas ſummo dilexit amore,
O quem relligio traxit uel caſtra Mineruæ.

Cuius urna rursus effossa Tubingam postea delata, cõtinens adhuc integrã quodammodo corpusculi sepulti uestem, in choro maioris templi denuò man datur humo. Dictu mirum quanto Vuirtembergensis omnis amore ducem, quum uiueret, prosecutus sit: ingens ubiq; per uniuersum ducatũ luctus oriebatur, eius morte percepta, nobilitas cordatissimum Principem, docti suũ Mecœnatem, religiosi Numam suum, subditi patrẽ patriæ deflendo prædicabant: multa sapienter instituit ad superstitionẽ usq; religionis cultui deditus: illic Canonicos, illic monachos, alibi sacrificos, ubiq; fere loci uirgines uestales, aut nouiter instituit, aut ueteres auxit, additis ubiq; censibus, agris, ædibus, pascuis, syluis. Argo tamen oculatus magis obseruabat eorum uitam, omnes enim religioni deditos, ab omni uitiorum labe uoluit immunes esse, cæteris integritate uitæ longius antecedere, quin ab infamiæ nota prorsus alienos agere uolebat. Interim eos quoq; non oscitanter in oculis ferebat, qui studijs addicti, gymnasium recens ornabant eruditionis gloria: quibus omnino quod honeste petebant, abnegabat nihil. Eo pacto multos allexit ad præclara tam sacræ literaturę quàm Philosophiæ studia, concionatores uerbi diuini diuite stipendio parochis adiunxit, oppidatim ferè uiros eloquentia doctrinaq; præstantes eligens. Nam sine consensu principis assumere clerum non licebat, oderat enim canepeius & anguí uinolentos, pcussores, blasphemos, scortatores, quos occasione capta suis præbendis priuauit, aut è ducatu pepulit, mercari sacerdotia nullo modo passus est, & ob id Curtisanos illos qui Papisticis instructi diplomatis uenabantur sacerdotia, procul è suo ducatu depulit, item doctores istos bullatos nauci faciebat. Omnia ad tranquilliorem uitæ statum compositurus, æuo si longiore fuisset, ac nisi Deo opt. max. aliter uisum fuisset. Sed ad rem.

Sueuici fœderis exercitus iam Tubingę proximus, in Amerana ualle septentrionem uersus ad cliuum Caseobachi castra locabat. Tubingenses audito hostium aduentu, dudum conuenerant armati, suã quisq; stationẽ tueri, locumq; sibi demandatum defendere properabant, hi fulgẽtibus armis ad militiæ signũ constiterant in foro, hi turreis, hi propugnacula, hi portas adseruabant. Interea qui præsidij loco fuerant in arce cõspecto procul hoste colubrinis illis æreis & falconibus in agmen hostile grassantur, atq; adeò dum gregarius miles infodere casulas, pro loco certare, cõportare stipulas certatim properatis discurrit incautè, lætali plumbo sternitur ictus uelut infesto fulmine. Ad oppugnandũ & urbem & arcem fœderati Bombardas instruũt, horrisonis ictibus, altas undiq; turreis & muri propugnacula euertere conati, nec oppidi murus, nec arcis mœnia nisi diuisis utrinq; copijs faciliter expugnari queunt, ob eius oppidi situm. Quapropter uni mœniorũ parti tantũmodo hostis incumbit, Tubinga namq; uetustate cõmendabilis unà cum arce quæ tum uetus erat, imposita dorso montis, utrinq; uallem scindit amœnam, ab altero latere Neccharum muros alluentem à meridie, ab altera parte Ameram fluuiolum à septentrione habet utranq; uallem uitiferis undiq; cliuis excultam longè lateq; distendit. horti præterea pomis abundantes, fonticuli undequaq; scaturientes, uiridantia prata, iuga uenustate nemorũ latè florentia, magna cum uoluptate conspiciuntur, arx edita muros urbis cõplexa captu difficilis est, oppidum deuexis in planiciem cliuis, ad uallis Ameranæ latus uicos planos diducit, reliqua uerò pars, quæ ad Nicrum uergit, cliuosis uerrucis, ascensu tamen facilibus assurgit, ad ortum uerò solis in Austrici montis effossum (quod autumo) præcipitium à tergo uersus occasum ad Germanicum milliarium amœni nemoris dorsum complectitur, sed ubiq; multo fœcundarum uitium cultu, atq; adeò pomariorum fertilium prouentu, mons utrinq; uenustus, in feracem frumenti campum desinit. Vtranq; uallem separans & Necharinam & Ameranam, necq; quisquam in altera stans in alterã

conspicit,

conſpicit,ita conſpectum alterutrius adimit,eius oppidi ſitus & montis editũ culmen. Qui uerſantur in arce,lædi non facilè poſſunt ab oppidanis,ipſos autẽ leui brachio lædere poſſunt. Ciui ſpes omnis in arce poſita,quòd ea turribus arduis,& muris in ædito loco uaſtis adprimè tuta uidebatur ab hoſtili rabie, nec interim feriati ciues,ſuas agere excubias,ſuas defendere uices, aperta nonnunquã porta foras erumpere,hoſtes palantes opprimere. Et ad caſtra quoq; propius accedere,ad ſingulare certamen prouocantes audaciſsimũ quenq;,quare ſæpius accidit,ut onuſti ſpoliis in oppidum ſe reciperent. Erant in exercitu Fœderatorum Stratiotæ ære merentes à Boſphoro, quos Thrácio Rhætos olim fuiſſe dictitant,his congreſsi quidam Tubingorũ, pauci in fugam multos uertunt,licet ex inſidijs erumperent Stratiotę,in eo campo qui nuncupatur ab boſtium quondã uerſione *Vuenfeldt*,pugna facta eſt. Stratiotæ uelitari prælio,nunc aſſultu feroci,nunc aufugio uitabundo ludunt inſtantes. Verùm Tubingani dextris magis confiſi quàm pernicibus equis (quibus utuntur hi Stratiotæ) ſtrenuè pugnantes eorum incurſum fortiter ferunt: Terga dantes inſequũtur, nobilem quendam pugnantem in manibus ex equo,cuſpidè fixum,uiuum capiunt,intra muros eum ducentes, qui paucis poſt diebus in oppido deceſsit è uita,quem honorificè ſepelierunt, Comitem rati. Nullas interea ferias agebat hoſtis,in arcem ſtrenuè bombardę ſæuiunt. Turris ad latus arcis extructa,quadrato lapide,rotunda tamen. Ex qua prędidio locati fœderatis ingentem faciebant cladem, fama fuit in ea arce principem fuiſſe cum filio principe Chriſtophoro,tum quadrimo,tam conſtanti pectore fiſus loco, quòd uix adduci potuerit ut abſcederet,ſęq; reciperet in tutum,ruẽtibus etiam muris. Tandem per iuga montis eius cui arx incumbit noctu paucis comitantibus per auia ſyluarum deceſsiſſe ferebatur,obſidione dies aliquot nõ ſine magno uicinorum diſpendio perdurante,milites interim uicinos prędantur agros, quare ne diutius in exitium uicinorum traheretur obſidio, Tubingenſes oppidum tradebant Sueuico fœderi,itidem faciebant in arce milites. Dum uerò Tubinga obſidetur,miſsi ſunt qui caperent Vrachiũ ad editiores huius regionis montes (quos incolæ uocant alpes) ſatis egregiè munitum,unà cum arce ſublimi in deditionem ſuſceperũt. Dux Bauariæ Gulielmus dedita Tubinga,ſignum dari, iuſsit, caſtra mouebat,Herrenbergam uerſus habebat iter per Ameranã uallem graditur numeroſo miles agmine, quem Dux Bauariæ præmiſſo equite,ne rapinis indulgeat in officio continet, Annexis utroque in latere turmis, ipſe cum delecta equitum manu ſequebatur, ut ab iniuria prædonum pagos in ea regiuncula diuites uindicare queat. Nec eo modo ſatis inhibere militis auaritiam potuit, cui ſi nihil obuium eſt facilè manus abſtinere licet. Germanicum milliare diſtant hæc oppida duo, mons à Tubinga porrectus uinetis undiq; conſitus Herrenbergæ mœnia perpetuò iugo contingit iter amœnum, (Herrenbergam petenti Tubingis egreſſo) rus eximiè cultum,frumenti ferax, cliui multifariam pomis conſiti,mons ad latus dextrum uitibus excultus ſupra montis iugum nemora,feris oppleta,ſiniſtro latere fluuiolus Amera labitur, ibi telluris optimè cultura & uiridi pratorum amœnitate delectabile ſolum, uici ſpectabiles ædificijs, utrinq; iacent, uentum eſt ad Hernbergæ muros,ubi in planiciem campus ubiq; fertilis effunditur frugum quàm uitium ferax. Hernberga montem (quo de ſuperius) occupat,non eius iugum ſed latus amplexa, muros à cliuo deducens in planum, quo in loco tellus humida iuncis & uluis obſita,paludis inſtar multis arundinibus obducta,proximè ſtagnum manu factum (de quo fluuiolus Amera Tubingam uerſus labens effunditur) hoſtilem ſi non prohibet acceſſum,moratur tamen,ubiq; foſſę,ubiq; pomeria. Stabant in armis oppidani muros, turreis, & imprimis arcem loco

Tubingenſium fortitudo.

situq; quàm uidetur oppidum firmiorem munierant, ad hostis aduentum sollíciti, nec non ad pugnandum parati, muros obequitãtes, æreo falcone raptos orco tradebant, oppidum non magnum quidem sed cultu ædificiorum (quorum ferè lignea materies per uniuersum ducatum) populiq; humanitate, satis elegans & frequens, templum lapide per omnia quadrato & polite cæso, mirifico (quantum est) opere concameratum. Cui dux Ebrardus Barbatus Canonicos Caputiatos, quos uocant præfecerat, quibus ad latus ædis magnificam profectò regiam quo diuinis assisterent cum reditu censuq; diuite construxerat.

Herrenberga dedita, Fœderati Studgardiam uersus exercitum ducunt, per amœnissima passim loca facientes iter. Campus ubiq; frugũ feracissimus, nemorum uernantium cliuis amœnus, uici cultorum frequentes, pecorũ fœcunditate, cultu magni & diuitijs spectati oppidis haud absimilem iactantes structuram. Mirari quis possit rusticos tanto sumptu moliri ædificia, ubi nec uallũ, nec murus ullus hostilẽ rabiẽ possit arcere, quin unius prædonis insidiæ subiecto procul igni pinus in morem perdí queant. Sed si gentis animosam spectaueris in uicinos fidem, ferrea mœnia plus posse quàm saxea liquidò deprehendes, ibi miles ægrè abstinuit manus tam diuites uicos, tam pinguia rura peruagatus. Verùm quod gregario militi capitale fuit, id crassi centuriones (ne quid in bello sit impollutum) sæpius exequuntur, obuia rapientes pecora, greges pecorum ac ouium prædari, non puditum est. Eam uafriciem ueterani milites edocti, si qua dabatur occasio rapto sese ditabant.

Rapinæ milites indulgẽt.

Iam Beblingam petebant Fœderati, ac in planicie quæ uasta prope Schonbuocham extenditur, in suo quisq; sago pernoctabant, curribus uice uallí circumductis, ne fors inter oscitantes opprimerentur. Excubias ad syluæ latus equitum turma, peditumq; signo uno aut altero constituũt, orto sole Bebelingi cum Sindelfingis se Fœderatis dedunt, oppidulũ Beblinga cliuo hæret, stagna mœnia tutantur, qua parte tendit in planum syluæ Schonbuochæ proxima, rus nigri coloris, à Sindelfinga limite dirimitur, ibi tellus pinguí gleba Brassicam mira magnitudine, miraq; suauitate parit. Hoc in tractu colendis agris plurimum uacant incolæ. Occurrit inde regio quæ Vuldra uocatur, subaspera syluis Schonbuochæ contermina, uini non ferax, equas generosas alit, & eisdẽ in opere rustico utuntur agricolæ. Rustica passim prædia, uillas, & egregiè cultos urbium similes uicos miles incursibus infestat & rapinis indulget, donec Studgardiam ueniunt, tellus ubi tam cultura quàm gleba fertilior, urbs Studgardia mediocri magnitudine cæteris tamẽ omnibus antecedit, ædificijs egregiè culta, uicis silice stratis, fontibus & puteis abundãs, muro, uallo, fossaq; munita, campestri loco sita, proximè uineti colles habet ac in montes Bacchò longè lateq; florentes limitem diducit: Agros farre consitos aut paucos aut nullos habet, quos ego uiderim, labore manuq; sua ponere uites, pyros inserere, prata colere, pecori studere plebi licet. Inde mœchanicis artibus enutrire se, mercatui uacare, magna pars assueuit, qui uerò diuitijs aut genere pollent aulę principis addicti sunt. Est autem Metropolis totius ducatus, & principi sedes ex attauis. Absente uerò Huldricho principe quid spei caperent, aut quid auxilij sperarẽt dubij ciues dedunt se fœderatis ne serò saperent more Phrygum. Hac adepta ueluti freno cellas uinarias irrumpit indignè ferens quod Studgardiani non restitissent, ut longius euagari, latiusq; spoliare colonos licuisset, quare uini cados etiam dedito pago suaptè ui uel epotant uel effundunt, ac oppressi uino strati per campos iacent, à fœminis ad internitionem trucidandi, nisi fortuna prorsus auersa nostris fuisset.

Studgardia deditur.

Interea

Interea per fœciales Cantaropolim oppidum ad Nicri littus à Studgardia nõ longè distans, uicini limites utrumq; dirimunt agrum, fertilitate uitium, uiridi- tate pratorum, commodus ager, iucundissima deambulatio Studgardianis ad id oppidi, quod seorsum præfecturam suam habet uicatim suos ad militiam sa tis idoneos colonos. Sed in eum fortuna locum redierat, ut more Studgardia- norum sese dederent. Inde festinant Vuaiblingam uersus, obiter Vuirtember- gam arcem citra piluerem capiunt. Est in ea regione rus fertile, uini frumẽtiq; ferax, syluis & pratis amœnum, uici cultorum frequẽtia, tum ædificiorũ quoq; cultu spectabiles, per quos euagatus miles, haud abstinebat omnino manum, licet horrendis pœnis, atq; adeò capitali supplicio cautum fuerit, ne quis agros populari uel igni uel ferro præsumat. Sed interim cõpilare scrinia, pecus abdu- cere: Quin omnẽ penu perfringere, cellas oppugnare, uini dolia penitùs ex- haurire, uel effundere uina, plurimis pro delectamento fuit, præsertim polypis istis, quibus incustodita rapere uel sine bello placitum fuit. Stipendia mili- uebantur manu larga, commeatum conuehunt undiq; cum ingenti copia de- diti, non desunt equis pabula. Sed complures depascebant sata, trumenta qua possunt arte rapiunt. *Cannostadium deditur.*

Fœderati Vuaiblingæ fines ingressi, Vuaiblingos in deditionem suscipiunt. Est id oppidum non ita magnum sed amœnitate ruris opimi, mœniorum, tur- rium q; robore ædium platearumq; uenustate, splendidum: Ciuium fortitudi- ne non aspernabile, si præsidio munitum fuisset, aut auxilij spe suffultum. Prin ceps auxilio destitutus, adeò fuit rerum dubius, ut quàm maximè, alios cõscri- bere milites uetabat spacium temporis, in hostem tantopere munitum pugna- re prohibebat ratio, quare cum pauciss imis in rutum recessit cum hostibus in- terim de pace componenda sedulus agebat, sed incassum cedebant incepta. Dedita Vuaiblinga per uallem uitiferam Remsanam ruris, amœnissimam, Schorndorphum petunt. Schorndorphenses animo prorsus infracto conati sunt resistere Fœderatis, portis occlusis ad propugnacula consistentes, hostes haud comiter accipiunt, Fœderati dispositis ilicò Bombardis dirumpere mu- ros, expugnare oppidum totis neruis adoriũtur, ad eum modum dies aliquot, ultro citroq; conflictati, deditur oppidum, quo facto præsidio protinus impo- sito discedunt Fœderati. Nulli dubium quin diu resistere potuissent Schorn- dorphenses, ea est ciuium fortitudo. Est autem oppidum uiris belli peritis & intrepidis offertum mediocriter opulentum, aruo pingui, u tiferis undique cli- uis, syluarum uicinitate cinctum: Rems exiguus uerùm piscosus amnis, uiren- tia prata, secat, infernè fœcundum rus, mediis in collibus optima uitis, supernè fageta quercetaq; pulchra robore graciliq; fœtura florent. Horti præterea cau libus & pomis uberrimi cultissimiq;, sunt in ea ualle uici frequentes & popu- losi, sumptuosis ædibus exculti, rara domus est, quæ uili stipula, quales ruri ui- demus, sed ubique tegulis & lateribus intecta uisitur, & id ferè per uniuersam Vuirtembergiam quanta sit Colonis alacritas ad pugnam pauper Conradus documento fuit. Hinc Fœderati discedunt Vinidaum paruum quidem oppi- dulum, sed fortitudine ciuium, præterea benignitate soli, nemorum commodi- tate Schorndorpho non absimile, excepto quod uites paucas habet, ei magni- tudine quoq; dispar, eo dedito, Bacanauuia huic uicinum poscitur à Fœdera- tis oppidulum, terræ fœcunditate fœlix, Ciuis ad patriam defendendam satis superq; strenuus, hosti se permittit. *Vuaiblinga deditur.* *Vinidaum deditum.* *Bacanau in- rat fœdera- tis.*

Eodem se pacto Bacanaugia gessit circũ quam pingui gleba rus, nõ sine fœ- nore colitur, quod rarò fallit Agricolã nec soli uitio, sed iniuria cœli præpeditũ uoti fallax erit, in ea regione, quę Nicro uicina, pugnax ubiq; populus. Sed for tuna fracti magis quã animo, Fœderatis accedunt, unà cum finitimis oppidu- lis, Binica,

lis, Binica, Beſsica, Bietica, Laupha, Magmilia, quorum regio frumenti ferax, uitibus optimis ubiq; cõſita, fluuijs & ſtagnis, ſyluis & nemoribus amœna, uicos feroci cultore, crebros & magnos habet, arces loci natura, pariter & humana induſtria munitæ, non adeò faciles expugnatu. Poſthæc Vahingã premunt obſidione, oppidũ elegans & diues quod incumbit cliuo, ſolum circa pingue, farris abundãs, prata uiridia per quæ fertur amnis & amœnus & lenis piſcibus abundans, ſyluæ raræ, uitiferi colles, oppidum uallo, muroq; munitũ, & adprimè turritum, arcem habet cuius præſidio fidunt oppidani, quoniam ciuilitate uitæ, & armorum præſtantia, cæteris anteſtare uiderentur, abſq; ducis auxilio, quid inceptarent incerti, dedunt ſe fœderatis. Interea miſsi qui Mulbrunnam cenſu redditucq; monaſterium diues, ad deditionem compellerent. Quamuis expugnatu non facilis, ab omni parte muris munita domus hæc eſſet, Abbas ne produceret fruſtra belli nepharios conatus fœderatorum fidei ſe permiſit. In eo loco, pingui campus ariſta colitur, & nemorum ſaltus, in multa iugera diſtenti cœnobium claudunt, illic pomorum prouentus uberrimus, uitium cultura fœlix fluuijs irriguis ubiq;, & fontium ſcaturigine fœcundus ager paſcua lata, herbidaq; producit, pecorum pollens multitudine: Fœderati Mulbrunna ſubacta, ad Haymſen oppidulum, pinguí ſolo ſitum traducũt exercitum, dein-

Kalu uetus oppidum.

de Kalu uerſus contendunt. Quæ uetus eſt urbs non magna, ſed antiquitate memorabilis, in fumoſa ualle iacet muris, ad priſtinum modum, conſtructis ad eius terræ harenæq; ſpeciem, rubeſcenti ſaxo turreis eductas habet, olim Comitum ſedes, Nagolti flumen præterit muros cuius ductu molæ ſuſpenſiles aguntur, quæ creſcente uel decreſcente fluuio demitti, uel eleuari ſolent: urbis mœnia partim cliuo, partim plano cingunt ædificia, nec ſumptuoſa nimis nec ſordida, ſed pro ciuium oppulentia, pulchrè conſtructa, plateas ſilice ſtratas (ut in toto plerunq; ducatu) ornant. Montuoſa regio hæc, nec uini ferax, ſed frumenti non inops. Calui montes circum gramen ad ouium paſcua producunt, falce demeti non ſolent: in ualle uerò uiridia herboſaq; prata pecori pabula præſtãt, in eo oppido ciuis humanus, & prouidus, bellandi non ignarus, qui pro duce, pro patria, fundere ſanguinem non detrectaſſet, ſi licuiſſet id fieri ducis auſpi-

Hirſaugia cœnobium.

tio tradebat ſe fœderatis. Non procul ab hoc oppido Hirſaugia Monachorum, diues cœnobium in uiridi ualle ſitum, proximè ad introitum ſyluæ nigræ, colliculo rubræ telluris hæret, hinc Hercynij ſaltus, hinc herboſæ ualles, per quæ leni meatu Nagolti riuus errãdo, ripam dextra leuaq; ſubrodit, amnis amœnus, ceruleo colore, modica feruidus admurmurat ſpuma, lympidus, & piſcoſis undequaq; lacunis ſtagnare ſolitus. Eſt illic ſacellum, ubi diui Aurelij corpus aſſeruari creditur. Hoc monaſterio capto per Hercyniæ iuga cum partim militũ proceditur Thermas feras uulgò *Vuilbad*: Breuia mœniola, Cauponas & meritorias tabernas cingũt potiſsimum, ſunt artifices in Suburbio, qui fabriles operas tornatiles, utpote lances & calices, item picta uariè toreumata, uendunt hoſpitibus ad ſalubres illuc Balneas itantibus. Sunt enim hic aquæ ſalubres, morbis omnifariam grauibus ſanandis idoneæ, quæ longè lateq; multi nominis maioris efficaciæ cognitæ quæruntur à peregrinis etiam, quas ex inopinato, caſuq; miro perhibẽt, à uenatoribus apros inueſtigantibus inuentas. Eſt enim uallis anguſta, profundaq;, ubi nunc Balneæ inter altiſsimos nigricantes Hercyniæ, piniferosq; uertices, ſed amœnulis hodie pratis fonticulis irriguis excultа, ubi quondam paluſtri iunco tellus obducta, calorificas edebat paludes, huc fortè fortuna uenatores ferarũ ueſtigia ſectantur, primũ loca ſuffumare deprehendũt, ac niuẽ colliqueſcere uidẽt. Deinde propius accedẽtes horridos apros utrinq; uulnificos illic ſeſe uolutare, altero die clauſos indagine ferociſsimos q; ſq; uenabulo figũt, iũcto q; moloſſorũ grege, uenatui fœliciter indulgẽt, aqua

deinde

deinde tentata, quare fumaret hyemali tempore calidam experiuntur. Postea morbos quoq; sanare pro comperto habent, eo pacto repertæ sunt multis hominibus accommodæ Balneæ.

Thermis itaq; subiectis Hercyniæ uastos ibi montes conscendunt Herenalbæ bum cœnobium protinus inuadunt, & in deditionem sine puluere cõpellunt, eo quidem facilius, quo minus existunt habiles ad arma monasticæ uitæ dedi- ti, iacet hoc cœnobium inter altissimos & abietum nigricanti prorsus horrore montes. At ita fœliciter excultum, ita iucundum, ut ex horrido ferarum specu, timendo bestiarum latibulo, quin è tesquis, amœna religiosorum domus, delectabilis hominum sedes adpareat, uallis arcta, sed aprica domum penitùs occu lit, ut ab accedente non prius uideri quàm ad limen eius est uentum uelit, uiridantia prata riuulus exiguus ille, sed optimis abundans piscib. intersecat, hunc animi causa piscantes intercludũt aliquando monachi, & auratas delicatiores copiosè quantumq; libet, excipiunt. Salubres è fonticulis undiq; foris & intus in monasterio extructis aquæ scaturiunt, adeò gelidæ, ut æstiuo tempore denpulente conditum, nostra ætate incendio cõflagrauit. Comes ab Eberstein cœ nobium primus & fundauit & instituit, illic in medio templi, sculptura sepulchri non illepida sepultus. Interim dum ea per Hercyniæ saltus geruntur, pars militum Vuildbergam sub iuga mittunt, & quidem facili brachio, est enim ciuitatula non adeò difficilis expugnatu, clauditur inter montes omnino lapido sos asperos q;, nec herbis nec dumis nisi ad ouium pabula uestitos, oppidũ uetus cliuo dispersas ædes habet, & fullonum tuguria, rari colunt arua, lanificij textura uictum quærunt, populus humanus, terra uinum non fert. Nagolt flumen exiguum sed piscosum penè circumdat oppiduli muros, & in orbem uelti sua sponte ciui tutamento uolet esse, nunc rapido cursu, nunc leniore (stagni in ritum) flexu, tacitus ad mœnia se uoluit. Ager arenosus, rubri coloris at frugum ferax, pomo fertilis, uites non gignit, aer alioqui lenis, & ad sanitatem cõmodus, arx antiqua rubicundo lapide quo muri quoq; constructa ueteri more turres habet, rotundas alibi, quadratas alibi, quas olim Vandalos extruxisse, diuq; habuisse putant, murus longo ductus ambitu. Satis indicat amplam fuisse ciuitatem nunc raræ domus hortis interpositis habitantur, extant hodie plateæ silice stratæ longiores quàm pro ædificiorum multitudine. Suburbium uerò collapsum uidetur, id fuisse magnum, fuit inditio longa platea silice strata, à superiori porta uersus Nagoltum. Vuildbergis in fidem acceptis, ad oppidum Nagoltum fœderati mittunt ad eundem modum suscipiẽdum, quòd ea regio Hercynijs finitima saltibus, à Thermis ad Neuenstadium, deinde ad Kalu. ab oppido Kalu mox ad Vuildbergam. deinde ad Nagoltum, postea uerò Dornstadium, Schiltachium, Hornbergam longè lateq; sursum uersus oppida nigræ syluæ cõtermina sunt. Singula suos præfectos, suos item uicos quibus præsunt, habet. Ager extra uites fœcundus, pecoris alendi studiosa gens, aspera cultu, belli non ignara. Quid? quod uix est decimus quisq;, qui nõ exotica stipendia fecerit. Dornstadium exiguo ciuitatula pomerio colle sedet, agros cõpascuos habet immensos, lanigerum pecus alit, quin colendis bobus uacat, quibus etiã plerunq; terra colit. Eo modo Schiltachium agricolatione pecorumq; cultura uictum quærit: nostra tempestate prorsus exustum, fato quodum nimis infœli ci, pariter ac infando scelere pessimæ cuiusdã mulieris, si modo mulier dici meretur, in tam cœlesto crimine deprehensa. Quæ res pro cõperto sic acta ferebatur: Erat in eo oppidulo mulier ex malis una, quæ ueneficæ dicuntur, credita, quæ habere cum dæmone commertium. quæ de suo oppidulo Oberodorpho Schiltachiũ uenit, cupiẽs ut opinor, horrẽdo liberari mõstro. Sed amasius ille

cœnobium.

Vuildbergæ subditur fœderatis.

Schultach exustum.

non

non ſegnis eam ſequitur, hæc infandum negando nefas ab horrifico monſtro forſitan abhorrebat, alium nacta amatorem inter homines unum. Quam iniuriam dum cupit ulciſci dæmon ollam igni flagrantem domui quam habitauit mulier, iniecit, & ſuper fœnum ſtramenq; collocando, etiam interdiu minitabundus oppidum totum combuſsit. Ea uerò ſaga mox in uincula conjcitur, & rem omnem uti facta fuit ordine confeſſa, uiua comburitur. Ea quis non illinere chartis cuperet, quæ multis incredibilia, niſi qui ea pro uero audiſſent, ab his qui ueneficam pyræ impoſitam uiderint, & oppidum in cineres uerſum deplorarint. Id ciuibus aſſerentibus, à dæmone ſuccenſum non potuiſſe domari donec Vulcanum deficeret materia. Sed ad rem.

Vilingi Hornbergam nomine Fœderatorũ in deditionem accipiebant. Adſunt & Rottuilani, ſed Vilingis præuenientibus cedunt, Hornbergã obſeſſuri.

Tutlinga. Non ita multo pòſt Rottuilenſes Tutlingam cingunt obſidione, poſcentes & arcem, & oppidulum in deditionem, Fœderatorum nomine. Verùm Tutlingani repugnantes bellum ducere dedita opera uidebantur. Non uiſum fuit Rottuilenſibus in alieno negotio ſudare, relicto protinus oppido rediere domum, Tutlingenſis præfecturæ uicos in deditionẽ accipiunt, quos poſtea Sueuico fœderi, ſicuti fecere Villingenſes, reſtituerunt. His actis pars exercitus Balingam, & Ebingam cepere: pars Lenbergam oppidũ elegans, non uaſto muri ambitu, ſed in amœno ſolo, ibi uici magni, diuites, ædificijs ornati colonis abundantes. Non eſt in tota Vuirtembergia ager fœcundior pecoris, & frumenti uiniq; feracior: nunc uineta nũc ſyluæ lubẽtes, nũc arata ſulcoq; culta tellus, nũc amnes, nũc prata uiridia, cultores ad arma prõpti, magnas olim res geſſere.

Grueninga. Quibus in fidem ſuſceptis ad Grueningam mouetur hoſtilis exercitus, urbs uetuſtate præſtabilis, maiore quondam pomerio latiores muros, & ampliora uallã dicitur extendiſſe, ea potiſsimum parte, ubi diui Ioannis ædes hodie conſpicitur. Deinde Asbergã uerſus & rurſus ad uallem, per quam labitur amniculus ad meridiem, ſed hoſtili manu capta cultoribus bello profligatis deſerta, & ædificijs collapſis euerſa in hanc formã, quę nunc uiſitur redacta, putatur urbs. campeſtri loco ſita, multum negotij Fœderatis faceſſere potuiſſet. Ciuis ibi bello ſatis idoneus, & arui cultura feliciter opulentus, in hoſtem ſtrenuè pugnaſſet. At in eo loco Vuirtembergorum res erat, ut obtendere manus præter complurium fortitudinem coacti ſint. Hac igitur ſubiecta, hinc ad arcem Asbergã Fœderati pergunt, arcis cuſtodes ſitu munitioneq; freti, uiſos hoſtes haud amicè ſalutabant è ſublimi. Plana longè lateq; terra, frugum uitiumq; feraciſsima, circùm colitur, in qua planicie collis arcis extat editior, uite conſitus, turrigeris muris, latis item propugnaculis, denſiſsimis inſuper uallis, Asbergæ extructa. Mons rotundus, modica longitudine porrigitur, ſed nulli collium contiguus, campeſtrem locum ſolus occupat, nec è ſaxo crepidine ue ſurgit abruptus, ſed argilla cretaq; tendit in altum. Ad radicem montis uineta ab imo ad uerticem coluntur: ea pars ad Septentrionem ſaltuoſo nemuſculo tegitur ad ortum ſolis, ultra iactum teli Nicri flumen defluit, cuius alueus ripas efficit in rupes parumper editas: ſed quæ arci non abeſſe queant, lata in arce, tenditur area, in qua milites ingenti numero tum grandes bombardæ facilè conſiſtunt. Mea quidem memoria, atque ætate plus quam uiginti ædes erant in eodem loco ubi nunc propugnacula ſtare ſolent, ciues abſente Huldricho principe iuſſi loco cedere, ad radicem montis ædificare. Arx Asberga longo per gyrum proſpectu fruitur, à finitimis longè lateq; conſpecta, uelut in medio totius ditionis tutamentum, perfugium, præſidiumq;, iacet in oculis omnium duo uel ſæpe tria miliaria, quantum acies oculi caput prominet procul & oſcitanter. Ea regio fœcunda in qua iacet, coloni agriculturæ dant operam, & uineis

neis excolendis uacant, adeò ut raræ cõspiciantur syluæ, tum si quæ sunt dumo fruticum perpeditæ non altæ surgunt, uepres uruunt incolæ, uice lignorum, spineta sarmentaq; colligunt, adeò fertilis ager frugum, ut pedem latum non uideas quod non excultum, ut pascua non usq; adeò abundent. Præterea pecorum uis magna fœno partim, stipula partim pascitur demessis agris (arua cum pascua quando rara sunt) in stipulas agunt pecus, æstate Necchari fluminis ulua herbaq; fluuiatili pecus enutriunt in ipso fluuio, boues (ubi uadosus est) ue lut in agro pascuo pascuntur. Vici grandes & opulenti, feroci cultore. bellicoso q; non longè dissiti uisuntur. Arx Asberga Fœderatis militibus iniecit tra guam, quod molestissimè ferebant Imperatores. Fronsbergus in hoc totus erat, ut expugnaret arcem castris ad montis ima positis, ingenti mole machinas aereas admouit, diu noctuq; muros euertere conatus. Sed præsidio qui fuerãt è sublimi lædunt agmen, & obuium quemq; lætali plumbo correptum Achedum bellum, puteos habet suos, omni telorum genere munita, frumenti copia ronti mittũt, obfirmatis animum resistendi: nam nihil arci defuit ad producen prouisa, uinicq; numero satis abundans. Attamen eo loci redacti sunt milites, ut sese dederent fœderi Sueuico, non alia re coacti, quàm ciuium dissidio, fœminarum ululatu, liberorum fletu, qui protrahi deditionem querebantur in suum exitium, hostem populari proxima quæq;, pedamẽta uitium diripi crematiq;, se solos è Vuirtembergis restare, qui fatale bellum ferrent, aliis deditis. Quo audito, qui prẽfuerunt arci, quorũ primus erat Iohannes Leonhardus à Rischach hosti dedunt arcem, publica fide deducti in tuta, quando iurare nolebãt in uerba Sueuici fœderis. Hac subiecta præsidio passim tam arcibus quam oppidis impositio Fœderati, dimisso protinus exercitu discedunt.

Finis secundi Libri.

COMMENTARIVS DE VVIRTEMBERGIAE REBVS GESTIS, HVLDRICHO *Principe, Liber* III.

CONFECTO bello, Fœderati domum quisq; suam rediere, prẽsidio munitis & arcibus & oppidis. Dux uerò patria profugus, ad montem Pelegardi comitatum paucis eum comitantibus è nobilitate selectis & amicis abijt. Is est Comitatus in Burgundionibus, Arx & oppidulum sicuti ferunt, natura manuq; munita. Quem tamen illuc persequi Fœderati nolunt: partim (quod opinor) ob uiæ longè dispendiũ, partim ne bellum diu trahere uiderẽtur. Habebat etiã Dux arcem in Hegoico tractu nomine Duellum, uulgò *Duiel*, insigniter extructam, natura loci satis su- Arx D
perq; munitam, quę surgit in auras, instar oppiduli. Arx longè lateq; cõspicua, turribus arduis, muris altis, uelut inexpugnabilis: Quã arcem utpote munitiss. magno uini frumẽtiq; numero, multos in annos prouisam Dux retinuit. Præterea bombardas ingenti mole terribiles, & exitiales ibi faciendas curauit, sulphur & plumbũ carbones, molas manuarias atq; adeò quæ uentorũ raptu, uel equorũ asinorumq; uersatiles gyro extruxit. Insuper butyro, salsa carne, duratis in fumo piscibus, atq; aliis quàm plurimis prospexit huic arci, quæ pertinere uidentur ad diutinũ uictũ, aut ad diutinã hostiũ obsidionẽ, & id magno sumptu simul impositio militũ selectorũ præsidio. Verũ tñ ne hũc quidẽ fœderati locũ, uel adgredi, uel oppugnare decreuerunt. Dux perdius & pernox anxiè cogitabat, q̃ pacto regnũ patriũ posset recuperare. Quare sub autũni tẽpus fidissimos

aliquot

aliquot ex equestribus & alijs, qui secuti fuerant profugum, mittit in oppidulũ Haimsen, quod exiguum nullo custode extra ciues obseruatur, ipse cum paucis equitibus à tergo sequens, eos ingruente, iam nõ portas accedere iussit, oppidulum quoquo modo caperent ex insidijs. res ea non infœliciter ad manus successit, oppidulo in deditionem accepto, multo mane proximos quosque uicos in uerba Ducis Huldrichi iurare cogunt. Dux in futuræ militiæ speciem copiolas cõtrahit, utcunq; ruri collectas, & ad proxima quæq; capienda festinat, ac illos de quibus dixi satellites & equites præmittit, ut absq; mora pronos in deditionem susciperent. Mox fama uolitabat per uniuersum Vuirtembergiæ Ducatũ, Principem cum ingenti manu redire, patriam recuperandi gratia, proforibus, & in armis esse. Populus rei partim nouitate, partim ducis amore pellectus, in diuersum trahitur, abominati Fœderatos, nutare cœperunt, pleræq; urbes uinci malunt à Duce, quàm uincere Ducem. Qua re comperta, Dux, in festinatione magnam ratus occasionem capiundæ patriæ futurã, hortatur suos, incepta mutarent, se quam collegerit cum manu strenuè secuturũ. Nil cessatum est, magna pars ducatus accedit Principi: præsertim ea pars quę hercinijs finitima saltibus erat. Iam Studgardiam quoq; peruenit, nocte ingruente, non adeò multa manu stipatus ad urbis portas aderat, effractis cardinibus portas adperit, repulsis qui in statione fuerant Fœderatis. Nam Studgardia præsidio munita fuit, milites qui ex fœdere Sueuorũ præsidij loco relicti fuerant, odorati forsan insidias in tutum recedunt, excubijs (uti coacti sunt) neglectis. Dux Huldrichus introrumpit cum partim equitum peditumq;, iam forum plateasq; tenet. Ciues pars ad arma, pars in penetralia fugiunt, noctem non adeò quietam traducunt. Postera lux ut primum refulsit, iurabant Studgardiani suo Duci, relegantur autem Fœderati, iurantes ne uelint intra mensem contra ducem arma gerere. Studgardia rursus accepta iam copiæ Duci Huld. indies magis ac magis crescunt: iam duodecim uirorum millia contraxerat, spe ductus ingenti patrias urbes breui sub iugum uenturas. Verùm fallacis inuidia fortunę longe aliter sensit. Ducem non satis exercitatum periculis maioribus obijcit: Nam nobiles quidam qui dudum in principem coniurauerant, haud impigri Duci resistunt, ne denuò cogantur exulare. Nam pulso principe domum nuperrimè redeunt, extorres antea. Hi comperto quod Dux occupasset urbes Vuirtembergenſ. quasdam ocius ipsi præsidio muniunt, Vrachium, Gæppingam. Tubingenses quoq; iurare duci grauantur. Ita fit, ut Vuirtembergensis ducatus ciuilibus bellis implicitus in sese uerteret arma. Esslingi quoq; cõtra Ducem ex professo parant arma, siue odio inueterato, siue timore permoti. Quo uiso Dux impiger Esslingos obsidione premit. Est autem Esslinga non accessu facilis, intra uallis angustias clausa, Nicri fluuium proximè ad murum habet, aliàs montibus amœnis & uitiferis intercluſa. qua uerò parte patuisset hostibus accessus, inexpugnabile uallum: partim loci natura, partim industria humana constructum ciuis opponit obsessoribus. Dux uerò nõ diu illic moratur, cum interim oppida sua sciret intercepta à coniuratis, mutato consilio, castra posuit ad Vrachium, quod cum Gæppinga cõiurati præsidio muniuerant. Verùm quàm primum Dux Esslingos obsidione liberauit, hi uelut effracto fœliciter ergastulo prorumpunt, in uicinos agros Vuirtembergenſ. impetum faciunt, urunt, occidunt, populantur, rapinis & prædis intenti. Gæppingenses coniuratorum ductu nihilo segnius in proxima rura ferociter excurrunt, urere, prædari, perdere uicinos, atq; adeò ditionis eiusdem ante paulum cognatione & affinitate coniunctos, eunt pessum, frater in fratris exitium, pater in filium, socer in generum, filius in patrem tela gerebant, hoc solum discordes, quia uicini. Quæres exitio fuit utriſq;, Dux omnia ferro & incendio misceri cõspicatus, ab Vrachio

Studgardia noctu capta.

discedit

discedit Kurcham cum tota manu profectus. Kurchæ Georgium de Owen præfecit & equites quadraginta, pedites octingentos, ut agros ab incendio defenderent. Ipse cum reliqua multitudine Nellingę proximè ad Eslingos castra po- *Dux Nellingę castra po-*
fuit, intra mœnia continens Eslingos. Interim Gamundienses Imperij municipes, in Schorndorph impetum faciunt, etiam uicinos, ingentes eius præfectu- *suit.*
ræ uicos depopulati, omnia flammis & gladijs perdunt. Dux hæc omnia conspicatus uertatur in triuio, nec quò se uertat satis uidens. Schorndorphis præsidia mittit, milites ne sederent ocioſi, ne torperent, interdiu cum Eslin. conseruere manus. Alternis ad singulares pugnas excurrūt. Vtrinq; strenuè se gerentes intercepti multi. Cæsi complures. Vuirt. diutius in castris contineri ferebāt indignè, cupientes in hostem pugnare, ac eodem quo illi pacto prædari, uillas incendere, iniurias ultum ire, nihil in ocio gloriæ fore, si nihil aliud agendum quàm desidere in castris ocioſos, esse quod agerent domi. Nunc agri serendi forent, rogitant aut dimitti, aut in hostiles agros traduci. Non latebāt ea Ducem, quæ fiebant in castris, eaq; molestissimè ferebat. Amicis eum monētibus ne discederet ab armis, inter quos Burchardus à Stadion, & Philippus Longus à *Rechberg*, & alij subinde dicebat, quid uenabimur inuitis canibus? Accidit autē ex improuiso tumultus ita magnus rumore uano subortus, Eslingos agmine toto sese extra mœnia proripuisse, Vuirtembergos aliquot extra castra palantes, aut occidi, aut turpiter in fugam conuerti, quo audito, primitus unus & alter excurrunt, mox uniuersa multitudo raptis armis, sine Duce, sine ductore signa quoq; negligentes impetu quo possunt Eslingā uersus contendunt. Dux Huld. subita rei nouitate motus, unà cum totis equitum turmis, quorū ducentos aut amplius habebat, excurrentes sequit̄, signiferos lentius incedere, quemque sub sua signa redire, ordinem seruare mandat, timens ne fœdè fugerēt, aut miserè disiuncti trucidarentur. At ea ferocitas inuaserat animos Vuirtembergorum, ut neglecto quoq; Duce, multi nil nisi de hoste quærerēt, uno momento uincere, uel uinci, finem belli nō moram, cupientes. Perlustratis autem campis nemo fuit hostium quisquam in agris, oppidani insolito exterriti tumultu, muros occupant, in uicis armati stabant expectantes quid futurum esset.

Dux Huld. omnes Vuirt. in concionem uocat, ad quos ita loquitur: Quanta *Oratio ducis*
fide, quantaq; fortitudine, quātaq; deniq; prosperitate nostri maiores in hostem *ad suos.*
pugnauerint, indicat campus ille, in quo consistimus, ubi aui nostri, uel à patrū memoria, in bello Sueuorū ciuili sua epinicia statuerunt, sua trophea egerunt. Qui uictis hostibus tum gloriam, tum spolia ampla cum laude reportarūt: Nō dubito uirtutem nobis adesse, sed fortunam deesse, quam (si Deo uisum) feramus æquo animo. hostes ulciſci, quis non uellet, si mihi bellum cum Imperatore Rom. susceptum fuisset. Quanquā eo nomine patria sede pulsus in discrimine uersor unà uobiscum periculoso, Reutlingos enim nisi lacessitos, ne digito quidem attigissem. Eslingos egregios uicinos obsidione cingimus, quòd ultro bellū nobis inferunt, nulla re lacessiti, nec malum bene sopitum quiescere sinunt. Præterea non inexploratum nobis est insidiatores nostros manibus, & pedibus eniti, quo denuò nos à patrijs finibus expellāt, nec obfuturum diutius autumo, quin hostis immineat. Quod bellū trahi doletis, in mea manu hactenus non fuit, cui cum fugacibus illis prædonibus collatis depugnare signis optare licuit, ast optato potiri non concessum. Ne tamen uos inani spe ducere, ne sationem quę nunc instat impedire uidear, ad animi sententiam domum recedite, rus interim colite, donec hostiles aduentant exercitus. Tum meis accepti mandatis eueſtigiò quō uocant imperatores adeste, pro ueteri fortitudine, pugnas inire parati. Quod si fortuna melior, aut hora benignior aspirauerit, cuiuis pro merito quam possum gratiā referre nō pigebit. His actis in tentoria

recedunt Vuirtembergenſes, pars indignabundi quòd præclari nil effectũ ſit, nec ab humeris hoſtiles enſes excuſſerint, tam diu quum fuiſſent in armis: pars gaudebat infeſto belli periculo quocunq; pacto liberari, domum ſe recipiunt.

Fœderati redeunt armati.

Poſtquam uerò dimiſsis ſubditis Dux Huldrichus unà cum mercenario milite Studgardiam conceſſerat, extemplo coniuratorum ductu Fœderati milites quos Vrachĩ, Gæppingæ, Eſslingæ, Gamundiæ, per occultos calles & ſyluarum anfractus collegerant interim ſub ſigna cogunt Vlmenſes, Auguſtani, Nordlingenſes, Norinbergi, Francia rurſus equites, pedites q; coniunctis paulo pòſt copijs irrupturi in agrum Vuirtembergenſem non ignorantes Ducem ſuos relegaſſe domum. Dux audito quod hoſtes adeſſent, quàm poteſt celeriter ſuos euocat ex oppidis & agris, qui Studgardiæ magis uicini citius aderãt, utpote Schorndorphẽſes, Vuaiblingi, Grieningen, Vahingen, Leonbergenſes Hernbergi, Beblingi. Qui uerò longius aberant, Caluenſes, Vuildbergij, accolæ Nagolti & Hercyniæ ſyluę, Dornſtadiani, Schiltachĩ, Hornberg, pugnę uel non interfuerunt, uel ſerò uenerunt, priſtina caſtra Nellingæ repetunt, hoſtes expectantes. Qui Kurchæ præſidebãt Aubam oppidulum ad radicem Theck montis oppugnaturi cum duobus militum ſignis euolant. Nam Auba ciuitatula coniuratis adhærens, Duci iurare nolebat, erant in eo oppidulo plus octingenti præſidij loco impoſiti, ex alpe uicina, ruſtici militiæ rudes. quorũ aliquot è mœnibus erumpentes in Kurchanos impetũ faciunt, qui non humaniter accepti, fuga ſalutem quærunt, nonnullis in prima coitione cæſis. Cum uerò diutulè miles in oppugnatione Aubæ fruſtrà ſudaret, infecta re, diſceditur. Scalæ breuiores erant, quàm ut muri pinnas attingerent: Nullus Kurchanorum cecidit, præter eum, qui colubrinis illis æreis præfuit: cui tormentum calore nimio feruens, & alterum brachium fregit, ac paulo pòſt morti tradidit. è Kurchanis unus & alter uulnerati, cæteri fuerunt incolumes.

Fœderati rurſum contracto milite ueniunt Eſslingam, Vuirtembergi caſtris egreſsi, collem proximum occupant, equitatu ſuperiores erant Fœderati: præterea bombardis muniti magis, quid uerò cogitauerint, ne forſan ab hoſte circundari, collis ille poſſet & commeatu prohiberi, noctu Vuirtembergi tumulũ deſerunt, in planicie non à cliuo procul ad Turckhaim proximè compoſitis ordinibus adſtabant. Neccharus ab una parte, ſylua ab altera equites præcludere conantes, acie compoſita expectant hoſtem. Fœderati manè tumulum relictũ à Vuirtembergenſib. accipiunt. Vuirtembergenſes haud ſeges ærea tormenta à fœderatis negligenter obſeruata, cum impetu raptum ueniunt. Sed à Fœderatis repulſi, ſecedunt in proximam ſyluam, redeuntes ad agmen, quod in planicie ſtabat. Interea lux cœpit albeſcere, ſol oriens nudauit agmen utrunque. Fœderati conſpectos in acie Vuirtembergos tormentis æreis aſperè ſalutant, non ſine ſtrage ſæuiebant ictus. Collatis illicò ſigno decernunt, hi pro patria, illi pro imperio. Vuirtembergi ſtrenuè ſatis hoſti reſiſtunt. Poſtremò cedere coacti, pauci pluribus. In eo prælio ſignifer Vuayblingius adeò pugnauit impigrè, ut etiam hoſti fuerit admirationi, gladio, pugnis, calcibus inſultu uel ſtrauit, uel depulit obuios, donec tot acceptis uulneribus deficeret, iam demiſſus in genua, ore ſignum militare mordicus arripuit, ac lacerauit, uiuus capi noluit, aliquantum ſpirans adhuc Eſslingam plauſtro uectus eſt, Chirurgis traditus, ſed poſt aliquot dies oppetijt mortem. Victi Vuirtembergenſes cedunt, quocunque ferunt pedes. quos non malignè ſunt inſecuti uictores, hac unica pugna totum rurſus ducatum ceperunt. Dux paucis comitatus in tutum recedit, Fœderati uictores arcem Vuirtembergenſem ſubiectis flammis exurunt, quaſi nomen totius gentis extirpare conati, poſtea milites in oppida præſidij loco diuidunt, & ad propria recedunt.

Interea

Interea rex Hiſpanorum Carolus Auſtriaco Archiducum ſtemmate progna- *Cæſar Caro-*
tus, in aui ſui Max. recens uita defuncti, locum ſuccedit. Electus albo Principũ *lus V. eligi-*
electorum ſuffragio, Rom. Imperator huius nominis V. omine fauſto ſalutatur. *tur.*
Ad quem Dux oratores pro regno patrio, pro pace impetranda mittebat: at il
li re infecta redeunt. Carolus in re Lutherana componere litem fruſtra nitebatur: tandem imperij rebus quantum licuit in præſens ordinatis ad Hiſpanos
ſe recepit. Dux Huldricus in ditione ſua montis Pelegardi ſe continebat, expectans horam fati benigniorẽ, nec ocioſus ab animo, ſecum uoluit ac reuoluit,
quo pacto fines patrios adipiſci queat. Ad Heluetios ueluti iuſticię propugnatores aſsiduè legatos mittit, eorum conſilio ſimul ac auxilio cupiens regno reſtitui. Præterea Heſſorum principem ſanguine iunctum ſollicitat. Impetrauere
Ducis Huldrichi legati ab Heluetijs, ut die Baſileæ cõſtituta, Comes à ſeptem
caſtris, tum Vuirtembergię præſes nomine regis, & dux Huldrichus Baſileam
uenirent, audituri cauſſam utriuſq;. Dux coram Heluetijs oraſſe fertur oratione mirè compoſita, tanta facundia, tanta omnium admiratione penè duas horas, ut quàm plurimos in ſententiam ſuam duxerit. Præſes Vuirtembergenſiũ
nil habuit quod reſponderet, offerens ingentem pecuniam ſi uelit princeps de
iure ſuo cedere, ſede ſua montis Pelegardi contentus eſſe, ſortem contemplaretur, & æquo ferret animo. Verùm dux Huldrichus Comitem ridet, pecuniã
contemnit, ſe Deo fidere, qui bona dare nouerit, & adimere, ſe bonam cauſam
fouere, fortunam uolubilem eſſe, neq; nouercam fore ſemper, didiciſſe iam fere iugum quodcunq; ſors imponeret, ita diſceditur utrinq; rebus infectis.

Exactis itaq; non adeò pluribus annis, oritur in Hegoico primùm tractu ſeditio ruſticorum, quæ poſtea per totam Germaniam ueluti lues execranda ſerpens, ingens malum dedit. Hegoici primum ruſtici, deinde Stuelingenſes & Kleggoiani regulorum queſti aſperitatem quam diutius ferre nolentes mordere frenum ferociter incipiunt. Eſt autem hic tractus Heluetijs ad Rhenum
ſedentibus affinis, idcirco ruſtici ſperabant fore, ut Heluetij libertatis aſſertóres adminiculo recta uolentibus adeſſent. Aeſtate ſeditio cœpit agitari, ſed nõ
erupit, ineunte uerò hyeme, quum ſedent inter pocula Coloni ferocire contra
regulos, aliquanto uehementius auſi, uicinus uicinum, gens gentem, negotio
uicatim iungunt. Iam fontis Danubij accolæ, iam nigræ ſyluæ robuſti cultores
accedũt Hegoicorum turbæ, Sed quoniam ſyluana gens agreſtior, & indomita magis quando ſæuire cœperit, ad arma protinus animos adplicant, excute
re iugum nixi uel occumbere, circiter natalem Chriſti, Menſe Decembri penè
finito, qui Danubij fontem, qui Hercyniæ caput, qui Arbonæ rura colunt con
tra regulos ſuos armati prorumpunt, ex profeſſo, nobilitatem, uel domituri uel
excuſſuri. Dux Huldrichus interim patrias arces recuperare decreuit. Conſcri
bit Heluetiorum uiginti millia ſtipendio promiſſo magis quàm numerato. Ex
arce Duiela bombardas ingenti magnitudine trahẽs, ad bellum ſe parat. Hoc
audito Virtembergiæ præſes, Comes ab *Helfenſtein* & conſiliarij, mercenarios ra
ptim conſcriptos milites non ſupra quingentos tamen Tutlingam (oppidum in ripa Danubij) præſidij cauſa mittunt, equites præterea centum adiungunt. Comes à *Furſtenberg*, Comes à *Lupfen*, Hegoica nobilitas quibus equeſtris
gloriæ palma tribuitur, apud Sueuos equites ferè ducentos habebant, qui Tut
lingam ſe quoq; conferunt. Ruſtici magis ac magis fremunt, nobiles Villingã
cum partim peditum pergunt, quod Auſtriæ domus oppidum, non procul à
Danubij fonte iacet, elegans & in plano ſitum. Nobiles cum toto quem habe- *Ruſtici ad*
bant equitum numero, iuncto pedite, & Villingenſium ciuium cohorte, ruſti- *fontem Da-*
cos ad fontem Danubij fortiter adgreſsi uertunt in fugam. Et id ſoli facitabãt *nubij uertun*

equites, qũibus ea factio plurimum nocebat, exitio futurã nobilitati si rusticitas uicisset, hoc facto rursus Tutlingam se recipiunt, unum aut alterum capientes è factione rustica.

Sed quoniã fontis Danubij mentio facta, de fluminis hũius ortu pauca differere libitũ est, ne quis in re tam perspicua dubitet. Oritur enim Danubius in regiuncula Bâre, molliter ex Arbonæ cliuis apud uicum Donæsthingã, in Furstenbergensi dominio, largis aquarũ scatebris, sed oleo tranquillioribus in orbem latum ita sensim promanat, ut penè sine bullis etiam scatêre uideatur, diu cunctabundus, quasi longum pertæsus iter quod habiturus est, ita moratur & illustrem protinus ab incunabulis ortum grandis ostentat, inde paulatim suscepto alueo uersus auroram labitur, & quo longius ab origine discedit, eo ferocius agit procellas, donec in Euxinũ multis ostijs sexaginta nauigabilibus fluuijs auctus irrumpit. nõ est quod quis alium fontem suspicetur, ego non semel incolas huiusce regionis & fontis ipsius accolas (in Bâre uersatus olim) diligentius ob eam rem percontatus, idem respondere omnes audio: Non idiotę solũ, sed etiam uerè doctissimi idem affirmant, inter quos hoc tempore duo I. V. Doctores excellentissimi Germani fratres, quorum alter D. Matheus Neser, prideẽ Spyræ Cameræ imperialis assessor, alter D. Petrus Neser, Regiæ Maiestatis Cõsiliarius in Ensisheim, citerioris Austriæ. Prætereo D. Georgium Pictoriũ Medicinæ Doctorem, & alios quos enumerare non uacat, qui in eodem loco nati hunc quem dixi fontem constantissimè asserunt. licet enim in re præsenti quantũ ego uidi deprehendere, imõ liquidò uidere Prygen & Pregen diuersos à Danubio fluuios esse, obscuri nominis & ortus. Quando mons Arbona (de cuius radice leniter ebullire proditur à uetustissimis authoribus ille fons) cæteris in hac regione sublimior sit, & altiores fontes sursum uersum directos habere nequeat, adde quod Pryge & Prege nõ ex Arbona neq; in Bâre, sed ex longè dissitis & uarijs Hercyniæ uallibus collecti confluant in alueos suos, uterq; ab utroq; Danubij latere, ille sinistrorsum, hic dextrorsum, prorumpunt in Danubium. Prege syluanis aquis torrenti similis accrescit, Pryge de Kurnau, & altijs uallibus proruens, supra Villingæ mœnia nomen nõ habet, labentibus ita spatijs tot riuis Prüel dici audio, infra muros in alueum coeũt riui, tum Pryge uocatur, per exiguam labens uallem defertur in Danubium: Prygenæi uero montes in hac regione longè lateq; nulli sunt, quos incolæ sciãt. Dux Huldrichus interea collecto ex Heluetijs exercitũ festinabat in patriam. Ineunte iam uere quamuis pruinis adhuc rigerent arua Mœringa (ubi pontẽ Danubius habet) cum suis transit, distãt autem duo nimis exigua oppida Mœringa & Tutlinga (alterum in comitatu Furstenbergensi, alterum in ducatu Vuirtembergensi) ferè nihil, arua limes diuidit. Moringæ dux, Tutlingæ nobilitas se continet, & ex Vuirtembergis, qui dudum uenerãt, pedites nuper è Podmica lacu militũ quadringenti stipendiarij Vuirtembergis accesserant. Euocati non contra rusticos (ita persuasi fuerant) sed cõtra Vuirtembergensem Ducem. Qui Tutlingæ fuerant ex nobilitate duci Huldricho bellum indicũt ex professo per fœcialẽ, missis ex more literis. Dux puero fœciali Francicos, aliquot Coronatos donat, & hoc fieri potissimũ ab his quibus benefecerit olim, dicebat: Et hęc relata gratia nobis, inquit, postea, quis Tutlingę sit ad unguem numerat, ac puerũ domũ remittit, quo facto nobilitas cum equitatu se foras extra mœnia Tutlingæ proripuit. Dux Huldrichus oppido Tutlinga neglecto continuat iter in patriã mox Balingã obsedit. Erãt in factione rusticorũ Danubiani & Hercyniani, qui cõfecto militię signo properabãt ad Ducẽ sua sponte, suppetias laturi, uerum dum super Fœni montẽ, uulgò *Heuberg*, ad *Lauchen* incautius errãt, & incõsultè cessant,

Rusticorum quidam ad ducem desiciunt.

Nobiles

Nobiles quibus ea seditio haudquaquam neglectui fuit, milites de præsidijs Tutlingæ protinus educunt, quorum octingentos arbitror fuisse, cum ducentis equitibus, Hercynios illos rusticos inuadunt, & ad unum occidunt, paucis ex nobilitate amissis. Quæ res Duci & Heluetijs terrori fuit, nobiles re prospere succedente, milites Tubingã uersus ducunt, impedituri Ducis agmen, quantum liceret, Tubingenses qui de plebe sunt, occlusis portis, nec pedites nec equites accipere uolebãt. Aduentum Ducis Huldrichi summopere cupientes, à senatu denique persuasus populus exercitum nobilium uel inuitus admittit.

Dux capta Balinga copias suas ad Herrenbergam traducit, quòd oppidum Germanicum miliare distat à Tubinga. Nobiles ne sederent ociosi, suos in Ducales educũt aucto militum numero, tentant agmen Heluetiorum, uerùm Tubingenses non humaniter accepti ab Heluetijs fugæ similem sortiti reditũ, domum sese recipiunt. Nobilitas una cum Vuirtembergensi præside nunc Romanorum regem Ferdinandum, cui Vuirtembergensis ducatus à Sueuico fœdere dono iampridem datus erat. Nunc fœderatos Sueuos in auxilium uocãt, missis epistolis. Hi quod necessitas urgebat, milites conscribunt, quos tamen ægrè conquirunt, nemo uolens arma gestare contra Rusticam gentem, de qua se genitos aiebant rusticos, uenerant è Mediolano nudi milites, qui Gallorum regi meruerant, fuso rege, captoque uix euaserant, nam cum rege pluríma pars Germanorum militum capitur, qui protinus exuti uestibus & pecunijs nudi redeunt. Hi sua nomina militiæ fœderatorum dabant, non in rusticos uerum contra Ducem bellaturi. Dux Huldrichus ad Studgardiam usque processerat *Studgardiã* Suburbijs occupatis imminebat urbi, uerùm qui præsidio fuerãt intus Comes *Dux oppu-* ab *Helphenstein* cum delectis militibus in oppugnantes acerrimè pugnabãt. Hel- *gnat.* uetij contra non impigri, muri propugnaculis adeò instabant excipiẽtes plumbea glande caput exerentem. Quod iam nemo nisi duplo præmio ad tuenda mœnia cogi posset. Sed Studgardia pugnatu non facilis, turreis, propugnacula, uallum fossas & pomœria probè munita habet, quæ non sine sanguine queunt expugnari, præsertim si uigiles excubias adhibeas, Heluetij genialiter agebant in Suburbijs uini frumentique nihil egentes, Fœderati contractis copijs ausi iam Ducem aperto Marte lacessere, ad Heluetios mittunt ut ab oppugnatione Studgardiæ desistant, & è ducatu Vuirtembergensi secedant, ne cogantur fœdus à maioribus ictum seponere, & armis decernerè, impunè redeant in patriam dum liceat, neque pacem uiolare pergant. Heluetij uel nolente magistratu suo, uel conniuente uenerant auxilio Ducí. Quare protinus Heluetij discedunt unà cum principe Huldricho, maiore quàm uenerant festinatione, Rotuuilam Dux cum partim Heluetiorum uenerat, ibi fit inter Heluetios seditio, stipendia poscentes à Duce, qui stipendium soluere frustra, re scilicet infecta detrectabat. Rotunilenses audito, quòd in periculo Dux esset è Senatu quosdam mittunt, qui Ducem intra muros recipiant. Nam hospitabatur in *Rotenmunster* ad uestales, Dux Huldrichus tribunis militum, pecunialæ quiddam numerat, quod in uiros diuisum, litem diremit. Abeunt Heluetij suam quisque in patriam. Paulo pòst Dux ad Duielam se cõferens, opera & impensa frustratur & infecta re discedit. Fœderati quo pacto rusticos domarent repulso duce cogitantes ad Beblingam Vuirtembergiæ oppidum traducunt quicquid habebant militum. Nam rusticana colluuies eò cõfluxerat, ex omni Vuirtembergiæ ducatu non ut iuuarent Ducem, sed ut nobilitatem uel mitiorem redderẽt, uel extirparent, percepto, quòd Fœderati tam in propinquo essent, ex oppido Beblinga prouolant, acie properanter instructa, nec tamen imperitè, lacus à sinistra, nemus à dextra fuit, equites hoc animo uitantes, ne circumueniri possent. Sed equestres uiso Rusticorum agmine, nil morati pedites, irrumpunt in

ordinatas acies, Coloni primò strenuè resistunt, iam ualles armorum clangore Bombardarum tonitru, cadentum clamore procul insonuere. Verùm Coloni satis impigrè sed imperitè pugnantes ab equitatu scinduntur, accedunt pedites, rusticos loco statuq; deturbant, & in fugam uertunt. Ibi nulli parcitum, licet ad hanc factionem plures coacti, quàm sua sponte uenerant, obærati, glutones, commessatores, nihili uiri, primùm ludos hos incipiebant, & qui nolebant adsentire, palo ad ianuam fixo, illis interdicebant aqua & igni. Ita fiebat, ut bonos mali, numatos egeni cogebant (non secus ac in aquæ, uel flammæ periculo) proximum quisq; secum trahebat in perniciem, fugiebant autem incompositi, nec auidi cædis insecuti nobiles. Sylua fuit ad manum, qua se rusticorum plurimi, sub dumetis abscondebant, non sæuitum longius, fugatis illis in oppidum nobiles, & in castra recedunt, his actis triste nuntium nobilitati fuit allatum. Rustici qui iuxta Vveinsbergam Vuirtembergicę ditionis oppidum, conuenerant: aut proditione aut dolo, portas oppidi Vueinsbergæ patefecerant, nobiles aliquot illuc præsidio missos inter prandendum, opprimunt improuisos, nobiles ad unum omnes miserè occidunt, ut quenq; fugæ studio trepidantem comprehendunt, alios è turrium propugnaculis præcipitant, alios in hisce clausos, puluerulento sulphure, & igne lamentabiliter extinguunt, alios & ensibus & hastis iugulant. Comitem ab *Helfenstein* (quia clariore stemmate cæteros præcellebat) ad lentiores pœnas reseruant, uinculis onerant, & in propatulum trahunt, generosum Comitem probris incessunt, contumelijs afficiunt, & adhibito qui caneret saltationem Tibicine, compellunt ire per extentas ac ferratas hastas morti tradendum. Comes offerebat aurum, offerebat postremò caput ense recidendum, licet immeritò. Sed furioli Rustici, nobilissimum prisco stemmate, bellicq; gloria clarissimum Comitem in conspectu charæ coniugis & filioli, quem mater in ulnis gestabat, hastis confoderunt, nec satiati latrones impuri, puerum in matris sinu cuspidis ictu sauciant quidam, quem dilaniassent quoq; innocentem sanguinem, ni subductus ab oculis prædonũ, dictoq; citius asportatus fuisset, uulneris cicatricem Comes ille in pectore etiamdum gestat. Quo audito dolor ingens inuasit animos nobilium. aderãt enim, qui filios, qui fratres, qui cognatos illic habuerant: Itaq; raptis illicò signis, Vueinsbergam uersus diu noctuq; properatum fuit, ira dolorq; nobilium stimulabat in uindictam procliues animos, mox ubi uentum ad Vueinsbergæ muros cessatum nihil, introrumpere ui conati, reclusis portis admittuntur, Latrones sceleris infandi cõscientia fracti secesserant, in speculam non procul à Vueinsberga sitam, fœderati mulctatis qui facti participes erant nebulonibus, oppidum succendunt, muros solo tenus diripiunt, mox ad eam de qua dixi speculam festinant, expugnant, & interficiunt sine discrimine quemcunq; nacti, uel fugientem uel resistentem, nulli uitam, nulli ueniam largientes ita peribãt merito suo, qui tantum facinus, tam crudele nephas patrauerant. Tibicinem uerò qui Comiti perituro succinuerat ad lentum quidem sed horrẽdum, uel uisu uel auditu supplicium trahunt. Aridis enim lignis extruxere (in orbem tamen ingentem) pyram: in cuius medio plani quiddam extabat, ubi columna lignea grandis, & altius infossa quàm ut facilè comburi, uel erui queat, ad hanc maleficus æreis cathenis alligatus, eo modo, ut se loco mouere non posset, uerùm circumire, columna sequente quocunque fugeret cathena, ardente pyra flammas ille miser euitare cupiens, circum cursitat, eiulans, præter campestria nihil indutus, inualescente flamma, primo sudare deinde æstuare, humeros, pectus, scapulas, manus & pedes, assari putares fluente quodammodo unguine, bullas oriri & euanescere carbones si quando in miserum insiliunt: Heu qualis cruciatus, qualis singultus, ad postremum cutis in rugas alibi contrahitur ictu flammæ,

Nobiliũ interitus Vueinsbergæ.

Vueinsberga diripitur.

Nouum pœnæ genus.

tandem

tandem uiribus exhaustis, anhelus nunc in genua caput occulit, & calcitrãdo clamosus humo circumsultans, furibundo similis prosilit, postremò deficiens in faciem cadit extinctus dignum factis exitium nactus.

Fœderati nihilo segnius in Rusticorum colluuiem quocunq; uocarentur, exercitum uel inuitum trahunt, militem qui uolebat ab armis discedere, ne cõtra Rusticos rusticorum filij bellare uiderentur, equites ex insidijs excipiebant ac hostes figebant, hoc modo fluctuantes cõfirmabant, & in ordinem redigebant. In Francis orientalibus non procul ab Herbipoli, semel atq; iterum cum rusticis congressi, uictoria potiuntur, cedentes haud ita crudeliter sunt insecuti, clementi semper usi uictoria. Herbipolin Episcopo suo restituunt, quàm rustici ui (sed nonnullis adhæc conniuentibus ciuibus, quos etiam capitali supplicio affecerunt) occupant. Interea Sueui, & qui Licum, qui Oenum & qui ad Vlmensem agrum colebãt, in armis agebant, posthabitis agriculturis, pars innocue uagabantur, pars etiam nobilium domo (si dabatur occasio) tum cœnobia, quæ claustra uocant expugnantes exedunt, reliqua corrumpentes. Hercyniæ cultores, & qui in Bâre fuerant agricolæ sub ditione, tum Vuirtembergica tum Furstenbergica iunctis agminibus Villingam Austriæ domus oppidũ uallabant obsidione, oppidanos in rusticorum uerba iurare poscunt. Villingi uerò stolidam plebem risui ducunt, interim cautè suos in muri propugnacula partiti, mœnia tutari pergunt. Ciues belli peritia, fidei constantia, animiq; fortitudine præstantes, oppidi munitione freti, rusticis unanimi uoto resistunt, & eos â mœnibus arcent, quibus depulsis excurrunt oppidani, uillas rusticorum perdunt incendio, rusticorum colluuies in *Stußlingen* & alibi conciliabula contrahunt non procul ab arce Honburg, hinc ad Nobiles mittunt pro cõponenda pace, ne ferro cogantur uti. Paucissimi uerò Nobilium manserũt in arcibus etiam munitissimis. Generosus Comes â Zimbre Gotfredus in arce *Vuildenstein* loci natura fretus, cum paucis & fidis aulicis ad finem belli mansitat, Comes Ioannes Vuernerus â Zimbre frater Gotfredi *Falckenstein* arcem Danubianam habebat, quorum frater Guilielmus â Zimbre Rotouilæ Cæsarei fori præses ab auita sede Zimbre Rotouilam concesit, donec desæuiret agrestium furor. Cæteri Danubianæ regionis domini Comes à *Vuerdenberg*, Comes à *Furstenberg*, Comes à *Lupfen*, in acie quàm arce quisq; sua tutior esse uolebat, Ex Nobilibus ferè nulli suis ipsius arcibus confidebant, Ortolphus ab Heredorph, & Holoperegrinus eius filius in arce *Vualdsberg* (cæteris ab Hendorpho ad fœderatos missis) à rusticis eos etiam sæpius incessentibus omnis iacturæ securi fuerunt, ita Ioannes à *Karpffen* senior, alij uerò non ausi montibus in tantum confidere: Fœderatos ubiq; sequebantur Fridericus ab *Enzberg*, Sixtus ab *Husen*, Diethalmus *Gremlich* à *Iungingen*, Casparus & alij de *Laudenberg*, atque adeò innumeri quos nominare longum foret. Qui armis & equis, insigniter ornati ad Fœderatos abeunt, ita fiebat ut plusquam septies mille equites conuenirent quos ego uidi modis omnibus instructissimos, agricolis autem neq; Deus neq; fatum satis auspicato (ius & æquum spernentibus) affuit. Sueuici fœderis exercitus iam ad Francos, iam ad Rhætos, iam ad Vindelicos, iam ad Sueuos, Colophonis uice trahitur, nam ubicunq; rusticos adgreditur ibi eos, aut in fugam uertit, aut misere profligat, Rhętos & Vindelicos cum Sueuis ad Vlmensem agrũ. Almangauios ad Rauenspurgum Fœderati premebant, Hegiocos atq; Podamici lacus accolas, interim Comes Fœlix à *Vuerdenberg* domuerat, Rheni Vogesiq; accolas Dux Lotharingiæ in Alsatia misere proflixit, quos spe deditionis arma deponere iusserat, ac deinde Turmis equitum peditumq; cateruis immissis armatus inermes contriuit, forsan arbitratus fide nec esse dignos, qui fidem non seruassent. Eo anno plusquam centum millia rusticorum in Germania fer

ro periere, fatali nescio quo sydere. Rustici Euangelium prætexebãt, sed intempestiuè ne dicam inique, sed hoc pro cõfesso compertoq; fuit, ab arboribus innumeros perpendisse, qui se minimè fucatos Euangelicæ doctrinæ Buccinatores assererent, ac ob id hilari prorsus animo, laqueo collum, gladio ceruicem, præberent. Sic rusticum bellũ finijt, auspicio Sueuici fœderis. Summus Imperator erat, generosus ille Baro Georgius Dapifer è Vualdpurg, manu strenuus, iudicio grauis, æqui bonique seruantissimus, qui tã uincere, quàm uictis parcere nouerat, à sanguine quantum licebat abstinuit, ad institutum redeo.

Huldrichus Dux patrijs à sedibus expulsus Duelam arcẽ Hegoici tractus magno frumenti uinique numero, & omnifariam telis ad belli usum necessarijs, cum partim fidorum militum munit, ad montis Pelegardi ditionem se conferens, cum partim nobilium & amicorum, deposita spe redeundi in patriam. Erat cum Duce Philippus cognomento Longus à *Rechberg* grandæuus, qui olim gloriam & rem in militia parauerat, præterea nobili Rechbergorum famiha commẽdabilis, ille Ducem Huldrichum spem nunc omnem abijcere, nunc recipere, nunc huc, nunc illuc animũ diuidere, non quiescere, conspicatus, oratione tali confirmauit addubitantem: Illustrissime princeps, Martis aleam quis nescit, nunc huc, nunc illuc inclinare, nunc huic, nunc illi parti fauere. Quare non est abijcienda spes recuperandæ patriæ. Maiores nostros si contemplati fuerimus, qui cœcam Deam illam sæpius experti sunt, ancipitem, sæpè matrẽ, sæpè nouercam, præsertim ea tempestate quando rex Romanorũ Rodolphus imperij potitus, in Ebrardum quendam Vvirtembergię Comitem infenso fuit animo. Rex Studgardiam multis Bohemis obsedit: Ebrardus animo nequaquam consternato, contra regem contrahit copias, ei fortissimè restitit, oppugnantes iam propellit, iam capit, iam palantes aut intercipit, aut occidit. Rex Comitis fortitudinem miratus de pace componenda conditiones admisit, atque Studgardiam obsidione soluit. Postea uerò Cæsar Henrichus Septimus, Vuirtembergensem fortunis omnibus exuit, exurens arcem Vuirtembergam, sepulturam gentilitiam destruxit. Verùm Henricho rege defuncto Vuirtembergus patrias arces uirtute, uiq; sua rursus occupat. Quid? quod Carolus Quartus Vuirtẽbergos bello inuasit, & uarijs in locis illos infestè populatus. Ea tempestate cum Ducibus Austriæ Vuirtembergus fœdus percussit, & Carolo negotium facessit, atq; adeò ad æquas conditiones cum Carolo pacem fecit. Adde quod Vuirtembergus olim Vuilenses ingenti clade affecit. Quare Princeps illustrissime, non animo spes abijcienda, sed obnixius in hoc enitendum, quo salui redeamus in patriam, mouendæ sunt manus & aderit interim, aliquis Deus (ut aiunt) uiro strenuo fortiq; nihil difficilè, uirtutis amanti nihil inuium. Deniq; ius & æquum petenti nihil inhonestum, hac si non succesit, alia est munienda uia, alijs atq; alijs agendum gladijs donec fauente Deo optimaxomo, uoti compotes efficiamur. His uerbis erexit animum Ducis. Dux ad Hessorum principem se contulit, expetens auxilia, quibus arces auitas requirere ualeat. Hessorũ princeps operam suam pollicetur, uerùm cum Sueuico Fœderi sit adiunctus, & unus fœderatorum, nullis armis id assequi posse, stat sententia Cęsaris Caroli Quinti, Hispanorum regis aures uellicare, atq; adeò eum precibus oppugnare, non esse dubiũ (quæ Cæsaris ex attauis clementia) quin aliquid impetrare sperent. Interea Comitium Germanię principum fuit Augustæ Vindelicorũ, quò Cæsar Carolus cũm totius Imperij principibus & Summatibus indicto die ueniebat. Adhæc Apostolicus aderat Legatus, partim schisma compositurus, partim Turcas, qui tum temporis Austriam crudeliter infestabant, Pannoniam inferiorem depopulati, magnam prædæ uim, cum multis mortalibus, & ingenti pecorum copia trãsmisere in Thraciam, ac deinde in

Nobilium à Rechberg familia.

suam

suam quisq; patriam. Hessorũ Princeps tempore Comitij sedulus ambit, orat cum illustri principum Germanorum caterua, Cæsaris in conspectum prodit, procidens ad genua duci Huldricho reditum precatur, qui tot annos extorris, & ab auito regno fuerit exul: Eo modo precantur uno ore omnes. Verùm Carolus Cæsar indignabundus audire talia uisus, renuit preces, dixisse fertur: Ferro sua regna perdidit, ferro si potis est, ea recuperare ualet. Carolus regni rebus ordinatis dimisso comitio recedit in Hispaniam.

Eo tempore totius Germaniæ uires in armis erant contra Turcam, bella gesturi, Cæsar cum Hispanis, Romanus Pontifex cum Italis, Germani Principes & urbes Imperij cum ingenti multitudine se conferebant in Austriam, collatis signis in Turcas pugnaturi. Turca ter centum millia armatorum secum traxisse dicebatur: Sed fœdè fugatus à Germanis, uix etiam congressu primo uictus Turcarum exercitus, redit unde uenerat, quem persequi longius frustra putãt, omissis aufugientibus recessere. Non ita multo post Sueuicum Fœdus annis expletis, abrogatum dissiluit, nec amplius uinciri feriri ue poterat. Hoc audito Dux Huldrichus cum auxilio principis Hassiæ Philippi patrias arces adoritur, copias militum ducens, haud aspernandas. Comes Gulielmus à *Furstenberg* in re militari præstantissimus, præsto aderat: Cuius Consilio Principes pleraq; gerebant. Nam penes Hessorum Principem rerum summa fuit. Guilielmus Comes peditatui præfuit, quem de triginta millibus conscripserant Principes equitatum ducebant è sex equitum millibus coactum, inter hos erant equites armatura, peritia bellandi, ferocia equorum præstantes. Non latebat Regem Principis Huldrichi apparatus, at ipse ut erat animi clementis, aut cõniuebat, aut alias occupatus, nihil armorum parabat. Verùm qui superfuerant ex coniuratis illis, & ex aulico quidam consilio, qui tum Vuirtembergensi ducatui præsunt, comperto, quòd Dux Huldrichus bellum adornaret, illicò regem certiorem faciunt, & quid faciendum præciperet: Sese si iubeat militem conscripturos, & aduersus Ducem profecturos. Quod cum Regi placeret, ipsi contracto quantum possunt milite, regis Ferdinandi nomine, Ducem Huldrichum prohibere patria nituntur, nec equitatu principibus inferiores ad extremos Vuirtembergiæ limites accedunt, angustias præclusuri confederunt ad Laupham oppidulũ ditionis Vuirtembergicæ pro ripa Necchari situm, cliuosa in regione. Iam castra metatur uterq; exercitus, haud mora Ducales uesperi regios milites adorti, conseruere manus, Regij uincunt, adiuti opportunitate loci, Ducales q; repellunt, mane facto, Principes suos educunt, contrà ueniunt regij, concurrit uterq; miles, acri clamore, magno fremitu, hinc bombardarum tonitrua, hinc equorum hinnitus, peditum fremitus, armorum crepitus, strepitus q; utrinq; longè lateq; personant, animo forti pugnatur utrinq;. Tandem regij milites Ducalium impetum diutius ferre non possunt, alij fugiunt, alij an fugere, an manere malint incerti, stragem passi cadunt. Regij tandem locum deserunt, in fugam conuersi, ab insequentibus per præcipitia fugati, pedamentis uinetorum pars hæret infixi, pars uulnerati Neccharum tranant. Satrapa Regis Comes Palatinus à Bauaria bombardæ ictu, cum equo sternitur humi, equus interijt, ipsus inter manus militum protinus ablatus euasit. Erat in eo Christophorus Dapifer à *Schar*, strenuè se gerens sagitta percussus, nihil moratur uulnus, in hostes insilit acerrimè pugnans, equo tandem destitutus, in easdem rupes ut alij protrusus tranauit Nicrum, armis oneratus, & uulnere languidus ad Asbergam arcem hostibus elapsus uenit: quo se contulerant inclinante suorũ acie, coniurati.

Principes uictis hostibus ad Studgardiam properant, ne coniurati collecta manu præsidio munirent oppidum, non nisi magno detrimento suorum post

hac expugnandum. Nam qui in prælio uicti, Studgardiam pari cursu properabant, oppidum priusquã uictores ponè sequerentur occupaturi. Verùm Studgardiani portis occlusis neminem uel equitum, uel peditum uolebãt intra mœnia recipere. Quæ res illis bono fuit. Dux Huldrichus à Studgardianis manibus obuijs excipitur, quem faustis acclamationibus in arcem deducunt, iurantes in uerba Principis. Interim quicquid Vuirtẽbergicæ ditionis erat ad Remsam, Vulsam, Blauum, Nagoltum, ad Nicri ripas. Atq; adeò ad Hercyniæ iuga, statim missis legationibus Duci Huldricho, sese suaq; omnia dedunt. Vrachij lentius accedunt, reliquis pacatis cõtendunt ad Asbergam arcem, ut omnium longè iucundissimam, ita loci natura hominumq; manu munitissimam, quò se contulerant, qui rerum summam Studgardiæ, totiusq; Vuirtembergiæ tenuerunt, in ea arce octingentos fuisse milites constans fama fuit. Quo loci dum uenere Duces, oppugnando tantam iacturam intulêre propugnatoribus, ut ad deditionem intra mensem compellerentur, incolumi uita salutis bonis abscedunt & ducibus aperiunt: qua subiecta Duces exercitum Riedlingam iuxta ripam Dannubij castrametari iubent. Interim cum rege Ferdinando agentes, ut impetrata pace conditionibus æquis, patrium regnum Duci Huldricho possidere liceret. At rex Ferdinandus, ut est animo clementissimus, è re nata, pacem fecit cum Duce Huldricho. His actis dimissus est exercitus: formido tenebat omnes homines, nemo quò se fortuna ueteret, coniectare potuit. Qui Dannubij ripam habitabant, & qui Acronij lacus affinia colebãt. Tum Hercynij quoque malè sibi timebant à bellis, qui ruri habitabant. In oppida proxima, reculas suas deponebant, qui in oppidis erant omnia quæ bello forent usui, gnauiter adornant. At nihilominus in castra commeatum deferre suos permittunt. Tumultuantur omnes, trepidant plericq;. Exercitum haudquaquam contemnendum, nemo non paueſcit. Verùm Deus opt. Max. omnia bene uertebat, nam facta pace, Principes dimissa legione recedunt.

FINIS.

BREVIS

BREVIS NARRATIO DE BELLO HILDENSHEIMENSI GESTO INTER ERICVM DVCEM BRVNSVVICENSEM, & Episcopum Hildensheimensem eorumq́ complices, Anno M. D. XIX. durante interregno, autore Iustino Goblero I.C. Goarino.



ANNO Millesimo quingentesimo decimo nono Maximiliano Imperatore in Austria mortuo, ac per eius obitum Imperio uacante, Iohannes Præsul Hildensheimensis, ex familia ducum Saxoniæ, qui hodie Leoburgenses dicuntur natus, cum alijs uicinis potentioribus, maximè Heinrico Lunæburgensi, Erico Brunsuuicensi graue atq́ periculosum bellum, siue ut Ericum, qui gratia atque autoritate ob operam Maximiliano in quamplurimis bellis egregiè nauatam, apud ipsum ualuisset, subuerterēt: siue ut (multi existimant) Caroli Quinti electionem, unà cum confœderatis, quos Franciscus rex Galliæ imperium affectans in suas partes pertraxerat, electionem impedirent, intulerunt. Etenim iam diu collectis odijs atq́ inuidia pleni, cum scirent principi Erico in Cæsare tantum præsidium esse atque refugium, ut illo uiuente adhuc & superstite, non auderent, id quod liberet, moderari iam suam insolentiam ac crudelitatem non poterant, quin Diuo Maximiliano fatis sublato in principem Ericum impetu facto irruerent. Ac cùm uiderent Antistitem suum Capitulares illi, & Canonici, impotentia animi atq́ effrenata audacia in Ericum principem ferri, tantum abest, ut quod ab alijs nonnunquā Capitulis prudentibus & moderatis fieri solet, uel à temeritate illa auerterent, uel aliquo modo impedirent, ut etiam frigidam illi (quod dicitur) egregiè suffunderent, ac faces oleumq́ flammæ admouerent: ceu quadam incredibili ad belligerandum, atq́ insultandum libidine tracti. Fueruntq́ planè, quod Græcis in prouerbio est, τὰς δεσποινας αἱ κύνες μιμούμεναι, hoc est, dominas imitantes catellæ. Quandoquidem ne æquitatis ullam, nec iusti boni'ue rationem sibi cum præsule suo habendam putarent: etiamsi princeps Ericus causas omnes simultatum & controuersiarum, quas isti præ se ferrent, à populo & ditione tota cognoscendas seu decernendas proponeret. Quin imò contra placita & pacta uetera & antiqua à maioribus ac præcessoribus, tam illorum, quam principis Erici inita, & utrinq́ data fide, atq́ sigillis firmata, præsul cum suis bellatoribus Canonicis ad arma prosilire potius remq́ ferro decernère maluit. Tantam nimirum, tamq́ subitam ac insperatam sibi non solum digladiandi occasionem, sed etiam uictoriam ipsam ex obitu Imperatoris optimi Maximiliani, cum iam interregnum esset, oblatam fore existimabant. Adeò præ nimia belli cupiditate, neque officij sui, discriminis, aut periculi, neque pietatis, neque humanitatis rationem habuerunt ullam, nec in eo quod mouebatur, offerrebaturq́, nec in eo, quod rogabatur æquitatem anteponendam putarunt superbiæ suæ. Nam utique uerum est, nec ipse Episcopus atque Capitulum salua conscientia inficiari unquam poterunt, quin proximè ubi Romanum Imperium morte Diui Maximiliani uacaret, Antistes ipse Hildesheimensis auxilio Henrici ducis Lunæburgensis, ac capituli sui persuasione atque instigatione, maximè militum & equitum numero conscripto atque collecto: etiamsi

illo

illo tempore, ueluti princeps Imperij pacem eius & tranquillitatem spectasse salutemq; conseruasse debuisset, ad arma ultro prosilijt. Ac ita primùm reuerendissimum illustrissimumq; Dominum Franciscũ Administratorem Myndensem, principis Erici agnatum, inopinatò contra sacri Imperij ordinationem, aureamq; bullam, & communis pacis promulgatam cõstitutionem, in sacra hebdomada, cum à Christiano populo meritum & passio, Christi Saluatoris nostri, per uniuersum Christianum orbem religiosius aliquantò, quàm alio tempore meditari, & suum reatum Christiani agnoscere præcipuè atq; lugere soleant debeantq;, ui publica armisq; inuasit. Ciuitates, oppida, arces, uillas eius quidquid taliũ esset, quidquid ibi offenderat, arripuit, afflixit ac perdidit. Neq; hoc tanto tamen facinore contentus, mox ea ipsa ui, uiolentiaq; sua in fines quoq; ac ditionem Principis Erici sese conuertit, eamq; ex improuiso nulla occasione data, nulla præmonitione facta, dissimulato quem peteret, nullis (quod Plato uocat πολεμον ἀκήρυκτον) fecialibus missis, nec more iure'ue belli obseruato, non repetitis rebus, non bello indicto, quod à maioribus nostris usurpatum est, & inter barbaros etiam fieri solet tempore quoq; sacro. Et quo id à sacerdote adeoq; Episcopo minus expectaretur, ne quid spacij ad circumspiciendum oppressis esset, nulla iniuria lacessitus, magna latrunculorum non confinia ac uicinia modo ditionis Erici, sed ipsam mediam inuasit, incessit, afflixit, exarsit atq; diripuit. Oppida uicosq; circumcirca quaqua cum exercitu uersum iret uastando, flagrando arcesq; etiam oppugnando, atq; omnino depopulabundo similis. Dixisses non Episcopum fuisse, sed expilatorem, non pastorem, sed prædonem, tam sæuitum est undiquaq; atrocissimè. Nam per sese opulentus & factiosus Episcopus, ac quorundam potentium conspiratione audax, sui uerò Capituli, & Canonicorum præcipue impulsu percitus, adeoq; immanis nihil nisi excidium ditionis Erici in animo habebat, ac meditabatur. Itaq; oppida, munitiones ac uillas aliquot ea ui atq; furore expugnauit, incendijs & rapinis uastauit, miseras agricolarum facultatulas miserè perdidit. Nec plebem modo, uerumetiam sacerdotes sacramenta Christi in suis manibus gestantes, secq; illis tueri conantes, occidit, sacra loca, templa ac monasteria spoliauit, deuastauit ac prophanauit, nec quidem ipsis Ecclesiæ sacramentis, aut uestalibus uirginibus pepercit. Et quamuis huic uiolatori pacis Episcopo, suisq; assectis ab optimo illo ac illustrissimo principe, ceu tũc Imperij Vicario, Friderico Saxoniæ Electore, pax indiceretur, tamen hoc ille contemnendo aspernandoq; surda aure præterijt, ita ut tum demum post indictã pacem, quali antea nihil patrasset, ceu œstro percitus ad grassaturam magis magisq; ruere uisus sit, prouinciam Erici populumq; miserè uexando, populando, molestandoq;, donec principi Erico, eiusq; affini Duci Heinrico arces oppidaq; eripuerit, solo æquarit ac cõflagrarit, an ita fortasse inuictissimi Imperatoris nostri Caroli Quinti Electionem, ut antea meminimus, quæ in illa ipsa tempora inciderat, impedire potuisset, quemadmodum hæc res postea Vuormatiæ in Comitijs coràm Cæsare, principibus ac statibus manifestata est ac patefacta. Cum itaq; uidisset Princeps Ericus Episcopum, nec pacis, nec æqui boni'ue rationẽ habere ullam, eumq; nil nisi ditioni suæ, ac suorum exitium in animo habere, ac meditari, adiuncto sibi Henrico duce tanquam ex fratre filio ac confeudatario, ad propulsandã iniuriam naturali defensione, iustoq; dolore perductus, patriam tueri ac defendere conatus est. Nihil enim hac illi charius unquã fuit. Itaq; milites conscripsit, equites adduxit, subditos conuocauit, castraq; metatus est. In summa constituit conserere manus cum hoste inquietissimo. Quod ubi ille cõspexisset, arcem, quam obsederat, Calembyrgum, principis Erici, reliquit inuitus, atq; discesit. Quanquam autem hoc tempore ob lectum exercitũ

in pote-

in potestate principis Erici fuisset, præcipua hostis oppida, arces ac munitiones aggredi atq; expugnare, tamen ob mandatam à Friderico pacem, etiamsi lacessitus atq; prouocatus ad tuitionem esset, à ui tamen ultro abstinuit, quòd maioris pacem, quàm hostis uiolentiam faceret, secq; ad ditionem ac diœcesim Verdensem uertit. Et hic quidem fortuitò utrinq; concurrunt Ericus & hostis. Ventum est ad arma iniquo loco, & antequam Erici aduẽtasset exercitus, præsertim equestres, ac priusquam acies ulla ab Erico instructa esset, impetu in primos facto ab hostibus, inter quos Ericus erat, qui ut fortiter constitit, sic qui post principia erant, fuga fisi, sese in pedes conijciunt, sibiq; ita consulunt: Et ecce cum illos iam secuturos se putaret Ericus, medios ipse inter hostes cum paucis satellitibus, armis obruitur, à socijs desertus. Nec desistit tamen hostẽ, quà licet acerrimè petere atq; extrema experiri, secq; fortissimè tueri ex equo, donec irruentium ui undiq; circumseptus, atq; etiam uulneratus, non minanti quidẽ ulli aut pulsanti, sed tyroni cuidam equiti, quem fortè sibi obuium inter confligendum habuit, nihil minus suspicanti sese ultro dediderit, ac uectus sic est Celiam, tentusq; liberali, & principe digna custodia, dum duodecim millia aureorum λύτρου, seu redemptionis precium, prædicto Lunæbergensi duci exoluisset. Res hæc Cerbesti transacta est, illustrissimo illo ac prudentissimo principe Saxoniæ Friderico arbitro seu mediatore. Hac pugna autem, quanquam non pauci ceciderint, tamen cum & Erici exercitus nondum aduentasset, & plericq; initio fugam capescerent, minus cruenta fuit, præsertim cum princeps Ericus, cæteriq; primores ab ingresso cõflictu ab hostibus caperentur, inter quos erat quoq; Guilielmus dux Brunsuuigensis Heinrici frater. Neq; uerò exigua spolia ex hac uictoria retulerunt hostes, cum præter armaturam Brunsuuigensium opesq; etiam singulorum corporum captiuorum censerẽtur. Hinc iusta ratione ac pietate ductus, cum erga patruum, tum fratrem suum Germanum Dux Heinricus denuò sibi militares copias quascunq; in tanta trepidatione ac celeritate habere potuit, ad illorum liberationem acciuit. Nec uanũ hoc fuisset institutum, nec inutilis conatus ad istorum absq; omni iactura redemptionem: nihuic facto tres illi præstãtissimi principes Electores sese interposuissent, ac ceu mediatores ne plus quam antea factum esset, sanguinis humani effunderetur, ac altera pars omnino ad internitionẽ profligeretur, intercessissent, Albertus Moguntinus Archiepiscopus, Fridericus dux Saxoniæ, & Ioachimus Marchio Brandeburgensis. Hisce nimirum intercedentibus copiæ ac milites rursus dimissi sunt, & res cum Episcopo atq; capitulo coram illis tribus, ceu arbitris tractari cœpta est in hunc modũ. Vt, si qua minus hi fortè componerent, Cæsari potestas esset hanc causam sua sententia decidere ac definire, uelut hæc tota controuersia speciali quodam compromisso, à dictis principibus arbitris complexa ac comprehensa. Atq; dum ista Cerbesti aguntur, qui locus ad eam rem designatus erat, ac ceu foro contradictorio disceptarentur, uenit ex Hispania Cæsar in Germaniam, adeoq; Coloniam Agrippinam, quo utramq; partem, ipsumq; Henricum maiorem Ducem Lunæburgensem ad se clementer uocauit, iussitq;, ut utrinque cum actis causæ proximis in Comitijs Vuormatiæ coram sua maiestate, & cæteris principibus ac statibus comparerent. Fecitq; potestatem Cæsar principi Erico, ut citra iuramenti sui, quod in pugna captus præstiterat, uiolationem, quantum damni atq; incommodi in hoc bello ab Episcopo eiusq; Capitulo ac Duce Lunæburgensi perpessus esset, referret, quod tanta dexteritate atque decore principum corona circumsessus fecit, ut nemo rectius meliusq; potuisset. Auditis igitur utrisque partibus Cæsar, ac cognita causa, cum illas nec amicè tunc pacare, nec sententia diffinitiua propter alia Imperij grauissima negocia atq; impedimenta dirimere posset, pacem interim,

interim, dum id quiret, utrinq; mandat atq; decernit, ne quis eam sub præscriptionis pœna uiolet, transgrediatur'ue. Quo decreto, etsi princeps Ericus sese uehementer grauatum sentiret, ut qui & læsus & spoliatus & captus fuisset, tamen qua uoci Augustali minus se cum Henrico Duce agnato suo obsequentem præstaret, consensit lubens uolensq;, ac ratum id omne habuit, quod Imperator decreuisset, existimãs idem quoq; facturos fuisse aduersarios. Verum longè secus accidit, proq; animi sui impotentia Episcopus multifariam uoluntati atq; mãdato Imperatoris obstitit ac repugnauit: Videlicet captiuis rursum mulctatis, & in grauiora etiam uincula cõiectis, ne alia commemorem innumera. Nihil enim minus, quàm pacari hoc motus, aut pacem constitui uoluit Episcopus. Proinde etiam cum Cęsarea maiestas sibi expugnatas arces ac oppida interim, donec res hæc plenè atq; ex integro transigeretur, credi uoluisset, noluit morem gerere, nil nisi belli perpetui cupidus. Tantæ arrogantiæ Episcopus, ut suam ipsius uoluntatem uniuersæ Cæsareæ Maiestati, reputationi, authoritati, præeminentiæ, excellentiæ atq; iudicio, anteferret. Tam uerum est, quod apud Comicum ille ait: Homine imperito nec unquam quicquam iniustius esse, qui nisi quod ipse facit, nil rectum putat. Quocirca percussori Episcopo etiam accidit, quod communiter talibus solet accidere, qui ut in eo pereant, amant periculum. Hunc enim fastum incredibilem erga se suumq; decretum cum uideret Cæsar, ad statutæ declarationem aduersus inobedientem pacisq; uiolatorem Episcopum procedi iussit, ac huius pœnæ executionem inclyto Regi Daniæ Christierno Ericoq; principi ac suis mandat. Qui non, ut ille, iniusto, inopinatoq; bello, sed recto apertoq; Marte, ac legitimo certamine arrogantiam atque contumaciam aduersarij tandem fregerunt, ita ut & sua recuperarẽt, & de sede illum deturbarent atq; eijcerent, planè iuxta illud uetus dictum: Dedi malum, & accepi. Siquidem â Cæsarea Maiestate deputati executores, officium suũ suscipientes, in eas angustias Episcopum contumacem atq; rebellem compulerunt, ut qui ante aliorum ditiones ac terras hostiliter inuasisset, iam propriis se diuina ultione (spoliantes spoliari uolente) non sine dolore priuari uideret. Nam Ericus Dux Brunsuuicensis uigore Cæsarei decreti fretus, unà cum suis par pari Episcopo relaturus eius ditionem inuasit, omnia resistentia uirtute singulari occupãs: Inter hæc arces nouem proprietatis iure ad Episcopatum spectantes nimirum *Hundesrugge, Coldungen, Ruthe, Hallerburg, Poppenburg, Gronaw, Lauenstein, Gronde, Ertelsen.* Nec interea aliarum occupatione beneficiario iure ad Ecclesiam Hildensheimensem spectantium abstinens, sed earum dominos ad fidelitatis obsequium cogens inter quas hæ maximè referuntur *Roßingen, Banthelem, Voltgesseũ.* Ac ut hasce arces, sic quoq; oppidula atq; castella quãplurima Hildensheimensi adempta, in fidem suam adegit nimirum *Gronaw, Dassell, Goldenwerdez, hamein* pro dimidia parte, *Hemendorff, Saltz, Wallensen, Zarslede, Eltze.* Interea quoq; cœnobijs minimè parcens, inter quæ iurisdictioni Episcopatus Hildensheimensis subiecta quatuor præcipuè commemorantur, Derneburgũ, Vuittenbergũ, Escherdum, & Marienauium.

Ac ut Ericus in executione demandata sedulum sese præbuit, sic nec Henricus Iunior dux Brunsuuicensis Erici patruelis suo officio defuit: imò se quodammodo patruo gnauiorem præstitit. Nam & ipse armis contra rebellem ac contumacem Episcopum sumptis ei decem arces proprietatis iure pertinẽtes, ademit, quæ hæ sunt *Lewenburg, Vinenburg, Weydela, Lutter, Schladen, Voldenberg, Woldenstein, Westerhoue, Wintzenburg, Steinbrugge.* Cumq; fortuna ei arrideret, minimè harum occupatione contentus, & beneficiarias nobilium circiter tredecim arces suæ potestatis fecit, puta, *Bodenburg, Walmede, Nigenhagen, Heuekenrode, Soder, Binder, Holtensen, Reden, Wispenstein, Meymerhausen, Lymber, Bisperode, Obber:* Quis uerò ei & oppidulorum

in tali

in tali rerum successu occupationes illicitas fuisse existimaret: quæ fuerunt Bokelem, Aluelde, Lamspring, Saltza ad Gitterdã, & Saltza ad Detferdam. Nec octo monasteria se huius principis ditioni cessisse penituit, quæ fuêre, Petersbergum, Georgebergum, Reiffenbergum, Ringelem, Vueltingerode, Henide, Dorstadt, Lamspringe.

Quin & citra difficultatem uniuersa Episcopi Diocœsis occupari potuisset, nisi duces Brunsuuicenses iam olim in tot bellis ut cladibus moderata uictoria uti didicissent, & superatis hostibus temperare, quam sibi socijsq; cõsulere maluissent. Cæterùm cum hic Episcopus ad annum Christi 1527 Episcopatui præfuisset, ad fratrem Magnum ducem Louuenburgensem concedens, gubernationem Vicecancellario Imperatorio Balthasari Merkelio Canonicis consentientibus resignauit. A' quo, alijsq; eius successoribus, Otthone Schauuenbergico, & Valentino à Theutleuuen quæ pro recuperatione bonorum Ecclesiæ Hildesianæ acta fuerint alibi referẽdi locus uberior sese offeret: nobis hæc obiter de bello inter duces Brunsuuicenses & Iohannem Episcopum retulisse, sufficit.

FINIS.

CHRISTIERNI SECVNDI REGIS DANMARCHIÆ SEVERITAS, PERPETRATA IN PROCERES SVETIAE, ET POpulum Holmensem, descripta à Iacobo Zieglero Landauo Bauaro.

VRBIVM & populorum clades ab hostili manu perpessas, & tyrannorũ iniurias in ciues, multas & memorabiles legimus per omnem historiã, tam magna miseratione erga afflictos, quàm summo odio in illos qui suo scelere maleficia in obnoxios exercuerunt: sed nulla atrocior à memoria historię accidit, quam his annis Suecis, & Stokholmiæ regiæ eius gentis urbi. Alijs inter obsidendum inducię profuerunt, mutui congressus liberi fuerunt sine malefacio, si pacta inita, si icta fœdera, hæc sanctè seruata sunt, si urbs autem expugnata, sæuitum in fortunas iure Victoris fuit, & in ætatem præcipuè quæ arma ferret, & nocere parata esset, neq; quietura, donec incolumis foret, uidelicet, repẽsum fuit, quod passuri erant Victores fortuna inclinante. Quod si incendio & cæde omnia miscerentur hic autẽ proditio, aut defectio, aut graue aliud flagitium obsessorum præcesserit, quod hostem irritaret, & faceret penè iustum: Tyrannorum etiam uiolentia, de exemplis dico gentilis historiæ: in paucos ciues, qui inculpata undiquaq; uita essent, ita deliquit, ut sine uenia debeãt cũminari. Qui enim pœnis subiecti fuerunt, si in eadem statione ipsi fuissent, quo erant ingenio, similia, aut funestiora edidissẽt in ciues. Repetamus à Tyberio ad Maxentium, quem Constantinus Imperio depulit, historiam Romanã. Quicunq; in capitis discrimen adducti sunt, ijdem ferè sub alio domino capita ciuium detulerunt, siue palatinos fumos uendiderunt, siue iudicia corruperunt, uel ubi scelere publicè carerent, tamen domi in seruitia supra barbarorum morem sæuierunt, seruitia diurna opera in agro attrita in ergastulis habuerunt, nuditate & fame

& fame afflixerunt, infirmos tecto protruderunt, in uias abiecerunt, alios ob leuem offensam, barbaricis notis inusserunt, in harenã produxerunt, feris laniandos, totis theatris uoluptatem domesticorum sanguine præbuerũt. Tales quid crudelissimi tormenti exciperent, â Tyberio & Caligula, & Domitiano quod non essent meriti propter admissum aliâs scelus in humanum genus? Innocentes uerò habiti sunt, eatenus quod præsentis accusationis rei non essent, tyrannicq; sub hoc in inuidiam crudelitatis adducti sunt, quia non ob conscientiam nocentioris uitæ uindicandæ, sed per scelus ipsi quoq; cædem facerent. In cætera, ei patellæ hoc operculum congruebat. Populus uictor, frequens sedit totis theatris, exhibuit sibi sub eodem spectaculorum die paria CCC gladiatorum, feras, leones, ursos, pantheras, & indomitos boues eodẽ numero, quos se mutuis uulneribus cõficientes uideret ad uoluptatem, captiuos quoq; adductos ex deuictis prouincijs, domi honestè natos suis fortunis præter cuiuspiam inuidiam fruentes, iure autem gentium pro libertate patriæ, incolumitate fortunarum, saluteq; parentum, uxorum & liberorum pugnantes, & triumphatos circumduxit in cathena, attraxit in arenam, obiecit cruentis feris, aut coegit in mutuas cædes. Hic ille populus spectator, qui humanum sensum exuit, secq; ad omnem immanitatem obfirmauit, neq; satis pœnarum sumptum sibi à uictis credidit per considerationem, quòd miseri patria carerent, fortunis exuti, exarmati, & ad reliqua innocui essent, qui in graui cathena cõstricti, malè præterea cruciarentur pro uxore & liberis distractis, pro pudicitia uiolata, pro salute omnis desperata, quoniam & uitæ & necis ius situm penes alienum dominũ nossent. Idem qui nihil tantorum malorum recordatione ad misserationem in reliquum moueretur, quin imperaret magis laniationem fœdum in morem, quid immeritum, & sua indignum uirtute sustineret sub Caligulæ, quamuis atroci uocet uel sub Commodi milite prætoriano, qui in theatrum immissus populũ funestæ & iuxta barbaræ arenæ spectatorẽ propulsauit, terrore & fuga tumultuantem inuoluit, ut plurimi obtererẽtur. Fatebitur, quicunq; mores pro æquo expendet, crudelitatem omnem tyrannorum fuisse mitiorem obliuione tanta naturalis iuris, & carnificina, communi applausu theatri, admissã in genus humanum. Ista commemorarim non equidem pro uoluptate insectandi, sed necessario exemplo, unde inter populos etiam eadem passos, interq; tyrannos eadem agentes discrimen fieret atrocitate facti, non enim cõueniat ita factum referri, ut arbitrio legentis stet, qui immerẽtis casum ex nocentis exemplo spectatum æquè leuiter ferat. Ergo is intelligat, populum unum Holmensem purum sceleris, nihil in uita admittentem in genus humanum, non in ipsum hostem Danum, ut quem se obsidẽtem pauit in dura fame, quo cum fœdera icit, quem ultro in urbem admisit, regem propè constituit, eum populum sub Dano sacramenti & religionis desertore, dextræ datæ, & syngraphi conscripti, iuris diuini & humani euersore pertulisse mala, qualia nullus præterea populus omnia simul, sed alius aliud malum, & idem aliud alio tempore passus sit. Huius calamitatis ordinem narrare institui, existimans idem solatio futurum populo Holmensi, si is uideat Danum, qui hæc perpetrauit ferre uiolentiæ suæ notã aduersitatem, usui etiam plurimum reliquis futurum, si qui similia facere in obnoxios possunt, ijdem unius publica execratione deterreantur, cum uiderint tyrannidis memoriam durare post funus, referreq; acclamationem in humani generis hostes Deo & homine approbante æternum damnentur.

RERVM GESTARVM NARRATIO SVCCINCTA, QVAE IN *Dania & Suetia, alijsq; his finitimis locis ab Anno M.D.X. usq; ad Annum XX. Christierno 2. Rege imperante, acciderunt: quibus adiecta est eiusdem Regis uitæ & coronationis breuis descriptio.*

SVanto nostra ætate hoc modo post fata Stenonis, ad Gothorũ & Sueonum regna peruenit. Cùm enim Steno animam exhalaret, aderat ipse Gaddus Lincopensis electus, qui mox præsentib. militibus sub pœna capitis cominatus est, ne cuiquã eã Principis mortem patefacerent, donec ad regiam Stocholmensem peruenissent. Si enim famina eos præueniret, non solum à Regia arce secluderentur, sed omnium præteritorũ annorum stipẽdio priuarentur. Persuasi igitur proceres & milites funus Principis quã occultissimè ab eo loco usq; Stocholmiam, itinere sedecim dierum deducunt, posito in eius loco uiro corporis habitudine nõ dissimili. Erat in media uia Suanto Ostrogothorum Princeps, hunc Gaddus clãculo de Stenonis morte informatũ admonet, ut sub specie comitãdi Principẽ se in Stocholmiam conferat, facilè totũ Sueonum & Gothorum Principatum (si cõsilijs paruerit) assecuturus. Grata erat Suantoni amicissimi Antistitis admonitio. Perueniens q; in arcẽ Holmensem, à Gaddo, & à tota caterua Princeps regni consalutatur. Quod etsi præter leges, & patriæ consuetudinem factum fuisse uidebatur, attamen approbante regni senatu, in locum defuncti Stenonis surrogatur. Erat enim de tota patria optimè meritus, natusq; ad res præclaras & magnificas, utpote qui animum excelsum, & Regium semper, & ubiq; præ se ferebat. Tota quoq; eius familia splendida, & bonis morib. ornata incedebat: nullus in ea mimus, nullus scurra. Quippe quemadmodum ipse morum grauitate pollebat, ita nullos effœminatæ leuitatis homines in suam familiaritatẽ admittebat, sed audaces, fortes, ualidos, & ex aliorũ procerũ curijs electos. Erat enim publico prouerbio receptum quod nullus in familiã Suantonis ascriberetur, qui securi in faciẽ cæsus conniueret. Erat præterea in suos familiares adeò liberalis, ut sæpè uestes sibijpsi detraheret, & illis donaret. Plus enim in homines militares indulgens erat, q; in se ipsum: sæpeq; in largiendis stipendijs, fiscum exinaniuit. Neq; enim ullã diuitiarũ curã habebat, sed uirtutẽ, & gloriã sordidis diuitijs longè præferẽdo, potius fame perijsset, quã ex incolarũ iniurijs, aut Ecclesiarũ, siue clericorum spolijs uictitasset: rectè existimãs, Suetiam adeò opulẽtum regnum esse, ut eius Princeps satis magnificè uiuere possit, absq; eo, quòd cogatur rapinis & sacrilegijs uitam infelicem, atq; infamem sustentare.

Sed silendum non est, q; acerrimo odio insectatus sit mẽdaces & detractores. Cùm enim aliquẽ absenti obloqui audiuisset, iussit continuò absentẽ adesse uocari, ut detractor, qui absentem suggillauerat, corã proponeret, quæ uellet, & probare posset. Quo facto optimorum ciuium innocẽtiam mirificè est tutatus, & immortalẽ gloriam apud omnes bonos est adeptus. Erat præterea in delinquentes ualde clemẽs & mitis, quamuis uerba eius summam seueritatẽ præ se ferre uidebantur. Non enim loqui, sed fulminare uisus est, cum milites suos neglecti officij argueret, & obiurgaret: quib. etiam nonnunq; alapam inflixit. Sed continuò, quos duris uerbis affecerat, mox singularibus donis & beneficijs afficere non omisit. Quo euenit, ut feliciores se putarent, qui ab eo tam benigniter reprehẽdi merebantur. At in tẽplis, cum diuino officio intẽderet, uix minores lachrymas, q; Dauid Hebræorum Rex effudit, ut nullus id cõsiderãs dubitare potuisset, quin totam spẽ suam in Deo, per quẽ Reges regnant, collocasset. Est q; à diuina clemẽtia consecutus, ut illis octo annis, quib. regnauit, nullum atrox prælium fuerit in Suetiæ incolas illatũ, quamuis Ioannes Danorum Rex ipsa Gothorum & Sueonũ littora classe bellica non raro insiliuerit, & spolia nonnulla in mari, & terra reportauerit, ipsum q; Moscouitarũ Principem, ut

Sueones impugnaret, summoperè solicitauerit. Sed maior erat in Moscouita pactorum & iuramentorum ratio, & quòd pateretur se à Danis in aliquod nefarium bellũ rupto fœdere induci. Quin potius cum didicisset Reipub. summã ad Suantonẽ, qui pridem dux belli contra Moscouiã fuerat, deuenisse, solẽnes oratores ad ipsum in Stocholmiam mitteret, & fœdera, quę antea cum Stenone iniuerat, renouare curauit. Itaq; Suanto ab Orientalibus Suetię partibus securior effectus, totas uires suas ad Occidentalem Daniam conuertit. Nec diu moratus, antequam copijs ex Suetia & Vestrogothia cõtractis, bellum in Hallandos & Schoningianos transferre contẽdit, ut iniurias, quas Dani paulò antè, uiolatis inducijs, intulerant ciuitati Aboënsi, ulciscatur.

Primùm igitur belli impetum in propinquus Vardbergiæ oppidũ mouẽs, comperit incolas illud ob Suetícæ potentiæ terrorem nouiter uallo, & propugnaculis communiuisse. Quocirca ex eo loco progressus, totã Hallandiam & Schoningiam cæde, flamma, direptionib. cõculcauit, exercitumq; spolijs onustum, & incruenta uictoria ouantem reduxit. Deinde in Suetiam regrediens, negotium lacessendæ Daniæ nobilissimo Vestrogothorũ præsidi Achoni Ioannis imponit: qui sequenti anno in Hallandiam descendens, duas munitissimas arces, Lagaholm & Vallen, uno eodemq; die, admirabili quadã celeritate occupauit, occupatasq; incẽdio consumpsit: & cum nullus contra eum in campum prodiret, nobilẽ uirum, & Regiæ arcis præsidem Mauritium Ipson captiuatum, unà cum incolumi exercitu in Vestrogothiam reportauit. Sequẽtibus etiam annis idẽ Acho continuò bellorum insultu Danos lacessiuit, donec abiplsis in terra Schoningiæ ad insidiosa loca pertractus, in floridæ iuuentutis ætate trucidatur: dignus profectò, cui fata longiorem uitam concessissent. Erat enim natura benignissimus, & in re militari peritissimus, imò etiam patriæ suę, p qua obijt, amantissimus. Incidit aũt mors eius in annũ à Christo nato M.D.X. Post cuius occasum, cum Rex Danorũ Ioannes putaret Vestrogothiam omni præsidio uacuam esse, constituit ipsam in suam redigere potestatem.

Collegit igitur tam ex Danis, quàm Saxonibus & Vandalicis ciuitatib. prævalidum exercitum, quem filius eius Christiernus Vestrogothorum terris maiore apparatu, quàm felici bellorum successu inuexit. Suanto enim, quamuis magno & potenti exercitu succinctus, ex Suetia in Vestrogothiam Christierno congressus descendisset, attamen à pugna prudentius abstinens, retro ad syluam Tiueden abijt, sperans se Christiernum ad insidias perducturum. Sed Christiernus nihil minus cautus, à Vestrogothia per Smalandos ad Ostrogothiam ire contẽdit. Ostrogothi aũt, quos imparatos putabat, maxima multitudine ad arma consurrexerant. Quòd cum Christierno, dum in oppido Ionaco pensi morã traheret, nuntiaretur, subita fuga in suã Daniam remeauit. Nec longe pòst Cæsareæ ciuitatis Lubicensis senatores, cum cõpertum habuissent Danos tam potenter à Gothis profligatos, expedita ad Suantonem Principem legatione, opem contra Ioannem Danorum Regem postulabãt. Ad quam quidẽ legationẽ, cum in Gothorũ, ac Sueonum senatu proposita esset, Hemmingus Gaddus Ostrogothus, Ecclesiæ Lincopẽsis Antistes, palàm omnibus respondens, perorauit.

Obtinuit enim eadem oratione, ut Sueones cum Lubicensibus & Vandalicis ciuitatibus statim confœderarentur. Estq; bellica classis pro eis contra Danos ex Suetia sine mora expedita: cui idem Hemmingus Gaddus Principis & senatus decreto præfectus, tanto animi ardore bellum in Danicam gentem assumpsit, ut nihil unquã suæ fortunæ fœlicius accidisse fateretur. At cum educẽdæ classi inuigilaret, literas Iacobi Archiepiscopi Vpsalensis celerrimo nuntio allatas accepit: in quibus sic scriptum fuisse memoratur: Synceriſsima salute præmissa. Orationem illam, quàm R.P.V. nuper in senatu regni contra Danos

nos, & pro Lubicensibus, eorumq; cõfœderatis proposuit, cupidè ad nos mit
ti postulamus. Nec minus gratum esset nobis, illas Saxonis Danici historias
quantocyus uidere, ut ex eis sufficiẽtius informari possimus, quomodo de cæ
tero à Danorũ artib. nos, nostramq; Rempub. prudentius præseruare & tueri
ualeamus: Valete. Ad quas quidem literas Gaddus æque breui Laconismo
rescripsit: Synceriſsima reuerentia præmissa: Orationem illam non tam
pro Lubicensibus, quàm pro nostra Republica, factam, tradidi sereniſsimo
Principi: is eam, cui uoluerit, permittet. Saxonis Danici historias apud præfe-
ctum curiæ meæ in Lincopia Dominum Torchillum præbendatum deposui:
cui etiam præcipuam, ut nuntium Reuerend. P. V. ipsas, cum illic uenerit, libe-
re transcribere permittat. At mea commentaria, quæ tam de Sueticis, quàm de
Danicis antiquitatibus longo tempore collegeram, usq; ad meum in patriam
reditum, in abditis repositorijs conseruari mandaui. Feliciſsimè ualete Pater
Reuerendiſsimè. Extant præterea complures aliæ orationes, quas idem Gad-
dus tam in patria, quàm Romæ apud summos Pontifices, præsertim Alexan-
drum sextum pro patria sua, contra Danos perorauit. Erat enim orator non pa
rum uehemens, & multa audens, utpote qui aliquando coram eodem Alexan
dro Papa in pleno Cardinalium Consistorio uniuersos Danos, nullo excepto
canes rabiosos appellauerit, quod fœdus cum schismaticis Moscouitis contra
Christianiſsimos Suetiæ incolas pepigissent. Sed nunc his omissis, ad expedi-
tionem bellicam, cui Gaddus præerat, me conuertam. Is enim ferè ad medium
lustrum pro patria militans, nunc Danicas insulas uario bellorũ apparatu ue-
xabat, nunc ciuitates Vandalicas ut socias & amicas uisitans, quietem à belli-
cis laboribus captabat. In Lubicensium autem conuersatione plurimum gaui
sus, diuturniorem apud eos mansionem elegit. Deditq; operam periclitantib.
patriæ rebus, ut ex turbatis tranquillæ fierent, & felices cum interim Ioannes
Brascho Præpositus Lincopensis Ecclesiam Lincopensem (eo à sede Episcopa
li excluso) occuparet. At pugnax in Gaddo animus plus bella, quam Pontifi-
cias insulas curãs, se totum in uitam, & militares mores coniecit. Nam classem
Sueticam cum Lubicensi coniungens, impetuq; in Daniam facto, damna plu
rima innocuæ plebi inferebat. Eodemq; tẽpore ipse & Lubicenses Lalandiam,
& in ea monasterium diuæ Birgittæ incendijs & direptionibus uastauerũt, af-
firmantes se illis patria referre, quæ Dani nuper in terram Finlandię commise-
runt. Putabant quidem Sueci ea Lubicẽsium confœderatione se satis securos:
sed cum illi seclusis, uel in consultis Suecis, denuò in Danorum amicitiam con
sensissent, occasionem præstiterunt pertinaciori inter Sueones & Danos hosti
litati: quæ utiq; in publicam Aquilonarium regnorum perniciem emanasset,
nisi futuri belli strages, quàm Suanto in Danos meditabatur, eius præmaturo
fato intercepta fuisset. Euenit aũt huius optimi principis Suantonis mors in
Principio anni à Christo nato M. D. XII. in ciuitate Arosiensi: in qua etiã sepul-
tus, nominis sui gloriam ad posteros transmisit immortalem.

Steno Sturei iunior præmortui Suantonis filius, post patris funera difficul-
ter ad paternum principatum peruenit. Erant enim in comitijs Stocholmensi-
bus, quæ pro constituendo Principe celebrabantur, multę, & uarię, ac penitus
contrariæ senatorum sententiæ, quibusdam asserentibus operæpretium fore,
Regem, aut Principem aliunde accersendum: quibusdam id nequaquam Rei-
publicæ expedire dicentibus, sed ex procerum senatu iuxta maiorum decreta,
& patriæ consuetudinem assumendum. Quo factũ est, ut nobiliſsimus Sueo-
num Ericus Trolle, à magna senatus parte Princeps designaretur. Erãt in hoc
Erico plurimæ partes, ob quas non solum Princeps, sed Rex creari meruisset.
Nullus enim iuste negare poterat, quin morib. esset integerrimus, & in rebus
gerendis prudentiſsimus: imò, quod rarum in nostræ ætatis nobilibus esse so-

let, eximiam in diuinis & humanis legibus eruditionem cum summa laude, & multorum annorum studio sibi comparauerat. Sed hæc omnia non tantum ei prodesse poterant, quantum illi oberat, quod Trollorum familia publicum patriæ odium, ob Danicæ factionis studium contraxisset. Habebat enim hæc familia non paruum apud Danos numerum prædiorum: quæ ne amitteret, Danorum, partibus studiosius, quàm utilius inseruiebat. Quocirca Vincētius Episcopus Scharensis, cæteriq; Prælati, & proceres, qui se magis Sueticæ, quàm Danicæ Reipublicæ debitores considerabant, eam Erici nominationem magno consensu cassauerunt, affirmãtes se nulla ratione induci posse, ut aliquem sibi præficiant, in quo etiam minima Danicæ factionis suspicio inueniri possit, præsertim cum nullo unquam tempore Danicæ originis homines Sueticis rebus fideliter, atque ex animo consuluissent. Tanta etiam est in Sueonum & Danorum moribus disparitas, ut qui eos coniungere uelit, nimis imprudenter, aut contra patriam insidiosum se esse probabit. Sed de his alibi, nunc ad comitia Stocholmensia redeamus: in quibus Steno, tum ob paterna merita, tum etiam quia patriæ amantissimus habebatur, à maiore & saniore senatorum parte, Gothorum Sueonumq; Princeps efficitur. Eodem anno Christi M. D. XI. quo pater uiam uniuersæ carnis intrauit, incidit inter hunc Stenonem & Gostauum præfati Erici Trolle filium, Archiepiscopum Vpsalensem, discordia nimium pernicioſa: ob quam non solum illi duo, sed tota patria ad extremam ruinam deuenit. Erant ambo iuuenes, ambo illustrissimo sanguine nati, ambo uehementis spiritus: sed Steno iustior, & modestior in sua causa uidebatur, utpote qui legibus Ecclesiasticis, & bonorum uirorum arbitrio se parere uelle affirmabat. Fecitq; Gostauum tam per Leonem Papam X. quam per Regni Sueticæ Pontifices sufficienter admoneri, ne patriæ tranquillitatem tolleret, aut turbaret. Sed durior erat in Archiepiscopo animus, quam quod permitteret sibi aliquam concordiam persuaderi cum Stenone, qui patrem Ericum à tam amplo principatu seclusisset: spemq; maximam in Danorum Rege Christiernio sibi reponere ostendebat.

Tum Steno, considerans Archiepiscopum nullo ingenio, nullaq; admonitione ab illo odio reuocari posse, collectis militum copijs ipsum in Castro Almerstech inclusum obsedit, exercitumq; Danici Regis (qui ut eum obsidione liberaret, aduenit) debellatum profligauit. Deinde obsessum, & Danica auxilia frustra expectantem, ad deditionem coēgit, euersaq; funditus arce, ipsum in monasterio Arosiensi (quod Insulense uocant) inclusit. Quo facto causam eius coram Summi Pontificis legato Ioanne Arcimboldo, in comitijs Arbogensibus exponi fecit. Estq;, intercedente legato, & Regni senatu, à Stenone sub ea conditione in gratiam receptus, ut de cætero se in Vpsalensem Archiepiscopatum non ingereret, sed in paternis bonis pací & tranquillitati studens resideret. Patrem quoque eius Ericum ut nonnullos alios Danicæ factionis proceres, in Arce Stocholmensi captiuum inclusit. Deinde regnum circuiens, publico omnium incolarum fauore excipitur, secq; illis, & illos sibi iureiurando obstringit. Factus enim erat in oculis omnium subditorum suorum gratiosus, & maximè popularis, quia alias patri Suantoni, cum populum tributis oneraret, ad genua procubuit, & tributorum laxationem impetrauit. Quocirca iam in Principem assumptus, non modò tributa à beneuolis subditis, sed ipsam eorum uitam pro sua ipsius salute in mille mortis pericula paratam & promptam expertus est. Itaque tot populis suffultus, tam potens euasit, ut multorum Regum, ac Principum uiribus resistere potuisset, præsertim si parem prudentiam in suis quotidianis consiliarijs cum magnitudine potentiæ suæ coniunctam habuisset. Sed erant in eius Camerario consilio ad assentationem plurima, ad publicam uerò utilitatem minima loquentes, quippe qui nec satis prudenter

erant, nec alios prudentiores in Principis consilium admittebãt, sed detractionibus, susurrationibus, suggillationibus cæteros innocentes apud iuuenem Principem lacerabant. Vnde breui effectum erat, ut ob eorum malignam imprudentiam, & imprudentem malignitatem, plerique optimi & prudentes uiri ab eo se remouentes, alium rerum statum, quàm præsentem expectarent.

Quòd cum Christierno Danorum Regi compertum esset, cogitabat idoneum tẽpus aduenisse, quo Danicæ telluris angustias erumpere, & spatiosa Gothorum, Sueonumq; regna potenter subiugare posset. Magnum igitur, & potentem exercitum ex Saxonibus, Frisijs, Vuestphalis, Scotis, Danis, Gallis educens, Stocholmiam Sueonum regiam ualida manu obsedit. Sed non poterat Steno tot populorum fauoribus, & obsequijs præmunitus à Dano superari, cuius nomen apud Sueones publico odio laborabat. Imò Christiernus in ea obsidione, qua Stenonem obsidere uidebatur, tam duriter à fame, à commeatuum penuria obsidebatur, ut magna exercitus pars inedia periclitaretur. Proinde reuocatis ab obsidione copijs, classem, qua uenerat, in Daniam reducere parat. Sed postquam se ad reditum parasset, & uentis uela committẽda essent, uentus uehemens & contrarius eius profectioni obiectus est: qui cum totis quatuor mensibus pertinacissime flaret, Christiernum ad intolerabilia incommoda adegit. Nam egredi in terram, obsistente Stenone, & progredi in Daniam resistente uento, impossibile erat. Tum Steno generosi, & magni animi Princeps, comperta extrema inimici necessitate, rarissimę humanitatis officio in ipsum usus, tantum commeatuum, & expensarum ad eum liberalissima donatione misit, quantum sustentando toto eius exercitui sufficiebat. Christiernus autem, percepto eo beneficio, legatos ad Stenonem dirigit, asserẽs se cum eo ad familiare colloquium super publica pace descendere uelle. Parum aberat, quin Steno Danica astutia persuasus, ad ipsius classem se contulisset. Sed suorum fidelium cõsilio reuocatus, Hemmingum Gaddum, & nobilissimum adolescentem Gostauum Ericson, ad eum pro pace, aut inducijs inter utranq; partem componendis emittit: quos ipse confestim erectis uelis secum in Daniam captiuatos deportauit. Et hic quidem erat finis belli, quod anno Christi M. D. XVIII. contra Stenonem, & ciuitatem Stocholmensem per Christiernum gestum erat. Qui deinde euoluto anno exercitum maiorem, quàm unquam antea congregatum, per congelatas aquas in Sueciam direxit. Quem Steno animosius, quam circumspectius in terris Vestrogothorum pugna gliciali excipiens, primasq; in acie partes strenuissimè agens, ictu bombardæ in femore accepto uulneratur, statimq; uehiculo impositus ad Stocholmiam defertur: ad quam cum ferè peruenisset, animam super constrictum glacie lacum Meler exhalauit, dignus profectò longiore uita: quàm utique habuisset, si imprudentes, & malignos consiliarios à se longius remouisset. Interea Stenonis relicta uidua Christina, paucorum procerum partes eius tuentiũ persuasa consilio, per speciales nuntios, liberali promisso stipendio, pro ulciscendi mariti sui morte, frustra à Rege Poloniæ Sigismundo eius nominis primo copias postulat auxiliares. Mortuo igitur Stenone, numerosus Sueonum exercitus, cum à nullo dirigebatur, dissipatus est. Datacq; est proceribus, qui Danico Regi fauebant, occasio, ut mox eum in Suetiam aduocarent, & Regia corona in ciuitate Stocholmensi insignirent. Sed cum consideraret se à minima procerum parte in regnum accersitum, atq; ob id suam coronationem à cæteris in libertatem restitutis cassari posse, plurimos Regni senatores, & proceres eadem coronationis die, scilicet 8. Nouembris M. D. XX. diuersorum ordinum principes, magnates, consules, ac ciues numero XCIIII. populo astante, ac trepidante, ferro, malignorum consilio stimulatus, detruncari iuberet, atque triduo ante prætorium urbis Holmensis inhumata eorum corpora, donec extra ciuita-

tem comburenda deportarentur, remanere. Profectò lamentabile spectaculum, quòd ipsi Christierno procul dubio mille miserijs postmodum uexato occurreret, sic instigante consilio ad gratiam receptos, quos perendie amicabiliter inuitatos hospites ad Regale conuiuium habuisset, puniuisse: id'que non usitato radiendi modo, sed cruci affixum quendam Magnum Ioannis præfectum, patriæ suæ ualidissimum defensorem, & uarijs torturarum generibus eum affecisse. Postea eiusdem diei insequenti nocte uiduæ, quarum mariti ferro consumpti ante ora bestiarum in publico foro iacebant, pecunia, & omni suppellectili per insatiabiles Daniæ præfectos spoliatæ, inconsolabiliter ingemiscebant. Certè turpissimi, erant officiales illi, solo terrore Regij nominis, cunctos maximè in noxios, deprædantes. Nec melior erat pupillorum, & orphanorum conditio, qui omnibus fortunæ bonis spoliabantur. Seruabatur interim uigilantissimo custode ciuitas, ne quis ex eo communi omnium ciuiũ carcere erumpat, ut regni incolis patrati facinoris seriem denuntiet: quàm si libera populi multitudo subitò persensisset, nihil cõmissi facinoris inultum remansisset. Quòd cum Rex aduerteret, in sola fuga salutem suam reponens paucis postmodum diebus inde uersus suam Daniam se recipere est coactus: in quo itinere plures mortificari iussit, præsertim apud Ostrogothos in Vastemo, terra S. Birgittæ: demum in Nydalensi monasterio Nouæuallis dicto: ubi licet humanissimo hospitio susceptus esset, tamen die Purificationis diuæ Virgini dedicato, Abbatem cum 7. monachis peracto altaris sacrificio, manibus à tergo ligatis in rapidum flumen submergi iussit: unde cum Abbas naturali fortitudine funibus ruptis ad littus enataret, à Regijs satellibus ferro excerebratus interijt. Ita & paruuli illustris familiæ Ribbingorum Vestrogothiæ, quibus hostilis barbaries ignoscere solet, gladio sublati sunt. Quo factum est, ut sub eo congregatis 30. millibus incolarum armatorum, ipse sibi cõscius perdeuia, ac inuia potius nocturno, quàm diurno tempore præcipiti cursu se reciperet intra limites suæ Danicæ ditionis: ubi neq; diu sine simili formidine securior est relictus. Adeò uelox fama factum eius ante aduentum ubiq; monstrauit, maximè apud subditos Cæs. Maiestatis in terra Batauorum, Brabantorum, ac aliarum nationum: ubi dudum cum in honore esset, & sublimi gloria, ante hunc stragem in plæroſque proceres regni commissam, habitus erat gloriosus. Danica tamen nobilitas post exactum Regem Christiernum antedictum 44. articulos in Vrbem, & totum orbem, pro sua excusatione, cur ab eodem Rege defecerat, publicè legendos emisit. Ita & Senatores regnorum Suetiæ, & Gothiæ, ac Norueginæ, tam antea, quàm posteà repetitis uicibus libris, & literis sese excusarunt.

DE BELLO RHODIO LIBRI TRES, IACOBO FONTANO BRVGENSI AVTHORE, PRAEfatio.



RAEPARI mihi licet, quod profesi plericq; sunt rerũ scriptores, bellum maximè memorabile, omnium quę unquam gesta sunt, me scripturũ: sic Liuius, sic ego, & fortè uerius, quod magnus Turcarum tyrannus Solymannus, terrâ & mari gesit cum Equitibus diuo Ioanni consecratis, & Imperij Christiani limites ad Orientem defensantibus. Nunquam enim prælium tam crudele, & atrox. Mars æquè dubius fuit: norũt qui mecum in parte laboris & periculi fuerè. Credet facilè, quisquis sacræ & nobilis militiæ (nullius enim nomen recipitur, nisi ad aram, & exhibito indice natalium) olim institutum, & hactenus obseruatum, pugnandi cum Turcis morem animaduerterit: tum horum opes & potẽtiam, qui uirilibus & incertis primordijs (ne originem suam, nec ipsi quidem satis tenent) ab antris Caucasi, debellata initiò Asia, deinde Thracia, postremò reliqua Græcia, duobus florentiss imis imperijs Trapezuntio & Constantinopolitano euersis, omni propè Illyrico perdomito, in Italiam usq;. Hydrunte capta (quæ in Italiæ & Calabriæ finibus est) penetrauerunt: & recenti adhuc memoria, quasi hesternæ diei, Sultano uno pòst alterum, uita & imperio priuato, totam Syriam cum omni Aegypto Arabiaq;, opibus suis adiecerunt. Quod bellum sic ex sentẽtia confectum Rhodiano initium dedit. Est enim filio Solymanno usum, quod Solymo patri, qui anno abhinc quinto maxima classe Rhodum obsidendam parata, uita defunctus est, difficilem sibi ex Lesbo, Chio, Peloponneso, Eubœa, Propontide, ipsoq; Byzantio nauigationem futuram in Syriam atq; Aegyptum, stante incolumi Rhodo arce militũ: utpote ex qua illi maritimis suis excursionibus, totum litoreum tractum deuastent, nonnunquam iusta classe congredi audentes. Præterea, ducere dedecus imperij sui, ferre gentem inimicam in ipsis regni penetralibus. Adhęc ambitioso iuueni magnos spiritus ministrare, Alba anno superiore ad confluentem Saui & Danubij uicta. Tum, quæ nequaquam multa molienti negligenda est, occasio temporis, quo principes Occidentis maximis cladibus sese inuicem afficiebant. Veruntamen priusquam belli gesti, Rhodianæq; obsidionis initium aggrediar, quo ad cognoscendum omnia, ut magis magisq; in aperto sint, quędam altius repetere necessarium est. Nam ut experior, istud bellum multorum fide maius, ita eius quoq; historiã inuenio magis laboriosam mihi, quàm putaram. Sed istud quoq; malum pòst tot acerbos casus, hostium iniurias, bonorum direptiones, cædes, exilia, pericula uasti maris, febres, morbos, pestem, oculorum ophtalmiam, mihi deuorandum est. Etsi laboribus meis nulla certa merces, quam non tam specto, quàm laudem defensionemq; ueritatis, & sacrorum nobiliumq; Hierosolymitanorum equitũ gloriam: tametsi nemo dicendo, aut scribendo tantam illis gloriam parare potest, quantam ipsi sibi pugnando pepererunt. Quod igitur sacræ militiæ & mihi uertat bene, sic exordior.

Fabritio Carectano ingenti luctu, desiderioq; plebis nouendium uita functo, fuerat enim ad populi fauorem aucupandum, affabre factus, doctus lite-

ras Latinas, callidus, acer ingenio, cui consilium nec incœptum ullum frustra fuit, magnificus, siquidem magnam urbis partem nouo, ualidoq; murorum ambitu cinxit, arma, tela, machinas, commeatum affatim importari fecit, denique omnia quæ in bello uario, & multarum rerum egenti, usui esse solent. Culpant aliqui, quòd ærarium immodestius tractauerit, quibus ego nec assentio, nec repugno. Vbi luce orta, æs campanam sonuit, uniuersa militaris concio in classes suas distributa, ad phanum diui Ioannis conuenit: peracto solenni sacro, quæq; testata crucem, Intermagistro pridem ab antesignanis constituto, spondet allaturam sese de corpore suo militem: quem habeat optimum & prudentissimum. Constituitur hac ratione ex singulis militum decurijs octumuiratus quidam, cui ius, fasq; est, præfectum comitiorum nominare, & tres mox suffragia daturos, dicere Equitem, qui summus suffragantium uocatur. Sacrificium, optionemq; militarem hi triumuiri frequenti ordine præfecto comitiorum ante aram (neque enim iam octumuiratus amplius, aut Intermagister, cuius potestatem uoluerunt maiores momentaneam esse, ne qua fraus suffragijs fieret) sacramento astipulantur, quæsituros ex toto ordine militari, quatuor & decem integros ac spectatæ fidei uiros, quibus socijs tribum suffragãtem perficiant. Quæ simul atque exit Christiano ritu expiata, per adorandam crucem quatuor Didascalicos libros uolumini sacrificiorum, omni priuato affectu abiurato, non alium sacræ nobilissimæq; militiæ præfecturam se uouet, nisi claris legitimisq; natalibus & maximis in Rempublicam meritis commendatum. Quo uoto, sacramentoq; à præside comitiorum stipulato, suffragatores secedunt, qui post graues de multorum uitijs ac uirtutibus censuras, duorum potissimum rationem habendam esse duxerũt: Philippi Vilerij Liladami, & Thomæ Docrai præfecti equitum Anglorum. Hunc siquidem plurimum cõmendabant magnæ opes, ingenium, magna experientia, consuetudo Regum & principum: ad quos arduis sæpè legationibus functus est. Illum negotia militiæ bene prudẽterq; in Gallijs & Hispanijs administrata, usus rerum Rhodiensium, fortitudo animi & corporis, uirtus omnibus spectatissima: nec, ut quorundam esse solet supremum Magistratum ambientium, simulata atq; efficta ad tempus. Factum hoc modo est, ut sors utriusq; par exierit, sed Liladami prærogatiua fuit suffragio equitis summi primiq; inter suffragatores: qui appellatis more maiorum Decurijs, uellent ne suffragatrici tribui intercedere, aut obnunciare quippiam: simul ut responderunt, nolle: Quod ergo, inquit, Deus, & numen tutelare prophetes Baptista, sacræ nobilissimæq; militiæ nostræ bene & fœliciter uortat. Renuntio uobis Magnum Magistrum nobilissimum equitem, F. Philippum Vilerium Liladamum. Statimq; reclamatum est ab uniuersa concione: Nobilissimo equiti F. Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro nostro uita, uictoria, & decus æternum. Qui quamprimum literis nunciisq; à Rhodo missis, fortunæ suæ certior factus esset, celerrimè ad iter se accinxit, moues è Lutetia Parrhisiorum maximo splendidoq; comitatu, Franciscum Christianissimum regem Galliarum, Burgundionum fines ab incursibus Cæsarianorum tuentem, adijt: benignè acceptus, & dimissus Rhodano flumine (in quo nauigium armamentis bellicis onustum, negligẽtia gubernatoris ad pontem ciuitatis Viennæ perijt) Massiliam nauigat urbem, quòd sciunt omnes uetustissimam, in qua ob uetustatem nimiam, nulla uetustatis extant monumenta. Paucos hic dies commoratus, classem conscendit: leui inde uento Niceam, in finibus Allobrogum delati, maximam nauium nostrarum puero conquinario negligentius ignem seruante, incendio propè amissimus: actumq; iam erat nisi Magnus Magister graui edicto facto, ne quis nauim relinqueret, suos uoce

& exem-

& exemplo confirmans, ardorem flammæ enascentis restinxisset. Liberati anci piti periculo, hanc quoque deserimus sedem, uastumq; caua trabe currimus æquor. Corsicam & Sardiniam præteruecti, in fœdam maximamq; tempestatem incidimus. Cœlum strepere ingenti sono, & inter horrendos fragores crebri micare ignes: capti omnes auribus, oculisq; uota nuncupabãt. Miserrimus ego insolita rerum facie, præ cæteris magis perterritus, flamma micanti exanimatus, uexatione fractus, nausea ac uomitu sordens, interq; undæ furẽtis procellas obrutus, Deũm hominumq; fidem implorabam. Affuit uotis præsens numen, Syracusis antiquitate & fortibus gestis illustri urbi applicamus, nouem hominibus fulmine enectis, pluribus percussis: animalium brutorum, boum, ouium maior lues fuit. Hic ad curam, quietemq; corporis, & nauium refectionem aliquantisper commorati, nactiq; auram secundam, uela & anchoras tollimus. Prosequitur à puppi uentus euntes, sed ecce mox aliud matertium, quem in uinculis tenebant) Rhodiani occidẽre, classe ex triremibus, nauigijsq; rostratis collecta, expectare in statione ad Maleæ promontorium aduentum Magni Magistri. Diu disceptatum, esset ne utile quatuor tantum nauibus merces opulentas multorum negociatorum, materiam incendiariam copiosissimam, ac commeatum omnis generis, preterea ipsum principem uehentibus, occurrere maritimo latroni, nihil præter tela & hostes afferenti. Sed conti, portum Rhodium intramus, summa nostra & oppidanorum lætitia atq; alacritate. Processere obuiam armatæ triremes sacræ militiæ cum signis, sono, concentuq; tubarum. Arx Nicolea, & turres quæ utrinq; portum muniunt, omniaq; urbis propugnacula, multa crebraq; bombarda intonuere. Equites antesignani Magnum Magistrum obuijs exceptum ulnis, festo apparatu, per medias turbas hominum undiq; sese effundentium & precantium fausta lætaq;, in urbem ad Phanum diui Ioannis induxerunt: hinc peracto solenni sacro, cum plausibus & clamoribus, alijsq;, quibus effusa lætitia uulgò significatur, in prætorium. Paucis inde diebus interiectis, Cortugolus nauigatione nostra elusus, fremens, frendensq;, subitò secundo exorto uento, obscuræ, quietæq; noctis auxilio speculatorem fallens, in fretum Rhodium erupit, ex insula fortè post deuastationem agrorum, prædam abacturus: & inciderant in eum, nisi sese commodùm uentus mutasset, duæ naues Venetæ ab Hierosolymis reduces, quæ eadem nocte à portu Rhodio soluerant. Aduentu hostili, & discrimine sociorum, classe quæ in anchoris stabat, quàm celerrimè expedita, Equites Rhodij in piratam tendunt, quod ille uidens, effusè fugere cœpit. Rhodij qui in spe erant classis potiundæ, satis pertinaciter secuti sunt. Verùm postquã celeritate nauium, utpotè leuium, suas grauiores eludi uiderunt, abstiterũt incœpto, naues sociorum in pacatum ducentes. Tempore haud multo pòst, uenit Rhodum è castris iuxta Thaurinum Pannoniæ positis orator, missus à tyranno Turcarum cum huiusmodi literis:

SOLYMANVS TSACCVS, DEI GRATIA REX REGVM, *Dominus dominantium, Maximus Imperator Byzantij & Trapezundarum, Rex præpotentißimus Perſidis, Arabiæ, Syriæ, ac Aegypti, Dominus Aſiæ & Europæ, Princeps Mechæ, Alepi, Hieroſolymorum Dominator, poſſeſſorq; maris uniuerſi: Reuerendo Patri F. Philippo Vilerio Liladamo Magno Magiſtro Rhodi, & Aſiæ legato Salutem.*

GRatulor tibi aduẽtum & nouum principatum: quem, ut habeas diu fauſtum & fœlicem cupio. Spes eſt enim mihi quod uirtute & fide ſuperaturus ſis omnes, qui retro in inſula Rhodienſi imperarunt, à quibus maiores mei ſemper uim ſuam abſtinuerunt: quorum exemplo, ineo tecum amicitiam & gratiam. Gaude igitur amice, & gratulare mihi uictoriam & triumphum. Siquidem æſtate ſuperiori Danubio traiecto, regem Vngarorum, quem occurſurum credebam in acie, ſub ſignis expectaui inauſo prælio decertare. Taurinum totius regionis urbem munitiſsimam, & uicinas aliquot arces ui abſtuli, multis mortalibus ferro, & flamma trucidatis, pleriſq; in ſeruitutem redactis. Victor & triumphator dimiſſo exercitu in hybernia, regreſſus ſum ad regiam meã almam urbem Conſtantinopolim. Vale, ex caſtris.

Recitata hac Epiſtola in ſacro, auguſtoq; conſilio procerum anteſignanorũ, intellexit illico prudens Magiſter uerbis ſibi nunciari pacem, re autem uim: quam, quòd paratus eſſet alia ui repellere, non diſsimili artificio, literis ſic compoſitis, ſignificauit.

Philippus Vilerius Liladamus Magnus Magiſter Rhodi, Turcæ.

EPiſtolã quam ad me attulit orator tuus, rectè intellexi. De amicitia quod ſcribis, tam gratum eſt mihi, quàm ingratũ Cortugolo. Conatus eſt ſiquidem, dum huc uenirem à Gallijs, me ex improuiſo opprimere. Quod ubi non ſucceſsit, obſcura nocte fretum Rhodium iniectus, naues onerarias, quæ ab Hieroſolymis Venetias nauigabãt, deprædari tentabat. Sed claſſe è portu meo mox deducta, uim prohibui, coegiq; piratam fugere, & prædam Cretenſibus negociatoribus ereptam relinquere. Vale, ex Rhodo.

Remiſſus eſt Legatus cum ſumma fide & muneribus, adiuncto ei comite, qui literas Magiſtri perferebat, homine quodam priuato: raro enim dignata eſt Rhodus Turcam legatione publici equitis. Tyrannus præcoci ingenio adoleſcens, cui rerum prudentia uelox ante pilos uenit, contemplatus ingenioſam talionem literarum redditarum, ſenſit ſecum agi ſuis artibus, & Rhodios paratos eſſe uim contraria ui repellere: neq; tam leuiter quàm Taurini defenſores, deditionem & imperata facturos. Veniebat præterea in mentem, quæ proauo Mahumeti acciderũt, accidere ſibi poſſe. Fortunam & Martem fallacia eſſe numina, quæ fidem in paruis ſibi præſtruunt, ut cum operæprecium ſit, cum magna mercede fallant. Hoc modo animum celerem nunc huc, nunc diuidens illuc, in partesq; rapiens uarias, libidine aduerſum nos, metu pro nobis ſuadente, Cortugolum accerſiri iubet. Vocatus accedit præeuntibus duobus auguſtalibus Muſtapho & Farao, cui, ut mihi narrant, Tyrannus ſororem collocauit, hicq; omnia in Rhodios acerbè atq; ad gratiam principis ſunt locuti, ut facere ſolent quos regiæ opes alunt: ſed acerbiſsimè Cortugolus uir natura ferox, belli haud ignarus, probè intelligens literis de ſe quærentibus gratiæ ſuæ apud regem non modò decreuiſſe quippiam, ſed etiam permagnam eſſe acceſsionẽ factam, quem in hunc modum locutum fuiſſe accepi:

Ingentia tua erga me merita, optime maximeq; Imperator, faciunt, ut quæ æſtimem tibi & imperio gloriæ decoriq; futura, liberè loquar. Voces quotidie

ad me

ad me miserabilium hominum ex insulis Mithylene, Eubœa, Peloponneso, Achaia, & continẽti Caria, Lycia, atq; omni litoreo tractu Syriæ ac Aegypti perferuntur, exponentium agrorum tuorum depopulationes, direptiones urbiũ, prædas hominum & armentorum, multaq; infinita alia & incredibilia mala, quę indies patfuntur, nemine uim prohibente à Cruciferis illis & Pyratis Rhodiensibus. Tendunt mihi miseri supplices manus, opem meam orant, instant, urgent, ut illis auxilium ab imperiali maiestate tua implorem, ut illos ab iniuria, cæde, rapinis istorum Cruciferorũ defendas. Oro te igitur per adorandum nomen Mahumetis, per genium imperialem, ut populum tuum ab his crudelissimis hostibus liberes, ut ex ferro, flamma, & ex graui seruitute, quæ morte durior est, aliquando eripias. Atq; illud tecum etiam cogites, non tam populo & priuatæ plebeculæ hanc iniuriam, quàm publico honori & nomini tuo, inferri. Quàm si Regum, si Principum aliquis Christianorum inferret, non pateres, scio, inultam: & nunc sinis latrones, sicarios, colluuiem hominum agros tuos uastare, urbes diripere, populum trucidare, mare totũ unicuiq; nostrũ infestum reddere? Quis enim nauigat Damascum, Alexandriam, Memphim, Chalcidem, Lesbum, Chium, regiam tuam Constantinopolim, qui non maximis ac certis quidem ab istis Cruciferis imminentibus periculis se exponat? Quid per tot annos statim post uernum æquinoctium audimus aliud, q̃ Cruciferos Rhodios portum aliquem Turcarum occupasse? Turcas in seruitutem miserrimam redegisse? prædam hominum ac rerum preciosissimarum, ex urbibus atq; agris direptam, Rhodum aduexisse? Et quod turpissimum est, te inspectante, in medio & penetralibus regnorum tuorum hæc omnia fecisse. Ignosce mihi obsecro Imperator, si aperte nimium dico, quod sentio: quicquid enim à me dicitur, nulla alia de causa dicitur, nisi ut tu aliquando facias, quod iã multos ante annos factum esse oportuit. Quòd ad religionem nostram Mahumeticam ampliandam, ad imperij & nominis tui protelationẽ pertineat: pro quo quidem propagando nostras fortunas in quodlibet discrimen afferre, corpus telis armis q̃ obijcere, nihil laboris, nihil periculi subterfugere debemus. Quòd si laudum & pugnæ amore flagras, & ad perpetuam immortalitatem mirum in modum tendis, quo eam bello facilius consequi poteris, quàm si Rhodum, quæ quoddam Christianorum propugnaculum est, & dicitur: quæq; sola nos ab illorum regionibus prohibet, expugnes, & in deditionem cogas? Dices fortasse hic: Maiores mei toties urbem illam frustra tentarunt: tentarunt & Thautinum Pannonię urbem. Tu tamen multò magis munitam nunc quàm priscis illis seculis in potestatem tuam redegisti, & de Rhodo desperas? Depone uanum istum timorem, audendo, agendoq; res Turcica creuit. Properemus ad illam obsidẽdam terra & mari. Si populus tuus seruitute gemens, manibus suis eam cõstruxerit, num libertate, cupidine, atq; occasione, tot illatas iniurias ulcisendi gaudens, eisdem manibus destruere poterit? Quòd si cognoscas, Imperator, est tibi, procurante summo propheta Mahumete, diuinitus oblata occasio, dum Christianus occasus intestinis cladibus laborat. Num in gerendis negotijs ignoras sequendas esse temporum opportunitates, & in occasione rerum desidiam, ac tarditatem omnem quàm diligentissimè fugiendam? Mutabilissimæ quidem sunt temporum uices, & fortunam cum abire permiseris, frustra postmodum discedentem ac fugientem sis imploraturus.

Hac oratione animus iuuenilis inuidia Christiani nominis æger, honorum & imperij appetentissimus, facilè ad bellum decernendum impulsus est. Sed primũ rem ad proceres detulit, ubi sic locutus fuisse traditur: Etsi nõ dubito, uiri fortissimi, eandem uobis nunc mentem esse, quæ in alijs aggrediendis gentibus semper fuit, de cõmuni tamen gloria atq; commodo, commune indicare

consilium

consilium uolui. Ex eo tempore, quo pater meus uita defunctus est, cum diuersis populis ac nationibus bellum gessimus. Syros, ut sunt natura instabiles, & ad res nouas moliendas proni, rebellionem tentantes, ut in officio continuimus: Sophum Magni Vsuncassani ex filia nepotem, quæ Iacupi Regis soror fuit, præpotentem illum regem, semper nobis corde & opere mala machinantem, nec dum Assyria, Media, Armenia maiore, Persideque Mesopotamia contentum armis nostris, intra septa sua concluſimus. Anno superiore, omnem Pannoniam ultra citraq; Danubiũ peruagati, Thaurinum totius regionis locum munitissimum cepimus, quæcunq; tentauimus, subegimus. Tamen, ut de me ingenuè dicam, animus supra imperium & sanguinem Othomanicum ingẽs, in his uictorijs conquiescere non potest. Nam quæcunq; hactenus egistis, & si magna sunt, minora tamẽ uirtute uestra æstimo. Huc me rapit cupido, hoc semper exarsi, Rhodum illam petere, omnesq; Rhodianæ militiæ uires & castra dicitùs euertere. Non'ne uos idem haud sanè minus quàm ego semper optauistis? Quoties enim uoces audiui Rhodum, Rhodum conclamãtium, tempus à me expectatum est, ut expediti aliarum gentium bellis, huc omnes neruos, animosq; in unum intenderemus. Quod tam diu cupiuistis, in manib. uestris est. Nulla maior unquam facultas data bene gerendæ rei: murorum urbis Rhodiæ permagna pars solo æquata iacet, quæ haud paruo tempore restitui poterit, ærario expilato. Adhæc arcis præsidium parua manu militum constat, auxilia à Gallis longinqua, post Rhodum expugnatam, futura sunt, aut quod mihi uerisimilius est, nunquam. Neq; enim Rex Frãcorum cum Imperatore Germanię & Italię domino, ad internitionem depugnans, patietur naualia sua dearmari, portus suos denudari præsidio nauium. Nec credatis etiam Hispani generis homines domi fame, bello, intestinis odijs implicitos, foris huc ex Sicilia & Campania tam facilè militem & commeatum portaturos. Sed maior instat, ut putatis, à classe Veneta, ab auxilijs Cretæ insulæ timor, imò nullus. Scio, neque debeo omnibus palàm facere, quomodo huic malo occurrerim. Ergo magnanimi uiri, nati ad subigẽdam uniuersam Christianorum ditionem, nedum Rhodum, sequamini alacres me crudelissimis & perfidis hostibus bellum inferentem. Quousq; patiemini quæso familiæ Othomanicę, & in uniuersum Turcis omnibus maculum eam adhærere, quàm Rhodij nobis asperserunt, uictoria superiori obsidione parta? quam non tam uirtus illorum fecit, q; proaui Mahumetis consilium infœlix, Mysachum Palleologum militiæ ducem, una infœliciter commissa pugna, reuocantis. Sed fecerit sanè illorum uirtus uictoriam, tolerabitis'ne ideò semper toto mari pyraticas istas excursiones continenti & insulis, urbium atq; agrorum deuastationes, prædas animaliũ, & quarumcunque rerum optimarum, incendia, supplicia q; raptus coniugum, cædes liberorum, seruitutem affinium cognatorum uestrorum? Non sic me bene Mahumetus meus adiuuet, cuius ope atque auxilio, inuitis Christo & Ioanne Crucifero rorum magnis Dijs, spondeo me breui lunata signa medio urbis Rhodiæ foro defixurum. Nec quicquam mihi nisi gloriam quæro, utilitatem do uobis commilitones: auri & argenti cælata uasa, mundum muliebrem (qui pretiosissimus esse dicitur) omnem pecuniam, splendidamq; suppellectilem, ad uxores, ad liberos uestros, domum onustis nauigijs deportare. Nunc ergo ad Rhodum oppugnandam totis uiribus, bonoq; animo transeamus. Cumq; hoc faciendum omnes una uoce succlamarent, assurgens Pyrrhus, natus (ut mihi relatum est) patre uulgari, desertore fidei, cui longa uita & odium Orthodoxę fidei, mille artes, & nomina mille nocendi pepererunt: Non possum (inquit) non plurimum admirari præcocem, maximamq; prudentiam, & uirtutes, atq; ingenium Imperatoris nostri, adeò prudenter & diserte omnia, maximi clarissimiq;

ducis

ducis in bello suscipiendo consilia exposuit. Fœlix Mahumetus, ter quaterq́ hoc imperium beata hæc Respub. fortunati nos tali principe: qui non tantùm uiros & arma, sed prudentiam atq́ consilium in prælia ducit. Quem optimum & laudatissimum pugnandi morem, si semper ad manum, semper ante oculos habeamus, non modo Rhodum, sed breui omnem Christianorum ditionem in potestatem nostram redigemus. Verùm ætas & experientia mea, præter ea quæ iuuenis Princeps sedulò & diligenter inuestigauit, suadet ex equitum ciuiumq́ Rhodiensium ordine, maximos (si fieri potest) uiros corrumpendos esse, & præmio, pollicitatione, mercede, gratia, denicq́ modis omnibus, ad proditionem, secretorum consiliorum solicitandos: quod quomodo fieri possit, accipite. Ego quasi pacis quietisq́ cupidissimus arbiter, inducam nuncijs, literisq́ Magnum Magistrum, ut ad Principem nostrum legatos mittat, qui ubi in nostra erunt manu, finite agere Pyrrhum. Placuit omnibus & in primis ipsi Tyranno, senis uiri consilium: mandatumq́ ut rem illico summa cura, fideque expediret: cæteris ducibus, ut pararent terrestres nauales q́ copias, quàm maximas possent. Nec q́ diu continuit se bellici apparatus rumor. Mense intercalari pridie Nonas, Rhodi nunciatum est Turcam nauium longarum carinis positis, contracta ad effectum eius operis ex Chio & reliquis portubus multitudine fabrorum, omniq́ alia nauali materia ferro, linteis, sparto, maximã classem Constantinopoli fabricare. Quæ fama dum indies crebrior, constantiorq́ circumquendam Epidaurensem Turcaicæ linguæ peritum. Renunciatis è Byzantio, epistola inter liquamina piscium abscondita, classem maximam parari, militem scribi, numerum præterea & formam tormẽtorum. Cæterùm hostem impetendum uulgò incertum esse: multos, tam de Rhodo, quàm Italia dubitare, plærosq́ de Cypro, aut Corcyra. Nuncium istud multorum animos, omen à se alienantium, securiores fecit: sed dum homines in quosuis potius, quàm semetipsos bellum apparari credunt, affertur sociorum amicorumq́ literis, finitimos hostium portus diligentissima custodia obseruari. Inter has belli immi-nentis curas, minimè idoneo tempore, quidam ex equitib. Italicis missionem & præmia flagitarunt, acerbè in Romanam curiam loquuti: cui stipendiorum suorum defraudationem acceptam referebant. Verùm Magister prudentia ac consilio suo tantum effecit, ut responderent omnes, non consueuisse equites Italos Remp. in ancipiti discrimine constitutam relinquere, nec nunc quidem relicturos. Verùm quo plura bene atq́ strenuè fecissent, eo minus iniuriam tolerare, cupere igitur se, ut primo quoq́ pacatiori tempore legionis optimè meritæ ratio habeatur. Deinde cœptum est urbis Rhodiæ cura & præsidio cogitari. Equites nautæq́ lignatum missi sunt, in desertum continentis Latonæ lucum, Phisco antiquo Lyciæ oppido uicinum. Arma, tormenta, telaq́ recognita sunt: lapides molares, quibus molas manuales, asinarias q́ quisq́ sibi fabricare iussus, erat, ex Nysiro insula importari: urbana multitudo in heptacurias suas partita est, Muri & propugnaculum Auernorum, à Basilio Cæsaris Caroli Quinti architecto, Magistratu Fabricij modulatum, maiori cum diligentia perficiebantur: captiuis ad uoluntarios labores præmio liberalitateq́ Magni Magistri inuitatis. Dum hæc tanto studio atq́ ardore aguntur, uenit Byzantio nuncius à Pyrrho, quem diximus suprà, missus: homo festiuus atque ingeniosus, munus suum uerbis mirè adornans, prædicando dominum, indolem præterea ac facilè ingenium Imperatoris sui: attulitq́ ab eo & Pyrrho ad Magnum Magistrum bonas literas,

quale exemplar tale est.

SOLY-

SOLYMANNVS TSACCVS DEI GRATIA REX REGVM, *Dominus dominantium, Reuerendo Patri Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro Rhodi, Legatoq; Asiæ, Salutem.*

CErtior factus sum Epistolam meam redditam esse, quam quòd recte intellexisti (mirum dictu) quàm placuit. Confide, quòd victoria Thaurini minimè sum contentus, alteram spero, imò mihi polliceor: quam tibi, cuius semper sum memor, nequaquã occultam esse sinam. Vale, ex Constantinopoli.

Pyrrhi Epistola hac ferè sententia erat.

PYrrhus Apocletus, Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magistro Rhodi, Legato Asiæ, S. Epistolam tuam sensu maiorem, quàm literis, exhibui Maximo Imperatori nostro: tabellarium autem nõ sum passus admitti, ne plebeio nimium nuncio offenderetur, ad quem mittes deinceps uiros illustres, & tate ac prudentia commendatos, quibus cum si in animo habeat, possit de re communi transigere. Quòd si facias, nec te facti, neq; me consilij pœnitebit. Quem mitto, affert ad te literas, etiam à nostro Imperatore, cuius diuino numini quomodo sit respondendum, monitus es. Vale, ex Constantinopoli.

Hæ literæ trahebant in uarias partes multorum animos, qui à quietis consiliis non abhorrebant. Metientes alios ex fide, probitateq; propria, commendabant Pyrrhi consilium: dicentes uirum senem & prudentem, non tam nostræ, quàm patriæ & Imperatoris sui quieti studere: cupere eum consilio componere, quæ iuuenis princeps ferro, metuentem incerta casuum humanorum, communem belli Martem, uim fortunæ, quę maximos sæpe reges & exercitus parua manu hostium, paruoq; negotio perfundedit. Tantùm ualuerunt horum consilia, ut deligerentur oratores, frater Raymundus Marchetus, eques natus in Hispania citeriori nunc Eubœicæ præfecturæ titulo insignis, uir magnanimus, charus, facundus, & castrophylaca, ciuis Rhodiensis, Turcaicè callens. Multis dispar sententia fuit, qui fraudem, dolumq; sentientes, ab hostili consilio cauendum prædicabant. Quorsum enim ista legatio? Bellum'ne indicendum tyranno potentissimo, nondum ex professo hostis? pacem enim scribit: an deprecandum nondum indictum? Vt timeri scilicet se intelligatis, qui iam timet. Qua securitate, qua fronte etiam ibunt oratores non uocati à Domino, sine diplomate per alienum agrum, quem nos indies exurimus & uastamus? Sed Pyrrhi literas proferent. Huius scilicet commiseratio huius fides, & autoritas eos ab iniuria proteget: quasi seruus domino leges imponat, domino simillimus (hoc est) crudelis, perfidus, osor omnium Christianorum, maximè Rhodiensium: quos tyrannus, si reperiat iam parata classe, & delectu militum habito, uario cruciatu afficiet, ut uires nostras, nostros commeatus, secreta urbis, & militiæ nostræ sibi prodant. Magnam accessionem fecit huic sententiæ hominum uerè prudentum, diligens studium missi oratoris: multa & uaria inuestigandi de statu, situq; urbis, numero & fortitudine equitum: quapropter remissus est cum uno tantum Comite homine priuato, Magistri epistolam ad tyrannum afferente, cuius sententia talis erat: Quòd memor sis mei, haud molestum est: ego uicissim tui memor sum. Repetis uictoriam Pannonicam, qua non contentus alteram speras: imò uel ante bellum tibi promittis & canis: uide ne te fallas, nusquam minus quàm in bello euentus respondet. Epistola autem ad Pyrrhum missa, talis erat.

Epistola

Frater Philippus Vilerius Liladamus, Magnus Magister Rhodi,
Pyrrho Apocleto S.

Literas tuas, simul & nuncij mores, atque ingenium diligenter perpendi. Consilium tuum non contemno, nec obseruo quidem, dum miles meus agros portusq; domini tui depredatur: quod ut tolerarem, fecere iniuriæ quas à Pyratis Turcis acceperunt. Verum reuocabo excurrentes, missurus ad Imperatorem tuum oratores, ad quos fidem publicã eundi & redeundi eius diplomate testatam præmittas Vale, ex Rhodo.

Verum animaduertendum hic Magistri literas, ad tyrannum non allatas esse. Nam Turca, ubi transfretasset equum ascendens, qui in reditum paratus ste terat, adactis calcaribus, cursu quàm uelocissimo effugit, socium Christianum relinquens: qui reditu suo in urbem, magnam pacis desperationem afferebat. Quapropter missi sunt in Cretam coëmptores, qui ex insula uinum & sagittarios importarent. Nam arcubus & sagittis plurimũ utitur Creta: à Septẽtrione Aegeum, occasu Ionium Europæ maria habens: ab ortu Carpathium atq; Aegyptium, quæ Asiatica sunt: Meridie Africum. Literæ interea à Naxo missæ, dicebant naues instructas, armatasq; in aquam deduci: Barbaros moturos inchoante Luna. Nam hoc signum rebus gerendis auspicatissimum habẽt. Idem nunciebant frumentatores insulæ Pathmos, celebris ossibus Ioannis Theologi, qui nauigio quodam capaciore optimum frumentum Euboicũ inferebant: cuius uenundandi specie ac prætextu, multa quæ in urbe obsidenda agebantur, iussu Turcarũ, quibus sunt uectigales, explorauêre. Nec segnius Magnus Magister, nauiculas ad omnia explorãda circa insulas mittebat. F. Ioannes Lupus, quem Bellouacum appellãt, strenuus eques, qui postea in defensione propugnaculi Britannici grauiter læsus fuit, rem sibi mandatam diligẽter peregit, nauimq; unam rostratam onustam frumento Rhodum secum adduxit. Fuit in Feliciori unius celocis præfectus eques Alphonsus, hic cum in statione quadã uentum expectãs, remiges longius diuagari pateretur, à Pyratica quadam naue fortuitò interceptus, obnixus diu, ne uiuus in potestatem hostium ueniret, grauiter sauciatus, captus est. Biremis præter paucos, quos fors & fuga saluauerant, cum nauis capta est: ignominia magis quàm damnum Rhodios cõmouit: nam multis annis retrò, nulla nauis Rhodia hosti in prædã cesserat. Armatæ extemplò triremes, omnem oram uicinam circumnauigare iubẽtur, sicubi fortè latentem pyratam reperiant. Per idem tempus crebris ignibus una nocte post aliam in hostico sublatis, signum factum est, esse ibi mortalem colloquendi cum Rhodijs cupidum. Quare F. Menetonus eques Gallus prudens cõtra pericula & insidias, naui uiris armisq; satis instructa, ad continẽtem iussu procerum mittebatur, comite Iacobo Xayco triremium rationale, ut à loci incolis atq; amicis omnia de futuro bello industriè diligenterq; inquireret. Erat enim Xaycus præter maris ac regionum notitiam, ciuilium quoq; rerum gnarus, & Turcis negociatoribus, quorum didicerat idioma, unicè charus atq; acceptus. Quos ubi ad fontem inter calices ac libamina reperisset, circumseptos tapetis, bombyce, & alijs talibus, quæ Barbari mutare cum Rhodianis mercatoribus panno laneo solebant, salutem ac fidem inuicem dat & accipit. Rogatus descendere ad comessandum, donec ueniret è proximo tugurio quidã, cum quo multum familiariterq; uixerat, respondit non posse, nisi obside prius in nauim recepto. Perfidi dictum cachinnis excipientes ultro merces & obsidem imponunt. Egressus tum & obuios amplexans dato statim signo, undiq; ex insidijs inuaditur, ac raptim pernici impositus equo protrahitur Byzantium, ubi acerbis quæstionib. omnibusq; affectus supplicijs, quæ corpus ullum pati potest;

ad satie-

ad satietatem inimicorum dicere facta, atq; infecta cogitur. Postquam isto dolus amissus est Xaycus: tum magis ac magis uulgò celebrari cœpit illorum prouidentia, qui militaribus comitijs reuocandę nuper decretæ legationis ad Turcam autores extiterant. Itaq; ne mora diuturnior damnum afferret, iusticium indictum est, uigiliæ uicatim exactæ, in procestris militaribus acutæ lanceæ dispositæ sunt, tormenta per muros locata, singula loca firmata custodibus. Publicum armamentarium, instructum omnium bellicarum rerum incredibili apparatu, reseratum est. Armorum atq; telorum portationibus tota ciuitas ferueret, à proceribus antesignanis lustrum conditum: recensa liberorum hominum, qui arma ferre possent, plus minus quinq; millia. Inter quos strenuè pugnarit sexcenti ferè Equites, quingenti Cretenses, cæteri qui pugnæ diligenter fideliterq; uacarunt, fuêre nautæ, remiges classiariq;: quorum uirtutem plurimum iuuerunt duces ipsi, maritimiq; excursores Michaël Vitalis Gallus, prælio nauali semper acerrimus, & felicissimus Seringus Vandalus, ac Siculus quidam & unus Rhodius Nicolaus Mego. Rustici qui ex agris insulaq; cõuenerant non tam pugnando, quàm fodiendo ferendoq; terram, obsidioni utiles fuêre. Reliqua urbana multitudo, aliquot tamen uere strenuis uiris exceptis, imbellis, iners, neq; laboris, neq; periculi satis patiens ægrè minis, & imperio sub signis & stationibus suis retẽta, lingua quàm manu promptior, enses, clypeosq; gestando plus omnino ostentationis quàm fortitudinis habuit. Dum fama futuri belli & animorum nostrorum per Cycladas, insulasq; alias Aegei maris latè effunditur, Ioannes Antonius Bouladius Venetus faber, fortunæ suæ à Creta Rhodum uenit. Nam cum esset loco haud illustri natus concordante suffragio, contra omnia uetustatis exempla, ob bene diligenterq; nauatam Reipublicæ operam, inter Equites receptus est: donatusq; iure aureorum calcarium, importauit uina, commeatum omnis generis cum delecta iuuenum manu. Paulo pòst Dominicus Fornarius Ligur uir cautus, impiger, strenuus prælio, bonus consilio, cum ab Alexandria nauigaret in Siciliam ingẽti oneraria naui, præciosissimis onusta mercibus, secundo ab urbe lapide in insulam descendit, inde consilio & prudentia nostrorum in urbẽ ductus est, exceptusq; obuijs triremibus. Nam tantæ nauis aduentu, quæ arma uirosq; afferebat, Rhodi ingens gaudiũ meritò exortum est: animis omniũ nihilominus curam defensionemq; remittentibus, quos flexamina & uehemẽti sua eloquentia (haud dissimili illi quam in Cynea, Periclęq; fuisse scribunt) ad omne egregium audendũ & faciendum inflammauerat Leonardus Calestrinus Ligur Archiepiscopus Latinorum, uir summa doctrina sacrarum literarum, & memoria propè mõstrosa, qua Cirum, ac Mithridatem uel æquat uel superat, in dicendo sententijs acutus, & creber, uerbis ornatus atq; efficax: cuius luculentissimam orationem, quam in phano diui Ioannis ad Equites habuit, subijcio:

Vt hodierna die, quam maiores nostri, Deo trino & uni sacrum esse uoluerunt, ad celsitudinem tuam, Magne Magister, uos ô nobilissimi Equites, de fide, & de religione uerba faciam, monet officij mei ratio. Sed dum Reipub. faciem, statumq; intueor, quod numinis uenia mihi liceat, orationẽ tempori accommodabo: quo non tam prædicanda est fides, quàm defendenda ab hoste immanissimo, maximis huc terra, marique copijs ad nostram euersionem properanti. Cui nihil dubito, resistetis, ut uiros fortes & equites Rhodios decet, utq; hactenus facere consueuistis. Neq; estis, aut mea aut cuiuspiam oratione monendi: tamẽ quo mihi faciam satis, quem etiam pectoralis ista crux ad omnem Turcici nominis internitionem laborare admonet, & ne qua mentibus hæsitatio, scrupulus'ue restare possit, proposui (Equites) facere uobis fidem uictoriæ, argumentis minimè inanibus. Quare attẽdite quæso, ut cœpistis, diligẽter

utar

utar enim oratione, qualem tempus locusq; expostulat fideli, facili, & compendiaria. Primum igitur oro ac obtestor, ne aures, multo minus animos quorundam ominosis uocibus præstetis, omnia in peiorem partem rapientium: quasi Diuina maiestas durius aliquid de nobis statuerit. Ego enim hūc timorem uos mittere iubeo: nō quòd inficias ire uelim, extrema omnia exempla nos promeritos, si lege talionis & summo stricto q; iure agere libeat: sed nihil tale Deo pientissimo in mentem uenisse credendum est, quippe qui semel familiæ suæ spopondit, omnem sese malæ administratæ rei noxam seruis remissurum, quoties frugi diligentiores q; fieri cœperint: ut uos nunc fecistis, sacri Equites: quod, ut semper faciatis, uelim. Ne formidetis ergo immanem istum apparatum, quem facilè concesserim, uolente & procurante rerum omnium opifice Deo, in capita uestra excitatum, sed non ideò ut confringantur illa, aut euertatur hic florentissimus uester militaris status, diuum Baptistam præsidem habens, qui secundùm Deum primus & selectus in cœlo esse creditur. Nunquam enim ille sinet, diro sui nominis hosti tantum licere. Sed ut seueri patres chariores filios per duriora agunt: sic uult Deus optimus maximus, hac potissimū ætate, qua ducem Magistrum q; elegistis, quo bello maior & armis, nec pietate fuit, per durum & difficile bellum militiam uestram clariorem, celebriorem q; efficere: ne semper à macherophoris istis in Occidente ocyum & ignauia uobis obijciatur, cum ipsi ijdem sint ignauissimi. Quare magnas agite gratias Deo trino eidē & uni, cui hoc die litamus. Nec cogitetis illum omnia fatis & casuum temeritati permittere: sed res suas sibi curæ esse, fouere idem, stabilire religionem, cupere exaltationem cultus & nominis sui, explorare humana omnia consilia etiam altissima, scire quid immanissimo & crudelissimo hosti suo in mentem uenerit, iam iam serenti uirus Mahumeticum gladio, quo semine primùm enatum est. Cui oportebat Duces, Reges, Principes Occidentis primo quoq; conatu obuiam ire, ne uis mali latius serperet: & depositis priuatis simultatibus insolescenti Tyranno (duobus acerrimis stimulis ad alienas opes inuadendum instigato, ambitione nempe & cupiditate: hanc, siquidem natura sanguinis Scythici, illam ætas 28. annorum suppetit) concordibus armis, animisq; ostendere, quàm stulta, quamq; periculosa res sit, inconsultò iuuenilicq; feruore belli artibus gloriā quærere, & gentem Christo deuotam impetere: ac suas copias, suas classes, suos exercitus, eosq; gladios quibus usi sunt hactenus, in semetipsos contra communem cuiusq; nostrum hostem conuertere: ut quas ille nobis cogitat inferre calamitates, aliquādo ipse experiatur. Verùm ista frustra occinuntur surdis auribus. Tenent supplices manus captæ urbes, & Christianorum Regum auxilium implorant. Confidit sese breui ex crudelissima seruitute in libertatem pristinam restitutum iri Thaurinum nuper captū. Constantinopolis Thraciæ nobilissima ciuitas, tot annos inter compedes ac pedicas immanissimę seruitutis Turcicæ computrescens, ad huc liberationē à nobis expectat. Euboea Cretam respicit, ad diui Marci signa ægrè aspirans. Verùm illi infœlicium calamitates & miserabiles querelas aspernantur, intestinis seditionibus intenti: nihil aliud secum animo uersantes, nisi alter in alterum exercitus ducere, signa inferre, manus conserere. Quot enim nunc annos imperia Occidentis inter se commissa cernimus? & reges bellum uicissim propulsantes, & inferentes? dum interim populus agro & urbe uastatus, cædium, rapinarum, proscriptionum pertæsus, ad delubra pacis & concordię insulas ac propitiatoria fercula circunferens, frustra bellum in Turcas clamat. O' dira portentosaq; præstigia, quibus humanæ acies sic fascinantur. Hispanis atq; confœderatis gentibus, speciosissimum uidetur Italiam bustis Gallicis insignire: Gallis denuò palmarium per cæsorum cadauera ultra citraq; Alpes commeare: Heluetijs interim ambobus magno

auro pugnã uel pacem ſuam cauponantibus. Heu fatalis furor utrarunq; partium. O' incredibilem noſtrorum temporum ignominiam. O' inſignem noſtrę huius tempeſtatis maculam, quæ nullo unquam tempore deleri poterit. Heu pietas, heu priſca fides maiorum noſtrorum, qui priuata animorum ſtudia defendendæ Chriſtianæ Reipub. cauſa deponentes, copias, claſſes, exercitus inſtruxerunt, & reliqua ad diuturnum bellum neceſſaria collegerunt, quibus longinquas iſtas Aſiæ regiones inuaderent. Nunc (cedo) ex Pontificum, ex Imperatorum, ex Regum ordine aliquem de imperij Chriſtiani finibus ampliandis ſolicitum, & Alcyonem uidiſſe me gloriabor. Olim Vrbanus II. Pont. Max. habito ad Clarummontem concilio, ita Chriſtianorum animos ad mouendum contra crudeliſsimos Turcas iſtos bellum inflammauit, ut tercenta fortiſsimorum hominum millia in Saracenos, qui eiſdem auſpitijs cum Turcis bellum gerebant, Hieroſolymę recuperandæ cauſa proficiſci non dubitarint: & maximis itineribus, terrâ mariq; celeriter ſuperatis, Niceam expugnarunt, Antiochiam ceperunt, Hieroſolymam, Heracleam, Tarſum, plurimaq; alia oppida in Chriſtianorum poteſtatem redegerunt. Carolus à rerum geſtarũ magnitudine Magnus, non contentus Hiſpanos, Saxones bellicoſiſsimos & duræ repugnantisq; ceruicis populos, Chriſti Ieſu iugo ſubdidiſſe, quum audiret Hieroſolymã graui Barbarorum dominatu oppreſſam, celerrimè illuc ſe contulit, & Barbaros profligauit, Chriſtianosq; in urbẽ reſtituit, omni metu liberatam, ac firmis munitam præſidijs. Huc etiam cum Morinis ſuis extremis hominum Balduinus Flandrus, Conſtantinopoleosq; Imperator uenit. Venit Germaniæ Imperator Fridericus Barbarufus. Quod ſi nunc cõtingat, digito cœlum cõtingam. O' cœlũ, ô terra, ô maria Neptuni, erumpunt crebrius, uel inuito mihi Demeanæ iſtæ exclamationes. Nam cogor alta ſilentia rumpere, & obductum uerbis uulgare dolorem. Neque continere me poſſum in tam publica morum & fidei calamitate, cernens ipſos ordinum ductores, Oeſtro uindictæ percitos, frameã quam illis credidit Deus Opt. Max. ad ſalutarem tutelam innocentum, plebeculæ ſuæ dearmatæ cuſtodiam, fidei præſidia uibrandam in ſontes, in noxios, in cõtemptores Religionis, in hoſtes Diuinæ maieſtatis, ſtringere, ac fodere in cognata fratrum uiſcera (ſumus ſiquidem fratres, cum habeamus communem omnes in cœlo Patrem Chriſtum Ieſum) ſed ut uerè & liberè aliquando dicam quod ſentio, nos ueri germaniq; Chriſtianiſmi effigiem nullã tenemus: umbra tantũ & imaginibus utimur. Hactenus Hercules & Liber Pater (ut eſt in Prouerbio) ulterius fortaſſe Chriſtianæ libertati aqua fluere non uidetur. In uiam inſtitutam ergo reuertor, & uos Equites bene ſperare iubeo, quibus Chriſtus Ieſus, dum cæteri eam prouinciam negligunt, crudeliſsimum hoſtem nominis ſui debellandum & triumphandum tradidit. Eia ergo ſpe bona, & animo pleni, duce Deo arma capite, ac retundite mihi nobili illo mucrone ueſtro, præferocientes illos ſpiritus, in Turcarum uultibus eminentes: & quemadmodum Dauid Goliadem occidit, ſic uos infame tyranni corpus, cultu indumentoq; Barbarico tectum, quòd ritu patrio poſt largas epulas, & ampliſsimam ingurgitationem, muliebria quæq; agere & pati ſolet, gladijs ueſtris confodite: confoſſum Caſsianis Brutijsq; uulneribus ultricibus flammis exurite. Quòd ſi tu fortiſsimè Magiſter equitum cum iſta nobili ſacraq; militari cohorte tua effeceris, egregiã certè laudem & ampla ſpolia referes. Si enim Scipio clarus eſt, qui Hannibalẽ ex Italia diſcedere coẽgit, ſi ornatur eximia laude Aphricanus, qui duas urbes Romano imperio infeſtiſsimas deleuit: ſi eſt æterna gloria Mario, quòd bis Italiam obſidione, ſeruitutis q; formidine liberauit: quãta te gloria putas, manet? ſi Turcas Chriſtianis finibus quibus imminent, excedere cogas, & legem Mahumeticã deleas, ac reliquã Catholicã Græciam, Cyprum, Cretam,

imò &

imõ & ipſam Italiã ſeruitutis formidine liberes? Si enim hic uicerit hoſtis (quod Deus nolit) continuò iſtas prouincias permagno ex diuerſis gentibus compa rato exercitu inuadet, uaſtabit, exuret, & miſerrima ſeruitute opprimet. Accin- gere igitur gladio tuo ſuper femur tuũ potẽtiſsime Magiſter, & uos ſacri Equi- tes, eſtote fortes in bello, & pugnate cum ſerpente iſto antiquo. Neq; moueãt uos ingentes hoſtium exercitus: ſed reputate animo quod res eſt, uitam & inte ritum hominum eſſe in manu Dei, qui non tam multitudini fauet, quàm pieta ti. Quoties quæſo pòpulo Iſraelitico, locorum anguſtijs circumuento, & parua manu cũ innumeris gentibus Amorræis, Aegyptijs, Moabitis, Philiſtinis, Ma- dianis, Cananæis depugnanti, præclariſsimas uictorias conceſsit, hoſte ad in- ternitionem uſq; cæſo? Recenſerem nunc (niſi breuitatem eſſem pollicitus) co piarum Xerxis, Darij, cæteraq; Græcæ & Latinæ hiſtoriæ prophana exempla, ex Iulij Frontini Stratagematicôn lib. 4. nota, quibus apertè inſtruimur uirtute & audacia, ad uictoriam non numero opus eſſe. Rudis enim & indocta multi- tudo, ut inquit ille rei bellicæ ſcriptor, ad fugam & cædem ſemper expoſita eſt. Quare Alexander Magnus, cum præter Macedonas ſuos uniuerſo Illyrico in- numerum delectum poſſet indicere, nunquam maiores quadraginta millium copias duxit: inhabile regenti ratus quicquid excederet. Quapropter moneo uos Equites, ut iſta obſidione geratis ſpiritus dignos nobilitate ueſtra, hoc eſt, egregios, audaces in prælio: ſiquidem maximum ſemper his periculũ, qui ma- xime timent, audacia pro muro habetur, quam omnia ad bellum proſperè fœ- liciterq; gerendum neceſſaria, quæ abundè adſunt, uobis addere & augere de- bent. Siquidem, ut omittam neceſsitatem pugnandi, quæ ſola, uel timidos for- tes facit, armis, ac militari peritia hoſtem ſuperatis. Tenere enim licet uos lori- cis ſemper tectos, uerticẽ tegit galea minaci criſta emicãs, pectore æneus ſplen- det thorax, manus armantur enſe & clypeo, pedes innodantur duro ſolidoq; ferro, neq; ideò minus ad ſaltum & luctã habiles, nam arma & ferri graue pon- dus leue facit uſus, ac quotidiana exercitatio, q̃ uos belli ſtratagemata, artesq; edocuit, iaculum rectè emittere, tormentum excutere, haſtam ualidè uibrare, gladio cæſim & punctim ferire, mari claſſem dirigere, & inter duo maxima in- euitabiliaq; mala, quæ animus meminiſſe horret, ignem & aquã, inuictos eſſe. Et timebitis quæſo nunc ſepti uallo, foſſa, mœnibus, muro centũpedali in præ- ſidio ueſtro, in arce ueſtra, incredibili tormentorum machinarumq; apparatu inſtructa, quam annis ab hinc quadraginta cõtra tot Barbaros nudam & iner- mem defendiſtis, eam nunc relinquetis, nec pugnabitis duce hoc Magiſtro ue- ſtro Philippo Vilerio Liladamo, cui bellicæ omnes artes, ac fortiſsimorum Li- ladamorũ patrio, auitoq; ſanguine hæreditariæ ac gentilitiæ ſunt, cuius ſolum nomen uictoriam & triumphũ ſe contemplantibus pollicetur? Siquidem Phi lippos ad equorum ſtudio Græcis dicta uox perinde ſonat Latinis, quaſi dicas bellacem ac uictorem. Non ne ſi colligamus gerenda geſtis, huius tam fœlix, tamq; incruenta Sultanicæ claſsis expugnatio, abundè id temporis uictoriam pollicetur? Eia ergo fortiſsimo & conſtanti animo obſidionem tolerate, ade- runt ab occaſu regum, ac ordines ueſtri, parata ſubitaq; auxilia: & pugnam ala criter capeſsite, nec timete hoſtes tantum anguſto ſcuto & enſe, nudis femori- bus dependenti contentos. Nam galea & lorica omnino non utuntur, & pru- denter: huiuſmodi enim arma non decent ſtolidos & fugaces. Si res primo co- natu nõ ſucceſſerit, uiros decent in acie ſtantes, paratos uincere, uel pulchram per uulnera mortem oppetere: quorum alterum optabile, alterũ (ſi neceſsitas cogat uirum) Chriſtum ſimul & militiam profeſsis non pertimeſcendum.

Hac oratione accenſi Equites ſunt, & Magnus Magiſter: dataq; ei notitia eſt omnium, quæ nuper allatus obſes manifeſtauerat: quem ut inueni urbanè ue-

ſtitum, ſta moribus ruſticum (ſiquidem gens Turcica à pueris nulli officio, aſſit diſciplinæ, ſed tantùm paſcendo pecori aſſuefit) & ad omnia liberè, minimeq; fucatè reſpondentem, Turcam claſſem parare in finitimis Cariæ, Lyciæ regionibus, delectum militum habere mittẽdorum in longinquas Hiſmaelis Sophi prouincias, nec fefellit. Siquidem tyrannus, ut à nobis, quos omnia explorare non dubitabat, belli ſuſpicionem auerteret, gentem uicinam duramq;, & bello natam, procul ad anguſtias Amani montis tuendas miſit, ne inde Sophus in nuper acceptum Sultani regnum erumperet. Sed parum profuit dolus. Nam Magiſter ſtipatus armato ſatellitio centum delectiſsimorum iuuenum, quibus præerat F. Ioannes Bonauallis, pollẽs uiribus & decora facie, eques Auernus, ut obſidendis animũ adderet, muros, ſtationes, locaq; ſingula obequitauit: impigrè ſuorum & hoſtium res pariter explorans, quid boni utriſq;, aut contrà eſſet, inquirit. Molem molendinariam munire iubet, qua parte occaſum ſpectat, mariq; haud alto alluit. Franciſcus Freſnayus Romangius eques Gallus, morum facilitate, liberalitateq; omnibus acceptiſsimus, qui poſtea ad ſtationem Italicam pugnans occubit, loci & magnæ onerariæ nauis ſacræ militiæ præfectus, mandatam prouinciã ſumma cura atq; induſtria exequebatur. Nam ante molem quam aggere, contabulatiſq; turribus ac uaſis luto & terra madefacta impletis munierat, tormentisq; uariæ magnitudinis, ut cuiq; aptum uiſum eſt, loco diſpoſitis firmauerat. Naues magnę, minoriſq; formæ ſaburra, ſaxoq; grauatas, paululum à muro altiore mari depreſsit: quarũ obiectu impedimentoq; triremes hoſtium, à loco prius machinamentis, audaciaq; militum expugnabili remotius arcebãtur. Portus ſeptus eſt ualida ferreaq; cathena immanis ponderis tranſuerſum ante fauces proiecta, trabibus etiam quæ ſupra undas natabant ualidis anchorarijs funibus inter ſe cõnexis, quæ à turri molendinaria ad arcem Nicoleam obliquo tractu protendebantur: quo opere uſus maris hoſtibus ademptus eſt, eluſaq; maritima oppugnatio, poſtulata & cõmiſſa cum cæteris pyratis Turcẽſibus Cortugolo, cuius frater in Robore, carcereq; Rhodiano cum diu ſqualluiſſet admotus obſidione hoſtili, inter mille & amplius Turcas, publicis operibus inſolens auræ & lucis, diem extremũ obijt cum alijs multis: quos tam hoſtium foris immiſſa tormenta, quàm domeſticæ ærumnæ uigilando, agendo, feſtinando, portando omnia debilitatos orco tradiderunt. Plures præterea in tumultu quodam populari temerè exorto, miſerabiliter occiſi ſunt. Nec canum melior quàm Turcarum fortuna fuit. Hi enim quòd in culina paſcãtur, & cibatu qui homini proprior eſt, à pueris tota urbe ſupplicio affecti ſunt. Magiſter equitum ne quid imparatum inexpertum'ue ſineret, paratis omnibus ad bellum neceſſarijs, ciues ad ſe in Prætorium uocatos, in hanc ſententiam alloquutus eſt: Magnanimi uiri, ciuesq; optimi, audimus hoſtem Turcã permagno ex diuerſis gentibus collecto exercitu ad nos properare, à cuius innata crudelitate, ſolitaq; perfidia, niſi nos ferro uindicemus, mihi equitibusq; meis, ac uobis etiam unum & commune periculum eſt. Siquidem unanimi cõſpiratione & opera, res eius grauiter terrâ mariq; affliximus: præda ex agris eius ui abacta, eſtis locupletati. Gentem ſuam hodierno etiam die graui ſeruitute opprimimus, iniuria ille, nos iure optimo dicimus. Siquidẽ maiores ſui ſpecus ſubterraneos & tenebroſa antra Caucaſæ rupis amplius non ferentes nullo iure, nullo titulo, nulla cauſa, ſola auaritia & dominandi cupiditate, odioq; ſanctiſsimæ Religionis noſtræ irritati, Chriſtianos Syria expulerunt. Deinde Græcos ſua Græcia non una morte gentis contenti, ſed (ut ſemper fera & immanis eſt barbaries) animam uarijs exquiſitisq; tormentis eripuerunt. Quos iſte ſupra ætatem malus & arrogans puer omnibus grauis accola Arabiæ, Syriæ, Aegypti, regni Perſarum, magna parte totius Aſiæ dominatu, tot præterea

locorum

locorum ac populorum imperio nõ contentus, tyrannide, cæde, bello, rapinis, perfidia, odio, impietate erga Christũ & homines, superare conatur: & nostras insulas, terrasq; Christianorum uniuersas occupare mirabiliter laborat, ut tandem rerum omniũ & mundi Dominus, diruat Christianas urbes, Christianos obtruncet, Christianum nomen sibi tantopere intuisum penitùs deleat: quam nõ ferendam iniuriam ut propulsaremus, sedem potissimum in hac Rhodiensi insula delegimus: quòd hic locus ad bellum Barbaris inferendum uisus sit cæteris opportunior. Fecimus quantum in nobis fuit, adiuti sumus à uobis, experimento cognouimus quãta sit uirtus, fides uestra, quam ne nunc mutetis, nulla suspitio. Quapropter non agam multis, ut in fide & officio permaneatis: nec longa ambage ad uirtutem uos hortabor, quã fortibus uerba nec addunt, nec demunt. De me ac equitibus meis diuo Ioanni deuotis parcè quædam loquar. Sum cum his, quibus (ut spero) aderit principum Christianorum & aliorum equitum meorum qui in occasu sunt, peropportunum auxilium, paratissimus defendere uos, liberos uestros, coniuges, fortunas, phana, monumẽta maiorum uestrorum, & cœlestium deorum delubra. Quam opinionem, ut fixam, immotamq; uestris mentibus retineatis, efficere possunt (ne quid dicam aliud) fidele ingeniũ meum in bello, nec segne omnino, nec rude corpus, sana & perpetua ualetudine ferendis laboribus, & excubijs aptissimum, equitum meorũ nobilitas & amor erga uos, inimicitia in hostes: urbis præterea fortitudo, quã hic sacer & nobilis Ordo ingenti pecunia aduersus omnem tormẽtorum uim atq; impetum sic egregiè muniuit fossa, uallo, muro, mœnibus, turribus, propugnaculis, ut nulla sit ciuitas quę huic nedum præferri, sed nec æquari possit. Ad hæc armorum, telorumq; incredibilis copia, uinum, caro, frumẽtum, sub terris conditum, ne humor, aër, gurgulio'ue corrumpere possit, mirè abundat: hominum ad bellum aptorũ haud paruus numerus. Lignorũ magna undiq; strues. Aquæ saluberrimæ, quæ incluſis obsessisq;, plurimum ad uarias necessitates utilis esse solet, larga & indeficiens ubertas: quæ omnia certam uictoriam, certissimum & optatum belli euentũ nobis spondent. Addo quod ex nostra parte pugnabit necessitas, pugnabit fides, pietas, constantia, pugnabit amor patriæ, amor libertatis, amor parentum, coniugum, liberorum. Illic uoluntas magis ducum quàm militum perfidia, impietas, inconstantia, desiderium uestræ seruitutis, odium parentum, cõiugum, liberorum uestrorũ. Procul dubiò (charissimi ciues) non sinet Deus optimus tot tantasq; uirtutes ab istis uitijs superari. Estote ergo animo pacato & securo, nihil hostile, nihil ominosum metuentes. Tantum in fide, quam tot annos difficilimis bellorũ & fortunæ casibus impliciti, sacro militari ordini illæsam seruastis, permanete: & si necessitas postulet, armis dextrisq; uirtutem uestram hostibus ostẽdite, fidem facite Hispanis, Gallis, Pannonijs, Italiæ, Britãniæ, Rhodios homines posse Turcarum spiritus reprimere, illorum classes & exercitus ab Italia auertere: cui tot annos ferrum & flammas minantur. Ad quam mirabiliter festinant & peruenient, si (quod animus abhorret dicere) hic uicerint. neq; enim ambitiosus iste puer, animo, perfidia, crudelitate Hannibalem superans, Hannibalem imitabitur qui facta ingenti ad Cannas Romanorum strage, uictoria uti nesciuerit: sed continuò ceteritate Iulium Cæsarem uincens, expositis omnibus opibus Aegyptijs, quas pater in direptione Cairi reperit, Apuliam, Calabriam, Siciliam magna classe, magnis exercitibus inuadet. Inde in Gallias irrumpet, mox petet Hispaniam, cæteras q; Christianorũ regiones, omneq; crudelitatis genus in uniuersos exercebit. Sed altiùs me rapit oratio quàm uelim, aut opus sit. Fides enim & uirtus uestra, Magnanimi ciues, in tolerando & oppugnando hoste firmior est, quàm ut oratione indigeat: constantior, quàm ut malis quæ incluſos obsessosq; pati

neceſſe eſt,confringi poſsit,quanquam illa quæ uerè mala ſunt,famem & ſitim omnino non ſentietis. Quas tamẽ populi aliquot,fide,uirtute,& animo uobis nequaquam comparandi,conſtantiſsimè pertulerunt. Siquidem Petilini à Pœnis obſeſsi,parentes & liberos propter inopiam eiecerunt, ipſi corijs madefactis,& igni ſiccatis,foliſq; arborum,& omni genere animaliũ uictum trahentes,undecim menſibus obſidionem tolerauerunt:nec antequam uires ad ſtandum in muris,ferendaq; arma deerãt,expugnati ſunt. Caſillini obſeſsi ab Hannibale,murem centum denarijs emerunt. Excubias in ſtationibus agere neceſſarium erit:domorum ruinas ſi tormentis eiaculata ſaxa inciderint,æquanimiter tolerate. Sed reparari poſſunt hæc mala,& minora ſunt, quàm ut ideò deditionem faciamus hoſti,in cuius clementia fideq; nulla ſpes eſt. Præterquam enim quod natura crudelis & perfidus eſt,tũ nobis qui illi tot mala intulimus,à quibus ſolis ſibi,ut ait,dominatori terrę & maris,quo eum ſæpe deturbauimus reſiſti dolet,nullo modo mitis,fidelisq; eſſe poterit, quos toties Marte aperto, ui publica,ingenio,aſtu,dolo,fraude adortus eſt: uerùm ſemper conatu irrito, opitulante nobis Deo Opt. Max. quem ante omnia uelim (chariſsimi ciues) propiciemus. Niſi enim ille cuſtodierit ciuitatem,fruſtra uigilant cuſtodes.

Poſtquã omnium animos alacres uidit,cohortatus ut petitionem ſuam curæ haberent,conuentum dimiſit:& ſolennem ſupplicationẽ, quam etiam dies tempusq; anni expoſtulabat,ad phanum Deiparę Virginis indixit,comitatus ſacram maximamq; hoſtiam,latam circum omnia compita medius inter paludatos equites,ſequente maxima hominum multitudine, Deum optimum maximum precatus eſt,ut bellum quod inſtaret,bene feliciterq; ſibi, populo Rhodio,& nomini Chriſtiano eueniret. Reſpondere omnes rem diuinam ritè peractam eſſe,precationi annuere cœlites,iri poſſe quò uocaret Chriſtiana religio & inimicorum audacia:Deum & ſanctiſsimũ tutelare numen omnia læta fauſtaq; portendere,urbis protectionem,uictoriam,& triumphum: quæ dum uulgus (cui plerunq; plus animorum quàm conſilij eſt) feſtiuiſsimè ante bellum cantaret,uiros primores prudẽtioresq; magna cura occupauit: qui ſummo ſtudio ut uulgò fœliciter opinata cõtingere poſſent,procurare nõ ceſſabant. Inter quos frater Clemens Pontifex Græcorum clarus, abſtinentia, & ingenio, nec non Græca facundia meritò connumerandus eſt: qui Græcos ſuos ex uetere fortuna olim ſtupenda orbi,animum adhuc retinentes, oratione quàm appoſitiſsima ad obſidionem fortiter ſtrenueq; tolerandam eſt cohortatus, loco publico, pro baſilica mercatorum, & ante ſacram imaginem Deiparæ Virginis è ſummo primarioq; phano gentis allatam:ut oratio hoc modo luce religioneq; commendatior,cui populus ille alioquin deuotiſsimus eſt, benignioribus auribus accepta,efficacem magis aculeum in animis audiẽtium relinqueret. Sed nunc orationem ipſam adſcribo.

Optimi,Magnanimiq; Dores,rumor aut uerius certitudo belli,quod nobis inſtat, diuerſiſsimas inter ſe res gaudium & metum, in animũ ingeſsit meum. Necq; profectò ſcio,utro magis commouear. Nam dum tacitus mecum claſſes, copias,exercitus,uim,magnitudinemq; hoſtium mente reuoluo,totus tremore horreo. Verùm dum animus æger exſolicitudine(ut fit)in ſpem rapitur,atq; in admirationem præſidij Latini,& fidei,fortitudinisq; Græcorum repentè mutor,& is qui non eram,fio:ex ſolicito liberrimus, ex pauido timidoq; audax, è triſti alacer & gaudens: ſpondeoq; mihi titulos, ſpolia, exuuias, uictoriam ac triumphum de immaniſsimis hoſtibus. Et ſi me benignis, ut cœpiſtis, pergatis audire auribus,aperiam uobis ſpei & pollicitationis meæ rationem. Sed inuocato priùs Chriſti Ieſu Dei noſtri optimi maximi, & Deiparæ uirginis Mariæ auxilio,ante cuius imaginem ſacroſanctam conueniſtis, in quo primam,maxi-

mamq;

mamq; uictoriæ noſtræ rationem pono: hinc ſenſim ad humani ingenij uires, conſiliaq; mortalium deſcendens, cerno generoſiſsimorum Equitum conſtantiſsimam fidem erga Deum, erga Rempublicã: cum qua collata illa Marci Attilij Reguli, multum lucis dignitatisq; amittit. Video horũ nobilitatẽ, ad quodq; maximum facinus ſic animatam, ut nullo cruciatu, nullo metu inde terreatur. Aſpicio urbem inexpugnabilem muro, mœnibus, propugnaculis, uario genere tormentorum, multiplici commeatu, omnibusq; alijs, quæ ad noſtram ſalutem, hoſtium excidia pertinent refertiſsimam. Tamen liberè dicam, quod ſentio meo more, neq; ad gloriã ueſtram, nec ad Latini præſidij uires nimium eleuandas. Hæc urbs cõtra tot hoſtium conatus, tantas Barbarorum copias nihil poteſt, nihil etiam ualet Latinum præſidium, niſi coeat fortitudo & fides Græca: quæ ne Latinis tam neceſſario tempore fraudi, doloq; ſit uos precor. non quòd hic prece multum opus putem: ſed quòd ſciam Turcas uos hortaturos, ut à Latinis deſciſcatis. Quid enim eſt illis optatius, quàm uno tempore & uos circumuenire, & nefario ſcelere uos obſtringere? Aut quid irati grauius de uobis ſentire poſſunt, quàm ut eos prodatis, qui ſe uobis & omnia ſua crediderunt, & in eorum poteſtatem, ueniatis, qui ſe per uos perijſſe, ac tot damnis, tot contumelijs, totq; iniurijs affectos æſtimant? Redeat obſecrò in memoriã, maiorum ueſtrorum fides, non domeſtici ſcriptoris, ſed externi Latini T. Liuij, omnium mortalium iudicio digni: cuius inuicto calamo, inuictæ populi Romani res geſtæ conſcriberentur, teſtimonio celebrata: qui multa egregia erga populum Romanum terrà mariq; auſi ſunt. Nam cùm Antiochus Philippum Macedonem aduerſus Romanos exercitu, nauibusq; adiuturus uideretur, Legatos ad regem miſerunt, ſi non contineret copias ſuas, ſe obuiam ituros: non ab odio ullo, ſed ne coniungi cum Philippo pateretur, & impedimento eſſet Romanis. Quæ honeſtiſsima legatio cum parũ profuiſſet, Rhodij Romanos adiuuantes, Antiochum regem fuſum fugatumq; & exutum caſtris, prius Europa, poſt Aſia, quæ cis Taurum montem eſt, expulerunt. Quare meritò à Catone, quinto Originũ libro (ut autor eſt Gellius) appellati ſunt optimi fideliſsimiq; ſocij Romanorum, quibus nec animum duntaxat bonum, ac fidelem præſtiterunt: ſed etiam naualibus prælijs, quæ multis locis facta ſunt, omnibus adfuerunt: nec laborí ſuo, nec periculo uſquam parcentes: & quod miſerrimum eſt in bello, cum Mithridates Aſiam occupaſſet, Q. Oppium proconſulem, item Aquilium Legatum in uincula coniecíſſet, iuſſuq; eius quicquid ciuium Romanorum in Aſia fuit, uno die trucidatũ eſſet, obſidionem, cum ſoli in fide Romanorum permanerent, paſsi ſunt. Et in diſſenſione ciuili inter Antonium, & Octauium ultores necis Cæſaris, & Caſsium ac Brutum, cum petijſſent, ſi in ciuili diſcordia à partibus abſtinere, & æquè omnes Romanos colere nõ liceret, tantiſper dum ipſi ad ſenatum mitterẽt, bellum differri, ut ex eius autoritate arma caperent, inuaſa mox urbe cùm ira uictoris cuncta quæ collibuiſſet, in matronas, in uirgines eſſet operata, omnibus bonis mulctati ſunt: fruſtra miſericordiam cum multis lachrymis rogante uenerando ſene Archelao, à quo Caſſius Rhodi Græcè fuerat eruditus. Nam Aeſchines cùm à Repub. excidiſſet, huc doctrinam Athenarumq; ſtudia intulit: fuitq; Gymnaſium ea tempeſtate hîc florentiſsimum: in quod cum Ariſtippus philoſophus Socraticus, naufragio in littus noſtrum eiectus diuertiſſet, & de philoſophia diſputaſſet, magnis adeò muneribus eſt donatus, ut non tantùm ſe ornaret, ſed etiã eis qui unà fuerant ueſtitum & cætera quæ opus eſſent, ad uictũ præſtaret. Hoc Gymnaſio Tiberius poſtea Romanorũ Imperator amœnitate & ſalubritate inſulæ captus, ſine lictore, aut uiatore ſæpe obambulans, mutua cum Græcis profeſſoribus officia uſurpabat. In quo, ut Antenodorũ audiret, Cato huc ab exercitu nauigauit.

Cicero, quem unũ Latini cõtra tot noſtros rhetores & philoſophos obijcere ſolent, quiq; primus, unusq; cuncta philoſophiæ dogmata à Græcis accepta, eis tradidit. Hic Apollonio, qui eum tantum, quantus eſt, effecit, operam dedit. Et quam gratiã reddiderũt, oro, Romani Græcis? à quibus omnia honeſtatis probitatisq; exempla, omnem armorũ literarumq; ſcientiam accepere, quorum fideli opera & induſtria domi, foriſq; imperij ſui ditiones propagarũt? Nempe Caſsianam, ut audiuiſtis, & Rhodiorũ, quos ideò ſuperbiæ inſimulabãt, quod ſeſe ſuperari ſuperbia æſtimarent, opibus diripiendis intenti, infenſiq; fuerunt. Gentem uetuſtiſsimã nobiliſsimamq;, uel fama rerum geſtarũ, uel omni commendatione humanitatis, doctrinarumq; ciuitatibus, quas nõ tam liberaliter, quàm merito ob nauatam bello Macedonico & Aſiatico operam dedere, male tauerunt. Neq; hac iniuria contentus Veſpaſianus, Rhodum cum adiacentibus inſulis adempta libertate, in prouincię formam redegit. Verùm optimi maiores ueſtri, tot alijs ſuprà alias affecti iniurijs, magis quid illos deceret cogitantes, quàm quid mereretur aliorum improbitas: utq; leuitatis ac perfidiæ notã fugerent, ſemper in fide Romanorum permanſerũt. Vos quid nunc facere conuenit laudatiſsimi uiri, tam præclara ſubſtantiæ, & fidei domeſtica monumenta animo reputantes, pro Chriſto Ieſu Deo & homine, pro ſacra militia, quę nõ modo æquis legibus, & facilimo imperio, uos ſemper indulgentiſsimè habuit, ſed etiam fouit, nutriuit, locupletauit? Ingrati, maliq; animi eſt reticere, quorũ beneficio ſis adiutus. Ingratiſsimi, peſsimiq; uerò, non rependere gratiam cum poſsis & debeas, cumq; omnimodo opus ſit tua ope. Defendetis ergo hoc neceſſario & difficillimo tempore Rhodios, in quos nulla ingratitudo perfidiaq; unquam cecidit. Qui liberi etiam aliorum libertatis cauſam egiſtis, ſacrum militarem ordinem, arcem Equitum, imò capita, focos, aras & fortunas ueſtras, quibus inſultat, & ultima exempla parat perfidus Tyrannus, hoſtis fidei ac religionis, quam à maioribus ueſtris accepiſtis: pro cuius dignitate gloriaq; aſſerenda, nullum diſcrimen, ne mortem quidem certam intentatamq; fugere debetis. Sed cùm uos conſidero Græci, fidi, fortes, pij, ac ut uno nomine omnia complectar uerè Chriſtiani, cum Equitum Latinorum audaciã, nobilitatemq; æſtimo, magna me ſpes uictoriæ tenet. Ite igitur duce Chriſto Ieſu, Ioannis Baptiſtæ, ac ſanctiſsimi Equitis Georgij, ſecunda fiducia contra gentem impiam & nefariam, perfidam, quæ nunquam uirtute, ſed ſemper occaſione freta uicit, nullam regionem, niſi domeſticis malis ruentem occupauit. Eunuchos ſeruos Orientis, imbelles Syros, fugaces Perſas, alioſq; quos tepens Pharius & leuiũ populorum nutritor Nilus emittit, tenero perlucentes amictu: & uix leue pallium uitando ſole tolerantes oppugnare ſolitam: nõ Rhodios, qui iſtas primũ gentes cum Imperatore ſuo Memphitico Halbuzato ingenti & fœda cæde fere ad internitionem uſq; deleuerunt, & iterum adiuti à Pontifice maximo Caliſto III. Quiq; ipſorum Turcarum obſidione tantùm nouem & octoginta dierum, octo millia præter quindecim ſauciatos morti tradiderũt. Sic enim numerum init Cauorſinus quaſi pollinctor mortuorum, & uulneratorum omnium chirurgus. Vidit ſol lætus ſpectaculo, audierunt diuerſarum terrarum populi, intra paucos dies euerſores Aſiæ atq; Europæ ab Ambuſono uno, unius Græcæ gentis duce ſtratos, cadaueribus ſuis eam terram metientes, quam pugna committenda ſibi ſpondebant. Si Diuina pietas, ductu auſpicijs q; Ambuſoni uos, quos genus Chriſtianũ iuxta ac ueteres illos Græcos heroas iampridem intuetur, tanta cæde hoſtiũ, tam celebri triumpho inſignire uoluerit: quid creditis Chriſtũ Deum opt. max. ſocio tutelari numine iam miniſterio ueſtri, ac ſerui ſui Liladami principis, uerè optimi & nobiliſsimi, aduerſus crudeliſsimos hoſtes ſuos acturum? certè mens maiora omnino concipit, quàm exprimere audeat.

deat, uerùm euentus rectius ſpem pollicitationemq́, qua me uosq́ animaui, dubio procul confirmabit.

Mirum in modum Græcorum animi hac oratione accenſi ſunt. nam ducitur, rapiturq́ hæc gens inter cæteras maximè nationes laude & gloria, tantumq́ ſuadendo & hortãdo hinc inde apud homines effectum eſt, ut hoſtis magis cupidus ſit, q́ deteſtatus: nec diu multorũ ſtultas uoces infeliciaq́ ſibi uota remoratus eſt. Quadã enim nocte elatis ſpecula ignibus in hoſtico lignũ dedit: miſſaq́ eſt extẽplo cum Lembo armata militaris Triremis, & in ea Caſtrophilaca interpres, qui cum in prorã proceſsiſſet: Cõmodius, inquit, unus hoſtiũ turma equeſtri circumfuſus, ſi in terram egrediaris. cum id facturũ ſe negaret: quid inquit Xayci fortunã metuis? Adhæc ille minaci & Rhodio animo, Xaycus quẽ cõtra fidem ſacramentumq́ cepiſtis, nihil me ſolicitat, nec uos quibus nõ erepoma remigia deſcientes: aut paucis, inquit præfectus de puppi loquẽs, mandata explicate, aut hinc faceſsite, niſi malueritis actutũ bombardis obrui. Barbari primũ equis & arcubus ferocientes uno uerbo attoniti obſignatã epiſtolã ſuper ſaxũ quoddã ponunt, ibi mandata cõtineri, & cum dicto calcaria adigentes, curſu quàm concitatiſsimo aufugiunt. Epiſtolæ autem talis fuit ſententia.

SOLYMANVS TSACCVS DEI GRATIA REX REGVM, DOminus dominantium, Maximus Imperator Byzantij & Trapezuntis, &c. Reuerendo Patri Philippo Vilerio Liladamo, Magno Magiſtro Rhodi, Equitibusq́ ſuis, & uniuerſo populo.

COmmouerũt me afflictiſsimæ gentis meæ cõmiſeratio & ſumma iniuria ueſtra. Impero igitur uobis per celerem inſulę & arcis Rhodiæ deditionẽ piè ultroq́ cõceſſa gratia, ſecurè abeundi cum omni precioſa ſupellectile: aut ſi libet manendi ſub imperio meo, in nullo nec tributo quidẽ minuta libertate aut religione ueſtra. Si ſapitis, præferte amicitiam & pacem bello crudeliſsimo. Nam uictos ui, manent acerbiſsima omnia, quæ uicti à uictoribus pati ſolent: à quibus nõ defendent uos arma, domeſtica externáue auxilia, nec ingentes muri, quos radicitus euertam. Valete bene. Quod nunc demũ fiet, ſi potius quàm uim, amicitiã maluerítis, quæ neq́ fraudi neq́ dolo uobis erit. Iuro Deum cœli, terræq́ auctorẽ, iuro quatuor Euangelicæ hiſtoriæ Chronographos, uicies quater mille prophetas lapſos è cœlo, ſummumq́ inter hos noſtrũ Mahumetẽ, adorãdos item Manes aui patriſq́, tum hoc ſacrũ auguſtumq́ meum imperiale caput. Et regia noſtra Conſtantinopoli. Huic cum alij acerbius, quidã lenius, quiſq́ pro ingenio ſuo reſpondendũ ſentirent, nihil eſt reſponſum. Eodem die qui menſis lunij decimus quartus fuit, appulerunt ad Cos inſulam, Hippocrate ſuo, Venereq́ Apellea non minus quàm ſolo cœloq́ nobilem, triginta Triremes hoſtiles: harum præfectus leui præſidio in nauibus retento, militemq́ fermè omnem in terram expoſuit, ad exurenda tecta & frumenta, quæ iam prope maturitatem erant, atq́ ad uicos, agroſq́ depopulandos. Verùm Preianes inſulæ dominus uehemens, impiger, ſummæ audacię uir, accenſus indignatione, funeſtam illis hanc populationem fecit. Nam expedita manu peditũ, cum tumultuario equitatu leuis armaturæ erumpens in prædatores, per ſegetes, per agros palanteis, clamore claſsico, ſtrepitu armorum ſimul à diuerſis locis facto, tantum terrorem Barbaris iniecit, ut cæci & lymphaticis nedum fugientibus ſimiles, ſine ui, ſine defenſione, in obuia tela armaq́ incurrerent: nec, niſi naues litori propinquæ pleroſq́ trepidos & fugiẽtes excepiſſent, ſuperfuiſſet cædi aut fugę quiſquam. Ita re infœliciter geſta, præfectus naues inde auertit, nec poſtea litus attigit.

Rhodij haud minori ardore quàm Turcæ, in Langone cœperunt agros, campos q; suos deuastare, & ex eis quæ diutinæ obsidioni tolerandæ necessaria erant, in urbem importarunt: exciderunt arbores, confregerunt q; omnia suburbana, & quicquid amœni sancti ue prope urbem infra lapidem stabat, demolitum, solo q; æquatum est, ne hosti integrum usui commodo q; foret. Persuaserat hoc prudẽ populo, F. Gabriel Pomerolus Promagister, ærarij triumuir, spectandus domi foris q;, facundus, callidus, amicitia facilis, multas q; alias bonas animi & corporis artes possidens, hic postea in anticuniculum, uia admodum incommoda gradiens, pede lapsus, læso paululũ capite, ilia perfregit: paucis q; inde diebus extinctus est. Nunc orationem ipsam adscribo.

Ornatissimi ciues, auditis Turcam ingens bellum moliri terrà mari q;: ergà quem incertum, signa ostendunt aduersus uos, militiam q; nostram. Laborandum igitur ac prospiciendum nobis communiter omnibus, ne ab hoste immanissimo imparati offendamur: ne ue negligentia aut imperitia nostra illi uires addat. Statuit igitur Magnus Magister uicinas urbi arbores excindi debere, domos dirui, ambitus murorum qui foris sunt solo æquari: quod ut sinatis, rogat & iubet. Compertum est enim, relatione militum qui urbes defenderunt & oppugnarunt, hæc posse obsessis nocere & hosti prodesse: à quo uobis fortunis q; uestris idem quod nobis & commune periculum. Nam in eadem, ut dicitur, nauí nauigamus. Magister, quem hoc difficilimo tempore magnum & sapiẽtem uirum esse expertus sum, omnia leniter & modestè cum populo, cum equitib. agens, etiam ubi res poscebat grauiter: ut alios exemplo confirmaret, uiridariũ suũ statioui Gallicæ præiacens, haud dubiè amœnissimũ, primus demoliri, extirpari q; præcepit. Dum per hunc modũ omnia amœna, iucunda q; aspectu deformãtur, tristius omnino deforme q; magis spectaculũ erat, quod urbẽ propè maiori luctu mœstitia q; cõfecit, quàm ipse aduentus hostiũ: miserabilis scilicet multitudo incõditæ turbę agrestiũ hominũ, ligna, frumentũ, pecora legumina, aues cortiles, cætera q; necessaria usibus, & quibus diuturnior obsidio sustineri posset, ex agris (quod Magister iusserat) urbi inferentium: quos immista accircumfusa turba sequebatur, puerorũ ac mulierũ plorantiũ, quæ sparsis crinibus genas, faciem q; suam, cõsuetudine patria, fœdè laniabãt: supinas manus ad cœlum, ad Deum tendentes orabãt, ut claram Rhodum ex flamma, ferro, pene q; fati faucibus eriperet: matres q; Rhodias & liberos paruos inuiolatos seruaret. Colluuio ista agrestium in arcta tecta cum urbanis locatorum, animantium q; omnis generis cœlum graue morbos q; fecit, contagiosos tamen magis quàm perniciales, profluuium alui & febrim. Verùm cum istorum brutorũ maxima pars, decrescente annona, impasta, neglecta q;, ac sæpe morbida per strata, per uicos, relinqueretur, maioris & pestilentissimi prorsus mali seminarium factũ est: quod uerò post fugam, deditionem q; nostram, uim suam in hostes & miseros qui remansere Christianos, sæuè exercuit. Nec intacta ab hoc malo fuere obsidentiũ nos hostium castra, facilè enim à tactu mutua q; familiaritate morbum contraxit gens immunda, incomposita q; multitudo: cui cibus caro præter suillam uix semicocta, massa q; tritico manu molito facta, atque in carbonibus decocta, humi uti pecoribus pabulum & stratum confecta uigilijs sitiq;. Nam iudex urbis uenerabilis & exactæ iam ætatis uir, pabulum & aquarum fontes lino putrido, alia q; simili materia corruperat, quà uenturum crediditho stem. Qui priusquam tota classe ad insulam obsidendam descenderet, arte atq; insidijs usus, cum 20. longis nauibus, reliquis aliquot auxiliaribus cum supplemento in statione ad Gnidum promontorium, haud procul ab urbe Rhodo atq; in sinu Symæ insulæ (quæ Rhodiorum est) relictis, per continuatos aliquot dies fretum, medium inter oram Lyciæ & Rhodum insulam nauigauit:

cogitans

cogitans isto modo ad nauale certamen è portu nos elicere. Spem enim habebat optimo sanè cum cõsilio propositã, si respondisset euentus, aut nauali prælio uincere, quod tunc temporis non multo minus fuisset, quàm Rhodum expugnasse: aut res nostras destructo inter pugnandũ flore militum hominumq; nauticorũ, plurimum debilitare posse. Qui cum nullo fine facto nũc ad mediũ usq; fretum ueniret, nunc in altum regrederetur, inde iterum ad portum propè procedẽs, classem in conspectu explicaret, plærisq; cùm ætate, tum ingenio fer uidis, quibus non toleranda superba ista fiducia uidebatur, consiliũ haberi pla cuit, faciendum ne periculum naualis certaminis foret. Cancellarius sacræ militiæ idemq; ærarij Triumuir, multis illustrib. factis domi bellicq; clarus, animo immoderato, incredibilia nimis alta cupienti, ingenio magno uarioq;, copia dicendi larga & exuberanti, quam prouectiori iam ætate cum in pueritia literis nõ uacasset, feriatus à bellis, negotijsq; cùm publicis, tum priuatis, quotidiana lectione omnis disciplinæ autorum sibi præparauerat (Plinium enim ita nouit, ut nemo melius nomen digitosq; suos) cui ad summũ honorẽ Magistratumq; nihil obstitit, nisi nimia inconsultaq; honorũ cupido, negabat cessandum esse. Aut enim inquit, ut erat lingua immodicè liber, ingens ista classis, ad cuius nec dum uim aut aspectum, sed solã famam plericq; cõtremunt, quæ tamẽ noua nõ est (nam singulis annis uenire ad nos solet) his piraticis nauigijs ueluti membris caput iungenda est, & tum utilissimũ fuerit, quod quidem superioribus robore nauium, numero, & uirtute militari facilimũ est, capiti membris defractis, huiusmodi dolorẽ atq; ignominiã infligere, ut perpetuò inde langueat: uel nulla alia quæ in nos fabricata sit, classis istã sequitur. quod mihi (fremant licet homines, qui umbrã suam ac cœli ruinã metuunt) ueri simillius uidetur. Nec enim tam uæcors est Turca, ut hoc serò anni tempore, post septimum Cal. Iulias, huc moueat parte æstatis ad oppugnandã urbem cõmodiore exacta. Et quam urbem? munitissimam, nullius idoneæ rei egentem, ualidissimo firmatam præsidio: unde maiores sui semper cum clade & ignominia repulsi sunt. Cui prius q; cuncta expugnandis urbibus reperta apud ueteres, aut nouis ingenijs inuenta admoueat, reliquũ omne æstatis transierit. Hyeme autem cùm ubicq; incommoda sit oppugnatio, tum insula incõmodissima: præsertim hac, in qua nõ portus ullus, nõ cõsistendi usquã locus. Quin igitur Deo & tutelari numine bene iuuantibus, imus hosti superbissimo obuiã? Sed uno minaci indictulo ab ado lescente anxio, ne classem suam aliò destinatam, à tergo inuadamus, dolo fraudecq; ad nos transmisso, desides intra muros, mœniaq; nostra complosis manibus sedemus, nusquam metu ac pauore trepidi caput efferentes, timiditatemq; segnitiem nostram uocamus, si Dijs placet, artes Fabianas, & utinam Fabij essemus, non potius Antiochi, Aetholi (quorum omnis ferocia in uerbis) Vitellij, credentes sedendo, aut uotis debellari posse. Verum, non uotis, neque supplicationibus muliebribus aut his sensibus cõsilijsue, quæ timidi cauta uocant, auxilia Dei parantur: uigilando, agendo, prosperè omnia eueniunt. Proinde palàm his ferociora dicẽdo, tantum apud multitudinem effecit, quæ plærunq; ex incertissimo animos sibi sumere solet, ut sibi pugnam deposceret: uelle ait se abolere indignitatis maculam cæde & sanguine hostium: non esse se sine armis, sine animis, sine manibus. Patribus, sine quorum consilio, Magistro quippiam decernere ius, fasq; non est, uisum in hac rerum difficultate fortunam nõ esse tentandam, lictoribus tantùm, & à populationibus conscriptis ad hoc mile uiris, hostem arcere placuit. qui cum uideret spem suam eludi, retro agens classem ad Villam Nouam (sic loco nomen) duodecimo ab urbe miliario iactis, anchoris descensionem fecit. Segetibus tantùm, quæ propè maturitatem, & pro derelicto habitæ erant deuastatis. Nam hominum, quod aut in uicis, aut in

aut in agris erat iam in urbem castellaq; sparsa per insulam hac illac munitiõra concesserant. Quam iniuriam dum uindicatum iret leuis armatura equitũ, missõ ad hoc nuncio à Magno Magistro redire iussa est. Prudens enim dux, militẽ ad maiores rerum casus seruabat: qui tota obsidione non ducem, sed etiam militem egit, & interdiu aliquando cum his cibum cepit, noctu sæpissimè ad tertiam uigiliam in stationibus mansit: aut obambulãs, aut fortuitò sedili è ligno, uel lapide insidens. In oppugnationibus ferocior quàm patribus placeret, nec tela, nec hostes formidans: semper tamen cauta potius consilia cum ratione, q̃ prospera ex euentu probauit. Fuitq; (quod mireris) inter tot curas, tam uarios & ancipites casus, semper eadẽ uultus gratia & maiestate: quem intuentes uenerabantur & amabant. Huic addendum, quòd quicquid ocij ac quietis à curis, ab oppugnationibus, à naturali usu, & desiderio corporis habere poterat, id totum in preces, & rem sacram conuertebat. Sæpissimè enim maximam noctis partem solus ante altaria thorace tantũ & galea, manicisq; depositis, orando, psallendoq; transigebat. Palàm equitum & populi uox erat, nihil timescendum: Rhodum Magni Magistri uigilantia precibusq; inuictam futuram.

Nunc restat operis difficillimi pars laboriosissima, nunquam sine ingentissimo luctu, atq; mœrore omnium hominum nedum meo memoranda. Nempe, in qua urbis nobilissimæ semper lugenda deditio, & miserrima Hierosolymitanorum Equitũ fuga continetur. Quam qui fando, audiendo ue temperare sibi à lachrymis potest, meo quidem iudicio modicè Christianus est, aut parum prudens malè intelligit, quantũ uictoria Rhodia uires Turcicæ auctæ sint, nostræ acciscę. Verùm nunc omnis querela, etiam necessaria sera est, atq; ingrata. Quandoquidem Occidentis Principes, qui obsidione moti non sunt, neque excidio commouentur, poti calice furoris, indignationis & iræ Dei, quod utinam iuuenili meo tantum calore effuderim. Sed uereor, atq; adeò uereor, ne repugnans reluctansq; dolori meo ueram uocem efferre sim coactus, & ne hi qui immisericorditer aliorum miserabilissimas querelas aspernantur, iubentes quenq; saluti suæ consulere, dicentes secum, non continget malum, nec flamma, nec gladius hostilis nocebit nobis, mox ad palinodiam adacti, Hieremiæ uatis fatale, ac lachrymabile carmen recantare cogãtur: Ecce gentem à longinquis, & procul disitis regionibus, gentem robustam, gentem antiquam, gentem cuius linguam ignoramus, nec intelligimus quid loquatur, comedit segetem, uineam, ficum, & stirpem nostram: deuorat panem, gregem armentumq; nostrum, & ignis suus latè omnia cõburit: quem ego iamiam scintillantem uideo, imò proximos lambentem flamma parietes. Nec credimus insani rem agi nostram, sed cum omnia fulgure flammæ hostilis propius admoto, Italiam, Hispanias deinde Gallias lucere uidebimus: tunc inopes auxilij humani, ante aras & delubra diuũm frustra adflictantes nosmetipsos, ueniam irarum cœlestium, & malis nostris finem efflagitabimus. At respõdebitur timeo, ab irato numine: Oratio uestra conuertitur in peccatum, manus uestra, & imperium uestrum sanguine madet suo, propediem flamma aliena Turcica exarsurum. Par est enim, ut qui in terra uestra Christum Dominũ Deum uestrum contempsistis, in terra iam non uestra, sed hostium, barbaros & immanissimos Turcas perferatis: quod ut uehementer futurũ timeo, ita rursus spero, & si quid ueri mens augurat, opto, ut amor ac delitiæ nostri generis Christus Iesus, satis se pœnarum habere putabit, si errati pœniteat. Illud enim potius quàm funestum quippiam in præfatione ominari libet, ac præcari ut uelit orsis Secundi libri prosperos successus attribuere.

DE BELLO RHODIO
LIBER SECVNDVS.



Exto Calendas Iulias mane diei, nunciatum est è specula, stanti in uertice mõtis, diuo Stephano sacri, uno fermè ab urbe miliario, maximam classem aduenire secundùm flexum Occidentalis litoris Licij. Commota ciuitas est acerbo, nõ etiam inopinato nũcio: cuncta uario tumultu strepere, suo quisq; metu pericula metiri: & clamor ubiq; erat, qualis in obsidenda iamiam urbe esse solet. Cumq; dies octauus esset ab annua supplicatione, circumlataq; sancta hostia, iterum exacto solenni sacro, uultu habituq; supplicum, reuerentissimè in circuitu phani tutelaris numinis, ab Antistite sacri militaris ordinis portata est: & Deus obsecratus, ut Equites, hominesq; Rhodios, quos religionis suæ propugnatores esse uoluerit, etiam robore militandi, & fœlicitate uincendi donaret: ferrum, flammam, cædes, rapinas in hostes numinis sui auerteret. Religione & sancta spe firmatis per hunc modum animis, sacraq; hostia sedibus suis reposita, clausis raptim portis, in muros concursum est, turba quoq; mulierum, puerorum, senumq; gressus suos baculo regentium & effundentiũ sese è domibus ad spectaculum maximæ classis (nam ad trecentum, & amplius naues omnis generis fuisse dicuntur) uias passim & turres, tectaq; domorum complebat. Venerunt naues hostiũ longo agmine. Prima prætoria nauis præsidis Gallipolitani erat: cui classis cura, maritimæq; oppugnationis imperium mandatum à Tyranno fuerat. Agmen cogebat Archipyrata Carra Mahumetes, postea tormento ab arce Telea accuratius emisso, orco traditus. Dux qui mediæ classi præerat, incertum quare (nam uento Fauonio secundissimo utebatur, neq; aliter oppugnationem tentauit) haud procul à portu, qui duabus utrinq; turribus multiplici, & uario bombardarum genere munitis fauces suas dilatat, triremes explicare iussit, uelaq; cõtrahens, malos inclinans, & simul armamenta componẽs, demersis utroq; latere in aquam remis, oram, urbem uersus legere cœpit. Re conspecta, subitò ad arma conclamatum est, signa canere, decursus tota urbe fieri, fortissimus quisq; tendere ad portum, & molem quæ portus ipsius leuum latus efficit, quamq; suprà hostium iniurię obnoxiam esse diximus, & ab hoste peti homines putabãt. Verùm Pyrata cernens se bombardis obrui, nulla aliter mora facta, sublatis raptim dolonibus, in altum non sine discrimine ignominiosoq; clamore Rhodiorũ stantium pro muris, ad reliquã classem se recepit. Quę præteruecta ante urbem & ora propugnatorum, sub signis suis acie instructa astantium, cum sono cantuq; musicę militaris, terrorem non tam incussit, quàm accepit: occupauitq; promontoriũ (Bo incolæ uocãt) tertio ab urbe lapide distans in Orientem uersum. Cumq; is locus haud satis cõmodè tot naues capere posset, pleræq; ante ostium in salo stabant. Sed cum Rhodij tormentis per muros dispositis barbaro hanc stationem infestam facerent, propius ad terrã naues cõtraxit: stabantq; ita in arcto stipatæ, ut uix ullum telum in mari uacuum intercideret. Audiui propositam esse à Hieronymo Bartolutio Florentino, in rebus bellicis non inexercitato, rationem exurendæ classis: quæ cum ab uno ex præfectis æratij (ut plæraq; alia ad hostium perniciem inuenta) non probaretur, à collegis quoq; improbari cœpta est. Verùm dum hostis tormẽta & machinas, cęteraq; ad urbis excidiũ pertinentia, è nauibus in terrã exponit, locũ castris eligit, terrestres exercitus à cõtinenti in insulã traijcit, & urbis mœnia ac situ cõtemplatur, & qua facilius oppugnationẽ pati posset. Oppidani in oẽs occasiones intenti, haud segne ocyũ terebãt. Siquidẽ ante murorũ fundamenta nullo ætatis sexúsue discrimine facto, profundissimos puteos, altaq;

altaq; incilia in fossatis effodiebant ad cuniculos hostium excipiendos. Quam rem usu experimentoq; compertum est, non tantum Christianis, sed etiam Barbaris in hiatibus & effossis lacunis sese occultantibus profuisse. Magnus Magister F. Ludouicum Andugum Equitem ad Imperatorem Carolum v. in Hispanias misit: Romã ad Cardinales & sacros milites suos Italos: equitem Claudium Ducenuillum in Gallias ad regem atq; equites suos Gallos, cum literis quibus opem miserrimæ urbi terrà & mari obsessæ implorabat. Par autem erat cõmunem Christianæ religionis causam à Rhodijs primò strenueq; susceptã, cæterorum quoq; Christianorum Principum cõcordibus armis adiuuari. Sed sors aliter cecidit. Preianes cuius suprà fecimus mentionem, uir cuiuis antiquorum & huius ætatis ducibus conferendus, terrestri prælio bonus, nauali optimus, ad pericula capescenda plurimum habens audaciæ, & inter ipsa pericula plurimum benignioris fortunæ, ut iurè dubites fortior'ne, an fœlicior sit, hyemem & æstatem iuxtà pati, humi quiescere, eodem tempore laborem & inopiã tolerare à pueritia assuetus, & quæ cæteri miserias uocant, uoluptati habere: cũ duos tres ue dies metu hostium in deserto quodam scopulo latuisset, nauicula exploratoria silente noctu excubitores fallens, Rhodum intrauit, magnã spem & animum omnibus afferens. Neq; enim milites alio duce plus confidere aut audere, nec Magister ubi quid fortiter ac strenuè agendum esset, alium quenq; præficere malle: Is dies noctesq; armatus intẽtusq; milites hortabatur, uigilias & stationes circuibat, opera quæ hostes igni ferroq; uiolauerant, sedulò reficiebat. Aduenit etiam è Creta insula consilijs atq; adhortationibus prudentis uiri Fratris Antonij Bosij, Gabriel Martiningus Brixiensis, in militia & toga spectandus, ac ex ueteri illa Brixiẽsi probitate, quàm Plinius celebrat, multum referens, mirabilis inuentor, ac artifex operum bellicorum. Qui quamplurimos cuniculos (nam quinquaginta quinq; fuisse dicuntur) quos Turca propter scaturientem alibi aquam, alibi occursum indomiti silicis, ingenti cum molestia difficultateq; agebat, perleui negotio ludificabatur, actis contrà cuniculis & specubus introrsum ad murorum radices effossis. Res ipsa hortari uidetur, quoniam de Rhodo obsessa agimus, eius situm paucis exponere, ac instituta maiorum domi militiæq;: quomodo Rempub. habuerit, ut in manus equitum Hierosolyminitanorum uenerit, differere.

Insulam Rhodum Carphatij maris, sicut ego accepi, habũere initio Telchines è Creta profecti, fascinatores & malefici generis homines, asperi inculticq;, quos primùm ferrum & æs operatos scribunt. Hi neq; moribus, neq; lege aut imperio cuiuspiam regebantur: sed postquã Tleptolemus populis secum iunctis, quos postea nouem nauibus ad bellum Troianũ duxit, eam habitare cœpisset, multo inde & apud Deos & apud homines celebrior facta est. Siquidẽ optimus maximus illius ætatis & gentis Deus Iupiter, non cõtentus ibi ex Diuino uertice Mineruam suam peperisse, etiam auro pluit: quod Poetas fabulatos crediderim ob nimias opes, omniumq; bonarũ artium egregia studia, quibus is locus adeò refloruit, ut multi dissimulata patria mallent se Rhodios nuncupari: quod duobus Apollonijs alijsq; contigisse, memoriæ proditum est. Breuiq; res Rhodia in tantam claritatem & potẽtiam euasit, ut multis annis antequam Olympia instituerentur, plurimum toto mari polleret, eamq; potentiam ad Romanorum usq; tempora Rhodij summa cum ui & autoritate conseruarunt. Estq; horum fideli opera & industria, nomen Romanorum in Oriente rerum potitum. His siquidem Rhodiorum urbs magna atq; magnifica commeatum, socios, naues, cæteraq; bello maritimo necessaria, sine quo Oriens inuadi capiq; non potuit, facilè suppeditabat. Verùm haud eodem omnino loco sita, quo nunc ab Equitibus Latinis ære ingentissimo atq; opere ducentorũ

& qua-

& quatuordecim annorum constructa conspicitur, ad extremam oram insulæ, quam Manuel Byzantius Imperator post euictã Macrim Lyciæ urbem, & diu peruagatam, uerius quàm habitatam Cyprum, ipsis donauit. Possessionem tamen armis adepti sunt, Græcis nimiopere Syris familiaribus, ut qui ægrè iustũ Germanumq; dominum ferrent Latinos recusantibus: quos partim metu tædioq; longioris belli Gulielmus Villaretus Gallus uariam fortunam domi foris q; expertus, æquis utrinq; conditionibus imperata facere coẽgit, adiutus à Ioanne XXII. Pontifice & Rege Neapolitano. Semper enim regnum istud Rhodijs fauit. Hac etiam obsidione commeatus duorum millium ducatorum & gratis & liberè, serò tamen hinc ad nos missus est. Cum quadriennium retrò Lutetiæ scholia quædam æderem in Iustiniani Codicem, & Constitutiones Bonifacij, Clementis, & huius quem dixi Ioannis XXII. descripsi uitam eius è uarijs autoribus, quorum nemo auxilij Hierosolymitanæ militiæ præstiti meminit: quanquam inter omnes conueniat Pontificem hunc nimiopere studuisse Gallis, & sacrum bellum in Saracenos molitum. Verùm domesticos annales hic sequimur: Regem tamen Neapolitanum haud nominatim exprimentes. Volateranus Ladislaum appellat. Oppidum in planissimo loco positum est, & circumualiari coronaq; militũ cingi potest. Nam portu tantùm Septentrionem spectante, mari cingitur, reliqua parte in occidentem uergit: planicie lapidosa haud magna latitudine, longitudine maiori inter ipsum, colles q; apricos, patente: qui urbi adiacent frequentes, fontibus domibus q; consiti oleastris, ficu, uineto, ac cæteris id genus arboribus, quæ in humo arida & harenosa gigni solent. Verùm manus & ars, naturæ defectum supplerunt. Muro enim atq; pro muro ualidissimo septum est, præterea tredecim turribus assurgentibus, minaci specie horrens, quinq; maximis propugnaculis, omnem aduersus uim iniuriamq; hostilem firmatum, pluribus portis nobile. Disciplinam militarem, mea opinione, nusquã sæuerius obseruatam aut exactam reperies. Vrbis totius custodia in has partes diuisa erat: à turri Franca ingenti altaq; magnitudine cacumen suum in cœlum propè ferenti, ad portam usq; Ambrosianam, quà iter ad montem Phileremum est, super cuius uerticem tyrannus, Sacello Deiparæ Virginis, in balneas sedemq; arcanarum libidinum & monstruosi concubitus mutato, arcem erexit. Sub signis lileatis Franci stabant, quorum caput erat F. Ioannes Aubinus, natalibus & meritis in sacram militiam clarus. Hinc ad portam usq; diuo Georgio sacram, infractum robur equitum Germanorum, uexillis aquilaribus splendens. Tertio loco Galli Auerni, finitimi equitibus Hispanis, ambo belli molem perferẽtes, quòd ibi fossatum latitudine profunditateq; minori foret. Quinto loco phalanx Britãnica pugnabat, duce Magno Magistro: postea Galli Narbonenses. Nouissima statione, sed prima uirtute, legio Italica urbẽ aduersus Pyrrhi uim fraudesq; defendebat, ducibus F. Petro Balino, qui F. Georgio, Aimaro Mõtaphio præfectis saucijs successerat, & Gregorio Morguto antesignano Nauarrorum, copiarum auxiliarium præside. Verùm fraudes non tam extraneus hostis, quàm domesticus efficacissima ad nocendum pestis struebat. Siquidẽ ferox una fœmina, sanguinis Turcici, incompos mentis, an amentia simulata, incertum (quæstionibus enim nihil exprimi potuit) seruа ciuis amplissimi, ad rem atrocem & maximo cuiq; uiro audendam animum adiecit. Decreuerat enim cum aliquot coniuratis (numerum non teneo) in maximo quopiam tumultu & inuasione hostili, per diuersa urbis loca incendia miscere: quorum periculo consternatis, & deferentibus stationes suas pugnatoribus, Turcam nudata præsidio mœnia occupare posse, non inepta ratione colligebat: sed defuit, re indicijs & confessione consciorum comperta, audaci incœpto suus euentus, sumptum'que de noxijs supplicium est.

Turca

Turca per idem tempus nondum uniuerſo apparatu oppugnãdarum urbium mœnibus admoto, collem quendam eminentiorem occupauerat: in quo Phanum D.D. Coſmi & Damiani ſtabat, ponè uirginis Elimonitræ ſacellũ, fronte in ſtationem Anglicanam directa. Hinc magis exercendi militis cauſa, quàm nocendi nobis, leuibus tantùm tormentis utens, in urbẽ iaculari cœpit. Poſtea uineas agere, ſuperq; aggerem iacere, uallo & foſſa loca urbis, quibus imminebat, circundare, comparatis ad opus huiuſmodi impletionemq; foſſarum & cuniculorum, maximos ſubterraneosq; labores die ac noctu continuatos, quinquaginta millibus agreſtium hominum, aſſuetorum magis agro ac pecori quã bello: qui cum moræ culpam ſtatim fuſte, aliquando capite luerent, incredibili celeritate effecerunt, quod poſſe effici, negaretur. Exciſæ ſunt ab his rupes duriſsimi ſilicis, & campi montibus aggere æquati, & complanata foſſuris montium iuga, quos Rhodij nihil tutũ munientibus patientes, primùm miſsilibus ſummouere, deinde ad erumpendum etiam in munitiones atq; opera animati, porta patefacta inuaſerunt: turbatis undiq; clamore & impetu, feſsis laboribus, nec animus, nec ars ad reſiſtẽdum fuit, quà quiſq; potuit per diuerſas uias fugam faciebat, etiam milites cuſtodes operum. Inſtabãt ferociter Rhodij, creſcente (ut fit) & alieno metu audacia. Multi qui explicare ſe ab impedimentis nequibant, aut alio caſu tardati, fœdè occiſi ſunt. Et cum ingens multitudo accurreret è caſtris ſuis opem latura, maxima & latiſsima ſtrages tunc per totos campos ædita eſt: omnia quà uiſus erat, conſtrata globis æneis, armis, cadaueribus, & inter ea humus infecta ſanguine. Nam tormenta in eum euentum per muros & turres præparata, in medias hoſtium phalanges, cuneosq; confertiſsimos, cum maxima ui, fragoreq; & tonitru erumpentia, multos mortales peſſundederunt. Quo genere pugnæ cum hoſtem ſemel bis atq; iterum eluderemus, munimenta ſua noctu intentiſsimis uigilijs, quanta maxima poterat diligentia, accelerabat: die cuſtodiæ duplicatæ ſunt, & tormenta ad exitum Rhodiorum oppoſita: quæ non tam in urbe eos continuerunt, quàm quòd timebant, ne crebris eruptionibus nimium attenuarentur præſidij uires. Cunq; per hunc modum Rhodum terra uerè obſeſſa eſſet, mari etiam, die noctuq; naues aliquot uento & remigio mobiles ante portus hoſtium in ſalo ſtarent, adierunt præpropere Magnum Magiſtrum nautici quidam, parati ſeu uerſare dolos, ſeu certæ occumbere morti, dicentes rationem à ſe inuentam, qua hoſti peropportunas inſidias ſtruerẽt: ſineret modò eos facere, periculi eſſe nihil. Animus Magiſtri paulum arrectus annuit. Illi melopepones, uuas, alioſq; anni & regionis fructus ſcaphæ imponunt, mutati arma atque ornatum, promiſſa barba, capite conſuetudine Turcarum linteis turrito, conſcendunt, tertia uigilia cœlo obſcuro tendentes ad eam inſulæ partem, quà traiectus in cõtinentem erat, gnari linguæ & gentis, fructus ſuos uænum exponunt. Coemerunt mox Barbari profundæ intempeſtiuæq; ac ſordidæ gulæ. Epulas enim & quocunq; tempore, uel ante lucem, & quocunq; loco ſumunt, protrahuntq; illas à medio ſæpe die ad mediam noctem diſtenti, & madentes inter exoletorum miniſteria. Sunt enim libidinis in mares profuſiſsimæ. nam perſuaſiſsimũ habeo, neminem Turcam pudicũ, aut ulla corporis parte purũ eſſe. Diuenditis hoc modo pomis ac fructibus & inter contrahendum hoſtium animis atq; conſilijs cautè exploratis, noſtri nauiculam à terra moliuntur. Turcæ quibus obſidionis initia tantum mirum in modum diſplicebant. nam præ inuſitata multitudine tormentorum, qualem nec uiderant unquam nec audiuerant, nuſquam recipiendi ſeſe tutus locus erat. Omnia enim ui & impetu lætales bombardæ Rhodienſes penetrabant: hortari, obſecrare noſtros, ut in cõtinentem illos traiiciant. Qui ſimulata recuſatione, negare ſe id facturos, nauiculã modicã eſſe, nec tantæ multitudinis

capacem,

ca pacem, ægrè tamen ut uidebatur Barbaris, septem aut octo admiserũt. Hi in-
genti dolore suo, nostro uerò gaudio Rhodum adducti, socio interprete à Pre-
toanne & F. Gabriele summo militiæ præfecto, turrim templi diui Ioannis ædi
tissimam scandere iussi sunt: unde per omnem circumuicinam insulam atq; in
castra hostium prospectus erat. Cum multa & uaria pro Ducum arbitrio roga
ti sincerè respondissent, inter cætera (quod hic adscribendum putaui) renuncia
rũt tumultum, ac etiam rerum nouarum initia, cõiurationesq; complures intra
hostium castra exoriri, militum aliquot cum ingens multitudo quotidie fame,
miseria, tormentisq; ab urbe emissis periret, ut locus sepulturæ uacans nullus
extaret, sub pellibus tuguriolisq; se cõtinere: nec inde à Ducibus, uoce'ue præ-
conis extrahi posse, plurimos secessionem & fugam meditari metu, magnitu-
dineq; præsentium & futurorum periculorum, quærentes frustra se conari di-
centes, duces si sani essent, uim inexpugnabilibus inuictisq; non intentaturos:
Rhodum nequaquam Albæ Pannonicæ comparandam, præesse Liladamum
cum selectissimo Equitum robore, nouas auxiliarium copias, uel iusto prælio
accessuras, resq; meliorib. & fœlicioribus quàm ad Albam ducibus geri. Quæ
cum ad gratiam à captiuis auribus seruientibus dici æstimabantur, res tamen
ipsa postea patuit. Nam Pyrrhus assiduus desertorum & seditiosorum inquisi-
tor placatorq; (tali enim tempore lenienda magis quàm punienda uis erat) li-
teris Constantinopolim missis, Tyrannũ in castra uocabat, opus esse celeri suo
accessu, omnia seditionẽ & turpem fugam spectare, militem obsequium rum-
pere ausum, & imperia aspernari. Interim dum Tyrannus iter parat, cõpertum
à ducibus per transfugas est (quos leuitas ingeniorum in omnibus bellis pre-
bere solet) turrim phani Christianis pro specula esse. Quare promouente etiã
odio crucis in fastigio erectæ, nihil antiquius habuerunt, quàm crebro ære, ma
gnitudine capitali bombardis excusso, turrim illam deijcere. Quod dum dili-
gentissimè faciunt, ecce Tyrannus 5. Cal. Sept. hora postmeridiana in castra ue
nit: ibi cum in uillam pernecessarij mei Iacobi Galteri, quæ Megas andras dici-
tur, uel casu, uel nomine loci arridente descendisset, offendẽs omnia quæcunq;
dici, aut fingi queunt, ignauiæ ac pauoris exempla in illo exercitu, nihil institu-
to disciplinaq; militum, aut imperio eorum qui præerant, agi: plus ex malis mo
ribus sollicitudinis, quàm ex copia ducentorum millium militũ auxilij, aut bo-
næ spei accipiebat. Nihilominus ætate & indignatione tam erga suos, quàm
Rhodios efferuens, seruata tamen temperãtia inter iram suam & culpam subie
ctorum, uocatos ad concionem inermes, atq; etiam gladijs depositis, armato
peditatu quindecim millium Chiriboardericorum, quos secum adduxerat, cir
cumdedit, simul & suggestum ascendens sedit tacitus paulisper animo secum
cogitans, utrùm in autores tantùm seditionis animaduerteret, an plurium sup-
plicio uindicanda, tam fœdi exempli defectio, magis quàm seditio esset. Vicit
sententia lenissima ad multitudinem satis esse castigationem, tum silentio per
præconẽ facto ita cœpit: Serui (neq; enim eos milites appellabat, ambitiosius
id æstimans, quàm aut ratio militaris, aut maiestas sua postularet) quod genus
hominum? Turcæne militare, uincere assueti? equidem corpora, ora, uestitũ,
habitum meorum, facta, dicta, cõsilia leuium transfugarum & desertorum ui-
deo. Heu quantum me fefellit opinio mea. Abijt illa uis, uigorq; Turcensis: di-
lapsa sunt robora corporum & animorum, quibus Arabes, Persæ, Syrij, Aegy-
ptij, Medi, Pannonij, Tribali, Epyrotæ, Macedones, Thraces superati sunt: im-
memores patriæ, sacramẽti, disciplinæ militaris aduersus ducum iussiones, ad-
uersus summi imperij mei maiestatem ausi estis pugnã detrectare, fugam mo-
liri, inani cogitatione ac timore mortis & periculorũ militaribus uiris indigno.
Rhodum, si quis domi in conuiuijs, in compotationibus, in circo, in foro nomi

naret,expugnaturos uos lingua iactabatis,uix temperabatis manibus: hic experiri uim uirtutemq; uolo.sed credidistis forte conspectis signis Rhodios supplices ante portam se & sua in fidem potestatemq; uestram tradituros. Desinat omnes hoc sperare & dicere,mihi qui compertissimum habeo credant. Ignobilis & infamis ista cauea (quam uidetis) plena est feris efferacissimis:quarum rabiem nunquam sine maximo labore & cruore uestro domare poteritis. Domabimus tamen,nemo enim adeò ferus est,ut non mitescere possit. Quod donec perfecero,hîc aut mori,aut cõsenescere decretum ac iuratum: secus si unquam dixero fecero' ue,tum hoc caput cũ classe, exercitu, & imperio, diris execrationibusq; obnoxiũ deuotumq; semper esto.Nec plura effatus, nisi quod clemẽs magis quàm seuerus princeps uideri & esse cupiens, omnibus primorum erratorum ueniam condonabat.Citatis deinde nominatim omnibus apud Tribunos impulsoribus,timore pudoreq; in uerba tyranni iurauerunt. Hunc finem exitumq; seditio militum apud Rhodum cœpta habuit.Omnia deinde melioribus auspitijs & intensione ducum militumq; cura acta sunt. Statuebanturlocis diuersis duodecim æneæ machinæ,obsidione Ambusoni, quintum numerum haud superantes,ore in cœlum erecto,base arctiori uersus terram, iacto bimestri qui altera obsidione tantum nouem dieiũ fuit, dies noctesq; continuato, globos saxeos eptapalmares in tecta templaq;, semel ferè in caput Magni Magistri proijcientes,sed plus omnino timoris quàm ueri periculi attulerunt. Nam cum sonitu campani æris diuerso ab eo qui uel oppugnationem uel uim tormentorum in muros quatiendos indicaret, homines à speculatore sedente in fastigio phani periculi admonerentur,duobus millibus huiusmodi globorũ tantum decem occisi sunt.Quod inter cætera quidam Apella renatus medendi artis professor hosti prodidit, cui uersato inter milites trepidatione detecto, tormẽtis expressa confessio est peracti facinoris. Iecerunt etiã globos cupreos, plenos intus bombardis digitalibus, & inter eas exurimenta erant, bitumen, sulphur,pix liquida,foris coopertos sepius in urbem tortis funibus,cui styli ferrei acutissimi inhærebant.Hi longo igneoq; tractu uolantes, dum casu suo crepabant,omnia fœdo fumo atq; odore obfuscãtes,quicquid astabat cui incidèrent styli illi,bombardulæq; fœdæ,necabant.Sed cum huiusmodi tormẽta nec diu plueret, & sæpius non frangerentur, liberata est ciuitas ancipiti periculo. Efferatiorum erat quadraginta bombardarum,quæ iactu saxorum rotunditatis palmorũ nouem,aliquando undecim,deformare magis quàm solo æquare murum poterant.Harum una,cum in domum, quam fortè fortuna haud infœliciss ime pręteribam,furibundo impetu irruisset,uolatu suo me prostrauit,Aethyopi sequenti, lapis euulsus caput & collum minutim contriuit. Et quia in Aethyopum nomẽ incidimus,nolo gentem quanquam seruilem, frustrari sua laude. Tota enim oppugnatione dominos strenuè & fidelissimè adiuit. Inter machinamenta hæc,quæ oppugnatione altera ducis Paleologi haud plura q; quindecim erant:duodecim uastæ & immoderatæ longitudinis,æneæ machinæ globos æreos saxeosq; multo maiores iusto capite in oppidum euomebãt: quibus appositissimè nomina à serpentibus Basiliscis indiderũt: quòd tam machinæ quàm belluæ contactu suo omnia fœdantes parem noxam miseris mortalibus adferant:ante ora omnium istarum machinarum sæpius uno die in stationes singulas centum & triginta missilia,excutientium:quod licet multis supra naturam uideatur,tamen ita rem esse diligenti obseruatione cõpertum est. Barbari quo eas secq; à bombardis & conspectu Rhodiensium intactiores seruarent,tabulas attignatione contigua inter se iunctas opposuerunt:quarũ medium trãsuersus introrsum axis sustinebat.Has Turca superiori capite funibus ad tormentorum calcem reducto,cum in tantum altitudinis subduxisset, ut capita

pita machinarum detecta apparerẽt, mox apposito ad forulum tormenti, igne
murum quatiebat. Est etiam alia arte atq; ingenio hostis usus, ad tutelam suorũ
tormẽtorum, quæ sine rotarum adminiculo, super cõtiguas tabulas humi pro-
stratas iacentia texerat, ualuis nõ altis neq; se expandentibus, sed quæ fune du
ctorio à milite utrinq; intra fossas abscõdito clauderentur & aperirentur. Rho-
dius huiusmodi opera, quibus confractis reliquum diei & tormentum hosti
inutile redebatur, præcipua cura ac diligentia tollebat: sed tantã animi præsen-
tiam uirtutemq́; hostes præstiterunt, ut noctu reficerent, quę interdiu bombar
dis dissipata erant: quæ reficiendi pertinacia, & crebrò suo missili igne, incen-
dijsq́; cuniculorum Rhodij serò inopiam tormentarij pulueris senserũt: quem
rotatu molarum per dies noctesq́; quinq; mensium continuato, bis septem for
tissimi equi, ex splendido illo equitio Magni Magistri atterebant, inter irrequie
tos triginta & sex liberorum hominum labores. Neq; enim tunc temporis ser-
uili ministerio in re tam periculosa utendum uidebatur: idq́; ne qua fraus con-
tingeret, loco fideli custodia septo: cuius caput erat primum F. Desiderius An-
tagallus præfectus Manuacensis: postea Gulielmus Parisottus eques Gallus.
Turris Nicolea, quã liberalitas ducum Burgundiæ struxit, quod insculpta mar
moribus insignia attestantur, super molem, dextro cornu ante portum admira
bili antiquitatis arte & sumptu in mare proiectam: in qua stetisse ferunt Colos-
sum illum Solis, inter septem orbis miracula, primum: qui cùm terræmotu cor-
ruisset, iacẽs quoq; miraculo fuit: neq; Rhodij, quod Strabo dicit, prohibiti eri-
gere rursus potuerunt. Mira & supra fidem captumq́; humani ingenij de hoc
Colosso prodit liber Græcus, quem penes me habeo, seu uerius libri quædam
uetusta pars incerto autore. Quæ, licet nihil minus semper quæsiuerim, quàm
ut plus iusto à rerum ordine declinarem, historia in quinq; libros dilatata, cum
multis alijs inter iter & fugam mihi uisis auditisq́; explicare proposueram, ut
opere uarietatibus distincto, legentibus amœna diuerticula essent: & animus
mihi per uarios casus, per tot discrimina rerum in Latium acto, memoria repe-
titioneq́; præteritorum periculorũ constantior ac deuotior Deo liberatori red-
deretur. Sed id quoq; alia ratione effici potest: quare nõ putaui operæprecium
bonas horas ulterius in re nec utili nec necessaria collocare. Verùm nũc ad rem
turrimq́; D. Nicolao cõsecratam cui cum supplemento trecentorum militum,
inter quos fuere triginta fortissimi & nobilissimi sacri Equites, pręsidebat Fra-
ter Guiotus Ragusus Gallus, eques magnitudine, animiq́; industria singulari.
Hanc Turcæ per idem tempus diutino impetu tormentorum non modò inuti
li, sed etiam opprobrioso ipsis tentarunt. Quæcunq; enim tormenta oppone-
bantur, ea tormentarij arcis primis ferè ictibus aut arte sua, aut D. Nicolai ope
adiuti disrumpebant. Cumq́; per hunc modum omnis conatus diurnus irritus
ludibrioq́; hosti esset, noctu ad lunę lumen, nihilo meliori fortuna (bombardis
interdiu sub terra defossis, ne à nobis frangerentur) turrim impetijt. Quæ cum
occasum uersus pateret hiatu, commodè equitem cataphrastũ capiente, factis
supra quingentis Bombardarum ictibus, dimissa, nec aliter tentata à Barbaris
est. Verùm circa mœnia ciuitatis cum totius orbis oculi hoc bellum spectarẽt,
opus mirum in modum feruebat. Ingens cœptũ, pertinax conatus, par utrinq;
labor, industria & spes haud dissimilis. Rhodiensi die noctuq́; irrequietissimo
ad uarios conatus hostium, neq; ars neq; uis defuit. Nã immani specu sub terrã
infra propugnaculum nouum effosso, fossatum rudere, saxo, terra, sarmentis,
opera hostili impletum, sedulò repurgabat, transuersis cuniculis, hostium cu-
niculos duos & triginta excipiebat, & palàm, ac clàm cœptis inimicorum au-
dacter obuiam ibat: qui cum nonis Septembribus ab imo ad summũ aperuis-
sent, partem haud paruã per egregij propugnaculi Anglicani, incenso inflam-

matoq; cuniculo, cuius uiolentissimo crepitu tota urbs non aliter quàm motu naturali semel obsidionis tempore facto contremit. Quem cum sentiret Magnus Magister ante altaria armatus, mediusq; inter preces Sacerdotum canentium in Sacello pro introitu propugnaculi, Deus in adiutoriũ meum intende, Domine ad adiuuandum me festina: Capio omen (inquit) hostis adest, festinat in adiutorium Deus. Danda nunc opera nobis est commilitones fidelissimi, fortissimiq;, ut hic Ordo auspicatò institutus, per tot ætates à maiorib. cultus, nec ab ullo hostium adhuc læsus, quantum in nobis erit, incolumis posteritati tradat. Eoq; uehementius quod, magis dedecus est parta amittere, quàm omnino non parauisse. Plura dicerem nisi strenuis abundè dictum esse putarẽ. Et simul cum dicto, sequente satellitio armatorum, plenus spei bonæ atq; animi in hostes tendit: cõtra quos inferentes signa, licet undiq; tela conijcerentur, custodes propugnaculi arma & corpora intrepidè obijciebant, deturbabantq; manipulos militum, per hiantem fossuram ingredi conantes. Hisq; turbatis, ac pedẽ referentibus, cæteri qui ponè erant, quos nec extructi aggeres, nec timor satis munierat (nam pleroscq; iacula tormentis, aut manu emissa uulnerabant) paulatim retrocedere cœperunt. quorum ignauia increpita, dux Mustaphus ipsi cunctentur, solum ascensurum se minatur. Barbari ducem circumfundentes cum ululatu, strepituq; moris sui in pugna ineundi, certamen instaurant. Aequatis itaq; uiribus, prælium aliquandiu atrox fuit: summa ui, & duces hortabantur, & milites pugnabant. Potuissentq; Barbari, si aduersus partem ruina prostratam leuia tormẽta opposuissent, cum uix quisquam nostrorũ sine cæde, aut uulnere stare potuisset, eo impetu propugnaculum capere. Sed cum undique tubæ clamor, adhortationes, aures circumsonarent, in capita toto turbida cœlo tempestas, telorum, ferreusq; ingrueret imber, & oppidani Equitibus immixtis, saxa & picem sulphure tædaq; admixtã in Turcas conijcerent, nec animos, nec uires Christianorum amplius ferentes, nondum receptui signo dato, terga uerterunt, turmatimq; abibant: nihilq; ordinũ, aut imperij memores passim, quà cuiq; proximum fuit, fuga effunduntur. Bombardæ per muros dispositæ, in abeuntes & uagos cruentissimam stragem fecerunt, uti prius cum è castris magno agmine in prælium ruerent. Ceciderunt hac oppugnatione multi Christiani, & inter strenuè pugnantes, & occisos Equites Gallos, Hispanosq;, Philippus quidam Lommelinus Ligur negociator, qui ab Alexandria uenerat, Stampalea ciuis Rhodius. Plurimi uulnerati sunt: F. Henricus Mansellus signifer: F. Petrus Mela Saonensis prefectus cuiusdã onerarię nauis, qui ambo uulnere obierunt: F. Michael Dargelmunt, summus Triremium & propugnaculi præfectus, amisso sagitta oculo, post grauem infirmitatem superuixit. Enituit etiã in huius propugnaculi custodia, fortitudo cuiusdã Equitis Itali, quem Baptistam Romanum uocãt, & F. Francisci Telis Lusitani. Hostium, quos belli euentus aut læsit, aut necauit, certum numerum scribere nõ possum. Quimodestissimè mihi loqui uidentur, mille cæsos ferunt. Templa lustrata, supplicationes indictæ: Deo, ob uictoriam, honos habitus. Muliercula quædam Hispanæ gentis, singulari uitæ sanctimonia, quæ ab urbe Hierosolyma redierat, nudis pedibus frequens circa aras & templa, stipem publicam, quam non tam sæpe emendicabat, quàm à sponte offerentibus accepit, rursus in pauperes erogans, sedulò hominibus religionem incutiebat: Deum pœnas flagitiosorum isto bello expetere: cæterùm ultione sceleratorum facta, urbi & mœnibus parsurum. Hæc sibi per quietem, atq; inter preces obnunciata esse, persanctè affirmabat: & iam sanctum aliquid & prouidum habere putabatur: nec aut consilia eius aspernari, aut responsa negligere uulgus uolebat: adeò deuinctas sibi habet mortalium mẽtes Religio, sed miseros fefellit sua uates. Dum hæc domi

guntur F. Desiderius Podius præfectus arcis Feracleæ, qui multarum rerum cognitionem in recessu habet, quam ut est modestissimus, palàm nõ ostentat, ex insula per nauiculam nunciabat, captos perfugasq; ad se dicere, quòd magnates quidam in Rhodo, secreta consilia cum hostibus communicabant, qui uiam sibi subterraneam sternebãt, in septo Equitũ exituram ad Phanum Ioannis Colossensis. Sic enim à Colosi illius, quem diximus, memoria (non quòd quisquam Colossas Phrygiæ ciuitatem cum Rhodo confundat) locum appellant Græci, tam Turcarum, quàm Latinorum imperio subiecti, qui linguã tùm Græcorum habent, sicut speciem hominum, moribus ritibusq; efferationes quàm ulli Barbari. Magnis animorum motibus ciuitas agitata est nuncio pernicioſi & occultissimi mali, necq; enim scire poterant homines qua uia contrà foderent, quo loco, quo tempore, die an noctu, in ocio uel in tumultu eruptura foret uis illa terrigenarum. Iamq; non pro muris & mœnibus solùm uigiliæ erant, sed quisque domi suæ, magnis præmijs primo euulgatori à Magistro propositis, armatus, anxiusq; terræ partum expectabat. Indicia coniuratorum, cum nomina haud exprimerentur, Magister silentio suppressit: uerùm prodidit exitus, quinto Idus Septembris, quintoq; die post primam oppugnationẽ. Propugnaculum Britannorum, quorum hac obsidione non cõtemnenda manus bello perijt, prælio multo acriori primo, iterum tentatum est, irruperãt per ruinas septem animosi uexilliferi cum delecta iuuenum manu. Et cum pauci propugnatores pluribus pares esse non possent, ignominia accepta fuisset, nisi delecti Equites duce magno Magistro, cum signo sacræ militiæ superuenissent. Ad cuius primum conspectum Turcæ haud aliter quàm fulgetris miraculo uel attoniti, cum superiores essent, ad suos se receperunt. Mustaphus impigrè suo munere fungens, inclinatam nulla notabili causa aciem sedulò restituebat. Cæteri duces militem terga uertentem, iterũ ui, gladijs, & exhortationibus in prælium retruserũt. Itaq; pudore & imperio superante metum, pugnam denuò capessunt. Rhodij imbrè sagittarum laborabant. Sed ceperat omniũ animos, pectoraq; obliuio uulnerum, mortis cogitatio aberat. Hoc unum solùm meminerãt, hos esse hostes, quos superiori pugna cum strage & ignominia repulissent. Qua uirtute dum prælium in tertiam horam protraheretur, Barbaris uires animiq; defecerunt: inter duo millia, quæ manus militaris & tormenta prostrarũt, missa sinistro cornu è propugnaculo Cosquinense (quòd uocant) dextro Hispanienſi, ceciderunt tres Satrapæ, induti holoserico pallio ad pedes demisso: tam inhabili ad pugnam indumento Barbaros uestiri moris est. Ex nostris pro tanta multitudine hostium, sanè pauci, signifero F. Ioachimo de Cluys sagitta exoculato uexillum amissum fuisset, nisi properè F. Emericus Ruyaulx singulari magnitudine Eques Auernus illud ab hostibus seruasset. Venerat hic cum commilitone suo F. Balthasare Augustino Equite Hispano, ex Creta insula in Rhodum obsessam. Magnum & audax facinus. Iterumq; per mediam hostium classem in Pactolum iuit, copias auxiliares acceleraturus: sed inuidit diligentiæ suæ, & miseræ urbi fortuna. Mustaphus secundo iam prælio infœliciter cõmisso, uilescere apud Tyrannum cœpit. Pyrrhus quo apud eum, omnesq; Turcas gratiam & dignitatem suam tueretur, aggerem è terra lapideq; ante stationem Italicam intra mœnia prostructum magna diligentia, cõtinuatoq; impetu decem & septem immanium bombardarum quatiebat. Nec segnius stationem Equitum Galliæ Narbonensis, quibus imperabat F. Raymundus Ricaert præses Bithyniæ, cuniculis & tormentis demoliebat. Habuerant ambo sibi à quopiam, qui specie emendæ ancillulæ, à Georgio Sanctorino, ciue Rhodio, secreta urbis notauerat persuasum, oppidum hac parte capi posse: quos quoniam res obtulit silentio prætereire non fuit consilium, quin utriusq; mores, quantum

ingenio possem, aperirem. Igitur his ingenium, crudelitas, perfidia æqualia fuere: magnitudo animi par. Item religionis nostræ contemptus, in mares libido ambobus profusissima: quam in Pyrrho minuit ætas, auget in præside Cassio. Hic dando, audendo, ignoscendo (simulat enim clementiam, ut pleraq; alia bona) gloriam adeptus est: ille autoritate, consilio, studio, publicæ utilitatis apud suos clarior. Sed hac parte, & reliquis oppidi locis, nobilissimus Eques é Narbonensi Gallia F. Gabriel Chier præfectus Augustalis, fraudibus & conatui hostium, semper maturè obuius fuit: pauperes urbanos atq; agrestes profusissima largitione pecuniarum suarum, ad cuniculorũ effossionem, cui operi præsidebat impellens. Quod ubi sentiebat Cassius, paululum impetus suos repressit. Pyrrhus prędurus & pertinax senex, Equites Italos quotidianis ferè, acleuibus prælijs lacessebat. Sæpe etiam instructa sub signis acie, illos aggressus est. Siquidem decimo Calendas Septembres, iustis copijs occultatis intra uallum decem pedum altitudine, muros ciuitatis superans, structum seruili ministerio hominum ex Mœsia Valachia allatorum, aggerem militarem illum erectũ principatu optimi Emerici Ambosi Magni Magistri Rhodij, quem diximus muro Italico præiacere, cum subita iuuenũ manu inuasit, trucidatis aliquot, qui præsidio erant, & omnia magis quàm prælium expectantibus. Sed cum repentino sonitu æris campani, ingens urbana multitudo, immisti etiã sacri milites accurrerent, maxima ui certari cœptum: hostes æquo loco pedem firmantes, haud facilè depelli quiuerunt. Pyrrhus strenuè laborantibus succurrere, integros pro saucijs accersere, omnia prouidere: contrà Equites memores nominis Rhodiani, & pristinæ uirtutis suæ pugnam æquabant. Quod ille uidens, signo dato, recentes suos extra uallum prodire iubet, scalis, grumisq; ac cumulis lapidum tormentis euulsorum, aggressi milites, propè summa ceperant. Oppidani in subeuntes saxa uoluere, ignes longurijs ad idipsum factis immittere, detrudere eos spartis ferratisq; fudibus. Bombardarij propugnaculi Cosquinensis & Carectani, quod custodiebat uenerãdus senex F. Fernandus gentilis, latus oppugnantium petendo, & nullo tormento ferè frustra emisso, maximam hominum armatorumq; stragem ediderunt. Extremum tunc agmen procedere non audebat, primores sensim retrocedere cœperũt, signa equinæ caudæ quæ principum naualium sunt, & impicta lintea quę ducũ terrestris exercitus fluctuare. Quod dux uidens, postquam duas horas maiore animo quàm fructu pugnasset, canere receptui iussit. nostrûm plurimi læsi, inter cæsos occubuerunt Equites Itali, hostium ingens numerus. Mouerat iratum ducem in nos iactura nobilissimi uiri (si modo ulla sit inter Barbaros & unius tyrãni mancipia nobilitas) qui pridie huius diei tormento traiectus, occubuerat, dum incautius inferiori, ueste holoserica: superiore, redimiculo aureo indutus, longam uirgam rubrã manu gestans, ante ora propugnatorum obambularet, aiunt fuisse Protyrannum, penes quem summa rerum insulæ Eubœæ erat. Solymanus hoc amisso, haud minorem dolorem concepit, quàm antea quum bombarda accuratius è statione Anglica emissa, ei ingeniosissimum artificem, summumq; rei tormentariæ præfectum abstulisset. Sed nunc ad tertiam oppugnationem Anglicanã stylum diuertamus, quæ ut fœlicius quàm duæ primæ Mustapho procederet, operam & consilium cum Archimeto Hispanorum oppugnatore partitus est. Hic cum maximam muri partem quem illi tuebantur, ignito, uiolentoq; dissractu subter effossorum cuniculorum, in altum aëra eiecisset, nube terreni puluerис obfuscatos statim maxima ui adortus est, neq; segnius Mustaphus quinq; uexilla inferens, Britannos aggrediebatur. Pugna duobus locis simul, anceps & atrox fuit. Mustaphus unumquenq; nominans hortabatur, putaret se cõtra latrones, piratas, pro patria, pro libertate, pro aris atq; focis, quæ toties illi uio-

larunt

larunt certare. Contrà Rhodij, manu magis quàm uerbis strenui, intrepidè resi stebant. Christophorus Vualderic armorum & nauigandi peritus, Germanus Eques, urbisq; Imperialis Hagenau summus prefectus ac Commendator, qui Rhodijs in pace ius laboriosissimè ac integerrimè dicebat, quum præsidis Gręciæ omnes contra se conatus, supra terram bombardis, & subter cuniculis ludificatus esset, necessario præsidio ad stationem suam dimisso, huc se cõferens, comínus gladio cum hoste depugnãs, duo illi uexilla extorsit: Barbari omnes cũ strage & ignominia reiecti. Achimetanus miles etsi animosior fuerit, q; iam in summa altissimi muri euaserat, nihilo tamen fœlicior, leuibus enim tormentis iussu & consilio Martiningi per tecta domorum in frontem oppositis, & leuo latere bombardis noui propugnaculi, cui præsidebat F. Ioãnes Maupasus: item dextro ex opere militari, ad radices portæ Athanasianæ, quod F. Florentius Guiuereaux diu magno animo & periculo corporis defendit, missilibus impetitus, uictoriam nobis reliquit, nec lætam, nec incruentam. Nam strenuissimus quisq; aut occiderat in prælio, aut grauiter uulneratus decesserat. Preianus in gula tormento uulnus accepit, nec tamẽ letale. Ioannes Buoch strenuus & magnanimus Eques, ærarij triumuir, & Turcomastix (id dignitatis nomen in legione Britannica est) cum semper uim & oppugnationem Turcicam futuram negasset, morte sua, utranq; expertus est. Occisus est enim inter Anglos, quibus ut Hispanis cum supplemento auxiliari opem ferebat, hunc finem habuit secundus ærarij Triumuir. Tertium Deus ad grauiora meritaq; supplicia seruauit. Achimetus strenuus alioquin ac prudens dux, indignatus quod uoti compos non fuisset, propugnaculum Hispanum maiore postea ui tormentorũ quatiebat, modico inde spatio locatorum. Nec minorem uim omnium quę ad urbes euertendas pertinent experti sunt Auerni, quos in prelium ducebat Frater Raymundus Rogerius, magnanimus & strenuus Eques, patre Gallo, Rhodi natus nono Calendas Octobres. Aduersus hunc, cõmissum sibi locum strenuè impigreq; tuentem, magna uis Barbarorũ è castris processit, spem habens fragore cuniculi ducti ad basim murorum, & pleni materiæ inflammatilis, ingentem mox impositio igne ruinam adfuturam: qua oppidum capi posse militi duces sponderãt. Stabãt iniquo loco Barbari, telisq; nostrorum obruebantur, nec cuniculus cuius tota uis in uenas subterraneas contraq; actos cuniculos euanuit, murũ paratis ingredi aperiebat. Quapropter signo dato, clade aliqua accepta, nulla illata, statim redire in castra iussi sunt. Murus qui occultam introrsum uim cuniculi, & si palàm non apparentem accepisse à ducibus æstimabatur, magno bombardarũ numero, & impetu, per reliquũ diei, noctemq; insequentem diruptus est. Tota nocte omnibus castris strepitus armorum, ingens hominum concursus exaudiri. Duces de summa rerum deliberabant, decreta in crastinum oppugnatio est. Tyrannus cupidus simul uincẽdi & anxius contrario metu: quippe bellum hominibus sumere licere, uictoriam in manu fortunæ esse: quę ad eum diem ingentibus cœptis suis haud adfuisset, confidere tamen copijs suis, sperare fortunæ erga se mutationem: nulli hæreditarium uincere, uictoriam uagari, à uictore ad uictũ uenire. Itaq; cùm spes metum uinceret, ubi paucis arbitris in tentorio suo obambulans, diu multa secum animo uolutasset, duces ac tribunos militum ad se uocari iubet: eosq; pro prætorio hunc in modum allocutus fuisse traditur: Vestra, magnanimi duces, fortitudo atq; prudẽtia nulla indigent oratione. Verùm ut pauca dicam, malè sana mens hostium facit, qui dum urbe tormẽtis lacera, cuniculis suffossa, dirutis templis, domibusq;, cæde, labore, uulneribus fessi, quæ mala toties oppugnatis accidere necesse est, primos spiritus, solitumq; pugnandi ardorem non remittunt:

uidentur militi nostro meritò inuicti atq; inexpugnabiles. Quam opinionem immutatam esse, plurimum ad strenuè fœliciterq; pugnandum refert. Facietis igitur illis urbis potiundæ spem hortando, animum dando, promittendoq; omnia. Ad hæc aperietis consilij mei rationem, ne credant se ad urbem unam oppugnandam adductos, oppugnabunt uerè mœnia unius urbis, sed in una urbe, uniuersam Christianam capimus ditionem. Hic cognati, affines, necessarij sunt omnium nobilium Regum, Principum, Dominatorum Catholicæ gentis. Hic pecunia omnis hostium: cuius cõcessa direptio, maximo uobis usui ad conciliandos animos militum erit, hic tormenta, arma, omnis apparatus belli est: qui simul nos instruet, & reliquos Christianos miserabiliter olim trucidabit. Potiemur præterea tùm pulcherrima opulentaq; urbe, tum opportunissima, portu egregio: unde terrà mariq; quæ belli usus poscunt, suppeditentur: quæ cùm magna ipsi habebimus, tum dempserimus hostibus multo maiora. Hæc illis arx, horreum, ærarium, armamentarium: hæc omniũ quæ Turcas maritimo bello infestant, receptaculum. Hinc tutus in Brutios, Salentinos, Apulos, Siculos excursus. Sed cum considero uos, magnanimi duces, qui uirtute, prudentiaq; uestra, opibus atq; imperio meo, ante duos omnino menses Belgradum adiecistis, urbem inuictam, inexpugnabilemq;, uel proaui Mahumetis uiribus, magna mihi spes quod non diu latebris, claustrisq; ciuitatis tutima nebunt crudeles & contumaces isti Cruciferi. Duces finita concione, mandata militibus explicabant. His urbis nobilissimæ & opulentissimæ direptio uoce præconis per omnia castra concessa est. Tyrannus cum ægrum curis animũ (uti solet) somnus inuaderet, strato se reposuit. Magnus autem Magister (cui insolitus hostium nocturnus tumultus magnum quidpiam portendebat) armatus, intẽtusq; singula urbis loca circumire, quemq; amica uoce aut nomine proprio compellans hortari: meminerit se pro patria, pro libertate, pro uita excubare: omnibus necesse uiris fortibus esse, si motus intempestæ noctis in diut nam pugnam euadat. Respondere omnes bono animo sit, neminem illi seuiuis Magistratum aut uitam erepturũ. Cumq; ab hostium seruo quopiam Christiano ad uigiles clamaretur, ultimam pugnam parari, urbem prima luce diuersis simul locis inuadendam, Liladamus nihil temerè, trepidéue agens, conuocatos Equites suos sic alloquutus est:

Lætor, sacri commilitones, incidisse tempus, ut uno prælio ingentem gloriã parare, & arcem uestram tutando, orbis Christiani defensores, & nominis uindices à genere humano uocari possitis. Gens, in quam crastina luce pugnaturi sumus, tota multitudine freta nos impetit. Cæterùm, si nõ numero, sed dextra, pectoreq; uirtutem metimur, haud dubium, pauci strenui multitudinem superabunt. Nec genus belli, nec hostem ignoratis. Cum his est uobis Equites pugnandum, quos semper mari, iam quinquies terra iusto prælio (omitto tumultuaria) tota acie mœnibus admota uicistis. Erit igitur crastino certamine is uobis illisq; animus, qui uictoribus & uictis esse solet. Necq; illi, quia audent, pugnaturi sunt: sed quia Tyrannus, & uiolenta imperia ducum sic cogunt. Igitur memores quibus parentibus, & quam Christiani orbis de uobis opinionem orti, quæ terra uos genuerit, quæ exceperit. In illos, sequentes unum furiosum iuuenem, cum indignatione quadam atq; ira, ueluti si seruos uideatis uestros, arma repentè contra uos ferentes pugnabitis. Ad quod faciendum non solùm indignitas, sed etiam necessitas (quæ sola uel timidos fortes facit) cogit. Siquidem hic in insula estis, unde nullus fugiendi locus: tum in urbe, cuius laceri & defracti muri, nõ tam uos, quàm arma uestra defendunt. Ideò crastina luce hic uincendum, aut moriendum uobis est. Vna dies uel lætam uictoriam uel laudandam

dandam omnibus seculis, mortem præstabit. Plura dicere parantem, nuncius aduentantium hostium impediuit. Equites, populareśq; quos nouissimæ pugnæ fides, & sperata uictoria fortes faciebat, in muros concurrerunt. Subitò signa hostium canere, & urbs ad stationem Italicam, Narbonensium, Gallorum, portam Athanasianam (quam aliter propugnaculum Anglorum uocamus) murum Hispanorum, & Auernorum quinq; simul loca inuadi cœpit. Mustaphus pauca pro tempore suos cohortatus, patentem ruina locum inuadere iubet. Turcæ propugnatorum globo illati summa ui pugnabant: oppidani ubi maius periculum, eò acerrimè niti, ac hostem propulsare. Neq; alius in alio magis quàm in seipso spem habere. Vndiq; ingens clamor & strepitus armorum. Funditur ater ubiq; cruor. Dant funera ferro certantes: hi comminus gladio, illi tormentis: quæ mira dexteritate torquebat Frater Toros, Eques Hispanus, uita & moribus integerrimus: alij balistis & arcubus utebātur. Vicarius Agonothetæ ac summi principis desertorum catholicæ fidei inter confertissimos Christianos egregia animi magnitudine pugnans, postquam multam intulisset cædem, tormento traiectus occubit. Debuerat meritò mors fortissimi ducis, suis pauorem incutere. Sed nihil tam incertum, quàm belli euentus: occisio unius Barbari, reliquos in furorem atq; amentiam uertit. Mortem enim clarissimi uiri ultum iri cupientes, comminus gladio, & procul nube telorum iniecta, nostros paulatim loco summouebāt. Mustaphus suorum alacritatem cernens, flammæ (ut dicitur) addebat oleum, Mahumetem nomenq; Turcicum obtestans, spolia, manubias, prædam memorabat: ferro uiam per medias acies faciendā: quo sibi minus peperciſſent, eo minus periculi. Adfuere commodum fessis submissa subsidia, pugnam priorum cæde hactenus inclinatam recentes æquabāt. Et cum uiri propugnarent, fœminę tela omnis generis saxaq; in muros gerebant: anhelos sudore, pugna, cibo, & potu adportato reficiebant: nec minoribus animis milites Pyrrhi Equites Italicos oppugnabant. Anceps utroq; loco prælium, totius negotij facies uaria, incerta, fœda atq; miserabilis: hostes pro præda, pro imperio: Rhodiani pro uita, pro libertate certabant, nec erat ullus ordo, aut ulla tam inutilis ad bellum ætas, quæ eo die Hierosolymitanos milites non iuuaret. Pugnarunt prophani & sacri, neq; Crucigeri sacerdotes tantùm, quorum uirtus tota obsidione haud sanè minor quàm Equitum fuit, sed etiam cucullati: & inter eos Franciscanus quidam, cui Ioanni Antonio nomen: fœminæ, pueri, & cum his immisti senes, supra animi corporisq; uires, defensoribus tela ministrabant. Lapides stratis effossos manu fundis ejiciebant. Ignes, sulphur, oleū incendiarium, picem liquefactam deuoluebant in subeuntes. Nec ulla perniciosior pestis ibi uehementius timebatur. Quippe ubi feruens semel materia arripuisset aliquos apprehenderat, nec ulla ui quidem excuti poterat, & quicquid attigerat perurebat: iaciendo arma, lacerando indumēta, unus alium impediebat: turbati ordines, fluctuare signa, nec recētes audere saucijs succurrere, cū undiq; in pectora tela è muris missa uolarent, in capita imber ignium & lapidum pluret. Ad hæc clangor tubarum parua dictu, sed magni eadem in re gerenda momenti res, non tantum Barbarorum aures, sed etiam animos mirè perturbabat.

In isto ardore Magno Magistro hortanti suos pro porta sancti Athanasij, (huc enim eum, quum prius ad stationem Italicam resedisset, Prætorij sui cura strenuo, ac nobilissimo Equiti Fratri Antonio Monterolo commissa, belli necessitas, periculorumq; magnitudo aduocauerat) nunciatur propugnaculum Hispanum ab hoste captum. Atroci nuncio (ut par erat) motus, non tamen defecit animo. Sed belli curam Emerico Gombaulio præfecturæ Peloponnesis titulo insigni relinquens, cum delecta manu iuuenum eò tendit.

Ceperant illud hostes admirabili casu: nam custodum maxima pars excesserat auxilio laborantibus, tredecimo inde passu manipulis Equitum Hispanorum, quibus cum acriter conferebant manus. Achimetani milites pauci qui relicti erant, tormentum quoddam armis manu positis intentissimè aptabant, in dextrum cornu integrorum, qui fessis aduersus Hispanos succedebant. Et ut sunt in omnibus bellis ignaui multi, quidam ex his hostes, cum scandere in murum animus non esset, inter disiecta saxa, ruinasq; ad pedem propugnaculi aliquantisper pauentes remansere. Tandem, cum supra se solitudinem esse intelligerēt, metu in confidentiam, & fortunam uerso, per cliuum reptantes occupata deserta parte, paucos inermes, & tormento aptando intentos à tergo occiderūt, & extollentes patrium trucemq; clamorem, deiecerūt uexilla. Turcæ qui intra munitiones suas parati intenticq; stabant, concitato per mediam fossam cursu, suis agglomerare sese non cessabant, donec condensatæ undicq; pilæ æneæ tormentis euolantes, impedimento Barbaris essent. Duas horas super muros ancipiti Marte propugnaculo dimicatum est. Barbari loco superiores, inuēta ibi saxa in subeuntes Christianos iacebant, summouebantq; arcubus & tormentis multitudinem. Magister hortatur, imperat, quæ in rem sunt, quod plurimū ad accendendos animos militum intererat, testis spectatorq; uirtutis atq; ignauiæ cuiusq; adest. Itaq; in uulnera ac tela ruunt: nec illos muri, nec superstantes armati arcere queunt, quin subeant. Hugo Caponus, Hispanus Eques, unus è quatuor tribunis militum, & Menotius Eques Gallus, cum aliquot auxiliaribus Cretensibus in portam negligentia Barbarorum obice ferreo nō clausam irruperunt. Cretenses infra teli iactum, Barbaros brachio apprehensos strictis pugionibus transfodiunt, multi in subter patentia mœnia deiecti, illiso cerebro expirarunt. Accendit recens ignominia iram in fortissimo uiro Magistro militum, qui fidem Christi deseruerunt, & hortatus uulgum ut sequeretur, primus cum duodecim fortissimis uiris pari robore corporum & animorum, in suprema muri Hispani euasit, quadraginta signa sua lunata defendens, nostra cruciata deturbans. Imperatorem suum milites (quanquam fessi labore, fame, siti, & pugna matutina, quæ in mediam diei lucem processerat) nauiter sequebantur. Liladamus cùm sæpe aliàs memorabilis, tum hac præcipuè pugna fuit. Nam parte prætorianorum demissa intra recuperatum propugnaculum, cum reliqua cohorte ad atrox, dubijq; euentus prælium accurrit. Hispani, cæteriq; sacri milites, & immisti his prophani, qui uulneribus, cæde, ac lassitudine confecti erant, conspectu Magistri, uelut tunc primum pugnę signum accepissent, redintegrato animo & clamore, certamē restituūt: gladijs, saxis, contisq; ignes præferentibus, ac densatis missilibus, stragē & cædem continuabant. Bombardæ locatæ per transuersa opera, in summitate murorum, hostium latus fœdè discerpebāt, neq; segnius Auerni & Galli Narbonenses Turcas trucidabant. Per hunc modū cum pugna æquata esset, recens præsidiū ex arce Nicolea, duce F. Alioro Hispano Equite animi magnitudine, & cæteris pacis, belliq; artibus, cuiuis ueterū conferendo, eductū, rem ad se inclinabat, cuius ubi per internuncios certior factus esset Solymanus, oppugnationē cernēs ab alta specula procul, è malis antennisq; nauiū structa, receptui canere iussit, & Rhodijs, & Barbaris grato, Iacho Basso aūt gratissimo: nam dum alij pugnabant maximè, ipse fugiebat maximè. Quā ignauiā prope stipite luisset, per obscœnas inferioresq; corporis partes acto. Huiusmodi em̄ supplicij fœditate, Barbari fontes plectūt. Verū nulli iratior, infestiorq; tyrānus fuit, q̄ Mustapho belli istius machinatori: q; uaniloquus, ut plericq; Palatini esse solēt, spē suā inflasset: q; falsis adulationibus extollēdo (uerbis multiplicatis) eius uires, Rhodianas nimium mendacijs deprimendo,

deprimendo, occurſurum ad littora populum, ubi regiam claſſem aſpexiſſet, fa
cturumq; deditionem & imperata ſpoponderat. Quę uanitas promiſſorũ non
ſine maximo damno & dedecore nominis Othomanici iã patere: quare mors
ei indicta, coramq; transfigi à ſpiculatore telo imperãs: Volo aiebat oculos pa-
ſcere. Iamq; ſupplicij apparatum lictor promebat, adeò torpentibus metu qui
aderant, ut non modò ferocior uox aduerſus atrocitatem pœnæ, ſed nec gemi
tus quidem audiretur. Pyrrhus unus, parantem ſe ſagittarium ſummouere au-
ſus, prodiens ante tyrannum clementiam eius appellat, & uitam Muſtapho ro
gabat. Accenſus ille audaci facto & indignatione, eundem pari ſupplicio dam
nat, quòd ſe procul à regia, ab ocio & quiete in inſulam ad maximam belli tem
peſtatisq; pericula euocaſſet. Vniuerſa Apocletorum concio factum deprecа-
ri, humum hoſtilem ſatis madere, nõ eſſe rigandam ulteriori ſanguine duorum
clariſsimorum ducum. Itaq; cum ira iam deferbuiſſet, & admoneri ſe pateretur,
Pyrrho prudentia & ſua ætas, Muſtapho coniunx, ſororq; aui ſui materni, uitã
impetrarunt. Illuxit itaq; dies hic tanta hoſtium ſtrage, Rhodianis tam celeber,
quantum unquam alius quiſpiam ab urbe condita. Inter coaceruatos corporũ
cumulos, reperti duodecim Satrapæ, & is quem dixi Vicarium Magiſtri ſcho-
læ militaris, cumulatæ corporibus foſſæ, ſtrages omnia tenebat, corpora quæ-
dam adhuc ſpirantia, multi truncі artus, diuiſa quędam à corporibus capita, pe
ctora, latera, terga multorum ſauciata uulneribus: quidam ictibus ſaxorum in-
tegri, uel in mortem ſopiti iacebãt, uel ægram trahebant animam, tellus cruore
atra, undiq; triſtiſsima facies & pluriма mortis imago, & uictoria ipſis miſeran
da uictoribus erat, ſi de alio contigiſſet hoſte. Turcæ qui ſuos humare parabãt,
cernentes patientia occiſorum uiſcera, fœditatem immanium uulnerum, hor-
rorem concipiebant ingentem, nec defiteri aduerſos quos uiros, quæ tela dimi
carent. Vigiles Rhodij pro muris excubãtes, palàm eis maledicere, Pyrrho Mu
ſtaphoq; uecordiam obiectare, tyranno maſculam libidinem, Rhodios caudæ
ſalaci nouaculas acuere, ignem infamibus parare corporibus: quorũ interem-
ptorum, uulneratorumq; numerum certum neſcio, nec ſi ſciam, referre auſim.
Is quem in diurnos commentarios ſuos, temere tamen conſcriptos retulit no-
biliſsimus Eques & antiquarius F. Macedonius, haud dubiè multo inferior ue
rò eſt, duo tantum millia occiſa prodit. Sed F. Georgius Faucellus eques Lug-
dunenſis, qui hac oppugnatione egregium ſanè de ſe ſpecimen exhibuit, hunc
numerum ad cæſos ſolum pro uallo Italico reſtringit. Roberus Peruſinus mo-
ribus & ætate grauis, atq; omnium quæ hoſtibus aut proſpera, aut aduerſa fue
re diligentiſsimus inueſtigator, in oratione quam ad Hadrianum Pontificem
habere propoſuit, cæſa narrat decem millia. F. Iacobus Borbonius Eques, cla-
rus literis, natalibus ac uirtute, cæſorum ſauciatorumq; numerum ad quinde-
cim millia extendit. Ego ad hunc modum argumento neq; temerario neq; im
probabili, numerum ad uiginti millia augere non uerebor, quantam enim ho-
minum, tum ſuaptè natura, ſanguinis & bonorum noſtrorũ auida, tum impe-
rijs & exhortationibus ducum in cædem noſtram impulſorum, ſtragem feciſſe
ſex horarum ſpacio & quinq; ſimul locis putabimus, tormẽta, arcus, tela, ſaxa,
haſtas, lupos ferreos, curuos harpagones, denicq; omnia quæ ars aut prauitas
humana hactenus ab æuo condito in ſuam perniciem excogitauit? Plura ue-
xilla hoſtes amiſere. Itaq; Equites ceperunt duo regia ingentis ſplendoris æſti-
mationisq;. A' noſtris præter plurimos ſacros Equites centum ferè & quin-
quaginta prophanæ militiæ deſiderati ſunt, ſauciatorum maior numerus. De-
cretum erat ſingulos Equites aut læſos, aut interfectos nominatim recenſere:
ſed cum huiuſmodi diligentia haud neceſſaria in hiſtoria ſit, ſimul ne nimio
ſtudio recitandorum nominum fides mea lectioni ſuſpecta fieret, cunctos ob

patriam

patriã pugnando uulnera paſſos,æquali ſilentio tranſire animus fuit,ſua cuiq; gloria contigit:alij haud decus tulerunt,nulla è Rhodiana militia natio expers ſuæ pietatis,religionis,meritorum eſt. Claſsis centum triremium armis uirisq; inſtructa, tota oppugnatione fauces portus obſidebat, occaſionem expectãs ſi quomodo poſſet ſubitò inuadẽdi.Sed præfectus cum uideret ab equite Franco qui F. Petro de Cluijs militabat & ſacro milite ulterioris Hiſpaniæ Luſitaniæq; omnes aditus à mari pręcluſos,haud auſus eſt concurrere,homo nequaquam militaris ſanguinis,cui celebre,mutato ad Achimeti preces capitali ſupplicio,quod tyrannus ſumere iuſsit,plenus adhuc ira,& uehementi admiratione ob importatum ab Andugo in ſummo loci, temporiſq; diſcrimine auxiliũ, palãm tota concione,& in puppi prætoriæ nauis centies uirgis,fuſtibusq; cæſo,maris imperium poſtea ademptum eſt ob animi ignauiam, & quòd ſæpenumium falli ſe pateretur à nautis noſtris:qui indies creſcẽte inter oppidanos hominum & rerum bellicarum inopia,ſupplementum & commeatum importabant ex arcibus Lindo,Mauolito,Feraclo, Petrea, quam ex ruinis Halicarnaſſi,Piramidibusq; Mauſoli ſepulchri inter ſeptẽ orbis miracula nominatiſsimi, ſtruere cœpit Henricus Schlegelholt, eques Germanus, dum Tamberlanus inuaderet Aſiam, coniiceretq; in uincula Bayazetum Turcarum regem, qui prius Pannonios & Ioannẽ Burgundiæ ducem,inſigni apud Nicopolim prælio profligauerat:præterea ex inſulis Coo,Lero,Calymnia,Niſero. Telum autem & Chalcea Barbari haud longo ab aduentus ſui die, inopia aquarum ceperunt,omnia crudelitatis exempla in uictos exercentes.Sed cum res ſic obtulit,non putaui ſilentio prætereundum facinus,neſcio utrũm atrocitate, an animi magnitudine nobilius,quod auſa eſt ſupra uires, ſupra ſexum ſuum mulier una Græcanici ſanguinis,quæ cum arcis præfecto conſuetudinẽ habebat:quẽ ut agnouit fortiter dimicãdo occiſum,amplexa duos uenuſto corpore & amabili indole pueros,quos defuncto genuerat,poſtquam maternæ pietatis oſcula extrema libaſſet,& notam crucis Chriſti lachrymãtium periturorumq; frõntibus impreſsiſſet, ferro atrox fœmina iugulauit, & trementes adhuc, exeunte ſimul ſanguine & ſpiritu,artus cum cęteris quę chara habebat,in ardentiſsimũ rogum coniecit,ne hoſtis (dicebat) uiliſsimus uiuis aut mortuis,gemina nobilitate corporibus potiretur:& cum dicto induens chari amatoris paludamentum madidum multo adhuc ſanguine,accepta framea in hoſtes tendit,ibi egregia bellatrix & omnium ſæculorum memoria digniſsima uirago, inter confertas hoſtium phalanges,more uirorum fortiter bellando occubuit. Tyranno(ut à diuerticulo quodammodo in uiam reuertar) poſtquã tot locis,omnibus copijs,tanto tempore urbem ſumma ui fruſtra oppugnaſſet:nulla amplius libido inuadendi aliena regna erat,ingentes illi ſpiritus conciderant: nihil prætercceſſum & fugam meditari.Linqui adhæc ſæpe animo,atq; collabi diu,ſine uoce ſimillimus mortuo iacere,memoria tot præliorum infœliciter commiſſorũ, ſtrage tantorum ducum,tot fortium militum,quorum ſanguine haud temnenda Italiæ pars parari poterat,æger,torpens ac ſilens,diu omni humano acceſſu, atq; colloquio,etiam complexibus,& uenere Abrami abſtinere,quem perdite deperit,quamuis agreſtem opilionem & patre pecorario Raguſino natũ.Non equidem hoc dubites amborum fœdere certo conſentire dies,& ab uno ſydere duci:huius conſilio Aſiam ille regit,maximam Europæ partem moderatur,ab hoc bardo inepto,agreſti monſtro,emaſculato, nobiliſsimæ Italiæ tot præclaris ingenijs,tot præterea ſtrenuis atq; magnis ducibus, fœda mors & ignominioſa ſeruitus parantur.Sed tyranni mentẽ nihil æquè ſollicitabat,quàm Lunæ ante initã pugnã deficiẽs lumẽ:quæ colore ſanguinis ſuffuſo, dira,fœdaq; apparuit.Diijs inuitis ad Rhodũ fatalẽ Turcicę gẽtis peſtẽ ſe ueniſſe dicebat, Abraimus &

mus & quæstor, cui publicæ pecuniæ in diuersos usus erogandæ cura fuit, animo metum excutiebāt, naturæ uicem esse lunamq; deficere, cum autem terram subiret, aut sole premeretur, tempus quod omnia domat expugnaturum quos ferunt flamma uincere non potest. Interea amœni recessus causa etiā terrendi magis obsessos munimenta in uertice montis Phileremi erigenda Tyranni annuit. Cœpta strui arx est ingenti opere atq; sumptu. Mustaphus dum indies tyranno suspectior esset, sine autoritate, sine gratia (præterea exulceratam mentem habēs ignominia nuper parati supplicij, nihil enim magnorum uirorum animis tenacius inhæret quàm iniuria) literis ad sagittam ligatis, hostium consilia oppidanos docebat, & fugam in urbem moliebatur. Sed inuidit fortuna incœpto nobis salutari, nam cum in castris nunciata esset mors rectoris Syriæ, quem Barbari Caierbechum appellant, Mustaphus ad leniendam minati supplicij iniuriam, cum amplissimo imperio, ut Syros in fide atq; officio contineret, ad Babylonem Memphiticam missus est. Verùm quando historiam scribentem non deceat, parum comperta pro ueris narrare, Lectorem hic admoneo, quæ de Mustapho hoc loco dixi, accepisse me ab homínib. magis opinionem suam, quàm rei certam cognitionem sequutis. Quicunq; tamē proditor, & fugitiuus iste fuerit, magnum eum uirum secretorum consiliorum participē fuisse, liquidò constat. Tria millia Syrorum postea, & quingenti Mammaluchi, qui rectoris mortem attulerāt, per triduum leui certamine, sed quo nullum nobis, nec molestius, nec nocentius, saxa ignesq; iaciendo, cum custodibus propugnaculi Athanasiani bellum gesserūt. Verum leui certamine, nec iusto prælio, neq; bombardis, cuniculis, tormentis ue clara Rhodos capi potuit. Iā quietis aliqua facies apparere, efferacior uis tormentorum cōtinere paulisper ictus & boatus suos. In summa, obsidio magis quàm oppugnatio aliquot dies fuit. Hostis tamē dies noctes in fossis excubans, dolum tentabat defensoribus mœnium, præmia modò, modò formidinem ostentans. Latinos tantum ad supplicium se cupere: Græcos uerò Imperatorem Græciæ inuiolatos seruaturum dicebat. Sequuta est inde fœda imbribus hyems, tonitrua, fulgura, minæ cœlę stes, nō solùm corpora fessa labore, metu, ac uulneribus, sed etiam animos Barbarorum frangebant. Præterea asperum mare naues in statione, qua haud faciè alia infestior classi esse potest, ita afflictabat, ut præfectus ubi nulla facultas administrandi aut adiuuandi daretur, cum uexata & lacera classe, dimissis funibus & anchoris continentem petere sit coactus: quamobrem, magnam, quod necesse erat accidere, totius exercitus sui perturbationē Tyrannus sensit. Vnus posteaquam Achimetus ei promiserat, quod ima murorū dolabris, uectibus q; ferreis euerteret, tanti mali patiens, uocatosq; ante prætorium suum milites: quorū lubricę ac rigentes manus uix arma tenere poterant, in hunc modū alloquutus est: Quanta pro dignitate atq; decore imperij mei feratis magnanimi Milites, haud ignoro. Continuus cœli fragor, immēsa imbriū uis, sonorū cœlū, algor, fames, sitis, cæteraq; longę istius obsidionis mala, ut arma uos deponere, quietēq; necessariā sumere sinā, multū me hortant. Sed uideamus primùm, an ne turpe sit uiris fortibus uictoriā, quę in manu est, hosti, tędio imbrium & tempestatis relinquere, uallum, fossam, aggeres, non in urbem modò, sed in cœlum etiam spectantes, munitiones, turres, & talium oppugnandarum urbium apparatum deserere. Certè aut non suscipi bellum oportuit, aut geri pro dignitate imperij Turcici oportet. Quod si æstate factum non est, hyeme ut faciamus, cogit me cùm publicum imperij decus, tum uestrum quenq; priuata sua utilitas. Si enim hinc reducimus exercitum, quis est qui dubitet hostes, non cupiditate solùm ulciscendi, sed etiam necessitate imposita ex alieno prædandi, cùm sua amiserint, agros uestros, domos, fortunas uestras inuasuros? uos, coniuges liberos,

liberos,neceſſariosq; in multo fœdiorem, quàm nunc eſt ſeruitutem redactu-
ros. Vrgete igitur obſeſſos,nec antè abſcedatis ſuadeo,quam ſpei ueſtræ finem
ceperitis. Si herclè nulla neceſsitas ſubeſſet, tamen ipſa dignitas,famaq; corpo
rum & animorum ueſtrorum perſeuerantiam imponere debet. Nam ora,oculi
omnium gentium,omnium Chriſtianorũ in iſtud bellum, in uos cõuerſa ſunt.
Quos ſi hyemem unam durare in caſtris nõ poſſe intellexerint, meritò æſtiuas
aues appellabũt: qui ſtatim nubilo cœlo,tecta ac receſſum circunſpicitis. Grę-
cos ob unã pellicem,Troiam decem annos oppugnaſſe dicent: ſed Turcas cæ-
dibus,rapinis,excurſionibus terra & mari factis,ſeruitute præterea ducentorũ
& quatuordecim annorum uexatos,oppreſſosq;, unam hybernam obſidionẽ
perferre non poſſe,terrorem nominis ueſtri hactenus uanum fuiſſe: famam illã
(ut pleraq; alia quæ non uiſa magis timentur) auxiſſe apud homines ignaros
in regionibus exteris. iam tutò ſuſtinere quemq; uos poſſe, qui impetu potius
bella geritis,quàm perſeuerãtia quæ in omni genere militiæ,maximè autem in
obſidendis urbibus neceſſaria eſt,quarum pleras q; munitionibus, ac naturali
ſitu inexpugnabiles,fame ſitiq; tempus ipſum uincit atq; expugnat,ſicut Rho
dum expugnabit: in quam occultum telum paratum eſt chariſſimi commilito
nes. Verùm cunctis præſentibus res ſe tractare non patitur, tam neſcire enim
quædam multitudinem,quàm ſcire oportet. Plericq; id callidè magis quàm ue-
rè dictum exiſtimabãt,& quanquam ingentia præmia, & placida ducis oratio
mœſtos & fatigatos militum animos parum reficerent,uicit tamẽ in gente ob-
ſequẽtiſsima Imperatoris amor,& magni ſecreti auida expectatio. Achimetus
teli illius autor, ſponſorq; uictoriæ, ad murorum fundamenta ſepta haud alto
pro muro,poſt quem cuſtodes noſtri excubabant,crebrò (licet haud ſatis tutò
loco) militem ſuum ſubmittebat,qui cum (neſcio quo infelici fato noſtro) pro
murum illum occupaſſet,factus uoti compos,auxiliares inuocabat: hi intra lo
cum ſe munierũt,donec dux murum muſculis teſtudine pluteis in eum caſum
paratis ſubiret. Quod quidem facillimum illi factu fuit,per foſſas iam compla-
natas,multa terra iniecta,cuius eminens ſupra modum altitudo uſum tormen-
torum è cauis propugnaculis Auerni latus hoſtium tentantium impediebat,
neq; Rhodij è faſtigio murorum immanibus bombardis illis dirutorum, cum
nuſquam in illis eſſet conſiſtendi locus,propter Chiriobarbericos, intra agge-
res ſuos tormentis paratis latitantes, quicquam deuoluere in ſubeuntes pote-
rant. Itaque homines defunctos, ut uidebatur omnibus periculis, & in umbra
quodam modò quietæ pacis exiſtentes, recens atq; inopinatum malum mirè
perturbabat. Conſpectus primùm pauorem,ſilentiumq; torpens iniecit,admi
ratio deinde ac commiſeratio,ſuiq; aperta querimonia ſubijt. Preianus ad om-
nia impiger & audax,perforantes igne,oleo,pice ardenti,reliquaq; materia in-
cendiaria ſummouebat. Sed cum fugientibus ignem,fuſtuarium, morsq; para
ta eſſent, & pro ſaucijs ſemper reponerentur integri, fatale opus ſeptimo die
Octobris incœptum,magno conatu miſerrimorum ſeruorũ procedebat. Serui
enim ſunt Turcæ omnes,etiam conſilio,autoritate,armis præſtantiſsimi, ſolus
unus Tyrannus in tam immenſo imperio cuncta ſibi poſsidet, cæteros omnes
quenq; pro dignitate & merito ſtipendijs alens: hi quo pleno diſcriminis ope-
re ocyùs ſe liberarent, excauatum circa fundamenta murum ſtipitibus fulcie-
bant,quos adiectis malleolis,ignibusq; torrendo muri ruinam parabant. Ve-
rùm cum res ex ſententia non procederet,eundem cathenis ferreis, funibusq;
anchorarijs mirabili machinamento diſtrahere in terram conabantur. Sed tor-
mẽta per Auernum propugnaculum diſpoſita,exiguo tempore inſani & mul-
torum dierum operis molem deiecerunt. Dux Achimetus poſtquam omnem
conatũ ſuũ ludibrio eſſe uidit,atq; obuiã ſibi ueniri ab oppidanis intellexerat,

anxius

anxius trahere cum animo suo, omitteret ne incœptum, quoniam frustra uide-
batur: an fortunam operiretur, quæ sola promissiones suas Tyranno factas im
plere, & morte eũ liberare poterat. Interea ut iussum fuit à Gabriele Martinin-
go Drachones fieri intra murum crassissimum, ut educta inde arma iuuentus
operarios trucidaret, & minutorum tormentorum utroq; latere positorũ con-
globatis ictibus muri faciem, ad quã hosti aditus erat, tueretur. Sed Martiningi
mandatum specie satis tutum, euẽtu nobis & sibi infœlix fuit. Nam oculo ictu
Chiriboardæ inter opus ordinandum priuatus est, ut plerisq; alij strenui Equi-
tes, inter quos haud immeritò retulerim F. Ioannem Omendem Equitem Arra
gonensem, cui cura uestitus militaris distribuendi incumbit. Disposuerunt Bar
bari multitudinem horum tormentorum per rimas partis muri, quæ inter eos
& nos media adhuc restabat. quem, cùm ignari essent quantum hæ Chiriboar-
dæ nobis nocerent, suspenso opere terebrandi, denuò bombardis maiori mole
acriter feriebant: quarum uis iam solito erat efficacior erga murum tot modis
debilitatum. Qui ubi indies magis magisq; tormentorum continua uiolentia
labaret, oppidani ad omnia tuẽda obeundaq; multimoda arte destineri cœpti
sunt, non nocte, non die cessauerunt ab opere, ut nouum murũ, ab ea parte qua
patefactum oppidum ruinis erat, reficerent. Hostibus & defensoribus par la-
bor, similis animus: quem illinc spes, hinc desperatio fecerat. Cretenses, quorũ
operam atq; industriam scriptores in bello nauali commendãt, etiam huic ter-
restri utiles fuere, & locum difficillimæ custodiæ, cum supplemento sacrorum
Equitum adeò egregiè, fideliterq; obseruarunt, ut nõ sint ueriti Castrophilacã
ciuem Rhodium, opibus, & cognatorũ atq; affinium celebri multitudine po-
tentem, cuiusq; in extruendis operibus, disponendis munitionibus, summa to
to bello fuerat diligẽtia quicq; ipsos sæpissimè pauit cibo ac potu largissimè ad-
ministrato, in uincula publicitùs conijcere, quòd tempore & loco suspecto, cõ
tra Magistri edictum per singulas stationes uoce preconis diuulgatum, sagittã
in hostes eiecisset. Quem ubi uarijs & multis quæstionibus affecissem, nihil po
tui expectorare, adiutus etiã opera prudentissimi & nobilissimi Hispani equi-
tis F. Ludouici Luel: cui cum quatuor tribunis militum iuris dicendi ac distri-
buendæ annonę cura erat, quam quod inter amicas & fortuitas cum plerisq; ci
uibus confabulationes hostis iram, si auxilia transmarina non uenirent, aliqua
tributi specie uel manumissione seruorũ leniendam dixisset. Hanc grandi cum
difficultate expressam à reo confessionem, ubi nocte ad Magnum Magistrum
retulissem, strato (cui indumento militari septus incumbebat) se attollens ac
gemens ad uigilias perrexit, iussitq; nullo alio addito uerbo ut reus seruaretur.
Per hoc temporis Tyrãnus foris comitia celebrare, cum ducibus de summa re-
rum frequenter consilia inire. Omnium unanimis sententia erat urbem eo die
capi posse. Cæterùm ut in multitudine semper alijs aliud placet, quidam sentie
bant (sic enim mihi obsidi hostes ipsi retulerunt) Rhodiorũ animos prius col-
loquio tentandos, si forsan pacati quippiam responderent. Ad hunc modum
uictoriam minori sanguine imperatori futuram, & orbis totius imperiũ anhe-
lanti utilem esse clementiæ famã, quam summis ducibus ad ὄpes propagãdas
miro usui esse Cassius & Achimetus affirmabãt. His magna animorum cõten
tione desertorũ fidei magister cõtrastabat, qui sæuitia ingẽti & cupiditate præ-
dæ ad excidiũ ciuitatis trahebatur. Tyrannus placitorũ Mahumetis studiosissi
mus, ingenio infido & supra naturã hominum ac feræ cuiusq; trucissimæ cru-
deli, quam tamen crudelitatem altitudine ingenij ubi expedit mirè dissimulat,
in sententiam seueriorem magna totius corporis & animi alacritate accessit, &
per omnia castra urbis direptionem militibus concedens, eos in hanc senten-
tiam alloquutus est. Tandem magnanimi uiri fortuna uirtutẽ atq; cõstantiam

uestram

ueſtram egregiè experta, digna laboríb. modo præmia affert. Victoria & opes hoſtium quæ tam diu cupiuiſtis in manibus ueſtris ſunt: nunc tempus Græcos latinos iſtos, qui plures penè perierunt, quàm ſuperſint, non homines, ſed effigies & umbras hominum, fame, uulnere, ſqualore, laboribus debiles, impotentesq; trucidandi, qui ſcio uobis reſiſtent: non quia audent, ſed quia neceſsitas perituros cogit. Sumite perfidiæ, crudelitatis & ſceleris pœnas nunc à Crucíferis, & documentum modò graue poſteritati exhibete: ne quis unquam Turcæ ulla in fortuna opportunum iniuriæ ducat. Strata in urbem uia eſt, patet oppidum immani ruina, quę commodè alam triginta equitum amplecti poteſt. Ab hac exhortatione Imperatoris milites incitati, cum per aliquot dies inter ſtragé ac ruinas captæ urbis nihil ſupereſſe præter armatos hoſtes uiderẽt, nec quicq; tot cladibus territos, nec flexuros ad deditionẽ animos, ni uis adhiberetur, experiri ultima & impetum ſe facturos in urbem Tyranno promiſerũt. Vtq; omnia eis opportuna magis ad uincendum forent, oppidanis palàm obſcœnam necem & miſerrimam ſeruitutem pridie diei quàm pugnam inirent, minabantur, & lapides crebris tormentis excutiebãt, quæ per hiatum diſiecti muri in urbem uolantes, multos uno die domos proſternebant. Interiorem autem recenter oppoſitum murum propter ſuam decliuitatem raro attigerunt, quæ res magnæ nobis ſaluti fuit. Fragor ruentium tectorum, ſonitus hoſtium, tonitru fulgorq; bombardarum, magnam miſerrimæ plebi perturbationem iniecit, planctus mulierum puerorumq; undiq; audiebatur, omnia triſte ſpectaculum erat, dira & feralis ubiq; rerum facies, diem tam fœdè exactam, turbulentior omnino nox excepit, noctem lux turbulentiſsima inſecuta eſt. Albeſcenti enim cœlo fulgentia legionum ſigna in patentibus campis cõſpiciebantur. Barbari ſpe prædæ & uictoriæ alacres, cum immenſo ſtrepitu armorũ cantu ululatuq; patrio ad diruta atq; diſiecta mœnia properabant, maximam uexillorum multitudinem cinctam feſta fronde ante portam Ambroſianam ſtatuentes, quam Angelus eques multis fortibus factis atq; prudentia animi inſignis, præfectus modo Aquilarius & Auguſtalis Thomas Chienſel cuſtodiebat, nec ſegniter, nec imprudenter. nam tria magnæ molis hoſtilia tormenta contrariis ſuis tormentis, quo ſuo facto & opera Chriſtophori Vualdenric, cuius ſuprà feci mentionem, ciuitas hac parte non admodũ firma ab excurſionibus & ui undecim immanium tormentorum liberata eſt. Regia claſsis portum locaq; maritima circumnauigans inuaſionem ſimulauit: dixiſſes urbem terra & mari inuadendã, expiratura Reſpublica, caſurum omnibus imperium meritò uidebatur. Nihil tamen tot onerati atq; obruti malis flexerunt animos: ſed tantũ arma ferrumq; in dextris uelut ſolas reliquias ſpei intuentes, abalienatis à memoria periculi ſenſibus ad ſonitum æris campani effuſi undiq; ex domibus, antris ac latebris, quas plerique contra imbrem ignium & immanium ſaxorum ſibi parauerant, denſato agmine in rabiem uerſi ad pugnam cucurrerũt, pro nudata mœnibus patria corpora ſua oppoſituri. nihil ducum exhortationibus, nil imperio opus erat: ſua quenq; conſcientia recordatione malorum hoſti illatorũ ad defendendam impigrè urbem hortabatur: & proponebat alius alteri hoſtile iugum, ludibria & uictoris ſuperbos uultus, ultima omnibus ſupplicia & fœda mors ob oculos erant. Pugnabant inter ruinas collapſi diſiectiq; muri uelut campo patente Equites & ciues Rhodij: fœminæ uiros ſuos ad cœlum manibus tenſis, poſcentes à Deo & numine tutelari uictoriam, ut pro patria, pro libertate, pro domeſticis opibus, pro religione Chriſtiana fortiter pugnarent hortabantur, mortem clamabant timendam non eſſe, quæ nouam beatiſsimis animis uitam afferret. Mulier quædã corpore quæſtum facere ſolens, hoc die S. Andreæ profecto, ut commiſſum ſæpiſsimè ſcelus morte expiaret, multos Barbaros acuta

cuſpidè

cuſpde transfodit. Quædam afflictę matronę in domibus ſuis patrię occaſum cum uno exitio expectabant: multę mœſtiſsimę matres cum cœtu uirginum in templis ante aras, ante imagines ſanctorum proſtratæ, funeſto cōploratu atq; ululatu fœmineo inter ſe diſſonæ, uotis ac lachrymis delubra implebāt, dubijs rebus diuinam opem implorabant: & ut optimi cœlites nefandam uim à pudicis corporibus auerterent. F. Clemens Metropolita (cuius ante prælium in re diuina placandisq; ſuperis, in prælio cohortandis excitandisq; & cōſilio & exemplo uirtutis militibus opera ſingularis ac diuina extitit) homines Græcos manu ſacroſanctam Crucem geſtans, ſancta ſpe & fortitudine bellandi implebat. Si more uirorum pugnarēt cuncti, inquit, multos uictores ſuperuicturos: contrà ſi ignaui remiſiſq;, in acie ſibi parcerent, inuaſa mox urbe omnes ante ora captatū coniugum, liberorumq;, inter uerbera & uincula, omnia fœda atq; indigna paſſuros. Antiſtes ſacræ militiæ & Phani Diui Ioannis Coloſſenſis, Equites hominesq; Latinos exhortabatur, ne ullum antè finem pugnæ quàm morientes facerēt. F. Ludouicus Tentauillus iuuenis congeſtis omnibus à natura fortunaq; bonis ſplendens, nobilis, diues, forma, uiribusq; corporis excellens, facundia pollēs, bello quoq; bonus, propius cum Liladamo Magno Magiſtro & perneceſſario ſuo uexillum Chriſti Crucifixi quod ferebat in hoſtes intulit. Pugnatum eſt circa illud utrinq; ſumma ui & uario Marte: Barbari ceciderent, cuncta clamoribus permiſcebant. Rhodij uerò eos pro uictis habebant, quia non uiciſſent ipſi numero & robore corporum maiores, ſunt enim Turcæ ferè omnes procero altoq; corpore, capitibus tonſis, & raſo plericq; uultu, excepto ſuperiore labro, quod omnibus (cum tondere inter eos aut nephas aut dedecus ſit) pilis contortis atq; reflexis utrinq; ad ambas aures hirtum horridumq; eſt: præterea loco ad pugnam & uictoriam aptiſsimo. Accendebātur ergo animi & certamine laboris & periculi, atq; ipſo inter ſe conſpectu, ita ferox natio bello orbem peruagata, ſi tamen Turcæ bella & non potius latrocinia agant, occaſione ſemper, rarò uera uirtute adiuti, ab unius oppidi defenſoribus longa obſidione propè enectis fœdè reiecta eſt. Oppidani pedem & terga uertentem Barbarum clamore inceſſebant. Turcæ genus hominum in iram & cæcam rabiem præceps, indignati quod uictores plurimi à paucis & uictis, ſi incepto prælio perſeuerantia adeſſet, irriderentur, uerſis in frontem cuneis Rhodios aliquanto atrocius quàm antea adorti ſunt: cecidiſſemus hauddubiū omnes eo die & prælio cum patria, niſi cōmodum cuſtodes qui ſumma extremaq; murorum adhuc ſtantium tuebātur, è tabulatis atq; ibi erectis operibus nubem ſagittarum & machinalium globorū in dorſa per ruinas urbem incurrentium, eieciſſent: & quod maximum atq; omnium utiliſsimum fuit, tormenta dextra leuaq; parte muri recenter in ſpeciem quadratam extructi, Barbarorū latera fœdè cōfringebant, magna ſtrages edita, atrox ſpectaculum, gemitus & ululatus non clamor amplius morientium erat, & plures omnino mortui fuiſſent, niſi imber Cheriboarderijs obſtitiſſet. nam illorum puluis pluuia madefactus, haud facilè incendi potuit. Achimetus aſtutus uir & tenuis, boniq; ſenſus, quamuis obæſo & propenſo ſexquipede uentre, ueritus ne ſuorum cæde nobis creſceret nimium animus, gnarus præterea maximarū rerum, cardinem momento temporis in bello uerti, & quod hoſtis contemptus, ſæpe cruentum certamen daret, ingentesq; exercitus infelici hora, parua manu deleri poſſe, milites in caſtra reduxit: compertum ibi (ſi modo uera narrant) cecidiſſe eo die præter ingentem ſauciatorum turbam, quinq; millia fortiſsimorum uirorum. Duces omnes territi tanta ſuorum cæde (quanquā nemo ex eis uictoriam deſperaret) unanimi ſententia ſtatuerunt urbē haud amplius iuſto congreſſu tentandam:

tandam. Verùm inductis per medias ruinas in eam quinq; fossis atq; incubus, murum illum qui oppositus erat, & alterum opponendum ponè, quæ dhuc uallum ligneum obiecimus, dolabris, terebrisq; subrui debere: obsessos interea in dies, inq; singulas horas leuibus, & tumultuarijs pugnis lacessendos. Vnicũ istud consiliũ magis quàm omnia alia prælia hostibus profuit: qui dum indies, nouaq; pro dirutis opponebantur, opera ferro igneq; uiolarent, & oppidani præmio quadraginta millium ducatorum, quæ summa in sanctiore ærario ad ultimos casus, testamento Ambusoni relicta & seruata fuerat remunerati, ruendo, diruendo domos, fossas transuersas uijs perducendo, minorem indies urbẽ facerent: breui in tantam extremitatem sunt adducti, ut qua primum aut portissimum parte ferrent opem, cùm omnia longè lateq; hostium essent, satis scire non poterant. Nam altitudo areæ intra urbem ab hostibus occupatæ passuum erat ferè ducentorum, longitudo centum & quinquaginta. Tyrannus interea quanquam certus uincendi, animum ad consilia Achimeti & Cassij applicat. Qui nuper frequenti ordine procerum dixerant, uolentibus imperij fines propagare, utilem esse clementiæ famam. Et Pyrrho mandauit, ut obsessorum animos colloquio tentaret, ille quendam Hieronymum Moniliam Ligurem ad mœnia misit, qui fidem & tutelam corporis à defensoribus impetrans, pauca quædam & utilia desolatæ urbi uelle se exponere aiebat. Omnium animi arrecti erant, iussus est dicere: negat sibi palàm id licere, sed secretò cum Matthæo de Via Ligure, habitatore Rhodi, aut per epistolam loqui uelle. F. Forouius Eques Auernus, qui fortè adstabat, cuius tota obsidione uirtus atq; uigilantia singularissima extitit (ferunt enim hunc solum è turri diuo Georgio sacra, quę in mœnia & ruinam murorum spectabat, ultra quingentos Turcas, ui tormentorum neci tradidisse) indignatus mentione secreti colloquij, nuncium bombardis abegit. Multi quorum animi in spe ultima obstinati ad certandum fuerant, posteaquam uictor obsidens colloquium tentauit, & spes uitæ adfulsit, Magnum Magistrum rogare, ut genti suæ optimæ meritæ prouideat, tot præliis sese uictos, urbem dirutam, multos mortales ægros, occisosq;, rem bellicã cõminutam esse, satis sæpe iam & uirtutem militum & fortunam tentatam: caueat, ne se cunctante hostis maiorem indignationem cõcipiat, si uideat postulata sua sperni. His atq; alijs talibus ad legationem Magistri animum impellũt. Mittuntur ad tyrannũ legati F. Anthonius Groleus Eques Auernus, ingenio, & Græci sermonis cognitione commendatus, qui toto bello signifer sacri, militaris q; uexilli fuerat, Robertus Perusius, homo ætate grauis, & Græca facũdia pollẽs, accepti pro his obsides, cognatus unus ducis Achimeti, Epirota quidã qui per patentẽ ruinã murorũ à nobis ad hostes transfugerat, quod quidã Græcæ gentis prefectus faciem illi depalmasset, homo cuius acre ingeniũ & linguę Græcæ, Turcaicæ, ac Italicæ usus apud nos in obscuro, magno nostro damno inter hostes illuxit: accessit deinde Tyranni ipsius interpres, neq; enim ille peregrinam aliquã linguam nouit, quemadmodũ apud nos Imperator Germanus, Gallicam, aut Hispanã, ratus id cõtra decorem esse sermonis patrij, & Othomanicam maiestatem. Oratores ergo nostri prætentatis & excusis prius diligenter uestibus, si quod ferrum absconditũ esset, Tyrannum rogant, quam ob causam colloquium expostulasset, ille similis nescienti, cum ira & indignatione factum negabat, & castris quàm primũ excedere iussis, hanc epistolã ad Magnũ Magistrum & oppidanos dedit. Nisi misertum me foret humanæ infirmitatis, quæ multorum ambitiosas mentes plerunq; in maxima, & minimè necessaria mala præcipitat, profectò hasce literas direxissem minimè. Sed morte qua digni estis, & miserrima seruitute uos afficerem, quod quam mihi sit facile, ipsi cognoscitis: egregiè iam experti uim meam, si sapitis, experiamini gratiam, satis

indulsistis

indulsistis furori, satis dementiæ uestræ: redite ad cor, facite ocyùs quam impetro deditionem, do uitam, do opes, præterea optionem manẽdi & abeundi, nolite si quod omnibus uotis petendum erat, ultro offeratur, fastidire: non quemadmodum hodie utrunq; uobis licet, sic semper licituru est. Reditu Oratorum in urbem, magnus concursus hominum omnis generis eos sequentium factus est ad domum, qua Magnus Magister se tenebat, haud procul à muro urbis diruto, summota cætera multitudine, ciues primores inducti sunt. Recitatũ cum esset frequenti ordine Equitum & ciuium Rhodiensium, minax imperiosi Tyranni mandatum, Magnus Magister, cui satis honorum, satis superq; uitæ erat honestę mori, sic exorsus est: Audiuistis sacri commilitones, uosq; magnanimi mei Rhodij, feralem & tristem epistolam: cui quomodo sit respondendũ, haud anceps deliberatio est. Vel parendum fortioribus, uel moriendum, uictoriæ omnis spes decollauit, nisi adueniant foris auxilia. Si meum igitur approbatis consilium, fidem, nobilitatem à maioribus nostris acceptam, bellicam laudem domi, militiæq; partam per tot annos, fortiter ferro, ac dextra ad extremum usque spiritum & sanguinem tuebimur, ne uiris sit fortibus alius gloriæ, q̃ uitæ finis. Huiusmodi ducis oratio amarior multis uisa est, quàm Tyranni imperium, diu mœstum silentium aliorum alios intuentium fuit: multi occulta oris mutatione motuq; corporis magis quàm uoce, quid ipsi sentirent, exprimebant, tandem sacerdos quidam Græcus, cum summa animi commiseratione & lachrymis, in hæc uerba prorupit: Tacerem ego quoq;, si priuatus essem, aut in uario turbulentoq; tumultu, non primus meam sententiam dicerem. Verùm quãdo cura communis salutis uocem nemini exprimere potest, & omnes sciũt dicendi, ac suadendi quod quisq; uelit, aut optimum putet occasionem modo esse; quæ nec semper, nec diu erit, eam præterlabi nõ sinam. Fingamus igitur potentissimi principis obsidentis nullum nobis mandatum factum, sed ueluti priuatus cum priuato, amiculus cum amiculo, ante focum & inter compotationes, sine cura, sine studio immodico alterius partis, sine libidine aut odio de rebus principum nihil ad se pertinentibus solet, nos disserere: & tum neq; ingrata, neque ut spero infructuosa erit oratio mea. Sex iam menses Græci & Latini unanimis armis, non solùm foris ante muros, sed in uisceribus urbis infestum hostem sustinuimus, sine ullo auxilio, sine ulla externa ope, quam ut diu omnes fruſtra sperauimus, ita singuli nunc certò desperamus: hostis autem uel occulta Dei benignitate motus, uel uirium & animorum nostrorum ignarus, quæ uulneribus, cæde, morbo, dies ac noctes continuato opere perierũt, id ultro offert, quod optandum nobis, ac summa ope petendum erat: aurum argentumq; omne publicum & priuatum, corpora uestra, fœminarum, puerorum seruat inuiolata, urbem tantum, quam ex magna parte dirutam captamq; ferè totam habet, adimit. Magne Magister, nobilissimiq; Equites, cùm alijs multis naualibus prælijs, tum hoc terrestri præcipuè oppugnatione fortitudinem uestram sum expertus, cuius cum in re desperata amplius nullus sit usus, prudentiam uestrã & clementiam appello. Cum iam omnia uictoris sint, quòd uitam opes relinquet, in lucro est, non in damno urbis insulæq; deditio, quam uictor hostis imperat: quæ licet grauis, acerbaq; nobilitati uideat, fortuna uestra uobis suadet, deditionẽ ergo faciendã censeo, potius q̃ trucidari corpora uestra, rapi trahiq; ante ora uestra uos, cõiuges, liberos, belli iure, sinatis, si ulla misericordia flecti potestis. Si qua Christiana pietas in militaribus animis est, ne ad ultimũ perditũ eatis, rogo, innocentẽ hũc populũ, & ut modestissimè dicã, nõ malè de uobis meritũ, quẽ Christus Iesus, quẽ hostis infestus seruare uult. Pietatis causſa, nec ullius alterius loqui quæ loquor apud uos, uel ea fides sit, quod neq; dum uestris uiribus restitistis, neq; dum auxilia à principibus speraſtis, deditionis unq;

apud uos mentionẽ feci. Poſteaq; autẽ cernã oĩa fatis in peius ruere, cõmunes fortunas noſtras in extremo ſitas, hoſtẽ infeſtũ, ſpem alĩj nullã, penuria rerũ neceſſariarum bellum non poſſe trahi, deditionem ſuadeo, pacem quàm bellum malo, & gratiam potius quàm uim experiri. Cum hic peroraſſet, nemini certare cum eo oratione neceſſe fuit, adeò propè omnis ciuium audientium cœtus ſacerdotis erat, aliqui tamen conſcientia iniuriarum quas Turcæ intulerant, & quia nec deditio tuta ad tam infeſtos hoſtes uidebatur, nec ſpes mœnibus aut armis tuendæ ſalutis erat, ſe ac cæteros periculis obiectare & more uirorum cruentam luctuoſamq; uictoriam hoſti relinquere cogitabant. E' quorum numero quidam quem & iuuentus & extrema (ut credebat) hora non ſolum liberum & loquacem, ſed etiam inermem inter armatos proceres & ſeniores uiros ciuitatis, coramq; ipſo Magno Magiſtro audacem faciebat, ſic eloquutus eſt: Nihil unquam minus conſueui quàm quòd ipſe ſentirem coram principibus uiris aut in magna hominum frequentia dicere, adeò malui ſemper aliena uerecundè audire, quàm impudenter ingerere mea. Sed nunc cum extrema dicendi neceſsitas inſtitutum uitæ tenorem obſeruare me ulterius non patiatur, quid nobis diro nuncio & graui imperio perfidiſsimi tyrãni commotis faciundum ſentiam, liberrimè loquar. Deiecit immaniſsimus hoſtis murum, & ciuitatem noſtrã trecentos & amplius pedes ingreſſus eſt, moleſtiſsimus hoſpes ſub eiſdem tectis nobiſcum uiuit ac uerſatur. Qui durum aduenam & grauem uicinum perferre amplius nolunt, turbatori tota poſſeſsione cedendum ſuadent. Mihi longè alia mens eſt ſacri Equites, nec enim tam leuiter fundum ducentos & quatuordecim annos cultum relinquendum uerendum ſentio, ſed moleſto inquietatori aliam moleſtiam inferendam, & cum prædatore cõtinuò prælian dum: quem ubi armis animiſq; noſtris inuitum & repugnantem quinq; menſes excluſum tenuiſſemus, irrupit tandem in ciuitatem noſtram, nulla ſua uirtute fretus, ſed tempore quod omnia domat, hodieq; agitur ab introitu ſuo dies ferè quadrageſimus, nec dum iter longum centum & ſexaginta integris paſſibus, quanquam mirè feſtinans, conficere potuit, tardatus impedimentis, quæ illi obiecimus, & obiectare non ceſſabimus, ſi uiri ſumus, ſi ſani, ſi priſtinæ uirtutis memores: me prius perdant cœlites quàm iſto gemino obtuitu cernam ſacros Equites tradere claram Rhodum, antiquam propugnatricem Chriſtianæ religionis, immaniſsimis hoſtibus, cõtaminatis omni infamia Mahumetis, qui præter anhelam ſitim noſtri ſanguinis, quam ſint infido malignoq; ingenio, ſi neſcimus, ſatis nobis exemplorũ præbent, ne quæramus quo modo alĩs exemplo ſimus, Conſtantinopolitana calamitas, poſterior Eubœæ clades, recentior Metonenſis, tum Mamaluchorum Cayrenſium contra fœdus, contra acceptã & datam ab ipſo imperatore fidem miſerabilis trucidatio. Quid? non ne in mẽtem uenit ſummorum ducum, qui Belgrado imperabant, dolo fraudeq; hoſtiũ procurata mors? Eamus nũc ſani homines & fidem adhibeamus inſaniſsimis belluis, permittamus corporum noſtrorum poteſtatem, quibus non lex, nõ ratio, nihil ſancti, nihil penſi eſt: quorum neſcias maior ſit auaritia an crudelitas, qui nihil aliud multos iam annos meditãtur, agunt, quàm quomodo dolo, ui, nomen Rhodianum ipſis tantopere inuiſum penitùs deleãt. Sextum iam menſem circumuallatos incluſosq; nos tenent, nobiſcum ultima pericula grauiſsimos labores perpeſsi, ante propugnacula & muros ſæpe trucidati, poſtremo iniuria fulgurũ, imbrium, tempeſtatis, hyeme, quę omnium bellorũ terra ac mari quies eſt, hinc auerti non potuerunt, tanta auiditas ſupplicij expetendi, tanta ſanguinis noſtri hauriendi eſt ſitis, nec omnino iniuria, nos quoq; illorũ cruorem fudimus, & adhuc funderemus libenter, ſi per fortunam liceret. Verùm quando Deo immortali aliter uiſum eſt, & ultimam neceſsitatem effugere nõ poſſumus,

possumus, cruciatus & contumelias quæ hostis sperat dum liberi dum potentes nostri sumus, honesta uelim morte inter arma, inter uexilla S. Crucis euadamus, hoc pacto æterna gloria quæ pro Republica cadentibus inter superos & mortales parata est, perpetuò perfrueremus, quam uirtuti & nomini tuo nobilissimo, Magne Magister, inuidere eos non conuenit, qui multorum annorum pacis commodo atq; fructu usi, tum liberalitate etiam sacro sancti militaris Ordinis, extremum nunc belli onus ferre accusant. Quæ uerba excipiens quidam Græca nobilitate atq; prudentia insignis uir, magno silentio gentis suæ etiam multorum Latinorum assensu hunc in modum sententiam deditionis peroravit. Quod dolor & desperatio facundos homines facere possint magis quàm prudentes, cùm sæpe aliàs tum hoc die cognoscere potuistis sacri Equites, nunquam enim prudens à modestia labitur ad maledicentiam, non commiscet uera falsis, non cupit cædem ciuium, non suadet furorem, non hortatur ad demetiam. Sed ita profectò multis ingenitum est, cum ipsi nec prudentia nec consilio malis suis explicare se possint, cæteros in eandē pernitiem protrahere, adeò semper noxiæ & auidæ fuerunt societatis calamitas & malitia. Verùm si tu Magne Magister, mihi quoq; dicendi potestatem facias, homini inter suos neq; potentia neq; autoritate ultimo, quod cùm præsens calamitas, tum ipsa etiam necessitas impetrare abs te debet: disseram quæ acuti istius oratoris plura atq; magnifica uerba, & rei agendæ causa conquisita, nō solum refellāt, sed etiam mentem tuam ad id quod utile, honestū ac necessarium est, motis inde odio, metu, turbatione, diffidentia erigere possint. N. noster quem non solùm uehemētem oratorem esse, sed interdum etiam trucem simus omnes, quum tamen ingenio sit mitis, atq; adeò mitis, ut neminē ex his quos appellat Barbaros, insanos, immanissimos, quorum detestatur perfidiam, accusat crudelitatem, quos sine lége, sine penso, sine ratione uiuere exclamat, nedū occidere, sed ne modicè quidem uulnerare uoluerit. Et nunc tempore indutiarum, dum sagittarum imber pluuia globorum cessat ferreorum, ignis, lapidum, prodiens de cauea sua miros excitat tumultus: omnia commiscet tragœdijs, & quanto in discrimine uersetur ignarus, mortem quam hactenus factis se horrere manifestauit, nunc dictis inuocat, ne ludibria & cōtumelias hostium, inquit, ferre cogatur, superbia hæc est, non fortitudo aut Christiana humilitas. Verùm ista nec minatur neq; parat hostis, nequaquam tam perfidus aut crudelis quàm ipse uideri uult, refricatis cædibus Cayri, Euboeæ, Metonis, Constantinopolis, urbium uel ui uel ingenio militari expugnatarum: non obsidentis & obsessi conuentione permissarum in fidem uictoris: qui quia pepercisse nobis uult, committere cur pereatis non patitur. Sed unde hæc noua clementia? Inusitata erga populum Rhodium pietas? Ego rerum arcanarum tyranni non sum conscius, nec unquam alieni beneficij rationem inquisiui, cum opus est accipere gaudeo. Verùm quid ipse in re dubia sentiam, minimè diffitebor. Vult (existimo) Rhodiēsi oppugnatione & uictoria cæteris gentibus quibus imminet uim suam ostendere & gratiam, ne, semper sæuiendo aut solitudinem eam facere, quibus imperaturus aduenit, aut animis mortalium perpetuò à se alienis cum omnibus ferro & flamma certare cogatur: quibus malis non tam hostium quàm suorum ia cturam fecit. Hanc ob causam (ut reor) uitam nobis, & opes relinquit, nedum ipse eas ui auferre, & nos insano bello retinere uelimus, ambo in maximam ruamus pernitiem, uictori propè tam luctuosam quàm uicto, præterea si omnes hic trucidat, licebit tunc quidem nemine uiuo hic resistente per cæsorū cadauera Rhodum ruinis patentem ingredi. Sed clausa est Lerus, serata Petreia, munita Arangia, Lyndus situ inexpugnabilis, hic tela, hic enses, arma, uiros esse credit, & nouus belli iterum apparet desudandus labor: nisi malit uestram

militiam fatalem imperij sui pestem, in suos grassari: quæ loca sine cæde, sanguine (ut par est) habebit, si te Magne Magister, si uos Equites, & nos miseros incolumes hinc cum leui suppellectili dimittat. Hęc humana cõsilia nisi illum ad gratiam & miserationem nostri commouerunt, tum dubio procul numine agitur, & occulta erga nos Dei ac Domini nostri Christi Iesu crucifixi pia clementia. Cui uos si sani estis, si uiri religiosi, si uirtutis hominum uere Christianorum memores, obicem opponere non conuenit, & uestra ruina hanc miserabilẽ plebem extinguere. Quę semestri obsidione ista, uix quod satis ad naturale defiderium corporum esset quieti dare potuit, pro uobis in acie stans, pro uestra gloria uictoriaq; uulnera & mortem ferens. Cuius fideli opera & diligentia domi foriscq; adiuti estis: siue Turcam inuaderetis terra Mytilene, Naupacto, Metone, Patris, totaq; Peloponneso, siue eundem turbaretis possessione maris Ionij & Aegei. Qua ex re uel cœco apparet, quàm sit iniurium & à ueritate alienũ, obijcere nobis quod pacis fructus metientes, belli onera recusamus, imò bellũ nunc̃q; recusauimus. Nunc autem etsi maximè gerere uelimus, non possumus, robore iuuentutis occiso paucis reliquijs quæ supersunt non tantùm corpore, uulneribus, morbo, uigilijs, labore irrequieto, sed etiam animo fractis, dum hosti secunda, aduersa nobis omnia sunt. Tum maxima, eademq; optima parte ænearum machinarũ continuo usu rupta: cuius si hodie integra extaret, nullus usus, nulla utilitas esse potest, inopia tormentarij puluerís, qua non modo laborat hæc ciuitas, sed etiam Lerus, Lyndus, Halicarnassus, Arangia. Nunquã fui secretorũ cuiuspiam aut cupidus, aut diligens explorator, multo minus militię uestræ, tamen hæc ita esse dissimulare nõ potes Magne Magister, qui illinc palàm militem secretò machinalem puluerem importare huc fecisti, quo tua prudentia, sex menses externũ sustinuisti hostem, & unius atq; alterius domestici proditoris fefellisti impietatem. Sed sino libenter hęc omnia, desero ueritatem, relinquo multitudinem, uenio & loquor ad paucorũ gratiam & fingo armorũ & animorũ nobis esse satis. Sed hoc rogo, his ne ad custodiã, an perditionem utendũ suadeant? Ad utramq; fieri nequit, nõ magis quàm seruũ esse & liberũ. Ad perditionẽ? Dementia hæc est, & uecors superbia exosa Deo atq; hominibus. Ad custodiã ergo? sed quomodo custodiemus urbẽ (nõ dico quòd res est) iam amissam, atq; ab hoste occupatã, in qua ille regnum possidet, diruit mutat, uersat ima sursum, suprema deorsum? Sed mœnibus nudatã imani ruina additionem Hispanam patentẽ, qualis muro Italico nõ impendet modo, sed adest iam, atq; infertur. Quo pacto seruabimus infœlix istud oppidum ad stationes Narbonensem, Britannicã, Auernam, & turrim D. Nicolai lacerũ? Quod est tam lacerũ, si tam egenũ omniũ rerum bellicarũ non esset, sed integrũ & armis, & commeatu instructissimũ, cogente sic necessitate, suadente prudentia, relinquere deberetis, quandò omnis ulterior pugnãdi facultas uobis ablata est. An non uidetis, ut leui imò nullo negotio, hostis ex noua, quam supra montem Phileremum extruxit arce, tantum duobus miliaribus hinc distante, omnem commeatum uobis intercipere possit, & insula & mari: præterea omnem accessum & exitum prohibere. Profectò uidetis uiri armis & prudẽtia insignes, cuncta hæc diu melius præuidistis, quàm ego armorum & bellandi prorsus rudis, tantùm mercibus uenundandis, & alendæ familiæ assuetus. Sinite me ergo dicere uerum. Excessere omnes aditis, ariscq; relictis, Dij, quibus imperium hoc steterat. Aduersus uim hostium, nulla ars, aut custodia humana reliqua est. Expectare autem exercitus angelicos, diuinas è cœlo acies, aliaq; id genus miracula: est meo iudicio iratum Deum quanquã in ipsa ira adhuc miserantẽ magis ac magis irritare. Consulamus ergo destituti omni humano auxilio, saluti nostræ, noli te rogo Magne Magister per has lachrymas, per innatã nobilitati tuæ

pietatem,

pietatem, istam miseram urbem direptionibus hostium exponere, senes & me-
diam ætatē gladio, uxores & filias nostras stupro, pueros nostros infami, abo-
minandæq; Veneri Barbarorum, tum insanis æternisq; erroribus impij & uiru
lentissimi dogmatis Mahumetei. Vtinā uidissetis Equites, quibus lachrymis,
quanto gemitu, mœsta familia, & plorantes circum matres pueri, nos huc dimi
serint, quibus precibus sint prosequuti. Vellem sciretis quali animo, quantaq;
cum spe incolumitatem suam à uestra clementia expectant. Potuisset hæc ora-
tio uel lapidem commouere, uerùm Magister, cui nobilis ille & ingentior spiri
tus, quàm præsens fortuna postularet in uultu apparebat, singulos ad uigilias,
cum sermo in multam noctem protractus esset ire iubens, nihil aliud respōdit,
quàm cogitaturū se de cōmuni salute. Et sequente luce peracto sacro uiros rei
militaris peritos, nominatim Preianū, Gabrielem Tadinum, quem suprà Mar-
tiningum appellauimus de statu & salute urbis diligētius percunctari cœpit,
omnium concors sententia fuit, urbem in quam hosti & fronte, & utroq; latere
expeditus ingressus esset, amplius nulla arte teneri posse. Prolata hac tristi suo-
rum sententia, post longā sanctioris cōsilij, tandem omnium Equitū & ciuium,
in quo diuini ac humani iuris peritissimi uiri fuere, disputationē, utrum ne de-
spondere uitā, & tuere in pernitiem Saguntinā, & fatum Abydenorū, an seruа-
re tot miserabiliū hominū corpora, signa, tabulas, æra, monumēta orthodoxiæ
præstaret? Magister unanimi omnium suffragio & instigatione deditionem fa
ciendam pronunciauit. Dum hęc disceptarentur, quatriduana pax fuit, timoris
tamē & periculorū plena. Violauit hanc Fornouus iniussu ducum. Indignatus
enim homo nobilissimi & Gallici sanguinis Barbaros urbem audientius inspe
ctare, tormentarios globos in confertā multitudinē excussit. Venit ad hæc per
idem tempus ex insula Creta, naue Hieronymi Carmanioli iussu, astuq;, qui
uel cautissimos fefellit, & opera F. Ludouici Andugi à Morsia oppido regni
Castellæ, Equitis splendore natalium, & animi, corporisq; bonis ornatissimi, Al-
phonsus Hispanus, summus triremium nostrarū nauarchus, uir ad omnia ma-
ris & armorum pericula summè audax & impiger, intulitq; in Rhodum uina
& inconsulto senato Veneto centum uoluntarios Latinos milites, nullum Cre
tensem. Turcæ, & fractione fœderū, & quòd nauim receperamus, quàm mul-
to milite, & ipsi & nos refertam credideramus meritò commoti, uersi in rabiem
& furorem, sine signis, sine ducum imperio, per dissecti straticq; muri ruinas, in
urbem ad tabulatum usq; uice quarti muri oppositū incurrerunt. Magnus Ma
gister, dimisso consilio & senatu procerum anteſignanorum, ad tumultum ac-
currit. Pugnatum aliquandiu hinc inde est acri animorum contentione, Magi-
ster (quod quoties rem quispiam impigrè fortiterq; gessisset, tota oppugnatio-
ne fecit) ingenti eo die præmio remunerauit uirtutem. Dalmatæ cuiusdam fa-
miliaris D. Marini Restij, ciuis Ragusini, quem insana plebs cum more huma-
ni ingenij multa noscendi cupido de dispositis insidijs, & fusto ad cremādos
hostes puluere inquireret, quasi proditionis conuictum, non expectato iussu
Magistri, in carceres coniecit. Parum â ui, tumultuq; populari iniuriam accepit
coquus Antistitis phani Colossensis, non tamē tam immeritò, quàm innocen-
ter. Siquidem octauo Calendas Octobres, dum omnis Ordo & ætas circa mœ
nia propugnaret, magnanimus ipse miles in fastigium Phani scandendo irru-
pit, inde bellantium utrinq; cædes & uulnera securè, minimè tamē ociosè pro-
spexit. Nam hostibus à quibus neq; uideri, neq; audiri poterat, procul in aēre
minabatur, defensoribus agitatione uexilli ibi reperti (ut uidebatur) animum
addens. Et primum ab hominibus religiosis diuus Ioannes æstimabatur, inde
cognitus homo uocatur fustifer, uerbero, sacrilega, proditor, fautor hostiū, qui
eis è specula signum faceret. Et quanquā crebrò missi nunciꝰ ad descensionem

illum hortarẽtur, nihilominus personam suam egit, donec iaculis & lapidibus funda excussis, impetitus descendisset. Ibi mox turba puerorum & mulierum circumfusus, rapitur, cæditur, mulctatur miser: unus barbã euellebat, alius depalmauit faciem, tertius conculcauit uentrem, quartus iugulo ensem intentauit. Accurri, & hominẽ ereptum è fati faucibus in publica uincula conieci. Hac pœna non cõtenta muliebris commotio opera puerorum carceres effregit. Et collo grandi fune nautico iniecto (quem manibus puerorum fors obtulerat) miserrimum inter uerborum ludibria & contumelias ad crucem protraxerunt. Pars sacrilegum, pars proditorem, multi recutitum appellabant: nonnulli constantiùs asserebant Turcam esse, & missum exploratorem. Perierat infœlix manibus furientium, nisi commodum renunciatum & assertum fuisset ab Antistite templi, esse culinarium suum, natum in Gallia ad Fossas Marianas, nec Turcaicæ, nec Græcæ linguæ peritum. Simili iniurioso spectaculo, subq; ipsum deditionis nostræ tempus, & post uiolatas indutias, Magister gladiatorum Turcensium crudelis, sanguinarius bellator, corpore uasto & rudi, quod cõuenientes sequebantur mores, cõtemptus hominum, superbæ aures, cõtumelioſa dicta, libidines nouæ, inhumana crudelitas, affecit tres Christianos, quos Barbari incautos extra urbem in hostilem campum lupis ferreis protraxerunt. Nam manus illis aures q; abscindebat, postea uulnere inhonesto nares truncauit, & in urbem remisit cum huiusmodi literis. Nullã salutem Magne Magister. Quẽ ego ante tres, quatuor'ue ad summum dies his manibus minutim cõscindam, & milites mei populo tuo nulla habita cõsideratione ætatis, sexus, ordinis, ui, ferro, flamma miserabilem animam eripient, ut insigni exemplo posteritati innotescat iustitia Turcarum & Christianorum perfidia. Quos uiolatis indutijs externa auxilia recipere, & improuisos milites trucidare non pudet, quorũ nemo (credas) amisit inultam animam. Magister minaci epistola perlecta subridens: ne modis omnibus (inquit) oppugnati non essemus, etiam minæ, & conuitia addita sunt. Verùm magis turbati sunt animo, Robertus Perusinus, Frater Raymundus Marchetus, de quo suprà primo libro dixi, & Frater Raymundus Lupus à Pacis Eques ulterioris Hispaniæ ingenio acri, & summo iudicio Oratores in castris hostium, quos Achimetus incandens ira ob fœdus uiolatũ & nauim uix mediocrem receptam, proculdubio omni tormentorũ, & cruciatus genere affecisset, nisi in oppido nostro egissent obsides. Verùm cum Nicolaus Vergotus, & Georgius Sangriticus ciues Rhodij, urbis tradendæ formulam attulisset, repentè lenita est omnis efferatorum hostium exasperata rabies. Tyrannus cinctus ingenti exercitu & proximiore cohorte prætoria, quæ ad pompam & terrorem auro, armis q; præfulgebat, singulas pacis ac deditionis leges testibus Deo & Mahumete fœderũ inspectoribus, conceptis uerbis pronunciauit. Conuenit inter cætera capita: Diuorum templa inuiolata manere, pueros nõ auellendos è parentũ familia, neminẽ cogi debere, ut Mahumeti nomen daret, mansuris quinquennalẽ tributorum immunitatẽ concedi. Abituris dari naues, & cõmeatum usq; in Cretam, tormentorũ bellicorũ quantum liberet tolli posse, diem deferendæ urbis arbitrij Christianorum esse. Quæ perfidus Tyrannus Deorum ac hominum iuxtà cõtemptor ut seruaret, tantum abfuit, ut die natalis Christi, antequam quisquam fugam adornasset, porta Cosquinij propugnaculi ui effracta urbi infesta signa intulerit. Et sacra omnia prophanans, primarium phanum numini tutelari sacrum in ædem Mahumetis cõuertit. Euulsis è sedibus suis statuis, & beatorũ imaginibus abrasis, sepulchra Magistrorum, & quicquid sculptũ scriptum q; Magistratus causa erat, dirui ac cõplanari iussit. Ornata eximiè sacra Basilica fuit, & copia uicini marmoris & ingenijs artificum. Nec diruere modò ipsa simulachra ac sepulchra euertere satis

habuit,

habuit, sed lapides quoq; ne integri cumularẽt ruinas, frangi iussit. Et posteaq; non tam ira satiata quàm iræ exercendæ materia deerat, templum omni composita effigie & simulacro uacãs ingressus, ueneratus est Mahumetem, qui secundum illud summum & æternum neq; mutabile neq; interiturũ numen, sele ctus maximusq; in cœlo esse à Barbaris creditur. Postea hi qui spretis patriæ religionibus Mahumeti nomina dederũt, gens ad rapinam & immanitatem prona, ludæis haud absimilis (nam genitalia circumcidere instituuntur, ut diuersitate noscantur) transgressi in morem Turcarum idem usurpant, nec quicquam prius inbuuntur quàm contemnere Christum, exuere patriam, parentes, liberos, fratres uilia habere, passim tota urbe templa conspurcare incœperunt, rapere quæ oculis ac manibus obuia essent, miserorum hominũ sarcinas ad portum deportatas ut nauibus imponerentur, diripuerũt. Sacrum xenodochium omni ornatu cultuq; & suppellectile argentea planè maximi ualoris spoliarũt. nullum tormentum nauibus imponi patiebantur, triremibus tamẽ sua remanserunt magis casu quàm illorum uel fide uel gratia. Christianis cæsis fustibus & colaphis uice iumentorum ad ferendum onus utebantur. Iudæos uel quadraginta annos retrò renatos ad Mosem redire cõpellebant: uernas, seruos tinctos aqua lustrali, Mahumeti sacra facere. Christi crucifixi statuas luto cenoq; conspersas per strata eiecerunt: Christianis tollere uolentibus, statim fustuariũ paratũ erat. In foro aut loco publico nemo expers iniuriæ aut contumeliæ esse poterat. Nec is quidem qui imperatam pecuniam exoluebat. Nam ego cum uno solato Gallico & aliquot Marcellis Venetis à pluribus Barbaris uexationem meam redemissem, neq; possem omnium auaritiam inopia nummorũ explere, miser ad necem usq; uapulaui. Magnus Magister consilio siue iussu Achimeti assumpta humili ueste, qualis supplici, uicto, & uictoris maiestatem uenraturo conueniebat, foris in castra hostium ad prætorium tyranni iuit, paucis comitibus ex illo infœlici ordine Equitum. Qui cum die ac noctu semestri oppugnatione ultima ausi passi que essent, & iam post uniuersa uitæ & uictoriæ amissa atq; desperata subsidia, affecti continuis uigilijs, longo diuturnoq; morbo, cæde, opere irrequieto exhausti uiribus, arma substinere nequirent, necessitatibus humanis magis quàm ui in ignominiosam superbissimorum hostium potestatem deuenerunt. Magister cum à summa luce in maximam usque diei partem impotus impransusq; sub densissima etiam pluuia & grandinum turbine diu ante prætorium expectasset, tandem lato clauo à Barbaris inductus, ad conspectum tyranni inductus est. Ambo alter alterius intuitu & admiratione mutua attoniti, inuicem sese paulisper contemplati sunt. Tum salutatus primum à Magistro, & manum suam passus osculari, sic loquutus perhibetur. Etsi meritò iureque optimo deditionis leges quas præscripsi irritas facere possim sceleratissimis tuis Cruciferis, ac populo Rhodio, tibi que in primis hosti tam infenso, à cuius merita pœna iustissimum uictorem nec fides, nec sacramentum flectere deberet, decreui tamen in sontem & nouissima exempla promeritum, non tantùm pius esse & clemens, sed etiam liberalissimus: cui si grauissimos uitæ anteactæ errores bene agendo emendare uelit, honestissimos ordines, summos magistratus, suprema imperia in bello, in exercitu, in toga, in pace polliceor. Hæc ne recuses, & præsens fortuna, tibi suadet, & Christiani quorum causam meliore incœpto quàm exitu aduersus me tuendam cœpisti, hanc talionem merentur. Quid enim prohibet quin à tuis omnibus desertus & proditus, uictus, in perpetuam fidem & ultro oblatam gratiam, potentissimi & benigni uictoris ueniasq; Ad hæc Liladamus: Maxime clementissime Imperator, inquit, oblatam conditionem ego præ tantis ducibus tuis minimè mereor: fors autem & merita de te mea haud talia sunt, ut refutare

illam uel ausim uel debeam. Liberè tamen dicam inter arma uictritia, uictus antè uictorem, cuius summam clementiam nunquam desperaui, cuius fidem haud sum ueritus, malo aut statim amisso imperio priuatam & infelicem hanc uitam amittere, aut semper in gloriam eam uiuere, quàm à meis transfuga potius quàm uictus appellari. Vinci enim fortuitum est, & à tanto uictore etiam ipsi uicto non prorsus pudendum: sed suos deserere & militiam mutare ignauiæ & perfidiæ plenum duco. Solymanus admiratus cani principis in tanta difficultate animum & modestiam, iussit dimissum à colloquio cum summa fide & satellitio Turcaico in urbem reduci ad augustale. Singuli etiam Equites qui Magnum Magistrum suum comitati fuerant, ueste coccinea donati sunt. Neq; hoc officio satis se feciſſe Solymanus prudentiæ & fortitudini Magni Magistri credidit. Die ergo quadã improuiso urbem ingressus, salutato Mahumete, Magnum Magistrum reculis suis componendis intentum inuisit. Hic cum se submittere in genua, & uictoris maiestatem adorare uellet, ille nullo modo id passus est. Imò motis paulisper à fronte manu dextera infulis imperialibus quod reuerentiæ genus Turcarum reges Deo tantum, & Mahumeti exhibere solẽt, Magnum Magistrum Babba, hoc est, patrem amantissimum & reuerendissimum appellauit. Et infrà scripta alter alteri per interpretem loquutus est. Prior Magnus Magister modestia, prudentia, magnanimitate, non minus inermis in urbe capta, q̃ armatus in acie esse solebat admirabilis, sic exorsus est. Si quanta audacia mihi fuit, tanta fortuna rerumq; prosperarũ accessio fuisset, uictor potius in hac urbe quàm uictus essem. Verùm posteaquã claram Rhodum euertere fata uoluerunt, lætor te mihi sorte potissimum datum esse, à quo uim acciperem & gratiã: tibi quoq; inter alia multa egregia non in ultimis laudum hoc est, uicisse Rhodum & pepercisse, adiecisti hoc modo potentiæ tuæ clementiæ famam, quæ neq; summis mortalium spernenda est: nam per hanc solam æquales Deo æstimamur. Seruabis igitur nihil dubito pacis leges, quas dare clementia tibi suasit, mihi accipere necessitas. Aeternum nunc exemplar clementiæ & uirtutis Turcicę ero, magis quàm si statim deditionem feciſſem. Pertinacia modo mea, gloria & pietas tua per orbem terrarum inclaruit. Adhæc, Mihi inquit Tyrannus, etiam magna lætitia est, quod te Deus monuerit, ut aliquando pacẽ quàm bellum malles, atq; hoc utinã tibi à principio placuisset: profectò à summa potentissimaq; maiestate mea ad hoc tempus plura bona accepisses, quàm mala perpessus es. Quæ quod nullo odio tibi intulerim, sed sola dominandi libidine, uel hinc colligere potes, quòd te tuosq; inuiolatis corporibus, intactis fortunis hinc dimittam. Haud enim bellum gero ut diuitias, ut opes cõparem, sed ad gloriam, famam, immortalitatem, protelationẽ imperij tendo. Est enim regis sanguine regum orti proprium, rapere atq; inuadere aliena, non quidem auaritia, sed gloriosa cupidine dominandi, cui quum obstat uicinus, armis & ui eum tollere satis habeo. Verùm tyrannus ficta omnia loquebatur, & longè aliter quàm animo agitabat. Priusquam enim hunc amicum sermonem meditatus esset, ducibus delegauerat, ut maximam onerariam nauim triremesq; militiæ, & in eis Magistrum cum equitum cœtu Constantinopolim ueherent. Cuius rei non modo occultus inter duces rumor, sed etiam inter milites publica uox erat. Quam ubi percepit Liladamus, cum proceribus Turcatũ egit, ut Imperatorem suum fidei sacramentiq; admonerent. Interea ipse sub noctem Christianæ circunciſionis enauigauit, urbem suam infœliciſsimam perfido Tyrãno relinquens: cui quantum uno ab aspectu curuatis more patrio, antrorsum poplitib. equo insidentẽ iudicare possum, nec autoritas, nec dignitas formę deest. Statura est recta, oculis nigris paululumq; truciorib. cæterùm uultu gratioso & subfusco. Anteãbulabant pedites sagittarij, ore, circa suprema labra effero, pilis intortis,

intortis, quos Mistacas appellant. A' tergo sequebantur equis insidentes molles pueri ministri libidinum, forma tamen non satis uenusta, & incompto nigroq; capillitio ad humeros promisso. Sinistrum Tyranni latus obequitabat Farraus præfectus ripæ Euphratis, qua minor Armenia Ciliciæ coniungitur, & etiam ultra Amanum montem in Comagenæ finibus, quibus Mesopotamia prima Hismaelis Sophi prouincia à uetere Sultanorum ditione distermi-natur. Adduxerat iste nocte natalis Dominici XX. millia integrorum militum, qui cum decem alijs millibus ripam memoratam aduersus eruptiones Persarũ custodierunt, dum Rhodus oppugnaretur. Quæ cùm sæpe aliàs obsessa oppugnataq; & fortissimè defensa fuerit, maiore ui uincente causam meliorem, ut dixi in oratione mea ad Adrianum VI. tandem anno à nato Christo XXIII. supra sesquimillesimum, sub iusto clypeo miserabiliter occubuit Christiani impery antiqua propugnatrix: & ut inquit, eloquentissimus uir F. Thomas Guichardus, in oratione sua pro Rhodijs, ærumnosæ Græciæ protectio, peregrinantium diuersorium, naufragorum portus, miserorum Asylum, languidorum Xenodochium.

DE BELLO RHODIO,

LIBER TERTIVS.

COmpertum semper habui Operis præsentis materiam uires meas excedere, & fœliciore stylo posteris tradendam esse. Verùm ut palàm & in urbe Roma hominum doctissimorum theatro ineptus essem, coegit me primum obseruantia sacrorum & nobilissimorũ Equitum, coegerunt deinde mala mea: nam hæc pectori altius inhærent, quàm ut eorundem nulla à me mentio fiat. Difficilè quidem est silere, cum ames & doleas. Et mouebit fortè absonus atq; incompositus hic planctus meus talium animos, qui qua sunt eruditione, bellum omnium maximum, maxima cum eloquentia posteris commendabunt. Quod cum multi in Germania, Italia, Hispanijs, Gallijs, & in alma urbe Roma præstare possent, cumulatissimè ut speramus, præstabit Paulus Iouius, artis medendi, & literaturæ cultioris antistes, tũ historicus in primis celeber & uerus. Deus immortalis, quanta fide, quàm graui iudicio, quo rerum ordine, quali proprietate uerborũ, qua orationis facilitate, describit ille, aut uerius ante oculos ponit omniũ Regum, principum, populorum, tam in Oriente, quàm in Occidente acta, gesta q; q; atq; utinam facundis omnibus ingenijs placeret, quod instituerũt doctissimus humanissimus q; Iouius noster, & Petrus Alcyonius iuuenis, ingenio, eloquẽtia, & multiplici rerum scientia præstantissimus quod præclarissima & nunquam peritura ingenij sui monimenta testantur, Aristoteles & Galenus uersi. Legatus Medices de exilio, oratio elegantissima de nece Christi ad Quirites, funebris item laudatio defensorũ Rhodi, quæ fortiter scilicet fecerunt aut dixerunt prudenter alij quàm quę ipsi sentiant uulgò tradere, profectò res humanę melius se haberent. Sed hic est temporum præsentiũ status, & optima magis opta ri quàm fieri possunt. Verùm ne Prologus sit prolixior fabula, Tertium librum aggredior belli Rhodij. Bellum enim potius quàm oppugnationem uocare libuit, quando nõ tantum circa urbis nostræ mœnia, sed omnes arces Rhodi, & aliarum insularum, quæ Rhodiorum sunt, terrà, mariq; acriter pugnatum sit. Narrabo hic igitur paucis multa, quæ toto itinere ad almam usq; urbem Equitibus & populo Rhodio contigerunt, insularum, regionum, urbium, locorum descriptione exactiori omissa. Hanc enim in appẽdice magis quàm libro, tum historia non topographia facere mihi, nec ocium, nec animus est.

Expulsi

Expulsi patria, laribus antiquis, affecti humanis omnibus incõmodis, classi laceræ hyberno tempore impositi, decem dies aspero mari & tempestuoso erauimus. Appulit tandem ad Scythiam, Cretæ insulæ uicum & promontoriũ maxima nauis nostra, quæ in ipso portu dum sub noctem anchoras iaceret, propè impegit, nauis castellata Hieronymi Carmanioli, quem ordo equestris, quod tempore difficili Rhodo succurrisset iure aureorum calcarium donauit, uento pomeridiano uehementius flante in ipsius stationis cautes acta fœdè perijt. Ibi unda maris Turca inclementior, cuncta quæ miseri homines secum attulerant, absorbuit. Reliqua classis alto & ignoto mari iactabatur. Ioannis Bouladij nauis, postquam Cortugoli classem euasisset, undis per laxas compages incurrentibus ferè submersa fuit. Nihilo secundiori fortuna triremes, quę Magnum Magistrum portabant in mari Carpatio usæ sunt. nam naufragium propè fecerũt sed Deo Opt. Max. rebus præter spem succurrenti, cum duodecim alijs leuioribus Cretensium nauigijs in portũ Candiæ actæ sunt. Ea est hodie prima Cretensium ciuitas in plano sita, duodecimo fortè ab antro Mynois miliario, uerùm proximior monti Idæ, qui Iouis incunabulis, & poetarum carminibus famatus apprimè est. In hac Veneti ius dicunt & imperant, ut reliquis omnibus insulę urbibus. nam Creta Venetorum colonia est. Magnus Magister, omni ordine ciuitatis obuiam procedente, lachrymanteq; summa cum ueneratione à Dominico Treuisano grauissimo & sapientissimo consule exceptus est. Miserat hunc senatus Venetus, dum Rhodus obsideretur in Cretam cum summo imperio & classe sexaginta triremium uiris armisq; egregiè instructarum, manssit hic sacer Equitum ordo ad inchoatam usq; Quadragesimam, summa cum cura & diligentia mœsta negotia sua componens, classem laceram reficiens, nauibus nautas imponens. nam flos horum bello perijt, inter quos sedulò industrieq; omnia quæ uis hostium diruerat, reficiendo enituerunt, Petrus quidam faber nauticus Rhodiensis, & Georgius quidam Ligur, classe nostra, quæ tormentorum ictibus Rhodi acceptis, tum nautarum negligentia circa urbis defensionem occupatorum, & multa unda maris lacera rupta q; fuerat, utcunque refecta, & necessario commeatu accepto, Februario exeunte à Creta insula soluimus, iussu Magni Magistri, & nobilissimi Equitis Angli F. Gulielmi Austoni, uiri integritate uitæ, & facilitate morum excultissimi: quem proceres antesignani maximæ immò uniuersæ classi nauium castellatarum præfecerunt, quas uentus & parum propitia aura, postquam uela nautæ expandissent, diu in conspectu insulæ aspero mari hinc inde uagas retinuerũt. Tandem post longam cum unda & uentis conflictationem, neq; ullam in insulam, nisi parum solì niueo marmore splendentis, cœliq; amœnissimi descensione facta, superatis Naxo uino suo nobili, in qua etiam hodie Bacchi uetustissimum templum cernitur, Zacyntho, Chephalenia, Sphoradibus insulis, ad altum pelagus in sinũ Adriaticum æstuans peruenimus, Magno Magistro procul è conspectu, & à tergo relicto: qui cum triremibus, quæ nunquam altum pelagus tranant, & nauigijs minoris formæ semper secundum oram maritimam nauigauit, omni in loco ad quem descendisset, cunctorum lachrymis, studio, officio, & humanitate, honoreq; exceptus. In Corcyra uerò & Gallipoli quantus sit ei publicè priuatim à Magistratu, à popularibus exhibitus honor, haud facilè dixerim. Sed cum omnium officiosa obsequia, atq; præterea cõmoditatem, & commeatus recentis frequentiam, cætera mala, quæ nauigantes pati necesse est superarent, ingens morbus remiges, classiarios, sacros q; Equites inuasit, cuius uis nequaquam tamẽ tam efferata erat, quàm illius qui inuectos nauibus onerarijs, & affectos omnibus humanis incõmodis, squalore, uomitu, fame, siti grassabatur. Hac rerum incõmoditate, cibi potus q; defectu factũ est seminariũ magnarum ægritudinum,

ægritudinum, quæ postea in Messana ciuitate regni Siculi nobilissima in ora post Pelorum sita, modico interiecto freto, à regio Calabriæ oppido distanti, enascentes seuè & atrociter omnes molestarunt: plurimos quibus nec hostes, nec maris tempestates nocuerunt, in aliud seculum retrusere: mihi etiam ne ani mam morbi uis eriperet, magis diuina clementia quàm humana res effecit. Et dum infœlices exules patria & sedibus maiorum nostrorum expulsi, has cala mitates & miserias in terra ignota pateremur, penè cunctis malis grauior om nibus erat mora Magni Magistri, cum enim grauiora nauigia tertio Idus Apri les ad Siciliam appulissent, neq; de se nuncium mitteret, nec ueniret ille tertia aut quarta hebdomada post, meritò omnes plurimum timere, ne cum triremi bus malè ad bellum paratis in Afrorum potestatem uenisset, qui pyraticis naui gijs mare Siculum apprimè infestum reddunt: quidam naufragium fecisse cre debant, alius classem suam pestilenti aliquo morbo infectam, non audere pro cedere uaticinabatur: omnia uario tumultu strepere, & ut in rebus tristibus ac dubijs fieri solet, suo quisq; metu pericula sibi fingebat. Tandem ineunte men se Maio, Rhodijs etiã Messanæ inhabitatoribus omnibus lux pergrata aduen tu Magni Magistri orta est. Gratior tamen fuisset dies illa mortalibus, si princi pem militiæ Rhodiæ triumphatorem in classe uictrice & spolia hostium præfe rentí conspexissent. In lacero autem & morbido nauigio, uixq; ut à prædatori bus tolleretur digno ubi uiderunt, nemo lachrymas continere potuit. Dici uix potest, qualis gemitus, quantusq; ploratus circumfusæ undiq; turbę fuerit: ne mo suspiria, nemo lachrymas sponte ubertimq; profluentes reprimere potuit, nisi quem dolor mutum effecerat. Et ultra promiscuæ multitudinis optimi er ga Rhodios animi ista signa, amplissimus etiam honor & fauor Magistro Rho diorum exhibitus est à primoribus regni Siculi, & ipso Prorege Hectore Peni tagello comite montis Leonis, Heroe natalibus, literis, uirtute præclarissimo: qui obuius cum Ioanne Lignano archiepiscopo Messanensi Reuerendissimo, & fratre suo Fabritio Penitagello priore Baruli, eum inter ulnas humanissimè exceptum & osculatum splendido comitatu multorum nobilium uirorũ in ur bem induxit. Venerat Fabritius hic Messanam cum bis mille expeditis pediti bus in agro & ex iuuentute regni Neapolitani selectis, ut Rhodum suam suble uaret. Est enim unus ex equestri ordine sacrorũ Equitum, idq; fecit sola animi sui magnitudine & pietatis affectu, nullo maiorum suorum imperio coactus. Mandatũ enim receperat tantum de commeatu & nauibus parandis, qua in re diligenter industrieq; se habuit cum collega suo Carolo Iosuualdo priore san cti Stephani, qui nõ semel tantùm Rhodianorũ animos ad spem fidemq; uen turi auxilij erexit, literis missis per F. Ioãnem Bressolum Equitem Italicum: qui cum præclij naualis peritia etiã literas & historiæ cognitionem cõiunxit. Quin etiam nepotem charissimũ Ioannem Iosuualdum, qui Rhodi fortiter dimican do occubuit, nauicula premisit exploratoria ad obsessos consolandos, socio F. Michaele peralto Equite Nauarro, cuius admiranda parandi salis petrarum ars, & tormẽtarij pulueris faciendi dexteritas, operumq; ignotorum industria Rhodijs in tempore difficillimo, magno & necessario usui fuit. Saluti autem esse non potuit rebus fessis nemine succurrente. Et his qui succurrere uolue runt, obstitit fatum. Ne culpam reijciam in Adrianum VI. & Maximum Pon tificem & mortuum, aut in uiuentem quempiam regem uel principem. Nam & reges & principes omnes, iam constat Rhodo obsessę bene uoluisse, optasse defensoribus uictoriam & triumphum, quibus ut potirẽtur, Carolus Quintus Imperator, inter homines Opt. Max. è regnis suis Neapoli, Sicilia, militem, ar ma, commeatum decem millium ducatorum & gratis & liberè tollere permi sit. E portubus sociorum, & confœderatorũ gentium in Italia, naues maximas

onerarias

onerarias abducere. Adrianus etiam summus Pontifex quanquam summa rei numariæ inopia premeretur, & iam legatum cum ingenti pecunia in Vngariã misisset, ut regnum illud in fide atque officio Christianæ religionis contineret, procurante nobilissimo & prudentissimo Equite Iuliano à Rodolphis antesignano Crucigerorum Capuanorum, in auxilium urbis obsessæ sex millia ducatorum erogauit: quorum loco utinam sex triremes uel uacuas equestri ordini concedere potuisset & uoluisset. Nam arma, uiros, cõmeatum, & cætera bello necessaria inuenissent hîc, & iam fortè uictrix Rhodus de hoste suo triumpharet, immò hostium summum principem (credo) in uinculis contineret. Quod ut fieret, maximè optasse non dubito Franciscum Galliarum Regem, & nomine & re ipsa Christianissimum, qui uel summis regni proceribus factum haud satis probantibus, & re sub ipsum tempus in Insubribus parum fœliciter gesta, etiam à Cæsare, & socio populo confœderatisq; regibus uim expectãs, sex naues & inter eas Tremoliam à portu suo Massilienſi, ut his Rhodo auxiliaretur Franci Hierosolymitani Equites soluere passus est. Quos ubi Magnus Magister Messanæ repperisset simul cum Equitibus Hispanis & Italis auxiliaribus, seuero grauiq; concilio indicto, causam publicè in cœtu omnium Equitum dicere, & moram expurgare iussit, fuit oratio omnium & diserta & uera. Sed nobilissimi Auerni Equitis F. Ioannis Lidseramí longè omnium disertissima & apertissima, adeò ut singuli ueritatem manibus pedibusq; palpare (ut prouerbio dicitur) potuerant. Missus fuerat à Magistro Lidseramus hic tres propè menses ante obsidionem, cum ob alia negotia, tum ut increbrescente fama belli in nos Turcaici, copias auxiliares quanto ocyùs posset expediret. Sed neque ipse, nec Daucenuillus & Andugus, quorum suprà feci mentionem in secundo libro, quicquam profecere: imò nec Nicolaus Hussonus secretarius Magni Magistri, & quarta uice missus cum literis à Bartholemæo Politiano, uiro doctissimo prudentissimoq; scriptis F. Antonius Boysius accensus Equitum Italorum, uir rebus gerendis longè accommodatissimus: qui cùm Fabritio Caretano optimo & laudatissimo Principi ob fidem, industriam, diligentiam'que suam semper fuerit charus, etiam ob uirtutes suas huic Magistro acceptissimus est. Postremò denique cum totius rei nostræ summa grauiter periclitari inciperet, exijt ut suprà dixi F. Emericus Reaux ad transmarina auxilia acceleranda. Sed cum horum omnium nec diligentia nec industria profuerit, in durum atq; ineluctabile fatum, cladem nostram sine cuiusquam offensione reijcere possum, & meritò (ut puto) & prudenter. An non fato potius quàm hominũ nauticorum uel perfidiæ uel ignorantiæ ascribam? quod nauis Ianuensis maxima, quam Faraam uocant, commeatu, armis, uiris refertissima, tranquillo mari atque in ipso oræ Ligusticæ portu Monecho Herculi sacro fœdè perierit? Etiã Thomas Nuport prior Aquilarius legionis Anglicæ delectam manum sagittariorum Britannicorũ & auxilium uiæ ignotum argenti pondus & auri Rhodum ferens, cum in uentum contrarium incidisset, ui tempestatis iterum in insulæ desertum quoddam promontorium repulsus, unda maris cum omni gente sua submersus est. Et ne in omni loco fortuna, ut Iuno Troianis, Rhodiorum nauigationi non aduersaretur, fratrem Antonium à S. Martino priorem citerioris Hispaniæ, senem in armis à puero exercitatum, & Homerico Nestori simillimum in piraticam classem Afrorum iniecit, à quorum tormentariorum saxorum ictibus tantam uim rostrata nauis sua passa est, ut penè fluctibus depressa fuerit. Similem etiam uim ab hostibus accepit nauis oneraria prioris Castellæ Didaci Toletani illustrissimi Ducis Albæ filij, digni profectò tanto patre: nam præter egregias corporis dotes, animi quoque bonis, iustitia, prudentia, fortitudine egregiè excultus est. Cum ergo Messanæ sacer Equitum ordo

ordo subsisteret, & pestis futuræ suspicio hominũ mentes iam præoccupasset, ne tanto malo miserrimi Rhodij exules post tot tantasq; ærumnas suas contaminarẽtur, uisum est patribus, locum, aëraq; salubriorem inquirere. Indicto igitur hanc ob rem sacro magnoq; concilio, omniũ suffragijs ager Neapolitanus & amœnitate cœli & fertilitate glebę, rerumq; omnium quibus uita sustinetur copia alijs prouincijs præstare iudicabatur. Placuit igitur eò cursum dirigere. Sed Puteolani cùm post Idus Iulias classis nostra eò peruenisset, mandante magistratu Neopolitano, timore contagiosæ pestis, terra nos prohibuerunt. In ruinis igitur Baiarum & specubus circumuicinis aliquandiu nos continuimus, uitam trahẽtes. Missa è Neapoli & Puteolis alimonia, quam distribuit industrius Eques Narbonensis F. Ioannes Bonifacius, qui hostili obsidione tribunatum militarem & diligẽtissimè & sapientissimè gessit. Verùm cum suspicionẽ hanc uanam fuisse cõpertum esset, laxior annona ab urbe ad nos redit, & honor Magno Magistro à proceribus regni exhiberi cœptus. Carolus Lanoius rei militaris, & regni iustè sapienterq; administrati laude illustris, munera cerealia ad Magnum Magistrum misit, postea etiam in æde sacra diuæ Virgini ad fauces criptæ Neapolitanæ eum honorificè excepit, cinctus ipse splendidissima & nobilissima corona procerũ regni, atq; custodibus corporis hastas præacutas gestantibus, quorũ tunicis ante & retrò, aquilæ imperiales intextæ erant. Verùm cum sulphurea Puteolorum graui insueto q; odore suo multorum capita & sanitatem læderet, & aliæ multæ causſæ recessum suaderent, nec haberet mœstus senex regno eiectus, patria extorris, quò & salubrius & decentius confugeret, quàm ad sacrosanctam Romanam ecclesiam, ut eius sanctissimo tunc Antistiti Adriano VI. casus suos exponeret, unanimi suorum decreto petijt. Ciuitatem ueterem, quæ in ora est maris inferi, distans ab urbe Roma trigesimo miliario. Estq; ibi à reuerẽdissimo Episcopo Conquensi Hispano, summi Pontificis nomine, mira & ingenti gratulatione exceptus: admonitus etiam, ut quàm primũ Pont. Max. inuiseret, cum sacra militia nõ nisi Diuũm nomine è tam rabidis hostium, & perfidię Turcaicæ faucibus erepta. Cupere sanctissimũ senem & Pontificem ante uitæ exitum dare sacratissimo & nobilissimo Ordini equitum, & uago miserrimo q; populo Rhodio, quietas sedes, urbemq; mãsuram. Magnus igitur Magister non diu cunctatus, Romam profectus est, sacræ militię summo imperio delegato nobilissimo Equiti F. Bernardino Araschæ præfecto maris, & olim arcis D. Petri in Caria, in qua contra uim & insidias Barbarorum (dum Rhodus obsideretur) custodienda & prudenter & fortiter se habuit. Quomodo autem Magnus Magister quanto q; cum splendore & ornamento Romam ad ædes ipsas Pontificis inductus sit, haud satis eleganter explicare possim homo tenuis facundiæ, in libello ad hæc angusto. Processerat obuiam, uel extra muros urbis Pontificis Maximi ea domestica familia, induta pallijs rubris, patres purpurati, quos summa secundùm Pontificem Maximum dignitas atque autoritas rarò in publicum prodire sinit: familiares misit honorarios, qui ante Magnum Magistrum uecti, mulis coopertis, stragulo coccineo ad terram demisso, dominorũ galeros gestabant. Hos sequebatur archiepiscoporũ, Episcoporum aliorum q; prælatorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & uirorum quos aut insignis eruditio, aut uitæ autoritas commendaret, magnus numerus sanè maiestate, & grauitate morum cõspicuus. Ipsum autem Magnum Magistrum cingebat utrinq; pedestre agmen Heluetiorum custodum corporis Pontificij, ambulans passu militari, composito q; ad sonitum tympanorum, fistulæq; Germanicæ, manu longa hastilia gestans, quibus ferox illa natio hostes suos in prælijs confodere solet. Adfuit etiam prætoria cohors Equitum. Item præfectus urbis cum satellitio suo, & uigilum ministrorum q; iusticiæ equestris pedestris q;

turma.

turma. Hac pompa comitatuq; omnium Ordinum & Magistratuum urbis Romæ, dum per medias turbas hominum omnis ætatis sexus atq; ordinis, qui pos sim ad spectaculum è uicis, domibusq; sese effuderant, ille ad Vaticanum uehe retur, moles Hadriani, eademq; diui Angeli arx honoris & lætitiæ signum, im manes frequentissimosq; bombos tormentarijs machinis expressit. Postea lo catus in honoratiore parte ædium, cum sacrosancti antistis, maximam in terris potestatem adoratũ supplex de more ueniret, processit ei obuiam aliquot pas sibus Adrianus VI. quanquam senex & æger & summus Pontifex. Qua in re ostendit egregiè Adrianus diuinus homo, humanus Deus innatam sibi cum cæteris uirtutibus à puero humilitatem. Equidem si historiam liceret in pane gyricum uertere, optarem hîc mihi ad Adriani laudes describendas eloquentiã (non dico Ciceronis) quam assequi nullo modo possumus, sed F. Hyppolitum Emilij à Pennabilorum Augustiniani declamatoris diuini uerbi facundissimi qui dum defensores Rhodios uehementia orationis in prælium animaret, ipse lapide ictus exanimatus est. Persuasi enim mihi, si iustus Deus uicario suo longiores annos tribuisset, restituturum fuisse in integrum (ut uerbo iurisconsultorum utar) sacrum Hierosolymitanorũ Equitum ordinem. Quod unicè apud illum procurabat popularis suus, idemq; militiæ Hierosolymitanæ nobilissimus Eques F. Petrus dux. Spes tamen est, imò fides certissima facta equestri ordini, quòd omnia quæ Adrianus ante diem uita ereptus omisit, Clemens VII. Pontifex optimus, laudatissimus, uel supra uota resarciet. Qui cum omni cura, industria, uigilantia, semper apud Leonem X. Pontificem Maximum eius germanum fratrem, & Adrianum VI. militiam Rhodiam protexerit, fouerit, amplificauerit, iam meritis suis, & diuina prouidentia adiutrice orbis & urbis imperium assequutus, eadem omni studio iuuat, fauore prosequitur, beneficijs accumulat. Gratias, priuilegia, indulta Romanorum pontificũ antecessorum suorũ, non solum nouo diplomate firmauit, uerumetiam sua sponte quàm locupletissimè auxit. Quod ut semper faciat, & inter principes Christianos acerbissimis inter se odijs dissentientes, æternam pacem clementia, prudentiaq; sua componat, longam & fœlicem uitam sanctitati suæ optemus. Philippo quoq; Villeriadamo de communi hoste Solymanno Turcarum tyranno, uictoriam tam fœlicem, quàm olim de Gaurio Syriæ, Arabiæ atq; Aegypti rege tulit, cum ei duas classes in sinu Issico caperet, unam factam quidem, alteram ferè fabricatã, & in Regem Lusitaniæ principesq; occidentis destinatam. Quod cum sanctissimus & prudentissimus Pontifex compertissimum habeat, nec nõ alias innumeras uirtutes, quibus Romæ inter Pontificatu singularis Liladamus extitit, nam præfectus à collegio patrum purpuratorum custodiæ sacrorum penetralium, quibus comitia includebantur, prudentissimè mandatum sibi munus gerens, sacro ordini fidem & diligentiam suam approbauit. Cum collegis omnibus modestè & familiariter uixit, nemini se præponens, omnes obseruans, nullarum partium studiosus: unde facilè summam laudem sine inuidia inuenit. Et merito suo summo Pontifici factus est charissimus, qui in eo ornando omnia studia sua, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem fixit, & locauit. Viterbium ecclesiasticę ditionis, uel primariam urbem inhabitandam concessit. Ad quem Magister dum hæc scriberem, ut sibi uentro cuncta præpararet, F. Carolum Pipam misit præfectum agentium in rebus suis, uirum ingenio, morumq; facilitate, & industria animi ad res omnes gerendas longè aptissimum. Quod cum sæpe aliàs, tum optimè in obsidione Rhodia perspexi.

FINIS.

ACTIO

ACTIO MEMORABILIS FRANCISCI AB SICCINGEN CVM TREVIRORVM OBSIDIONE, TVM EXITVS eiusdem: Barptolemæo Latomo Arlunensi autore.

NOBILIBVS ATQVE AMPLISSIMIS VIRIS DOMINIS, IOHANNI AB MEITZENHVSEN, Præposito, ac Iacobo ab Eltz, Decano maioris ædis Treuerensis, Barptolemæus Latomus Arlunensis S. D.

INTER tot scriptorum genera, quibus humana uita indies excolitur, uiri amplissimi, haud in postremo loco hoc quoq; ponendũ est, per quod cũm res egregiè tum facta gestaq; hominum memoratu digna, non ad præsentis tantum seculi cognitionem, uerumetiam ad æternam posteritatis memoriam literarum monumentis propagantur. Nam siue actionis cuiusdã fines, siue contemplationis studia spectauerimus, non parum fructus ex hac quoq; parte dilucet, quę & ad rerum prudentiam singularem, cũm utilem tum iucundam, & ad uitæ consilia moderanda, cursusq; regendos summopere conferre dinoscitur. Habent enim (nescio quomodo) in alieni euẽtus iudicio uim quandã atq; energiam exempla, ut libentius ea ferè uel sequantur uel omittant homines, quę alienis periculis quasi teneant spectata. In hoc aũt genere quamuis omnibus seculis non parum multi semper elaborauerũt, hi tamen in primis bene meruisse censendi sunt, qui prẽter compositę orationis stylum, certissima etiã fide cuncta præstiterunt: quod potuerunt certè uel ij in primis, qui aut aliorum monumentis diligenter peruestigatis sua adornarunt, aut ipsi rerũ gestarũ negotijs atq; euentis interfuerunt. Ego uerò cum in ijsdem studijs iam diu uersatus essem, quorũ ratio huc maximè pertineret, omittere non potui, quin obla ta occasione, si quid in illis profecissem, id nunc potissimũ uobis ac cæteris Treuiris meis exhiberem. Itaq; cum egregiũ atq; ex multis penè memorabile facinus, unius hominis nec adeò magni ductu, ijs temporibus accidisset, tum uerò aduersus eam urbem ac populũ, in quo ab optimo magnificentissimoq; principe, tum alijs multis egregijs uiris fatis honesta cõditione studia mea fouerentur, existimaui haud temere me facturũ, si ea de re atq; factione, quantũ possem pro ingenij atq; industriæ meæ facultate (quam modicam in me esse intelligo) uerè ac fideliter perscriberem: Quod quidem eo libentius feci, quo certior rerum cognitio præsenti mihi una uobiscũ in periculo fidelius est suffragata. Nã quod ad stylum pertinet, alij potius iudicauerint: quanq; carmine certè quã pedestri oratione agere malui, quod sic & ingenio magis conueniebat, & iucundius futurũ doctis lectoribus existimarẽ. Hanc itaq; qualemcunq; sedulitatis meæ operã, in primis quidẽ reuerẽdissimo Archipræsuli nostro nuncupatam, cuius singulari prudẽtia hoc instantis belli onus discussũ est: tum uobis quoq; tanq; singularibus patronis, ac ditionis huius Treuericæ apicibus dicatã, læto ac benigno animo accipite: tum simul præstate, ne hæc tam pulchra ac laudabilia studia, quib. immortalis uirtutis gloria p infinitã posteritatis memoriã ppagari gaudet, uel opẽ uestrã aliquãdo uel patrocinia desiderasse uideanẽ. Quod quidẽ si sensserint docti homines, & uirtuti fauebũt, & similibus literarũ monumentis semper gratificari studebunt. Valete ex Musæo nostro. Treueris pridie Calendas Septembris, Anno M. D. XXIII.

FRANCISCI AB SICCINGEN, CVM TREVIRORVM OBSIDIO, TVM EXITVS EIVSdem, Barptolemæo Latomo Arlunensi auctore.

TVratos canimus proceres, sociatáq; bello
Agmina, Treuericos nequicquam inuecta per agros, (saxis
Tentatosq; armis aditus, pulsataq; Mœnia, & immissos diuûm penetralibus ignes:
Nec non ultrices dextras, hostemq; subactum
Excidio, & magnis quassatas uiribus arces.
Tu mihi tantarum iudex clarissime rerum,
Treuerici Richarde gregis pastorq;, pater q;,
Quem penes arbitrium Musæ, ingenijq; potestas
Totius ista manet, per quem conscendimus altum
Audaces Helicona, sacrosq; attingimus amnes:
Annue, & hunc placido uultu dignare laborem.
Per te fracta manus, belliq; repressa cruenti
Seditio est, per te flagrantem effugimus iram,
Atrocesq; minas hostis, penitusq; tremendum
Excidium, & populos super euentura quietos
Bella, uel immensum tandem exarsura per orbem.
Iam mihi iam uideor grassantes cernere turmas
Irruere infestis telis, excindere muros,
Sternere conuersas acies: mediamq; per urbem,
Perq; uiasq;, domosq; uehi, per limina diuûm:
Et multo miseram populi dare sanguine stragem,
Nec non incensas diuûm conuellere sedes:
Et raptos spoliare deos, diuûmq; ministros
Supplicio afficere horrendo. Quis dicere cladem,
Aut tantos uerbis possit comprendere luctus?
Non magis extimuit crudeles sæpe tyrannos
Expertus, rubro quum decolor amne Mosella,
Crebra olim ueheret mistis cum sanguine lymphis
Rictiouarræo laniata cadauera ferro.
Quis furor ô proceres? quæ tanti audacia cœpti,
[a] Narratio. Per scelus, atq; nefas, uiolataq; fœdera rerum,
Impia fraternas armare in prælia dextras:
Sollicitumq; mouere orbem, populosq; quietos
Miscere infando excidio? Pius ille profecti
Quem iactatis, amor fratrum: quem talibus ausis
Fortiter, & uano sceleri prætexitis ore?
Quid iuuat hunc positis moderandum legibus orbẽ
Constituisse? pari terras quid fœdere iungi?
Quid pietas, quid iura ualent, si crimine & armis
In quascunq; ruit uiolenta licentia partes
Lege carens, ducibusq; perit concordia primum
Læsa suis? Tantos pone impia pone furores
Turba precor: moueat tuus hic te splendor auiti
Sanguinis, & ueterum quæ tu monumenta parentũ
Vertere sæua paras. En aspice quanta tuorum
In populos studia eniteant, pacemq; tuendam,
Quanto hoc imperij culmen sudore pararint,
Parce decus tanti scelerato nominis ausu
Fœdare, & patriæ subeat pietatis imago
Aeterna, & paribus uirtutem amplectere factis.
Non his, si quis inest rebus mortalibus error,
Vindicibus tollendus erit: prudentius istud
Vulnus opem poscit, magis irritabile ferro
Crudeli. Nam te mundo Francisce labanti
Quis deus auxilio posuit? quis fortè uocauit
Vltorem scelerum? pietas'ne? an publica rerum
Officiosa fides? at te tua cognita dudum
Exempla inuisum faciunt, uexataq; produnt
Mœnia Vangionum, Metensiaq; arua procaci
Per te ultro tentata manu: tentatus & armis
Penè puer, sed nunc tanti maturrimus ultor
Hostis, & auspicijs oriens felicibus Hessus.
Iamq; quòd hostili nostros quoq; turbine in agros
Rupisti, & sæuo cinxisti mœnia bello
Sulphura cum flammis iaculãs, num iudice tandem
Imperio tibi causa stetit? num recta probauit
Vindicis acta sui Cæsar, quum signa aquilamq;
Pollicitus turmis magno sub Cæsare bellum
Ficto auctore paras? his scilicet optime pacem
Procuras studijs? ea sunt fraterna tuorum
Fœdera sancta, quibus rectum defendis & æquum,
Instauras lapsos mores, totumq; reformas
Relligionis opus? Rerum ô uæsana cupido
Quanta moues? diro quò pectora cœca furore
Præcipitas? quãtos scelerum paris improba motus?
[a] Tempus erat, quo sæua lues, & pessima rerum
Ambitio, & nunquam satiabilis ardor habendi
Regnabant nullo cunctis discrimine terris:
Et clerum, & cleri proceres, nimiumq; prophanum
Vulgus, & insanis urebant omnia flammis.
Iamq; per innumeros egressa licentia passus,
Cesserat ad summum, extremasq; euaserat oras.
Quum magis atq; magis nullo cohibenda pudore
Crescere, perq; domos, per rura, per oppida latè
Grassari, & nullos sibi crimina ponere fines.
Hinc tantæ scelerum fraudes, hinc sæua tyrannis,
Impia seditio, & tristes cum sanguine pugnæ.
Quæq; modo aduersas miscent odia aspera partes
Clerũ inter, proceresq; simul, nimiumq; prophanũ
Vulgus, & incertas pariunt uexantia gentes
Schismata, fraternos bello armatura lacertos.

Nam q;

Nanq; ubi sæuus amor regnandi, & dira cupido
Ecclesiæ primùm proceres inuasit, & omnem
[a] Corrupit latè clerum, fastuq; superbo,
Imperium summus triplici diademate præsul
Obtinuit, ueteri mox simplicitate remota
Aurea regna nitent: subeunt pro paupere Petri
Verriculo, & quondam modica pro Simonis æde,
Purpura, & auratis habitanda palatia tectis.
Cætera pars sequitur reliquũ dispersa per orbem:
Exemplumq; ducis proceres, turbæq; minores
Arripiunt: leges & mercennaria iura
Conduntur, premitur populus, fit iniqua tyrannis
Relligio, & toto pietas uilescit in orbe.
Inuidia stimulati animi, mouet impia gentes
Pressura, & multos ægrè tolerata per annos
Rumpit onus, tandemq; elidit in aëra pondus.
Haud aliter, scrobibus latuit quum cõditus olim
Ignis, & in nullam sensit spiracula lucem,
Aestuat, & tacito premitur sub pondere, donec
Hora trahit uires, indignatusq; resurgit
Claustra secans uictor, patulasq; effertur in auras.
Quinetiam infernis furor est immissus ab oris,
Adfectis qui bella animis aususq; paratos
Adderet: ille humeros igni candentibus alis
Cæruleos frontem colubros redimitus, & hydras
Feruidus ore gerens, & hianti pectore flammas
Induitur, celeriq; micans secat aëra lapsu.
[b] Est locus, aurifero quà se finittima Rheno
Belgica sub gelidos dimittunt rura Triones.
Læuum Ardenna premit syluarum maxima, dextrũ
Haud procul infusi tranquilla per ostia Mogi,
Flumina Rhenanos intermiscentia fluctus
Prætereunt, uiridem deinde exceptura Mosellam.
Arx ualida immensis latè circumdata muris
Cernitur, aduerso quondam super ædita cliuo,
Nomen Eberbergum dicunt: ubi strennuus armis
[c] Ingenio Siccingiades Franciscus auito,
Martia Bellonæ proles, ingentibus ausis
(Felix Treuericos si nunquam intrasset in agros)
Sublimes patria sedes ditione tenebat.
Hic postquam summæ tandem super astitit arci
Nocte satus: tumidum pectus, fœcundaq; corda
Ignibus, & multa liuentia tabe ueneni
Concutitur: tristi grauis halitus exit ab ore
Vipeream ducens animam, sensusq; flagrantes.
Caligant stellæ, solito fit crassior aer
Per noctem, & mixtus nebulis intermicat ignis
Tartareus. Qualis quum Iuppiter æthere summo
Tela parans, nigra miscet caligine flammam
Nubigenam, & totum sonitu conterret Olympum.
Sic ubi dira lues magnum se fudit in orbem,
Seinditur, & certas noto discrimine partes
Occupat, inuisam passim mortalia pestem
Corda bibunt, imos furit exitiale per artus,
Conciliatq; malum uires, & gliscit in horas.
Quinetiam sæui latè contagio morbi
Percipitur: populos circum furor unus & urbes
Corripit, extremisq; orbis sentitur in oris.
Hæc ubi facta, nigrum tortis de crinibus anguem
Fortè per obscuræ mittit Deus ora fenestræ,
Quà Domino patulæ aspirabant leniter auræ.
Lubricus ille solo latè, & circum uagus errans
Fertur, & hinc spondam lapsu se tollit in altam
Nota uiri super ora sedens, atramq; ueneno
Inspirat mentem, & tacita præcordia labe
Imbuit, insanum toto illi pectore uirus
Concipitur, penetratq; per intima uiscera sensus
Tartareus, furijsq; ingentia corpora miscet.
Protinus ille thoro excutitur, somnoq; solutos
Corripit è stratis artus: mediamq; per arcem
Arma uocans, ferte arma uiri, ferte arma sub altis
Inuehitur tectis: non hoc sine sanguine regnum,
Fastus, opesq; ruent: turbam ulciscamur inertem,
Ignauosq; greges passim sine fruge latentes
Diripuisse iuuet, tacitisq; expellere lustris.
Non Cæsar, non imperij cunctanda potestas
Vlla uenit, premimur, premitur miserabile uulgus:
Et graue regnantum latè genus occupat orbem.
Tum uerò ingentis fremitus per rura, per urbes
Sentires, odium passim, indignantiaq; ultro
Corda hominum: plenis en posidet omnia cellis,
Annonam, censusq; simul, frugesq; futuras
Relligio, & cunctos anni metit una labores.
Iudicijs grauibus Roma hinc, hinc præsulis aula
Ingruit: ignari fraudum comprendimur æstu,
Causidicis crescunt lites, nos remq; animamq;
Exuimur, uiuos deglubit auara potestas
Sacrificæ gentis, ferro excindenda tyrannis
Ista uenit: ciues concurrite, currite agrestes,
Bello opus est, duro seruilia uincula bello
Rumpantur, magniq; sacretur dogma Lutheri.
Haud secus indomitos immittit in æquora uentos
Aeolus, & leni flatu primum unda moueri
Incipit, aurisonum stridet per inania murmur,
Et sensim uires trahit, educitq; procellas
Fluctiuagas, donec crebrò iam concita motu
Efferuent altè maria, & se ad sidera tollunt.
Neptunus fundo longè commotus ab imo
Tandem sentit onus, magnoq; emota tridenti
Salsa ruit, tumido consurgunt marmora ponto,
Cæruleisq; parat concurrere fluctibus æquor.
Fortè graui Gallo bellum obsidione mouebat
Cæsar, & inuicti durissima claustra [d] Masuri
Cinxerat: huc omnis Rheni delecta iuuentus,

[a] Causſæ inæuidiæ populi erga clerũ.

[b] Situs Eberbergi.

[c] Franciſcus ab Siccingen.

[d] Maſurum oppidum ad Moſam flu-

Huc latè proceres circum, & Siccingius heros
[a] Prima tre- Venerat, unus equo longo & præstantibus armis
pidatio belli Conspicuus, nondum cui tetro pectore uirus
apud Treui- Exciderat, socios inter, cognataq; castra,
ros. Sæpius ad solem aut mensam, indignantia uerba,
Inuisumq; genus cleri, molestaq; terris
Numina pontificum, duraq; tyrannide leges
Iactat: & incusando odium graue miscet, & iras.
Scilicet imbelles repsisse ad culmina rerum
Sacrificos: illis orbem, & moderanda teneri
Imperia: indignos se stemmata libera fasces
Perferre, & uitam misera producere sorde.
Quis stupor ô proceres, quæ tanta ignauia uictis
Indigno torpore animis? ubi fortia quondam
Pectora, Germanoq; oriens è sanguine uirtus?
Proh ne adeò seruire iuuat? regnumq; superba
Pontificum ditione pati? num robora nobis,
Num ferrum, dextræq; ualent? perrumpimus? an sic
Aeterna ceruice iugum seruile sedebit?
Degeneresq; premet natos? patrumq; labores,
Et partos olim proauorum munere census
Prodiga turba metet? Quin arma capeßimus? arma
Arma uiri capienda monet res ista, diesq;.
Libertas armis repetenda est, nulla paratos
Hora trahat, iustis uitam experiamur in armis.
His Siccingiadæ dictis, motuq; furenti
[b] Conspiratũ Accensis iamdudum animis calor additus, acti
in Landoo Sæuius irarum stimuli, furor omnibus idem,
oppido apud Idem animus stricto caussam decernere ferro.
Tribotes. Nec regnum inuisum melius, nec auara rescindi
Culmina posse fremunt: paßimq; arma sodales
Arma acuenda truci bello, concordibus armis
Res eget ista. Velut stipulis quum subditus udis
Ignis agit sensim flammas, fumoq; sepultus
Aestuat, ignauis donec fugit humor aristis.
Tum si fortè noto, uolucri ue citatus ab Euro
Aeolios sensit fluctus, ferriq; secundum
Audet iter, rapidis circum nemora omnia flammis
Corripit, & toto flagrant incendia cœlo.
Sic ubi dira lues tristi manauerat ore,
Imbutosq; altè sensus penetrarat: & inter
Murmura cæca latens, tacitoq; agitata furore
Traxerat insani contagia noxia morbi:
Audaces tandem manifesta licentia uoces
Rupit, & indomitum iam latè efferuere uirus,
Ardentesq; ciere minas, irasq; tumentes,
Et penitus tristes rerum portendere motus.
Sic igitur longè uires radicibus actis
Auxerat, & belli paßim secreta latebant
Consilia, obscuro quum murmure fama canebat
Nescio quid dirum populis, motusq; ferebat
Non bene tuta nouos: tandem perstrinxit & aures
Curue Mosella tuas, & te magis omnibus unum
[a] Visa monere scelus te contra, & sæua parari
Prælia, Francisci malefidas ducere turmas,
Motaq; difficili Germanica castra Masuro,
Ambiguo quamuis animi rumore lababant,
Nec manifesta fides (quis enim comprendere tantis
Posse nefas animos hominum, aut mortalia spernet
Pectora) nos bello tamen haud neglecta paramus,
Seu quæcunq; uiris, seu quæ fore commoda muris
Fortè rati, campum sylua nudamus opaca,
Arboribus latè cæsis, quo tenderet altis
Prospectus longè pinnis, neu tegmine quo se
Surriperet nobis, aut mœnia falleret hostis.
Extemplo ingentem sylua durißimaq; annis
Robora, multiplici circum prostrata fragore
Cædimus: & fructu nequicquam orbamus agresti
Fraudatam uictu plebem, tenuesq; colonos
Verrimus, æqualemq; per omnia sternimus agrum.
Et campus liber, ua cuoq; sub ætheris axe
Area conspicitur: nec iam se subtrahit ullus
Agricola, aut horti fodiens olera annua fossor.
Irritus iste timor tamen, atq; ea uana recessit
Cura mali, neq; enim res integra stabat, opertis
Consilijs malefida lues dum nititur omnem
Fortè parare uiam sceleri, & conducere firmum
Præsidium, ac iustas in prælia maxima uires.
Haud ignota manent aruis uicina [b] Tribotum
Mœnia, Landoum patrio cognomine dicunt
Indigenæ: hic tantis opportunißima rebus
Visa loci statio, & nullis remoranda periclis
Concilia, huc ergo turba undiq; conscia certò
Conueniunt: facti ductor Siccingius ipse
In primis, Venningiadesq;, & clarus equestri
Nomine Stelrupes, & Nigroburgia proles:
Quin & Ioannes Braubacchius, & generosi
Vangionum quondam Talbergi sanguinis unus.
Et tu Flerßhemi, iuncto cum Falcolitano.
Quemq; lupi dictum de nomine Turcia, quemq;
Clara domus genuit Vindeccia: tuq; furenti
Addite caussa malo studijs flagrantibus Hiltgen,
Treuericis inhians opibus, prædæq; rapaci.
Et plures, quorum nequit aspera nomina planè
Musa latina loqui: quin hos quoq; dicere nobis
Qualicunq; sono, uerbisq; negantibus audax
Cura fuit, uocemq; hoc fine Thalia repressit.
Sic ubi conuentum, medios Siccingius inter
Astitit, & tales iterum ciet ordine uoces.
Germani proceres liberrima stemmata, quæ nos
Rerum cura grauet, sedeantq; onera ardua uestris
Indignanda humeris, & non tolerabile sæua
Conditione iugum, memori si mente tenetis,
Iampridem totis studijs, animoq; fideli

Retulit

Rettulimus: rapidis ut scilicet acta tyrannis
Nobilitas, passim grassante libidine cleri
Seruiat, & duri ferat aspera culmina regni.
Tum uerò ut possit reparari, ac pristina reddi
Libertas, aut quæ pateat uia fortibus ausis
Aedidimus: nec adhuc casu mutatus ab ullo,
Vna eademq; premo nullis uertenda periclis
Vota: mihi studijs uestris, ausoq; fideli
Tantum opus: his stabit uitam ne trahamus inertem
Perpetuò, aut meritis annisq; opibusq; fruamur.
Quin agite, & paribus mecum contendite uotis,
Et firmos durate animos, urgete secundum
Propositæ uirtutis iter, nec terreat ullus
Pectora dura labor, nunquã hæc sine numine nobis
Cœpta cadent: animis tantùm, & concordibus ausis
Tendite, successus spondet fortuna secundos.
Quinetiam certis ut eant hæc omnia nobis
Auspicijs, tum quæ sit iusti occasio belli
[a] Percipite, & propius nostrã nunc discite mentem:
Iudicia ac leges primum abrumpemus iniquas,
Inuisumq; forum frustrabimur omne, nec ullam
Externi arbitrij uim formidabimus: ipsi
Nos inter leges socijs, ac iura feremus.
Tum quicunq; ausus nostris obsistere iugis,
Aut socium uiolare unum, communibus armis
Ille petendus erit, bellumq; mouebimus æquum
Pro socijs socij, iustissimaq; arma geremus.
Quoq; magis certo maneant hæc omnia nutu,
Nec qua labet malè tuta fides, aut ulla uacillent
Concilia, haud dubijs pangantur fœdera dextris:
Communi statura malo, statura saluti
Corpora: quascunq; in partes fortuna uocarit,
Omnibus una salus, eademq; pericula sunto
Omnibus, & nullis cedat concordia fatis.
Hæc ubi dicta, simul cuncti assensere, probantq;
Consilia: oblatis animis, opibusq; parati
In quascunq; uelit iurare, & cedere leges.
[b] Ergo sacrum iusto fertur de more uolumen,
Fortia uerba Dei, nostræq; oracla salutis,
Per quæ fas nulli iurare & fallere numen
Aethereum: uane aut si quem periuria linguæ
Fortè notant, iustas offensi uindicis iras
Expectans, uitam hic infami transigit æuo.
Huc positis ergo digitis in mutua iurant
Fœdera, testati superos, & conscia cœli
Numina, proposito nunquam desistere cœpto
Bis tribus annorum spatijs: dum fortibus ausis
Et uirtute uirûm multa, multoq; labore
Sistat ad optatæ caussam fors ultima metæ.
Tum uerò sceleri ductor Siccingius heros
Præficitur, casus belli motusq; futuros
Qui regat, & tantæ subeat fastigia sortis.

Ergo ubi firma fides, mansuraq; fœdera primùm
Constiterant, ruptis manifesta licentia fertur
Carceribus, cupidosq; audacius exit in actus.
Spernitur imperij uis cuncta, omnisq; potestas
Victa furore iacet, nec habent sua pondera leges.
Quæruntur bello caussæ, gratisq; lacessit
Turba procax summos proceres, captataq; lacessi.
Inq; uicem lites, animosaq; iurgia tentat,
Et nociisse uelit, tamen & nocuisse uideri
Dissimulat, spernit leges, quæriturq; negatas:
Iuraq; pontificum, molestaq; numina terris
Accusat, diraq; graues, minitantiaq; orcum
Fulmina bullarum miseram uexantia plebem.
Quinetiam oppressos populos, oppressaq; clero
Stemmata prisca patrum, seq; ima sortè teneri.
Ipse autem in primis odio Siccingius acri,
Et furijs scelerum, & flammis agitatus iniquis,
Treuericis inhians opibus, pulchroq; Mosellæ
Imperio, sceleri multis ambagibus ansam
Quærita: offendiq; uelit, culpamq; paciscì
Treuericam, & stultos mercari præsulis actus.
Fortè Mosellanum Domino sub præsule ciuem
[c] Treuerico, raptum patriæ interceperat hostis
Perfidus, abductumq; alta seruabat in arce,
Aurum pro uita extorquens, & carcere sæuo
Nocte fameq; domans, donec sese æmulus ultro
Sponsorem Siccingiades (ut fama) uademq;
Compositò statuit, pietatis imagine falsa
Instructus, si fortè uiam, si semina belli
Excitet, & primos accendat litibus ignes,
Ille ubi dimissus, lachrymis & supplice uultu
Crudeles ausus & facta indigna tyranni
Commemorat, Dominiq; fidem testatur, opemq;
Principis implorat iusti, sacrataq; legum
Præsidia, & supplex patriæ & ciuilia ciuis
Iura uocat, miserisq; implet conquestibus aulam.
Moti animi casu indigno populusq; patresq;
Facta infanda fremunt: quin & Gryphonius heros
Cuncta mouens animo, & tacito subeunte dolore
Insontem uetat ire reum, sistitq; nefando
Arbitrio (neq; enim fas ponere iura latroni,
Aut sancire fidem capto, nisi libera mentem
Religio ueræ pariter cum murmure linguæ
Constringat) simul insidiæ sponsoris auari
Officiumq; subit suspectum, & nota patescunt
Consilia: imperij fasces, sanctumq; tribunal
Cæsaris, augustoq; appellat nomine leges.
Iamq; dies aderat, frustratus debita sponsor
Iura petit, quæritur, promissaq; uana fidemq;
Accusat, sistitq; reum, & se pignore solui
Postulat, aut sonti si qua excusatio capto
Iudicium sociale dari: neq; ante tribunal

[a] Constitutionis formam.

[b] Librum Euangeliorũ intelligit.

[c] Caussa belli contra Treuiros quæsita.

Cæsaris, externo'ue sibi fas iudice posci.
Perstat in Augusto sententia Cæsare contrà
Principis, externoq; negat se iure teneri.
Dissidij crescit lis prospera, uotà secundant
Ductori Siccingiadæ: premit æmulus ansam.
Quæsitosq; aditus, & auari incendia belli
Suscitat, arsuros immensis cladibus ignes.

[a] Cogitur Frã ciscо exercitus.

[a] Ergo omnis circùm socios & conscia latè
Agmina cõscribit, remq; omnẽ ex ordine pandens,
Treuèricamq; fidem & peruræ crimina gentis
Accusat, fastusq; graues, tumidumq; superbi
Præsulis imperium, contemptaq; iura, piumq;
Libertatis opus, socialia fœdera summo
Tentari arbitrio uastaq; tyrannide carpi
Pontificum: simul arma uiri, monet, arma rebelles
Sacrificos contra uiridemq; gerenda Mosellam
Expediant, ultura nefas, ultura uetustos
Trebetæ muros & præsulis acta superbi.
Extemplo ingentem numerum uiresq; potentes
Contrahit, audaces animis & robore turmas.
Quos Rhenus, quos Mogus alunt, et Rhætica tellus
Hercyniæq; latus syluæ: Rogesiq; recessus,
Et longè Alsatici positæ sub collibus urbes.
Ardennæq; nemus, nec non malè amica Tribotum
Mœnia: tuq; procax aliena in prælia Galle
Germanas miscens turmas animosq; feroces,
Huc malè pacato (ut perhibẽt) trãsscripte Roberto.
Instruitur bello numerus, machinæq; parantur
Armorum, instrumenta graues iaculantia massas,
Aut solido ære globos, aut mixtas sulphure flãmas,
Vrendis tectis aptissima, subq; ruendis
Mœnibus, immanes scalæ, duræq; bipennes,
Sarcula, ferratæq; sudes, unciq; rapaces,
Et quicquid Martem capiendas sistit ad urbes.
Quinetiã innumeræ peditũq; equitumq; cohortes,
Spicula longa manu, uibrantesq; arte sarissas:
Quas inter medius pulchris Siccingius armis
Celsus equo insigni, & galea de more comanti
Pernicibus circùm summo de uertice plumis,
Horrentemq; pilis clypeum suspenderat armo,
Strinxerat & ueruto latus, & spumantia læua
Frena regens, dextra nodosæ pondera clauæ
Vrgebat, gemini cui corpora chara parentes
Stipabant nati pariter præstantibus armis,
Et uirtute pares, paribusq; in prælia dextris:
Altera pars famæ noto Guilielmus ab ortu
[b] Archimontana comitum de gente creatus,
Prisca uirũm soboles: quanquam infelicibus ausis
Degenerem frustrata domum, frustrata parentes
Antiquos, stulto contraxit crimine culpam.
Interea leuibus fertur super æthera pennis
Fama, minas iterum & tristissima bella Mosellæ

[b] Furstenberg.

[c] Bellum indictum.

[d] Precatio præsulis ad superos.

[e] Confirmatus per somnum Diuino nuntio præsul.

[f] D. Petrus et Maternus Treuirorum tutelares.

Ambiguo terrore canens, ingentia cogi
Agmina Francisco rerum ductore, potentum,
Nobilium immensamq; manum, belliq; phalanges,
Incertum quò tendat onus, cui dira minentur
Prælia, quem poscant tanti molimina Martis,
Armaq;, bombardæq; graues, turmæq; frequentes
Treuaricos campos tamen, & Sarranica rura
Iactari, plenosq; lares, & opima deorum
Limina, suspectas fert impia fama sub aures.
Hic primum trepidare metu, tantisq; moueri
Armorum indicijs, tamen & subit ira proterum
Si qua fata ferant ulcisci, & uiribus hostem
Aut prohibere solo, aut defendere mœnia dextris.
Vix ea mota animis populi, quum nuntius altæ
Missus Eberbergi sede atq; hostilibus oris
Fert [c] bellum, & Domini notas ad principis aures
Talia iussa refert: pro damno & fraude nocenti,
Pro iure erepto, proq; impietate, grauiq;
Imperio in proceres, ultricis uindicis iras
Ferrum agris, flammasq; truces, cædemq; paratam
Ciuibus, & raptis hostilia funera terris
Indico, & certum præsul tibi nuncio bellum.
Attoniti stupuere animis, populusq; patresq;
Facta indigna fremunt, primumq; hic credita famæ
Vox neglecta prius, modo ubi certissima tanti
Nunquam antè expectata mali præsentia muros
Penè premit, tardæq; oculis se subijcit urbis.
Ipse autem ingenti curarum pondere princeps
Cuncta mouens animo uigili, crudelia secum
Bella gemit, tristesq; minas, hostemq; superbum,
Et duros populi casus, tenuésque colonos.
[d] Vos ô testor, ait, ter maxima numina sedis
Treuericæ, quibus his olim considere terris,
Et sanctos habitare lares, urbémque sacratam
Cura fuit, nullam immeritos agnoscere culpam,
Nil nocuisse uiris, non ulla fraude teneri:
Si uos, si merito faciles ueneramur honore,
Et pia thura focis damus, & celebramus ad aras,
Crudeles uestris auertite sedibus ausus,
Sacrilegas prohibete manus, defendite muros
Vrbis, & inuisum propellite mœnibus hostem.
Nox erat, & terris animalia cuncta silebant,
Ecce uiro in somnis species augusta deorum
Visa est ante oculos (ut fama) astare iacenti,
Ambo senes, ambo uenerando uertice culmen
Pontificale stola pariter candente gerentes,
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
[e] Fide animo præsul, uanumq; hunc mitte timorem
Richarde. en superis missi tibi sedibus, ipse
Clauiger æthereæ custos fidissimus arcis:
Et qui [f] Treuericos longæuo errore penates
Eripuit, primúsque Deum monstrauit, & almæ

Lucis

Lucis iter, uestra quondam hic Maternus in æde
Conditus, huic animam claris postquã intulit astris,
Hæs tibi mansuras sedes narramus & urbem
Incolumem, tibi seruabunt populumq; laresq;
Numina magna deûm præsentia: nec cadet ullum
Hac de gente caput, quamuis immania circum
Vndiq; tela, uiros, muris immissa sonabunt.
Tu modo ne dubita perstare & fidere iussis:
Ipse prius magnum quàm sol circumferat orbem
Hostiles arces & tecta ardere uidebis,
Diripies q; domos, captiuaq; corpora duces.
Nec prius absistes, patrias quàm uictor ad oras
Aeternam populis pacem cum laude reportes.
Proxima lux oriens radiis lustrauerat orbem,
Cõcilium de more patrum dignissimus hæros
Conuocat, & placido sic deinde affatur ab ore:
Treuerici proceres, certissima cura deorum,
Immineat quantus nostris penetralibus hostis
Famã incerta prius, sed nunc quoq; nuntius alta
Missus Eberbergi sede, atq; hostilibus oris
Infando terrore tulit: quin sæua propinquant
Agmina, Treuericos mox inuasura penates.
Sed mihi præsentes, colimus quæ numina, diui
Auxilium certum pressis cœlestiaq; arma
Polliciti, magnis iussi confidere diuis,
Firmemus muros, hostiq; obstare paremus:
Venturo, dextrisq; urbem seruemus & armis:
Hanc si deserimus sedem, simul omne Mosellæ
Imperium, lateq; patens finitimus orbis
Occiderit: durate animos, mœstumq; timorem
Mittite, nemo deos unquam oppugnarit inultos.
Pro nobis stabunt superi, gratisq; fauebunt
Sedibus, & sanctam Deus ipse tuebitur urbem.
His dictis erecti animi curæq; remotæ,
Scribuntur bello proceres, subitoq; paratur
[a] Haud immẽsa manus (neq; n. mora tãta dabatur)
Quos [b] Sarræ uicinus ager, quos curua Mosellæ
Ripa dedit, longis positæq; ambagibus urbes.
Nos uario interea muros urbemq; labore
Munimus, uastos q; agimus telluris aceruos
Et trabibus latè insertis, uallo q; rigenti
Obstruimus portarum aditus, & robore crebrò
Damus firmos postes, machinasq; globosq;
Puluereasq; paramus opes, & turribus altis
Inferimus: subeunt operasq; pueriq; puellæq;
Officioq; uacat tota plebs omnis in urbe:
Ipse etiam turres lustrans & mœnia [c] princeps
Circuit, inuigilansq; operis cuncta ordine curat.
Partitur turmas, & quæ sua cuiq; tenenda
Sit statio, qua cura operum partesq; laborum
Designat: strepitus circum undiq; & undiq; motus
Auditur. Qualis medijs quum fluctibus atra
Tempestas cœlo nautis prouisa minaci,
Illi remigio uires naualiaq; arma
Expediunt, cogunt uela, & moderantur in auras:
Remorumq; uices crebris considere transtris
Accingunt, ualidumq; parant certare laborem.
Ipse gubernator puppi stans celsus in alta
Sidereas lustrat sedes, totumq; pererrat
Luminibus cœli spatium, uentosq; sonantes
Explorat, signatq; polos, motusq; futuros
Prospicit, & dubij cauet atra pericula ponti.
Talibus intentos studijs quum sæuus haberet
Nocte dieq; labor medijs in finibus hostem.
Ecce ferunt ferroq; agros flammisq; cruentis
Vastari, & plenos hostili milite campos:
Necnon & diui [d] capta oppida Vandalini,
Direptasq; Dei sedes, penitusq; subactum
Præsidium, lectam tota de gente cohortem
Nobilium, quos huc primum ut belli ingruit horror
Miserat auxilio & nimis inconsulta locarat,
Cura patrum contra quamuis sententia ferret
Principis, at putribus uirtus malè credita muris,
Tormentis grauibus, tormentorumq; potenti
Expugnata manu, uiolento cedere Marti
In quascunq; etiam pacti descendere leges
Iussa, prius summo quàm se malè cauta furori
Et tristi, infando exitio committeret, ausu.
Ergo hic capta uirum fortissima corpora, quorum
Vix fuit in populo uirtus præstantior omni,
Siue armis conferre manum, Martemq; ciere,
Et campo uersare equitem. seu tuta uiarum
Explorare, doloq; hostilem auertere prædam.
Hic iterum trepidare metu, totamq; per urbem
Mobile turbari uulgus, nec fidere claustris
Murorum, & dubia ferri formidine mentes.
Conuehitur toto quicquid seruabat in agro
Annuus agricolæ labor, & uindemia longa.
Frumenti uis magna armentorumq; uagantum:
Et quicquid circum plenis cœnobia cellis
Condiderant, ruptis patulas prosirtur in auras
Carceribus, migransq; fugit præda omnis in urbẽ.
Tempus erat grauidis coquitur cũ messis in agris.
Findebatq; diem spatijs propè Lucifer æquis
Astreæ claro properans se uirginis astro
Condere, natalem toto celebrabat in orbe
Solennes Christi populus genitricis ad aras.
Necdum Phœbus equis mediũ conscenderat axem,
Et calido siccas lustrabat sidere terras.
Ecce propinquantem celsis è mœnibus hostem
Prospicimus, longoq; migrantes agmine turmas.
Auditur longè sonitus, resonantq; per auras
Concaua terribili geminantia tympana bombo,
Haud aliter ruptis campo defertur aperto

[a] Muniuntur præsidio atqueoperibus Treuiri.

[b] Sarra flu.

[c] Sedulitas principis.

[d] S. Vandalinum captũ.

Aggeribus creber collectis imbribus amnis,
Subiectosq; euertit agros, sternitq; labores
Ruris, & insano tota trahit impete uillas.
Tum fortè annosam medio si limite syluam
Offendit, rapido aggreditur durissima fluctu
Robora, præruptis & circunfunditur undis,
Altius illa solo circum radicibus actis
Stat solido fundata pede, & ceu saxea moles
Excipit aduersas tenuitq; obnixa procellas,
Sic ubi uicinis properarat mœnibus urbis
Ingenti terrore acies, diffusa repentè
Subiectum complet campum, crebroq; recursat,
Suspectos tentans aditus, & mœnia circum
Obuehitur. nos contrà armis intendere & hosti
Præcipiti, qua parte parent considere: & optent
Tormentis machinisq; locum, simul agmine cuncti
[a] Armatus etiam Latomus si dijs placet. Astare intrepido, & sæuum deposcere Martem.
Ipse ego qui placidis fueram sacer ante camœnis
Tranquillæ pacis studiorum cultor & oci,
[a] Non ulla expertus bella aut Mauortia regna,
[b] Collis Martis uersus ortum urbi imminens, nunc Martini dictus. Exceptis uatum ingenijs, clarisq; loquentum
Librorum pugnis, horrendo corpora ferro
Accingor: ueteremq; situ atq; rubigine multa,
Aere grauis triplici qui fortè, thoraca, iacebat
Sub pedibus neglectus, ouans rapio: armaq; nactus
Insuetis suspendo humeris, pectusq; latusq;
Astringor lamina horrenti, et sæuũ implico dextræ
Mucronem: rigidoq; tegi (quis crederet) ausus
[c] Hostilia tormenta inuaduntur. Aere caput, medijs turmarum immisceor ardens
Agminibus, iuuat astare atq; audire frequentes
Armorum crepitus bombardarumq; fragores.
[d] Zunloch. Stat ferro seruare animam, patriosq; tueri
Hospita tecta focos, aut unà occumbere læto.
Tantæ animo belli flammæ Martisq; cupido.
[e] Dracones tormentorũ nomen. Interea clauso noctem ducebat Olympo
Vesper, & occiduus sol aureus abditur undis.
Excubias circum muris agitamus, & æqua
Partimur statione uiros: data tessera passim
[f] Templum diui Maximini olim Constantini Imp. regia. Secreto rumore uolat, noctisq; per umbram
Incedunt armatæ acies, tacitoq; sub axe
Arma utrinq; silent, donec claro emicat ortu
Lucifer, & solito lustrantur lumine terræ.
[g] Tormenta intra muros diui Maximini locata. Tum subito horrisono tormenta elisa fragore
Audires, murosq; quati, qua læua sub ortum
Vicinum Martis spectat plaga subdita collem.
Hic nos contrà ijsdem telis instare frequentes,
Et Martem miscere trucem, gemit horridus æther,
Et crebris resonant reboantes ictibus auræ:
Pelluntur statione hostes, grauibusq; relictis
[h] Acerrimè oppugnatur. (Siue dolo, ut perhibent, seu ui telisq; coacti)
Tormentis, cedunt q; loco, ne ferre ruentum
Massarum iacula ulla ualent: nos omnia muris
Signamus, prædamq; uiris hortamur agendam:
Est urbe egressus secreto peruius usu,
Angustæq; fores, & paruæ lumina portæ:
Hac primum, ut certis sententia constitit ausis,
Direptis subito aggeribus, uallo q; reuulso
Bis tria dena uirũm præstantia corpora furtim
[c] Mittimus, hi spoliũ extẽplo immanesq; columnas
Inuadunt, raptim cæsis custodibus: & iam
Innexis collo uinclis auellere campo
Immensam aggressi multo certamine molem.
Ecce hæret dura pondus tellure reuinctum
Roboribus longè immissis, nec uasta resolui
Corpora humo possunt, ulla aut uirtute moueri.
Exoritur clamor, trepidis caua tympana castris
Dant signũ, toto agglomerans procul undiq; campo
Turba aduersa ruit, nostris corrumpere saltem
Immanes uisum aut subito exarmare chylindros.
[d] Ergo qua tenui committitur ignis hiatu
Pulueream rapiens flammam, cauasq; sub aluo
Luctanti accendens uires, dum uicta furenti
Impete claustra globum tenues iaculantur in auras,
Præduros ferri uiolenteis acumine clauos
Infigunt, crebrisq; incudunt ictibus inde
Hostili properante globo, circumq; ruente
Maturè cedunt numero, portisq; recepti
Incolumes iterum muris sistuntur amicis.
Postera lux hostem indignantẽ animoq; furentem
Nequicquam castris tenuit, dum fortè retractos
Vix nocte obscura multo sudore [e] dracones
Restituit, duroq; cauat latera ærea ferro
Difficiles terebrans costas: simul altera reddit
Optata ad murum statione sedilia, nanq; hic
Qua gelidum noctis spectat nigra porta sub axem
Extemplo egressis urbe antiquissima diuũm
Templa patent, medio muris circundata campo,
[f] Regia Constantini olim, nunc religiosa
Claustra uirũm, & pingui cœnobia maxima censu
Felix Maximini requies magniq; Niceti:
Et plusquam felix, si nunquam bella tulissent,
Sacrilegas diuũm templis immittere flammas.
Hic demum tutas optat turba impia sedes,
[g] Difficilem excindens murum, latoq; fenestras
Ore cauans, patet aduersæ qua proximus urbi
Coniectus, machinisq; uiam molitur, & aptum
Secura statione locum: deim proxima cœlo
Exoriens tenebris, ut primum aurora fugatis
Emicuit, uastos renouato Marte fragores
Rursum exaudiri cœlo, alternosq; ruentum
Massarum crepitus, uacuas stridere per auras,
[h] Aduersasq; peti turres, & fulmine crebro
Mœnia dura quati, nigrescunt nubibus auræ,
Sub pedibusq; solum tremit, & tecta ardua nutant

Turrifragę

Turrifraga pulsata manu: contrà eminus instans
Treuericus miles certamina turribus altis
Immiscet, gemmatq; uices, Martemq; furentem
Duplicat, & nullis detrectat prælia telis.
Haud aliter tumidis consurgunt fluctibus undæ
Tempestate alta, & feriunt freta mota procellæ
Horrisonæ, feruet medio & conuoluitur æstu
Neptunus, uiresq; suas tumidum excitat æquor:
Aut quum nubigenis confligunt ictibus auræ
Sublimi cœli spacio, flammasq; sonumq;
Commiscent nocte horrenda, tonitruq; frequenti
Aut Athō aut Rhodopē circū, aut saxa ardua Tauri
Murmura uasta ruunt, crebro exterrentia motu
Desertos nemorum lucos, imosq; recessus
Syluarum: rursum ingentes molimur aceruos,
Aggerimusq; solum numero: & quacunq; ruina
Parte datur, multo adnixi uarioq; labore
Obstruimus, uasti solido stant aggere corbes
Confertim terra opleti, & sine pondere crebros
Excipiunt ictus, & inania tela retundunt.
Feruet opus, tumulisq; propè altera mœnia surgūt,
Intentusq; labor uario circumstrepit arsu.
Pars fodiunt, pars terga oneri summittere certant.
Subuoluunt alij manibus prægrandia cluo
Tormenta, aut uinclis immania pondera ducunt.
Nec muris tantum instamus, pugnasq; uiresq;
Ingerimus, quin templa Deūm sedesq; sacrate
(Mittendis si qua apta patent tecta ardua telis)
Indomitum accipiunt Martem, crebroq; uolutant
Ferrea missilium uacuas procul acta per auras
Pondera, uix castris tegitur sæpe abditus hostis.
Nec muri uim ferre ualent, penitusq; uetusto
Concretus paries saxo densissima cedunt
Robora, nec latebris quisquam est securus in imis,
Aut patulo fidens audet se credere campo.
His consumpta dies, uerū atra crepuscula primū
Vt tenebris clausere polum, stridere per umbras
Sublimi cœli tractu, & dare limite sulcum
Accensos multo [a] igne globos flammasq; uideres
Sulphureas, mediisq; malum insuperabile sisti
Mœnibus, & subito comprehendere tecta furore.
Horrendum aspectu & dictu mirabile monstrum,
Tormento elisum magno, iactumq; per auras
Aethereas, piceam multo cum sulphure flammam
Viribus accensum proprijs, motuq; uolanti
Ducebat, longeq; sonans per inania tractu
Pendula signabat medio uestigia cœlo.
Tum neq; fluminibus uis sæua ullisq; sedari
Aut minui poterat lymphis, media ardet in unda
Dira lues, Stygijs quisquis primum extulit umbris.
Iamq; dies, alterq; dies processerat hosti
Nequicquā urgenti, & lux quinta reuiserat orbem,

Sollicitusq; minus Treuir secura tenebat
Mœnia, duratisq; animis fidebat & armis.
[b] Plurimus aduersæ collis latus aspicit urbis,
Paulatim molli subiecta ad mœnia cluo
Descendens, crebris longo ordine consitus uuis.
In medio tumuli supremo uertice moles
Apparet, surgensq; breui circum agmine gibbus.
[c] Trebetæ antiqui perhibent monumenta parentis,
Autorisq; loci quondam uenerabile bustum:
Proxima secla tamen patri sacrasse Gradiuo
Fama refert, dictumq; Dei cognomine campum
Vicinum, ueteres quà mons nunc aspicit ædes.
Huc postquam frustra pulsatis mœnibus hostis
Senserat inuictos aditus, tempusq; trahebat,
Subducit machinas, tormentaq; grandia tollit
In sublime loci, rursum & noua prælia tentat.
Nam medio aduersi incessens à culmine montis
Tecta domosq; petit, subiectasq; eminus arces
Fulmine perstringit crebro, & tela horrida muris
Ingerit, infestatq; lares, crebrisq; laborat
Funeribus terrere animos in morte labantes,
Si quo fortè metu trepidantia pectora uulgi
Succumbant summo in casu, populumq; furentem
Turbida seditio dirimat, certissima rerum
Pernicies, dandisq; malum exitiale ruinis.
Quinetiam blandis uulgus mutabile scriptis
[d] Sollicitat, iaculisq; leues trans mœnia chartas
In medios spargit uicos, turbasq; frequentes:
Accipiant portis se, & dedita mœnia pandant,
Inuisumq; genus cleri cum præsule tradant,
Incolumi mansura statu murosq; laresq;,
Et gentem antiqua sub libertate tenendam.
Sed neq; pollicitis, ullo aut terrore moueri
Pectora fida queunt, casusq; paratus in omnes
Perstat in immoto cum principe robore Treuir.
Nox aderat, tenebrisq; diem conuoluerat atris,
Indicto hostili moniti, atq; minacibus ausis,
[e] Excubijs rursum & solitis intendimus armis,
Præsidioq; uias munimus, & ordine circum
Digerimus statione uiros, tutasq; locamus
Turribus ac muris uires: nudo ipse sub axe
Sollicitus rerum princeps media excubat urbe
Auxilio fidens superûm: quin promptus & armis
In quascunq; uocent belli discrimina partes,
Communes tentare uices, urbemq; cadentem
Vlcisci, & nullos stat detrectare labores.
Sic socij, sic tota cohors fido agmine circum
Ingens nobilium numerus, stipata q; cleri
Haud spernenda manus totam collecta per urbem
Intrepidis durata animis, horrentia gestans
Arma humeris, stricto q; rigentia spicula ferro,
Nodosas ue sudes, lato aut mucrone bipennes.

[a] Ignis in urbem ab hoste missus.

[b] Mons sancti Martini olim Martis dictus.

[c] Tumulus Trebetæ.

[d] Literæ iaculis in urbem missæ ad sollicitandā defectionem.

[e] Sedulo uigiliæ actæ.

Hi prompto adsistunt cœtu, Martemq; furentem
Expectant: animis certi aut depellere muris
Vim sæuam, aut uno pariter succumbere læto.
Iamq; dies iterum solito processit ab ortu,
Securusq; mali muros seruabat & urbem
Incolumem Treuir, fractus conatibus hostis
Instantiq; metu, & rerum molimine fessus.
Nanq; manum audierat bello properare potentem
Auxilioq; uenire uiris, quam nobilis Hessus
Quamq; Palatinus princeps misisset ab oris.
Diffidit cœptis tandem notiq; supremum
Tentat iter, uellet nunquam tetigisse Mosellæ
Infelicis agrum, stultiq; pigetq; pudetq;
Consilij, nequeat si duram excindere gentem,
Inuisosq; haurire lares, uictisq; potiri
Treuericis opibus, totamq; auertere prædam.
At quota pars saltem cedat, tantumq; trahatur
De cumulo quo damna leuat sumptusq; reponat.
Ergo subornatis intercessoribus auro
Vendendam pacem mercandaq; fœdera ponit
Obsessis, frustra quæ postquam est urbe recepta
Officiosa nimis legatio, notaq; gessit
Mandata, & surdas nequicquam principis aures
Sollicitans, causam studio tentauit inani.
Extemplo fractæ & concussæ robore mentes,
Inuictisq; uirorum animis spem protinus omnem
Articulo in summo resecat Siccingius, iram
Indigno sub corde premens, quin damnat & odit
Inuisam gentis sedem, nomenq; Mosellæ
Deuouet, infaustisq; parat discedere terris.
Nec tamen absistit sceleri, sæuoq; furore
Parcitus, & stimulis dirarum agitatus amaris,
Vastatas diuûm sedes, pollutaq; castris
Limina subiectis tendens exurere flammis:
Sacrilegos templis ignes adytisq; uetustis
Ingerit, & sacros ausus temerare penates
Augustam facibus laniat crudelibus ædem.
Prospicimus muris, en toto [a]incendia campo
Voluuntur, feruet medio Maxminus in igne
Diuorum hospitium antiquum, sanctissima sedes,
Extemplo horrescit nigra caligine cœlum.
Consurgit cumulo fumus, super æthera flammæ
Tolluntur, uisu horrendum & miserabile dictu,
Subsidet in cineres, & campo sternitur æquo
Tot seclis Augusta domus, uenerandaq; diuûm
Magnorũ requies, penetrant media omnia flammæ.
Nec tua te quondam defendit magne Niceti,
Nec sua Maxminum pietas: calet ima sacrati
[b] Cisterna hospitij, sanctis ubi carmina uerbis
Diuinosq; sacro uersus Athanasius ore
Edidit exilio profugus, dum perfidus olim
Arrius insano suspensas dogmate gentes
Turbaret: terris quin scilicet ipsa sub imis
Frigida busta tepent, metuunt recentibus addi
Antiqui cineres flammis, tandem subire
Quem semel effugere rogum: sic maxima tristi
Succumbunt casu cœnobia, stantq; ruinæ
Ambustæ ueterum murorum, ubi nobile quondam
Delubrum cunctis stabat memorabile terris.
Iamq; fugã properans inuictaq; mœnia linquens
Treuerico cedit campo, repetitq; fugaci
Hostis iter cursu: nos uiribus auxilioq;
Haud longè interea socijs properantibus aucti,
Efferimur portis numero, sequimurq; citatis
Passibus, instamusq; fugæ: prior ille potitur
Finibus optatis, tenditq; ad proxima firmi
Limina Nanstalli, & secura conditur arce.
Sic uenit, sic frustra abijt Siccingius armis
Treuericas uersurus opes, uersurus opimum
Trebetæ imperium, & præpinguia regna Mosellæ.
Ni uirtus animosa uirûm, ni dextra fuissent
Numina magna deûm, quæ te fortissime Treuir
Præsidio rexêre suo, scelerataq; muris
Agmina detinuere tuis, penitusq; furentes
Compressere manus, & uictum ultricibus hostem
Subiecere tibi pœnis: Quin aspice & illud,
In medio (dictu mirabile scilicet) æstu
[c] Feruentis belli, & dubio discrimine mortis,
Haud ullum cecidisse caput de gente tuorum,
Haud animã populi membrumq; perisse uel unum,
Hostili rabie quamuis immissa sonarent
Vndiq; tela uiros circum, totaq; uolarent
Vrbe globi, medios penetrantes murmure uicos
Per fora perq; domos, populi per aperta frequentis
Agmina. uidi egomet uidi ipse uolatile ferrum
Excussam iuuenis lateri detergere uestem,
Nec non innocuo perstringere corpora saltu,
Nil nocuisse tamen. Quis adhuc quis crederet esset
Præsentes habitare deos, urbemq; tenere
Treuericam, & proprias defendere numina sedes?
Interea gelidæ properabant tempora brumæ,
Et canis instabat hyems ingrata pruinis,
Exercent prædam iuuenes, hostemq; latentem
Incursu crebro arcessunt, priuataq; tentant
Prælia: iam quini reuolutis mensibus orbes
Transierant, lætoq; uirebat gramine tellus
Vere nouo, memori seruans sub pectore Treuir
Infandos Francisci ausus, ultricia contrà
Arma parat, uiresq; iterum, lateq; Mosellæ
Conscribit proceres: subito fortissima bello
Agmina conueniunt, seu Martem cernere dextra
[d] Seu freno uersare equitem, & concurrere campo.
Delectis animis cuncti, & præstantibus armis
Principis ad iussus adsunt. ipse impiger heros

Cuncta

[a] Cœnobium D. Maximini incendio absumptum.

[b] Cisterna diui Athanasij in qua symbolum composuit.

[c] Nemo ex Treueris ab hoste atrociter læsus.

[d] Expeditio contra Francisci scum.

Cuncta regens curis, hosti quo occurrere tanto
Euentu maiore queat, socialia posçit
Auxilia, unde tribus nuper sua fœdera stabant
[a] Principibus, latè numero collecta iuuentus
Mittitur, instruitur iustis exercitus armis,
Bombardæ, peditumq; leues, equitumq; cohortes.
Ipse Palatinæ gentis notissimus heros,
Priscorum referens mores [b] Ludouicus auorum,
Sedulò quẽ gemini sequebãtur in arma propinqui,
Promptus adest, nec nõ animis iuuenilib. [c] Hessus:
Offensæ ueteris, sæuæq; tyrannidis ultor,
Exultans, cunctisq; ardens in prælia uotis
Instat, & infestas ducit longo ordine turmas.
Haud mora, continuò flagranti Marte petuntur
Hostiles passim sedes, inuisaq; cunctis
Limina, inaccessis pendentes rupibus arces.
Et modo primus adest labor, excidiumq; potentis
[d] Nanstalli: huc nuper fortè insectante receptus
Milite Treuerico Siccingius ipse latebat,
Obscura dum nocte fugam captaret egenus
Consilij: nam pollicitus sibi maxima semper,
Vt primum tandem cœpit fortuna moueri,
Nequicquam elusum sese spe sensit inani.
Instant ui magna heroes, præruptáque pulsant
Mœnia, concutitúrque solum, & subtexitur æther
Nocte caua: horrendo circùm cum murmure syluæ
Ingeminant, uocemq; amplum per inane uolutant.
Haud secus horrificis nautæ insanire ruinis
Aetnæos colles referunt, dum nocte sub atra
Eruptos multo igne globos, iaculatur ad auras
Mons summo eructans flammas in uertice, dumq;
Nigrantem piceo conuoluens turbine fumum
Conuulsos imis scopulos radicibus, actósque
In sublime rotat, uicináque uerberat astra.
Fortè ex aduerso gemini de rupe dracones
Vrgebant: mediæq; uiam in penetralia sedis,
Effractis ui magna aditis, latéque patenti
Pumpebant muro, qua se fortè ipse ferebat
Sollicitis instans operis Siccingius: Ecce
Improuisa ruunt uiolenti tela draconis,
Perq; imos penetrant muros, diuulsaq; duræ
Membra trabis circùm spargunt toto impete tecto,
Verberat, incautóque uiri latus excipit ictu
Fragmentum: illi atro manant cum sanguine riui,
Et medias inter costas hiat ore patenti
[e] Vulnus atrox: trepidi accurrũt, dominũq; labantẽ
Excipiunt famuli, & mediæ in penetralia sedis
Asportant, mœstiq; lauant tepido amne cruorem:
Et medicas scrutantur opes, & uulnera multa
Arte ligant, positóque inclinant membra grabato.
Ille, sed auricomo postquam sol tertius ortu
Emicuit terris, premerẽtque potentius arma
Heroum, triplici circùm oppugnantia Marte,
Sentit in adfecto nequicquam corpore uires
Produci: non ulla ualent medicamina, nullæ
Herbarum uires, non si afforet ipse Machaon:
Non, medicæ monstrator opis Pataræus Apollo,
Non pius ille ducum componere uulnera Chiron
Doctus, & insanos herbis arcere dolores.
Tum socios procerésque omnis ægerrimus heros
Conuocat, & tandem uix tristi affatur ab ore
Dum mihi res lætæ stabant, succurrere uestris
Et potui & didici curis, nunc ultima quæ sit
[f] O socij in dubijs rebus fortuna uidetis.
Ipse uocor fatis, certáque in morte uolutor.
Vos ô uos animis & adhuc florentibus annis
Spectati iuuenes, uosmet seruate, ualentes
Eripite instanti casu, & ui cædite uicti,
Sit facilis iactura mei, nostrúmque putetur
Pro uobis hoc uile caput: si corporis huius
Arbitrium, aut rerum, quanta est, fortuna mearum
Incolumes præstare potest, ne parcite trunco
Semianimi, & uestræ iam seruiat omne saluti.
Tum luctu astantum ingenti, penitúsque repletur
Ima domus, medio suspensi turbine rerum
Quæ tandẽ quæ prima legãt, quæue apta sequãtur
Consilia incerti: tandem unà exposcere uisum
Colloquia, & primæ tentari fœdera pacis.
Dant notum è muro signum, ueniámque petentes
Protendunt geminas castrorum ad limina palmas:
Supplicibus moti precibus, casusq; miserti
Atrocis (fauet ipsa etenim clementia uictis)
[g] Dant uitam magni heroes, tradendáque poscunt
Corpora, sic meritis ac sese addicere uinclis.
Ergo ubi prima dies humentes dispulit umbras,
Et roseis aurora rubens super æthera bigis
Conscendit, rutilósque astrorum condidit ignes,
Panduntur portæ, & positis disceditur armis
Captiuo cultu, & tacito sese agmine tollit
Turba uirũm supplex: tum lumina mœsta uideres,
Demissosq; solo uultus, & squallida diro
Ora situ: infando flammarum & pulueris atri
Afflatu, furuáque ambusta fuligine membra.
Ingressi tum deinde duces stipante caterua
Oblatam accipiunt sedem: curuo ipse sub antro
Excisæ rupis cœli sine luce iacebat,
Infestos uitans ictus Siccingius: illum
Compellare auidi, & præsentes iungere uoces,
Huc uertunt primo gressus: succeditur imo
Fornice, nec multis, cupidos extrema morata est
Hora uiri: nam siue animum præsentia fregit,
[h] Aspectúsque grauis, seu fata suprema uocabant,
Haud longè tenues uita expugnata sub auras
Cessit, & ignauum iacuit sine nomine corpus.

[a] Fœdus inter tres principes Treuerenſ. Palatinum & Heſſium.

[b] Ludouicus comes Palatinus Elect.

[c] Philippus Lantgrauius in Heſſen.

[d] Nanſtalli oppugnatio.

[e] Vulneratus Franciſcus.

[f] Oratio Frãciſci ad ſocios.

[g] Nanſtallũ deditum, uincti captiui.

[h] Mors Franciſci.

Hæc

Hæc finis Siccingiadæ, hæc sors ultima tandem
Conantem multa, & temere nimis alta mouentem
Abstulit exutum uita, atq; ingentibus orbum
Fortunis, penè ipsius & telluris egenum,
Penè sepulchralis loculi: cui triste cadauer
Vilibus obsutum pannis, ac linire coactum
Fortè cauo ueteris cistæ, sine honore ministri
Vix summo occuluere solo, scrobibusq; locarunt.
Infelix nimium rerum ô uæsana cupido
Quanta moues? poterat bene fortunatus haberi
Sorte sua Siccingiades contentus: at illum
Postquam dira fames rerum & scelerata subegit
Ambitio, in tristes fraudes, aususq; nefandos
Occidit, & uoto miseram spem lusit inani.
Hinc ergo incensa Nanstalli sede, locoq;
Direpto, tendit uictrix ad proxima quæq;
Turba ducum, similiq; infertur in omnia clade:
Non muri, non ulla ualent obsistere claustra,
Non cinctæ aggeribus rupes, non ædita celsis
Saxa operum saxis, non ullius obice montis
Tectæ arces: penetrãt rumpuntq; per omnia fortes
Bombardæ, & nullo contra stant robore uires.
Audijt & timuit rupes inuisa [a] Draconum
Prædonum hospitium infestum, uiresq; negauit
Obijcere ipsa suas, quamuis circundata muro
Præruptisq; locorum aditis sublime leuaret
In media astra caput, celsasq; attolleret arces.
Quin sese excidio tristi subiecit, & armis
Sponte sua positis, ueniam haud dignata mereri
Occubuit rapidis ceciditq; à culmine flammis.
Nec minus [b] Homburgũ scelerati conscia pacti,
Alta domus lacerис miserè spectanda ruinis.
Tum [c] Lutzelburgũ excisum penitusq; subactũ
Vulcano, & summo direptum culmine montis.
Tuq; duplex uno dictum cognomine [d] Danum,
Et tandem ultrices dextras expertus, & arma
Quanta ducum ualeãt, quantæ in certamina uires.
Fortis [e] Eberbergi cliuus, præcinctaq; uallo
Mœnia, stipatusq; triplex latera ardua murus
Immensis operum obijcibus, quæq; ipsa potentes
Obstupuere duces uastæ molimina sedis.
Vos ô uos iusti uictricia uindicis arma,
Sic merita horrendo excidio tristiq; ruina
Hausere, infandos ausus belliq; nocentis
Vlta nefas. Rerum tantarum ô maximè ductor
Treuerici princeps solij, sedisq; uetustæ
Adsertor, quem multiplici spectata labore
Et pace & bello rerum prudentia solers
Laudibus insignem tollit populisq; uerendum:
Te penes hoc tanti, quantum est, memorabile belli
Oppressiq; furoris opus stetit: unà tuorumq;
Et parta & defensa salus: te tanta triumphi
Gloria, te reducem meritò sine fraude sequuta est.
Dum ueterem Treuir, geminis sub collibus urbem
Incolat, & uiridis leni fluet amne Mosella:
Dum bella ingrata agricolis, dum iusq; piumq;
Perdere sacrilegos hostes, armisq; tueri
Oppressos populos, & terris reddere pacem
Notus eris, laudesq; tuas nullum exiget æuum
Richarde, & memori semper celebrabile fama
Immortale feres super aurea sidera nomen.

a Trachenfels.
b Humburg.
c Lutzelburg.
d Dann.
e Eberberg.

Bombarda.

EN ego tartareis Bõbarda reperta sub umbris,
Vulcani & duræ Telluris filia, flammas
Ore gerens, ferro aut duro cauus ære Chylindris
Deijcio terras, celsas demolior arces,
Mœnia perrumpo, portas conuello rebelles:
Non ferrum, non dura silex, non ulla resistunt
Robora: si iubeas, terras penetrabo sub imas:
Si iubeas rursum, cœli penetrabo sub arces.
Qui me qui primùm mortales finxit in usus,
Inuisumq; instruxit opus, docuitq; parari,
Ferreus, & rigido circum præcordia saxo
Obsitus ille fuit, uitæq; inuidit & annis:
Fatalesq; dies parcis properauit amaris.
Ille, ille hic primum nodis deuinxit ahenis
Vas immane, grauesq; adiunxit in ordine costas,
Astrinxitq; latus longum, & compagibus arctis
Clausit opus, ferroq; immanem circuit urnam.
Dura sub Aetnæis alius tamen ara caminis
Mollijt, & scrobibus liquentem excepit operis
Materiam, & calido bombardã extraxit ab antro,
Scilicet & uiridi squallentia sulphura nitro
Miscuit, & pariter carbonibus addidit atris,
Puluereasq; armauit opes, imamq; sub aluum
Intulit, & tenui flammam commisit hiatu.
Tum mihi tum quantæ paruo sub corpore uires,
Saxea tela, globos, magnoq; elisa fragore
Pondera torquentes, solidas penetrantia rupes,
Expertum: stupuere homines immania monstra,
Diffugere feræ syluis, timidæq; uolucres
Aërias liquere uias, nec flumina pisces
Continuere suos, quoties uelut horridus æther
Tempestatem atram miscens contraxit opaca
Nube, hyemem flammamq; simul, contraria rerum
Semina, non passus litem pugnasq; latentes
Iuppiter, iratum media caligine pondus
Rupit, & horrendo tonitru concussit Olympum.
Sic uires accensa suas Bombarda resoluens
Terribili concussa sono durissima fregit
Mœnia, & ingentem traxit uiolenta ruinam.
Hoc tibi Ioannes donum Ludouice pœtæ
Accipe, Pierio Latomus formauit in antro.

Finis.

RVSTICANORVM TVMVLTVVM IN GERMANIA, ANNO M. D. XXV. EXCITATORVM, ET A' MAGISTRATV FOE-liciter repressorum uera ac compendiosa historia, ex uarijs autoribus, ac fidelibus literarum monumentis collecta, & nunc primùm in lucem edita: PETRO GNODALIO autore.

PROOEMIVM.



IN omnibus rerum & actionum humanarum historicis monumentis, uix ullum tetrius, atq; perniciosius malum commemoratur, quàm, si qui eadem domo, eadem ciuitate, eadem repub. eodem denique imperio utuntur, mutuis dissidijs, contentionibus & discordijs efferuescentes, inuicem dissidere incipiunt: id quod cùm apud alios multos, tum uerò apud Romanos maxima penè totius orbis terrarũ parte potitos, præcipuè enituit. Qui, malo tam pestifero, in ipsorum repub. incidente, clades duas, easdemq; longè grauissimas acceperunt: Alteram quidem, quando L. Sergius Catilina, uir magna ui animi & corporis, sed ingenio malo, prauo, gloriæq; cupido præditus, decocto patrimonio toto, suis, & suorum consortum plusquam hostilibus & clandestinis, sed postmodum detectis machinationibus, maximum senatui, populoq; Romano terrorem iniecit: Alteram uerò, cum senatorij ordinis administratio, occasione odij inter C. Iulium Cæsarem, & Cn. Pompeium Magnum exorti, mutata, penitusq; sublata fuit. Verùm ethnicorum exempla commemorari minimè necesse est, cum ex uerissimis atq; clarissimis sacrarum historiarũ monumentis cõstet seditionis malum Deo cum primis inuisum, nunquam ad optatum exitum deuenisse, sed grauissimè punitum fuisse. Nam cum Chore, præclara quidem, & nobili stirpe satus, insuper & doctrinæ atq; facundiæ laude maximè conspicuus, sed natura malignus & impius, simplicis atq; credulæ plebis animis sibi conciliatis, pijssimi, Deoq; dilectissimi uiri Mosis honori ac fortunæ miserè inuideret, omni dolo malo, uersutiaq; utens, quo ipse, reiecto, & in odium uocato Mose, dominationem omnem in se transferret, Dathan & Abiron, Israelitici populi non postremis, in suas partes pertractis, summorum honorum & diuitiarum pollicitatione. Hi duo, spe consequendi honoris & lucri fascinati, coram omni populo terra absorpti, meritas inobedientiæ suæ pœnas persoluerunt. Chore uerò, tantæ impietatis auctor, cum ducentis & quinquaginta uiris, sibi adhærentibus, igni cœlesti concrematus, subitò interijt. Cumq; obstinata, & pertinax gens Iudaica ob id dolore concepto murmuraret, & Dei ministro Mosi insolentiùs repugnare non uereretur, illorũ quatuordecim millia, cum septingentis, similiter cœlesti fulgore deleti sunt. Et nisi Moses & Aaron precibus ad Dominum suppliciter fusis, iram eius & indignationem, ob eam inobedientiam conceptam lenijssent, & culpam deprecati fuissent, omnes illa hora perijssent.

Cum

CVm igitur anno à partu Virginis millesimo quingẽtesimo uicesimoquin
to tam terribiles, periculosæ, nephariæ ac pestiferæ seditiones & rebellio-
nes subditorum aduersus suos magistratus, præsertim in Germania superiore,
ita repentè & improuisò sint exortæ, quales nullo totius terrarum orbis loco,
nullis seculis, nullis etiam historijs excitatas fuisse, proditum est, operęprecium
facturum me esse autumo, si quæ meis oculis partim uidi, partim ex relatione,
fide dignorum uirorum percepi, de rebus à seditiosis & tumultuantibus Rusti
cis gestis, publicis literarum monumentis consecrata, ad posteritatis memoriã
transmisero. Opus uerò Chiliade Homeri prolixius futurũ esset, si singula cum
suis circumstantijs recenserem. Quare illa præcipuè, quę tumultuans Rustico-
rũ factio in ora Rhenana, fœda, turpi ac impia uæsania perpetrauit, persequar:
alia, aliorum descriptioni relinquens, hoc tamen obseruato, ne alijs in locis ge-
sta penitus silentio inuoluta transeantur, sed breuiter quoq; commemorentur.
Primò itaq; motus ad Danubium, lacum Podamicum in Almangauia, & uici-
nis locis à Sueuico fœdere repressos, postea alios, secundum locorum & tem-
porum, quibus exarsêre, rationem strictim exponam. Siquidem ut pestis con-
tagio grassans omnes uicinos circumquaq; inficere consueuit, sic hoc malum
seditionis exortum de die in diem ita serpsit, ut pleraſq; Germaniæ partes per-
uaderet. Causa uerò eius non eadẽ refertur ab omnibus: Pontificiæ namq; reli
gionis assectæ, ac inter hos maximè Cochlæus & Faber in scriptis cõtra Luthe
rum editis, huic omnis mali culpam imputant, qui sua doctrina credulã nimis,
& imperitam Rusticorũ turbam, ac suapte spõte & ingenio mobilem, rebusq;
nouandis inhiantem, ad seditionem cõcitarit, eamq; in clerum primò, mox in
principes seditiosis scriptis inflammarit. At utrunq; eorum cum sectatoribus
toto cœlo errare, alij arbitrantur, ipsos in eorum numerum referentes, qui Ter-
tulliani tempore pro defendenda Christianorum persecutione prætexebant,
Christianos omnis publicæ cladis ac omnis incommodi popularis causam es-
se. Ac Lutheri quidem doctrinam, hac uana calumnia, cum eius scripta aduer-
sus latrocinantes Rusticorum cohortes, cùm reprehensione & obiurgatione
seditionis grauissima edita, tum quoq; seditiones liberãt, quæ, non dicam, ante
natiuitatem ipsius, diuersas nationes peruagatę fuerunt, sed ipso puero adhuc,
nec quicquam de libertate Euangelica sciente, nedum docente, eorundem di-
tiones concussêre, in quibus postea Euangelij doctrina, renata flamma tumul-
tus in grauissimum belli incendium exijt. Nam cum cõstet post Rusticos Lup
phenses primos Campidunenses Calendis Ianuarij, anno 1525 contra suũ Ab-
batem insurrexisse, is, qui meminerit seditionis anno 1491, ab eisdẽ Rusticis Al-
mangauicis contra suum Abbatem suscitatæ, in qua quinq; eorum millia con
fluentia, à Sueuiæ confœderatis, oppressa fuêre, eius potius exemplo, quam uo
ce Euangelij ad eam excitandam impulsos, dixerit. Quod Euangelium, uel à
quo prædicari audierant Rustici, qui in agro Bruxellensi, anno 1502, contra suũ
Episcopũ & Canonicos Spirenses conspiratione facta, magnis motibus oram
Rhenanam impleuerunt? Quæ res ei rebellioni causam præbuerit, præter arti
culos coniurationis, tessera mutuæ cognitionis ipsorum clarè docuit, quam
eiusmodi fuisse, historici tradidêre, ut interrogatus à socio Germanice, *Was iſt
nun für ein weſen?* Id est, quis modò rerum status? responderet, *wir mögen vor den Pfaf-
fen nicht geneſen.* hoc est, prę Clericis salui esse nõ possumus. Rusticis hoc nõ obscu
rè innuentibus, rebellionis factæ causam, Clericorum exactiones, rapacitatem
præfectorum, & nouas artes, quibus in emungenda misera plebecula uteren-
tur esse. Quin & in ciuitatibus liberis paucis annis antè quã Lutheri doctrina
audita fuerit, ob immodicas exactiones, collationes, impositiones aliaq; onera
intolerabilia

intolerabilia exortas constat. Nam ob ea Erphordiæ anno millesimo quingentesimo nono: Spiræ millesimo quingentesimo duodecimo: Coloniæ & Vuormatiæ, anno pòst insequenti tumultuatum est, multis senatoribus partim capite truncatis, partim in exilium pulsis. Talia siquidem ubi accidunt, aliter fieri nequit, quàm id quod prouerbio dicitur. Vt funiculus nimium tensus dissolua tur, & uicta demum populi patientia in seditionẽ magno reipub. damno erumpat. Nam: ut uerè ille apud Tragicum inquit. Si uela tendas nimiũ nauis mergitur, sed si relaxes rursus uehitur tutiùs. Odit Deus nimis uehemẽtes impetus, odêre ciues, gratior est moderatio: Et immoderatam subditorum oppressionẽ quidem motus Rusticani potius causam, quam Euangelij prædicationem fuisse, quilibet æquus rerum æstimator facilè, uel inde intelligit, quòd primi eius autores, Rustici Comitis Sigismundi à Lupphen in Hegouia Sueuię parte, à domino suo anno 1524, in mense Nouembri scelerate deficientes nullam aliam prætenderint, quam onera, quibus se nimium grauari querebantur, & quod Guilielmo à Furstenberg nomine fœderis Sueuici ad eos reprimendos misso propalàm significarint, se non esse Euangelicos, nec Euangelij causa confluxisse: stultè putantes, hinc se magistratus gratiam promerituros, quo confessores constantes, quàm abnegatores & apostatæ infideles, digniores semper sunt habiti. Nec qui istis pacatis secundi fuêre Campidunenses aliam quam Abbatis seueritatem obtenderunt. Quare cum Lupphenses conditiones suæ cupiditati congruentes extorsissent, uicini, qui se à suis magistratibus præter modum premi indignè ferrent, eorum successu & exemplo illecti, de excutiendo iugo consilia agitare cœperunt. Atq; ideo Campidunenses Abbatis sui imperium execrati, Calendis Ianuarij anno 1525. instar brutorum animantium concurrũt, nullaq; honoris, datę fidei, uel iuramenti prestiti ratione habita à suo magistratu perfidè desciscunt, ac oppida & castella Abbatis inuadentes, mox Cœnobiũ occupant, idq; Cœnobitarum ministris eiectis, diripiunt & uastãt miserè, adeò ut nec clauum quidem integrum parieti relinquerent, omnesq; imagines & ornamenta templorum confringerent. Abbas ablata secum preciosiore suppelle ctile, & melioribus monasterij clenodijs in arcem Liebenthan confugerat: Rusticis uero eò contendentibus, se ipsis certis conditionibus dedidit, ac Campidunum ductus, ibi detentus, ac ciuibus seditiosis omnia iura in ciuitate prius habita, triginta duobus millibus aureorũ nummũm uendere coactus est. Cam pidunenses itaq;, alij Algoiæ rustici ex direptione monasteriorum ditatos conspicientes, facilè imitantur, ac initiò quidem Augustẽsis Episcopi subditi in Alpibus Almangauicis, deinde alij circiter quatuor millia propè Valtringen uicum duobus miliaribus Vlma dissitum, mox alij in ualle Ileri confluunt tanto numero, ut multa oppida uicosq; occuparint. Circiter hoc idem tempus Vdalricus Dux Vuirtenbergicus in occasionem recuperandi Ducatus, quo anno 1519 à Sueuico fœdere, ob Reutlingam Imperialem ciuitatem occupatam exutus erat, intentus, aliquot Heluetiorum cohortibus festinanter cõtractis, nonnulla oppidula & castella amissa, & in his suburbium Studgardianum recipit. Idcirco factum est, ut fœderis communis socij die conuentus Vlmæ indicto, qua ratione rebus dubijs occurrendum esset, deliberarent, ac tam equestribus, quàm pedestribus copijs conscriptis, & rebus necessarijs comparatis, Georgiũ Trucsesium Vualpurgi Baronem rei bellicæ laude clarissimum copiarum ducem deligerent, qui susceptа in Vlricum Ducem expeditione, non solùm illius conatus fregit, sed eum quoq; copijs dissipatis ducatu expulit, ac loca ab ipsa occupata in fœderis fidẽ redegit: Duce itaq; Vdalrico ita à conatu suo deiecto & profligato, cõsiliarij fœderis, q de pacãdo tumultu cũ Rusticis crebrius egisset, eisq; pacis cõditiones æquissimas obtulisset, Georgio summã belli cõtra eosdẽ gerendi

gerendi committunt. Qui die Iouis post Dominicum antiquo Ecclesiæ more Lætare dictum, cum uniuersis suis copijs promouet, eo animo, ut Rusticos inter Vlmam & Biberacum numero circiter quatuordecim millium cõsidentes, aggrederetur. Delatus ad locum ubi illi commorabantur dimidij milliaris spacio ab illorum castris sua locat: quibus fixis res omnino ad prælium spectare videbatur, cum Rustici obstinatè in suo proposito perseuerantes, in confœderatorum milites pabulatum euntes crudeliter sæuirent: aliquot etiam uiros nobiles interceptos necarent, multa Monasteria capta diriperent & deuastarẽt, nullum petulantiæ, temeritatis, peruersíq; facinoris genus omittentes. Sed dum præmium factorum recepturi crederentur ipsi, relictis post se cõfœderatorum copijs, progrediuntur, ac Cœnobium Mercktalium occupantes deuastant, rebusq; omnibus spoliant. Quare Trucsesius animo cum ipsis decertandi, citra moram eos insequitur: At Rustici re comperta, eius aduentum minimè expectandum rati dilabũtur, in rupium & syluarum latebris se abdentes, sic, ut quò nam euasissent nemini cõstare potuerit. Iis ita gestis, intercessione Rauenspurgensium & Campidunensium, cum ex aliorum agminum nonnulli Duces Vlmam fide publica uenissent, dierum aliquot fuerunt pactæ induciæ, uerùm nõ seruatæ. Cuius rei quidem culpam alij in alios conferebant. Itaq; exercitus confœderatorum mandato ordinum, rursus Vlmam uersus sese conuertens, multos in itinere pagos, seditionis contagione infectos deprehendit. Cum autem Leipheimium & Guntzbergium cum uicinis Augustã ferè usq; Rusticorũ partes fouisse, fœdusq; cum eis iniisse, nec non reliquis duobus agminibus circa lacum Podamicum, & in Almangauia grassantibus adhæsisse, innotuisset, copiæ confœderatorum illuc die Martis post dominicum, Ecclesiæ more, Iudica, nominatum, amandantur. Eò igitur copijs tendentibus, Trucsesius cum equitatu in sex millia Rusticorum præter omnem opinionem incidens, eorum, nõ expectatis peditum turmis neq; tormentis, magnam partem concidit. Reliqui partim semet in Danubium proijcientes submerguntur, partim captiui abducuntur, paucis fuga elapsis. Ad hæc eodem Martis die, centum & triginta ultra Danubium Vlma emissi equites Hassiaci, ut Rusticos Leipheimẽsibus opem laturos, repellerent, in octingentos sibi obuios, & militaribus instrumẽtis probè instructos, inuecti, eorum circiter trecentos trucidant, ducentos capiunt, reliquis mirum in modum ab equitibus exagitatis, uix saluis euadẽtibus. Abea uictoria cum in reliquos etiam contendere uellet Trucsesius, pedites, quibus præerat Guilielmus Furstenbergius signa proferre nolebant, & quasi prælio dimicassent, stipendium sibi dari postulabant. Ea re per dies aliquot disceptata, cum neq; prælium illud fuisse, & in fugam illos abijsse, priusquam illi uenirent, diceretur, tandem fuit transactum. Trucsesio ergo cum omnibus copijs tam equestribus, quam pedestribus, & tormentis ad oppugnationẽ necessarijs Leipheimium cingente, incolę loci ad eius postulata repentè deditionem faciunt, & confœderatorũ uoluntati sese subijciunt. Idem faciunt & Gunspurgici, mox eorum exemplo complures pagici, culpam suppliciter deprecantes. Cæterùm delictorum magnitudine gratiam superante, aliquot Rusticorum capitanei custodiæ traditi, partim suspenduntur, partim capite mulctantur, partim alio supplicij genere afficiuntur, & Leipheimium postea peditibus Gunzpergium equitibus diripiendum conceditur. Leipheimensibus alijsq; eorum uicinis, modo quo diximus, mulctatis, senatus Imperij, qui per absentiã Cæsaris rempub. procurabat, & tum Eslingæ erat, cum nõnullis superioris Sueuiæ ciuitatibus, Constantia, Memminga, Eisna, alijsq;, apud fœderatos Vlmæ de inducijs rursus agit. Venerant & eò sub fide publica aliquot primarij ex Rusticanis, qui per Algouiam & ad lacum Podamicum erãt. Sed cõfœderatis cum illis, qui nuper

inducias uiolassent, nihil paciſci uolentibus, Almangauicis contrà, parem omnium conditionem esse debere essiagitantibus, nihil sani actum, sed re infecta discessum est. Durante tractatione Rusticani prope Vvalderingã duobus milliaribus ultra Vlmam, Almangauicis ipsis ualida auxilia submittentibus rursus confluunt, ac Comitum, Baronum, nobiliumq́ domos & arces captas diripiunt, & igni ferroq́ uastant, monasteria uicina, fractis & dissipatis, quæ in eis erant integra, omnibus spoliant inusitata petulantia, tales sese exhibentes, qui neq́ Deũ, neq́ homines, obliti proprij nominis & honoris, uererentur. Quare Trucsesius captis dictis castellis, & sumpto à seditiosis eorum locorum suppliçio ad reprimendos Almangauicos cũ uniuerso exercitu contendit, ac in ipsos omnia hostilia agit. Id quod cum usq́ ad Paschales ferias duraret, factum est, ut pridie illarum feriarum circiter horam quintam uespertinam ad suæ ditionis oppidum Vvurtzag, tribus supra Biberacum milliaribus situm, circiter septem millia Rusticorũ profligaret. Et cum ex captiuis didicisset Vueingarti, non procul Rauenspurgo circiter octo millia Rusticorum adhuc considere, subsequenti die primo diluculo copias eò deducit. Postquam autem ijdem Rusticani prima eius diei luce inde mouissent, ut se cum illis, quos priori die Trucsesius prope Vvurtzag ceciderat, coniungerent, & aduersus confœderatos sese munirẽt, Trucsesius, expræmissis speculatoribus (quos dux belli prouidus atq́ peritus nullo tempore emittere negligit) Rusticanos per campum incedere cognoscit. Cum ergo instructis ordinibus eos aggredi cogitaret, illi in montem se recipiunt, quò aditus Trucsesio suisq́ nõ erat. Quare nocte iam appropinquante ipse tormentorum fulmine in eos detonat, nec procul ab ipsis considens, nocturna castra figit, insequenti die collato Marte cum ipsis dimicaturus. Die ergo decimoquinto mẽsis Aprilis cum copijs progressus, ad Almangauicorum agmina duo rectà contendit. Cum autem Baiorsfurtum usq́ uenisset, ibiq́ in monte aliquot uineis mediocri equitatus parte occupatis consedisset, reliquo exercitu cum tormentis subsequente, Rustici præterlabẽtem amnem Schiften uulgò nominatum, continuò transierunt, Vueingartum rectà pergentes: quos cum equitatus insequi uellet, ille discrimen, quod cum dedecore subeundum esset, considerans (quod Rusticorũ essent circiter sedecim millia, & in his perplures à primis (ut id in ea regione moris est) annis ad arma assuefacti, in eisq́ exercitatissimi. Adhæc, quod tormenta tam subitò aduehi non posse uideret) id ei neutiquam permittere, & fortunæ aleam experiri uoluit. Sed in adducendis tormentis laborans, ea onerata mox in hostem cum insigni eius detrimento emittit. Cum res iam prælio uicina esset, Hugo Comes Montfortius cum legatis Rauenspurgicis & Vberlingensibus ad Trucsesium in castra perueniẽs, inducijs ab eo assidua & studiosa sollicitatione impetratis, tantum effecerunt, ut is Christiani sanguinis ratione habita, se agmen utrumq́ in Algouia sub cõditionibus antea à confœderatis propositis saluum dimissurum, promitteret. Illis ergo à Rusticis cupidè acceptatis, capitanei & signiferi culpam suppliciter deprecantur, & signa sua tradunt, deinde uicesimo secundo Aprilis, literis compositionis iusto modo confectis & signatis, exercituq́ dissipato quisque lares suos, quos stulta cupiditate maiorum diuitiarum reliquerat, repetit. Quis uerò hisce rebus consideratis diaboli incredibili odio generis humani dissentiones, rebelliones, cædes, bella, clades publicas, populorum ac regnorum euersiones excitantis, malitiam non miretur? At ille mille artifex, nec rebellione subditorum contra legittimum magistratum, nec cædibus, nec rapinis, nec latrocinijs, nec direptionibus, nec alijs nephandis tetrisq́ facinoribus Rusticorum satiatus, sed mendacia homicidijs (quorum utrorumq́, Christo teste, ab æterno pater & auctor est) accumulans, suorum organorum animos etiam impulit, ut

in huius anni uere primo sub prætextu sacrosancti Euangelij postulata quæ-
dam, libertati carnis, & deprauatæ uoluntati humanæ magis, quàm Diuinino
minis cultui, uerboq; Dei consona, in superiori Germania diuulgarent. Quæ
quidē, ut ego intellexi & alij multi affirmare nō dubitarunt, à Thoma Munze
ro tunc quidem in Thuringia Mulhusij degente, sed per emissarios suos hinc
inde callida consilia tumultuantibus Rusticis suggerente, concinnata fuēre. Li
cet sint qui eorum, & seditionis circa Memmingam excitatæ auctorem Chri-
stophorum Staplerum concionatorem Memmingensem fuisse uelint. Mulā
uerò, quibus uiri eius uitæ integritas, assidua sacrarum literarum meditatio, ze
lus & uehemētia in uitijs hominum reprehēdendis nota fuēre, falsò ei utrumq;
imputatum fuisse, illumq; omni culpa uacasse existimāt. Quare etiam eius in-
nocentia Memmingensibus probata, cum cōfœderati de alijs, illic supplicium
sumpsissent, ciues innocētia eius moti, eum clàm in patriam Sancti Galli, Hel-
uetiæ oppidum dimisēre, ubi uxore ex honesta familia ducta, ita uixisse perhi-
betur, ut & populo gratus fuerit, & integritatis & innocētiæ laudem à pleriscp
retulerit. Cæterùm ut ut sese res habuerit de postulatorum auctore, quibus Ru
stici Almangauicis repressis, postea quasi ad pileum uocati, nouos motus in-
cenderunt, eorū tenorē, pro ut edita fuerint, inferendū hic iudico, qui talis erat.

I. Primò postulabant ut ipsis Ecclesiæ ministros liceret eligere, eosdemq; uitā
reprehensibilem agentes remouere, eosdem Verbum Dei purè atq; sincere nul
lis admixtis hominū decretis docere debere. Sinceri etenim & incorrupti Ver-
bi Dei prædicationem ipsis occasionem præbere, quò Deum, pro diuinæ suæ
gratiæ communicatione, & in ea confirmatione implorent. Siquidem diuina
gratia ipsis non inculcata, se manere carnem & sanguinem, quæ regnum Dei
possidere nequeant, Scriptura attestante, homines sola fide Deo acceptos, hu-
iusq; misericordia saluos fieri. Opus itaq; ipsis esse animarum pastoribus atq;
ministris, qui in Verbo Dei bene solideq; uersati sint.

II. Alterum, quamuis decimæ in ueteri Testamento sint institutæ, in nouo ue-
rò completæ nihilominus se frumentorum decimas daturos, ita tamen, si eæ ar
bitrio cōmunitatis, partim in Ecclesiæ ministros ab eà electos, & Verbum Dei
purè docentes, partim in homines egenos, eiusdem loci incolas, partim neces si
tate publica onerum impositionem efflagitante, pro subleuandis pauperibus
in usus publicos distribuantur.

III. Consuetudine quadam se hactenus pro seruis habitos, quæ res indigna sit,
quandoquidem omnes precioso Christi sanguine liberi sint facti atq; redem-
pti: tam is, qui uilissimus, quàm qui potentissimus censeatur, nullo excepto,
Ideo se liberos esse uelle, nō quidem quòd Magistratum recusent, quem à Deo
constitutum esse sciant, uel ex animi sui arbitrio potius, quàm secundum man-
data Dei uiuere cogitent, quæ ab ipsis in rebus licitis ac Christianis omnem hu
militatem ac subiectionē exigere didicerint, sed quod, seruitutē illam deinceps
ferre nolint, nisi Scripturę sacræ testimonio demōstretur, æquū esse ut illā ferāt.

IIII. Simili quoq; modo ipsis hactenus interdictū fuisse capere feras, aues, atq; pi
sces in fluminib. publicis, eā rē iniq; quoq;, ac utilitati priuatæ, q̄ sacræ Scriptu-
ræ magis congruā esse. Minus uerò tolerandū id, quod plerisq; in locis subditi,
Magistratu uetāte, feras, segetes ad utilitatē hominū natas depascētes, sępiusq;
bestiarū more depopulantes, eijcere, uel fugare nō ausint, sed cōtra expressum
Dei uerbū ac dilectionē proximi, damna à feris data mulsitādo perpeti ac dissi
mulare coganť. A' cōdito mundo Deū dedisse homini ius & imperiū in omnis
generis animātia. Nō se quidē uelle quidquā auferre per uim, ijs qui uel flumē
totū, uel partē aliquā emerint, sed petere ut æquabilitas aliqua seruetur, in eoq;
magis spectetur quid multitudini, quam quid paucis utile sit atq; cōmodum.

Syluas

Syluas quoq; à Magistratu proprietatis iure usurpari, non absq; magno di- V.
spendio miseræ plebeculæ. Nam si ea lignis opus habeat, hæc ei duplici pretio
uenire. Itaq; suam hanc esse uoluntatem, ut eæ syluæ, quæ non sint emptæ pri-
uatim ab aliquo, siue ab Ecclesiasticis, siue secularibus possideantur, fiant mul
titudinis, ut ex ijs & ad quotidianum usum, & ad ædificationes etiã, cum opus
fuerit, quilibet sibi sumat absq; pretio, sic tamẽ ut eorum, qui deligẽtur ad eam
rem procurandam auctoritas interueniat. Quod si fortè nullę sint, nisi priuato-
rum syluæ, tum amicè cum possessoribus transigendum.

Ad hæc grauari se multis incommodis & intempestiuis operis, quæ cumu- VI.
lentur indies magis atq; magis. Cupere ergo, ut eam rem principes moderen-
tur ex æquitate & Euangelij præscripto, neq; plus oneris imponant, quàm an-
tiquitus fieri consueuerit.

Velle etiam, ut quæ quisq; agricolarum bona, fundos & agros teneat bene- VII.
ficio & concessu Principis aut Magistratus, eorum nomine non grauetur am-
plius, quàm conuentum sit initiò, quò coloni & agricolę citra detrimentum &
molestiam fundos colere possint. Si Magistratus coloni operis uti uelit, hunc il
li præ cæteris seruire debere, dummodo eæ tempore & precio congruo citra ia
cturam coloni petantur.

Eiusdem esse generis, quod ex ipsis multi pendant annuum tributum atq; VIII.
stipendium maius, quàm pro modo facultatum, esse æquum, ut fundorum per
itos æquos & bonos inspectione facta Principes de eo aliquid remittant, ut
agricultores aliquod saltem percipiant sui laboris emolumentum, nec ad extre
mam inopiam redigantur, cum quilibet mercenarius dignus sit mercede sua.

Quinetiam in mulctis pecuniarijs se requirere maiorem æquitatem, nouas IX.
etenim quotidie ferri leges, & pecuniam ab ipsis extorqueri sæpe, nõ emenda-
tionis causa, uerum in ea re plerumq; & odium, & fauorem atq; gratiam inter-
uenire. Petere ergo ut iuxta formulas olim descriptas, non autem ex affectibus
irrogetur pœna.

Grauari etiam se in hoc, quod priuatim à nõnullis fundi atq; prata usurpen X.
tur, quæ sint multitudinis. quidquid sit eius generis, uelle se uendicare, nisi for-
tè quis emerit si id mala fide sit factum, tum amicè & fraternè cum emptore
transigendum.

Quod usitatum sit mortuo patrefamilias ab uxore atq; liberis de bonis eius XI.
aliquid dependi, id supra modum esse iniquum, cùm uiduæ atq; puppilli deglu
bantur ab his, qui ipsorum tutores ac defensores ex præscripto Verbi Dei esse
deberent. Tales eos iam esse, ut si quocunq; prætextu id facere queant, uniuer-
sis potius facultatibus ipsos exuant, quàm eorum misereantur. Velle igitur ut
totum hoc Magistratus aboleat.

Postremò profitentur si qua in re fallantur ac errent, se Verbo Dei & aucto- XII.
ritate Scripturæ conuictos, nõ fore pertinaces, uerùm saniora consilia sequi &
admittere uelle, adeò ut etiam postulato uno uel altero concesso, quod sacræ
Scripturæ contrarium sit, id nullum & irritum esse uelint. Econtrà, si alia capita
in sacris literis Dei honori & dilectioni proximi seruientia inueniantur, sibi ius
saluum fore, ea agendi quæ doctrinæ Christianę conueniant. Cum itaq; Euan
gelij causam suis seditiosis conatibus obducerent, & eius prætextu seruitutem
malitiosè excutere conarentur, uaria Theologorum, qui Euangelij nomẽ pro-
fitebantur, contra eos scripta exierunt. Inter hęc Lutheri & Melanthonis, quo-
rum hic piè, eruditè & placidè, quatenus Rusticorum postulata Verbo Dei &
æquitati consonent, ostendit, Principes ad clementiorem subditorum tracta-
tionem cohortans.

At ille, ad quem prouocarant, suæq; dementiæ patronum habituri arbitra-

bantur,in ipsorum nefanda facinora grauissimè inuectus, tandē ad ipsos oratione conuersa ea scribit,quæ huic narrationi inseri neutiquam ab instituto nostro aliena esse existimo. Verum (inter cætera inquiens) est,& fateor,Principes uiros,qui prædicationem Euangelij non admittunt,qui populum nō uno modo grauant & opprimunt,dignos esse,quos è solio Deus præcipitet: nec enim ullam habent excusationem. Et quanquam hoc ita se habet, uobis tamen est prouidendum,ut conscientiam huc afferatis puram & inculpatam: alioqui corporis & animæ iacturam facietis. Neq; considerare uos oportet,quantę sint uestræ uires,quantumque reprehendendi uestri aduersarij, sed quàm legitima sit atq; iusta,quam defenditis causa. Diligenter itaq; prouidete, neque conciombus omnium credite. Satanas enim sub Euangelij prætextu multos hoc tempore seditiosos & planè sanguinarios excitauit doctores. Equidem liberè uobis atq; syncerè consulam ut debeo,uestrûm est adijcere animum, & auscultare rectè monenti. Neq; uerò,si plerique maledicent, & fortè conuitijs me petent, moueor,& satis est,modo saltem aliquos eripiam ultioni diuinæ. Reliquâ turbam nihil moror,& sicut me contemnunt, sic ego uicissim illos nō metuo. Sed ut ad rem ueniam: usurpatis uos quidem nomen diuinum,& Christianum uos appellatis ipsi cœtum & multitudinem,& legem à Deo præscriptam uelle uos per omnia sequi iactatis. Atqui,constat haud dubiè,nomen Dei non esse temerè usurpandum,neq; falso: nam pœnam comminatur Deus,quę uos etiam manet,siquidem nō rectè negotium hoc agitis. Qui totum orbem terrarum inundationibus obruit,qui Sodomam ignita pluuia totam absorpsit,idem uos etiã facilè deleuerit,quæcunq; sit tandem uestra potentia. Sed fallò uos obducere nomen Dei uestris actionibus,facilè demonstrari potest. Itaq; cuiusmodi sit futurus exitus,non obscurè diuinare licet. Nec enim fallit,qui dixit,gladio perituros,qui gladium sibi uendicant ipsi nimirum,qui sua quadam audacia sibi potestatem arrogant animaduersionibus: quum Paulus tamen iubeat omnes in uniuersum obtemperare Magistratui reuerenter & cum timore. Quid ad hæc respondebitis,qui legis Diuinæ præscriptum uelle uos insequi simulatis: & interim tamen gladium arripitis,& Magistratui,quem Deus constituit,resistitis? An' non istud est temere usurpare nomen Diuinum? Sed Magistratus ita secō parat,ut planè sit intolerabilis. Nam & Euangelij doctrinam nobis adimunt, & in cæteris rebus omnibus ita nos premunt,ut nihil supra. Sit ita sanè: non tamen idcirco sunt excitandi motus atq; seditiones: nec enim cuiuslibet est coërcere maleficia,sed hoc ad eum modò pertinet,cui tributum est ius atq; potestas gladij,sicut apertè Scriptura docet. Deinde nō leges tantum, sed & naturæ ius animis impressum ostendit,non licere cuiquam, ut suæ causæ cognitor sit atq; iudex ipse. Sumus enim omnes uitiosi,& amore nostri prorsus excæcati. Negari autem non potest quin hic uester tumultus atq; seditio sit uindicta priuatarum iniurias,ulcisci paratis authoritate uestra. Sed hoc ipsum pugnat cum iure diuino,cum naturali,cum ipsa demum æquitate. Quod quum ita sit,non potestis ulla ratione facinus hoc defendere: uel si mandatū aliquod habetis à Deo uestri facti, necesse est hoc ipsum à uobis aliquo illustri miraculo demonstrari. Sed hic accidit quod Christus ait: nimirum quid in alijs reprehendendum sit, clarè perspicitis,quantum uerò sit impietatis in uestra causa,non animaduertitis. Iniquè facit Magistratus. At multò uos iniquius, qui contempto Dei mandato,iurisdictionem inuaditis alienam,qui Magistratui nihil omnino relinquitis. Quid enim supereſt,quum potestatē ei tollitis? Vos ipsos appello: qui magnam bonorum partem cupiam aufert, aliquid tamen relinquit, & qui bonis ablatis uitam etiam eripit: uter uobis atrocior esse uidetur? Magistratus adimit

uobis

uobis possessiones, iniquum est: uos autem iurisdictionem adimitis. Qua quidem in re consistit omnis ipsorum fortuna tam corporis, quàm bonorum: uos ergo nocentiores illis. Atqui uitam ipsorum atq; fortunas nō petimus. Credat hoc qui uolet, non ego. Qui præcipuam partem alicui tollit & aufert, nō uerebitur etiam reliquum, quod ab ea dependet, auferre. Verum, sit ita sanè ut dicitis. Maneant illis quæ possidēt bona, uita quoq; sit incolumis: illud uerò quod iam perpetrastis, omnem mediocritatem excedit, quando potestate illis omni sublata, uultis ipsi rerum esse domini. Perpendite rem ipsi quæso. Vestrum hoc institutum si laudari debeat atq; ualere, nulla sint futura iudicia, nullus Magistratus, & cuiuis liceat priuatim in quemuis experiri pro sua libidine & arbitratu: nec expectandum inde sit aliud quàm mutuæ cædes atq; latrocinia. Nam ut quisq; sibi factam ab aliquo putabit iniuriam, ita mox illam pro sua cupiditate uolet ulcisci. Hoc ipsum uerò, si & iniquum est, & in nulla persona tolerari potest, multo minus coactæ, alicui hominum multitudini concedi debet: aut si concederitur, in singulis etiam ferendum erit: Quid in hoc ipso uestro cœtu, si res eò licentiæ prolaberentur, ut causam quisq; suam priuatim ulcisci uellet, cedo, quid faceretis? Cogeretur ille dubio procul stare iudicio publico per uos constituto. Quid uos igitur excusat, qui iudicia conuellitis, & Magistratum reiicitis, quem Deus ipse uobis præfecit? Hoc ipsum ius, de quo iam loquimur, omnium mentibus est impressum, & à barbarissimis etiam populis colitur: nam alioqui summa sit omniū rerum futura perturbatio. Quòd etiamsi illud diligenter seruaretis, nihilo tamen essetis hoc ipso meliores quàm uel Turcæ, uel id genus alij populi, nostræ religionis ignari. Iudicia enim publica subire, & Magistratus authoritatem sequi, non hoc præstat, ut quis fiat Christianus: nam ipsa demum necessitas cogit, etiam inuitos ut ita faciant. Vos ergo cum hoc ipsum ius mentibus infixum, & omnibus commune reuellitis, multo estis prophanis gentibus deteriores, tātum abest ut nomine Christiano sitis digni. Quem quidem titulū quia uobis usurpatis, & nomini diuino facitis iniuriā, nō indigni uidelicet appellatione Turcica, propter naturæ ius uiolatum: quomodo tandem cōsistetis in aspectu Christi cum de nobis omnibus iudicium facturus est? Cuiusmodi sint ergo uestri doctores, etiam atq; etiam prouidete. Vereor enim ne sanguinarij quidam uobis obrepserint, qui suis concionibus huc uos impellāt, quo tandem ipsi uestris auxilijs freti, dominationem & regnum inuadāt, securi prorsus de uestris fortunis atq; salute. Iubet Deus uindictā sibi omnem permitti. Scriptura iubet parēre Magistratui, etiam improbo. Parēdum igitur erit: alioqui motum quidem excitabitis, uerum is tandem in uestrum caput desinet. Nec enim licētiam hanc uestram Deus impunitam dimittet, dumq; libertatem quæritis, uitæ, bonorum & animæ dispendium uobis ipsi comparabitis. Exardescit in uos ira Dei, & salutis omnium hostis diabolus falsos in uestrum cœtum immisit doctores. Meum ergo secuti consilium, cauete & resipiscite. Nunc de iure Christiano seu Euangelio uerba faciam. Hoc enim quia uobis arrogatis cognomen, æquum est, ut cuiusmodi sit ius uestrum, exploretur. Et primo quidem, Christus iubet non esse resistendum malo, sed unam ferienti maxillam iubet & alteram præberi: tunicam auferenti iubet pallium quoq; tradi, iubet bene tum precari, tum facere inimicis. In eandem sententiam multa sunt loca passim in sacris literis. Iam mihi uidete quomodo uestrum hoc institutum respondeat mandato Christi: uidete quò uos abduxerint uestri doctores. Christianorum sanè est, pati & subire crucem, non repugnare, non ulcisci, non gladio ferire: quid autem simile in uobis conspicitur? Ardua cum primis est Christiani nominis professio, & uix pauciss imi re præstant ipsa quod debēt. Quod ut pleniùs intelligi possit, exemplum uobis afferam huius, de quo loquimur,

turis. Vt Dominum & magistrum suum Petrus defenderet, seruulum Pontificis ferijt: non ne iusta causa, quum illi non modo uitam Christi peterent, sed eius quoq; discipulis, Euangelij doctrinam, in qua salus erat ipsorum posita omnis, auferebant, sublato nimirū præceptore Christo? Talis uerò tamq; atrox iniuria uos nondū perculit: sed quid interea Christus? Iubet abstinere Petrum à defensione, graui lata sententia in eos qui gladio feriunt, hoc est, qui contempto Magistratu uindictam priuatim exercent. Quid ipse, quum affigitur cruci, quum docendi munus à Deo Patre mandatum exercere prohibetur? Nimirū fert patienter, rem omnem Deo Patri committit, eumq; pro suis percussoribus deprecatur & orat. Hæc uestigia sunt imitanda uobis, aut deponendus est hic tam speciosus titulus. Quod si Christi exemplo insisteretis, patefaceret se Dei potentia: & sicut post indignissimam Filij sui mortem, longè lateq; propagauit Euangelium, inuictissimis licet omnibus aduersarijs, ita quoque uos haud dubiè respiceret, & salutarem doctrinam abundè largiretur. Nunc uerò, quandoquidem armis res administratur, nec obtinebitis quod uultis, arma uobis de manibus excutientur. De meipso nunc etiam aliquid dicam. Oppugnauit me summis uiribus totus orbis terrarum, & tamen quo fuit ipsorum omnium impetus uehementior, eò fecit maiores progressus mea doctrina. Quid ita? nihil egi uiolenter, nullum excitaui motum: non fui cupidus uindictæ, sed Magistratum ciuilem reuerenter colui: scriptis etiam meis ornaui quantum in me fuit: & quod præcipuum est, rem Deo committens, in ipsius potentia totus acquieui. Sic adeò seruatus sum in hunc usq; diem, fremant licet Pontificij, omnesq; aduersarij, & simul mea doctrina multos ad populos dimanauit. Vos autē importunè iam irruitis, & dum promouere uos negotium putatis, quantū interatis impedimenti non animaduertitis. Hæc autem eò spectant, ut titulum illum & nomen Christianum à uobis ablegetis in ista causa: quam etiamsi defendertis optimam, tamen ut suprà docuimus, homini Christiano, nec pugnare licet, nec malo resistere. Hunc ergo titulum atq; cognomen uobis non tribuam, nō cōcedam. Neq; tamen hoc ipso uelim purgare Magistratum: nam iniqua multa faciūt, & agnosco: sed nihilominus à Christiani nominis professione hęc uestra longè remota est actio. Quod si uerò nomen illud obstinatè retinebitis, & hoc ueluti fuco uestram causam adumbrabitis, aduersarium me uobis profiteor, quia sub Euangelij prætextu planè diuersum à doctrina Christiana facitis. Itaq; Deum precabor, ut uos benignè respiciat, & uestrum hoc institutum euertat. Nec enim obscurò hoc intelligo, diabolum id moliri, quandoquidem per Pontificios hucusq; opprimere me non potuit, ut per istos me conficiat atq; ingulet sanguinarios concionatores. Ergo precibus instabo, sicut dixi: quanquā sanè malim ita uos comparetis, ut ne mihi sit necesse precibus aduersum uos agere. Nam etsi peccator sum, tamen & iustam esse precationis meæ causam, & exaudiri quoq; meas preces, nihil dubito. Vult enim Deus nomen suum sanctificari, & nobis etiam sic orandum esse commonstrauit. Hortor itaq; uos atque etiam oro, ne precationes meas & aliorum despiciatis: quid enim possunt & efficiant, uestro certè maximo malo sentietis. Talem uerò fiduciam ad precationem uos nullam afferre potestis. Nam & Scriptura & mens ipsa male conscia uobis ostendunt, actionem hanc uestram esse prophanam & impiam. Ex uobis oro, quotusquisq; Deum implorauit in ista causa? Vix ullus, opinor, imò salutem omnem in copijs & armis positā esse putatis. Qui uerè sunt Christiani, nihil agunt uiolenter, sed tolerant, precibusq; Deum solicitāt, ut omnium temporum uiri sancti suo nobis exemplo demonstrant. Nam & salutaris est hæc unica ratio, & menti summam tranquillitatem affert. Nunc ergo, quoniā hanc negligitis, quia neq; preces ad Deum effunditis, neq; patientiam ullam præsta-

tis, &

tis, & à dobis omnia petitis atque speratis ipsi: non est quod ullum Dei beneficium expectetis. Fieri quidem potest, ut cõniuente Deo sit aliquis uester successus: uerùm id omne demum in uestram recidet perniciem. Ex ijs quę huc usque recitauimus, facilè est ad postulata uestra respondere: quæ etiam si niterentur æquitate, & iuri naturæ essent consentanea, tamen præcipua sui parte non consistunt: quia Magistratui uultis ea per uim extorquere: quod ipsum & cum æquitate & iure communi pugnat. Is autem qui uobis ea conscripsit, non est uir bonus. Nam loca Scripturæ quibus uos accendit, & periculis obijcit, non integrè recitat, neque bona fide: & propius inspecta, nihil adeò pro uobis faciunt, ut etiam uehementer impugnent. Iactatur hoc à uobis præcipuè, doctrinam Euangelij uobis eripi: sed planè fieri non potest ut ab Euangelio quis arceatur. Hæc enim doctrina non est ulli certo alligata loco, sed liberè per orbem terrarũ uagatur & oberrat, sicut illa stella quæ Magis ab oriente sole profectis effulsit, &, quo loco Christus esset natus atque recumberet, ostendit. In Magistratus quidem est potestate ab eo loco ubi docetur Euangelium, aditu quem prohibere: sed in nobis etiam positum est, uertere solum, & alijs in locis doctrinam hanc prosequi. Locus ipse non est à nobis ui retinendus aut occupandus: uerùm relinquendus Magistratui seu domino, & commigrandum alio, sicut Christus ipse docet. Quod est primum in uestris postulatis, de constituendis Ecclesiæ ministris: rectè quidem habet, si rectus accedat ordo. Nam si bona quibus aluntur Ecclesiæ ministri, profecta sunt à Magistratu, iam populo non licet illa tribuere cuilibet: sed primum rogandus est Magistratus ut pastorem constituat. Si recuset, populus aliquem deliget, suisq; alet impensis. Si ne hoc quidem feret Magistratus, tum qui delectus est à populo, fugiat, & unà cum eo qui uolet. Si secus fiat, non potest abesse scelus & iniuria. Quod ad decimas pertinet, iniquissimum est. Quid enim hoc est aliud, quàm Magistratum abrogare totum? Liberalitatem colite, sed de uestro, non alieno: Sic prorsus agitis, ac si dominia rerum in uestra essent manu. Qua quidem ex re facilè potest intelligi, quid uestræ sit mentis atque consilij, seruitutem etiam tollitis omnem. Quid hoc? Non ne Abrahamus & alij plerique uiri sancti possederunt seruos? Paulum legite, is uos erudiet, de seruis quid statuendum sit. Hoc ergo postulatum ad uim etiam atq; rapinam pertinet, & cum Euangelio pugnat. Nam qui seruus est, potest nihilominus esse pius, & libertate Christiana frui, sicut is qui captiuus detinetur, aut ægrotaret. Vos eò spectatis, ut omnium sit eadem conditio, sint omnes æquales: hoc autem est absurdum & ineptum. Nam hæc uita ciuilis, & administratio reipublicæ consistere non potest, nisi personarum sit discrimen, ut uidelicet alij sint liberi, alij serui, alij præsint, alij pareant. Quæ reliqua sunt de feris, de pascuis, de syluis, de fluminibus, de tributis, & id genus alia, iureconsultis relinquo disceptanda, nec enim ad officium meum pertinet, quod in eo uersatur, ut mentes hominum in rebus sacris instituam. Et hæc quidem est mea sententia consiliumq; uiri fratres, quod à me flagitastis: nunc uestrum erit, quia Scripturæ testimonijs uos obtemperare uelle scribitis, animum huc adijcere. Neq; uerò quum hæc ad uos perferentur, mox clamorem tollite, quasi Magistratui sim factus adulator, quasi non rectè doceam. Sed prius rem omnem, & cuiusmodi sint argumenta, quibus utor, diligenter expendite: nam certè uestra res agitur. In primis autem cauete ab ijs qui uos extimulant doctoribus. Noui totum hoc genus hominum: abducunt uos in præcipitium, ut honores ac facultates uestro periculo consequantur.

Causa cur falsum titulum, quo se uenditabant, tantopere illis obijcit, hæc erat, quod in suis illi literis omnibus, quum ad societatem alios inuitarent atque cogerent, ad arma se uenisse iactabant præcepto Diuino, & reipublicæ chari-

tate quadam, ut Euangelij doctrina celebretur & augeſcat, & retineatur, ut ue-
ritas & iuſtitia, & uitæ honeſtas propagentur, & ut ſibi ſuiſq; cõſulant, ne qua
ui deinceps opprimantur. Quumq; ad hunc modum ſui facti rationem expli-
caſſent, paucis uerbis mandabant uicinis, ut ſtatim & è ueſtigio ſumptis armis
accurrerent, opemq; ferrent: ſin minus tum ſe, quam primum ad ipſos cum co-
pijs omnibus eſſe uenturos minabantur. Cæterùm, quum ad hunc modum ijs
reſpondiſſet Lutherus, Principes etiam & nobilitatem ſcripto commoneface-
ens: Vobis (inquit) ſolis acceptum ferri debet quidquid eſt hodie turbarum.
Vobis autem in primis qui titulum habetis Eccleſiæ, qui ne hodie quidem ad-
huc definitis Euangelij doctrinam perſequi, & quidem contra conſcientiam.
Deinde uos qui ciuilem obtinetis Magiſtratum, hoc unum agitis, ut quocun-
que modo compilata pecunia uobis ſuppetat ad omnem luxum atque ſuper-
biam: ita quidem, ut miſerum uulgus hoc tantum onus tolerare amplius non
poſsit. Imminet ſanè uobis longè grauiſsimum periculum, & quaſi leniter ſu-
ſpenſus gladius impendet ceruicibus ueſtris: & tamen ſic eſtis interea ſecuri,
quaſi nemo poſsit uos deturbare loco: ſed hæc ipſa ſecuritas erit uobis haud
dubiè perniciosa. Contemptum aliquando Deus effundit in uiros Principes,
ut eſt in Pſalmis. Admonui uos non ſemel, ut ab eo malo diligenter caueretis:
uerùm ultro procurritis ad interitum, nec ullo uos mouet admonitio. Redun-
dabit igitur in ueſtrum caput ira Dei, ni uitam emendabitis. Quæ paſsim con-
ſpiciuntur & accidunt prodigia, nihil fauſti denunciãt. Efferueſcentem in nos
iram Dei facilè poſſumus ex eo cognoſcere, quod falſis doctoribus tantum in
nos permittit: ut uidelicet in errores atq; tenebras abducti, meritò plectamur.
Huc iam accedit iſta ſeditio popularis, quæ Germaniam funditùs perdet, niſi
precibus noſtris Deus exoratus, medicinam adferat. Is autem eſt hodie rerum
ſtatus, ut hunc ueſtrum dominatum homines nec poſsint nec uelint, neq; fanè
debeant ferre diutius. Transformari oportet uos omnino, & Verbo Dei cede-
re. Quod ſi plebs in hoc tempore non perficiat, alij ſuccedent. Ac licet plerique
omnes à uobis interficiantur, tamen nouos excitabit Deus, qui negotium hoc
agit, & bellum uobis facit, & impietatis ueſtræ pœnam expoſcit. E' uobis non-
nulli iactarunt, omnem ſeſe fortunam & facultates impenſuros in hoc, ut do-
ctrina Lutheri tollatur funditus. Quid autem? Non'ne iam eò res deducta ui-
detur? Abſit ridiculum in hiſce rebus. Dicebant olim ludæi, nullum ſe regem
habere: ſed eò demum recidit ipſorum reipublicæ ſtatus, ut in perpetuum rege
careant. Neque uerò contenti ſuperioribus delictis nonnulli ueſtrûm, Euange
lio nouam faciunt contumeliam, & quidquid hoc eſt turbarum, meæ doctrinæ
ferunt hunc eſſe fructum. Agè, pergite ad hunc modum inſectari, cuiuſmodi ſit
mea doctrina, quæ uox Euangelij, non uultis cognoſcere: quod eſt obſtinati
animi ſignum. Equidem inde ſemper ab initio docui modeſtè, & à ſeditioni-
bus uehementer abhorrui, & populum magno ſtudio ſum hortatus ad obe-
dientiam Magiſtratui exhibendam: imò etiam ut ſæueram ueſtram domina-
tionem tolerarent admonui, eiusq; rei teſtimonium uel ipſi uos dare poteſtis.
Non eſt igitur à me profecta iſta ſeditio: uerùm ſanguinarij iſti prophetæ, qui
ſunt mihi non minus quàm uobis inimici, peſtem hanc inuexerũt, circumuen-
ta plebe: perq; triennium & amplius eo rem iſtam agunt: nec interea quiſquam
illis ita reſtitit, ac unus ego. Si iam Deus atrocitati ueſtræ cauſa, ſathanæ per-
mittit, ut per eiuſmodi prophetas populi furorem in uos concitet, eoq; res de-
ueniat, ut facultas mihi tollatur impediendi malum hoc & tempeſtatem, quæ
(cedo) culpa uel in me, uel in Euangelium transferri poteſt, quum hæc ipſa
quam profiteor, doctrina, non modo ſæuitiam ueſtram perferat hucuſque, ſed
pro uobis, etiam preces ad Deum effundat, ueſtrumq; ſtatum ad uulgus orna-
rit ſemper,

rit semper, & summis commendationibus defenderit? Quod si iam cuperem ulcisci quas mihi feciſtis iniurias, riderem in ſinum, eſſem huius tragœdiæ ſpectator, aut coniungerem me furenti plebi, & quod dici ſolet, oleum adderem camino, & eſſem tanquam unguis in ulcere. Magnopere ergo uos oro, uiri Principes, ne mea uobis admonitio ſordeat, neue ſeditio uobis hæc uideatur leuis: non ſanè quod timeam ne uos illi opprimãt: nec enim metuere uos iſtud uelim, ſed ut ira Dei ſit uobis formidabilis. Nam ſi pro merito uos ulciſci cogitat (ut quidem metuo) non effugietis periculum, etiamſi minimæ ſint hoſtium cohortes. Itaq; ſi quis adhuc locus eſt conſilijs, oro cedite furori, & imminentem procellam ſapienter depellite: & quoniam incertus eſt euentus, tum quia quæ ſit Dei uoluntas ignoratur, omnia uos prius experiri decet, & cauendum ne ſuſcitetur incendium, quo tota conflagret Germania. Nam certè flagitia noſtra, quibus aduerſum nos iram Dei concitauimus, in conſpectu poſita ſunt, ita quidem, ut ad leuiſsimum quenq; ſtrepitum ſit nobis expaueſcendum: mitto quum tantus hoſtium numerus coaleſcit, & uim intẽtat. Lenitas & clementia nullum uobis afferet diſpendium: & ut afferat, magno tamen cum fœnore poſt omnia reſtituet: uim autem ſi adhibebitis, de ſumma forſan rerum erit periclitandum. Et quum alijs rationibus multo plus conſequi liceat, cur aleam hanc atque diſcrimen ſubire uultis? Poſtulata propoſuerunt ad duodecim, è quibus aliqua ſunt ita rationi & æquitati conſentanea, ut meritò uos pudere debeat: ſed tamen ad ſuum emolumentum illi referunt omnia, neque ſatis rem demonſtrant, & ſunt alia multo maiora quæ uobis obijciantur, quæ ad rempu blicam Germaniæ pertinent. Ea quodam in libro diligenter explicauimus. Vos autem quibus ea proprie cõſcripſimus, quoniam illa repudiaſtis, iam multo duriora ſuſtinetis, & ueſtro quidem merito. Poſtulant in primis, ut legitimè conſtituantur miniſtri, qui Verbum Dei doceant. Et quanquam hic ad ſuum priuatum commodum ſpectant, quando ſumptum uolunt ex decumis alienis ad eam rem præberi, tamen denegari quod petunt, nulla ratione poteſt: nec enim ulli magiſtratui licet ſuos ab Euangelij doctrina ſubmouere. Cætera quæ pertinent ad ſeruitutes, & id genus alia, nituntur & ipſa ratione. Magiſtratus enim eſt non affligere, non diuexare populum, ſed fortunas illius atq; commoda potius tueri & conſeruare. Iam uerò nullus eſt explicationum modus, quæ res ſanè diuturna eſſe qui poteſt? Quod ſi homines ruſticani, fructus annuos è ſuis prædijs atq; fundis percipiant uberiores expectatione, Magiſtratus autem & dominus tanto plus exigant ab ijs tributi, atq; hæc omnia ſummo cum luxu profundant, quid (cedo) commodi redeat ad miſeros, aut quantula ex parte ſit illorum facta melior conditio? Sanè coërcenda eſt omnis hæc profuſio, & reſecanda luxuries, ut illis etiam, quo uitam tolerent, aliquid ſupereſſe poſsit. Quod reliquũ, ex ipſorum literis iam diuulgatis accepiſſe uos puto. Sic utriſq; ſigillatim commonefactis, & communem illis epiſtolam ſcribit, & quod malam utriq; cauſam tueantur, monet, ut ab armis diſcedant, & diſceptatione cauſam finiant. Magiſtratui quidem demonſtrat, quàm tetri ſemper fuerint atque funeſti tyrannorum, plebi uerò quam infœlices & calamitoſi ſeditioſorum, exitus, qui ſumptis armis in Magiſtratum proterui fuerunt. Vnum in primis deplorat, quod quum utrinque mala conſcientia belligerentur. Principes quidem ut ſuam atrocitatem confirment, alij autem ut quod cupiũt, ſeditioſè perficiant: animæ iacturam faciant omnes quicunque hoc in bello cadunt. Deinde Germaniæ uicem deplorat, quæ ciuili hoc bello ſit interitura prorſus: facilè quidem arma ſumi, uerùm non ita facilè, quum uolumus, deponi. Monet igitur ut abſtineant, neque tam perturbatum atque cruentum reipublicæ ſtatum, poſteritati relinquant: armis nihil ad diuturnitatem perfici poſſe, ſed emenda-

tione uitæ ac ratione plurimum. Hortatur ut per uiros bonos utrinq; delectos causa disceptetur. Magistratus de summo iure aliquid remittat: plebeij uicissim acquiescant rectè monentibus, & à postulatis nonnullis etiam discedant. Hoc suum esse consilium: cui nisi pareant, se fore utriusq; ruinæ spectatorem. Nefas enim utrinq; uersari, & bellum esse plebi contra Principes, ut in oppressores ipsorum salutis atq; fortunæ. Magistratum inuicem conflictari cum plebeijs ut cum latronibus, & ijs qui nomini Christiano contumeliam faciant. In hac ipsorum obstinata ferocia se rogaturum esse Deum, ut aut concordiæ etiam ostendat, aut utriusque partis consilia retundat & conatus. Quanquam tot nunc editis prodigijs, ualde se formidare, & in magna uersari solicitudine, ne iam ira Dei mitigari possit atq; depelli: non magis quam tunc, quando per Ieremiam denunciauit, offensionem & iram ne sanctissimorum quidem uirorum precibus condonare se uelle, quo minus populum Iudaicum affligeret: nihil ergo magis optare se, quàm ut resipiscant, & Deum uereantur, quo saltem calamitas iam impendens differri possit atq; mitigari. Cæterùm Rustici, ut plerics; mortalium ad mala quàm bona uitio naturæ procliniores esse solemus, postulatis seditiosorum cognitis, nec piorum doctorũ admonitionibus, nec Magistratus se ad id quod iniquum esset emendationem offerentis pollicitationes, à uæsana sententia abduci poterant, sed postulatorum istorum importuna inculcatione, & spe amplificandæ rei familiaris, & opimioris fortunæ (omnes namq; maximarum diuitiarum spem animo conceperant) seducti, in proposito suo peruicaciter perstitêre. Quo factum est, ut hoc seditionis incendium indies magis magisq; crescceret, & hac illac non secus ac fluuius nymborum procellis redundans in plerasq; nationes diffunderetur, nullo subditorum uel fidei uel iuramentum Magistratui præstitũ, uel periculosum & infœlicem rerum exitum ad animum reuocãte, sed incredibili & inaudito furore omnibus ad arma contra legitimum Magistratũ prosilientibus. Inter hos uerò Georgio Metzlero caupone, Castelli Ballenbergensis, Moguntinæ diœceseos ad Nigram syluam, quà Franconiam spectat, auctore, Catilinarijs facinoribus aptissimo, utpote qui alea, luxu & helluatione totum ferè uitæ tempus transegisset, primiru stici Odovualdenses ad Nigram syluam (obducta causa quasi doctrinã Euangelij tueri, & libertatem Christianam defendere uellent, cùm re ipsa nihil aliud molirentur, quàm ut tam diuinas quàm humanas leges & cõstitutiones prorsus abolerent, & publicam pacem ac tranquillitatem turbarent) instar apium examina circiter diem Dominicum usitato Ecclesiæ more, Lætare dictum, maximè ex territorio Rotenburgico, numero circiter duo millia confluunt. Post eos uerò deinde ex Palatinatu, Moguntina & Herbipolensi diœcesibus Rustici, cum multis ordinis Teutonici Magistri, aliorumq; nobilitũ subditis, eôdem accurrunt, & in quadam ualle ad Nigram syluam sese coniungunt, dicto Georgio Metzlero summo duce delecto, etsi alij peritia rei militaris ipso longè excellentiores, adessent. Distributis ergo munijs & officijs militaribus & cæteris necessarijs ad expeditionem paratis in campum progressi, mox obuia deprædantur, & uicinos ui ad societatem belli compellunt, eam coire detrectantibus, omnia hostilia denunciantes. Mergentheimium deinde Magistri Teutonici ordinis oppidum profecti, à ciuibus deditionem efflagitant. Hi uerò cum antea aduersus Magistratum suum rebellionem tentassent, facilè postulata faciunt. Siquidem paucis diebus antè Abbatis in Schonthal ædes, quas illic habebat, ciues circiter quingenti occuparant, & per biduum in ijs cõmorati, quinq; uches uini potando exhauserãt, ac Magistratui de causa seditionis quærenti, hoc responsi dederũt, cupere se librum in quo tributa cõtinerẽtur descripta, sibi exhiberi, & quidquid in eo iniquũ uideret pro ipsorũ arbitrio corrigi. Ita Rustici

nulla

nulla ui adhibita Mergentheimi intromissi, in arcem irruunt, ibiq; commeatu affatim reperto ad aliquot dies subsistunt, genio indulgent, sibiq; placentia inter se dispertiuntur. Vicinos aliquot Comites, Barones & nobiles sollicitatos in suam societatem pertrahere conantur. Arcem deinde supra Mergentheimiũ ad Tauberum sitam, ditionis Magistri ordinis Teutonici, Nouam domum dictam, ui capientes, quidquid in illa inueniunt, diripiunt, post eam flammis exu stam, solo æquant. Hisce facinoribus Magistri ordinis Teutonici iurati, & domestici, quos suo pane alebat, interfuêre. Prætereà monasterium Schontal occupantes, monachis correctis, quidquid in monasterio frumenti, uini, cibariorum, pecorum, domesticæ suppellectilis erat, abducunt: libros lacerant, fenestras frangunt, ad animi sui lubitum nihil non designantes & fraternam suam dilectionem, more Turcico potius quàm Christiano prodentes. Quibus illic perpetratis in Comitatum Hohenloensem securo animo contendunt. Horum Comitum subditi, præcipuo Comitatus castello Oringen iam antè capto, & senatorij ordinis uiris in uincula cõiectis, officialibus claues portarum, eripuerant. Illis ergo sese coniungunt: Inde porrò progressi, Nevuenstenium, Alberti Comitis Hohenloensis sedem, rectà mouent, eamq; capiunt: & cum Albertus unà cum Georgio fratre euasisset, arcem sine ulla difficultate in suam potestatẽ redigunt: Comitis coniugi in ea comprehensæ, quę supplex pręcipuis illorum capitaneis facta, lamentabilibus uocibus gratiam aliquam inuenturam sperârat, nulla erga ipsam commiseratione affecti, reliquisq; Domini sui ministris custodiæ traditis, omnem potestatem acius administrationis adimunt. Cum uerò Comites quorundam intercessione literas fidei publicæ nûmmo Palatinẽsi obsignatas, à Rusticis accepissent, utraq; pars in colle quodam à uallibus cognominato, conuenit. Quò Rustici machinis bellicis omnibus, quas Nevuestenij & Oringæ deprædati fuerant, secum aduectis, Comitibus exponunt totum exercitum unanimi cõsensu & uoluntate ab utroq; comitum, seriò postulare, ut in duodecim illos, quos ex monasterio Schonthal, ad ipsos trãsmiserint, articulos iurent: simulac omnes quos captiuos detineant, sine ulla fideiussione liberos atq; tutos dimittant: hoc suis literis & instrumentis traditis confirment, ac promissa centum annos & unum rata firmaq; seruent. Væsani namq; Rustici nouum aliquod, diuturnum ac stabile somniabant imperium, ignari suam audaciam, atq; nefarios conatus celeriter corruituros. Comitibus itaq; in conditiones à Rusticis propositas metu consentientibus, ipsi circiter duo millia bombardarum manualium displodunt, ac Comite de tormentis arce ipsius abductis compellato, ijs acceptis, discedunt.

Posteà cum multos nobiles & alios in factionẽ suam, partim spontanea uoluntate motos, partim ui compulsos pertraxissent, ad Tauberum recedũt, Episcopi cellas capiunt. Similiter Laudam ciuitatem, & arcem, ubi ciues in suam fidem adactos, suo fœderi adscribunt: arcem uerò diripiunt, & funditus delent: ac illam regionem peruagati, Mergenthemij rursus per aliquot dies castra habent.

In hoc rerum statu, contagio mali pernicioſissimi etiam ad alias oras serpit. Nam in quodã pago, Bockinga uulgò appellato, nec longè Hailbrunna sito, Rustici circiter mille ducenti, de rebus gestis Odenvualdici agminis certiores facti, circiter diem Dominicum Quadragesimæ, qui Iudica appellatur, caterua tim confluentes, inter Hailbrunnam & Sunthemũ, Teutonici ordinis pagum, uado reperto, Nicrum transeunt: ac Rusticos Sunthemi in suam cõfœderationem adigunt: post Gartachium canonicorum Brussellensium pagum ingressi, uinum in cellis uinarijs horum repertum exhauriunt: adiacentes in illa regione pagos de fœdere cum ipsis feriendo compellãt, id ni faciant eis extremũ exitiũ comminantes.

comminantes. Ac hisce minis multos bonos, nihil minus quàm rebellionem cogitantes ad se pertrahunt, Bilstenium inde & Botvuarum progredientes. Cum autem res ex animi ipsorum sententia non penitus illic succederet, Sunthemum regressi, ad Erlinbacum & Bisevuangum ditionis Magistri Teutonici ordinis, pagos castra figunt: ibi aliquamdiu commorati, nihil aliud memoria dignum gesserunt, quàm quòd aliquot uiciniores pagicos ad suum fœdus pellicientes, uoti compotes euaserint: inde Oringam mouentes, Odenvualdico agmini se coniungunt. Quo facto, Nicrulmam oppidum ditionis Magistri ordinis Teutonici, nō procul Hailbrunna dissitum, capiunt. Quod eo ipsis factu facilius fuit, quod plericq; ciues loci eius cum ipsis sentirent: ibicq; commeatus, uim cum primis copia reperta, partim extra, partim intra oppidum castra locant. Hinc ad unum milliare in montibus Vuinspergense oppidum, cum arce ei imminente, situm erat, ditionis Vuirtembergicæ: cuius incolæ contra fidem, iusiurandum ac omnem honestatem, horrendo atq; inaudito facinore in suum Magistratum cum agmine Nicrulmæ residente conspiratione facta, sese astringunt. Nam mera & extrema malitia ducti, non obsessi, non compulsi, sed equitibus pluribus quàm septuaginta illuc à Senatu Vuirtenbergico, duce Comite Ludouico Helffensteino præfecto Vuinspergensi, missis, muniti, agmini dicto auctores existunt, ut arci & oppido appropinquet: simul id referentes, quod de præsidiarijs urbis equitibus cognitum haberent. Id factum cum Odenvualdicis probaretur, ad uallem Vuinspergensem celeri passu noctu contendunt, ac in die Paschatos circiter nonam horam matutinam in oppidum magno uastoq; clamore, portis ui effractis, irruunt: & cum uiri fortitudine, generisq; nobilitate illustres, tam subitò præter omnem spem & opinionem ex improuiso opprimerētur, ut nec ad arcem confugere, nec ad arma uenire possent, circumuenti omnes in manus hostium ueniunt. Et cum perfidi ciues nō solum tumultuantibus Rusticis non resisterent, sed bombardas in altum cōuersas, in aērem exonerarent: castrum unà cum oppido sine difficultate capitur. Hisce ex animi sententia ita succedentibus, maiora & crudeliora aggrediuntur. Etenim cum in suo communi Concilio (ut id appellabant, & ad centum & unum usq; annū duraturum iactitabant) constituissent, se nulli Principi, Comiti, Baroni, nobili, equiti, sacrificō, nulli denicq; monacho, aut alijs ociosis hominibus huius uitæ lucem concessuros: sed eius generis homines comprehensos, tanquam pecora trucidaturos, ac crudelissima morte esse affecturos. Et quò suorum fratrum à Sueuici fœderis exercitu cæsorum necem uindicarent, ac nobilibus, alijsq; terrorem incuterent, Comitem Helffensteiniū, Vitum Schenck, Conradum Vuellerum, Sebastianum ab Avuen, Georgium Kalten, nobiles & alios captos contra belli iura, morem militarem, & ius gentium, aspero atq; crudeli supplicij genere, supplicibus eorum precibus spretis, interficiunt, & hastis utrinq; proiectis, confodiunt.

Inter hos cum Theodoricus à Vuiler, uir corpore robusto, & magno animo præditus, pro uita conseruanda in turrim templi cōfugisset, Rustici eum in eius summitate confossum, inde in cœmiterium præcipitant, & tanta rabie grassantur, ut exceptis duobus uel tribus equitibus (qui habitu muliebri induti, in furnis & alijs latebris delitescētes salui euasērūt) reliqui omnes, tam iuuenes, quàm senes miserāda morte interierint. Helffenstenij coniunx, Maximiliani Cæsaris filia notha, maritū necandū cōspiciens, bimulum infantem Ludouicū ulnis gestans, ad Rusticorū proiecta pedes lachrymarū ui maxima profusa, totiusq; corporis habitu miserabili, maritū sibi, ac filiolo parētē donari petebat. At illi ea reiecta, bimulū infantē in brachijs uulnerāt, ac fœminæ honestissimæ omnē mundum muliebrē, & quidquid haberet rerū precioſarū eripiētes, eam cum filiolo,

uirginibus

uirginibus gynæcei sui nobilibus currui stercorario impositam, Hailbrunnam deducunt. Cum uerò sceleratí nebulones miseræ illuderent, ac insolentissimis sarcasmis insultarẽt, dicentes: Eam aureo curru Vuinspergam uenisse, nunc autem mutata fortuna, curru stercorario inde deduci. Ipsa pia ac memorabili uoce edita, respondit: se suis delictis etiam maiora promeruisse, nec hac insultatione admodum turbari. Nam & CHRISTVM suum redemptorem, exultante atq; congratulante plebe in Palmarum die Hierosolymas ingressum: paulò post autem non suorum, sed humani generis delictorum causa, tanquam facinoroſum & maleficum condemnatum, & crucí affixum fuisse. Hoc sanè tam insolens, tam impium facinus omnium & consideratione, & commiseratione dignissimum est.

Hæc dum fierent, Guilielmus ab Habern, Palatini Electoris Marescallus equitibus circiter uiginti stipatus, ad Ludouici Comitis Helffenstenij postulatum, Mosbaco, ubi tum temporis ipse Vicarium agebat, Electore assentiente, Vuinspergum proficiscitur cum Comite quædã negocia transacturus. Verum, cum non procul Vuinspergio montem iam cõscendisset, & facinora Rusticorum in arce & oppido designata cognouisset, ignarus internecionis equitum præsidiariorum, regreditur, Mosbacum ad suos equites rediturus. Ibi fortè in Rusticos circiter sexaginta bene armatos incidit, qui tumultuantibus Odenvvaldicis se coniungere decreuerant. Sed conatus ipsorum elisi fuêre. Nam & Marescallus ad unum usq; omnes cæcidit: aliquot ipsius equorum gratiter læsis. Rustici hoc facto cognito, indignantes, se auenam (Marescallum intelligentes: quod Habern lingua populari idem quod auena) probè uicissim excussuros ac cribraturos esse, etiamsi ipse Palatinus in arce sua Heidelbergæ foret interimendus, interminantur.

Rebus ad eum modum Vuinspergij, & rusticorum quidem opinione, bene feliciterq; gestis, ciuitate & castro prælidio munitis, ad Cœnobium monialium Lichtenstern perguntid capiunt, diripiunt, uastant, ac uini in eo copia reperta, partim id potando exhauriunt, partim fractis uasorum fundis, in terram effundunt: ac fenestris, cistis, foribus fractis, discedunt, cum moniales iam antè Hailbrunnam migrassent. Porrò cum Ludouicus & Fridericus comites Levvenstei nenses iuuenes rei indignissimè Vuinspergij gestæ atrocitate consternati, Leuenstenò profugissent, rustici eò profecti, omnem proteruiam exercent, comitum uinaria destruunt, feras, iaculis emissis, mactant & deuorant. Insuper legationibus ad comites missis, minantur, ni ipsi se sistant, cunctas ipsorum arces, ciuitates & uillas igni ferroq; funditus delendas esse. Quare ad auertendũ tam priuatum, quam subditorum damnum, uterq; comes Leuuenstenum ad Rusticos equo contendit: Rustici uerò eo uiso, comites eô compellunt, ut remotis equis, habitu rustico induti, ac albos baculos manibus gestantes, Leuuenstenò in medijs rusticis ab utroq; latere sepli, Hailbrunnam ad rustica castra pedites irent, ac illic de pace agerent.

Sub idem tempus Rustici Schembergũ, ordinis Teutonici Magistri arcem exiguo labore expugnant. Etsi autem eadem arx satis esset munita, metu tamẽ & perpetratis Vuinspergij facinoribus territi, omnes inde emigrarãt. Reperiũt ergo in illa penum planè regium, quo direpto, arcem incendunt atq; diruunt. Post hæc tota factio Hailbrunnam petens, monasterium Carmelitarum, extra ciuitatem uersus montes positum, capit: reperta in eo diripit, pòst solo æquat, mox ciuitati bellum denunciat, atq; deditionem fieri flagitat. Quanquam autem ex ea re Magistratus non nihil commotus, de capiendis armis cogitaret, quo facilius Rusticorum conatus reprimeretur: tamẽ refragante plebe, sententiã mutare coactus fuit. Etenim plebeij homines, rustico bello ardente, prædæ

cupiditate

cupiditate atque dulcedine, Senatui sese opposuerant, ac irruptione in Teutonicam domum facta, libidinem suam strenuis compotationibus expleuerant: minimè contenti liberalitate Commendatoris, qui panem & uinum largiter & promptè se præbiturum illis obtulerat. Dum igitur Senatus contumaces ciues à proposito abducere, & coërcere nullis rationibus posset, compulsus est tandem instantibus, & seriò id petentibus Rusticis portas patefacere, ac certo numero eos intromittere: qui nisi id fieret, uinearum omnium depopulationem oppidanis minati fuerãt. Intromissi igitur, alimenta cum alijs necessarijs rebus consequuntur, & Cœnobia, Ecclesiastica bona, & ab exteris Ecclesiasticis, nobilibus & alijs hominibus, præcipuè uerò in domum Teutonicam Hailbrunnæ importata, prædæ exponunt. His Hailbrunnæ perpetratis, cõsilium ineunt de suscipienda in ordinis Teutonici Magistrum expeditione. Quarè circiter diem Dominicũ Quasimodo geniti, ut more Ecclesiæ dicitur, præludiarijs quibusdam Nicrulmæ relictis, Gundeshemum Magistri Teutonici ordinis sedem contendunt: At is cum omnibus aulicis, & supellectile præciosiore Heidelbergam se receperat, eorum aduentus metu. Id igitur oppidum cum arce facilè expugnantes ibi relicta, præsertim uerò mediocrem uini, frumentiq; copiam repertam diripiunt ac arce penitus euersa ac diruta, ibi aliquot dies subsistunt: uicinis pagicis in suam societatem pellectis. Vendentes, quæ deprædati fuerant frumenta, & alia supellectilia, ac unà cum ipsis, quòd nulla illic commeatus penuria esset, genio more Rusticorum indulgentes. Inde tandem progredientes, circiter diem S. Marci ad Schefflenzerinam uallem, postea in ditionẽ Moguntinam pergunt, ac Amerbacum monasterium capiunt, diripiunt & uastant: Et cum nouem ciuitates in diœcesi Moguntina ad Nigram syluam & Mænum sitæ, cum illis coniuratione facta, se coniunxissent, cum alijs aliquot subditis, Vicarium Moguntinum, Guilielmum Episcopum Argentinẽsem, Aschaffenburgi obsidione cinctum urbe capta ad pacem secum ineundã compellunt. In qua re ciues ipsis præclaram operam nauasse dicuntur, qui, pagicis eius ditionis in oppidum receptis, sacerdotum ædes iam antè assignarant: Quo factum est ut Vvilhelmus Episcopus Argentinensis, Moguntini Electoris Vicarius consensu & uoluntate Capituli maioris Ecclesiæ Moguntinę, pacis amore, & maioris damni euitandi gratia, intolerabiles cõditiones à Rusticis propositas acceptaret. Namq; non solum in generalia Rusticorũ postulata ab ipsis hinc inde spar sa, sed & alia multo duriora, quæ à uiris bonis ac eruditis in posterum ad onerũ publicorum subleuationem statuerentur, cõsentiendum ei erat: inter quæ hæc speciatim exprimebãtur. Nulli subditorum siue in ciuitatibus, siue in castellis, siue pagis crimini futurum, quod postulata Rusticorum receperit, ac his se adiunxerit. Præfecturam duorum oppidorum Bischoffsheim & Kulsheim à Magistratu locorum administrandam, quo ad alia forma administrationis instituatur. Singulas & uniuersas Moguntinæ diœceseos ciuitates, ijsdem conditionibus quibus nouem Odenvvaldicas censeri debere, ab ijsdem singulis congregationis Christianæ ducibus non solum obedientiam, sed & securitatem cum rebus necessarijs præstandam. Dicta congregatione ad sui defensionem auxilijs indiga, cuilibet oppidanorum ac pagicorum liberum fore quacunque ratione, uel corpore, uel re, uel alia ratione ei succurrere: Habitum omnium sectarum in monasterijs, tam mulierum quàm uirorum abrogandum, id ni fiat, communitati eius executionem liberam fore. Clericos & monachos habitu usitato utentes hisce conditionibus excludendos. Clerum diœceseos Moguntinæ congregationi intra quatuordecim dies, ubicunq; locorum degat, quindecim millia florenorum in auro dependere debere. Odenvvaldico tamen clero, qui antea satis mulctatus fuerit, à contributione immuni. Nobiles

Moguntinos

Moguntinos intra ſpatium menſis in caſtris dictæ congrẽgationis Chriſtianæ comparituros, ut reliqui equeſtris ordinis fecerint: Si quis id facere renuat, offendenti eum id impunè futurum. Hæc Miltenburgi acta fuere die Dominico, qui Eccleſiæ more, Iubilate nomen habet, nomine capituli & cleri Vicario & Laurentio Truceſio Decano, Ruſticorũ uerò Gotfrido de Berlingen & Georgio Metzllero Ballembergenſi ſubſignantibus. Conditionibus ab utraq; parte ſubſignatis, Ruſticorum duces ſtatim octo ex ſua factione in ciuitates & pagos Moguntinę diœceſeos ablegant, qui iuxta tenorem conditionum omnes ſubditos Moguntinos iureiurando adigunt, quod cõditiones inter capitulum Moguntinum & Chriſtianam congregationem initas bona fide ſeruare, congregationi adhærere, eius commoda promouere, nec portarum claues, niſi cõſulibus & ſenatoribus permittere uelint. Legati erãt Georgius Vuigandus Bifchofheimenſis, Ioannes Schemingius Aſchaffenburgenſis, Andreas Kreſſen Miltenburgenſis, Martinus Boslerus Buchenſis, Chriſtianus Becker Hailbrunenſis, Leonardus Stehel Oringenſis, Petrus Helpenius Neckerſulmenſis, & Martinus Bavvr Ballenburgenſis. Circiter hoc idem tempus & Rincgauiẽſes, de oneribus quibus cum ab alijs tum uerò Abbate Erbachenſi premerentur, queſti, conſurrexere: Quo Vicarius Moguntini Electoris prædictus cum capitulo cognito, poſtulatis Ruſticorum fide data ſubſcribentes, die Sabbati poſt Dominicum, Eccleſię more Iubilate dictum, motus facilè ſedarunt. Poſtulatorum ſumma erat. Paſtores pios ac eruditos Eccleſijs preficiendos, qui liberè & citra periculum Euangelium doceant. Ideò ſe cupere ſibi ius eligendi ac remoueẽdi miniſtros in poſterum permitti. Grauatos ſe in hoc, quod aliquot pij atq; ſynceri miniſtri ob Euangelicæ doctrinæ profeſsionem, in captiuitatem in qua adhuc detineantur, abducti ſint, uelle ſe ne id deinceps fiat. Miniſtros extriceſi ma uini atq; frumenti, quam communitas à quolibet ſit exactura, ſuſtentãdos, ſi quid de ea ſuperſit, id in cõmodum publicum, & alimoniam pauperum erogandum. Decimas minores penitus abolẽdas, in locum maiorum triceſimam ſuccedere debere: Cum à ſubditis Rincgauienſibus Moguntiæ & Erenfelſij de bonis magno precio comparatis ſatis magnum uectigal ſoluatur, ſe poſtulare, ut id, quod Scharpffenſteinij inſtitutum ſit tollatur, nec nimium miſeri ſubditi grauentur. Omnes quotquot bona in Rincgauia habeant, ſiue ſint Eccleſiaſtici, ſiue ſeculares, nobiles, ſeu ignobiles, realia munera, aliaq; onera ratione eorum, ut reliquos ciues atq; colonos ſubire debere, niſi fide dignis documentis immunitas præſtationis probetur. Nullum ciuem Rincgauienſem, qui iuri ſe ſiſtere uelit Moguntiæ incarcerandum, ſed in loco domicilij conueniendũ. Ciues eoſdem à Moguntinis nullis nouis impoſitionibus, uel uectigalibus onerandos, ſed immunitate emendi & uendendi, qua ab antiquo uſi ſint, gaudere debere. Qui uinum propria induſtria cultum uendant, à collectarum ſolutione liberos eſſe, emptum uerò ab alijs uendãt, ab antiquo pendi ſolitas, præſtare debere. Propter cauſas ſeculares nullas literas excõmunicationis cõtra Rincgauiæ incolas decernendas, nec eas ab hiſce acceptandas, quemlibet uerò in loco domicilij in ius uocandum: Seruitũtem quam alij in liberæ conditionis homines prætendant, in Rincgauia abrogandam, ac ſolius Epiſcopi iuri quemq; obnoxium eſſe debere, bello, uel tumultu exorto. Vt Vicedominus (ut uocãt) Rincgauienſis ſuis ſubditis, ac hi illi tanquã Duci adſint, neceſsitatis eſſe. Cum uigore nonnullorum teſtamentorum, quæ tamen uel falſa, uel de iure inualida ſint ac robore careant, à multis cenſus ac penſiones exigant, teſtamenta ea antiquanda, nec cenſus amplius ſoluendos eſſe. Cenſus cuiuſcunq; rei, ſi inſtrumentis probentur, præſtandos, ſin minus iuſtè denegandos. Emptiones quoq; uini cum fraude & iactura uenditorũ pecunia indigentiũ factas, caſſandas, ac

pecunias

pecunias cõmodo tempore reddendas: Census pecunia constitutos, cum usuram sapiant, si dupli sint præstiti, abolendos, sin minus, tempore quo ad duplũ conscendant, pendendos. Si quis uerò eos redimere uelit: quadrantis florenj, aureis quinq; luitionem concedendam. Fructus beneficiorum, quæ quis pecunia compararit, nec ipsemet possederit, nulli soluendos, sed à communitate in usum publicum conuertendos. Iudæis ob prauitatem usurariam, domicilia deneganda, nec ratione usurarum ullam à iudicibus executionem faciendam, sed de sorte inquirẽdum. Cuilibet Rincgauiæ incolarum, lignorum & trabium ædificijs seruientium commercia, nihil obstante Moguntinorum cõtradictione, libera fore, ut ab antiquo fuerint. In monasteria utriusque sexus, nullos amplius recipiendos, sed ea deserere uolentibus, liberam emigrandi facultatẽ concedendam. Mulctarum ob iniurias uerbales, similiaq; delicta immodicum excessum, à iudicibus loci, ubi commissa fuerint, corrigẽdum & taxandum. Cum status imperij annatas Romano Pontifici nõ amplius soluendas decreuerint, ideò & se à mille aureorum pro redemptione pallij hactenus depensorum, solutione liberos esse uelle.

Cum cœnobium Dreffenthal tali loco situm sit, unde maximum periculum toti Rincgauiæ metuendum sit, nõnnas inde aliò transferẽdas, ubi ipsis desustentatione prospiciatur: cœnobium diruendum, ac reditus commodis publicis applicandos. Oneribus publicis portionem unam subtrahẽdam: ita ut qui hactenus tertiam dederit, in posterum quartæ solutione liberetur. Maleficis cõprehensis, ac eorũ confessione Vicedomino significata, hũc semper scire uelle, quæ iudicum inferiorum sententia futura sit: Eius propalationem, antequam reus auditus sit, iuri contrariam, & iudici oneroſam esse: Si uerò ea denegetur, sententię executionem denegari. Id moribus receptis, & communi commodo aduersari. Si quid rerum penes comprehẽsos ob delicta inueniatur, id, quibus ablatum est, restituendum: nullo uerò id petente, communi bono applicandũ. Causas transactione finitas, non aliò remittẽdas, sed executioni Electoris Moguntini relinquendas. Monachos mendicantes, & Stationarios, ut uocãt, nulla ratione ferendos. Viduis, orphanis atq; pupillis à cuiuslibet loci Magistratu prospiciendum: Pascua, flumina ac uenationes libera unicuiq; esse debere, exceptis tamen Magistratus priuilegijs atq; regalijs. Captos à iudicibus, uel Scabinis locorum relaxandos, nisi causa sit criminalis, Vicedomino etiam inconsulto. Vnumquemq; iudicem in Rincgauia ad onerum realium præstationem astringendum, nec maiorem illi libertatem, quàm uel ciuibus, uel nobilibus cõcedendam. Ad Abbatem Erbachensem quod attineret, is onerũ realium præstationem, æquè ut alij ciues subiret, nec ulla immunitate gauderet. Ouilia in Rincgauia, quibus in locis fundos coleret, abrogaret. Pascua quæ solus usurpasset dimitteret usui publico. Prædium Vuappense, quod Rincgauiæ maximum damnum parare posset, diruere, & id cõmuni utilitati nationis cederet. Censibus in Rincgauia renunciaret: Recens cõstitutis, quorum sors soluta nõ esset, ad tempus anteà præfinitum duraturis. Omnia testamenta de censibus ratione fraternitatis facta abolenda. De personis in monasteria recipiendis idem ab hoc quod à Vicario & Capitulo Moguntino fieri debere. Facultatẽ quoq; ex monasterijs, quam in prioribus conditionibus reseruarint, emigrandi cuilibet liberam fore. Ius Canonicum in nulla causa seculari admittendum, sed ius quo ciues loci utantur, usurpandum. Machinas bellicas ad usum publicum se confecturos, quæ per nobilitatem alioscq; deputatos, quolibet trimestri inspiciantur, & cura eorum habita asseruentur. Syluas à nemine in posterũ proprietatis iure uendicãdas. Alia si quæ à communitate Rincgauiensi statuantur, ea grata acceptaq; Erbachensibus futura. Hæc omnia, ut superiùs relatũ est, ram à

Vicario

Vicario & Capitulo Moguntino, quam Abbate Erbachensi eiusq; conuentu acceptata & subsignata bona fide fuêre. Nunc uerò ũt ad rusticos Aschaffenburgi relictos, à quibus digressi sumus, reuertamur: Illi ingluuie sua in Canonicorum ædibus satiata, inde recedunt, Franconicis, quorum circiter octo millia conuenerant, se aggregaturi, in itinere neutiquam maleficio abstinentes: sed Vuildenburgum & Limbacum arces incẽdio delentes, ditionem Georgij Comitis Vuerthemij ingrediuntur, eumq; ad societatem cum ipsis ineundam, & aliquot tormenta bellica subministranda (quæ postea in arce Vvurceburgensi reperta sunt) adigunt.

Hoc Franconicum agmen, circiter dies Paschæ confluere ex territorio Rottemburgico, & in ualle Tauberi primò conuenire, ac indies magis magisq; ex omnibus finibus cõcursu facto, augeri cœpit: ac initiò die Veneris post Pascha Rottinga, ubi primum se congregârant omnes, primo quoque diluculo tribus signis Buchartum petunt, eo consilio, ut equites, qui in uicinia circiter centum & triginta subsistebant, circumuenirent, & opprimerent: Verùm isti conatum horum repressuri, ipsis obuiam procedunt, ac in turmam quam Rustici præmiserant impetu facto, multos eorum antequam uniuersus exercitus appropinquaret, interficiunt. Quo facto, ab insectatione aliorum abstinentes, Vvurceburgum contendunt, Rusticorum aduentũ minimè expectaturi. Ea occasione tota Rusticorum factio Bucharti intromissa, arcem, in qua maximam prædam nacta fuerat, incendit. Hinc promouens, castra ad Avum extra oppidum metatur, ac Sainshemum & Raigerspergum castra similiter igne deuastant.

Die Lunæ post diem Dominicum constitutione maiorum Quasimodo geniti nuncupatum, Avuo relicto, castra ad Ochsenfurtum, non longè Vvurceburgo ad Mœnum situm, locant: ubi quingentos uini currus cum magna frumenti copia in cella Canonicorum Vvurceburgensium inuentos, diripiunt. Cõmeatu itaq; abundanter instructi, dies aliquot gulæ indulgent. Interea temporis magis magisq; ipsorum copiæ auctæ, Iphoniam die Veneris contendũt: ubi in prædio monachorum ante Bercklingam sito, magna commeatus abundantia reperta, & quam pluribus preciosis uestibus sacris, calicibus & alijs ornamentis Ecclesiasticis direptis, per diei spatium commorãtur. Et quia eiusmodi actionibus maximè capiebantur, nullas moras nectunt, uel à grassationibus abstinent: sed post diem Dominicum Misericordias Domini communiter appellatum, Iphonia Schvuartztagium usq; progredientes, monasterium extra castellum situm, oppido, quo ad amplitudinem nõ impar, inuadunt: ac in eius templo maximam uestium & preciosarum rerum copiam inuẽtam, deprædantur: & locum quieti commodum nacti, ad diem usq; Martis ibi considunt: post Geroltzhemum profecti, cellarium omni cibariorum genere refertissimũ aperiunt, spoliant, diruunt. Eadem illa nocte Stolbergum arcem direptam, incendunt. Subsequenti Mercurij die ibi permanentes, Bimbacum arcem Fuchsiorum, nobilium Franconicorum capiunt: in quo bona reperta hastæ subijciunt, arce igni deleta. Iouis die postero duces cunctis conuocatis, de obsidenda munitissima arce Bilsteina deliberant, ordinibus iam instructis, post multam deliberationem decretũ, non eam, sed Episcopalem montis diuæ Virginis Vvurtzburgi obsidendam. Igitur Vvurceburgum contendunt. Deinde ciues Geroltzhouienses in arcem eius loci irruentes, ac magna præda ditati, eam incenderũt.

Cæterùm priusquam factio Rusticana arcem Vvurceburgensem obsidione cingeret, consilio mutato retrocedit, & castra & monasteria, nimirum maioris Lanckhemij arcem, & cellarium, Steffansbergum, Sicherhusium, & Michelfeldum arces, diripit: Cœnobium monialium & Carthusiam, non longè Geroltzhouia distantia, incendit. Ac Lanckhemo repetens Ochsenfurtum, in littore

Mœni in nauem bonis quamplurimis Episcopi Bambergensis oneratam incidens, eam more solito deprædatur.

Dicto die Vvurceburgici & Kittingẽses cum alijs ditionis Marchionis subditis numero duorum millium coniuncti ad Rottenburgicam factionem conueniunt. Quare coniunctis utrinq; uiribus, die Dominico, uulgò Iubilate dicto, Ochsenfurto mouentes, rectà Vvurceburgum petunt, & ad uicum Haidingsfeld castris fixis, tria peditum signa destinant, quæ Gibesstadium, Ingolstadium & Grunfeldam arces diripiant, & destruant. Id quod diligenter factũ. Postero Lunæ die in ijsdem castris residentes Vvurceburgo, deditionem imperant, per biduum cum Canonicis ac equestris ordinis uiris Franconiæ, de pace tractantes. Cæterùm cum res amicè componi non posset, die Mercurij ex arce tormentis fulminari cœptũ est, sic ut nouem Rustici globis traiecti ceciderint. Inde uerò rursus à meridie eius diei usq; ad uesperam Saturni inducia pactæ, quibus durantibus de pace ageretur. Cæterùm ijs conditionibus reiectis, Rustici magna ui arcem oppugnant: & quia totius diœceseos Vvurceburgensis subditi ad eam rem faciles & alacres erant: adeò celeriter conuolarunt, ut in castris ad Haidingsfeldam circiter uiginti millia Rusticorum armatorum conspecta sint. Nec uerò intra hos limites seditio constitit, sed & ciues à suo domino deficientes, intromissis in urbem Rusticis, arci oppugnandæ, & tormentis infestandæ, operam suam præstant.

Aderat hisce Franconicis Rusticis & nobilis quidam Florianus Geier eques Francus, sicut Odenvualdicus Godfridus à Berlingen, qui an sponte, uel coacti se Rusticis consociarint, certò affirmari nequit. Rustici sanè ipsis ducibus & cõsiliarijs usi fuêre. Vnde multi arbitrantur, eos si inuiti castra ipsorũ secuti fuissent, facilè effugere potuisse. Cæterũ utut sese res habeat, Florianus paulo post conspõssus, exitum seditioso dignum sortitus est, at alter Rusticis profligatis atque ad officium redactis, die Martis post Assumptionis Mariæ ut uocãt, ad nobilitatem Franconicam Schvueinfurti congregatam, & Conradum Episcopũ Vvurtzburgensem literis missis sese purgare studuit, affirmans ad hoc à scelerãtis Rusticis, quorum potentia tanta fuerit, ut ciuitates quam plurimæ, comites & nobiles ei cesserint, se coactum esse. Gundelsheimio arci suæ perquam propinquo à Rusticis occupato, certis conditionibus se pacem ab ipsis redemisse: at postea contra eas adactum, ut stultitiæ ipsorum minister potius, quàm copiarum dux esset. Non se id facturum fuisse, nisi præsentissimum uitæ atque bonorum discrimen metuisset. Ac se in castra contra uoluntatem pertractum eorum consiliorum Rusticis auctorem fuisse, quorũ perpaucos pœnitere posset. Sua namq; opera & intercessione arces nobilium in diœcesi Moguntina, & ad Nigram syluam incendio ereptas, multorumq; uitam seruatam. Ad hæc cognito à Rusticis de occupanda ciuitate Vvurtzburgensi consilia agitari, se Episcopum, in cuius fide & tutela esset, eius certiorem reddidisse, ac conditionibus, quas ipse Rusticis proposuisset, ab his temere repudiatis, se publicè eorum obstinatiam damnasse. Non se Franconicorum Rusticorum deliberationibus interfuisse, præterquam semel, quo tempore cum eorum uæsaniam improbaret, ipsos apud alios id egisse, ut uel clam è medio tolleretur, uel præpilatis hastis obijceretur, tanq; qui fide ambigua partes eorum, qui arcem Vvurtzburgensem defenderint, faueret. Sæpius se de Rusticis deserendis Vvurtzburgi cogitasse, sed adeò attentè ab ipsis obseruatum, ut nulla ratione euadere potuerit. Quod si quis hæc refellere uelit, se eorum, suæq; innocentiæ cognitionẽ nobilitati permittere non reformidare. Quibus literis à plerisq; ea fides adhibita est: ut excusationi Godfridi acquiescendum arbitrarentur, eumq; pro innocente haberent.

LIBER

LIBER SECVNDVS.

HActenus gesta à Rusticis Almangauicis seditionis teterrimæ aũctoribus, eorumq; sectatoribus Odenvualdicis, ac insurgentibus Franconicis obiter exposuimus, nunc uerò ut ijs relictis alia quoque consectemur rerum, locorum ac personarum circunstantiæ exigunt. Neq; etenim pestifera illa seditio in locis de quibus hactenus dictum est, sese continuit, sed ulterius progressa, instar pestis aliorum quoq; animos inuasit. Si quidem post cõmemoratos in præcedenti libro, diœceseos Spirensis circiter quinquaginta Rustici instantibus feriis paschalibus in quodam pago nomine Malsch congregati, aliorum exemplo quoq; rebellantis: De quorum proteruia cùm fama percrebuisset, ita, ut reuerendus ac illustris princeps Georgius, Episcopus Spirensis, Comes Palatinus id cognosceret, is aliquot equites ad rei ueritatem explorandam ablegat: qui, cum Rustici nondum ad arma uenissent, tam cum subditis eius pagi, quàm alijs uicinis, colloquio instituto, ipsis amicè exponãt, ad se bona fide delatum esse, quod & ipsi aliorum exemplo, uiolata fide, more aliorum perfidorũ seditiones mouere parent. Quandoquidem autem istius nefarij cõsilij causam nullam habeãt, quod secundum æquitatem omnẽ, & ius cum ipsis semper egerit, eos benignè protexerit, fouerit atq; defenderit, nec ullis intollerabilibus oneribus presserit, postulare se, ut ipsi fidelitatis & iuramenti præstiti recordẽtur, ac quantum damni nõ solum ad se, sed & ipsos, eorum corpora ac bona ex seditione sit redundaturũ, cõsiderent. Respiciant proprios liberos & uxores, tollerabile ipsius imperium temerè nõ excutiant, sed potius maiorum exemplo, honestos, morigeros & fideles subditos sese exhibeãt: Id si fecerint, opus ipsos Deo cum primis gratum, coram mundo laudabile, sibimetipsis fructiferum & salutare facturos esse. Polliceri se ipsis subleuationem onerum, si quæ sustineãt intolerabilia, & futurum ipsis Dominum benignissimum: Etsi autem Rustici hac admonitione audita ad omnem obedientiã sese offerrent, ac se cum debita, obseruantia fideliter omnia seruaturos esse pollicerentur: tamen posthabitis hisce omnibus, paulo pòst palàm profesi sunt, eum se sequuturos, quem potentia præualere crederẽt. Ex quo sanè leuitas ipsorum, & inconstantia satis apparuit, cum mox sequenti die se ad prędam conuertere, & alios pagicos ad defectionem sollicitare cœperint. Canonicorum Spirensium cellas uinarias in pago Malsch inuadentes, uinum ibi repertum exhaurientes spe noui imperij constituendi penitus inflati. Itaq; unanimi cõsilio ad uicinos pagicos in hanc sententiam scribunt. Vult, mandat & seriò postulat tota nostra societas, ut cõuocata uestra plebe, uiros aliquot armatos hac nocte ad nos in pagum Malsch mittatis, quo nobis diuini iuris defensoribus auxilio sint: quod si facere detrectaueritis, ne uel de uestræ salutis, uel de bonorum uestrorum securitate, quidquam uobis polliceamini. Ad hasce literas circiter sexcenti repentè cõfluunt, Bletzenbergium, non procul inde situm capiunt, aliorum aduentum ibidem expectãtes. Ea uerò res Episcopum Spirẽsem mouit, ut in Rusticos dignum ipsorum malitia exemplum edere staret, fiducia auxilij à reliquis Rusticis in fide permanentib. sibi promissi. Sed quid factum? Cum Episcopus aliquot equites adiuncta plebe Bruxellensi, eò misisset, & Marescallus Palatini die Saturni post Paschatis festum, ducentis equitibus, & leuioribus tormentis instructus, his auxilio uenisset, hoc consilio, ut nisi Rustici iusto supplicio sese subijcerent, prælio rem in monte, quem inserant, decerneret. Ecce, sub initio rei gerendæ, diœceseos Spirensis Rustici æquitatui auxilio destinati deficiunt, & suæ fidei oblíti, cum alijs fœdere inito, facilè in factionis perfidæ societatem admittuntur. Eo ergo facto: Marescallo

cum Episcopi copijs equestribus discedendum fuit. Nam mons iste uineis circumquaq; circundatus erat, sic ut sine maximo detrimento equitatus eum conscendere non posset.

Post hæc eius diœceseos Rusticis cateruatim ex illa Rheni parte, concursu magis magisq; augescentibus, res ad tantum periculum deuenit, ut Episcopus Vdenhemio sua sede relicta, Haidelbergam ad fratrem principem Electorem concederet. Nam omnis eius loci populus ad unum usq; defecerat, ac Rotteburgum castellum cum arce, Kislauium castrum. Brusselas, totamq; præfecturam Vdenheimensem cum uicinis pagis in suam potestatem redegerat, & nullo cum labore ceperat. Quod quidem eò facilius factu fuit, quod nulla animorum dissimilitudo inter ipsos esset: sed in ipsos competeret, quod iactari uulgò consueuit. Pares cum paribus, &c. Ideò Friderichum Vvorm, & Ioannem ab Hall, ciues Bruxellenses, Capitaneos primarios cum alijs eligũt, suas actiones omnibus modis sic instituentes ut rerum dominos se futuros sperarent.

Rebus ita sese habentibus, ciues Durlacenses, ditionis Marchionis Badensis oppidi, qui in hebdomada Palmarum, ut uocant, præfecto ibidem capto, ad arma consurrexerant, ac circiter bis mille & quingentos Rusticos eius præfecturæ congregatos in urbem intromiserant, monasteriũ Gotzauium in ijsdem finibus inuadentes deditione capiunt, diripiunt, uastant, atq; diruunt. Verùm aduersus hos Philippus Marchio Badensis aliquot equites subito misit, qui eorum conatui occurrerent. Cumq; admonitioni acquiescere, ac arma deponere nollent, ipse ædibus nonnullorum Banckhusij incensis, eos compescuit. Attamen ipsorum odium in Principem conceptum, non restinctum, sed animis omnium infixum permansit. Hi ergo, qui in Bruxellensi agro confluxerant, ac Bruxellis tum subsistebant, cum Marchionis fœdere sese coniungunt: & sublatis signis, Marchionatum ingressi, Ecclesiasticos obruunt, multis oneribus grauant: aliquot monasteria capiunt, diripiunt & diruunt: cum primis autem illa, quæ ad Nigram syluam sita sunt: in quibus rerum omnium copia reperta, helluantur, eaq; multis & magnis incommodis afficiunt. Quare ne quid grauioris detrimenti Marchionatus caperet, Philippus Marchio ad postulata ipsorũ pacem cum ipsis inire, ac conditiones easdem, quas alij, recipere cogitur. Quo facto, Marchionici cum Brurhenanis uersus diœcesin Spirensem remeãt, quorum circiter septem cohortes, ad terrorem incutiendũ alijs, Rhenum transeuntes, monasterium Herd, & Mechtershemum monachorum prædium inuadũt, frumentum & uinum ibi repertum deprædantur: reliquis direptis atq; perfractis. Posteà regredientes, Rheinschemñ Rheno traiecto, ad socios cõtendunt. Cum ijs ergo coniuncti rectà Vdenhemium festinãt, ut Spiram obsidione cingant, Canonicos, Ecclesiasticos, monachos & moniales (ut uulgò dicitur) reforment. Id quod tamen non tam per ipsos, quàm ciues Spirenses effectum est, qui clericos omnes eò adegerunt, ut transactionis utrinq; anteà factæ publica instrumenta edere cogerentur, quæ ciues accepta, auulso sigillo, statim dilacerarunt: Sed Palatino pòst intercedente renouarunt, oneribus quibusdam, quæ non iniqua tamen censentur, clero impositis.

Cum igitur dicta Rusticorũ agmina ad obsidionem Spirensem sese instruerent, rebus ad id necessarijs comparatis, Episcopus, quo totius diœceseos interitum auerteret, non de armis sumendis, sed tumultibus amicè consopiendis consilium init, quod & factum est. Nam nulla ratione periculi ac perfidiæ Rusticorum habita, cum Theodorico Camerario Dalburgico, & Bernhardo Golern Rauensburgico securitate à Rusticis accepta, cum ipsis de pace tractat: & post multam disceptationem pacisc itur. Et quo citius armis depositis pax restitueretur, clerus Spirensis promittere iubetur ducentos panis modios, uiginti quinq;

quinq; uini currus Rheinhusium transuehere. Quo facto Rustici paulatim dilabuntur, Capitaneis ipsorum die Saturni post diem Dominicum, quem communi ritu Misericordias Domini nominamus, domũ redeundi potestate concessa. Veruntamen Bruxellensis huius agminis capitanei atq; præfecti. Brusdeuntibus, sic ut quotidie circiter quinq; millia cogere possent. In hoc uerò rerum statu accidit, ut ingens numerus curruum bonis quamplurimis mercatorum superioris Germaniæ oneratorum, ex nundinis Francofordianis sub fide publica Palatini Electoris Brettam ueniret, ac Rusticis inusitata rabie grassantibus ibi subsistere cogeretur. Huius tam opimæ prædæ desiderio Rustici, non solum Bruhenani, sed & aliæ Rusticorum turmę per istos fines diuagantes, mirum in modum ardebant. Quare sæpius à ciuibus Brettanis deditionem efflagitant: Et sanè nisi laudatissimus Elector Palatinus præcauisset, ciues curribus spoliatis, ad deditionem compulsi fuissent. Vehementer enim, & magnis sæpe minis additis, eam postulabant. Ad hæc ciues, prę cipuè uerò uilioris conditionis fex, discordabant.

Cum igitur mercium peregrinarum causa oppidò magnum periculũ immineret, nihilq; præter irruptionem metuendum esset, Elector Palatinus, quo id amoliretur, oppidũ firmiore præsidio munit, destinato ad eam rem Vvolffgango Vlricho à Flehingen, Burggrauio Starckenbergico, qui ad priores, alijs nõnullis equitibus adiũctis, unum peditum signum eò adduceret. Postquam autem Rustici Bruhenani à conuentione cum Episcopo Spirensi in ira Electori Palatino significarant, se subditis ipsius omnibus, tam comitibus & nobilibus, quam ignobilibus, tam politici quam Ecclesiastici status hominibus itinera in diœcesi Spirensi & Bruhenana prius præclusa ac septa, uicissim patefacturos, omnibusq; liberam ac saluam eundi redeundiq; facultatem cõcessuros. Burggrauius Brettam cum suo milite iturus, per Brussellensis agri fines transit, nihil mali insidiarum'ue à Rusticis metuens. Verùm cum ad pagum Vndermissem fortè ueniret, in Rusticos hac illac discurrentes incidit: qui ipso conspecto, se statim coniungentes, Burggrauium & eius socios circundant, ac eos in maximo uitæ discrimine constitutos, nihilq; præter internecionem expectãtes, eò compellunt, ut data fide pariter omnes recedant, ac Haidelbergã, unde missi erant, reuertantur. Qua Rusticorum perfidia & uiolentia factum est, ut Elector indignatione contra Rusticos concepta, susciperet de ipsorũ insolentia compescenda iustas consultationes. Ac mea quidem sententia Rusticos ad id inuitauit, q; uel se, uel suos auxiliares merces Brettæ conseruatas hac ratione consequuturos sperarẽt. Grassantibus, ut diximus, hinc inde Rusticorum factionibus, alia etiam prope Tabernas montanas circiter diem Dominicũ, quem uulgò Quasimodo geniti nuncupamus, Ioanne Vvunderer, & Iacobo à Beckingen, primarijs auctoribus, consurgit. Quæ cum in mediocrem multitudinem excreuisset, Stochsbergium dominorum Teutonicorũ castrum, nõ longè Barckhemo situm, commeatuq; cum primis refertum, obsidet, obsessum exiguo cum labore capit (nulla etenim arx quantumuis munita, ob inauditas & nefandas proditiones resistere ipsis ualebat) idq; rebus omnibus direptis, igni exurit. Hinc spoliato à socijs ipsorum prædio monachorum Derdingensi, Maulbrunnam monasterium pergunt, idq; in suam potestatem redigunt. In quo cùm commeatus & aliarũ rerum abundantia esset, ad aliquot dies hærentes, luxui indulgent, & securo animo cuticulam curant. Sæpe etiam Brettanos seriò, & grauibus minis de mercibus interpellant, ut eas, aut ex oppido mitterent, aut sibi intromissis exponerent. Verùm cũ post multa postulata Elector Palatinus, missis quotidie literis & mandatis ad Brettanos id, phiberet, nec res illis ex animi sentẽtia

succederet, atq; in monasterio Maulbrunensi omnia abliguriſſent, à proposito discedere coguntur. Spe ergo sua frustrati, ad eos, qui in Sueuia conuenerãt iuxta Botmarũ, proficiscuntur, illis se coniungentes. Eò paucis diebus post aduenit & id, quod ad Nigram syluam grassatum aliquandiu fuerat agmen. Cõiunctis itaq; uiribus omnibus, ciuitates & arces omnes ducatus cum circumiacentibus pagis Vvirtembergicis spoliant (exceptis Aspergio, Tubinga, sede Vvirtembergici Senatus, & Auraco) monasteria capiũt, diripiunt, diruunt: aliquot nimirum Lorch, & Adelbergum, Hohenstauffium arcem, cum alijs multis nobilium ædificijs, incendio uastant, ex animi sui lubito dominatum constituere molientes. Interea uerò nec Brurhenani unà cum Tabernæmontanis merces Brettæ depositas exposcere desistunt: sed ciues Brettanos hunc in modum literis compellant. Charissimi fratres & amici, fide dignorum hominum relatione comperimus, maximam hominum multitudinem in unum se cõgregasse, qui causa merciũ Francofurto ad uos allatarum, de uobis obruendis cogitẽt. Cum igitur nos uobis uicini sumus, quorum auxilium meritò expetendum sit, significandum uobis duximus, necessitate exigente ac auxilijs nostris imploratis, tanto nos apparatu uobis adfuturos, ut præda, quam aduersarij uestri petunt, præ reliquis facilè potiamur, & inter nos eam distribuamus. Hoc pro ea, qua uos uicinos nostros & fratres complectimur beneuolentia, celare noluimus.

Quanquam autem complures Brettani ciues illa pestilenti contagione infecti essent, eorumq; auxilio & auctoritate, si qua fuissent prediti, Rustici, posita obtinere potuissent: tamen ei rei hortatum Electoris Palatini, & diligenti animaduersione subditorum honestorum mandatis sui principis obtemperantium, prospectum fuit. Postquam uerò Rusticorum postulata, quę superius recensuimus, per omnes Germaniæ partes diuulgata essent, ipsi libertatis dulcedine, & spe prædæ, in alijs quoque locis, obedientiæ repagulis refractis, contra Magistratum arma cepere. Inter quos Alsatici superiores circiter mille centum primo confluxerunt, monasteria eius loci inter hæc Altorfium capientes, ac exemplo suorum gregalium diripientes & deuastantes. Mox & inferiores, superiorum exemplo inuitati, ex omnibus adiacentibus præfecturis castellis & pagis concursu circa Ringendorfium & Pfaffenhouium facto, Neoburgum & diuæ Vvalpurgis monasteria in præfectura Haganoensi sita capiunt, diripiunt & uastant, omnem in ijs petulantiam exercentes. Idem & in duobus monialiũ Cœnobijs Konigsbrucco & Biblesio perpetrantes, inde mox Sauerburgum contendentes, ubi in Canonicorum ædes irruptione facta, omnia deuastant: certiores omnes, quæ sit cõmunis societatis, tribus in pagis, Altorffio, Stechfeldia, & Neoburgo cõsidentis uoluntas, ac eos multitudinis, numero nimirum, quod circiter uiginti mille essent, ita ut uel potentissimo resistere possent, animatos, magnam eorum copiam ex omnibus locis ad se pellicĩut. Hi ergo eum non solum monastica & Ecclesiastica bona, uerum etiam Magistratus politici (siue Principes, siue Comites, seu nobiles ij essent) arces, ædificia, omniaq; obuia, pro suo lubito flagitiosè cepissent, spoliassent & diruissent, denicq; nullũ nõ flagitij genus intentatum omisissent, tandem in manipulum furum (ut dicitur) triginta millibus constantem adaucti, Tabernas Alsaticas Argentinensis Episcopi sedem profecti, ac in eas ad postulata intromissi, ibi sua castra locãt. Ita ergo Germania bello Rustico flagrante, ut uulgò fieri cõsueuit, incendium idin uicinam quoq; Lotharingiã serpit: ubi subditi ad Sarum similes seditiones concitantes, in monasteriũ Herbsthemiũ irruũt, & in eo capto, castra metãtur. Hoc igitur incendiũ Anthonius Lotharingiæ Dux, prẽter suos subditos, uicinos aliquot Comites Germanos & nobiles de auxilio compellat, ac ex inferiori Germaniã peditũ mille sex, eqtũ circiter duo, inter ǫs ducẽti cataphracti erãt, cogit.

Cum

Cum ergo subditi ipsius Herbelohemo profecti, Tabernas Alsaticas uenissent, ac alijs Rusticanis se coniunxissent, ipse fratre suo Claudio Guisio inter alios comitatus, qui Gallici exercitus reliquias, pugna Papiensi, quãdo Rex captus fuit, dissipatas collegerat, eouscp progreditur: & Rusticos tam Lotharingicos, quàm Alsaticos in urbe obsidet. Cæterùm dum durante obsidione de pace ageretur, copiæ ipsius tam equestres, quàm pedestres fortè fortuna in sex millia Rusticorũ, qui obsessis in urbe fratribus auxilio uenturi erant, incidunt. Hi, conspecto Ducis exercitu, Lupffteinium uicum petunt. Hos ergo ducis copiæ mox persequentes 18. die Maij adoriuntur, & incenso uico, omnes in illo Rusticos, tanquam pecora trucidãt, & comburunt. Postridie eius diei, qui erat Mercurij post diem Dominicum, instituto maiorum Cantate uocatum, oppidum & arx Episcopi sese dedunt, spe ueniæ impetrandæ, sed in eo facto & plusculum fidei & clementiæ desideratum est. Nam cum iussi deponere arma, impunitate promissa, per medias equitũ & peditum cohortes prodirent inermes, domum quisq; suam redituri, leui quadam occasione concitata turba, cæsi fuerunt magna sui parte. Post à furenti milite direptum est oppidum & arx Episcopi, ciues etiam promiscuè omnes interfecti nullo discrimine.

Paulo antè, cõsidentibus adhuc circa monasterium Neoburgense, Rusticis, ciuis Vveissenburgicus, Bachinus nomine, dictæ factioni se coniunxerat. Verùm cum expetitum officium militare non consequeretur, ijs relictis discedit, ac ex prefectura Clebergensi nebulonibus perditissimis circiter ducentis ad se pertractis, nouum agmen, partim ex subditis Ludouici Principis Palatini, ac Comitis Veldentiæ, partim ex uicinis locis colligit, à præfectura Clebergense agmen nominans. Quod primum Ritfelsium & Schvuauchofium pagos inuadens, Rusticos ibidem ad societatem compellit. Hinc progrediens Præposti Vveissenburgici castrum à S. Remigio nominatum, oppugnat. Cum uerò id præsidijs munitum teneretur, nec postulantibus Rusticis aperiretur, præsidiarijs militibus strenuè se defendentibus, Rustici id acerrimè oppugnarunt: ciuibus Vveissenburgicis tormẽta, quibus muri quaterentur, prompto animo Rusticis subministrantibus, cum & anteà cum nonnullis Rusticis monasterium in ciuitate per uim occupatũ, diripuissent atq; uastassent. Etsi uerò præsidiarij milites officio suo laudabiliter fungentes hostiũ uim diutius sustinere maluissent, arce per aliquot dies iam ab ipsis defensa: tamen cum omnium auxilio destitui se cernerent, circiter diem Philippi Iacobi, accepta à Rusticis fide, deditionem faciunt: castro egredientes. Tum Rustici castrum occupãtes, omnia deprædantur, uastant atq; incendunt. Quibus perpetratis Seltzam Palatini Electoris oppidum contendunt, ubi à ciuibus intromissi, per Capitularium ædes grassantur, eosq; summo ludibrio & ignominia afficiũt: ipsorum uina fœdis potationibus exhaurientes, ac bona crudeliter diripientes, castrum quoq; Friderici à Fleckenstein (qui sub id tempus Palatini nomine cum copijs Sueuici fœderis erat) Rodern dictum, & inde non longè situm, capientes. Eò Kolbensium turma (de qua mox dicetur) ueniẽs, icto cum Clebergensibus fœdere, mutuis auxilijs promissis & prædæ æquali diuisione constituta, sese cum ipsis coniungit. Igitur Rustici ad arcem Rodern accelerantes, eam deprædantur: & in illa magnam rerum preciosarum uestimentorum, pecuniarum, domesticę suppellectilis, pecoris, frumenti & uini copiam inuenãm, diripientes. Quia uerò ad Alsaticos proficisci constituerant, ut illis contra ducem Lotharingiæ subuenirent, Tabernas itinere arrepto, Buschvuileram uno agmine contendunt. Vbi cum cognouissent, à duce magnam partem suorum fratrum cæsam & profligatam esse, animis consternati, repentè recedunt, fuga sibi cõsulendum, quàm gladijs & uerberibus rem agendam, ac domi iam esse, quàm aleam belli subire potius uolentes:

uolentes: etsi antea nullo discrimine apparente, promptissimo animo ad arma conuolassent.

Diabolo ergo humani generis hoste per omnes ferè regiones debachante, & semen suum spargente, id (cuius paulo antè meminimus) Kolbensium agmen in ditione Ludouici Palatini ad Vvasgauiam congregatum circiter diem Dominicum, Misericordias Domini nuncupatũ, in monasterio Sturtzelbrunna (quod antè ceperat & deuastârat) suam originem sumpsit: Vbi cùm complures conuenissent, Emerici comitis à Leinigen Senioris arces, Gravuenstenium, Lindebrunnam, & Landacam in Vvasgauia sitam, ac aliqua ex parte Palatini iurisdictioni subditam, flammis exustas, diruunt, mox progressi, Rambergium Dalburgicorum arcem capiunt. Hinc Helmstenium Alberti de Pogg castrum, & pòst Neostadium in montibus situm, rebus omnibus spoliant, & incendio uastant. Perpetratis ijs, Anvuilerã contendentes, eam unà cum arce in Tabernis montanis in suam potestatem redigunt: Pòst Clebergensi (ut diximus) agmini se coniuncturi, Roderum ueniunt, & id cum uicinis agris populantur. Exinde autem de prælio ad Tabernas Alsaticas commisso certiores facti, simul dispersi in auras dilabuntur. Clade (cuius paulo antè meminimus) ad Tabernas edita, Antonius Dux Lotharingiæ ad biduum ibi subsistit: ac domum rediturus, ad ualles Vvileræ in Alsatia contendit. Cum autem uniuerso comitatus exercitu Dambacum usq; peruenisset: ei significatur duo agmina Rusticorum, numero circiter sedecim millia, quorum alterum ex montibus per syluam à Castaneis denominatam, descendisset, alterum Selestadio ueniisset, coniunctis copijs ad fauces Vvileræ, inter Dambacum & Schervuiler consedisse, ut transitu ipsum prohiberent. Præmissis igitur speculatoribus, qui id explorarent, ipse acie instructa, ac re deliberata, mox eos aggreditur. Conflictu facto, Rusticorũ circiter quinq; millia desiderata fuêre, reliquis ob multã noctem fuga elapsis. Nam præliũ nocte iam ingruente inibatur, ita ut Lotharingi hostes rectè agnituri, Schervuileram incendere cogerẽtur ignis fulgore prospectum noctis obscurę tenebris offuscatum, illuminantes. In hoc conflictu Comes Isenburgicus Lotharingo militans, cecidit. Dux in locis uicinis per noctem commoratus, subsequenti die, non solum maxima cum prẹda, sed & captiuis quàm plurimis domum reuertit. Inter quos & uirgines & mulieres formæ pulchritudine conspicuæ abductæ sunt. Gallis libidinis suæ facinora hinc inde perpetrantibus. His tribus locis, uti diximus, ad octodecim millia putantur esse cæsa: Licet alij numerum exaggerantes, uiginti sex millia profligata tradiderint: trecentis ex captiuis capitali supplicio affectis.

Quæ dum in Alsatia geruntur, ecce præter spem ac opinionem Rustici in Palatinatu simili furore corripiuntur. Etsi enim Ludouicus Elector Palatinatus in id omni animi contentione incumberet, ut seditiosis in sua ditione consilijs repressis, subditi opima pace fruerentur, & ab omni, tam bonorum, quàm corporis periculo tuti, quietam & tranquillam uitam agerẽt: tamen hoc pestilens seditionis malum sic plebi arrisit, ut plericq; faciles aures noua, clàm & nocturno tempore molientibus præbentes, ad rebellionem in Magistratum accenderentur, & reiectis antiquis legibus atq; statutis, de nouis Magistratum sollicitarent atq; hoc incendio ubicq; locorum ferè flagrante, occultæ ipsorum & insidiosæ machinationes in uulgus quoq; erumperent.

Ac primò quidem accidit, ut in pago Nusdorff prope Laudauiam sito, die Dominico Quasimodo geniti encæniijs celebratis, & à uicinis more solenni frequentatis quidam peruersi, & temerarij iuuenes, circiter ducentos, instituto colloquio, fœdus ferirent, & de peculiari exercitu instruendo deliberarẽt. Qua deliberatione finita, propè Geilvuileram, in quodam monte noctu omnes conueniunt

ueniunt: ac inde ad circumiacentes pagos contendunt, Rusticos somno sopitos excitant, & obruunt, multisq; persuadent, ut in ipsorum peruersa consilia condescendant. Quare numerus eorum illa nocte sic creuit, ut sequenti die plures quingentis confluerent, uallem Stiblingerinam hostiliter inuasuri. Ea re Iacobus à Fleckenstein, præfectus Germersheimensis eadem nocte comperta, nulla mora interposita ad Rusticos dictæ uallis, utpote suæ præfecturæ subditos cum aliquot equitibus aduolat, eosq; oratione sua ita confirmat, ut in conatibus seditiosorum reprimendis illi adfuturos se policeantur. Quamprimũ igitur seditiosi præfectum instructa manu aduentare intellexerunt, arrepta fuga mox dilabuntur. Quo uiso, Præfectus rebus per octiduum in tranquillitate cõstitutis, domum redit, spe bona, Rusticos fideli admonitione sua pacem culturos, fidem & propriam salutem cõsideraturos, nec quidquam turbarum in posterum excitaturos esse. Verũm quid euenit. Cùm ipse uix inde discessisset, ad pristinam perfidiam, tanquam canis ad uomitum redierunt ac rursus concursu facto in diœcesim Klingenmunster, Cœnobium Herdense in domum Iohannitarum Hainbaci, in prædium Monachorum Mechtershemense irruunt, frumenta, uina, armenta, cibaria, diripientes, ac omnia pro lubito suo perpetrãtes. Interea dum Kolbenses Rustici (de quibus suprà dictum est) oppidulum Anuileram capiunt Rustici ex Nouocastello, Maidenburgica, Kithuilensi præfecturis, & Sibaltringrina ualle fœdus ineunt, seq; congregantes sub specie, quasi Kolbensium agmini resistere, nec permittere uelint, ut uel se uel alios in posterum oppugnatum ueniant. In prædio Monachorum Gailuileræ conueniunt. Cumq; satis magnis uiribus se instructos putarent, mutato cõsilio, uicinos suos absentes inuadunt, & omnium prefecturarum Rusticos ad defectionem sollicitant. Prædio post Gailuilera, & cœnobio pene toto direpto, & penitus uastato, Buchingam Rhudolphi de Zaiskaur arcem occupant, eam direptam, bonisq; spoliatã, incendio funditus delent. Deinde Hofsbergium, Ioannis à Dalburg Castrum ad montes positum, capientes, id præsidijs muniunt. Inde Hasbrucci castra metantes, monasterium ibidem exurunt. Eoq; loci commorantes, aliquot cohortes ad arces Spirensis ditionis Vdenheimium & Costenbergium occupandas ablegant: ijsq; captis atq; direptis copijsq; auctis, bi duo post Hailbrucca mouent, uno agmine Vuintzingam prope Neostadium sitam petentes, ibiq; atq; in uicinis locis castra metantur: ciuitatis pro more solito deditionem magnis minis efflagitantes, ac eam die Saturni post Dominicum diem ui obsidentes. Quo factum est, ut ciues fidei ac iuramenti sui oblitì, nec uel urbis bene munitæ, & ad sustinendos tam imbellium & effœminatorũ Rusticorum insultus peropportunæ, nec Palatini fidelis admonitionis ratione habita, meris Rusticorum minis perterrefacti, die Dominico, quem Ecclesia, Iubilate nominat, circiter duodecimam horam promeridianam ipsis intromissis, turpiter se dederẽt. Vrbe igitur capta, Capitanei & proceres in ea castra figunt, & præfectum sibi iureiurando obstringunt.

Eodem furore acti etiam Rustici Lengenses, primo Backenhemij numero trecenti, circiter diem Dominicum Misericordias Domini confluunt: quibus nonnulli alij refractis obedientiæ & pudoris repagulis, Phedershemij associati, uicinos Rusticos ui & armis ad societatem adigunt: & uicatim progredientes, Hochemi prope Vuormaciam siti cœnobium monialium diripiunt, ut & Libenanij, post Neuhusium profecti, Canonicis suo more omnia eripiũt, licet duo Canonici, nimirum Philippus Schenckel à Mergetheim, & Sixtus Maier ipsorũ factioni nomẽ quoq; dedissent. Hinc Hernsheimiũ nobiliũ à Dalburg castellũ progrediũtur, ac sine ulla ui ibi intromissi, circiter quatuordecim uiros cum sex bombardarijs secũ cõmeare cogunt, reliquis incolis in cõfœderationẽ

receptis: Inde Osthofium, tam Palatini, quàm Moguntini Iurisdictionis pagũ ingressi, quas possunt uires colligunt: ædes Canonicorum in eo destruunt: Hamaicum, & alios uicinos pagos in societatem adigunt. Postea Bechthemium sub ditione comitum à Leiningen situm, contendunt, ibiq; castra aliquamdiu figunt. Tandem promouentes & inde Vvesthofium, Reipoltzkirchicæ ditionis pagum amplissimum & pulcherrimum capiunt, ac pagicos omnes, ui coactos fœderi suo adscribunt. Credi facilè potest, nulla cõactione hic opus fuisse, quod pestilens hoc uirus plerosq; Rusticos infecisset: nec tam ouum ouo simile sit, quam consilia Rusticorum sibi responderint.

Postquam autem Guilielmus ab Habern, Marescallus Electoris Palatini, tum temporis à suo principe adiunctis trecẽtis equitibus & peditibus circiter quingentis, trans Rhenum ad defendendam prẹfecturam Altzheimensem, & reprimendam, aliorum Rusticorum seditionem missus, eorum cõspirationem resciuisset, cum suis copijs Vuesthofium uersus cõtendit. Quo Rustici competo, instructis ordinibus in campum numero trium millium prodeũt, & (quam idoneam sibi fore putabant) uineã, non longè à pago sitam occupant. Etsi uerò Marescallus prælij perquam cupidus esset, tamẽ cum sine suorum detrimẽto se eos adoriri nõ posse uideret, formẽtis campestribus emissis, ordines ipsorum dissijcit. Rustici igitur uerbera sibi parata esse perspiciẽtes, fuga pagum repetunt. Cum uerò iam aduesperascceret, Marescallus nihil memoratu dignum aduersus ipsos agere potuit, præterquam, quod ipsius milites circiter sexaginta Rusticos in fuga confoderint.

Eadem nocte reliqui minimè cunctandum rati, ad montes se conferunt, & aucto in itinere numero factioni ad Neostadium consistenti se coniungentes, Vvachenheimium ditionis Palatini Castellum in potestatem suam redigunt, ibiq; ad aliquot dies commorati, cum uicino agmine conspirant: Vicinos pagos de fœdere cum ipsis feriendo assiduè sollicitantes. Et sanè multi blanditijs pellecti, pernicioſis ipsorum consilijs subscripsẽre. Atq; interea & Limpurgum monasteriũ diripitur. Cum igitur undiq; per totum Palatinatũ omnia periculi plena essent, Elector Palatinus grauissimis de causis motus, maximè quod cõsultius putaret, beneuolentia subditos, quàm ui & armis uincere ac coẽrcere, ac quod effusionem Christiani sanguinis, quo ad eius fieri posset, uitare uellet, per subditos suos Neostadiẽses, defectione ipsorum minimè attenta, apud Rusticos ad Vuintzingam congregatos, de amico colloquio agi curat. In quod, ad Senatus Neostadiensis continuam ac diligentem interpellationem à ducibus ac capitaneis, qui Bachheimensi factioni præerant, tandem hac cõditione consensum est: ut princeps Elector die Mercurij post Dominicum diem Iubilate, exorta luce matutina, consiliarijs & equitibus circiter triginta comitatus, ad pagum Forst coràm literis securitatis publicè datis atq; acceptis compareret: Cui Elector Palatinus acquiescens, ad locum à Rusticis sibi præfixum se confert: eò etiam uenientibus utriusque factionis capitaneis cum alijs aliquot ad negocium transigendum delectis: Hi cùm Principem Electorem excepissent, & actionem inchoassent, utrinq; agmen Geilvueilrianum & Backenheimense sublatis signis, acieq; instructa, per campum incedens appropinquat, & se conspiciendum omnibus exhibet, quasi factæ rebellionis, & nefariorum conatuum causam iustam habeat, & ad defendendam eam contra Palatinum satis sit ualidum. Ibi post multam disceptationem, de rationibus reuocandæ obedientiæ transactio facta & ab utraque parte approbata est, in hanc sententiam: quod utriusque agminis capitanei data fide copias dimissuri, domum quisque suam rediturus: captas ciuitates, arces & castella dominis reddituri: & in ipsis direpta spolia restituturi, nec quidquam in posterũ exijs ablaturi: querimonias

quas

quas habere se putarent, ad conuentum totius Palatinatus reiecturi, nec in Elector em, eiusq; propinquos, uel eius iurisdictioni addictos, quidquam interea hostiliter molituri essent. Iis ergo sic transactis, sub uesperam utrumq; agmen octo millibus constans sua castra repetit: Principe Neostadium omni ciuium caterua stipato, ingrediente. Nam fidem datam Rustici qua promiserant ratione plenè non seruabant: sed ita sese gerebant, ut nõ parum periculi ipsi metuendum ab illis esset: Ex quo quilibet addiscet facilè, hominibus fœdifragis non multum fidei tribuendum esse. Sequenti die capitanei utriusq; agminis denuò principem adeunt, ut ubi & quando conuentus celebrari debeat, decernatur. Hic ad prandium princeps uocatis, ac benignè dimissis, confestim Haidelbergam remeat: non exiguo periculo ut cuilibet conijcere licet, defunctus, ac domum reuersus, per totum suum principatum conuentum die constituto indicit, ordinis equestris uiris, præfectis, capitaneis & militibus seriò præcipiens, ne quid contra decreta faciant.

Sub idem tempus circiter Dominicum diem Iubilate improbitate & leuitate quidam insignis sacrificus, Antonius Eisenhut dictus, Eppingæ in Kraicgouia, nouis turbis excitandis animum adijcit, semetipsum Ducem constituens, ac leuissimos homines sibi adiungens: qui uicinos uerbis & scriptis ad suam societatem inuitent, quæ maiore peste & ueneno quàm reliquorũ tumultuantium publicata scripta referta fuêre, huius ferè tenoris. Patientiam & piam constantiam in rebus arduis per Saluatorem nostrum ex animo uobis dilectis notis in Christo fratribus optamus. Compertum habetis, quàm duro ac insolenti, non tam Magistratus politici, eiusq; præfectorum quàm monachorum & aliorum Ecclesiasticorũ iugo hactenus indignis modis pressi fuerimus. Verumtamen (Deo laus) actiones ipsorũ quibus usi sunt, tandem sunt detectæ. Quare à uobis seriò efflagito, ut fratribus uestris assumptis, Gotsheimium cum curru quam celerrimè ueniatis, quo sacrosanctum Dei Euangelium, & iustitia felicem cursum & progressum sortiatur. Quod si uenire detrectaueritis, ego cum meis fratribus uos inuisam, id uobis habeatis persuasissimum. Antea Rusticis Vvirtembergicis tumultuantibus adfuerat, at eos manipulo sceleratorũ assumpto, relinquens, hos tumultus concitat. Postquam autem incolæ Gotshemij, Comitis Eberstenij castelli, conatu eius & uoluntate comprobata, illi se cõiunxissent, ipse castris illic fixis, paucis diebus circiter mille ducentos uiros cogit, peculiare agmen instruẽs: li armata manu nobiles à Mentzingen in uicinia habitantes, opprimunt, arcemq; illorum diripiunt. Quo facto dux Eisenhut cum suis copijs sublatis signis Eppingam castellum contendit, eiusq; deditionẽ sibi fieri flagitat: Id quod facilè obtinet, ac mox Haidelshemium oppidũ inter Brussellas & Brettam situm, eodem modo expugnat. Porrò omnes eius loci pagos, siue Palatini, siue nobilium, seu aliorum dominorum imperio parerent, subiugat: & Hilspacum castellum, ubi Elector nouam ædificârat domum, præfecto eius capto, cellarium, & sacrificorum, & nobiliũ ædes diripit: ac omnibus prædandi facultate concessa, quidquid inuenit cum suis asportat. Hinc toto cum exercitu Sintzhemum, ubi pulcherrimũ Canonicorum templum erat pergit, & cum suis per deditionem intromissus, in ædes Canonicorum irruit, fenestras frangunt, deuastant: ac in Canonicorum ædibus uberè cibi potusq; copia reperta, ibi per aliquot dies commorantur. Inde postea mouentes, castrum Hippolyti à Venningen Steinbergium, inter Hilspacũ & Suntzhemũ situm incendunt, ignem talem excitantes, ut eius splendor per totam illam uiciniam ab omnibus uideri posset: Arx enim illa in altissimo monte posita erat.

Cum igitur subditi à legitimo suo Magistratu quotidie magis magisq; descisserent, & ab eius obsequio sese subtraherent, princeps Elector defectioni

maiori

maiori prouisurus, denuò de ipsis clementia & humanitate potius, quam ui & armis ad fidem & officium reducendis cogitat. Dicto igitur Eisenhutenico agmini scribit, si nimis grauibus oneribus se pressos arbitrentur, se suosq; consiliarios, accepta fide publica missurũ, qui ex illis ea cognoscant, postulatis ipsorum intellectis, se omnia, quæ principe uiro digna sint, facturum esse. Literis hisce redditis, & coram tota Rusticorum turba recitatis, Eisenhut, & Thomas Reuss Capitanei cum alijs ad eam rem delectis suam, sententiam Principi perscribentes, diem & locum transactionis assignant, simul eum commonefacientes, ne ultra decem equites mittat. Hoc accepto respõso Palatinus Elector, Philippum Nassouiæ comitem, dominum in Vvissenbaden, & alios consiliarios delegit. Qui dicto die locoq; præfinito comparentes, eorum sententiã audiunt, ac de conditionibus quibus motus componatur, agunt. Eæ uerò dum ad Electorem mitterentur, Rustici pacem colere, nec quicquam attentare iubentur. Quanquam autem non tam Principi, quam ipsius consiliarijs securitatem publicam, suis ad ipsum datis literis promiserant, tamen, qui mos est leuissimi hominum generis, promissis non stetêre, sed & dictis & factis erga consiliarios ita proteruos sese exhibuerunt, ut per integram noctem in summo uitę discrimine uersati, nil quicquam sibi certius, quam mortem imminere putarint.

Neq; tamen prisca fides & integritas penitus extincta erat, sed in hoc turbulento & periculoso rerum statu Palatino Electori tale nuncium affertur, unde ei conijcere facilè licuit quosdam ad huc suorum subditorum in fide & officio permanere. Nam cum eius subditi in præfectura Lutterana Nanstallina, & Vvischbacciana ad arma sonitu tympani alios cõuocassent, nouum agmen instructuri, & circiter mille iam conuenissent, ac compluribus à Kolbensium dispersо agmine eò confluentibus, precibus, minis, ui, & scriptis suam factionem augere conarẽtur: circuniacentia monasteria, Otterbergum, & Vvischbaccum inuadentes: eaq; rebus omnibus exuta, uastantes: multas piscinas, quarum in illa regione ingens est numerus, destruentes. Ad hæc nobilium quorundam arces: inter has Hoheneckorum expugnantes: copijs, & Luterea obsidenda: ac subditis quatuor præfecturarum, Bobelnbergicæ, Vvilerbachicæ, Ramsenicę, & Steinvuindinæ, quod ipsorum partes sequi recusarent, ac impia facinora detestarentur, delendis, uæsana cõsilia agitarent. Tunc (inquam) harum quatuor præfecturarum incolæ uim propulsaturi, circiter quingenti se congregant, ac spe auxilij à præfectis mittendi, perfidæ Rusticorum turbæ non longe Vvilerbaco obuiam procedunt, eiq; uirili animo compellatæ, turpissima facinora & conatus exprobrant: & armata manu circiter septingentos cogunt, ut Palatini Electoris se potestati dedant: eidemq; castrum Hoheneckeris ui ereptum, committant: omnia sua spolia & arma tradãt. Quæ omnia Princeps, hoc facto summopere delectatus, fidelibus posteà dono concessit.

Ac quidem secundum tractationem de pace renouanda inter ipsum & Rusticorum Vvintzingense, & Vvachenheimense agmina habitam speraret, fore ut grassationibus suis finem imponerent: ab armis discederent: promissa seruarent, ac conuentum, quem euulgatis scriptis, per totam suam ditionem indixerat, expectantes, placidè atq; tranquillè uenirent. Sed hi contemptis his omnibus, duas arces ad Neostadium sitas, Volfsbergium & Tuintzingam prius à se captas deinde Rupertsgium Ludouici à Fleckenstain aulæ Palatini prefecti, eiusq; fratrum arcem inuadentes, precioſissimam & copioſissimam suppellectilem, uini & frumenti copiam maximam repertam, diripiunt: ac Didelscheimo Episcopi Spirensis castello capto, arcem deprædantur. His ibi perpetratis, agmen Vvachenheimense discedens, Neuhusium mouet: Reliqui uero Rustici Landauiã petentes, ciuitatẽ ad deditionem cõpellere conãtur, Ecclesiasticorũ

bonis

bonis inhiantes. Sed ciuibus se suamq; ciuitatem fortiter defendentibus, obsidionem hac conditione soluunt: ut turbæ certum frumẽti ac uini numerum ex bonis Ecclesiasticorum erogent: Qua accepta, Scharffenecum comitum de Levuenstein arcem longè munitissimam ad milliare Landauia in montibus sitam, uenientes, eius deditionem efflagitant. Cum ergo præfectus Gebelinus cognomine (cui Ludouici senioris comitis Levuenstenij filia naturalis in matrimonium locata erat) unà cum uxore Francovuilleræ in castris cum Rusticis egisset, ut sibi & coniugi saluis omnibus bonis, sub data fide ad sua commigrare liceret, nec arcem uel incenderẽt, uel diruerent, nullus qui ipsis resisteret, fuit. Rusticis itaq; cateruatim in eam irrumpentibus, & extra arcem munitissimam turrim à rupe denominatam per ponticulum ligneum magno cum impetu inuadentibus, factum est, ut unus illorum ex ponte in aream subiectam prolabe retur. Hic ergo casus cum satis præceps & altus esset, neq; tamen lethalis uel noxius lapso uideretur, omnes elata uoce uno ore exclamãt, hoc bonæ suæ causæ & instituti signum euidentissimum esse. Comoti itaq; castrum, in quo comitates bonam diplomatum & precioſarum rerum partem, uini, frumentiq; abundantem copiam habebant, uastant, & cõtinuò funditus delent. Inde progressi, Nouum castellum & Trifelsium Ludouici Veldentiæ Comitis castra ad montes sita, petunt: ubi certo numero intromissi, nihil uel direptionibus, uel incendijs damni dant, in uico Merlamo ad Landauiam sito castra figentes. Vbi commorantes, rescisc unt, quàm dura in Tabernis Alsaticis sui fratres à duce Lotharingiæ obsidione premantur. Quare Merlamo castra promouent, obsessis fratribus opem laturi. At postquam Eilterstatum usq; ad Vvisseburgum situm uenitũt, atq; cognoscũt, quanta ij clade affecti fuerint, instituto mutato regrediuntur, & dispersis copijs, ad patrios lares reuertuntur, capitaneis Bullighemũ Palatini Electoris castellum missis. Veruntamen paucis diebus pòst, Palatino in aciem prodeunte, denuò insurgũt. Etsi uerò præfecto Germersheimẽsi eos admonenti fidem darent, se nihil noui molituros, sed indictũ conuentũ (ut & ipsi principi promiserãt) expectaturos esse: tamen iteratò copijs auctis Merlami se cõgregantes, ad aliquot dies subsistunt. Deinceps (ut dicetur) iter ingressi, rem summa cum turpitudine cõiunctã gerunt. Et quanq; Rustici Brurhenani Meideburgum Episcopi Spirensis castellũ, supra Landauiam situm præsidijs communitũ tenerẽt: tamẽ ex innata & desperata malitia sibi tẽperare nequere, q̃ minus alijs dicti agminis Rusticis in arcẽ intromissis eã incẽsam funditus delerẽt.

Porrò quidam nobilis, Erasmus de Bauben dictus, Dermstenij habitans, ledijs ad se pellectis hominibus, in ædes sacerdotis ibi irrumpit, bonaq; ipsius uibus diripit. Hocce facinore edito, nullam uel proprij honoris, uel generis & sanguinis sui rationem habens: nec maiorum erga Palatinos obsequia considerans, cum agmine in cœnobium Franckenthal irruptione facta, id capit, diripit, diruit & uastat: Constitueratq; secum, nisi conatibus ipsius maturè præuentum fuisset, ulterius ad eum modum hinc inde debacchari.

Cum itaq; nulla fides ab infidelibus subditis seruaretur, Palatinus Elector eiusmodi, & alijs grauissimis causis ad cõsultationes, quibus huic pestilẽti malo occurreret susc ipiẽdas cõpellitur, quò peruersi conatus & rebelliones perfidorum subditorũ in Magistratũ ceptæ, cõpescerentur, & grassationibus ipsorũ finis statueretur. Quo circa cõsanguineis suis, propinquis & subditis citra moram de auxilio cõpellatis, exercitũ comparat: ad Sueuici fœderis ordines (cuius & ipse socius erat) de iustis sibi ferendis auxilijs scribit. Itaq; intra breue tem poris spaciũ equites ex comitibus, nobilibus & subditis delectos circiter mille, peditũ millia tria cogit. Insuper Richardus Archiepiscopus Treuericus trecentis equitibus, & mille quingẽtis peditibus, in inferiori Germania collectis ipsi auxilio uenit.

LIBER

LIBER TERTIVS.

PAlatinus subditis ita ut diximus tumultuantibus, nec in alijs locis subditorum detestandæ rebelliones conquieuêre. Nam & Lantgrauij subditi seditionibus concitatis, eadem contagione correpti erãt. Quare etsi aliquot equites Palatino Electori subsidio misisset, tamẽ cum circiter diem D. Georgij seditiosi Rustici in præfectura Hirsfeldica magno numero contra Magistratum insurgẽtes, fide & iuramento uiolatis, Hirsfeldiam oppidũ cepissent, & in diœcesi Fuldensi circiter sex millia numero confluxissent, & Lantgrauij subditis ad se inuitatis, aliquot castella, & arces occupassent, & inter hęc Vachium oppidum: ad hęc multa monasteria diripuissent, Lantgrauius coactis in sua ditione equitibus, & aliquot morigeris subditis, ad dictum agmen cõtendit. Cum uerò milliare Hirsfeldia abesset, ubi Rustici magno numero confederant, præmittit equites circiter quadraginta, qui quo in eos esset animo significent. Rustici & ciues Fuldenses, qui prope Hirsfeldiam circiter quatuor mille conuenerant, eo cognito, de munienda urbe cogitabãt, nihilominus tamen Lantgrauij uoluntati sese permittunt: ac ciuitate declita, arma tradentes, Lantgrauium legitimum suum Magistratum agnoscunt. Adhęc tria agmina confluxerant in finitimis regionibus: Vnũ ad Smalchaldiã quinq; millium, alterum in diœcesi Fuldensi etiam maioris numeri: tertium quatuor millium non longè ab utroq;, eo consilio, ut facilius conuenire possent. Capta & præsidijs munita Hirsfeldia, Lantgrauius post diem Dominicum, quem instituto maiorum, Misericordias Domini uocamus, Vasdorffium, postero die Hunfeldium castellum ingressus, cuius incolæ quoq; desciuerant, ea in suam fidem rursum redigit. Quo peracto, cum copijs tam equestribus, quàm pedestribus omnibus Fuldam contendit, ubi Rustici numero, quem antè diximus, coierãt, uenientẽ repulsuri. Verùm Lantgrauius animi ardore seriò rem agens, instructa acie rectà aduersus eos cõtendit. Rustici ergo eo uiso, mox in fugam sese conuertunt. Quare Lantgrauius tormentis bellicis in urbem directis, pedi tatu eam ex una parte oppugnat. Interea Fuldenses urbe egressi, Lantgrauio se sistentes, flexis ad terram genibus, supplices fiunt, illius se uoluntati permittentes. Ita ciuitate Fulda cum Rusticis ad fidẽ redacta & capta, per aliquot dies ibi considet. Sedato itaq; tam oppidanorum, quàm pagicorum in diœcesi Fuldensi tumultu, hi qui prope Schmalchaldiam confluxerant, de eo certiores facti, mox dilabuntur, & sese Thuringicis coniungunt. Cum ergo subinde maiores atq; periculosiores in pleriscq; Thuringiæ locis motus exorirentur, ubi Rusticani Comitum, dominorũ & nobilium arcibus & domibus obsessis, captis, expugnatis, direptis: dominis ipsis partim expulsis, partim captis: monasterijs itidem aliquot expugnatis, dirutis & uastatis, Eschvuegum ditionis Lantgrauij oppidum, & ab ipso circiter mille equitum præsidio munitum, aliasq; nonnullas eius ciuitates ac subditos ad deditionem compellere attentauerant. Lantgrauius ea re motus, ad rebellionem subditorum coërcendam iter in Thuringiam suscipit: & equitatu rebus omnibus bene instructo, Peditatu mediocri: post diem Dominicum uulgò Iubilate dictum, Isenacum appellit. Siquidẽ Rusticis in superiori Germania modo, quo exposuimus, tumultuantibus, Diabolus per sua organa maximè in Thuringia & uicinis locis similes motus excitat, auctore Thoma Muncero, homine sacrarum literarum scientia perpolito: sed qui sacræ Scripturæ genuino intellectui minimè adhærens, à Sathana recta mente deturbatus, ac salutari Euangelij prædicatione omissa atque contempta, de uita piè ac Christianè instituenda populum pessimè informaret, & ex malitiosa & callida quadam sanctorũ Bibliorum interpretatione uanam & seditiosam

seditiosorum doctrinam confingeret: Omnes Magistratus interficiendos, bona communicanda, nullum Principem, Regem ue esse tolerandũ, populo proponens. Hisce imperitæ plebis animis frequenter inculcatis, Principes contumelioſè proscindit atq; traducit, quibus modis plebem opprimãt: quantis onеribus grauent, quibus artibus expilent, ut subditorum maximo cum detrimento suum luxum sustentent & expleant: cum tamen Christianæ charitatis officium hoc ab omnibus poscat, ne alter alteri se prę ferat, quisq; suo iure, bonis cõmunicatis uiuat. Et quo diabolicæ suæ doctrinæ fucam obduceret, asseuerare non dubitabat, quod ex reuelationibus diuinis, doceret, nec quicquam populo præciperet, nisi à Deo sibi iussum id esset. Verbis dici non potest, quam misere diabolus hominem dementarit, ut & de diuinis reuelationibus se magnificè iactare non erubuerit, & nomen Dei tanta cum uanitate assumpserit. Imò apud posteros haud facilè inuenies, quibus persuadeas, hominem eò impietatis unquam prolapsum, qui plenis buccis tam glorioſas ostẽtationes crepuerit, quibus nihil minus uerum fuerit. Sed & olim consimilis impostura fuit cuiusdam plani, qui Manes dicebatur. Qui etiam omnibus fallacissimè se uenditabat, uerum se Christum, uerum Dei filium esse: designatis etiam sibi discipulis, & magna hominũ multitudine ad se pertracta, quos omnes in eum errorem raptos, in uitæ ac animæ discrimen adduxit præsentissimum. Id quod etiam nunc accidit, Diabolo tanta uersutia utenti, quę ratione humana cõprehendi, & ab ignaris eius rei difficulter credi poterit. At ita cũ hoc Thoma gestũ est, ut facilè quis fuerit, apparere potuerit. Historiam eius ergo bona fide ac diligentia recitabo.

Est oppidum Imperiale ad fines Thuringię uersus Hercyniam syluam, ditionis principis Electoris Saxoniæ, Alstetum nominatum, quò Thomas, multis uarijs q̃ locis eiectus, nimirum Praga Bohemiæ: Interbaco oppido Marchiæ, & Zuiccauia ciuitate Electoris, tandem se contulit. Etsi uerò de semetipso gloriosius multa prædicaret, se spiritum sanctum habere, nec ullum periculum reformidare, quod ab ipso Deo per uniuersum orbem concionandi potestatem atq; mandatum accepisse se mentiretur: nidum tamen ibi sue fraudi peridoneũ quærebat, ut sub pijssimi Principis Friderici, Saxoniæ Electoris, in cuius ditione pastores, uitiosos ritus reprehendentes, periculi magis quàm alibi expertes uiuebant, patrocinio degeret. Primum igitur, ubi sedes Alsteti fixisset, ac aura populari captata, nomen suum uulgo plausibile reddidisset, non solum aduersus Pontificem Romanum, sed etiam Lutherũ docere cœpit, utriusq; doctrinã uitiosam & impurã esse clamitans. Pontificem nimium duris legibus atq; uinculis mentes hominum allegasse: Lutherum soluisse quidem ea uincula, tantis conscientiæ laqueis abruptis, sed in partem contrariam peccare, nimis q̃ indulgere, nec ea tradere quæ sint Spiritus & Dei. His & similibus nugis uulgus summopere delectatus, & nouę rei auidus, cateruatim aduolat, studio res inauditas cognoscendi. Nam & Homerus testatur, Cantionem nouam, uulgo optimã uideri. Quid uerò Papa, quid Lutherus doceant, hoc loco recensere supersedeo, & nimis longum foret: uerùm quæ, Muncerus, ex uno in alterum errorem prolapsus, tradiderit, id uerò cognitu cum primis utile & necessarium erit: ut nos ipsius exemplo docti, sedulò uigilemus, & Deum incessanter oremus, ut sub alis misericordiæ suæ nos conseruatos, nullo errore seduci, fascinari ue sinat, ne penitus à uera Christianæ pietatis uia deflectamus. Quemadmodum enim fieri solet, ut si quis ambulet, & à recta uia semel deerret, magis magis q̃ ab ea declinet: sic etiã in his rebus fieri cõsueuit. Quam primũ enim quis à Sathana seductus, animũ à rectà ratione, & ueritate aliò traduxerit, is indies magis magis q̃ in præcipitiũ fertur. Iam paucis cõprehendemus, qd Thomas tradiderit. Docebat pietatẽ in cõstitutionib. Papisticis non cõsistere, ideo q̃ licere

Pontificis

Pontificis decreta, quòd nihil ad salutem conferant, negligere. Verùm ut ad uerã Dei cognitionem perueniamus, & æternam salutem consequamur, aiebat, omnium primò fugienda esse manifesta flagitia, cædes, adulteria, blasphemias, castigandum esse corpus, & ieiunijs macerandum, Vtendum habitu simplici, rarò loquendum, uultum ad seueritatem componẽdum, & alendam barbam. Has & similes nugas pueriles uocabat crucem, carnis mortificationem, & disciplinam in Euangelio comprehensam. Hicq; erat omnium ipsius concionum scopus. Ad hunc modum instructis, dicebat aliquò esse comigrãdum extra turbam, hominumq; frequentiam, ac sæpius cogitandum de Deo, quis sit, an nostri curam aliquam gerat. Ibi corda in maximam dubitationem adducta, scire desideratura num Deus nos magnopere curet: num uerum sit, quod Christus nostri causa mortem subierit, & nos redemerit, cum tamen uita nostra in tantis miserijs & afflictionibus constituta sit, scire quoq; cupiture, an religio nostra sit prę ferenda Turcicæ. Et eatenus ipsius doctrina toleranda fuisset: sed postmodũ horrendas blasphemias docere cœpit. Nam si (quæ retulimus) postulare debere homines fecissent à Deo signa, quo testetur nos sibi curæ esse, & ueræ saluificæq; religioni insistere. Quod si nõ è uestigio signum aliquod edat, nihilo tamẽ minus instandum esse precibus, imò grauiter expostulandũ, & iustitiam Deo exprobrandam, quasi minus rectè nobiscum agat. Cum enim Scriptura promittat, eum uelle quæ petuntur largiri, non iustè fieri, quod homini ueram ipsius cognitionem petenti, nullum exhibeat signum. Hanc expostulationem, & hunc fremitum affirmabat uehementer esse Deo gratũ, quod animi nostri propensionem ex eo perspiceret: neq; dubium esse, quin ad eum modum interpellatus, aliquo illustri signo sit se declaraturus, animicq; sitim restincturus: cum de ipso sacræ literæ referant, quòd sitientibus potum præbeat. Ad hæc promittebat Deum esse uenturum, & uerba secum commutaturum, uelut cum Abrahamo, Isaac, & alijs patribus. Imò palàm (horrendum auditu) imputdens os effutiebat, nisi Deus tanquam cum patriarchis sibi loqueretur, tela se in ipsum coniecturum. Et hanc uiam in cœlum dicebat esse certissimam, & ad suas quisquilias cõfirmandas dicta quædam Scripturæ deprauata adducebat, horrendum intonans. Contradicentes appellabat Pharisæos, qui Deum non uerè nossent, sed Scripturas ueluti cœci scrutarẽtur, Deum non quærentes, uel inuenientes. Hæc omnia plebi suauiter arridebãt, quod cum Deo loqui, & miracula uidere deberẽt. Etenim humana natura curiosa est ad res magnas & secretas cognoscendas. Ad hæc rudi & agresti plebeculæ gratissima erat opinio se beatiorem & doctiorem omnibus, literis operam nauantibus. Sed & utile erit referre, quibus signis Thomas intenderit. Dicebat Deum per somnia patefacere suam uoluntatem, in ijsq; propositi sui fundamẽtum collocabat. Si quis ergo de Deo somniasset, is se pium reputabat: aut si cuius fortè somnium explicari poterat, eum Thomas Christianum & prophetam æstimabat, & magnis laudibus pro cõcione celebrabat, ut multos hac sua uersutia ad se pertraheret, & ijs laudibus eos ad sui fortiorem defensionem commoueret: & plebis animos sibi conciliaret: in quorum etiam gratiam cæremonias in templis à maioribus institutas, cantiones, uestes Pontificales, & eius generis alios ritus immutauit. Eiusmodi namq; nouitas plebis leuiculæ animo gratissima esse consueuit. Igitur auctoritate apud uulgus sibi parta, eius, uiriumq; fiducia fretus, paulatim ad id, quod iam pridẽ molitus erat, accedit. Et in eo, quod suprà diximus oppido Alsteto: cœpit eorum nomina conscribere, qui facta societate iureiurando promiserant auxilia: ut impijs interfectis, noui substituerẽtur Principes & Magistratus. Etenim à Deo sibi mandatum esse ferebat, ut illis sublatis nouos constitueret.

Et qui-

Et quidem hactenus nihil in Magistratum apertè attentarat, sed somnia tantum, quod narrauimus, nimirum quomodo homines piam uitam instituere, Deum uerè agnoscere deberent, uulgò inculcauerat, & tam aduersus Lutherũ quàm Papam docuerat. Nihil igitur seditiosi ipso docente, Princeps Saxoniæ Fridericus eum quantumuis satis importunum ferebat, præsertim cùm Luthe rus per literas intercederet, ne finibus expelleretur. At eo uiribus instructo ad turbas excitandas, & seditiosè docere incipiente, Magistratui politico non esse obtemperãdum, eum ab imperio remouendum, inquiens ad id perficiendum à Deo se delectum, quo toti mundo subueniretur. Tum uerò ea temeritate hominis Fridericus Princeps, motus eum suis finibus eijcit, utpote qui duos crassos, nec ulla ratione ferendos errores seminaret, alterum de rebus spiritualibus, quòd miracula à Deo poscenda, quòd Scripturæ nõ acquiescendũ, quòd somnia accepti sancti Spiritus sigilla sint euidentissima: alterum quòd magistratui Politico non sit parendum, cum tamen Scriptura eam obedientiam seriò efflagitet: Iectus inde cristis demissis profugit, & per aliquot menses delituit. Deum tamen, impellente Sathana quiescere nequiens, Noribergam se contulit. Deo autem illam Rempub. singulari misericordia custodiente, ac Senatui sana ac pia consilia suggerente, inde expulsus est magno ciuitatis & totius Germaniæ commodo. Nam si euentus uotis ipsius illic respondisset, metuendæ fuissent seditiones multo horribiliores quam in Thuringia. Inde ergo recedens, Mulhusium Thuringiæ oppidũ se recipit. Cum etenim Alsteti degeret, deploratos aliquot ciues Mulhusanos ad se pellexerat, quorum opera & familiaritate deinde consequutus est ibi docendi munus. Senatu autem loci eius huic rei uehementer renitente, Thomas ipsi sensim insidias parare incipit, & plebẽ impellit, ut impio Magistratu abrogato, nouum & Christianum constituat, cuius auctoritate sibi concionandi facultas sit. Id quod uiris honestissimis, munere suo partim deiectis, partim urbe expulsis, factum est: Tale uerò fuit istius Christiani Magistratus initium. Post hęc oppidani monachos eijciunt, eorumq; domicilia, multis magnificis spolijs raptis, inuadunt. Iohannitę præcipuum & longè ditissimum prędium ibi habebant, quod obuenit Muncero, qui iam non solum Ecclesiasten agebat, sed etiam Senatorem. Ex reuelationibus enim diuinis iudicandum esse dicebat, & Biblijs: deq; rebus omnibus arbitratu suo pronunciabat, & quidquid diceret sacrosanctum illis erat. Bonorum quoq; communionem docebat, de qua in actis Apostolorum legitur, quod in initio Ecclesiæ omnes facultates in unum contulerint, Christi nomen profesi. Ea uerò doctrina Thomæ effectum est, ut uulgus ab operis atq; labore desisteret, & qua quisq; re careret, eam ab alijs, qui abundabant etiam inuitis acciperet, dicens: Christi mandatum esse, ut diuites pauperum egestatem suis bonis subleuent. Hæc à multis quotidie fiebant: idem facientibus qui cum Thoma ædificium Iohannitarum incolebant. Ea peruicacia Thomas quotidie utebatur, & indies magis magisq; augescebat, uicinis Principibus grauiter comminans, se eos humiliaturum. Hæc ille ferè per annũ agitabat, ad annum usq; Domini M. D. XXV. Etsi uerò doceret à Deo sibi mandatum ut impios Magistratus remoueret, nihil tamen moliri hactenus ausus fuerat. Cum autem per Sueuiam atq; Franconiam homines plebeij ac Rusticani ad XL. millia sumptis armis magnam nobilitatis partem profligassent, cõplures etiam arces atq; castella diripuisset & incendissent: tum principibus consternatis, ac nobilitate ferè oppressa tempus idoneum rei gerendæ oblatum, ac Rusticos rerum potituros, existimans, in publicis concionibus iactitabat, se in campum prodituru, ac mandata à Deo exercuturum. Conflatis igitur machinis bellicis in æde Frãciscanorum, colonos multos ex agris, spe prædæ ac fortunæ melioris ad se pertrahit.

Aderat ei socius omnium consiliorum quidam insigni audacia, & desperata præditus malitia, Phiferus, monachus Apostata, qui somnijs, nocturnisq; spectris plurimum tribuebat, ac inter alia tum forte iactabat, per quietem se uidisse quodam in stabulo maximam uim, copiamq; murium, quos fugasset omnes. Hoc sic accipiebat. A Deo sibi esse mandatum, ut sumptis armis, & eductis copijs, nobilitatem omnem suis possessionibus exturbaret. Cumq; Muncerus timore magno perculsus hoc illi nec permittere, nedum auxiliari uellet, ille tanta iracundia excanduit, ut Muncero interminaretur, se nisi præsentē manum in expeditionem educere sibi permittat, & populū à proposito deterrere conetur, omnibus finibus ipsum exterminatū iri. Etsi uerò prius ille uehementes habuisset ad populum conciones: tamen, perspecto præsenti periculo, remissior aliquanto erat, neq; fortunam periclitari uolebat, antequam omnes cum uicini essent in armis. Quare quò rem facilius conficeret, ad opifices qui per agrum Mansfeldensem metalla effodiunt, dat literas huius tenoris: Charissimi fratres, quàm diu stertitis? quam diu uoluntati Dei non adstipulamini? ideo ne quòd uobis uideatur deseruisse uos? Ah quoties dixi uobis quomodo esse oporteat. Deus se diutius manifestare nequit, necesse est, ut fortes sitis. Sin secus feceritis, sacrificium cordis uestri cōtribulati frustraneum erit, maioribus denuò miserijs subijciendi, quod uobis certò confirmo. Si propter Deum supplicio affici recusatis, oportet ut Diaboli martyrio coronemini. Quapropter cauete, ne timidi, uel negligentes sitis, neq; peruersis, fatuis, impijs, ac dementatis nebulonibus diutius assentiamini: incipite demum & pugnam Domini summa contentione pugnate: res enim id exigit. Fratres uestros etiam cohortamini, ne Diuinum irrideant testimoniū, aliàs omnes in uniuersum peribunt. Tota Germania, Francia, Italia bellis ardet, Magister ille Ludum incipiet, nebulones saltare cogentur. Fuldæ in hebdomade paschali tria monachorum collegia deuastata sunt: tercentum millia Rusticorū in Klegouia, Hegouia, & ad Nigram syluam sunt in armis, numero indies augescente. Hoc unicum metuo ne uafri isti homines in conditiones confictæ pacis consentiant, quòd imminens periculum nondum agnoscant. Vbicunq; uestrūm tres sunt, qui in Deo fiduciam collocant, solum ipsius nomen & gloriam quærunt, centena millia aduersariorum non reformidabitis. Agite, agite, agite, tempus exspectatum adest: nebulones isti non secus ac formidolosi canes metu exhorrescunt. Adhortamini fratres, ut exoptatam pacem consequantur, & promissis datis stent. Vltra quam dici potest, necesse id est. Agite, agite, agite, ne uos moueat, quòd Esau blandis uos uerbis compellet. Genes. 33. Ne respicite calamitates impiorum, adeò amicè uos rogabunt: Flebunt, supplicabunt, ueluti pueri: ne misericordiam illam ipsis impartiamini, uidete, quemadmodum Deus per Moysen præcepit, Deut. 7. idipsum reuelauit & nobis. Pagicos, oppidanos incitate, præsertim opifices metallicos, & alios cōpotores ad eam rem ualidos. Diutius quiescere nos non oportet. Ecce, dum hæc scribo, nunciū affertur mihi, qua ratione populus præfectum Ducis Georgij arce eripere uoluerit, ob hanc causam, quod tres uoce clandestina tollere molitus sit. Rustici agri Isfeldici, qui est ditionis Moguntinæ, contra suos nobiles læta uictoria potiti sunt: nec ullus in gratiam reditus ipsis patet. Multa sunt exemplo uobis, res ad extremū redijt. Agite, agite, agite, uos mei socij fidelissimi, Balthasar & Bartholomæe Krumpij, uosq; Valentine & Episcope (hæc enim complicum præcipuorum nomina erant) omnino res uobis suscipienda, agenda, & administranda erit: fortiter eos aggredimini. Literas has opificibus metallicis offerri curate. Impressor meus intra paucos dies ueniet, aliter impræsentiarum agere non possum. Si præsens esse possem, fratribus facilè fortiorem animum injcerem, quam sunt impiorum nebulonū arces

& omnia

& omnia arma in toto mundo. Agite uiros uos præbete, uiros uos exhibete, dum ignis feruet. Ne, quæso, mucrones ueſtros incruentos in uagina reconda tis. Tundite Nimrodis incudē aſſiduis malleis, turres ipſius funditus deſtruite. Fieri nequit, ut dum ipſi uitam uiuunt, ſine timore uos ſitis. Salutarem doctri-nam Dei nemo uobis audebit prædicare, dum ipſi uobis dominentur. Agite, agite, agite, dum tempus fert. Dux ueſter Deus eſt, eum ſequimini: Hæc Math. 24. declarātur. Quare ne ullo periculo deterreamini, cauete. Deus eſt uobiſcū, ut 2. Par. 2. ſcriptum eſt. Hæc Deus dicit, ne quid metuatis, uel tantam multitu-dinem expaueſcatis. Non ueſtra, ſed Dei pugna eſt: uos non eſtis qui præliami ni. Strenuos uos gerite, Dei admirādum & ingens auxilium uobiſcum eſſe ſen tietis. Hæc uerba cum Ioſaphat auribus percepiſſet, ad terram concidit: ſic & uos facite, Dei auxilio freti, qui uos in uera fide, ſine ullo timore humano cor-roboret. Amen: Datæ Mulhuſij. M. D. XXV.

Dum hæc Muncerus factitat, Fridericus dux Saxoniæ Elector è uita dece-dit, fratre Ioanne hærede relicto, cùm ipſe liberis careret, triduo ante mortē epi-ſtola conſolatoria ad fratrē ſcripta, fore Deum regionis iſtius, quæ eius clemen tia in multis & magnis periculis ſeruata ſit cuſtodem, nec longum fore hūc er-rorem plebis, ſed curandū eſſe, & per paſtores de officio ſuo homines rectè eru direntur. Et ut ipſe habeat præſidia, & paucis caſtigatis parceret multitudini. Deinde actis gratijs pro perpetua beneuolentia, ſignificat iam morbi ſæuitia naturæ uires ſuperatas eſſe. Sed in cœleſti Eccleſia futurum, ut iterum dulciſſi-ma cōſuetudine fruantur. Cum igitur Fridericus tanquam ex hac ſtatione ab-ductus eſſet, Iohannes patriæ ſolus præfuit: Cæterùm Phiferus is, de quo dixi-mus, cum moleſtè ferret omnem cunctationē, egreſſus cum ſuis, uicinū agrum Isfeldicū depopulatur, arces & templa diripit: ex nobilitate multos profligat, quoſdam etiam in cathenas conijcit: pòſt domum reuertitur magna cum præ-da. Quæ quidem res, quoniam feliciter ſucceſsit, magnam excitauit alacritatē in animis uulgi, præſertim cum iam uicini quoq; ſeſe cōmouerent, & in Manſ-feldicum ac Stolbergicum agrum inuaderent. Itaque Muncerus, quod omnes ubiq; iam defeciſſe crederet, Mulhuſio profectus cum trecentis perditiſsimis nebulonibus, cōiungit ſe Franckenhuſianis. Hæc cum fierēt, Albertus Manſ-feldicus collectis celeriter equitibus circiter ſexaginta, & impetu in illos facto, ad ducentos interficit. Ea re perterrefacti, neq; longius progreſsi, Franckenhu ſium fuga petunt: ibiq; commorati, maiores copias expectant. Ibi cum ſubſiſte rent, is, quem diximus, Albertus Mansfeldicus Chriſtiana commiſeratione du ctus, literis ad ipſos datis, operam ſuam de hoc tumultu componendo ipſis be nignè defert, quò effuſio ſanguinis & cædes caueantur: & eos ad obediendum Magiſtratui cohortatur. Illis uerò locum & diem tractationis ſub fide publica Comiti præfigentibus, ad ſextum ſubſequentem in pago Rita, Comes, cui alia negocia & impedimenta obiecta fuiſſent, tranſactionem in diem Dominicum reijcit. Thomas itaq; qui Ruſticis adeſſet, rem eò deducit, ut ipſi tractatione pa cis neglecta, nullum reſponſum Comiti dent: ſed ipſe acta ab eo ex timore & conſternatione proueniſſe ſomnians, ei literas ſubſequentis tenoris ſcribit. Ti-mor & tremor operantibus iniquitatē. Rom. 2. Quod epiſtola Pauli ſic abuta-ris, equidem me tui miſeret. Tu non alio modo conſceleratum Magiſtratū con firmare atq; tueri conaris, quam quo Pontifex Petrum & Paulum Apoſtolos lictores ordinauit. An non exiſtimas Dominum Deum noſtrum plebem ſuam inſipientem & rudem commouere poſſe, ut in furore tyrannos deijciat? Oſeæ 13. & 8. An nō ſancta Dei mater, Spiritu ſancto repleta, de te tuiq; ſimilibus ua-ticinata eſt? Lucæ 1. Depoſuit potētes de ſede, & humiles (quos tu cōtemnis) exaltauit. An non guſtando milia Lutherana, & offas Vvitebergicas percipere

potuisti, quæ Ezechiel propheta cap. 37. prædixit? Ad hæc in eodem Martinia no fœtore odorari non potuisti, quæ idem propheta cap. 39. ulterius dicit, quomodo Deus conuocatis omnibus auibus cœli, carnes principum eas deuorare, & bruta animalia sanguinem magnatum ebibere iusserit prout in Apocalypseos cap. 18. & 19. scriptum legitur. An non arbitraris, quòd Deus suum populum plus curet, quam uos tyrannos? Tu sub nomine Christi Ethnicus esse uis, & auctoritate Pauli te conuestire: Sed aditus omnes tibi præcludentur, hoc te scire uoluimus. Si cognoscere cupias, Dan. 7. quomodo Deus omnem potestatem plebi dederit, & relicta tua religione te nobis sistere uolueris, id acceptabimus, & te communem fratrem agnoscemus. Sin minus, friuolis tuis & absurdis nugis contemptis atq; neglectis, contra te tanquam Christianæ fidei acerrimum hostem arma feremus. Hęc tibi significanda duximus. Datæ Franckenhusij, die Veneris post diem Dominicum Iubilate. Anno 1525.

Verùm interea dum Muncerus missis tandis litteris occupatur, impetus suorum retardantur: eaq; interposita mora uicini Principes equites cõscribunt ad mille quingentos, & pedites non multos. Hi erant Saxoniæ princeps Elector Ioannes, eiusq; patruelis Georgius, Hassiæ Landgrauius Philippus, & Brunsuici dux Henricus: quibus omnibus extremũ periculum imminebat, nisi coniunctis uiribus festinanter seditiosas turbas aggrederentur. Nam & eorum Rustici in rebellione & motu erant. Non longè à Franckenhusio consederant Rustícani in monte, & contractis curribus muniendi sui causa, difficulter ab equitibus adiri poterant: sed neq; tormentis, nec armis erant idoneè instructi, & pleriq; rei militaris imperiti. Quapropter principum aduentum & uires conspicati, ita perterrefiunt, ut statim literas deprecatorias in hęc uerba mittant. Nos cõfitemur Iesum Christũ. Non hic sumus, ut cuiquam noceamus, sed propter diuinam iustitiam conseruandam. Neq; sumus hic ad effundendum sanguinem. Si uos idipsum quoque uultis, nihil mali faciemus uobis. Secundum hæc sciat unusquisq; quid agat. Ad ea responsum est à principibus in hunc modũ. Cum uos ex deliberata nequitia, ac seductoria doctrina falsi Euangelij uestri multipliciter contra Redemptorem nostrum Iesum Christum cædibus, incendijs, uarijsq; in Deum impietatibus, præsertim in uenerabile sacramentum, & alijs blasphemijs uos contaminetis: ideò nos tanquam ij, quibus à Deo gladius commissus est, hic congregati sumus ad uos puniendos, tanquam blasphematores Dei: nihilominus autem cum arbitremur plerosq; miseros homines ad hæc malè seductos esse, ex Christiana charitate decreuimus, si tradideritis nobis falsum prophetam, Thomam Muncerum, simul cum complicibus suis uiuum, uosq; dediderítis & clementiæ & indignationi nostræ, nos in hunc modum uos recipiemus, & ita geremus nos erga uos, ut iuxta qualitatem causę clementiam nostram experturi sitis. De his uestrum responsum festinanter petimus. His principum literis in cõcione recitatis, Thomas, de suo periculo sollicitus, prodit, & ad magnam seueritatem uultu composito, uidetis, inquit, cõmilitones atq; fratres, non procul à nobis tyrannos: qui licet in capita, uitamq; nostram conjurârint, adeò tamen sunt animis deiecti, nihil ut aduersum nos audeãt moliri. Conditiones autem deferunt ineptas & ridiculas ut armis uos exuant. Iam uerò cõstat uobis actionem hanc auspicatum esse, me nõ mea quadam auctoritate priuata (nec enim unquam his rebus operam dedi) sed iussu diuino. Quod cum ita sit, meum est officium & uestrum etiam obtemperare, neq; stationem hanc deserere, in qua Deus ipse nos collocauit. Abrahamo quondam præcepit, ut filium immolaret: ille autem etsi quis esset futurus euentus ignorabat, tamen sequutus imperium, nihil recusabat. Ideoq; & filium ei seruauit Deus, & ipsius fidem ingentibus ornauit beneficijs: nos etiam qui planè sumus in eodem statu,

perseuerare,

perseuerare, & exitum Deo cõmittere debemus. Non dubium est autem, quin ex animo cedant omnia. Videbitis ipsi manifestum auxilium Dei. Quidquid enim est hostiũ ubicq; profligabimus. Non uno Scripturæ loco promisit Deus affuturum se miseris, & oppressurum esse impios. Ea sanè uox propriè ad nos pertinet: sumus enim tenues & afflicti: & quia cognitionem Dei retinere cupimus atq; propagare, de successu atq; uictoria dubitari non potest. Hostium uerò quę sit conditio, uicissim consideremus. Principes quidem uocantur, sed reuera sunt tyranni: nec enim uestri curam ullam habent, sed omnium facultates exhauriunt, & nequissimis rationibus profundunt. In eo populo quem sibi peculiariter olim delegerat, ita constituit Deus, ne sumptum inutilem Reges facerent, imò iusserit, ut uolumen legum, quas ipse tulisset diligenter inspicerent. Nostri uerò tyranni, quid agunt, aut quibus rebus occupantur? Rempublicam nihil ad se pertinere putant: de miserorum hominum causis non cognoscunt: iudicia negligunt, uias à latronibus obsideri patiuntur: non animaduertunt in prædones, non reliqua scelera coërcent, pupillis atq; uiduis nullum præstãt officium: ut iuuentus rectè instituatur, non prospiciunt: celebrationem nominis diuini non modo prætermittunt ipsi, uerum etiam impediunt: & in hoc solum intenti sunt, ut omnium facultates ad se cõuertant. Itaq; nouas quotidie rationes expilandæ pecuniæ reperiunt: nec ad alendam, aut retinendã pacem consilia sua referũt: sed ut quam maximè locupletati helluentur in omni genere luxus atq; superbiæ. Nimis enim notum est, quam leuibus & ineptis de causis, quantas sæpe numero turbas excitent atq; bella: quibus deinde quod reliquũ fuit miseris hominibus totum perit & euertitur. Nimirum hæ sunt illæ præclaræ uestrorum principum artes atq; uirtutes in quibus exercentur. Non est igitur, ut quisquam existimet, Deum hæc esse laturum amplius, uerùm certò statuendum est fore, ut sicut olim Chananęos deleuit: ita etiã istos exturbet. Nam ut illa fortè, quæ recitauimus, tolleranda possint, an impunè putatis hoc illis futurum, quod summam istam & execrandam impietatem Ecclesiasticorum defendunt atq; propugnant? Quis omnium ignorat, quantum flagitij sit in illa missarum nundinatione? ne quid de reliquis dicam. Sanè sicut è templo quondam Christus eiecit emptores & uenditores, ita nunc etiã sacrificulos, eorumq; patronos atq; socios eliminabit. Et quemadmodum Deus Phineen quondã collaudauit, quod adulterium à Cosbi commissum punijsset: sic etiam in Missicularum scortatione & incesta libidine punienda secundum euentum nobis dabit. Fortes igitur estote, & Deo gratificaturi, turbam hanc omnem inutilem cõtrucidate. Pacificandi certè ratio nulla nobis apparet, uel honesta, uel tuta, uel firma satis. Nec enim à proposito desistent, neque libertatem nobis restituent, neq; uerum Dei cultum permittent. Atqui moriendũ sit potius, quam ut ipsorum nequitiam approbemus, & Euangelij doctrinã nobis eripi patiamur. Certissimè autem uobis confirmo, Deum nobis affuturum, nostramq; fore uictoriam: nam ipsemet coràm mihi promisit: ipsemet, inquam, qui fallere nõ potest, aut mentiri, iusserit, ut ad hunc modum rem aggrederer, mulctato Magistratu. Nimirum in hoc maximè fit illustris Dei potentia, cum hostium ingens multitudo parua manu cæditur. Vt alia multa prætermittam, notum est uobis, quid Gedeon cum paucis quibusdam, quid Ionathas uno tantum seruulo comitatus, quid Dauid, cum solus ipse contra uasti corporis monstrũ Goliath, sua modestia & aspectu solo terribilem pugnaret, perfecerit. Dubium uerò nullũ est, quin hodiernus etiam dies consimili spectaculo sit futurus insignis, & ad posteritatem omnem memorabilis. Nam etsi nõ satis instructi uidemur armis, ac rebus necessarijs muniti, tamẽ superabimus hostem: & hæc cœli terræq; machina potius immutetur, quàm ut à Deo destituamur. Sic olim natura maris immutata

fuit,ut Israelitæ,persequente Pharaone,periculum euaderent. Nihil autem uos moueat rationis uestræ iudicio,nihil perturbet obiecta quædã periculi species & umbra,sed fortiter in hostem impium & cõsceleratũ inuadite: neq; uos perterrefaciant illorum machinæ bellicæ:pilas enim omnes,quas illi tormentis in nos eijcient,ueste mea sum excepturus:Ecce,uidetis´ne, quàm habemus propitium Deum? Aspicite,quæso,signum ac testimonium illius erga nos perpetuæ beneuolẽtiæ. Tollite oculos,& arcum cœlestem mihi cernite. Quum enim in uexillo nostro sit idem depictus arcus,clarè significat Deus hoc simulachro, quod è sublimi nobis ostentat,affuturũ se nobis in prælio: tyrannis aũt nostris interitũ & excidium hoc ipso denunciat. Magnis igitur animis irruite, certissima cum spe Diuini auxilij. Nec enim uult Deus pacẽ ullam uobis intercedere cum impijs aduersarijs. Facto dicendi fine, trepidabant nihilosecius omnes ob præsentis periculi magnitudinem. Sed agebãtur omnia tumultuosè,nullo certo,uel imperio,uel ordine. Deinde erant in ipsis nonnulli profligatæ homines audaciæ,& ad quoduis facinus parati. Hi cum sua sponte ad maleficium inclinarent,tum ea,quam diximus cõcione,magis accendebãtur. Sed in primis excitabat eos ille,de quo dictũ est,in cœlo cõsistens arcus: idq; certissimũ uictoriæ signum esse iudicabant. Accessit,quod copiæ erant nõ exiguæ, ad octo circiter hominũ milia,& locus ad defensionẽ oportunus. Itaq; hi quos modò nominaui,clamore sublato,monebãt,ut arma sumerent omnes, & forti animo in hostem exirẽt,simul cantionẽ addebãt, qua Sancti spiritus imploratur auxiliũ.

Missi antea fuerant ad ipsos nonnulli cum mandatis,& inter hos adolescens nobili genere natus,& unicus sui parentis iam senio confecti superstes filius. Hunc Muncerus contra militiæ morem,contraq; ius gentium interfici curauerat. Eo indignissimo facto magis exacerbati principes, cõmittendi prælij dant signum,& copias instruũt. Ibi tum Hessorũ Princeps Philippus, licet inter eos ætate minimus,obequitans huc illuc,& ad defendendã pacem milites cohortans,huiusce modi orationem habuit. Charissimi cõmilitones & amici, miseram hominũ multitudinem oculis uestris cõspicitis,contra quã in aciem educti estis,ut desperata ipsius malitia,& effrenata libido coerceatur. Quanquam autem Principes infelicem à uæsanis hominibus suscepti belli euentum & fortunam miserati,cum ipsis egerint,ut armis discedentes, sesecq; Principibus dedentes,motuum auctores & capitaneos traderent:tamẽ ut responso eos minimè dignati ad prælium sese cõparant,sic nos necessitate adstricti ad propulsandam uim,cum summo scelere nobis illatam cõpellimur. Quare uos adhortor, ut uirili animo eos aggrediamini. Nam etsi de Principum duritie ualde cõquerantur:tamen sufficientem causam nullam habent concitandi seditiones, & in Magistratus arma sumendi. Etenim Deus grauiter & seriò præcipit, Magistratum in honore haberi,& timeri debere,quod Deus adeò firmum & ratum esse uoluit,ut seditiosos nunquam inultos & impunitos dimiserit, Paulo dicente: Qui magistratui resistit,punitur:Nam is à Deo ordinatus est. Propterea Deus adeò eum tuetur,ut nulla creatura ipsum tollere queat. Quemadmodũ enim Dei constitutio est,ut dies & nox alternis se sequantur, nec quisquã hominum Solem cœlo diuellere,& diem & noctem extinguere potest: ita nec diabolus, nec huius Apostolus,uel Rustici Munceriani in legitimo supprimendo Magistratu successum sunt habituri. Quæ non idcirco dico,quod Princeps memetipsum ornare,& Rusticanorũ causam aggrauare cogitem: sed quod uerum est, refero. Præclarè mihi constat,quod non rarò reprehensione digni sumus,quoniam homines sumus,& sæpè labimur:ueruntamen non eam ob causam seditiones excitare plebeis licet. Deus Magistratus honorari præcipit. Tum uerò cum primis honorãdi sunt,quando potissimum honore indigẽt. Sed omnium maximè

maximè tum eo egent, si ignominiosè traducantur: & si fortè quid delinquunt, id placidè ferendum scilicet est, & contegendum, prout Sem parentem suum Noe nudum tegebat, quò pacificè tranquilleq; uiuatur. Verùm hi perfidi plagus spargunt, & multo plura affingunt. Etenim fictum est, & tralatitium, quod communem pacem non tueamur, quod iudicia non constituamus, quod cædem & rapinam in nostris finibus non fieri accuratè prouideamus. Nam totis uiribus in id incumbimus, quò pace conseruata nostris in ditionibus pacatam uitam agamus. Et certè leue est subditorum onus, quod annuum stipendium atq; uectigalia dependant, illorum laborum & curarum respectu, quæ nos sustinere cogimur. Sed ita comparatum est in humanis, ut quisq; suum onus æstimet grauissimum: nemine contrà perpendente, quæ alij sustineāt. Rustici leuia quidem tributa dant: sed ea de caussa multis commoditatibus fruūtur. Domicilia habent cum liberis & familia ab omni periculo tuta: liberi ipsorū uera pietate, & omni honestate imbuuntur: colunt agros, exercent pecuariam, & multis alijs modis rem suam augent: & ipsorum commoditatibus promouendis illa tributa impenduntur. Dic nunc, quæso mihi, ad quem maior ex his utilitas redundat? ad subditos nimirum. Quod cum ita sit, illorum quotidianæ querimoniæ friuolæ sunt, & nullius momenti. Sed in Republica gubernanda non omnia ritè expediri posse dices? uerum id est. Nam hoc commune mundi malum putatur. Sed nec ruri segetes singulis annis lætæ luxurianteśq; proueniūt. Quare Deus à subditis postulat, ut honorem Magistratui tribuant. Is etenim nisi erraret, in nullo honoris discrimine uersaretur: quādoquidem autem in periculo est, Deus eum proteget atq; fouebit: sanciuitq; ipsum honore affici. Verum conqueruntur, Euangelij doctrinam sibi nō permitti liberam, ne hæc quidem satis est iusta causa faciundæ rebellionis. Nam sicuti Christus Petrum gladio ferire uolentem acriter reprehendit: ita quilibet suæ fidei rationem reddere paratus esse debet. Si Magistratus eam ob causam morte ipsum punire uolet, id ferat: nec arrepto gladio alios excitet, ut ui sese defendant. Christum in Petrū ense pugnantem grauem tulit sententiam, morte dignū ipsum esse contestans. Qui gladio pugnat, gladio peribit, inquit Christus, & semet crucifigi passus est. Similiter seditio Christi exemplo atq; mandato dispar est. Porrò, luce meridiana clarius est, quod Muncerus & eius sectatores Euangelij quidem nomen obducant atq; prætendant: sed ipsa re nihil aliud moliuntur, quam latrocinia, rapinas, & id genus nefaria scelera: & tantò sunt nequiores, quāto ipsos impia & sanguinaria consilia non pudeat tam specioso titulo commendare. Hoc mirum ipsorum est Euangelium, ut ditiorum fortunas diripiant, ut alienis uxoribus & liberis uim inferant, ut Magistratum omnem è medio tollāt, ut omniū flagitiorum summa sit impunitas. Tam insignes sacrosancti Euāgelij, diuiniq; nominis blasphemias Deus impunitas non habebit. Nam in secundo Decalogi præcepto scriptum est: se inultum eum non habiturū, qui nomine ipsius sanctissimo abutatur. Cum igitur Rusticani tam impiā & turpem causam foueāt, Deum blasphemando, Magistratum criminādo, nec iustam seditionis causam habeāt, fortiter in ipsos, tanquam latrones pugnate: publicam tranquillitatem conseruate: bonos & honestos uiros iuuate: coniuges atq; liberos uestros ab ipsorum ui uindicate ac defendite: in eo rem ipsi Deo longè gratissimam facietis. Et quanquam, ut humana fert ratio, infatuatis hominibus resistendi sat uium habeamus, tamen ad arma nunquam ipse ueniissem, nisi Deo gratum hoc officium fore scissem, qui nobis gladium attribuit, non ut latrocinium exerceamus, uerum ut iniustam uim omnem & latrocinium depellamus & coherceamus. Quare cum non sim nescius, quod ipsos puniendo rectè faciā, nō dubito,

quin Deus uictoriã nobis sit largiturus. Inquit enim: Qui Magistratui resistit, eum iri punitum. Ea habita oratione, fit impetus in hostem, & tormentis primũ res agitur. Ibi uerò miseri homines, uelut attoniti, ac mente capti, neq; se defendebant, neq; fuga salutem quærebant: & carmen illud populare, quo Spiritus Sancti auxilium inuocatur, cantabãt. Plericq; namq; confisi magnificis Muncerí pollicitationibus, cœlestem opem expectabant, & Thomã omnes pilas suis manicis excepturum arbitrabantur. Emissis tormẽtis, cum iam in munitiones ipsorũ fieret impetus, ac multi passim interficerentur, ibi demum in fugam conlecti, Franckenhusiũ petunt. Alij quidam in diuersam montis partem sese recipiunt, & in proxima ualle perpaucos equites aliquandiu sustinẽt, ex ijsq; unũ & alterũ interficiunt. Cum enim magna sui parte fugerẽt, equites absq; ordine uagabantur huc illuc dispersi ac dissipati, & in quam quisq; partem uenisset, ibi fugientes persequebantur. Sed nonnullis, ut anteà dixi, desideratis, accensi ira studiorum uindictæ, magis instabant, & ad quinq; circiter millia conciderunt. Mox à prælio fuit occupatum Franckenhusium, in eoq; capti circiter trecenti, capiteq; mulctati. Profugerat in oppidum Muncerus, inq; domum nõ procul à porta sese abdiderat. Potuisset interea à temporis cõmodissimè euadere, uel loco saltem tutiori se abscondere, nisi singulari, iustoq; Dei iudicio cõpræhendi debuisset, nemine de ipso studiosius inuestigante, nec ipsum quærente. Verùm euenit, ut Luneburgicus quidã nobilis in ea ipsa domo diuerteret. Eius famulus, cum in superiorem ædium partem ascendisset, spectãdi causa domicilij, reperit quempiam decumbẽtem in lecto. Rogat qui sit? an ex tumultu profugerit? an sit è seditiosis unus? Inficiatur ille, seq; iam pridem ait febricitare. Forte iacebat ad lectum crumena: corripit eam alter, ut aliquid auferat prædæ. Postq; aperuit eam, literas offendit, quibus Albertus Mansfeldicus Muncerum monebat, ut ab incœpto desisteret, nec ad seditionem uulgus inflammaret. His perlectis literis, interrogat num ad ipsum eæ sint datæ. Aliquoties neganti, uim intentat. Tum ille deprecat, seseq; Muncerũ esse fatetur. Captus igitur ad Georgium Saxonię Ducem atq; Lantgrauium adducitur. Ab ijs interrogatus, quid ita miseros homines in fraudem pertraxerit: nihil à se præter officiũ esse factũ, & Magistratus, qui doctrinam Euangelij non ferant, eiusmodi rationibus esse cohercendos, cõtumaciter respondit. Occurrit ei Lantgrauius, & Scripturę testimonijs demonstrat, in honore habendum esse Magistratum: seditionem omnem à Deo prohibitam, neq; Christianæ professionis, hominibus licere priuatim ulcisci iniuriam. Ad ea misellus ille conticuit: & quæstioni subiectus, cum præ dolore exclamaret, Saxoniæ Dux Georgius: Tu quidem nunc cruciaris, inquit, Muncere: sed interim cogita miserorũ hominum cladem, qui per te nefariè circumuenti, hodierno die perierunt. Tum ille uelut dementatus magno cum risu, hoc uoluerunt, ait. Ex quibus atrocibus uerbis satis apparuit, Diabolum istum hominem prorsus obsedisse atq; infatuasse, quòd nulla cæsorum hominum miserícordia moueretur. Posteà deductus est Helderungum. Quod id circo factum est, quia ad Ernestum Mansfeldicum literas minaces eò miserat, huius tenoris. Ardua potentia, firmus Dei timor, & stabile uoluntatis eius fundamentum sit tecum, Erneste frater. Ego Thomas Muncerus, olim Alsteti pastor, ad extremũ, & pro abundanti te adhortor, ut tandem propter Deum uiuũ à Tyrannica tua sæuitia desistas, neq; diutius indignationem diuinam in te cõcites. Cœpisti indignis modis Christianos affligere: tu tuæ nequitiæ fidẽ Christianam prætendis: tu Christianos funditus extirpare conatus es. Agè miserrime, egentissimeq; uermis dicito, quis te principem eius populi constituit, quẽ Deus precioso sanguine suo redemit? Teneris testatum facere, te Christianum esse: Debes fidei tuæ rationẽ reddere, quemadmodũ 1. Pet. 3. mandatũ legimus.

Habebis

Habebis ſaluum conductum, uniuerſæ turbæ quo fidem tuam exponas. Excuſatio quoq; de tua notoria tyrannide tibi incumbit: adhæc cõmemoratio, quis adeò te ſitientem reddiderit, quod in detrimentum omnium Chriſti fideliũ ſub Chriſtiano nomine tam Ethnicus nebulo eſſe non erubeſcas? Si emanſeris, & de criminibus tibi obiectis purgare te recuſaueris, id toti mundo notum faciã, ut omnes fratres ſanguinem ſuum effundant, non ſecus ac ſi contra ipſum Turcam præliandum foret. Perſecutionem patieris, & penitus extinguêris. Nam unuſquiſq; promptior erit, ut contra te indulgentias conſequatur, quam olim Papa eas concedente. Nullius certè commodi abs te conſequendi nobis ſpes eſt: nemo uerò quoq; tua cauſa damnum ferre uolet. Deus cor tuum obduruit, non alio modo quam Pharaonis: & tanquam Regum iſtorum, qui Deum delere cogitabant, Ioſue 5. & 11. Proh dolor, quod mundus tuam inauditam & inexplebilem tyrannidem non prius cognouerit. Quam magna & irreparabilia damna humano generi dediſti? qua alia ratione nos, quam ipſe Deus tui miſerebimur? Breuiter, Dei condemnationi temetipſum ſubieciſti. Niſi te coram minoribus humiliaueris, æterna macula tibi contracta eſt, & mancipium Diaboli eris. Ad hæc tibi confirmo, æterni & uiui Dei permiſſu te de ſolio poteſtatis deturbãdum, quòd toti Chriſtianitati prorſus ſis inutilis. Tu nihil aliud quã tetrum flagellum es amicorũ Dei: quod de te, tuiq; ſimilibus dixit Ezech. Propheta, cap. 34. & 39. Dan. 7. Micheas 3. Abacias Propheta inquit. Nidum tuũ diſſipari diruiq; neceſſum eſſe. Reſponſum abs te hodierna die flagitamus: aut in nomine Domini uirtutũ te inuiſemus. Hæc te ſcire uoluimus, ſine mora perfecturi, quod Deus nobis iniũxerit, tu itidẽ quod è re tua erit, facias. Ego ſiquidẽ tibi mox adero. Datum Franckenhuſij die Veneris poſt Iubilate, Anno 1525.

Vt itaque Thomas minas ſuas inanes fuiſſe perſentiſceret, currui alligatus, Helderungum uehebatur. Eò delatus, ac quæſtionibus ſubiectus, initiò confitetur Sacro ſanctum & uenerabile ſacramentum, quod uocant altaris, externè non adorandum, niſi ſpiritu: Id uerò uniuſcuiuſq; uoluntati liberum eſſe. Se ſacramentum Altaris etiam à meridie ægrotis porrexiſſe, etiã intempeſta nocte, uniuſcuiuſq; perſonæ ratione habita.

In Hegouia & Clegouia prope Baſileam aliquot articulos de modo gubernandi ex Euangelio deſumptos, ſe cõſcripſiſſe: ex quibus poſtmodũ alios confecerit. Illarũ regionũ incolas libenter ipſum ſuſcepturos fuiſſe, uerùm modeſtè gratias ipſis actas, nec ſe motuum auctorem fuiſſe, ſed eos prius exortos fuiſſe: Hauſſchinum & Hugofeldium, ut ad populũ eò loci cõcionaretur ſibi hortatores fuiſſe, quòd ubi infideles ſint gubernatores, populus etiã cõſimilis ſit, ac reformatione egeat. Literas ab ipſis ſcriptas ad ſe, in quodã ſacco ab uxore ſua cõſeruari. Arces neutiq; tolerandas, quòd ſubditi nimiũ earũ cauſa grauentur.

Principẽ octo, Comitẽ quatuor, nobilẽ duos eqtes, & nõ ultra alere debere.

Confœderatos habuiſſe ſe Alſteti Bartolum Krump, Alutarium, Balthaſarum Stubener, qui ibidẽ ſeditiones excitauêre. Inter quos fuerit & præfectus, licet grauatim illis ſe coniunxerit. Fœdus in perſequutores factum fuiſſe: duos Alſterenſes modo nominatos, Catalogum fœderatorum habere.

Se à Tilemanno Ganſone Sangerhuſiano paſtore admonitum, ut literis ad populum Sangerhuſanum miſsis, eos ad defenſionem Euangelij incitaret: cõtradicentes ferro perſequeretur: id ita factum eſſe.

Se doctore Strauſsio Vinariæ cum Minoritis diſputationem habente, ad uoluntatem principis Ioannis cõparuiſſe, ac palàm teſtatum coram fratribus, niſi Lutherani quid aliud efficere conarentur, quam ut Monachos & ſacrificos exagitarent, ſatius fuiſſe, à tali actione abſtinuiſſe. Cauſſam, ob quam Principem & Erneſtum Mansfeldicum damnis affecerit, & infectatus ſit, eam fuiſſe, quod

subditi conquesti fuissent, uerbum Dei sibi non doceri ideoq; se mandauisse, ut si id illis non prædicetur, sed à sacris concionibus arceantur, ut tum se concionaturum illis, cõueniant, inq; eo nihil impedimẽti inferri sibi patiantur. A' Mulhusanis se intromissum opera Ioannis Roderi pellionis & cuiusdã uinum adustum cõflantis, & ad S. Blasium habitãtis. Mallerbaci prope Alstetum se fuisse & interfuisse, cum aliquot statuæ templis exportarentur, ac templo postmodũ exusto, pro cõcione spelunca esse proclamasse, ac esse idololatriã merã, eamq; à Deo, phibitã. Ad ea æditui eius loci monitu se discessisse, tẽplo posteà cremato.

Apollonij ab Ellentvueitz ædes à fratribus Mulhusanis ideo direptas atq; dirutas, q̃d esset multis oneroſe, idq; per articulos à fratrib. ad Nigrã syluã editos.

Senatum Mulhusanum confœderationi cõsensum prębere noluisse, sed pleb is arbitrio eam permisisse.

Nicolaum Starck, & Marcum Stobnerũ Zuiccauienses cum Luthero Vvitebergę in quodam hypocausto fuisse, in quo & ipse fuerit, Lutherum inter alia retulisse, quod Alstetensi spiritui os obturarit, se uerò tum temporis præsentem non adfuisse.

Gangolffum pastorem Zenodochij Franckenhusani signum unum collegisse. Huic Helderungenses & Greussenses interfuisse. Hisce ita spontanea confessione editis, ad alia exprimenda tormentis subiectus, fatetur: Henricum & Ioannem Gebhardos Zuiccauienses, in platea à canibus nomen habente habitantes, lanifices etiam in fœdere cõprehensos: Henricum Phifferum sualisse, unicam arcem in qualibet præfectura sufficere, reliquas esse deuastãdas. Se sententiam factiosæ turbæ nomine in Maternum à Sehehofen tulisse, & in eam cõsensisse Ernesti Comitis, inmanitati, & comitatis metu. Portum & refugium in Mulhusio se collocasse, quòd is locus præ reliquis sibi placuisset. Capitaneos eius duos supradictos Pellionem nimirum, & adusti uini factorem, ibi degere. Se capta Helderungensi arce, Ernestum comitem capite plexurum fuisse. Seditionem ideò se mouisse, ut Christiani omnes æquali conditione uiuerent: utq; Principes, qui Euangelio non adhærent, nec fraternè moniti fœdus secum inirent, finibus eiecti trucidarentur: Bartolum Krumpium, Bartolum Zimmerman, Petrum Vvarmut, Nicolaum Rugkerum, Andream Krumpium, Episcopum in Vvolferode, Ioannem Rodemannum, Petrum Schutenum, Petrum Pecherum, Tilemannum Piscatorem, Tilemannum Gansonem, Petrum Rodemannum fœderi Alstetensi adhæsisse, quorum articulus hic fuerit: Omnia esse cõmunia, & pro cuiusq; necessitate distribui debere. Et quicunq; Princeps aut Dominus id nõ fecerit monitus, eum aut decollandũ, aut suspendendũ. Catalogos esse penes Bartolũ Krumpium Alsteti. Aschersleb̃ & Halæ in iuuẽtute cũ in schola hypodidascolus esset, se fœdus, in q̃ fuerint Petrus Blinde Aschersleb̃ensis, Petrus Engel, pellio, Ioãnes Buthnerus, Conradus Sander, Hallẽses, in Ernestũ Saxoniæ Ducẽ, Episcopũ Magdeburgensem, fecisse. Si res ex ipsius animi sentẽtia cessisset, tum se regionẽ Mulhusio uicinã ad decẽ milliaria cum Hassia occupaturũ, & cum principibus & Comitibus acturum, nisi se fœderi cõiungerent, modo quo dictũ est. A' Mulhusanis octo tormẽta bellica submistrata, à comite Stolbergico Franckẽhusanis unam Serpentinã transmissam fuisse: Et hæ quidem Munceri confessiones in tormentis fuẽre.

Post uictoriam, Franckenhusio expugnato, Ioannes Elector, Saxoniæ princeps, dictis anteà principibus nunciat: Si belli reliquias persequuturi, Mulhusianos merita pœna punire uelint, se ipsis auxilio fore, & ad eos obsidendos se societatẽ cum ipsis coiturũ esse. Sibi namq; nõ minus iniqua Mulhusanorũ facta displicere, quã ipsis. Ad ea Principes Electorẽ ad se uocãt Schlothemũ. Eo Mulhusani cognito, Principes distrahere conãtur, missis ad Principẽ Electorẽ literis

literis significantes, quod tractationem ipsius unà cùm Erfordiensium & Northusanorum legatis inter Georgium ducem, & Hassię Lantgrauium ferre possent: uerũ Elector id renuit, & uigore prioris pollicitationis ad Principes Schlothemum uenit, cum his Mulhusium oppugnaturus: qui, coniunctis uiribus, equitum circiter tribus millibus, peditum manu mediocri, tormentis multis, & alijs necessarijs rebus optimè erant instructi.

Ciues ea principum potentia & concordia intellecta, & paucos in urbe ad arma idoneos esse scientes (etenim antè uelut apum examina urbe emigrârant, & ad Franckenhusium perierant) præcipui nominis uiros principibus obuiã mittunt, qui supplices culpam deprecent admissam. Quibus principes respondent, se insignẽ contumeliã & blasphemiã, quibus ipsum Deũ & eius Sanctos affecissent, & præstitã tam Cæsareæ Maiestati, quã sibi inobedientiã, impunitã nullo modo posse dimittere. Veruntamen si se, ciuitatem q; Principũ uoluntati ꝑmitterẽt, se uelle ipsos recipere, saluo Cæsareæ Maiestatis, & sacri Imperij iure.

Oratores in urbem hoc responso reuersi, plebem cõuocant, & quæ sit principum uoluntas demonstrant. Ibi Phiferus Monachus Apostata, quem Muncerus tanquam uicarium ibi reliquisset, cum alijs aliquot seditiosis uehemẽter repugnauit, neq; dedendam urbem esse censuit: reliqui uerò probiores uiri, ex duobus malis minus eligendum rati, decernũt, multo melius esse clementiam Principum expectare, quàm cum eorũ indignatione uitam, bona, ciuitatem q; amittere. Id ergo sentiens Phiferus, noctu portam aperit, & cum quadringẽtis uiris, suis sectatoribus, clàm aufugit. Quo ciues cognito, perterrefacti, confestim magnam multitudinem suarum cõiugum & filiarũ ad principes in castra dimittunt, quæ uiros excusent, & denuò clementiam ipsorum implorent. Fœminis quidem Principes aures præbuerunt, sed ipsarum petitionibus repudiatis, eas domum redire iubent, ac uiris suis annunciare, ut aut clementiæ & indignationi Principum se permittant, aut totius ciuitatis euersionem expectent. Quo principũ animo cognito legati priores rursum ad principes egressi, rem cõponunt, his conditionibus, ut Ecclesiasticos in omne ius, censusq; pristinos restituant: deinde, ut omnes census ipsis persoluãt: turres muros q; ac munitiones demoliantur, nec ea iterum erigant, arma deponãt, denicq; omnes bombardas, puluerem nitratum commeatum q; communitatis Principibus tradãt. Eo facto, ciues Principibus primum retulerunt, qua ratione Phiferus profugisset: Id quod Principes ualde malè habuit. Sed quia facilè suspicabantur, eũ ad Franconicos Rusticos transcursurum, in Præfectura Isenacensi comprehendi eum mandarunt. In die festo Ascensionis Domini ciues Mulhusani omnes urbe in campum egressi, Principibus supplices fiunt: claues portarũ illis tradunt, ipsorum uoluntati se permittentes. Iis igitur in gratiam receptis, oppidum capiunt, saluo tamen Cæsareæ Maiestatis & sacri Imperij iure. Illa ipsa hora nuncium affertur Principibus, in campis adhuc consistentibus, Phiferum cum 92. Mulhusanis ad Isenacum esse captum: qui omnes subsequenti die adducti, Principibus sunt traditi, ex quibus natu minores singulari Principum clementia & bonitate uita donati, reliqui omnes decollati sunt, & in his Phiferus, qui diabolicè obduratus, sine confessione & contritione tanquam bestia ictum gladij suscipere, quàm peccatum agnoscere maluit. Huc etiam paulo pòst adducitur in castra Muncerus, qui tum in angustijs maximis constitutus, animo fuit admodũ perturbato atque deiecto, neq; fidei suæ rationem explicare poterat, ut in eius temporis articulo fieri solet: & ipsius confirmandi causa Henricus Brunsuici Dux illi uoce præibat. Moriturus autem agnoscebat delictum, & errorem, id q; palàm profitebatur: & militum septus corona, Principes hortabatur ad maiorem clementiam erga miseros homines: ita fore, ut nullum eiusmodi

posthac

posthac ipsis sit extimescendum periculum. Simul monebat: ut sacrę Scripturę libros, qui conscripti sunt de Regibus, diligenter euoluerent. Eo sermone absoluto, gladio percutitur: & exempli causa caput eius affixũ hastæ, mediis in campis collocatur. Cochlæus in suo seditionum catalogo, eum assatum, cathenæq; alligatum, tam diu in gyrum ad ignem cucurrisse refert, quo ad animam exhalarit: sed id, ut & alia quamplurima memoriæ ab ipso tradita, ueritate historica caret. Hic tamen Munceri uitæ exitus alta mente sæpius est expendendus, ut quilibet inde discat, fidem non esse habẽdam, his qui de diuinis reuelationibus gloriantur, si quid sacris literis minimè consentaneũ agant. Deus etenim haud quaquam id impunitum dimittit, quemadmodum secundum Decalogi præceptum clarè docet: Non habebit Deus insontẽ, &c. Ad hæc discere debemus, quàm grauiter Deus inobedientiam & seditionem cõtra Magistratus motam punire soleat. Ipsemet etenim Magistratum in honore haberi, ac obedientiam ei præstari mandauit.

LIBER QVARTVS.

DE expeditione Ludouici Palatini contra Rusticos suscepta, in fine secundi diximus, cui frater Fridericus minimè defuturus fuisset, ni in hoc communi incendio præclara uoluntas ipsius improba defectione Rusticorũ quoq; repressa fuisset. Cum enim non tam ipsius, quam aliorum dominorũ subditi, facto concursu & fœdere, in diœcesin Aistetensem irrupissent, & pro suo lubitu grassantes, obuia quæq; deuastassent, ad hæc ipsum Principẽ & suos miris modis diuexassent, multisq; damnis affecissent, necessitate coactus, equites circiter quingentos summa celeritate conscribit: quibus unà cum aliquot peditibus & tormẽtis instructus, Sultzgauiense Friburgum contendit. Cumq; natura benignus ac clemens, & pacis studiosus Princeps esset, nihil non conabatur, quò uæsanos Rusticos à peruerso conatu abduceret. Quare ad montem Mesingensem quem Rustici cum arce tanquam opportunum occuparant, mouet, & aliquot capitaneos eorũ sub fide publica ad se accersit, ijs propositas antea cõditiones in mentem reuocat, ne longius hoc malum sese diffunderet: uerum Rusticis in concepta sententia obstinatè perseuerantibus, infecta re disceditur. Videns igitur Fridericus suos conatus beneuolentiæ plenissimos cõtemni, omnisq; successus expertes esse, ac Rusticos nõ nisi rapinis, incendijs, ui, ferroq; coërceri uelle, cum suis copijs & tormẽtis progredit. Ac cum Rustici iam dispersi ex monte profugissent, Mesingensem arcem in suam potestatẽ redegit, ac primariũ Rusticorũ capitaneũ, cum tredecim peditibus in ea cõprehensum, capite truncari iubet. Quo debellibus supplicio sumpto, in diœcesin Aichstetensem proficiscit, & subditos ad debitã obedientiã Episcopo præstandã cõpellit. Huic & Dux Bauariæ Vuilhelmus centum & octoginta equites, ac trecentos bombardarios Bohemos in auxiliũ miserat: quo factum est, ut subditi facilè ad officium redirẽt. Dum uerò, quæ antea cõmemorauimus, ad Rhenum in Alsatia, Sueuia, Frãconia, Hassia, Thuringia, alijsq; locis geruntur: Georgius Trucsesius, Sueuici fœderis Dux, per Almangauiam, & ad Lacum Podamicũ diuini fauoris aura rebus ipsius benignè aspirante, adeò feliciter omnia motibus sedatis administrauit, ut nihil periculi amplius illic metuendum uideretur. Veruntamẽ in Ducatu Vuirtembergico, & diœcesi Vuirciburgẽsi tanti motus exarsêre, ut metus nõ exiguus esset, ni incẽdio exorto, totis uiribus occurreretur fore, ut omnis magistratus, tam in alijs nationibus, quã in Germania ui oppressus abrogaret. Quare cõmuni placito atq; cõsensu Sueuici fœderis factũ, ut Trucsesius cũ omnib. suis copijs per Hegauiã, itinere susceptο, in ducatũ Vuirtenbergicũ magnis itinerib. summaq;

celeritate

celeritate contenderent. Die igitur quarto mensis Maij Tubingã appellit, inde Heinshemum uersus mouẽs, id compositione cum præsidiarijs Rusticis facta, capit: Postea uerò cum exercitu Vveilam, Schonbucum, & Mauream transgressus cum adiacente sylua, in oppidulis duobus, Beblinga, & Sindelfinga circiter quatuor millia Rusticorum Vvirtenbergicorum, & ultra, castris ibi fixis cõmorantia, deprehendit. Quocirca Rustici eo cognito, oppidis egressi, in campo acie instructa sese coniungunt. Et quamuis uterq; exercitus non magno locorum interuallo dirimeretur, Trucsesio tamẽ, eiusq; copijs ad castra Rusticorum inuadenda accessus non patuit, sed ei ad superiora oppiduli Beblingæ loca transeundum fuit. Priusquam autem eò perueniret, Rustici alio monte post arcem occupato, tormenta sua bellica in eum conuehunt, ac cohortem equestrem Trucsesij, quæ arcem Beblingensem inuaserat, depellunt. Ita, quod Trucsesio omni aditu intercluso, Beblinga tunc prętereunda fuerit. Postremò tamẽ oppidulo capto, arcem excelso in loco sitam bombardis ac præsidiarijs militibus, qui Rusticos inde arceant, atq; repellãt, firmat. Ad hæc montem alium occupat cuius opportunitate, ac præsidij arci impositi uirtute, fulmineq; terrifico tormentorum, agmen Rusticum è monte, in quem secesserat, depellit & fugat. Et mox in ordines ipsorum, grandine tormẽtorum emissa, cum ipsis acriter dimicat. In quo conflictu equites Electoris Palatini Ludouici in prima acie ordinati fuêre, subsequentibus Austriacis, & post hos alijs. Sic igitur Sueuici fœderis socij diuinitus uictoria potiti, numerosum Rusticorum exercitum profligarunt: omnibus ipsorum tormẽtis, curribus atq; uexillis in suam potestatem redactis, rebellibus magna ex parte trucidatis, citra confœderatorum exercitus detrimentum, ijs solùm exceptis, qui è manibus & conspectu equitũ in syluam propinquam se occultantes, euaserunt. Tumultu itaq; in ducatu Vvirtenbergi co magna ex parte sedato: de rebellibus dein iustum supplicium sumptum est. Post eam uictoriã Trucsesio cum suis copijs in oppido Beblinga commorante, Rustici Franconici partim Vvirciburgi ante montem Diuæ uirginis, partim Haidingsfeldæ castra habentes, cognito aduentu Sueuici fœderis, res suas ita disponunt, ut non saltem confœderatorum copijs armata manu sese opponere, sed & nefarios suos conatus adimplere penitus cogitarent. Ideò Trucsesius cum toto exercitu, & omnibus machinis bellicis Vvinspergum descẽdit, ut inauditam tyrannidem, & enormia Rusticorum facinora, socijs ad id operã suam cupidè offerẽtibus ulciscereturVallem itaq; Vvinspergicam post diem Dominicum, quem more maiorum Cantate uocitamus, ingressus, oppidum capit, in captiuos grauiter animaduertens, eos potissimum, qui Comitem Helffensteinium trucidarant. Ex ijsq; unum cathena laxè religatum ad palum, ut discurreret circumpositio igni torret: ad eumq; excitandum ignem ipsemet ligna comportat: idem alij ex nobilitate faciũt. Post oppidum Vvinspergum incendit, & ne rursus ædificaretur, edicit. Similiter & permultos circumiacentes pagos, ob perfidiam exurit, incolis merito supplicio affectis.

Eo Franconici tumultuatores cognito, circiter octo millia suæ factionis Nicrulmam Vvinspergo non longè dissitam, ablegant, ut cum confœderatorum socijs manus conserant: seriò præcipientes, omnibus fratribus, & consortibus in Vvirtzburgensi, & Moguntina diœcesibus, Palatinatu, alijsq; ditionibus cõgregatis, ut ad militiam & arma idonei reperti, ipsis summa necessitate id requirente auxilio mittantur. Trucsesius interea re Vvinspergij feliciter confecta, ad iussum Palatini Electoris in Craickgouiam profectus, rebellium quosdam supplicio afficit: inter hos ducem ipsorum, Iacobum de Beckingen cathenæ alligatum, igni ustulat: ac sacrificum Eisenhut agminis seditiosi ductorem comprehensum cum alijs nonnullis debitis supplicijs seruãt: Porrò Electore Palatino

auxiliaribus

auxiliaribus copijs propinquorum, comitum, equitum, nobilium, & peditum numero sufficiente, machinisq; bellicis & alijs ad bellum necessarijs instructo. Ipse, quo arx Ittenbuhelum, in quo pleraq; ipsius preciosiora seruabantur, & Haidelberga se absente, tanto melius contra hostes defenderentur, uisq; Rusti corum, aliorumq; repelleretur, centum subditos, fide spectatissimos, peditum signum unum, famulitium aulicum, cum tormentorum Magistris Valentino Erpachij comite, duce, ipsis imponit: Præter hos in arce Heidelbergensi Georgius Episcopus Spirensis, Comes Palatinus, & ordinis Teutonici Magister Theodoricus à Kle erant, qui à grassantibus Rusticis ditione sua eiecti, eo conseruandæ salutis causa ꝓfugerāt. Hi oēs arcē & ciuitatē ita custodiuêre, ut Principe in militia absente cuncta pacificè feliciterq; administrata fuerint. Rebus itaq; domi sic cōstitutis, Palatinus Elector comitatus Archiepiscopo Treuerico, Conrado Episcopo Vvirtzburgensi (qui & ipse ditione sua profugus, paucis antè diebus Heidelbergam uenerat) & Otthone Henrico patruele, die Martis post Dominicū, Vocem iucūditatis dictum, insequētibus copijs tam equestribus, quàm pedestribus, machinisq; bellicis Heidelberga egressus, in Rusticos expeditionē suscipit. Eodem die Guilhelmus ab Habern, Electoris Palatini Mareschallus cum suo equitum signo ad pagum Malsch speculatū egressus, Electori renunciat, incolas dicti pagi, ubi seditio primò cœperat, se potestati ipsius, ut Rodenburgici fecerant, permittere nolle, sed uallo, fossisq; munitos, se ad defensionem parare. Qua ipsorū peruicacia Elector cognita, cum uniuerso exercitu eò contendit, ac pagum Rusticis obstinato animo resistentibus, oppugnat, eumq; incensum, funditus delet. Inde Rodenburgum mouens, cum alijs Principibus arcem eiusdem loci occupat, peditatu Ravuenburgi, reliquo exercitu partim Mulhusij, partim in alijs uicinis locis castra metāte. Subsequenti die summo mane, Mareschallus Palatini, quendā Ioannem à Thalheim: uirū nobilem, qui castra Rusticorum secutus, Brurhenanæ conspirationis dux fuerat, capit: Quem Elector Heidelbergam transmissum, in ueteris arcis custodiā conijci iubet, ac cum suis copijs per diem istum Rodenburgi commoratur. Altero die Mareschallus cum suo equitum signo, & aliquot peditibus, curribusq; cōmeatui uehendo destinatis, Kislauium ditionis Spirensis arcem, unius milliaris spacio Rodenburgo distantem, & à Brurhenana factione præsidio paulò antè munitā, mouet, eiusq; familiā omnem iureiurādo in fidem Palatini adigit. Quatuor in ea à Brurhenana factione præsidij ergò relicti, in ea comprehendebantur qui carnificē de captiuis quibusdā in arce suppliciū sumpturū accersiuerant. Quo Mareschallus cognito: eos à carnifice per ipsosmet euocato, in ponte capite plecti iubet, inq; fossam præcipitatos, piscibus escam obijcit, ita ut malum quod alijs pararant, in ipsorum capita redundarit: Et iuxta prouerbium, in foueam quam alijs fecerant, ipsimet iusto Dei iudicio, inciderint. Eo igitur modo Kislauio capto necessarioq; præsidio munito, Mareschallus ad castra Principis rediturus, in gregē pecorū 1500 incidit. eum ergo captū, in castra pellit, ac eius dimidia parte Electori attributa, reliqua æquus portionib. in exercitu distribuit. Post hęc Elector die Iouis post festū Assumptionis Domini, castris motis cum omnib. copijs, Brurhenanā plagā transiens, Brussellas cōtendit, in quo itinere obuij pagi omnes à peditib. prædę auidis, diripiunt. Causa, qua Elector moueretur ad id, erat qd Brussella, diœceseos Spirensis oppidū, factionis Brurhenanæ hucusq; receptaculū fuisset, hæc ibi cōsilia sua agitasset: Præterea paucis antè diebus: turba Rusticorū circiter sex miliū numero, ibi substitisset, & aliquoties inde eruptione facta, cum Ecclesiasticis, legitimo eorū Magistratui, tū uicinis Principibus, comitibus, nobilibus aliorumq; ordinū hominib. damni quāplurimū intulisset, ita, ut æquitatis ratio exposcere uideret, in eos, qui alijs

infestandis

infestandis & opprimendis studuissent, primo quoq; tempore exemplum statui. Igitur Mareschallo cum suo signo præmisso, deditionem per tubicinē more militari postulat, omniaq; suæ uoluntati permitti iubet. Ad eam postulationē ciues delectis aliquot ex senatu & plebe uiris, Mareschallo se cōditionem proposita acceptare respondent: Eoq; per ipsum ad Electorem relato, hic Archiepiscopo Treuirensi, Episcopo Vvirtzburgensi, Otthone Henrico patruele, totoq; exercitu comitantibus, oppidum ingreditur, cum principibus arcem occupans, reliquas in oppidanorum ædibus copias dispertiens.

Sub uesperam eius diei Senatus & populus Brussellensis ad iussum Palatini, ante arcem in planicie cōuenit. Ex ijs per Ludouicum Fleckensteinium causam tam abominabilis seditionis contra legitimum Magistratum suum, à quo hactenus clemēter habiti, protecti, multisq; oneribus subleuati fuissent, motæ quærit, cum significatione, quandoquidem ea nefandis alijs facinoribus, non solum fidem ab ipsis Magistratui datam, sed & omnia iura, publicas Imperij cōstitutiones, denicq; etiam propriam conscientiam perfidè uiolassent, Palatinum merito contra ipsos grauissimā indignationem concepisse, eumq; uelle, & pro suo in eos iure mandare, ut auctores tumultus huius nominētur, quò in exemplum aliorum dignas perfidiæ, & inauditæ proteruiæ suæ pœnas ferant. Ciues hac oratione uehementer consternati: & Senatorum, & plebeiorum complurium nomina deferunt, quorum circiter septuaginta statum capite plectuntur, reliqui in arctissima uincula conijciuntur. Interea dum ea Brussellis geruntur, Antonius Eisenhut sacrificus, factionis Craickauiensis, cuius suprà meminimus, Dux, homo nocentissimus & perditissimus cum tribus socijs Eppinga Brussellas adducitur. Hos Georgius Trucessius, Sueuici exercitus dux comprehensos Palatino misit, qui præcedenti breui examine paulo pòst in area arcis, nomine Sueuici fœderis rei capitalis damnantur.

Postero die Princeps Elector Brussellis cum toto exercitu commorans, cum incolis præfecturarum Brussellensis, Vdenheimensis Rodenburgensis, Kislauiensis, Grunauiēsis, & aliorum uicinorum pagorum, qui Brurhenanæ factionis castra secuti fuerant, cōuocatis, de mulcta actionem instituit. Quæ tandem in id exijt, ut rebelles pro satisfactione uiginti millia aureorum numerēt, arma & bellica instrumenta omnia Magistratui tradant, eorum usu in posterum, nisi Magistratu permittente, abstineant, & fidei nouo sacramento sese obstringāt. Præter hæc ciues Brussellenses peculiariter promittere coguntur, se portas oppidi demolituros, ac eius quam post arcem tumultus tempore obstruxerant, aditum rursus patefacturos, ac restauraturos: Sub eiusdem diei uespera captiui omnes, præ angustia & nimio æstus sudore manantes, eo penè cōfecti, in atriū arcis ducti, in orbem sistuntur. Quorum quinq; à Carnifice Heidelbergensi capite truncatis, cùm alius in terram flexis genibus procumberet, ceruicem gladio præbiturus, Comites & alij uiri nobiles qui aderant, carnifici acclamant, ut ferire cesset, quo ad mandatum aliud afferatur. Ipsi ergo miseratione plebeculæ uarijs erroribus obnoxiæ Principem actutū adeuntes, pro Rusticis deprecantur, qui interea, id quod spectatu perquam miserabile erat, in terram prostrati, manibusq; in cœlum extensis misericordiam Principis sine intermissione flebili uoce implorāt. Deprecatorum igitur oratione Elector, ut natura clemens & exorabilis erat, demulsus, captiuos uita donauit, ea conditione, ut antequam pedem inde mouerent, exemplo aliorum in propositas conditiones iurarent. Quo nihil miseris gratius accidere potuit, qui iam de sua salute & uita spem omnem prorsus abiecerant.

His sic confectis Elector cum suis Brussellis castra mouet, ac Hilspacum suæ ditionis castellū in Craickgoia situ, q̄d anteà quoq; seditionis cōtagio correptū

ad sanitatem

ad sanitatem redierat, contendit, reliquo exercitu Sintzenæ, inq; uicinis pagis pernoctante. Eadem nocte Sueuici fœderis copiæ Steinfurti, Rorbaci & Rihemdenæ sua castra habebãt, quarum duces ad Electorem Hispacum uenientes, cum ipso de copijs coniungendis, & re gerenda deliberant. Duces uerò Sueuici exercitus hi erant: Georgius Trucsesius Baro Vvalpurgicus, cui summa rerũ demandata erat, Guilhelmus Furstenbergicus peditum ductor, eques auratus, & Rudolphus ab Ehingen: quos ex parte Electoris uirtute & rerum experientia æquabant, Schenck Eberhard comes de Erdpach, rerum summæ præfectus, Leonhardus de Schvuartzenburgk, trium millium peditũ ductor, Vvilhelmus de Habern Electoris Mareschallus. Re ergo inter ipsos deliberata, Palatinus Elector die Dominico, quem Exaudi uocant, Hilspaco discedẽs, Nicrulmam cõtendit, cum fœderis Sueuici copijs, castra sua in amplo campo, non longè à Furfelda habentibus sese cõiuncturus. Exercitu itaq; eius ad Sueuicos appropinquante, & montem cõscendente, illi in honorem Palatini aliorumq; Principum, more militari recepto, omnia tormenta bellica displodunt, peditibus quoq; suas bombardas exonerantibus. Quo ludicro finito, mox utriusq; exercitus duces inter se ita conueniunt, ut alternis diebus mutatio præcessuræ aciei fiat, hoc die Electorianis, altero confœderatis præeuntibus. Quę conuentio pòst constanter firmiterq; obseruata est. Coniunctis itaque uiribus Nicrulmam Magistro Teutonico parentem instructis ordinibus proficiscuntur. Cùm uerò, ut fieri solet ante uenturum exercitum metatores cum stabularijs ac lixis pręcurrentibus mitterentur: his ad portas oppidi uenientibus, à Rusticis rebellibus, quorum circiter octingenti oppido irrepserant, eæ occludũtur. Dum ergo tanti præsidij ignari, ante portas aliquantis per cõsistunt, introitum sibi concessum iri sperantes, Rustici uæsani bombardis displosis, equitem comitis Rhenani globo traijciunt: unde illi rem seriam agi, nec quicquam pacati sperandum uidentes, continuò ad exercitũ reuertuntur, ac Ducibus rem omnem exponunt. Qui proteruia Rusticorum cognita, duo equitum signa cum leuioribus tormentis ad oppidum circumuallandum præmittunt, reliquis copijs cum grandioribus machinis bellicis subsequẽtibus. Pręmissis itaq; ad oppidum peruenientibus non diu cessatum est. Sed ab hisce tormentorum fulmina in oppidum eijciuntur, Rusticis eodem genere instrumentorũ non citra hostium damnum fortiter resistentibus. Pòst peditatu adueniente, duobus locis oppidum, sed re infecta, oppugnari cœptum. Quare Principes Hailbrunnam uersus castra metantes, tormenta bellica propius ad urbẽ agunt. Cæterùm nox imminens oppugnationem eo die diremit. Quare ita oppidum undiq; cinxére, ut nemini elabendi locus pateret. Alterius subsequentis diluculo cum mœnia oppidi crebris & horrendis globis quaterẽtur. Oppidani uiros quatuor ad Palatinum & Sueuici fœderis ducem ablegãtes, demisse clementiam ipsorum implorant, & se suaq; fidei Palatini committunt: quo facto sub publica fide in urbem dimittunt. Ex inde Sueuici fœderis & Palatini duces, Georgius Trucsesius & Schenck, Eberhardus ab Erpach: deliguntur, qui cũ oppidanis & Rusticis negotium transigant. His ergo cum Rusticis sic conuenit, ut arma omnia statim tradant, nec sine permissu Magistratus ijs in posterum utantur: muros & turres omnes demoliantur (id quod facere insequenti die cœperunt) pro bonorum suorum conseruatione certam pecuniæ summam dependant. Quæ tamen damnis quæ alijs illata erant, longè tenuior erat. Ii uerò, qui crudelibus facinoribus Vvinspergi interfuerant, hisce conditionibus excluduntur, eorumq; circiter sexaginta binis & binis fune colligatis, in castra deducuntur. E' quorũ numero duodecim sub uesperam eius diei (inter quos quidam Henricus, olim monachus, tunc Rusticorum Capitaneus, eiusq; signifer animo forti & constanti

tanti ſpiritum exhalantes) capite pœnas luunt, reliqui in itinere præmium laborum ferunt. Eodem etiam die nonnulli pagi prope Nicrulmam Hailbrunnã uerſus, & inter hos Beckinga, incendio uaſtantur. Altero die pòſt duces, Orinctio magno numero conſediſſe ferebatur, iter inſtituunt. Inde cum uix milliaris ſpacio abeſſent, Georgio Truceſio nunciatur, Ruſticos ante horam oppido exceſsiſſe. At ille nihilominus pergens oppidũ capit, caſtris in pratis ad amnem præterlabẽtem locatis, deinde Mareſchallus Palatini, & Theodoricus de Speten cum equitibus circiter ſexcentis, inter quos præter Palatini ſignũ Heſſiaci, Vvirceburgici, Bambergici & Marchionici erãt, ad inſectandos Ruſticos ablegantur, eo cum mandato, ut occaſione data, uel agmen ipſorum carpant, uel de tormentis bellicis Ruſticorum, quorum magnum numerum habebant, intercipiendis laborent. At equitibus Forchtenbergum uſq; peruenientibus, Ruſtici cum omnibus tormentis uicinum flumen iam tranſmiſerant. Quia uerò axem cuiuſdam currus cui machina bellica impoſita erat, frangi forte contigerat, ideò in ſpem optimam eriguntur aſſequendi Ruſticos, & gnauiter eorũ ueſtigijs inſiſtunt, uerùm Ruſticis montem acceſſu difficillimum ſuperãtibus, & caſtellum Kruthemum diœceſeos Moguntinæ occupantibus, equites nihil damni ipſis inferre potuêre. Quare Forchtenbergum retrocedentes, ducibus cum toto exercitu Oringæ conſidentibus, ſignificant, circiter ſex millia Ruſticorum Kruthemum cum ualidiſsimis tormentis tenere, ideoq; ſe conſulere, ut cum omnibus copijs eos oppugnatũ ueniant. Prima luce ſequentis diei ijdem Forchtenbergo rurſus egreſsi, editiorem locum ad Kruthemum occupãt, quò Ruſtici tendant, quid ue machinentur ſpeculaturi. Ibi dum conſiſtunt, reſponſum à Truceſio recipiunt, ſibi eos ſubſequi difficillimum fore, quòd ob anguſtias uiarum & montium altitudinem tormenta bellica eò traducere nõ poſsit, ſuo igitur cõſilio Mekenmulium commeent, incolas, qui ab Epiſcopo Vvirceburgico deſciuiſſent, & nihil non crudelitatis exercuiſſent, ad priſtinã obedientiam redigant. Eò ſe quoq; uenturum. Mareſchallus itaq; & Spethus mandatum iniunctum executuri cum ſuis Meckenmulium contendunt, incolasq; loci nihil tale metuentes, ex improuiſo opprimũt: Quo paulo pòſt etiam reliquis copijs uenientibus, ac incolis ob rebellionem & perfidiam digno ſupplicio affectis, incq; Epiſcopi fidelitatem rurſus redactis, Principes cum uniuerſis copijs Ballebergium diœceſeos Moguntinæ per exiguum caſtellum deflectunt, partim in eo, partim in campis, ob caſtelli anguſtiã caſtris locatis. Hoc eſt illud caſtellum, ex quo ortus fuit Georgius Metzlerus, præcipuus Ruſticorum tumultuantium anteſignanus, qui ipſis omnis cædis, rapinæ, & deteſtandorum factorum auctor fuiſſe perhibetur. Eius namq; inſtinctu Odovualdenſes Ruſtici, ut diximus, circiter Paſcha tumultuari incipientes, aliquot monaſteria diripuerunt & deuaſtarunt, ita ut Guilhelmum Epiſcopum Argentinenſem, Moguntini Archiepiſcopi uicarium, propter maiora incommoda & damna præcauenda, totumq; capitulum maioris Eccleſiæ Moguntinæ ad iniquiſsimas cõditiones ſub iureiurando acceptandas adigeret. Atq; hæc cum ita ſe habeant, merito quis miretur, cur id caſtellum, quod receptaculum deploratiſsimorũ hominum fuerit, funditus non ſit deletum, ſoloq; æquatum. Veruntamen non penitus abſq; maleficio inde diſceſſum, caſis rebellum uarijs modis deformatis, & circumiacentibus uicinis tam corpore, quàm pecunia mulctatis, multisq; alijs pagis triſti incendio deuaſtatis. Eodem porrò in loco exercitu adhuc ſubſiſtente, neq; per obſcuros, neq; incertos cognitũ eſt, Godfridum de Berlingen, cum de quo antè diximus, equeſtris ordinis ex Franconia uirum ſe Ruſticis coniunxiſſe, & unà cum Metzlero, iam nominato rerum ſummæ præfectum, à Vvirtz

burgica rebellium factione obuiam confœderatis, missum, Nicrulmam usque peruenisse. Viribus uerò eorũ cognitis, in syluas retrò cessisse, ibiq; in latebris sese abdidisse.

Porrò uerò rebus Ballenbergij cõfectis, ac quatuor Rusticis manè comprehensis capitali animaduersione punitis, totus exercitus inde mouet, ut Konigshouium ad Tauberum amnem situm, inde rectà Vvurceburgum contendat, arcemq; ibidem obsidione liberet. Perfida namq; Rusticorum factio, partim in urbe Vvirtzburgensi, partim Heidingsfeldæ considens, menstruaq; obsidione arcem premens, eam cum cuniculis actis, tum crebrò tormentorum fulmine, diruere conabatur, pariete quodam cubiculi iam penitus deiecto. Tormenta autem quibus utebantur, partim expugnatis castellis eripuerant, partim à comite Vvirthemio, partim Rottenburgicis extorserant, utriscp horum per metum duodecim serpentinas accommodantibus. Et sanè nisi arx fortium uirorũ præsidijs munita fuisset, ea haud dubiè Rusticæ factionis prædæ ac direptioni cessisset: ac incendio grassanti, maiorem serpendi materiam præbuisset. Interpræsidiarios autem, qui in arce fuere, ex nobilitate illustres hi præcipui erant: Fridericus Thumb supremus dux, Vvolfgangus comes de Castel, Vvilhelmus comes Sulmensis, Fridericus de Schvuartzenburg, Sebastianus de Rotenhan eques inauratus, & curiæ Vvirtzburgicæ præfectus, Ioannes de Bibra, Philippus de Herbelstat, Carolus Zolnerus equites aurati, Eustachius de Thungen, Bernhardus de Thungen, Ioannes de Grumbach, Syluester de Schaum, Hieronymus Schenck, Adamus de Thungen signifer, Ioannes Zolner, Georgius de Gnorstat, Guilielmus Trucessius, Marcus Diemarus, Laurentius de Monasterio, Maternus & Casparus de Vestenberg, Casparus de Rainstain, Guilielmus de Bibra, Eucharius Sack, Ioãnes de Bachara, Philippus de Bernheim, Rudolphus de Vvaldeck, Ioannes de Stain, Sigismundus Fuchs, Otto Gross, Godefridus Deurlin, Melchior Gross, Sigismundus de Thungen. Et hi quidem nobiles seculares omnes: Ex Ecclesiasticis autem & beneficiarijs Vvirtzburgicis, Ioannes de Guttenberg decanus, Ioannes comes de Rieneck, Ioannes de Liechtenstein, Vvipertus de Grumbach, Theodoricus de Thungen, Achatius de Liechten, Conradus de Bibra, Henricus de Vvirtzburg, Martinus de Visigheim, Martinus de Vvissentau, Albertus de Schaum, Andreas de Thungẽ, Sigismundus de Grumbach, Melchior Zobell, Eustachius de Liechtẽstain, Ioannes Vvolffgãgus Fuchsius, Eberhardus de Grumbach, Philippus Suppen decanus, Eberhardus de Sandt, Nicolaus de Gych, Balthasarus Intzingerus, Ioãnes Gumpanus, Michael Huttnerus, Georgius Spiess, Andreas Fabri, Ioãnes Maurer, Ioannes Zeyss, Mathias Maijn, Ioannes Suppen, Georgius de Fronhouen, Godefridus de Thungen, Ioannes de Beringen, Ioannes Georgius de Hesperg, Fridericus Zolner, Vvendelinq à Liechten, Andreas de Stain, Laurentius de Hutten, Ioachimus de Berlingen, Vvernherus de Stetten, Georgius Nevuenstetter, Martinus de Haun, Marcellus de Vveiler, Ioãnes de Vveingarten, Vuolffgangus de Fulbach, Bartholomæus Trucessius, Casparus de Liechten, Ioachimus de Stettẽberg, Hilprandus Schad, Georgius Diemarus, Antonius Fronfelder, Ioannes Raba, Georgius Schimpff, Simpertus Schenck, Ioannes de Marstain, Florianus Haberkorn, Andreas de Sandt, Georgius Diemarus, Georgius Aurochs, Nicolaus de Dettelbach, Georgius Hundt, Philippus de Rainstain, Vuendelinus Stainruck.

Porrò copijs tam equestribus, quàm pedestribus rectà Koningshofium properaturis, Mareschallus Palatini, qui tribus equitibus Bochspergij rerum suarũ domicilium habentibus, eò cõmeandi potestate præcedenti die facta, quò bona sua à milite illaciter facturo seruarent, & hoc ipsis iniunxerat, ut de Rusticis, qui

qui Kruthemi castra habuerant, diligenter inquirerent, ac explorarent, quo nã se reciperent. Ex illis in castra reuersuris in itinere cognoscit, Rusticos ad Tauberum amnem profectos, castra propè uicum Koningshofium locasse, & ita adauctos, ut illorũ octo millia numero esse existimentur. Nam & se ipsos agmẽ diligẽter collustrasse, & è capto quodam Rustico id didicisse. Ea Mareschallus continuò ad Georgium Trucsesium refert, quibus is cognitis, repentè summa lætitia perfunditur, spe rei perpetua memoria dignissimæ gerendæ. Quare statim classicum cani iubet, quo quilibet ad prælium ineundum se præparet, ipse rei bellicæ peritis ad se uocatis, cũ ipsis de ratione, qua hostes aggrediendi sint, consultat. Primus inter eos Palatini Mareschallus, licet id fieri deprecãs, interrogatus, sententiam adeò prudenter dixit, ut reliqui omnes citra ullius uel immutationem, uel adiectionem in eam concederent. Cum autem integri milliaris spacio ab hoste seiungerentur, Trucsesius Mareschallo & Frobenio Huttenio, Equiti Aurato, equites circiter sexcentos attribuit, qui hostes colustrent, ac pro occasione rei bene feliciterq; gerendæ, eos aggrediantur. Hi ergo cum suo equitatu ordine procedũt: reliquo exercitu eos subsequente, ac iter per uallem Schufferinam faciẽte. Sanè exercitus spectatu dignissimus erat: At Mareschallus & Huttenus mandato satisfacturi copias diuidunt, hoc consilio, ut Mareschallus infra, Huttenus supra Koningshofium Tauberum traijciat, ac quisq; locorum in quibus hostis subsisteret oportunitate attenta, in monte supra Koningshofium sito comparẽs, eum occupet, Trucsesius uerò cum toto exercitu ad montem Molarem, ut ibi uocatur, subsistat. Cæterùm Mareschallus & Huttenus ualle Schufferina egressi, hostibus, eorumq; castris cõspectis, initũ prius consilium mutant. Nam cùm rebelles Rustici intellexissent, Palatini & Sueuici fœderis copias numero esse superiores, cum tormẽtis & carragine subitò mõtem, quem equites præsidio obsidere destinârant, occuparant, tormẽtis suis numero 47. ad repellendũ hostem hinc inde dispositis. Eo ergo Mareschallus conspecto retrocedens per riuulum è ualle Schufferina profluẽtem rursus ad Huttenum redit, & uterq; Tauberum supra Koningshofium transit. Tum Rustici tormentis in equites uadum transeuntes dispolsis, illorum non perpaucos uulnerãt. Quo circa Mareschallus & Huttenus cum suo equitatu in locum tutiorem, & ad sustinẽdum hostium impetum oportuniorem secedentes, aciem instruunt, signum equitum Palatini & Austriacorum seiungẽtes. Huic turmam ex Palatinis & Hessiacis equitibus cõstantem subijcientes, & explicatis signis tormenta & equites expectant. Reliquæ enim copiæ dicto loco Tauberũ transire ob hostium tormenta nequeuntes, alibi uadum quęrere cogebantur. Trucsesius interea etiam ad montem peruenies, ac hostium castra circumquaq; colustrans, cum Rusticos tripartitã aciem in carragine sua instruxisse uideret, Mareschallum & Huttenum cum adiunctis ipsis signis in alium locum collocat, ubi & hosti propiores, & à tormẽtorum periculo tutiores essent. Iis igitur duobus cũ Eberhardo Schenck, Schyuartzẽburgico & bombardarijs, equitumq; duabus alijs turmis Rusticorum carragini appropinquãtibus, hi futuram rem olfacientes, loco mouent, ac carragine & tormentis omnibus relictis fugam, citra tamen ordinis dissipationẽ arripiunt. Quo conspecto bombardarij & duo equitum signa Mareschallo atq; Hutteno attributa, eos insequuntur, & uelitatione cum ipsis commissa, eorum ordines dissipant: Quo facto, quidam in uicinam syluam dilabuntur, reliqui uerò aperto campo sese committentes, miserè cæduntur. Post hæc equitibus in castra reuersis, reliquus exercitus ex ualle prodiens, Rusticos in syluam dilapsos deprehẽdit, eorumq; multis interfectis, residuam partem instar ferarum insectatur. Eo ergo Mareschallus & Huttenus cognito, egressi, quæ ceperant, castris, cum equitatu suo quoq; properè accurrunt, &

runt, & permagnum Rusticorum numerum trucidant. Veruntamẽ ob loci angustiam, non penitus incruenta victoria fuit. Nam ipso generali duce in crure uulnerato, Mareschalli quoq; equi duo cum primis generosi, cum cõpluribus uiris nobilibus & ignobilibus læsi fuêre. Sed & circiter trecenti Rustici in syluã densa ita sese communierant, ut equitibus perquam difficilis ad ipsos aditus esset. Quare peditũ aliquot cohortibus delectis, hæ cum ipsis acriter aliquandiu dimicuêre: & tandem damno hinc inde dato & accepto, à Guilhelmo Furstenbergio peditatus confœderatorum ductore, Rusticorum ducenti capti fuere. A' prælio commisso quod circiter quinq; horas durauit, victoriaq; parta, principum capitanei cum omnibus copijs ad locum pugnæ contendunt, tubis omnibus cum tympanis sonantibus. Inde Koningshofium mouẽtes, ubi partim Principes & equites, partim in alba ualle ad Tauberum castra metantur. Pedites uerò in castris Rusticorum permanentes, tuguriola à Rusticis prius extructa, occupant. Desiderata sunt in hac pugna Rusticorum circiter millia septem, eorumq; currus omnes & equi, quorum ingens erat numerus cum tormentis bellicis in Palatini & confœderatorum potestatem uenêre. Castellum id Koningshouium, cuius meminimus, satis latum & amplũ, incolis circiter ducentis & quinquaginta constabat, qui exceptis quindecim, in eo prælio omnes interiêre, nec reliquorũ circumiacentiũ pagorũ incolæ multi salui domũ redierũt.

Ab hoc prælio, Principes quidem ad arcem Vvurtzburgicam, diuturna obsidione pressam, liberandam statim ire decreuerant, sed equis fessis, diem Koningshofij ijs reficiendis tribuere cogebantur. Ne tamen interea tempus frustra & in ocio contererent, Mergethemum, Landauium, Grundsfeldium, Episcopi cella, & alia uicina castella ad officium & fidem rediguntur, motuum auctoribus, quorum mediocris numerus erat, capitali animaduersione punitis. Subsistentibus ergo ibi Principibus, Episcopus Vvurtzburgicus Mareschallum suum, equitibus circiter centum stipatum, Vvurtzburgum ablegat, ut uel arcem ingrediatur, uel ignem non procul inde obsessis conspicuum excitet: & hoc signo eos de aduentãte auxilio certiores reddat, prout inde discedens cum ipsis conuenerat.

In die ergo Pentecostes motis Koningshofio castris, Vvurtzburgum iri ceptum est. Cumq; tam confœderatorum, quàm Palatini equestres copiæ in campum uenissent, pedites confœderatorum subsequi recusant, sibi stipendiũ menstruum extra ordinem ob pugnam cum Sundelfingensibus Rusticis commissam, debitum, solutum non esse, proteruè prætendentes. Etsi prælio ei non interfuerant, sed eo confecto, uix post horam tertiam aduenerant: Veruntamen quantumuis pedites ire detrectarẽt, Principes & reliqui Duces cum equitibus & paucis pedestribus copijs nihilominus procedunt. At cum per unius milliaris spacium ab eo, in quo pernoctare cõstituerant, loco abessent, Mareschallus Vvurtzburgicus commisso sibi negotio confecto, reuertẽs, Trucsesio indicat, Rusticos in expugnanda arce ualde laborare, ac urbem in eorum potestate esse, eosq; ignaros cladis, qua complices ipsorum prope Koningshofium præterita die Veneris affecti fuerint, hisce magno agmine, tormentis omnibusq; necessarijs rebus instructo auxilio uenire, id uix dimidij milliaris spatio abesse. Quo Trucsesius cognito, cõtinuò ad pedites Koningshofij residentes mittit, ijsq; aduentum hostium nunciat. Sed frustrà. Illi namq;, ut mos est peruersorũ hominum, in contumacia sua perseuerabant, digni, hostium pœna. Trucsesius etsi grauiter & indignè proteruiam istam ferret, neutiquam tamen à re gerenda deterritus, Principibus & alijs copijs hostium aduentum significat, ac classicum cani iubet. Ac acie instructa, exercituq;, manus cum hoste cõserendę cupido, ipse cum aliquot in campum procedit, & hoste colluſtrato, eorum circiter

quinq;

q̃uinq; millia esse conspicit, licet alij multo plures esse arbitrarentur. Re ergo bene diligenterq; deliberata, decernitur syluam Gutenbergensem dimidij miliaris spacio à Rusticis distantem, petendam, ac ne in eam Rustici confugere possent, præoccupandam esse.

Igitur à Trucesio duo equitum signa intra Rusticorum agmẽ & syluam intrecedentia præmittuntur, ipso rectà in hostem contendente. Quo Rustici uiso, hi carragine circiter triginta sex grandioribus machinis bellicis constante se muniunt. Mareschallus itaq; Palatini Eberhardũ Schencken à Schvuartzẽbergk bombardariorum præfectum, uirum strenuum, & rei militaris peritũ, cum sclopetarijs amandat uisum, qualiter Rustici sese gerant, ac præparent. Hi sua capita periclitari conspicientes, eaq; discrimini subtrahere cupientes, relicta carragine & curribus omnibus confestim fugam tanta celeritate arripiunt, ut equites uix eos assequi possent. Veruntamen cum cõsternati planitiei sese committerent, plericq; confosi cæduntur, equitibus ipsos per integrũ milliare Ochsenfurtum ad Mænum ferè insectantibus. Multi Sibelstadium & Sultzfeldium ui cinos pagos fuga petunt qui hisce incensis comburuntur, paucis, ut putatur, fuga dilapsis.

Non longè hinc arx quædam, Nigelstadij nomine dicta, turri ac fossa egregiè munita, disita erat. Quam etsi Rustici paucis antè diebus exusissent, tamẽ cum & turris adhuc alta, fossaq; profunda esset, Rustici circiter quingenti fuga è prælio elapsi, eam hastis, bombardis, alijsq; machinis bellicis ingressi, porta obstructa, præclusaq; ita munierunt, ut quis mirari possit, in tam breui temporis spacio id fieri potuisse. Ni necessitatem ineuitabile telum, esse, uariasq; artes adinuenire constaret. Eo uerò à Principibus cognito, adductis tormentis, muri statim tormentorum globis concutiuntur: deinde à comitibus, nobilibus & alijs ab equis suis descendentibus, licet satis confusè, oppugnãtur: Rusticis uerò qui in extrema necessitate positi essent, fortiter, & magno animo se defendentibus, & primum impetũ sustinentibus, equitum tam nobiliũ, quàm ignobilium ultra centum grauissimè læduntur. Verum enimuero, hi plaga accepta minimè deterriti, iteratò summa ui arcis oppugnationem aggrediuntur, multis eorum per muri destructi partem irrumpentibus. Sed cum existimarent difficultates superatas esse, in multo maiores incidunt. His namq; qui iam ingressi erãt, alius murus obstaculo erat, unico saltem ostio & fenestra peruius hastæ altitudinis, unde Rustici cæsim & punctim pugnantes, oppugnatores totis uiribus repellunt. Nullus tamẽ eorum diuino beneficio interijt, sed salui omnes inde euasêre. Quocirca Rusticorum ardore in se defendendis conspecto, muri tormentis uehementius concutiuntur, & his duobus in locis collapsis, rursus oppugnatio tentatur, in qua tandem comites & nobiles post multas difficultates in arcem irruentes, Rusticos omnes ferè ad internecionem trucidant.

Confugerant ex eodem Rusticorum agmine circiter ducenti in syluam arci uicinam, sed hoc die miris casibus seruati, ita tamen undiq; septi fuere, ut nulli effugio patente, omnes ferè subsequenti die paucis superstitibus cõciderentur. Sic in die Pentecostes rerum sacrarum meditationi, & diuinis cultibus destinata, uiris optimis res laboris & periculi plenissima gerenda fuit. Porrò ea parta uictoria, principes & equitatus omnis, ut moris est, ad locum cõflictus contendentes, Rusticorũ currus, omnibus rebus necessarijs onustos, tormentaq;, quæ uocant campestria, triginta sex abducunt. Inde pagum Mosbach dictum, petentes, ad piscinam eius loci castra figunt, ibiq; læti requiescunt. Ac in hisce castris, pedites, qui ob non solutum extra ordinarium stipendium Koningshofij castra sequi renuerunt, ad saniorem mentem redeuntes, se rursus copijs coniungunt. Die Lunæ feriarum Pentecostes copiæ neutiquam feriantes, Haidesfeldum,

non longè Vvurtzburgo ad Mœnum situm promouẽt. Inq́ id castellum Prin-
cipes cum suis equitibus diuertunt. Georgius uerò Trucsesius cum suo equi-
tatu extra castellum ad Mœnum Vvurtzburgum uersus castra ponit, pedites
autẽ ea, quæ à Rusticis relicta erant, occupant. In isto itinere Trucsesius & Fur
stenbergius comitem Palatinum Ottonem Henricum comitati antequã equis
descenderetur, cum ducentis equitibus in montem è regione Episcopalis arcis
se conferunt, & tubis tympanisq́ talem clangorem excitãt, ut tam obsidentes,
quam obsessi facilè eum exaudirent. Eo uerò, ut præsidiarij exhilarabantur: sic
hostes animis non parum consternabantur. Ad hæc ab eo monte dicti duces
Mareschallum Palatini Electoris, & Eberhardum Schenck in arcem Vvurtz-
burgicam dimittunt, qui de Principum aduentu præsidiarios certiores reddãt
simulq́ uideant, quis rerum in arce status sit. Etsi uerò is aditus ad arcem difficilis & periculosus esset, ob Rusticos undequaq́ ferè eam obsidentes, tamẽ hi
duo mandata suscipiũt, ijsq́ perfectis, ad Principes reuertentes, inter cætera re-
ferunt, obsessos de laudatissimorũ Principum, comitum, nobilium & aliorum
fortium uirorum aduentu mirè exhilaratos. Quo intellecto, Duces cum Pala-
tino Ottone Henrico tantisper in monte consistunt, quo ad obsessi in arce om
nia sua tormenta, quorum ingens illis erat numerus in ciuitatem Vvurtzburgi
cam exonerarent. Postea, castra Haidingsfeldam repetũt. Ea nocte Rustici re-
lictis castris, quæ ante arcẽ habuerant receptisq́ secum quatuor tormentis ma
ioribus, in urbem concedunt. Sequenti die Mareschallus Palatini, & Guilhel-
mus Furstenbergius suburbiũ trans pontem situm capiunt, & turrim in ponte
præsidio muniunt. Eo præsidiarij in arce cõspecto, eorum circiter centum bene
armati monte descendunt, & se ipsis in Rusticorum castris cõiungunt. Vbi nul
la re præterquam sex tormentis bellicis quæ confracta erant, reperta, illi hęc se-
cum in arcem transferũt. Principes igitur & duces cognito, circiter quinq́ mil-
lia ciuium & Rusticorum Vvurtburgi esse, castrorũ loco designato constituũt
totis uiribus, ac cum suis, tum Episcopi tormentis, urbẽ oppugnare. Oppidani
& Rustici hoc animaduertentes, suppliciter & submissè clemẽtiam Principum
implorant. Incepta itaq́ cum ipsis tractatione, res eò deducitur, ut ciues & alij
urbem tenentes, fœderis & Principum uoluntati se permittant. Iis conditioni-
bus ab oppidanis extremo periculo ob oculos uersante, approbatis: Treueri-
cus & Palatinus Electores, Vvurtzburgicus, & Otto Henricus Palatinus, cõ
Georgio Trucsesio Sueuici fœderis duce, die post obsidionem ceptam tertio,
duobus millibus & quingentis equitibus Vvirtzburgum ingrediuntur, ut de
seditionis auctoribus, & reliquis fontibus statuant, & oppidanos in Episcopi
fidem ac potestatem redigant. Interea cõfœderatorum & Palatini ambo signa
à cursu seu celeritate denominata, ad ambas urbis portas clauibus earum ad se
receptis, consistunt, reliquæ copiæ pedestres cum Principibus & capitaneis ad
forum, & huic uicinam plateam procedunt: ibi equis suis per quinq́ horas insi
dentes. Interdictum namq́ erat, ne quisquam equo descenderet. Portam in ur-
be media satellites præsidio intercluſam tenebant. Toto itaq́ Principum equi-
tatu forum tenente, oppidani & rustici conuocati, in tres partes segreganturr.
Quarum priores incolæ in foro permanere, ciues extranei ex diœcesi Vvurtz-
burgensi, Marchionatu Brandenburgensi, & alijs locis prope sacellum Diuæ
Virgini sacrum, Rustici extranei in platea, à curriculo denominata, subsistere
iubentur. Exinde Trucsesio principũ & fœderis nomine cum ciuibus Vvurtz
burgicis actionem instituit, eosq́ in præsentia Principum, comitum, baronũ,
nobilium & equitum prolixa oratione de officio & fidei neglectione commo
nefactos, grauiter increpat. Illi oratione audita, in genua procumbunt, suppli-
ces ueniam lamentabiliter deprecantes. At ille perpolita oratione eis respon-
dens

dens, alios ex ipsis, in reliquorum præsentia capitali supplicio afficit, alios comprehendi, uinculisq; constringi iubet, alios in fidem Episcopi iureiurando adigit. Hinc ad agmina in dictis locis subsistentia se conferens, eodem, quo cum ceteris modo, cū ipsis agit: ita ut in tribus istis locis circiter septuagintasex capite puniretur. Inter quos quidā ciuis Carnstadius Schranttenbach nomine, cum pro uita duo millia florenorum offerret, ueniæ locum inuenire nō potuit. Supplicio itaq; de seditionis auctorib. sumpto, reliqui ciues & rustici extranei, suo Magistratui remittuntur. Inter hos Marchioni Casimiro 1483. ut pro arbitrio in ipsos animaduertat: Ac ea re confecta, principes equis descendunt, & Episcopale dicasterium ingredientes uno atq; altero uini haustu sese reficiūt: exin rursum equos conscendentes, in arcem se conferunt, ibiq; pernoctant. Reliquę uero copię castra repetunt. Postero die cum Vvurtzburgicis actione repetita, ipsi omnia arma, & militaria instrumenta arci importare, mœnia & turres ciuitatis è regione arcis (id quod & factum est) continuò destruere, Sueuico fœderi & Principibus octo millia florenorū soluere iubentur. Episcopo pro suo arbitratu eos mulctandi potestate concessa, quam ille postea non neglexisse fertur.

Vvurtzburgicis in fidem Episcopi ita redactis, Principes & duces octiduū in castris Haidingsfeldæ subsistentes, circumiacentia castella, & uicos, quos adire poterant, mulctant, Episcopi iure semper saluo. Res certè lamentabilis, cum adhæc miles prædę cupidus multum damni per agros daret, quo totius regionis incolæ ad summam inopiam redacti fuêre, ipsis quoq; Rusticis in tanta licentia prædandi ad rapinam sese conuertentibus. Porrò dum hic principes hærent, Rotemburgica ciuitas ad Tauberum fluuium sita, numeratis quinq; millibus florenorum, fœderi & principibus reconciliatur, iure paganicos, in ipsorum territorio mulctandi, cō fœderatis relicto. Comitatus quoq; Vvirtheimensis trium millium florenorum mulctam dependere cogitur. In eadem quoq; castra Guilhelmus Episcopus Argentinensis, comes prouincialis Alsatiæ, diœceseos Moguntinæ uicarius, quinquaginta circiter equitibus stipatus uenit. De aliis etiā quā plurimis illic agitatū fuit, q̄ breuitatis causa p̄tereunda cēseo: maximè cùm effectū sortita nō fuerint, sed in terminis cōsultationis permanserint.

Ciuitate itaq; Vvurtzburgica cum tota diœcesi in Episcopi potestatem redacta, copiæ diuidi cœptæ, licet duces fœderis apud Electorem instarēt, ut belli reliquias unà cum ipsis prosequeretur. Etsi uerò Palatinus hanc operam Reipublicæ communi bono libenter præstitisset, tamen domesticis tumultibus impedito, id omittendum fuit. Nam grauissimis literis à uicario & consiliarijs ad ipsum perscribebatur, Rusticos dum abesset, in ditione sua ultra Rhenum prope Spiram & Vvormatiam cōcursu denuò facto, rapinis, direptionibus, incendijs, alijsq; detrimentorum generibus sic grassari, ut nisi mox ipsorum petulantia coherceatur, & conatus reprimatur, toti Palatinatui irreparabile damnum, & extremum exitium imminere. Hoc itaq; Elector motus, à confœderatis discedit, & communicato cum uicario Moguntino consilio, cum eo paciscitur, secū omnibus copijs pedestribus & equestribus Mœno flumine descēsurū, eumq; à subditis (ut suprà attigimus miré afflictum atq; eiectum ferè in pristinum locum restituturum. Duces uerò fœderis Sueuici cum Casimiro Brandenburgico qui paucis diebus antè ad Electorem, alioq; Principes uenerat, agunt, ut is unà cum Vilhelmo Hennebergico, quandoquidem exercitum instructissimū haberent, se eorum copijs coniungeret ad bellum cōficiendum. Iis ita actis, cō fœderatorum duces cum suis copijs à Palatini Electoris amicè discedentes die Lunæ post diem Dominicum sanctę Trinitati dedicatum, Schuueinfurtum ad Mœnum contendunt, quo se mox Sueuici fœderis gratiæ permittente duces ciuitatem ingressi, illic non solum quamplurimos ciues seditionis contagio

infectos, sed & alienigenas ex diœcesi Vvurtzburgica & Marchionatu Brandenburgensi, comprehendunt, qui, circiter centum & septuaginta nouem arces partim in Vvurtzburgica, partim Bambergensi diœcesibus, partim ditione Brandenburgica spoliarant: atq; diruerant. Vt nomina earum publicè tunc temporis edita, facilè cuiq; eius documentum præbere possunt. De hisce ergo debito supplicio sumpto, inde Bambergam proficiscuntur, eamq; 15 die Iunij receptam, Episcopo fœderis socio restituunt. Nemo ibi armis restitit, sed circiter 400 ciues Norinbergam aufugerant. Quo cognito, fœderis duces à Senatu Norinbergensi efflagitant, ne hic fœderis hostes receptet. Quo circa illi inde se propripientes, in uaria loca disperguntur. Trecenti & quinquaginta octo nominatim citati & lecti fuêre, uerum ex ijs non nisi duo comparuêre. Nec uerò interea Marchio Casimirus 600. equitibus, & nongentis peditibus contractis, suos rebelles subditos persequi cessauit. Nam cum complures pagos seditiosorum, quorum circiter tria millia nouam ciuitatem ad fluuium Asch obsederant, exussisset, ac ipsij in nonnullos eorum grauiter animaduertisset, die tertio Iunij Lentershemium ingressus, turres ac portas oppidi diruí, ac ciuibus omnia priuilegia adimens, quinq; ex iis capitali supplicio affici, septem uelutí periuris, digitos amputari iubet: Kitzingam deinde, quæ domicilium Rusticis præbuerat, progressus, eam in fidem redactam mulctat, ibiq; ciuibus circiter sexaginta oculos eruit. Quin & Suubachi multis capita digitosq; amputat. Porrò rebus in Episcopatu Bambergensi pacatis & Halstati quadringentis & ultra ob Rusticorum rebellionem ædificiis concrematis, Trucsesius per Forcheimium, Furtum, aliaq; oppida, transiens, ac Norlingam perueniens, eam, quòd Rusticis fauisse diceretur, ære mulctat, Rusticis in Rhætia, circa eam, arma adimit, ac à singulis eorum domibus senos florenos propter seditionem motam exigit: Inde posteà Memingam contendit, ubi se absente magnum Rusticorum agmen ciuitatem aliquandiu obsederat. Sumpto de septem seditione in urbe supplicio, & multorum aliorum bonis, qui aufugissent, publicatis. Die decima tertia Iulij è castris prope Memmingam egressus, cum aliquot equitib. circiter quatuor millia Rusticorum prope Schrotenbacum congregata conspicatur. Quia autem paucis equitibus stipatus erat, & nox ingruebat, ideò eo die nihil geri potuit. Veruntamẽ noctu omnes copias disponit, ut Rusticos prima luce in castris circumuentos opprimat. At illi hostium præsentia cognita traiecto fluuio Lubaco, alium locum repellendo hosti commodiorem occupant. Quare Trucsesius spe sua deiectus, tormẽtis bellicis rem cum ipsis gerit, ac per totum biduum rationes eos commodè inuadendi quærit, & multis ipsorũ ictu tormentorum concisis, tandem uelites aliquot in castra ipsorum emittit, qui ita fortiter eos aggressi sunt, ut non perpaucis Rusticorum confossis, etiam signũ militare ipsis extorserint. Ob id Rustici denuò noctu inde castris motis ad arcẽ Sultzburgensem ultra Campidunũ sitam, concedunt, ibiq; loco idoneo se muniunt. Interea uerò dum illic utriusq; partis copiæ considunt, Georgius Fronspergius rei militaris dux peritissimus, ac gloria rerum gestarum perpaucis cedens, cum octo cohortibus expectatus aduenit. Nam seditionis Rusticæ incẽdio adeò comitatum Tyrolensem peruagante, ut Rustici Bruxinam ciuitatem ceperint, domos canonicorũ diripuerint, arcesq; aliquot nobilium inuaserint, Archidux Austriæ, postea Romanorum rex & Imperator Ferdinandus Fronspergium post captum Gallorum regem Franciscum prope Papiam, ad compescendos rusticorum tumultus, euocauit, felicitate uiri commotus. Itaq; ille ex Italia euolans, & hic octo cohortes copijs Trucselij coniungens, cognito rusticorum agmini, Casparum Schnaiter & Vvaltherum Bach, quorum utercq; sub eius auspicijs in Italia militarant, nec rei bellicæ ignari erant, præesse, Trucselio

ceſio auctor eſt, ut de Ruſticis conſilio potius quàm ui armisq; diſgregandis, rationes ineantur. Semper etenim conſilia armis præferenda, prudentes cenſuiſſe. Præterquam enim, quod uictoria cruenta futura ſit, parum quoq; laudis ex ea ſperandum eſſe. Quare Truceſio eius ſententiam approbante, ipſe cum Vvalthero Bach Ruſticorum duce agit, ut accepta non contemnenda pecuniæ ſumma, Ruſticos ex loco, quem occuparint, eductos, arte quacunque diſsipet. Qua ille conditione acceptata, ut hoc hominum genus facere conſueuit, confœderatorum duces, ut Ruſticis terrorem incuterent, omnibus tormentis bellicis in eorum caſtra detonant. Ruſticis ergo prælij cupidis, duces corrupti reſponderunt, rei gerendæ occaſionem Fronſpergio præſente ademptam, ac locum oportuniorem quærendum eſſe. Simplex hominum genus nihil fraudis huic rei ſubeſſe ſuſpicans, & nomini Fronſpergij plurimum tribuens, prout id omnibus terrori erat, locum oportuniorē quæri, approbat, acinde Durachium ultra Campidunum caſtris motis, machinisq; bellicis in caſtris relictis, proficiſcitur. Ibi uerò errore ſeſe detegente, Ruſtici Fronſpergium cum alijs confœderatorū copijs ſubſequi conſpicati, exemplo ducum ad ſeductiones conducturum intra dimidiam horam diſsipati, partim in ualles, partim in montes, partim in ſyluas uicinas hinc inde dilabuntur. Ruſticorum itaq; agmine ea ratione diſperſo, totus confœderatorum exercitus Kauffbeurum deducitur, & pedeſtres copiæ, poſteaquam fœderi Sueuico uiginti duas hebdomadas militaſſent, à Vvilhelmo Furſtenbergio earum ductore, cum omnibus ducibus uexilliferis, alijſq; officio militari fungentibus, dimittuntur.

Fronſpergius uerò cum octo ſuis cohortibus, quæ ſelectiſsimæ erāt, Saliſpūgum cōtendit, ubi Archiepiſcopus Cardinalis Langeus grauiſsima obſidione premebatur. Nam cum Epiſcopus hoc fatali anno aliquot metallicos ſocios religionis cauſa capite plexiſſet, reliqui omnes ſupplicij atrocitate inſurgentes, ciuitate occupata, ac ciuibus in partes ſuas pertractis, eum in arce monti imminente obſederant. Huic itaq; opem laturus Ludouicus Bauariæ dux, Fronſpergium ſibi legarat. Vt uerò opitulaturis exercitatiſsimi duces erant, ſic nec Ruſtici ijs deſtituebantur. Inter quos primi nominis erat Sebaſtianus Maierus, & Geiſmaierus, qui arce in monte obſeſſa, magnas trabes fuſtibus conſtrictas in montis decliui cacumine ſaxis onerarant, ut hoſtes montem conſcenſuri, funibus præciſis, ſaxis & trabibus præcipites acti obruerentur. Poſt multas uelitationes cum ruſticis commiſſas, duce Bauariæ eos in monte oppugnare uolente, Fronſpergius id diſſuadet, quòd ob aſcenſus difficultatem oppugnationem multo ſanguine conſtituram cerneret, ac aſſentiente Langæo, certis cōditionibus tumultū hunc ſedat. Ac cum Saltzburgici arbitrio Sueuici fœderis ſe permiſiſſent, in die Laurentij memoriæ ſacro iureiurando de nouo obſtringendi, in hæc capita adiguntur: Epiſcopo Langæo eiusq; ſucceſſoribus legitimè electis, omnē obedientiā ac fidelitatē exhibeant: Fœderibus cōtra ipſum atq; diœceſim initis renuncient, eorumq; inſtrumenta fœderatis intra octiduum Saltzburgum mittant Archiepiſcopo, capitulo, clero atq; nobilibus cenſus, penſiones, reditus, ac operas, more ſolito obedienter præſtent. Profugos ob ſeditionē motam, uel proſcriptos non receptent, uel iuuent, ſed deprehenſos in diœceſi, magiſtratui loci ſiſtant. Quo ſeditionibus in poſterum occurratur, nomina auctorū qui ſeditionem mouerint, ducibus fœderis prodant. Armorum uſu citra permiſſum Magiſtratus ſub pœna capitis & confiſcationis bonorū abſtineāt.

Bona alijs ablata, Archiepiſcopo, uel dominis citra moram reſtituant. De damnis Archiepiſcopo, alijſq;, uel præda, uel incendio illatis, cum unoquoq; tranſigant: tranſactione uerò locum non inueniente, fœderatorum cognitioni ſe citra ullam exceptionem ſubijciāt. Quatuordecim millium aureorum quos

Saltzburgici Ludouico Bauaro dependerint, solutionẽ pro uirili portione sustineant: Recens in conuentu Saltzburgico ab ordinibus decreta approbent, & legatos qui ea rata firmaq; habeant, intra quatuordecim dies Saltzburgum mittant. Quo sumptus belli fœderi Sueuico refundãtur, ac maioribus damnis diœceseos occurratur, quælibet domus pagorum seditiosorum quatuor florenos dependat, habita tamẽ proportione facultatum uniuscuiusq;. Hanc summam præfecti intra octiduum exigant, ac consiliarijs confœderatorum Saltzburgi numerent. Onera si quibus premantur, legatis confœderatorum Saltzburgi exponant. Eos etenim ad pacem & cõcordiam, quàm ad seditiones uel oppressiones propensiores esse. In hæc à plerisq; iuratum. Quibus & hoc adiectum, si qui conscientia malefactorum profugerint, ac intra mensem dictas cõditiones errore depositio, sub iureiurãdo acceptent, ijs ueniam & impunitatem dandam. Qui uerò in errore perseuerent, atq; emaneant: horum coniuges & liberos è diœcesi pellendos, saluo fœderatis bona ipsorum publicandi iure.

Geismeierus Episcopi Brixiensis secretarius, qui gazophylacio domini sui Brixiæ expilato, milites in Rusticorum auxilium adduxerat, has pacis cõditiones respuit, ac noua seditione excitata Rusticos ad Alhesim in suas partes pertrahens, totum comitatum Tyrolensem à fide Magistratui data abducere conatur. Quare Fronspergius, cui administratio comitatus delegata esset, Geismayerum insequens, eum comitatu eijcit. Qui cum aliquot suis manipularibus ac Rusticis seditiosis, ad Venetos profugit: à quibus annuo stipendio conductus, cum Patauij rerum suarum domicilium fixisset, non diu pòst confossus, pœnas seditiosos comitari consuetas, soluit.

Vt uerò incendio exorto, uicinæ ædes plerunq; corripi consueuere, sic & in hac seditione accidit. Nam metallarijs Salisburgi tumultuãtibus, in uicina Stiria metallicorum socij cum Rusticis insurgentes, cõtra clerum & nobiles arma cepêre. His itaq; Ferdinandi Regis Bohemiæ auxilium implorantibus, ille aliquot Bohemorum & Husanorum cohortes auxilio mittit, ductore Detricho Stainero, qui cum antea Rusticos grauiter nouorum onerum impositione concussisset, à quolibet eorum florenum postulans, seditioni causam præbuisse rebatur. Et cum agricolæ ad postulatum ipsius dimidiam partem offerrẽt, quã ipse respuebat, illi exactionum & onerum tædio pressi consurgentes, eum hinc inde arma circumferentem, & minimè innocentibus parcentem, tandem in cõflictu, licet non citra ipsorũm damnum, profligarunt, nobilibus partim in oppidum, Schleimingium profugientibus, partim extra id (cum omnes capere non posset) castra sua locantibus. Rustici itaque successu rerũ elati, nobiles consectantes, extra urbem diei cuiusdam diluculo agentes, adorti, eos, qui fugã nõ elaberentur, uel cædunt, uel in flumen uicinum compulsos submergunt. Mox in oppidum irruẽtes, nobiles stertentes, partim trucidant, partim de muris deturbãt, maximè hos, qui Germanici idiomatis ignari, & alienigenæ essent. Inde ad prædam conuersi, omni pecunia, quam Stainerus ipsis extorserat illic depositа cum multis alijs nobilium bonis oppido illatis potiuntur. Multi ad uocem Michaelis Gruberi Rusticorum ducis, quem tamen cum nobilitate clàm sensisse ferunt, in templum profugerãt, horum octodecim uiuos Rustici capiunt, & mox in eorum conspectu, quadraginta alios capite truncant. Deinde cathenis aureis, galeris, & alijs ornamentis captiuorum cum suis permutatis, ipsos ex suis equis detractos, partim uilissimis suis iumentis, partim dorsis retro complicatis constrictos currui impositos, Galgium, arcem Salisburgensis Episcopi, quam in potestatem redactam præsidio tenebant, deuehunt. Cæterùm ut conspirationes & seditiones diuinitùs puniri consueuerunt, sic nec hæc Rusticorum uæsania diuturna felicitate constitit. Nam breui post hanc uictoriam interuallo,

interuallo, metallicis unà cum multis Rusticis Geismayerum ducem Venetias sequentibus, nobiles animo recepto, cum Nicolaò de Salm rerum gestarũ laudeclarissimo duce Schleimingium oppidum à Rusticis occupatum, tanquam receptaculum seditiosorum obsidentes, id expugnatum concremant, soloq; æquant, hoc edicto, ne unquam oppidi nomine uocetur. Quo facto, Salmius opportuno admodum tempore inde discedit. Nam multorũ opinione, si illic, ad quatuor horas substitisset, fortuna cum nobilibus, illi communis futura fuisset. At ille ingressu oppidi abstinens, eo succenso ad alia loca prudenti consilio se confert. Rusticis ergo dilapsis, simpliciores, de quorum innocentia cõstabat, pecunia mulctantur, auctores seditionum hinc inde conquisiti in ujs publicis ita demissis laqueis suspenduntur, ut canum esca fierent. Ad hæc campanæ ex turribus deiiciuntur, ne Rusticis seditiosos conuocandæ signum essent.

Ac ut in pauca totius historiæ huius summa conferatur, seditiosi supplicio afficiuntur, ut, quod dicitur, seditionem tyrannidis matrem, ac tyrannidem eius genitricem esse, apparuerit. Quare ut à uiolentis consilijs Magistratus, sic à seditiosis subditi, utriq; officij sui memores meritò deterreri deberent. Nam non minus tyrannides iniquas subditorũ concussiones, quàm seditiones iusto Dei iudicio tandem punitas, omnium gentium historiæ & exempla quotidiana, luculenter ostendunt.

LIBER QVINTVS.

HActenus res contra Franconicos, Almangauicos, & Salisburgenses rusticos eorumq; uicinos gestas obiter persecuti sumus, nunc quæ postquam, ipsis ad officium redactis, à Palatino domum reuertente contra suos aliosq; rebelles suscepta sint, exponemus, adijcientes ea, quę in nonnullis ciuitatibus liberis exemplo Rusticorum à ciuibus contra Magistratum suum, uel religionis, uel onerum causa hoc anno mota fuêre. Igitur copijs Sueuici fœderis Haidingsfelda, ut superiùs diximus, discedentibus, Ludouicus Elector Palatinus cum suis copijs subsequenti die Remlingam, qui uicus peramplus est, mouet, ibiq; cum suis equitibus per noctem subsistit, reliquis cum peditatu Heusenæ atque Entingæ manentibus. Hi tres pagi erant ditionis Vuerthemicæ. Altero die principes, & quotquot poterant Vuertheimij diuersantur, reliquis uicinos pagos ingredientibus. Peditatus uerò cum tormentis bellicis Rauchaltzheimij supra Vuertheimum considet. Die Iouis, qui nomine Corporis Christi uulgò celebris est, uniuersæ copiæ Miltebergum & Biestadium contendunt, ibi solis equitibus receptis, peditibus cum tormentis bellicis maius & minus Heubacum pagi assignantur. Illic locorum inter Electorem Palatinum, & uicarium Moguntinum, alioscq; Principes de modo mulctæ in diœcesi Moguntina seruando, conuentũ est, quæ ad formulã exacta, & inter Principes posteà distributa fuit. Postero die toto exercitu per Mœnũ descendẽte Principes in superiori & inferiori Burgo, pagis, uicarius Mogũtinus Vuastati pernoctãt: Deinde subsequẽti die Aschaffenburgũ Archiepiscopi Moguntini sedẽ ueniũt, ubi principes in arcẽ, equites, quib. in urbe locus non erat, Oscheimiũ, & in finitimos pagos unà cũ peditatu diuertũt. Ac illic q; diẽ cõmorãtes, à ciuibus & Rusticanis diœceseos, ob rebellionẽ, de qua superius dictũ est, mulctã cõuenientẽ exigũt: Constitutũ erat Electori Palatinos & cæteris Principib. inde ad Rinckauiẽses mulctãdos, & Moguntiã obsidendã, pficisci. Nã qdã ciues Moguntini in festo Marci, q 25. Aprilis erat, solẽni supplicatione ad sanctã Crucem extra urbem pro more peracta, in foro boũ, ut uocãt, in unũ coaceruati per totos tres dies portis ciuitatis clausis,

eorum

earum clauibus à Magistratu extortis, machinisq; bellicis è turribus in forum boum deuectis, atq; captiuis è carcere liberatis, contra clerum mirum in modũ tumultuati, urbis præfectum, ac capitulum maioris Ecclesiæ ad multas intolerabiles conditiones adegerant. Hanc itaq; seditiosorum proteruiã ac rebellionem Principes puniendam arbitrabãtur. Verũm cum ciues delicto agnito, ad binas principum literas, legatos culpam deprecantes in castra mitteret, ac mulctæ se sponte subijceret, principes ab instituto, destitêre, ac legatis castra sequentibus, rem tandẽ certis conditionibus Phederscheimij transegerunt: Inter quas hæ fuêre: Vt uicario denuò fidelitatis iuramentũ præstarent: Principibus mulctæ nomine quindecim millia nummũm aureorum soluerent. Vicario deinde cum sexcentis equitibus, duce Frobenio Hutteno primo die Iulij ciuitatem ingrediente, ad ciues iureiurando nouo obstringendos, hi ad forum boum citati, literas conditionum, quas à clero extorserant, dilacerare, ac circiter quinquaginta eorum carceres ingredi coacti sunt: E' quibus posteà quatuor capite, reliqui partim exilio, partim alio modo mulctati sunt. Porrò Elector Aschaffenburgo digressus, primo die Diepurgum, postero Oppenheimium suæ ditionis oppidum uenit, ubi neutiquã moratus, eodem die Rhenum trajicit, peditibus cum tormentis bellicis in altera ripa permanentibus, ac die postera Electorem subsequentibus. Quia uerò uicarius Moguntinus Palatino Aschaffenburgo discedenti promiserat, secũ trecẽtis equitibus ad puniẽdos Rusticos agri Vvormatiensis subsecuturum, & altero die post Oppenheimium uenturũ, ideò Elector in castris eo loci fixis, aduentum eius operitur. Interea Eberhardus Erdbachensis supremus copiarum Palatini dux, cum alijs belli præfectis & consiliarijs, per speculatores emissos diligẽter inquirit de Rusticis ad Neostadium denuò congregatis, ubi locorum subsistant, & quid rerum moliantur, ac mox per indicium comperit, Rusticorum armatorũ circiter nouem millia Dalsheimij, quod ditionis Palatini Castellum est, aggregata securo animo degere, ac insolenter iactare, se Palatinum & omnes ipius copias in lectis interfecturos esse. Et sanè insigne specimen eius uoluntatis præclarè ediderant, cæde, rapinis, incendijs & direptionibus, tam principibus, comitibus & nobilibus, quàm Ecclesiasticis maximo damno illato. Siquidem ad Neostadium ex Clebergensi, Merlamensi, Helspruccico, Vvachẽheimico, & alijs factionibus circiter terias Pentecostes denuò coaceruati, Gersheimium, Lamersheimiũ & Frinsheimiũ occuparant, & die Mercurij post diem Dominicum, qui Trinitati sacer est, cum Darmsteinium uenissent, arcis Palatini, quam præfectus Zellensis cum alijs aliquot præsidia tenebat deditione ipsis denegata, in eam ui irrumpẽtes, præfectum, & cum eo circiter quindecim præsidiarios crudeliter interfectos, è fenestris præcipitârant, arceq; direpta, doctoris Vvolffgangi Affenstenij domũ funditus euerterãt, ac Episcopi Vvormatiensis prædium extra castellum situm, ministris eius captis, incenderant. Ac inde nouam Leitingam profecti, ea expugnata, arcẽ diripuerãt, comitissam Vvesterbergensem illic habitantẽ eò cõpulerant, ut ea ipsis cibũ appararet, mẽsæq; ministraret. Sic uili hominũ genere cum rerũ potitur, nihil insolẽtius esse cõsueuit, nec modũ seruare nouit, rerũ prosperitate, quæ tamẽ instabilis minimeq; diuturna est, temere elata. Posteà Vvesterburgicę ditionis arcẽ ueterẽ Leimingã igne prorsus deleuerãt, ac ad loca uicina progressi, aliquot arces atq; cœnobia deuastarãt, falsò sibi persuadentes, se rerũ ac totius regionis dominos esse, uictoriãq; iam in manib. habere: Palatinus ergo Elector hisce, alijsq; Rusticorũ facinorib. cognitis, uehemẽter ob subditorũ, qs semper clemẽtissimè habuisset, & ab omni iniuria tutos seruasset, perfidiã & rebellionẽ, animo angebat, ac iusta indignatiõe in eos cõcepta, scelerata ipsorũ facta, primo q̃q; tẽpore cohibere cõstituit. Quapp̃ter Eberhardus Erbachicus

copias

copias instruere iubetur, ac Guilhelmus ab Habern Mareschallus cum signo equitũ prima luce ex arce Oppenheimensi ablegatur hoc mandato, ut ubi Rusticana turba consideat, & quomodo aggredienda sit, studiosè perquirat: Electori deinde circiter octauam horam cum omnibus copijs subsequenti, uicarius Moguntinus trecentis equitibus coniungitur, & unà Vvesthofium petũt. Mareschallo itaq; in itinere de Rusticis inuestiganti, nunciatur, eos Dalsheimo noctu mouisse, quò uerò, ignorari. Quare per omnes uias speculatoribus emissis, comperit ipsos Guntzheimium petijsse, ubi Ioannes de Eberstain arcem habebat. Quo cognito, Mareschallus eò rectà pergens, è uestigijs eorum terræ impressis colligit, ipsos instructis ordinibus per campum profectos, in quolibet ordine quadraginta tribus collocatis. Cumq; Guntzhemo Federsheimiũ contenderent, Mareschallus adeò celeriter eos insequitur, ut Rustici uix horæ spatium ipsum anteuerterint. Licet uerò oppidani minimè ignorarent Electorem ualidis copijs aduentare, ac neutiquam ipsis defuturum esse, ac Burggrauius Altzheimensis paucis ante diebus ducentos bene instructos ipsis præsidio mississet, tamen uel conspiratione, uel metu, Rustici ad postulata sua illic intromissi fuêre. Mareschallus igitur certò cognito ubi Rusticanorum turba subsisteret, ad Electorem redit, eiq; rem nunciat. Quare omnes sese instruere iubentur, & Erbachicus aciem Federsheimium uersus dirigit. Cum autem iam oppido appropinquaret, Mareschalli sententia, quomodo Rustici inuadendi essent, audita, consilioq; habito, equestres & pedestres copiæ ad iactum bombardæ ab oppido consistunt. Pòst adductis leuioribus tormentis ad montem diui Georgij, in quo fanum & aliquot ædificia extructa erãt, muri oppidi tormentorum fulmine quatiuntur, oppidanis eodẽ teli genere intrepidè se defendentibus. Quo ad integram horam hinc inde facto, ac rectè, loci situ perspecto, cõmodum forebentem mittere, qui illic subsistentes, cognoscerent, quid Rustici ceptarent. Eare uisum est, equites aliquot trans Pfremum amnem, Pfedersheimum præterlanamq; parte melius quid in oppido ageretur, quàm in monte Georgij conspici poterat. Quare Mareschallus cum celerum signo, & Theodorici Schonbergij Burggrauij Altzheimensis equitibus, quorũ circiter centũ & quinquaginta erãt, fluuiũ Pfremum supra oppidũ transit, & in cliuo quodã iuxta sacellum cõsistit. Simili modo paulo pòst Ioannes Schonbergius præfectus Schonbergicus cum equitibus Colonienſibus infra Pfedersheimiũ fluuiũ transmittit, ac Mareschallo sese cõiungit, in eruptiones ac molitiones Rusticorũ intẽtus. Inde Mareschallus rerũ cura Vuolffgango Vlricho à Flehingen uicario suo delegata, cum mandato, ut diligenter hostes obseruet, & cognita sibi significet, unico puero comitatus ad Electorẽ redit, qui in absentia ipsius re cum cõsiliarijs suis deliberata castra ad oppidum locare decreuerat. Iis ergo deligendis, & terretorijs distribuendis, Mareschallus & Frobenius Huttenus destinantur, ac pedites supra Federscheimium prope Pfremum amnẽ aduesp̃ põtem in ualle Alba locãtur. Nullus hostile quid eo die gerẽdum cogitasset. Ideoq; currus onerarij, aliaq; necessaria ad constituta castra mittuntur, militibus tamẽ nihilo secius in acie sua ad montem diui Georgij instructis. Sed ecce interea præter omniũ opinionem è portis oppidi apertis tria Rusticorũ signa prodeũt, quæ his qui montem Georgij insederant, cõspectu facillima erant. Variæ de ipsorum eruptione sententiæ inter Palatini duces erãt, qui dum inter sese de re deliberant: Denuò ultra octo millia ex oppido progrediũtur ad castra ultra amnem sita. Facilè inde colligere licebat, de exercitu qui pòst montẽ diui Georgij substiterat, ipsis nihil cõstare: Ac quidẽ posteà cõpertũ est, ipsos ad opprimẽdos equites, quos amnẽ permeasse uiderant, nec ultra quadringentos esse putarant, erupisse. Quo uiso, Mareschallo rursus à suis ex castris Georgianis uocato, Mogũtini eqtes quoq;

adiunguntur

adiunguntur hoc mandato, ut hosti obuiam procedant, eosq; Treuerici ac Iuliacenses subsequi iubentur. Maior uerò equitatus pars cum pedestribus copijs, & tormentis bellicis in monte Georgij remanet. Rustici ergo equestres copias prope Pfremum adorturi, per uineam quandã pedamentis ac ridicis densissimam progrediuntur, ita ut nulla equitibus cum ipsis dimicãdi copia esset. Cum uerò post tergum tormentis suis in exercitum Electoris directis, Secretarium eius Philippum Thurn globo traiecissent, tum Electoriani Rusticorũ impetum in se uersum iri existimantes Mareschallum cum suis reuocãt. Cæterùm præfecto tormentorum bellicorum tribus leuioribus, quę à Falconibus nomẽ habent globos in Rusticos mox emittente, ac aliquot ipsorũ prosternente. Rustici ijs ictibus sustinendis minimè assueti, fuga oppidum quantis uiribus poterant, repetunt. Tum ergo equites eos gnauiter insectantes, plurimos eorum confodiunt, tantoq; ardore rem gerunt, ut si pedites, quod Mareschallus uehementer postulabat, ex monte progressi, hosti fugienti receptum præclusissent, pauci uel nulli eorum euasuri fuerint. Quibus enim equitum pernicitate reditus in oppidum intercluſus fuit, illi uel in uineis, uel in amne prope Vvormatiã usq; confossi interiêre: tanta cum clade, ut circiter quinq; millia Rusticorum eo die cæsa memorentur. Nox superueniens hoc prælium diremit. Quare exercitu in unum congregato, principes in castra recedunt, & ne quis oppido elabi possit, pedites circiter quingenti, ac equites mille excubijs custodijsq; diligenter agendis destinantur. Sequentis diei diluculo tormentis ad oppidi muros deijciendos adductis, oppidani, qui se ad resistendum impares uiderẽt, legatis ad Electorem missis, culpam deprecãtur, ac se, suaq; omnia eius uoluntati permittunt, à quo hoc responso, in oppidum remittuntur, ut nemini, præsertim uerò seditionis auctoribus oppido exeundi potestas fiat, sed aliud responsum ab Electore expectetur. Postea tormẽtis retrò reductis, die Sabbati, qui tum Ioanni Baptistæ sacer erat, Electores ac Principes ad fanum diui Georgij extra oppidum in monte situm, cum uniuerso equitatu se conferentes, aliorum Principum subditos ab Electoris segregatos ad se euocant, auctoribus seditionis dignas pœnas irrogaturi. Ne quò autem se proripere possent, antequam Principibus se stitissent, trecenti equites ordinantur, qui in eos medio ipsorum interiectos sedulo aduertant. Alijs uerò, q ad tria millia in oppido arma deposuissent, Mareschallus & Frobenius Huttenus ad se egredi iussis, seriò edicunt, ut Principes adeant, nec de se subducendis cogitẽt: aliâs futurum, ut omnes ad internecionem trucidentur: de eo ipsos præmonitos esse debere, ne in propriam salutem peccent, suaq; temeritate extremum exitium sibimetipsis accersant. Ipsi ad circum à principibus & equitibus factum per cliui fossam conscendunt, portis oppidi, in quo circiter mille adhuc reliqui erãt, occlusis. Cum autem forte ad biuium peruenientes, postremi fugam capescerent: tum equites unà cum ijs, qui in circo ad montem erant, in ipsos hostiliter irruunt. Etsi autem Elector, alijq; nonnulli duces summa ui furentem equitem à strage miserorum retinere conaretur, tamẽ circiter octingẽti illic cæsi perierũt à Treuerico Archiepiscopo Richardo quoq; ad insectationẽ eorũ feruẽtius abrepto, in illa fuga nõ perpaucis, ut ferũt, cõfossis. Ex superstitib. triginta capite plexi fuêre, quòd seditionis auctores fuisse dicerentur. Aclicet omnes in pari culpa uersarẽtur, eodẽq; supplicio digni fuissent, tamẽ reliqui in gratiã recepti, præstito iuramẽto, incolumnes domũ dimittuntur. Post hæc Principes cum uniuerso exercitu in castra redeũt, die ad noctẽ iam inclinãte. Quandoquidem aũt, ut diximus, Rustici in oppido circiter mille adhuc reliqui essent, ac necessitas exigeret eos, ut præcedenti nocte factum erat, custodio contineri, id uerò ob nimiam & hominum, & equorũ defatigationem factu difficilè iudicaretur. Ideò Mareschallus, ne quis rebellio euadere

euadere posset, cum signo suo celerum oppidum ingrediens, tam ciues, quàm Rusticos in cœmiterio conuocat, & quingentos Rusticos dinumeratos, tessera de eorum numero facta, templo concludit, ciuibus præcipiens, ut ad ostia & fenestras templi diligenter excubẽt. Si etenim altero die in urbem reuersus, numero pauciores deprehẽderet, se tot ciues, quot Rustici elapsi essent capite puniturũ. Ad hæc edicit, ut qui undiquacp in oppidi ædibus, cellis, horreis alijscp locis delitescant, conquæsiti eadem ratione asseruentur. Nemo de hac seuerita te in Pfedersheimicos adhibita mirabitur, factis ipsorum rectè cõsideratis. Marschallus uerò hac re confecta, uesperi in castra reuertitur, ac mane subsequenti cum Iacobo à Fleckenstain & Ioanne à Schonberg totius executionis mandato accepto, in oppidum regressus, omnium, quos sub prioris diei uesperam in templum contruserat nomina recitat, ac comperiens ciues ea nocte circiter trecentos comprehensos prioribus adiunxisse, uiginti quatuor ex ijs capitali supplicio afficit, reliquos uenia donat. Postea cum ciuibus Pfedersheimẽsibus actione susceptа quatuor eorum capite damnat, reliquis nocentioribus priori die, cum arma contra legitimum Magistratum ferrent, misere cæsis. His qui in gratiam recepti fuêre, inter alia & hoc iniunctum, ut arma cuiuscunq generis depositа, Altzheimensi arci inferrent. Et omnibus libertatis ac Priuilegiorum diplomatibus traditis, nouo fidelitatis iuramento Electori obstringerentur. Rebus Pfedersheimij compositis, aliquot dies ibidem subsistũt: ac subditos in circumiacẽtibus castellis & pagis, partim facultatibus mulctatos, in fidem rursus adigunt. Venit eò & Ludouicus comes Palatinus Veldentiæ comes, Electoris agnatus. Adducũtur & illuc duo seditionis Coryphæi in præfectura Lutherea comprehensi, quorum alter Michael Buschius Germersheimensis, multis beneficijs à Palatino affectus, Rusticorum dux, alter Rubischeimensis uexillifer fuerat. Hi quæstione de ipsis habita, post confessionem factam, capite crimina expiant. In ijsdem quoq castris clerus Francofurtensis, Spirensis ac Vuormatiensis cum Magistratu earundem ciuitatum Electore Palatino intercessore, reconciliatur. Nam bello Rustico ardente, ciues locorum istorum contra clerum tumultuati, eum ad multas intollerabiles conditiones, compulerãt. Ac quidem inter hos Francofurtenses cognito, non longè abesse Rusticorum in Archiepiscopatu Moguntino debacchãtium cateruas, in ferijs Paschalibus ad arma concũrrentes, impetum in Monasterium prædicatorum, ac ædes ad S. Bartholomæum, & ad B. Virginem fecerant, uinum, cæteris omnibus illæsis, imperiosè ad potandum flagitato. Deinde potestate Senatui abrogata nouam curiam in ædibus S. Antonij cõstituerant. In qua 24. ex plebe delecti summam potestatem ac ius omne totius usurparent. Ac conscriptis quadraginta sex postulatis, & clerum & Senatum eò minis adegerant, ut in ea consentirent. Quorum hæc capita erant: Vt potestas eligendi & instituendi pastores esset penes Senatum ac plebem, qui uerbum Dei & Euangelium purè sine additionibus humanis docerent. Scortationis uitium, in nullo ciuitatis incola, siue Laicus, siue spiritualis sit, ut scandala uitentur, tolerandum, ac si quis cõtinentiæ donũ nõ habeat, matrimonij remedio utatur. Clerici omnes cuncta onera ciuilia sustineant, in angarijs, uigilijs, custodijs, uectigalibus, & similibus, & in foro secularí tam conueniantur, quã alios cõueniendi ipsis potestas permissa est: Cum monachi, eorũcp antecessores multa falsæ religionis titulo à ciuiũ maioribus emendicarint, atcp in alia loca trãstulerint, eos cõpellendos, ut illa collegio, à quo pfecta fuêre, restituant. Nec ulli monachorũ amplius copiã mẽdicãdi, pdicãdi, aut cõfessiones audiẽdi fore. De cætero, necp monachus, necp monialis ulla in monasteria illic admittat aut recipiat. Qui uerò intus sint, eis facultas exeũdi esto. Cẽsus, de qb. nõ extẽt certæ literę & sigilla, aboleant, nec pscriptionis nomine

quisquam

quisquam amplius obligatus sit. Frumenta, quæ hactenus ditiores commodi sui ratione, ad ædes proprias deuehi curarint, annona publica flagellata, in foro publico de cætero uendenda, ac unicuicq; ex ijs necessaria, iusto precio concedenda, nec propolis permittendum, ut ante primam, uel secundam horam pomeridianam ea comparent. Si cui ciuium pro mutuata pecunia frumentum adferatur, & alius hoc opus habeat, pro pecunia parata dimidia pars, uel necessaria saltem ei concedatur. Si quis in ædibus suis, uel gradus, uel limina, uel caneuarum prospectus construere uelit, id ei citra ullius precij solutionem licere ab ædilibus inspectione facta: Pro impositionibus maioribus uini, frumenti, salis, olei & piscium, dimidia earum pars soluatur. Lites tam pauperum, quàm ditiorum, intra mensis spacium, quo ad eius fieri poterit, decidantur, nec ex arbitrio aduocatorum & procuratorum protelentur. Sportulę quoq; iudiciales, & honoraria procuratorum, pro dimidia parte minuantur. Census perpetuos, si literæ de ijs extent, aut alios reditus redemptioni obnoxios esse debere, sin minus, non soluendos ut in sexto articulo continetur. Iudæis reprobas & illicitas usuras non permittendas, ac si res furtiuę ciuibus ereptæ penes ipsos inuenian tur, eas nullo precio recepto ciuibus restituẽdas, ac rerum, in primis pannorũ, qui ulnis mensurentur uenditioni ipsis interdicendum. Ecclesiastica beneficia post hæc non externis, aut Curtisanis, sed solis ciuium filijs pietatis ac patriæ amantibus, qui populum rectè docere queant, conferenda, eosq; tricesima eorum alendos. Si quæ ex ijs necessaria non sunt, census & decimę eorum tradan tur in cõmunem cistam pro sustentatione pauperculorum ciuium, ne quis stipis emendicatione alios molestet. Omnes donationes ex testamentis & aliæ eleemosynæ communi cistæ inferantur, abolitis cunctis anniuersarijs, fraternitatibus & exequijs mortuorum in Ecclesijs. Vnicuicq; in suo noualia faciundi potestatẽ esse debere, licet iuratis iudicibus pro consensu, ut hactenus fieri consueuerit, nihil soluerit: consensum tamen eorum requirẽdum. Pro porcis domi saginatis pensionem, quæ duplex hucusq; fuerit, minimè soluẽdam. Glandes, si quæ in syluis communitatis natæ sint, harum præfectos fallò contrarium plebi huc usq; retulisse, ac ipsos porcis atq; pecoribus ciuitatis inde repulsis, finitimis eas uendidisse: Id cum pauperibus damnosum sit, in posterum minimè ferendum. Mulctas ratione cæsorum lignorum abrogandas, nisi quis ex proposito doloſè tenellas atq; frugiferas arbores inciderit. Constare enim syluas communitatis magis ab extraneis, quàm ciuibus usurpari. Cuicq; ciuium certum lignorum numerum ex syluis communibus, ut alijs in locis receptum sit, quotannis erogandum, quæ certo ac præfinito tempore cedat, atq; ad usus suos aspor ter, id si non faciat, tunc ea illic relinquat, æqualitate inter diuites & pauperes seruata. Cum â pecoribus prædiorum Kesterbacci, Schyueinheimi, Santhofij, Nevuenhofij pascua communitatis maximo pauperculorũ incommodo absumantur, ac syluæ uastentur, uelle se, ut illa penitus tollantur, quo macellarijs, alijsq; ciuibus pro suis animalibus pascua suppetant. Censum pro sustentatione pontis ex uineis se pensuros, pro fructibus uerò sponte natis minimè. Vectigal hactenus pro frumento & ligno, alijsq; rebus per pontem transportatis, licet in ciuitate emptis, ciuibus soluendum fuisse, id æquitati & Christianæ dilectioni contrarium: quare non amplius præstandum, nisi nouem diebus inter Bartolomæi & Aegidij festa. Communium locorũ in ciuitate, uel extra, usum cuicq; liberum esse debere, præterquam eorum fluminum, quæ iure singulari à communitatis usu exempta sint. Nullum ciuem qui fideiussoribus cauere possit, ob debita, uel mulctam incarcerandum, sed iure cum ipso experiundum: ab hoc tamen contumaces, pacis uiolatores, fures, & periuros excludendos. Multis ciuibus lites cum Iudæis ob bona ab hisce interuersa esse, in quibus sentẽtia

magistratus

magistratus longo tempore dilata sit, postulare se, ut sentētia primo quoq; tempore feratur. Nolle se, ut sex oboli à iugero uineæ, & quatuor à iugero agri, hactenus defensionis nomine præstiti, in posterum soluantur. Si quis in agro alterius damni quid dederit, is cum domino eius transigat, sin minus iudicij agrici cognitioni acquiescat, nec Senatus mulctæ nomine amplius quid exigat. Mercenariorum in agris laborantium, consueta merces, accessione duorum oborum augeatur. Incolæ sex nummorū solutione, ob emptionem lactis & ouorum depensorum liberentur. Pro fideiussionū instrumentis dimidia precij pars hactenus solui solita, numeretur. Nemo ad opificium publicè exercēdum admittatur, nisi qui in eius disciplina præfinitum tempus compleuerit, eiusq; tyrocinium deposuerit. Ad uitandos sumptus, non nisi duodecim equites publicè alendos: id enim hominum genus suis canibus & equis communitati plus obesse in deuastatione agrorum cultorum, quàm commodo publico seruire. Vigiliarum & excubiarum numerum ædibus, quas quisq; habeat, respondere debere. Cuilibet collegio literas ad id scriptas resignandi potestatē esse debere, nec eas Magistratui offerendas, nisi quo casu eum concernant. Omnes ebriosi atq; blasphemi uigore mandati à Senatu editi, puniātur. Senatore decedente, in eius locum, alter honestate, consilio ac experiētia insignis sufficiatur: nec locus gratificationi sit, uel pater & filius uel duo fratres simul, uel in Senatū, uel iudicium Scabinorum admittantur. Vini mensoribus, non nisi sex oboli in posterum à quolibet uase soluantur. Minores quoq; decimæ aboleantur. In libris tribuum, qui penes eos sint, contineri Senatui potestatem capita in ijs comprehensa mutandi liberam esse, hoc antiquādum, & eius loco ponendum, nullius articuli uel minuendi, uel augendi facultatem citra collegij cōsensum Senatui competere. Quoties, re exigente, onera publica sint imponenda, id consensu Plebis fieri debere, quo æqualitas seruari possit. Ius uasa uini uendibilis inspiciundi ac metiendi Senatui saluum esse, reditus uerò, quos hactenus præpositus inde perceperit, ad utilitatem pauperum communi cistæ inferendos. Pecuniam pro carris, quibus in nundinis ciues usi fuerint, in posterum nō numeran dam. Beginas, ut uulgò uocantur, in una uel altera domo cōcludendas, nec in posterum plures recipiēdas. Solennitates in exequijs mortuorum, similibusq; adhibitas, abrogandas. Concubinas à suis sacerdotibus, uel alijs cōcubinarijs discedentes, à nemine hospitio receptandas. Hosce articulos à nullo, tanquam seditiosos habendos, sed ut utilitati publicæ conformes, à quolibet approbandos. Senatus ergo, qui tumultuanti plebi resistere non posset, his postulatis die sabbathi post ferias paschales unà cum clero subscribit, nemine, nisi Cochlæo Theologo (qui seditione mota è ciuitate antequam portæ clauderentur aufugerat) dissentiente. Postulatorum à Francofurdensibus acceptatione, ac per typographos hinc inde dissemination e, & in alijs ciuitatib. ad similia ciues moti putārur: Idq; maximè Spiræ & Vvormatiæ, ubi eadem ferè per ciues à clero extorta fuêre. Sed, ut diximus, cæsis ac pfligatis hinc inde seditiosis Rusticis, per duos Principes Electores, Archiepiscopum Treuirensem, & Electorem Palatinum, res Pfedersheimij composita, ac in priorem statum ubiq; redacta est, attentatis omnibus reuocatis, & literis, quas seditiosi extorserāt à clero, antiquatis atq; discissis.

Iis ergo ita, ut diximus, Pfedersheimij peractis: inde promotis castris Frenkheimium contendunt, ibiq; incolæ nonnulli capitis supplicio, nonnulli bonis mulctantur, ac armis traditis castello omnia priuilegia adimuntur. Subsequenti uerò die illinc discedentes, Neostadium pergūt, ibiq; Elector Palatinus, cum Principibus & suo equitatu diuertit, Treuerici Vvintzingę, Veldentiani Mosbacci, pedites cum tormentis Dudesfeldiæ & Heimbaci: ibi subsequēti die cō-

morantur. Et quia Neostadienses præ cæteris inobediẽtes se gesserant, & enormiora patrarant: Ideo grauiora in ipsos supplicia statuuntur, ac multis in uinculis coniectis octo in foro capite truncantur, ac uniuersi tribus millibus aureorũ mulctati, armis traditis, priuilegijs suis omnibus priuantur. Præter oppidanos, & extranei non pauci, qui seditionis auctores extitissent, capite pœnas luunt. Die hunc sequenti, qui Dominicus erat, Godramsteinium præfecturæ Germersheimensis per amplum pagum, itur, ibiq; Elector cum suis copijs, reliquæ in circumiacentibus pagis pernoctãt. Illic loci Legati Landauiensium, uinum, frumentum & boues dono Electori offerentes, cum eo transigunt. Postero die Principes progredientes, Minfeldi, qui pagus peramplus & amœnus est, cum equitibus, pedites cũ tormentis Frickenfeldi subsident. Alterius diei luce nondum orta, supremi duces & Mareschallus aliquot equitum alis stipati Vvissenburgum contendentes, id obequitant, ac signo hoc futuræ obsidionis oppidanis dato, in castra remeant. Inde uerò à Palatino de satisfactione per literas mo nentur: quòd non minimi auctores, motus in Palatinatu suscitati, fuissent: Aliquot enim castella & arces ceperant, ac arcem S. Rhemigij expugnatam atq; direptam incenderãt: & in oppugnatione arcis Roderianæ quæ Friderici à Fleckenstein, ministri Palatini erat, Rusticos strenuè iuuerãt. Vvissenburgici ergo literis hisce cum securitate publica acceptis, legatos suos cum Ioanne Iacobo Merspurgico libero Barone, & Cæsareæ Maiestatis in inferiori Alsatia Gubernatore, ad Electorem mittunt. Triduo in negotio componendo consumpto, tandem in hasce conditiones conuenit, ut Vvissenburgici sex millia aureorum Electori numerent, seditiosos in urbe supplicio capitali afficiant, & maiora tormenta Cæsareæ Maiestatis Gubernatori tradant. Omnes in eas conditiones Vvissenburgicos consensuros existimabãt, sed sua opinione frustrabant. Nam Vvissenburgici, ut suis eas exponerẽt, in oppidum regressi, nihil æqui à suis referebant: ita, ut meo iudicio nõ tam pacem quæsierint, quàm simulatione quadam institutum Palatini retardaturi, de uiribus, copijsq; colligẽdis cogitarint. Porrò uerò hæc Vvissenburgicorum actio non solum instituto Electoris, sed & Ferdinandi Archiducis Austriæ consiliariorum petitioni impedimẽtum attulit, qui contra tumultuantes Rusticos auxilio Palatini implorato, eius spe exciderunt. Nam prẽter motus in Comitatu Tyrolensi & Stiria excitatos, quorum suprà meminimus, & per Brisgoiam orta seditione, quum Rustici ijs locis oppidum Friburgum occupassent, Ernestus Marchio Badensis, qui magnas ibi possessiones haberet, Argentoratum profugerat, Electorem atq; senatum de intercessione rogans. Missis uerò ab Argentinensibus & alijs quibusdam legatis, Rustici eorum hortatu atq; sermone persuasi, domum reuertuntur: Quum iam prope Laram quatuor ab Argentorato milliaribus consedissent, ac Basileę demum à multa disceptatione 25. Iulij die transactum fuit.

Cæterùm cùm Vvissenburgici bellum paci anteponere uiderẽtur, Palatinus ad obsidionem se comparat, & ad locum castris locandis idoneum deligendũ, supremum rerum ducem, Erdbachicum, Mareschallum, peditumq; ductorem, ac Georgium à Nippenberg curruum præfectum cum Treuerico quodã ablegat. Qui die Sabbathi Chiliano sacro summo mane, cum duabus equitum turmis, ac omni peditatu & tormentis bellicis Vvisseburgum petunt, & castris locatis, uallos iacere incipiunt: Cuius rei nuncium Elector, qui cum equitatu reliquo illo die Minfeldæ subsisteret, perquam lætè tulit. Fixerant enim castra eo, quo Vvissenburgici minimè suspicati fuissẽt loco, equites nimirum Palatini in monte ad pagum Schvvaick, Treuerici in pago Rechenbach, Veldentiani in Radh, trans planitiem: pedites cum tormentis ad destructæ arcis rudera, per totam uallem. In his castris circuniacentia castella & pagi mulctãtur, & in eorum

uno

uno ſeptem Seltzenſes, qui tumultui interfuerant, comprehenſi, atq; Minfeldiam adducti, capitali ſupplicio puniuntur. Poſtero die Dominico, cum Marefchallus ad Principem reuerſus, ei rerum ſtatum expoſuiſſet, ipſe quoq; Minfeldia caſtris motis, Vviſſeburgum cum toto equitatu proficiſcitur, ibiq; conſidet. Nocte ſubſequenti ſupremus dux cum copijs & curruum præfecto in uallis iaciendis ſtrenuè laborat, & in tenebris ad foſſam uſq; urbis procedẽs, ſitum urbis & munitiones diligenter colluſtrat: & nocte illa in uallis paratis maximo labore tormenta bellica diſponit. Deinde illuceſcẽte die, oppidani tubarum & tympanarum clangore terribili per tota caſtra ſonante, ſalutantur: uerum illa ſalutatio non omnibus æquè grata erat: Cum tota die deinceps aſsiduis tormentorum bellicorum tonitruis infeſtarentur, nec uerò ipſi in obſidentes idem facere omittebant. Ea dum illo die utrinq; geruntur, duo à Senatu Imperij, Theodoricus uidelicet comes de Manderſchiedt, & Fridericus de Lidpach, & â ciuitatibus Argentina, Hagenoa, Vvormatia, Spira, Landauia, alijſq; nonnullis legati ad Electorem ueniunt, actionem de pace ſibi permitti cupientes. Eam legatis Imperialibus Elector concedit, citra tamen inducias, ſed urbem tormentis ſine intermiſsione infeſtare ſatagit, ita ut ſequenti die Martis mille & ducentis tormentorum globis in urbem coniectis, fragor eorum longè lateq; in finitimis regionibus auditus ſit.

Poſt multam uerò & aſsiduam Legatorũ Imperialium diſceptationem, tandem res ita tranſigitur, ut conditionibus quas gubernator Cæſareus in caſtris ad Minfeldiam obtinuerat reſciſsis atq; abolitis, Vviſenburgici illo eodem uelia florenorum ſoluant: ipſum cum toto equitatu in urbem intromittãt, quo de ſeditionis auctoribus, pro meritis ipſorũ ſtatuat. Tormenta bellica maiora quę haberent, ipſi urbe egreſſuro tradant. Quæ illi data fide, rata firmaq; habuêre. Die ergo Mercurij principes omnes cum copijs equeſtribus urbem ingrediuntur, ac inquiſitione de ſeditioſis ab ipſis habita, tribus in foro capita, duobus digiti amputantur: cæteris gratiam impetrantibus. Poſtea ciues à Gubernatore Cæſareo in Imperij fidem redacti, promittere coguntur, ſe nihil ſimile poſthac facturos uel molituros eſſe. Iis peràctis Elector in caſtra reuerſurus, ſex tormenta bellica maiora à ciuibus ſibi tradita, ſecum educit, quorum tria Archiepiſcopo Treuirenſi, unum Ludouico Palatino Bipontino, dono dat: alia duo ſibi ſeruat. In caſtris deinceps illis Elector ob uaria & multiplicia negocia per biduũ commoratus, equites aliquot dimittit: & ibidem Archiepiſcopus Treuericus rebus ad abitum paratis, quàm amiciſsimè ab Electore diſcedit, per Vvaſgauiã diœceſim ſuam repetens. Palatinus autem Elector cum ſuis copijs & tormentis Tabernas Rhenanas profectus, ibi cum equitibus, pedites autem cum tormentis in pago Rultzen noctem agunt. Poſtero die Germersheimium progreſſus, ibi per diem unum ſubſiſtit, et actione cum ciuibus inſtituta, in aliquot ſeditioſos animaduertit. Die deinde Martis poſt ferias diuæ Margarethæ ſacras, ipſe cum equitibus Germersheimij, pedites uerò cum tormentis Spiræ Rhenum tranſmittunt. Sic igitur Princeps optimus, rebellibus hinc inde ad officium redactis, equitibus circiter ſeptingentis ſtipatis ſine pompa atq; triumpho, natura faſtus oſor, arcem ciuitatis ſuæ Haidelbergenſis ingreditur: ibi res omnes in tranquilliſsimo, optimoq; ſtatu inueniens. Poſt die Mercurij cum probè noſſet omnem uictoriam à Deo proficiſci, idq; ex magnitudine periculorum, quibus defunctus erat, re ipſa didiciſſet, in templo ciuitatis Spiritui ſancto dedicato, in honorem Sanctæ & indiuiduę Trinitatis ſacrum peragi curat, præſentibus Comitibus, Dominis & equitibus omnibus, qui expeditioni interfuerant. Quo finito, his qui de numero aulicorum non eſſent, cum gratiarũ

actione,ac amplius promissis domum redeũndi copiam cõcedit. Tumultu ergo Rusticorum hinc inde in superiori Germania sedato,ac alma pace restituta, Elector,publicatis literis,omnes ditionis suæ comites, & ordinis equestris uiros,die Martis post ferias diuo Mathęo sacras,cõuocat:ac ipsis die ac loco prę finitis obedienter comparentibus,exponit, quam benignè, seditione primum à Rusticis cõcitata,de sua uoluntate,subditis suis promiserit:sed nihil benignitate proficiente,armis aduersus ipsos agere coactus sit. Quia uerò non solum summopere necessarium sit prospicere,ne denuò huiusmodi motus exoriãtur, sed & hæc causa ipsis secum communis sit:ideò se eos quo cum ipsis de hac re consultaret,conuocasse. Non se asperitate sua subditis rebellandi causam daturum,sed non attento,quod Deus omnis Magistratus Imperium ferẽdum præceperit:si nimijs & intollerabilibus oneribus,premantur,se ea alleuiaturum,ac emendaturum omnia benignissimè. Si uerò hæc apud insolentiores ac rerum nouarum studiosos nõ proficiant, sed ui, ut prius fecerint, Imperium excutere conentur, se de eorum ordinis, aliorumq; amicorum auxilijs eam spem habere,ut rebelles coherceri posse existimet. Cæterùm satius esse motibus occurrere,quàm restinguere. Ideoq; qua ratione id fieri debere arbitrentur,se ex ipsis cogniturũ. Ad ea illi,re deliberata,respondent: Se propositis ab ipso rectè perpensis,deprehendere, omnia singulari prudentia & maturo consilio suscepta & acta esse,nec se necessitate exigente,ipsi uel re, uel consilio, uel facultatibus defuturos,sed omnia eius consilia summa promptitudine promoturos. Quo uerò modo res in posterum administranda sit,non dubitare se, quin ipse communicatis cũ consiliarijs rebus:ijs ipse melius se consulere ac prouidere queat. Veruntamen quo de eorum consilio atq; sententia certi quid habeat, arbitrari se,quod cum hæc causa omnes simul Principes & Magistratus concernat,non abs re,uel incommodum fore,eorum quoq; consilia exquiri, & sententias audiri,quo necessitate postulãte,res tãto maiore cum auctoritate suscipi & administrari possit. Porrò quod subditis,si nimium se oneratos putẽt, alleuationem benignissimè polliceatur,id ordinibus auditu iucundissimum fuisse, certò firmiterq; statuentibus,hoc & Deo omnipotenti gratum fore,& eius Celsitudini apud omnes bonos maximę laudi cessurum: Deniq; non minimum seditionis in posterum cauendæ remedium futurum. Se quoq; erga suos idem facturos. Atq; adhæc Electorem se submissè rogare, ut cùm plebs puram Euangelij doctrinam tam ardenter efflagitet,ut cuilibet Magistratui iure diuino cura incumbat,ut uerbum Dei liberè & purè ubiq; sonet, inter reliqua consideret, qua ratione plebis uoluntati satisfiat, id quod non solum æquitati, sed & iuri diuino congruum arbitretur. Si sint concionatores,qui seditiosè & impiè doceant, in eos ipsi,ratione officij animaduertendi potestatem ex auctoritate uerbi diuini permissam esse:ipsius exemplũ se quoq; in suis ditionibus libenter imitaturos. Summopere & enixè se petere,ut hęc in meliorẽ partem benignè accipere,atq; prompta obsequia tam sua,quam maiorum,ad quæ præstanda quolibet tempore paratissimi adhuc sint,perpendere dignetur. Et quia Principum, Comitum,& equestris ordinis concordia atq; coniunctio hucusq; Reipublicæ Germanicæ admodũ salutaris & fructuosa fuerit:se id petitionib. prioribus adiungere,ut si quis ex ordine equestri desideria sua in eius sinum effundere, ac clementiæ committere uelit, benignis auribus audiatur: prout in clementia eius quiescentes id certò futurum sibi persuasissimum habeãt:Idq; se fidelibus obsequijs,& promptis officijs compẽsaturos,polliceri. Quandoquidem etiam in pleriscq; Palatinatus partibus subditis armorum usum interdixerit, atq; euulgato mandato uoluerit, ne cateruatim, uel uexillis, uel tympanis, uel alijs instrumentis,nuptias & encænias,ut uocãt,adeant,se ipsius prudentię cõmittere:an

non

non cõsultũm futurum sit, idem in ditionis finitimorum Comitum, Baronum, & reliquorum nobilium fieri & obseruari. Nec non è re quoq; sibi uideri, cùm multi profugi subditi hinc inde in aliorum ditionibus sustententur, literas hinc inde ad Magistratus locorum mitti, quibus profugorum receptationibus occurratur. Decimas quoq; ut ab antiquo pendendas, & si literæ ad alios Magistratus pro harum solutione ab ipso petãtur, non denegandas. Et hæc quidem quantum ad ea, quę ad Palatinatũ eiusq; subditos pertinere uidebantur, Ordines responderunt. Cum uerò præter hæc Elector & eorum sententiam de Almangauicis, eorumq; confœderatis, nondum penitus pacatis, ac Sueuico fœderi reconciliatis, quæsijsset, ad eos quod attineret, subijciunt, hisce conditionibus cum ipsis transigendum, ut literas confœderationis hinc inde confectas, fœderi Sueuico tradant. Iusiurandum quo sibi deuincti sint, mutuò remittant, nec ob id alter alteri quid exprobret. Et quia rebellio ipsorum cõtra Cæsaream Maiestatem, & sacri Imperij cõstitutiones, aureã bullam & cõmunia iura sit cepta: ideò iureiurãdo adactos, fidem dare debere, quod copias dissipare, domũ redire, Magistratui à quo desciuerint, fidelitatis iuramentum denuò pręstare, ei morigerè obedire, tributa & decimas pendere, operas, ut ante motam seditionẽ fecerint, exhibere uelint, quo ad uel legitimis iuris remedijs, uel altero subsequentium modorũ ijs exonerentur. Ad hæc monasteria, arces, ciuitates, castella, prædia & bona capta, cum ablatis quæ extent ueris atq; legitimis dominis restituãt. Obligationes, uel fideiussoribus, uel chyrographis firmatas, quas ab alijs extorserint, pro nullis habeãt. Quotquot ex Baltringensi factione, arbitrio ac mulctæ confœderatorum nondum se subiecerint, eos ad id cõpellendos, ita tamen, ne de salute & uita periclitẽtur. Quo facto, si quis ultra modum se à Magistratu grauatum existimet, ac onerum alleuationem quærat, uel Magistratus cõtra subditos querelas habeat, eas ita dirimẽdas, ut Magistratui unicuiq; duæ uel tres liberę ciuitates nominentur, quarũ cognitioni cõtrouersia cõmittatur. Quod si earũ auctoritate cõponi nequeat: ad arbitriũ archiducis Austriæ reijciatur: cui utraq; pars etiã stare debeat. Ne uerò quis uel ob sumptus uel ob incommoditatem iudicis quærendi grauetur, si partibus, inter quas controuersia est, placuerit, duos arbitros cuiuscunq; sint status eligant, qui unà cum adiunctis ipsorum in id omni studio incumbant ut cõtrouersia partium tollatur. Si uerò in quo partes arbitrio Electorũ acquiescere nolint, id iuris ordine seruato determinandũ. Quod si in electione arbitrorũ partes cõuenire nequeant, uno uel altero ab utraq; nominato, de ijs sortiantur, uel fœderis Sueuici socijs arbitrum nominãdi potestatẽ permittant. Ac quod ab hisce arbitris, uel maiori eorum parte, uel uoce, uel scriptis pronunciatũ fuerit, id utraq; pars absq; ulla cõtradictione ratũ firmumq; habeat. Postremò pro maiori securitate ac fide eorũ cõpromissi formula fiat, cõtinens, quomodo, quo loco, quo tẽpore procedendum, eaq; & iuramẽto, & literis & fide hinc inde data, muniat. Hæc scripto cõprehẽsa, cum Comites ac nobiles Electori exhibuissent, illi qui & propensionẽ ipsorũ erga se ex responso cognouisset, & de motuũ occasione præcidẽda talia ab ipsis cogitata cerneret, quæ bono ac moderato Principe dignissima essent, laudata ipsorũ uoluntate, ac cõsilij fidelis cõmunicatione, pollicetur, se, quæ ad alendã cõcordiã faciãt, neutiq; prætermissurũ, sed ea amplexurũ cõsilia, quæ & se digna, ac subditorũ cõmodis utilia futura sint. Ac exinde conuentu dimisso, ita se in gubernatione gerit, ut moderatione sua non solùm subditos in officio, fide, ac obediẽtia cõtineret, sed & alijs sui ordinis ad moderata cõsilia in subditis tractãdis, hortator esset, semper eorũ sentẽtiã auersatus, qui metui, q̃ amari à subditis mallẽt, Syrachidæ sentẽtia crebrò recitata: Superbiã & arrogantiã nunquã quidq; boni peperisse, neq; aliud ex ea, quàm omnia pessima sequi solere.

GALEACII CA

PELLÆ AD ILLVSTRISSIMVM FRAN

CISCVM II. MEDIOLANENSIVM DVCEM, IN

Commentarios, De rebus gestis pro eius restitutione,

PRAEFATIO.

IIS, qui literarum studio famam adsecuti sunt, nonnulli idcirco à scribenda historia abstinuere, aut quòd antea tractata aggredi, & ex alieno labore nomen sibi quærere parum laudis esse ducerent: aut quòd de temporum suorum rebus opus contexere, arbitrabantur non eius esse, qui ita uitã instituisset, ut cuperet prodesse quamplurimis, lædere autem neminem uellet: cùm omni tempore Terentianum illud ipso uero uerius fuerit: Obsequium amicos, ueritas odium parit. Alij autem minus ea ex causa deterriti, ne domesticis, & proximis in enarranda rerum ueritate displicerent, externa sectati sunt, & pro certis sæpenumero incerta literis tradiderunt. Quod cùm maxime ab eo, qui scriptis suis fidem adhiberi cupiat, fugiendum ipse censerem, nec quæ aut alibi, aut iampridem euenerunt, referre, nec ea quibus interfuissem, tacere æquum ducerem: nihil magis curaui, quàm ut hisce in libris, quibus res gestas pro tua restitutione, Princeps Illustrißime, complexus sum, nullius honori aut famæ detraherem. Et quamuis hæc eadem ab alijs & copiosius & cultius scriptum iri existimem: tamen à me præcipuè memoriæ tradenda esse censui, quia dum armis disceptaretur, quod'nam ius in Mediolanensi ditione potius sit: uel tuum, quod anita primum uirtute partum, mox Maximiliani, & Caroli Cæsaris diplomate roboratum est: uel Francisci Galliarum Regis, qui Valentinæ Vicecomitis proauiæ hæreditate, Pontificis auctoritate, ac ipsius Maximiliani literis fultus erat, mihi tuas parteis sequuto, & Hieronymo Morono legato tuo domi, foriscq; operam ab epistolis præstanti, multa audire, ad diuersos principes scribere, atq; uidere contigit: quæ alij fortasse incertis rumoribus iactata secus scribent. Atq; ob id ipse ero parcior, quòd nec ijs omnibus, quæ eodem tempore diuersis in locis interdum gerebantur, uni licuit interesse: & mihi, quàm te, tuosq; secutus sum, minus aduersariorum consilia aliquando nota fuere. Adde quòd omnia in prælijs strenuè facta singillatim referre, quæ nec ipsi quidem duces scire possunt, hominis est intemperanter abutentis eorum ocio, qui hæc legere non aspernentur. Quo circa mihi satis esse decreuerã summatim ab initio eius belli, quod Leo X. Pont. Max. contra Gallos gessit, usq; ad redactum in Cæsaris potestatem Mediolanense imperium, res gestas literis mandare: quoniam bellis undiq; postea glisscentibus tutum aliquem secessum quærens è patria discessi, tum quòd quietioribus temporibus (si Dij permisissent) superesse cupiebam, tum etiam quod tam diuturnas calamitates insequutas audire malui quàm uidere. Verùm ubi quasi postliminio tandem redij, ac rerum postmodum in Insubribus gestarum ex nonnullis, qui interfuere, clarius intellexi seriem: pro mea in te obseruantia, & studio deesse non potui, quin ea etiam explicarem, quæ adeò iustam causam tuam effecerunt apud omneis Europæ principes, ut non solum summus Pontifex, Henricus Angliæ Rex, Veneta & Florentina Respublica, sed ipse etiam Galliarum Rex antea infensissimus arma tuæ defensionis causa magna cum suorum iactura & sumptu propè incredibili sumere non abnuerint: neq; prius abiecerint, quàm patefactis æmulorum tuorum calumnijs mitiora consilia haud aspernatus Carolus Cæsar te Mediolanensibus tuis reddiderit. Quibus tanto optatior extitisti, quanto post abscessum tuum omnia magis aduersa perpessi, non nisi te restituto meliorem fortunam sperabant.

GALEA-

GALEACII CAPELLÆ DE REBVS GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI II. MEDIOlanensium Ducis, Liber I.

POST adeptam à Francisco Galliarum Rege Mediolanensem ditionem, bella iam aliquot annos in Italia cessauerant, nec quisquam ex Italis Principibus iustam nouarum rerum causam habere uidebatur. Nam in primis Leo Pontifex, qui suo imperio Vrbinum eiecto Duce addiderat, non habebat quod ulterius ullo iure tentaret. Carolum etiã huius nominis Quintum Rom. Imp. rebus suis in Hispania, Germaniaq; nondum constitutis, nihil præter Neapolitanum regnum in Italia curare plæriq; existimabant. Venetos Gallo coniunxerat fœdus arctissimum, & ob Brixiam Veronamq; paulo antè eius auxilio receptas, Regi decebat esse addictissimos. Florẽtini Romani Pontificis nutu statum Reip. moderantes, nihil agebant præter illius arbitrium. Genua regijs auspicijs nitebatur. In Lucensibus, Senensibus, & in Federico Gonzaga, qui Mantuæ dominabatur, plus erat timoris ne potẽtiores principes aliquid aduersum sese molirentur, quàm ut ipsi quidpiam auderent innouare. Vnus tantum in Italia Alphonsus Estensis Ferrariẽsium dux ademptis per Ecclesiæ potentiam duabus urbibus Mutina, & Regio Lepidi, malè erga Pontificem animatus existimabatur, sed tamen non desperabat, quin, Regijs opibus (quippe qui Gallici nominis semper studiosissimus fuerat) oblata occasione esset aliquando amissa recuperaturus: & propterea cum Pontifice dolorem dissimulabat. In Italiæ autem finibus iam aliquot annos Tridenti agebat Francisci Sfortiæ Lodouici Mediolanensium olim ducis filius: qui haud mediocres à Gallo cõditiones sæpè oblatas aspernatus, nulla unquam temporum, aut fortunæ iniquitate adduci potuit, ut ius suum illi cederet, quin pro eius recuperatione uaria iamdudum consilia animo uoluens externorum, Italorumq; principum auxilia, non cessabat implorare. Quod etsi Gallus antea timuisset, tamen iam metuere desierat ob fœdus cum Heluetijs nuper initum: quibus adiunctis reliquarum gentium arma sibi formidanda esse non censebat. Atq; is erat Italiæ status anno à Natali Christiano XXI. supra M. D. cum Carolus Cæsar iustã belli causam aduersus Gallum se habere arbitratus, quòd ipsum auctorem armorum per id tempus in Leodium ciuitatem ad Rom. Imp. pertinẽtem illatorum fuisse cognouisset, legationibus cum Leone Pont. agere cœpit de Gallis Italia expellendis: qui quidem Pontifex iamdudum ipsum Cæsarem admonebat, ut aliquando rebus Italiæ prospiceret, neq; sineret Gallum, quem communem amborum hostem esse dicebat, noua indies uirium accessione in Italia crescere. Atq; idcirco Pontifex ad id potissimum incitabatur, quoniam paulo antè Gallus ab ipso petijsset, ut Hadrianus Ambasius Cardinalis, quem Proponti ficem in Gallia ad biennium protulerat, in aliud quoq; tempus confirmaretur. Cumq; id Leo damnosum Rom. curiæ, & exemplo quoq; turpe esse cuiq; tantam potestatem tot per annos credi respondisset, Rex ægrè ferens id sibi à Leone negari, quod plures antea Pontifices concedere nunquam grauati fuissent: per nuncium Pontificium in aula ipsius agentem Leoni nunciari iubet, si id obtinere non posset, ulciscendi occasionem sibi minimè defuturam: quam quando ita eius facta exposcerent, minimè prætermissurus esset. Huius igitur

rei admonitus Pontifex iniquissimo animo esse, Regi succensere, beneq; consultùm rebus suis ducere, si Gallus ipsius amicitiam detrectaret, aliorum: qui eam affectarent, nõ negligere. Augebat præterea Pontificis odium Franciscus Maria Quercens Vrbini dux, quem superioribus annis à Gallo ad inuadendũ Rom. ecclesiæ imperium immissum putabat, nihilq; propterea magis cordi habebat, quàm ut de Gallis uindictã sumeret, animumq; expleret suum. Fœdus autem Pontifex & Cæsar percutiunt, ijs conditionibus, ut communibus armis & sumptibus, Gallos Italia expellant: Placentia, Parmaq; Rom. ecclesiæ pareant: Franciscum autem Sfortiam in reliquam Mediolani ditionem Ducem cõstituant. Ad quod citius peragendum inuitauit fœdus à Gallo cum Heluetijs paulo antè initum, quod sperabãt dirimi posse ipsius Pontificis cum ea natione authoritate & gratia, ac antequam officijs Gallorum & muneribus arctius uincirentur. Non cessabat Pontificis ac Cæsaris animos ita coniunctos ad suscipiẽdam expeditionem adhortari Hieronymus Moronus: qui cùm aliquando Lodouico XII. Galliarum Regi strenuam operam præbuisset, Frãcisco eius successori se minus gratum agnoscens, neglecta patriæ & fortunarum iactura Tridentum se cõtulerat: ibiq; Gallo infensus, cùm Sfortia per id tempus in Belgica inferiore apud Cæsarem ageret, quotidie Mediolanẽsium animos, & præsertim Gibellinæ factionis homines solicitabat ad defectionem, præcipueq; apud Italos Principes Sfortiæ restitutionem literis commendabat: atq; ut Gallorum expulsionem haud difficilem fore demonstraret, Pontifici significat à se nuperrimè cum plurimis Mediolani & uicinarum urbium primatibus, qui gratia apud reliquos ualerent, tractatum fuisse ut Regi rebellarent, eq; Gallorum manibus imperium excitato in omnibus eodem de ciuitatibus tumultu, eriperent, neq; eis tempus concederent deligendorum peditum, cum cis Alpeis stationem tantum equitum mille cataphractorum, totidemq; leuis armaturæ per pacis tempora habere cõsueuissent: quorum auxilio populis rebellantibus minimè resisti posse sperabat. Atq; ita ipse statuto die ad maturandum incœptum Tridento abscedit. Quod tam clandestinè tamen fieri non potuit, quin extemplo præsenserit Federicus Gonzaga Bozuli oppidi in agro Mantuano princeps, qui à Gallis stipendia nuper mereri cœperat. Quo circa ad eum intercipiendum, quem nõ ab re discessisse suspicabatur dispositis militibus, ipse nonnullos rumores, qui de Mediolanensium rebellione ad se delati fuerant, indicaturus Mediolanum aduolat ad Thomam Fusium, quem ab oppidulo, cui in Aquitania dominabatur, Lescunum uulgò appellabant, is enim pro Odetho fratre uices regias in Italia gerebat. Digna animaduersione uisa res est ob periculi magnitudinem, & cum plærique existimarent Parmam primùm debere tentari, quòd ad Regium Lepidi multi exules Mediolanenses aduersus Gallum non bene animati conuenissent, statim Lescunus cum nulli adhuc pedites delecti essent, unà cum equitibus, & cum aliquot principibus Gallorũ, & Mediolanensium, qui Gallicæ parti fauebant, Parmam contendit. Et cum intellexisset Moronum uitatis insidijs Regium peruenisse, nullam moram interponendam ratus, eo statim pergit, Pontificiumq; urbis præfectum ad colloquium uocat. Introductus est in uestibulum extra portam ciuitatis Lescunus, ubi ex composito trahens colloquium multa conqueritur, quòd contra fœdus inter Pontificem & Regem Bononiæ initum, & in illam usq; diem seruatum exules & hostes regij non solum in Pontificis ditione hospitarentur, sed auxilium etiã haud frustra quærerent. Interea Alexãder Triuultius cum equitum turma, qui sese è legione Guidonis Rangonij Pontificij ductoris esse simulabãt, per aliam portam, quæ ad Mutinam spectat, urbem ingredi tentat. Sed non latuerũt Regienses doli. Quare correptis armis Triuultium, & milites qui cum eo erant, repellunt

lunt: ipsum etiam pilula plumbea sclopo emissa, quo armorum genere plærique pedites hoc tempore utuntur, adeò acriter uulnerant, ut postero die obierit. Quod præfectus sentiẽs cum regis legatum adhuc in uestibulo moram trahentem ualde increpuisset, nõ defuerunt qui comprehendendum censerent: quoniam æquum uidebatur nullam ei fidem seruari, qui fidem prius fregisset. Sed cum minus placuisset præfecto consilium, ea conuentione Gallum dimisit, ut nuncium mitteret ad Pontificem, qui sciscitaretur eius erga Regem uoluntatem, & utrùm pacem an bellũ cum eo mallet: ipseq; Præfectus omneis Regio ac finibus Mediolanẽsium exules iuberet excedere: intereaq; noui nihil fieret. Allato per falsos rumores nuncio Lescunũ Regij captum retineri, Manaldus Episcopus Terbellensis, qui Mediolani pro illo agebat, ita fuit consternatus, ut cõuocatis Senatoribus ac primoribus ciuitatis consultauerit, num Gallis in urbe tuto esse liceret. Et quamuis bono eum animo esse omnes iuberent, tamẽ nisi paulo pòst magis certò nuncio allatum fuisset Lescunum liberũ Parmam rediisse, Galli omnes illico erant excessuri. Auxit per eos dies illorum timorem casus admirabilis. Erat supra fornicem portæ arcis Mediolanensis turris non solum ad propugnandum munitissima, sed aspectu etiam pulcherrima, quippe in cuius fronte præter alia ornamenta, locatæ essent tutelarium diuorũ marmoreæ imagines perquam eleganter sculptæ cum insignibus Sfortianorum Ducum, qui tantam molem fundauerant. Fortè autem cum intra turrim seruarentur plurima puluueris in usum tormentorũ uasa, fulmen de cœlo ipsam tetigit, & murum scindens protinus sulphuream materiam accendit, cuius impetus non solum turrim euertit à fundamentis, sed mœnia etiam & arcis cubicula, ac reliqua ædificij membra proxima humi prostrauit, saxaq; circumuolitantia duos arcis præfectos, qui de more paulo antè ad salutandam Virginem matrem in sacello iuxta portam conuenerant, in area deambulanteis occiderunt: alios quoq; è militibus, qui ibidem auram uespertinam captabant (erat enim æstas) interfecerunt: aliorum capita, thoraces, brachia, & crura fregerũt, adeò, ut è ducentis propugnatoribus uix duodecim è tam magna clade euaserint. Neque tantæ ruinæ fragor ciuitati fuit ignotus: quin & ipsa ualido terræ motu concussa, magnum plærisque iniecit timorem, ne tota eo impetu corueret: quo sedato, cum fulminis ardor uehemens arcem uersus uisus fuisset, innumeri eò concurrentes omnem aream, quæ ante ipsam arcem erat latissima, saxis opertam offenderunt, admirabanturq; aliquot lapides, qualeis decem boum iuga uix loco mouere potuissent, quingentos & amplius passus iactos fuisse: fundamenta turris euulsa supra portam stare, ipsius fastigia in imo conspici, neque id sine Dei nutu euenisse existimabant. Cæterùm Galli dubitantes ne per noctem arx sine præsidio remaneret, senatores, quæstores, & alios magistratus Gallici generis, qui pauci & imbelles in urbe erant, arcem ingredi iusserunt, donec postero die cataphractos equites centum cum totidem uelitibus Nouaria euocatos introduxêre. Neque huiusmodi casus ad suscipiendum magis audacter aduersus Gallos bellum Leonem Pontificẽ pugnatum incitauit: quippe qui uel hac causa paulo pòst Heluetios agnouerit segniores factos ad ferendum Regi auxilium: contra quem non solum Pontifex, sed ipsi etiam Dij arma ferre uiderentur. Interea nunciatum est Manfredũ Palauicinum comite Ioanne cognomento Stulto regionum illarum latrone famosissimo, cum Germanorum copijs Comum per Larium lacum proficisci, quod Gallis nõ parum timoris incussit, existimãtibus id minimè fieri debuisse, nisi prius Comensium animi solicitati fuissent ad defectionẽ. Sed cum præsidiũ in tempore parari nõ posset, reliquum erat in unius Gratiani Garri gubernatoris industria relinqui tutelam ciuitatis, qui suorum opinionem minimè fefellit.

Nam cum extra ciuitatem diui Ioan. Baptiſtæ feſtum celebraret, ut hoſtium eò pias intellexit aduentare, intra urbem quamprimum ſe contulit, excubiasq; ex his quos Gallici nominis ſtudioſos antea cognouerat, circum mœnia diſponit. Nec diſtulit Palauicinus ciuitati appropinquare, fretus Benedicti Rumi Comenſis uerbis, qui cum Antonio Ruſca conueniſſe dicebatur, ut ad conſtitutum tempus tantum murorũ urbis ſpacium, quibus ipſe proximus habitabat, per noctem intus effringeret, quantum uir armatus poſſet introire. Atq; ita per dolum occupare urbem ſperabat ante, quàm Galli, qui paucí admodum præſidio urbis inerant, quicquam tale ſuſpicarẽtur. Sed longè aliter res euenit. Nam cum nec Ruſca, nec alius quiſquam ſignum iuxta conuenta protuliſſet, & Palauicinus falſa ſpe ductus, peditibus extra mœnia diſpoſitis de uia feſſus cubitum diſceſsiſſet, nunciatum eſt Comenſeis unà cum Gallis urbem exire, & Palauicini copias adoriri, quòd tanta animi alacritate fecere, ut quamuis ducenti uix eſſent, tamẽ quadringentos Germanos pedites, & totidem Italos, poſtquã paululum pugnaſſent, terga dare coẽgerint. Palauicinus ipſe ſuos perculſos uidens, quid conſilij caperet neſcire, an naueis repeteret, an capeſceret terreſtre iter. Tandem ita ſuadente peditum Germanorum duce, qui à Garro pecunia corruptus malè pugnauerat, per monteis arduo itinere abſcedit, plærisq; tamen naueis petiere, & quàm maximè poterant remis fugam maturabant. Garrus, ubi hoſteis formidinis plenos conſpexit, à locorum peritis admonitus ad occupandas quaſdam montis fauceis nauibus contendit, quo Palauicinum peruenire oportebat: atq; ita incautum cum Stulto, & plærisq; alijs fugæ ſocijs excipit, facta Germanis omnibus abeundi poteſtate. Palauicinus autem Mediolanum adductus, tormentorum ui non ſolum omnia à ſe incœpta faſſus eſt, ſed etiam retexit quæcunq; à Morono intellexerat pro hac expeditione fuiſſe decreta. Captusq; propterea eſt Mediolani Bartholomæus Ferrarius ciuis publicis muneribus geſtis, ac uitę ſplendore inſignis. Qui, tametſi Morono eius operam aduerſus Gallos requirenti non fuiſſet aſſenſus, tamen quia proditionem non indicauerat, poſt Palauicini atrociſsimã cædem & ipſe indigniſsima morte uitam finiuit. Stultus Comi ſecuri percuſſus eſt, reliqui autem tam coniurati quàm coniurationis conſcij diuerſa loca petentes fuga ſalutem ſibi quæſiuerunt. Interea Leſcunus, poſtquam exules Regio abiiſſe intellexit, Mediolanũ reuertitur, & per Baptiſtam Romanum trapezitam Gallicę factioni addictum parata pecunia menſtruum ſtipendium pro adducendis peditum octo millibus ad Heluetios mittit exercitum aduerſus Pontificem paraturus: qui poſt tentatum à Gallis Regium iuſtum belli gerendi prætextum nactus erat: pedites etiam deligit ex Inſubribus, & Parmam, quò iam Federicus Bozulus cum quingentis, & mille peditibus aduenerat, proficiſci iubet: ſtatimq; ipſe etiam celato itinere eò rediit. Iam regis aula rumoribus & nuncijs motuũ Italicorum, qui quotidie deferebantur, repleta erat. Ipſeq; Leſcunus multorum calumnias non poterat effugere, qui ipſum Pontifici dediſſe aſſerebant iuſtiſsimam belli gerendi cauſam, quòd paulo antè Chriſtophorũ Palauicinum, Pontificis propinquitate coniunctum, uirum integerrimum, ut fortunis ſpoliaret, in carcere tot menſeis detineret, quodq; ciuitatẽ Pontificiæ ditionis per dolum occupare tentaſſet: adeò ut Odethus quem ab oppido eiuſdem nominis Galli Lautrechum appellabant, Inſubrum præpoſitus per id tempus apud Regem agens in fratrem timens concitatam inuidiam ad errorem ipſius, ſi quid propterea deliquiſſet, corrigẽdum quamprimum in Italiam uenerit. Dum hæc in Gallia agerentur: iam Proſper Columna, qui pro Carolo Cæſare in exercitu imperabat, Bononiam aduenerat: Federicusq; Mantuæ princeps Pontificis copiarũ præfectus equites, peditesq; undiq; colligebat. Et quia ſuperioribus annis diui Michaelis

chaelis aureum torquem acceperat, quo munere Gallorũ reges in beneuolentiæ & honoris indicium consueuerunt proceres, principesq; amicos decorare, ipsum eundem Lautrecho, qui paulo antè Mediolanum redierat, per tubicinẽ principum (ut moris est) internuncium remittit, secq; hostem Regi fore profitetur, quumq; Prosper Bononia cum his militibus, qui ibi cõuenerant, mouisset: & ipse eodẽ tempore ad fluuium Lentiam cum suis copijs applicuit, quò post paucos dies uenit etiã Ferdinandus Daualus Aterni, quod nunc Pilcaria dicitur, Marchio cum cataphractis equitibus Neapolitanis, & Hieronymus Adurnus cum tribus millibus Hispanorũ peditum, qui è classe rebus frustra Genuensium tentatis nuper descenderãt, inibiq; decretum est Hispanis & Italis peditibus, qui numerũ octo millium nõ excedebant, addere aliquot Germanorũ cohorteis. Atq; ita per Mantuanũ, Veronensemq; agrum prefecti in Germaniam missi Germanorũ quatuor, & Rhætorũ (quos Chrysones uocant) duo millia cõscripsere, iussusq; propterea fuit Daualus cum trecentis equitibus, & ualida peditũ manu in finibus agri Mantuani consistere, quoad Germani pedites per saltus Tridentinos descenderẽt, ut si Veneti illorũ aduentũ impedire conarentur, ipse ad ferendũ auxilium præstò esset. Auctis copijs Prosper Columna, cui & rei militaris scientia, & ætate rerum summa deferebatur, Parmam cum exercitu cõtendit. Quod Mediolani audiens Lautrechus delegit in totius ditionis ciuitatibus rei pecuniariæ prefectos: qui, propterea quòd è Gallia stipendia militum ad sustinendũ bellum tenuiter subministrabantur, priuatim quàm maximam pecuniæ summã colligerent, quod quidẽ tanta acerbitate exequebantur, ut cum hac de causa, tum supplicijs ac cædibus illorum, quos cõiurationis conscios fuisse agnosceret, in non mediocre inciderit popũlorũ odium, & multorũ animos à Rege alienauerit. Post hæc missis ad Heluetios, qui octo millia peditum ex ea natione adhuc adducerẽt, ipse cum primis, qui iam in agrum Mediolanensem descenderãt, Cremonam ire pergit: uerùm antequã discederet, aduocata populi cõcione in hanc sententiã iam equo insidẽs orationẽ habuit. Compertum habeo uiri Mediolanenses hostem, qui aduersus potẽtissimi Regis arma in Insubres progredi audeat, auxilio potius nõnullorũ è uobis, quàm prijs uiribus cõfidere. Qui enim fieri potest, ut Leo Pont. qui superioribus annis Francisco Vrbini duce bellũ in ipsum mouente Romæ uix tutus erat, nunc regiam potentiã tam paruifaciat, ut Gallos, & præsertim adiunctis fœdere nuper Heluetijs, lacessat ultro? aut ut Carolus Romanorum Rex rebellantibus in Hispania passim ciuitatibus, ac pluribus Germanorum bellis occupatus nouum in Italia bellum mouere audeat, nisi Mediolanenses perfugæ non modo de seipsis, sed etiam de uobis multa pollicerentur? Huiusmodi igitur spe freti iam machinas, & tormenta adducũt oppugnatoria, iam peditum, equitatusq; acies instruunt, scilicet existimantes incœpto foris bello omnia intus tumultu concitatum iri. Quod & ipse profectò timerem, nisi iam nonnulli perfidiæ dissent pœnas: plærique autem, qui eodem erant animo, supplicij metu abijssent, ita ut existimem quum hinc ad bellum profectus fuero, etiam si nulla præsidio restarent Gallorum arma, tamen qui seditionem faceret Mediolani fore neminem. Nunc uerò cum milites & duces ad id delecti sint: adsitq; Manaldus Terbellensis episcopus, senatusq;, ac cæteri magistratus, qui rerum administrationi, iusticiæq; præsint, reliquum est ut non modo fidem erga inuictissimum Regem inconcussam præstetis, sed & uotis uictoriam aduersus hosteis expetatis. Nam si (quod Dij nolint) nos cedere contingeret, quantum inter ditissimi regis & hostium dominatum intersit, experiemini. Hic enim legitimo iure Insubrum dux ciuitatem hanc florentissimam esse optat. Illi prædæ causa iniusto bello imperiũ quærẽtes nil aliud quàm uestras opes exhaurire cupiũt. Quod si

& ipse

& ipſe, qui uiceis Regias hic gero, in priuatorum arcas manum iniecí, nemini tamen de Regia fide dubium eſſe debet. Nam ſi uictor (ut ſpero) rediero: ex ipſis ducatus uectigalibus æs mutuum ad tempus conſtitutum numerabitur. Sin ſecus ceſſerit, mihi grauior eſſe debebit unà cum Regis opibus, proprij honoris, atq; etiam uitę, quàm uobis modicę pecunię amiſsio. Nec loquutus plura nullo expectato reſponſo Cremonam abijt: indeq; facto ſupra Padum ponte ad oppidum Sanctum Secundum cum Heluetijs proficiſcitur. Interea Proſper cum exercitu Parmam circumuallauerat, biduumq; tormentorum impetu quaſſauerat mœnia adeò, ut magna illorũ pars humi ſtrata eſſet. Quare qui intus erant, metu perculſi tertiam fermè urbis partem deſerunt, quæ Parma fluuio interfluente diſcluditur: ripamq; fluminis, qua ciuitatis reliquum terminatur, uallo, uaſis uinarijs, cratibusq; terra oppletis muniunt. Itaq; introgreſſi milites quod derelictum erat, depopulantur. Simul animus erat totam ciuitatem corona aggredi, quippe qui non maiore conatu occupare quod ſupererat, ſperarent. Sed Ferdinandus Daualus totius peditatus præfectus, ſiue quòd gloriæ Proſperi, cuius ductu res gerebatur, inuideret: ſiue quòd Lautrechum cum Heluetijs propinquum metueret, præſertim ſi miles in diripienda urbe occuparetur, adſeuerabat ijs copijs urbem ualido præſidio & muris, aggeribuſq; munitam non poſſe expugnari: & propterea nolle peditum periculum in ea re, de qua uictoriam non ſperaret, tam propinquo hoſte facere. Quod etſi Mantuanus in primis ægrè ferret: qui ut prima militiæ rudimenta ſumma cum dignitate gerebat, ita laudis quàm maximè erat cupidus, animoq; angebatur bonam uictoriæ partem, quæ in deleto Parmæ præſidio conſiſtebat, ſibi tanquam è manibus eripi: tamen per Hieronymum Moronũ Franciſci Sfortiæ deſignati Mediolanenſium ducis legatum Dauali cõſilium improbari malebat, ac reliquos exercitus Duces ad urbis oppugnationem adhortari. Sed cum nihil proficeret, quòd Daualus ciuitatem expugnari nõ poſſe adſeueraret, ad fluuium Lentiam retroceſſum eſt, ubi tandiu moram traxerũt, quoad à Pontifice literæ nunciq; redirent, qui in bello quid fieri uellet, retulerunt. Plurimi autem iam timebant, ne diſſoluto exercitu Mutinæ, Regio, Bononiæq; præſidia imponi iuberet: & interea inducias, ac etiam pacem à Rege oblatam non aſpernaretur: quę inuitum hoc bellum ſuſcepiſſe plærique affirmabant. Sed adeò Pontificis animus expellendi Italia Galli deſiderio flagrabat, ut nihil præterea proſpiceret. Iamq; Ennius epiſcopus Verulanus, quem in initio belli miſerat ad Heluetios, ut peditũ decẽ millia inde adduceret, ad ipſum ſcripſerat nihil iam obſtare quominus id cõcederetur, præter quàm quòd cõtra Gallũ, cum quo paulo ante fœdus percuſſerat, ſigna ferre ipſis parum cõueniens uidebat. Cæterùm aduerſus Placentiã & Parmam, quarũ urbium ius ad eccleſiam pertinebat, ac etiam aduerſus Ferrarienſium Ducem eſſe ituros: & demum pecunia (ſi opus ita foret) facilè eſſe aliquos è ducibus corrũpere, qui milites, quò res poſtularet, technis ſuaſionibusq; impellerent. Quæ ſentẽtia cum Pontifici placuiſſet, Iulio Cardinali Medici patrueli ſuo, qui Florentiæ adminiſtrabat Remp. mandat, ut ad exercitum cum ſumma poteſtate cõfeſtim proficiſcat, ſimulq; Matthæo Card. Sedunenſi, cuius opera in conciliandis Heluetiorum animis Verulanus utebatur, parem Iulio poteſtatẽ tribuit, amboſq; hortatur ut quàm maximè poſſint, Heluetiorũ iter in Inſubres accelerent. Quæ cum Proſper intellexiſſet, Padum apud Caſale maius oppidum ponte facto traijcit cum exercitu, quo Cardinalis Medices citato itinere ſummo cum omnium gaudio applicuit. Soluta Parmæ obſidione Lautrechus dimiſſo tantummodo in urbe cum octingentis Italis peditibus Federico Bozulo, cum reliquis copijs Cremonam ad pontem
iam antea confectum properat: ibiq; Ducum, qui Regio ſtipendio militabant, ſententijs

sententijs exploratis plærique sentiebant rem prælio esse finiendã, præsertim antequam Heluetij, quos per Rhætos, & Bergomatum agrum audiebant Pontificis imperio iter facere, cum hostili exercitu cõiungerentur: & antequã maior Heluetiorum numerus à Gallico exercitu discederet, qui frequentes quotidiè domũ redibant, uel quòd Lautrechi imperiũ non placeret, uel quòd Iulij Card. opera propositis præmijs ad discedendũ solicitarentur, uel quòd etiã pecuniæ, quæ è sola ditione Mediolanensi difficulter exigebantur, ad tantum bellum sustinendum, segnius interdum subministrabantur. Sed cum ad Robechum oppidum iuxta Olij fluminis ripam Prospero è regione castrametante pugnandi data esset occasio, Duxque Vrbinas, qui post imperij amissionem ad Venetos se cõtulerat, inter cæteros affirmaret fœliciter euenturum si pugna eo tempore cum hoste committeretur: aliquotq; Heluetiorũ Duces ab ipso Lautrecho manus conserendæ copiam sibi dari efflagitarent, donec inualidæ essent hostium uires, & quæ paulo pòst præsidio iam aduentante augerentur: nunquã tamen adduci potuit, ut Heluetijs cum hoste pugnandi faceret potestatem, quo consilio, incertum est. Sunt qui dicunt speraſse per oratores Heluetiorum, qui proficiscebantur ad Cardinalem Medicem, rem componi, nonnulli ipsum affirmãt, ut cæteris in rebus, ita etiam in bello multorum sententias perquirere, quodq; alijs minus placuisset, tanquam solus ipse saperet, multoties eligere cõsueuisse. Sed utut se res habuerit, Prosper nullo accepto dãno, quanto celerius potuit, exercitum inde retraxit. Non enim ignorabat se malo consilio exercitũ locasse, sed ipsum mouerat Legati Veneti Ducibus Reip. in bello assistentis auctoritas, & fides: qui licet in Gallorum auxiliũ ueniſſet, tamẽ minus hostiliter agens pollicitus fuerat Pontificios & Cæsarianos, donec Robechi essent, ab ijs, qui arci Pontiuici ex altera fluminis parte præessent, offendi se minimè passurum. Tunc autem asseuerabat sibi, ut pollicita obseruaret, non esse integrum, quia Lautrecho ita petenti præter ipsius opinionem concedere coactus fuisset, ut Gallicum præsidium in oppidum & arcem Venetorũ introduceret. Itaq; Prosper missso equitum præsidio ad Heluetios cum Cardinale Sedunensi, & Veruano aduentanteis nemine impediente paulo pòst copias cum eis iunxit: & nõ ultra tempus terendum ratus, utpote qui iam treis menseis hyeme iam instante nihil egisset laude dignum Abduam uersus contendit. Lautrechus sibi, exercituiq; suo diffidere incipiens, cùm oratores Heluetij non modo pacem à Cardinali Medice non impetrassent, sed ne auditi quidem fuissent, sensim cedere, ac dolere, animoq; angi, quòd melioribus consilijs non auscultasset: præmissisq; qui ripam Abduæ uallo communirent, quicq; Mediolani instaurarent aggeres in sola locorum munitorum defensione iam confidebat. Per nuncios insuper Heluetiorum Gallo fauentium eos, qui in Pontificis exercitu erant, interdum precibus obtestari, minisq; deterrere, ne aduersus Galliarum Regem, quo cum paulo antè fœdus percusserant, arma ferrent: neq; id parum proficiebat, cum iam multi palàm dicerent sese Mediolanum contra Gallum non esse uenturos: & propterea eos qui è Tigurino pago uenerant, Regium Lepidi transmittere oportuit. Ad quam urbem Ferrariensis Dux, quanquam nihil profuturus, ut Pontificios ab incœpto retardaret, infesta signa tulerat: reliqui ducum suorum auctoritate moti, licet segniter, tamen quò Cardinalis Medices, & Prosper iubebant, proficiscebantur. Iam Lautrechus cis Abduam cum toto exercitu se receperat, omneisq; naueis uel sub Tritij, Cassianiq; arcibus, uel ad citeriorem ripam deduci iusserat: equitum etiam turmas, cohorteisq; peditum secus fluminis ripam multis aggeribus uallatam ad arcendos hosteis dispoſuerat. At Prosper, qui in ulteriore consederat, à locorum peritis, & præsertim à Morono sciscitabatur, quo in loco facilius esset amnis traijciendi uadum.

Tandem

Tandem Francisco Morono Mediolanensi exule, ac nõnullis alijs ex Italis ducibus negocium dedit traiectus tentandi: qui è Brembo flumine, quod per Bergomatum agrum fluit, sumptis duabus scaphis, aliaq; longiore naui iuxta ripã reperta, quam piscatores inter uirgulta, & frondeis abscondiderant, magno impetu, maioribusq; animis cum ducentis circiter militibus amnem apud Vapriũ uicum traijciũt. Atq; ibi Vgone Pepulo Bononiensi cum equitum, peditumq; manu repugnante in citeriore ripa consistunt: occupatamq; per uim domum præsidio firmant, donec alij remissis nauibus traijcerent: & interea hosteis oppugnandæ domui intentos armis summouent: itaq; maiore in numero traducti paulo pòst Gallos omneis, qui Vaprij stationem agebant, in fugam uerterunt. Lautrechus, ubi copiam hostibus traijciendi fluminis factam esse intellexit, collectis in unum legionibus extemplò Mediolanũ se cõtulit. Cumq; perspiceret Helueticum peditatum quotidie imminui, urbis solùm mœnia, quoniam suburbiorum circuitus uidebatur amplior, tutari decreuit. Sed postmodum mutato consilio, ne hostibus (quia hyems iam aduenerat) hybernacula sub tectis relinqueret, iuxta urbis aggeres exercitum educit: eosq; (quod antea segnius erat factum) conquisitis undiq; agricolis, qui in urbem militum metu confugerant, præcipit quamprimum refici. Tum magnus ciueis inuasit timor, quòd maior quàm unquã antea pecuniæ summa imperaretur: adeò ut plæriq; ex ijs, qui præfectorum rei nummariæ iussu uocabantur, aufugerent: aut, si minus id dabatur, delitescerẽt: secq; potius proscribi, ac bona sua publicari patererentur, quàm uel modicis pecunijs Gallum iuuare: ipsi etiam æditui, & sacerdotes cælatũ argentũ & aurũ, quod in sacris habebãt, occultauerunt, ueriti ne Lautrechi iussu auferretur, quod aliquot in locis iam tentatũ fuerat, præcipueq; in diui Ambrosij æde, ubi altare est laminis argenteis, auroq; obtectum, quòd, uiolari, celerior opinione hostium aduentus non permisit: qui ubi Abduam confecto ponte transiuerunt, minimè existimantes Gallum in tam magno ciuitatis circuitu, eodemq; immunito cum peditatu adeò modico moram facturũ, non ad ipsam urbem, sed Melignanum, iter ea potissimũ ratione direxerũt, ut, si (quod ipsi fore putabant) Gallus Papiam diuertisset, proficiscentẽ aggrederentur, & manum conserere cogerent. Sed cum per exploratores renunciaretur Lautrechum cum suis & Venetorum copijs Mediolani permanere, & nocteis dies q; summo studio aggeres refici, Prosper cum exercitu ad cœnobium Clarçuallis, quod præter passuum quatuor millia ab urbe haud distat, ire decreuit: postero die inde castra moturus, ut propius urbem exercitum collocaret. Minimè autẽ Mantuano & Daualo in posterum diem aduentum ad urbem tam propinquã differre utile uidebaẽ, cum trepidus senex Mediolano ueniens à militibus leuis armaturæ captus, se quamprimum ad Hieronymum Moronum deduci postulat: quem ut conspexit, flens præ gaudio, obtestatur, ne moram interponat ad urbem accedere, metu perculsum esse Gallum, nec quid consilij caperet, scire: tandiu urbis receptionem ipsos demoraturos, quamdiu profectionem, differant. Iam non solum homines, sed deos etiam ipsos Gallo infensos esse, quorum sacris, & præcipuè diui Ambrosij tutelaris manus inferre conati sunt. Audita senis oratione, qui uera dicere uidebatur, Iulius Card. Medices cum Mantuano, Daualo, ac Morono paulisper collocutus nouum decreuit consilium sequi: & quoniam Prosper mediam aciem tenebat, ipsi, qui in prima erant, ad urbem milites iubent contendere: interq; primos erat Daualus, qui, ut ad locum Vigentinum nuncupatum applicuit, ubi hostes effossa terra aggerem extollebant, milites ad conscendendum hortatur. At Veneti, qui ibi præsidio positi erant, nihil tale opinantes uix primos ex hostibus irrumpentibus repellentes confestim in fugam conuersi sunt ita, ut hostibus ualli ascensum facilem

facilem reliquerint. Haud multum inde aberat Theodorus Triultius Veneti exercitus præfectus, qui, ubi suorum trepidationem, hostiumq; aduẽtum persensit, quanquam per id tempus nõ satis ualeret, tamen ne muneri suo deesset, inermis ad uallum accurrit, ibiq; suis iam profligatis in hostium incidit manus. Sed paucos post dies à Daualo uiginti aureorũ millibus ius abeundi redemit. In fugam effusis Venetis, & intra urbem properantibus Lautrecho, statim nunciatum est Venetos loco pulsos uiam hostibus aperuisse. Quare admonito fratre qui aliam urbis partẽ præsidio tenebat, recta ad arcem cõtendit, & aliquantisper in ipsius arcis area cõmoratus, plurimis ex magistratibus, qui militiæ minus apti uidebãtur, in arce dimissis, ipse cum reliquo exercitu Comum pergit: & præsidio cataphractorum quinquaginta, sexcẽtorumq; peditum in urbe dimisso, per Licini forum (nunc plebs Incini dicitur) Leucum peruenit, ibiq; Abduam pontẽ lapideo, quem in huiusmodi usus prisci Mediolanensium Duces cõstruxerant, traijcit. Iulius Cardinalis Mediolanum cum reliquis ducibus ea nocte ingressus uix aliud biduum curare potuit, quàm milites cohercere, ut à diripiendis priuatorũ domibus temperarent, qua in re plurimum profuit Hieronymi Moroni auctoritas, quam non modo iam pridem inter ciueis ob exiciu nactus erat: neq; immeritò, haud facilè enim dictu esset quantum eius admiam doctrinam, & rerum usum: sed apud externos etiam Principes & in exercitu hortationes, cõsilia, ingenium, animiq; alacritas his, quorum parteis sequutus est, sæpe attulerint incrementum. Quibus rebus adductus Franciscus Sfortia illum uoluit imperij administrationem suscipere. Redacta in potestatẽ Mediolanensi ciuitate nihil Cardinali Medici & cæteris ducibus fuit antiquius, quàm omni studio eniti ut Heluetij conciliarentur, & iccirco Ennius Episcopus Verulanus cum mandatis & nõ parua pecuniarum summa ad illos Pontificis nomine mittitur, quò etiã Mediolanensium oratores paulo pòst pro pace tractanda profecti sunt. Sed cum Mediolanenses in utriusq; ditionis finibus substitissent, propterea quòd sine fide publica, eorumq; diplomate ulterius accedere nollent, Verulanus, postquam Bilitionam peruenit, ab Heluetijs statim in carcerem coniectus est. Atque ex hoc satis perspectum est, quæ in superiore bello pro Leone Pontifice egerunt, ea magis priuata quorundam gratia, quàm publico ac communi consensu facta fuisse. Quod etsi Morono, & cęteris, qui Gallorum expulsionem optabant, molestum fuit, tamen eodem pene tempore fortuna, quæ nec in prosperis nec in aduersis eodem diutius perstat gradu, molestiora etiam addidit. Nam Lautrechus, cuius exercitum breui dissolutum iri existimabant, quia quò se reciperet, non haberet: traiecto Abdua confestim Cremonã, quam iam à se defecisse audierat, gressum direxit, sperans arcis præsidio facilem sibi fore ciuitatis receptionẽ: & propterea Lescunũ fratrem eò præmiserat, cui tametsi cum trecentis fermè armatis ingressum per uim in urbem tenentanti, ciues armis obstitissent, dum Nicolai Varoli, & aliorũ exulum paulo antè urbem ingressorũ suasionibus Gallum, qui nemine ipsum expellente ultro urbem reliquerat, amplius haud recipiendum esse censent: nihilominus certiores postmodum redditi Lautrechum cum incolumi exercitu iam propius urbem admouisse, quem Mediolani ad internitionem fuisse cæsum antea relatum fuerat, saniore consilio sese Gallo dediderunt, neq; quicquam fuit imperatum gratuius, quàm ut donec à Rege pecunia mitteretur, exercitũ alerẽt. Interea Lautrechus, ut firmiore præsidio ciuitatem tueretur, si uis hostilis ingruisset, ad Fedricum Bozulum, qui Parmę cum ualida peditum manu præerat, scripsit ut Cremonam quam primum se conferret: quod quidem postea malè cessit. Nam uix Bozulus Parma recesserat, cũ aliæ à Lautrecho superuenerũt literę, quib. illi, ne inde discederet, imperabat: uel, si iam discessisset, eò rediret quãprimũ. Iã enim

tabellarij

tabellariꝰ aduenerant, ſcriptumq; Roma erat Leonem Pontificem, poſtquam Mediolanum à ſuis captum eſſe intellexiſſet, magnam animo lætitiam concepiſſe, & paulo pòſt in tertianam febrim incidiſſe, ex qua ſuperaddita pituita & deſtillatione intra quartum diem non ſine ueneni ſuſpicione naturæ conceſſerat. Quare ſperans Lautrechus hoſtilem exercitum diutius pecunia mortuo Pontifice, qui in ſuperiore bello ſumptus fecerat immenſos, non poſſe ſuſtentari, Parmam à ſuis tanquam frontem aduerſus hoſteis teneri cupiebat. Sed iam Robertus Sanſeuerinus, qui Leonis Pont. ex ſorore neptem in matrimonium duxerat, cum aliquot militibus ingreſſus erat urbem: & propterea Bozulus ademptam ſentiens ſibi intro redeundi poteſtatem, Cremonam ire perrexit. Interea Lautrechus ut rei, quæ malè ſucceſſerat, rationem Regi redderet: utq; recuperandę totius Mediolanenſis ditionis, ſi exercitus nouo peditatu, & ſtipendio inſtauraretur, facultatem oſtenderet, Leſcumum fratrem in Galliam mittere properauit, antequam Galeacius Vicecomes, qui per Heluetiorũ loca poſt amiſſum Mediolanum ad Regem proficiſcebatur, aut alius quiſpiam accepti damni culpam in ipſum transferret. Per eos etiam dies Ferdinandus Daualus cum Hiſpanis peditibus, & Germanis Comum oppugnat, & cum aliquandiu tormentis mœnia quaſſaſſet, Gallus quicquam auxilij in præſentia haud ſperans: modò ſibi abire liceret, & à direptione fortunarum ciuium abſtineretur, urbem Daualo tradere paciſcitur. Cęterùm, dum paratur diſceſſus, Hiſpani repentino impetu urbem ingrediuntur, & non minus Comenſium, quàm Gallorum bona diripiunt. Recuperato Como, Medicęq;, & Sedunenſi Cardinalibus audita Pontificis morte Romã profectis, cum Cæſarianis ducibus, ac Morono magnum onus incumbere uideretur, quòd pecunia ad ſuſtentandum exercitum poſtmodum defutura eſſet, ut aliqua oneris parte leuarentur, Heluetios primum menſtruo dato ſtipendio iam ſeſe Gallo deinceps auxilio futuros palàm iactanteis dimittunt. Mox unà cum Chryſonibus dimittunt Italicum etiam peditatum. Cataphractos quoq; equites, qui ſub Leone antea militabãt, unà cum Mantuano principe Placentiam in hyberna irè iubent. Sed quia pecunia deerat, plerique in diuerſa loca abiere. Hiſpani autem & Germani pedites, atq; equites Cæſariani dilata in proximum ueris tempus Cremonenſi expeditione intra oppida iuxta Abduam ſeſe cõtulerunt: tum ut oppidanorum ſumptu alerentur quoad pararetur ſtipendiũ, tum ut aduerſus Gallos, qui Cremonæ hyemabant, propugnaculo Mediolanenſibus eſſent. Interea Moronus, qui iam Galeacium Vicecomitem ad Heluetios redijſſe intellexerat, palàm ferentem expeditionem Italicam à Rege ineunte uere inſtauratũ iri, pecuniã quam maximã poteſt, priuatim contrahit. Cæterùm ægrè quidem id fiebat, quòd ſuæ factionis hominibus, quorum numerus haud erat exiguus, uim afferre minus conueniens uidebatur: & plurimi ex aduerſa ad Gallos tranſiuerant. Illud etiã difficultatem augebat, quòd Hadrianus VI. Pont. Max. qui nuper Romæ electus erat, quamuis Cæſari fauere exiſtimaretur, quippe qui eius in Hiſpania uices gereret, tamẽ ob abſentiam minus ab ipſo auxilij in Italia erat ſperandum: & quòd adhuc arces & plæraq; loca Mediolanenſis imperij munitiora hoſtili præſidio tenebãtur. Cremona cum tota eius ditione, Mediolani, Notariæ, Trittiq; arces, Domuſſula, Arona, & totus Verbanus lacus, ultra Padum etiam hoſtibus parebat Alexandria: quæ magnæ ipſi Morono curæ erat. Sed quoniam ex militibus Cæſarianis ſtipendij defectu neminem hybernis mouere poſſet, tumultuarios è ditione Mediolanenſi quamplurimos collegit, quos ipſe Sfortiani nominis ſtudioſos eſſe agnoſcebat: cumq; cibaria militibus ab oppidanis præberi iuſſiſſet, Alexandriam, quæ maiore ciuium Guelphorum præſidio, quàm armis Gallicis tenebaꝰ, obſidere prȩcepit. Atq; ita res ceſſit, ut Sfortiani,

dum

dum fortè qui ciuitatem custodiebant, ad tumultuariā pugnam exiuissent, unà cum hoste pariter ingrederētur urbem, eaq; præter spem potirentur. Galli cum ijs, qui ipsorum parteis inibi sequebantur (quoniam urbs erat latissima) facilè per aliam portam antè, quàm hostes totam ciuitatem occuparēt, fuga salutem quæsiuerūt. Quæ quidem iactura Gallo plus, quàm mediocris fuit: tum ob Genuensium sublata commercia: tum quòd eo præsidio facilè totam transpadanā regionem in fide continuisset, præsertim iam Renato Sabaudiano Regis auunculo, ac regiæ aulæ præfecto (quem magnum Magistrum Galli nuncupāt) in Heluetijs delectū peditum decem & octo millium faciente, qui ad descendendum in agrum Mediolanensem hoc solum expectabant, ut in montium niuibus, quæ in miram ea hyeme altitudinem accreuerant, Gallorum iussu & pecunia calles perficerentur: quos instaurare ter oportuit, noua semper niue superueniente. Adeò contra Galli potentiā Dij pugnare uidebantur, præsertim cum interea pecunia Morono subministraretur, qua sex Germanorum peditū millia in Italiam adducerentur: & totidem peditū ex agro Mediolanensi collectorum stipendium ciuitas cōtulerat: tantum denique erat in Gallos, quod plærisq; uarijs artibus Moronus iniecerat odiū, ut per singulas urbis classeis uexilla fierent, centuriones q;, & duces eligerentur: quos, ubi opus fuisset, omnes qui per ætatem arma ferre possent sequerentur: iustamq; militum assumerent speciem. Ad quod etiam sacris cōcionibus Andreę Augustiniani Ferraria oriundi quotidie cōcitabantur: cuius eloquentia, & dicendi ardor mirificus eò tantum spectabat, ut Mediolanenseis Gallo redderet infensissimos: incertum qua potissimum id faceret causa. Nonnulli putant populi studio, quē in Gallum esse malè animatum sciebat, sperasse urbis summum sacerdotium adipisci, gloriaq; ductum fuisse quòd tantæ urbis incredibile quoddam in se studium agnosceret: utcunq; sit, eius oratione ingens plærisq; suscipiendorum armorum ardor accreuit: quòd si qui in communi periculo segniores sese præbuissent, ablatis pignoribus mulctabantur adeò, ut etiam plurimi Gallicæ factionis studiosi populi metu alacreis sese contra Gallos exhiberent.

GALEACII CAPELLÆ DE REBVS GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI II. Mediolanensium Ducis, Liber II.

DVm hæc Mediolani geruntur, iam annus ab initio belli secundus agebatur: & Sabaudianus, ac Gallici proceres, qui Regio nomine apud Heluetios agebant, cum peditibus delectis in Insubres festinabant: neq; segniter Lautrechus equites & pedites suos Cremonę instruebat, & Venetorum auxilia solicitabat, ut aduenięte Heluetiorum peditatu, ipse cum reliquo exercitu præstò esset, Germanos, quos Adurnus ad hosteis adducebat, præuenire cupiēs. Sed Gallum fefellit opinio. Nam cùm Chrysones per Volturenam uallem Germanos transire non permisissent: neq; ob exiguum numerum Germani (quippe qui quatuor millia non excederent) sufficere uiderentur ad iter per uim arripiendum, mutato consilio per Camunicam superato montis cacumine, qui ualleis eas disterminat, in Bergomatum fineis penetrārunt: & citato quàm maximè itinere adeò festinauere, ut antè in agrum, qui Abduæ glarea uulgò dicitur, applicuerint, quàm præfecto Bergomi licuerit ita mandante Andrea Gritto Venetorum legato (prouisorem exercitus uocant) præsidium militum parare, quod uenienti Germano in faucibus montium occurreret. Interea Prosper Columna sedulò Mediolani curabat ut aggeres reficerētur. Imprimisq; ei curę erat magna fossorum manu,

quàm celerius fieri posset, duplex uallum duplici fossa perficere spacio passuũ circiter uiginti inter utrunq; comprehẽso, quod opus ipse excogitauerat ad discludendum ab arce præsidio Gallorum munita aduenientem hostem ita, ut collocati ibidem pedites & hostilem exercitum, & eos, qui ab arce erumperent, arcere possent: omnem etiam equitatum & peditatum intra fluuios Abduam & Ticinum reducit, duo tantum peditum millia Nouariam mittit cum Philippo Torniello Nouariensi iuuene impigro, armorumq; studioso. Hestorem etiam Vicecomitem Alexandriæ destinat cum mille & quingentis peditibus nullo stipendio, sed solo Sfortiani nominis amore collectis: quibus uictum ciuitas subministrabat. Papiæ uerò Antonium Leuam primæ aciei cataphractorum Cæsarianorum ductorem, uirum rei militaris scientissimum præficit: eiq; præter mille Italos pedites, addit duo millia Germanorũ: qui Placentiæ cum Mantuano principe antea hyemauerant, dum urgeret timor, ne Galli Cremonæ hybernantes urbem præsidio nudatã Pontifici eriperent, quod iam amplius Lautrecho in trans Abduanam oram & Mediolanum uersus proficiscente nõ erat formidandum. Reliquum autem exercitus, qui duodecim millia peditum fermè erant, equites cataphracti septingenti, totidemq; uelites Prosper Mediolanum introire iubet. His itaq; paratis cum Adurni sedulitatem paulo antè in ducendis Germanis peditibus perspexisset, ipsum etiam ad Frãciscum Sfortiam, qui Tridenti adhuc erat, sexq; Germanorum peditum millia armabat, remisit, ut eos iter maturare per Veronensem & Mantuanam agrum curaret, ubi à Venetis sperabat minimè resisti posse: quippe qui iam cum Lautrecho exercitum suum in agro Mediolanensi coniunxerant, & unà profecti cum Heluetico peditatu urbi appropinquauerant, ac tertio die quo castra ibidem collocata sunt, Lautrechus, cui per Regem abrogato Magni Magistri imperio totius gubernandi exercitus cura fuerat rursus iniuncta, omnem peditatum, equitatumq; in armis esse iubet tanquam urbem esset oppugnaturus. Sed ubi renunciatum est, præter milites, omnem intus populum Mediolanensem tanta animi alacritate ad arma concurrisse, ut uix senes puerique ac mulieres domi residerent: difficultatem rei timens suos in castris continuit. Anxius autem eo die plurimum fuit ob mortem M. Antonij Columnæ, qui cum Camillo Triuultio Ioan. Iacobi filio, dum extra tabernaculum ambo deambularent, ferrea pila ab hostium uallo tormento excussa disiectu domus ibi propinquæ interfectus fuerat, magno totius exercitus incommodo. In eius enim prudentia & fortitudine iampridem Rex plurimum fiduciæ posuerat. Cæterum Lautrechus sperabat rei pecuniariæ inopia milites urbi inclusos seditionem facturos: quippe quibus tenuiter pecuniæ per Ioannem Emanuelẽ è uectigalibus regni Neapolitani subministrabantur, ita, ut quicquid toto hoc in bello contulerit, non sufficerit ad trimestre peditum Hispanorum stipẽdium: quod à morte Leonis Pont. ad initium huius secundi belli transactum est. Reliquum uerò è tributis Mediolanensium conferebatur: quod cum in superiore bello eadem ipse inopia pressus difficillimum cognouisset, fieri posse non putabat, ut post illata ciuibus tot damna, tantus exercitus unius ciuitatis opibus sustentaretur. Sed uix credibile est quantum Moroni sedulitas, & in sumptibus parsimonia profecerit, ac paucorum odio quantum exegerit pecuniarum. Nam & qui ultro cõferebant, & qui ablatis pignoribus cogebantur, animaduertẽtes pro communi periculo id fieri, haud magnopere indignabantur. Sed spe uictoriæ & restitutionis facilè exactionem tolerabant, aduentante præsertim Francisco Sfortia ipsorum duce: de cuius uirtutibus ab ijs, qui Tridento uenerant, multa referebãtur. Iam enim occupata Croariæ arce transitum per Veronensem agrum arripuerat nemine repugnãte, & cum sex millibus Germanorum peditum per Mantuanũ agrum

profectus

profectus apud Casale maius Padum natibus collectis traijciebat. Inde quum Placentiam accessisset, iuncto sibi Mantuano principe, ac trecentis equitibus ecclesiæ stipendio militantibus, per transpadana loca iter faciẽs Papiam ingressus est. Quod Lautrechus ægrè ferens triduo antequam aduentaret, moto exercitu ad Casinum quinq; passuum millibus ab urbe situm in uia Papiensi se collocat ea ratione, ut Prosperi exercitum à copijs Germanorum per Sfortiam ducem adductis discluderet: ibiq; castris communitis ne tempus incassum tereret, audiens Lescunum fratrem è Gallia Genuam uenisse, & collecto peditatu per transpadanam regionem iter facientem ad se uenire, Federicum Bozulum cum quadringentis equitibus, & peditum septem millibus partim ex Heluegno negocio recepissent, Nouariam inde profecti sunt: quam cum aliter redigere in potestatem non possent, admotis tormentis prostrata murorum parte ciuitatem dato signo inuadunt: cumq; bis magno animorum ardore qui intus erant, hostes deiecissent non sine magna suorum cæde, tandem tertio depulsi mœnibus Sfortiani uiam hostibus dedere, ut in urbem irrumperent: ipseq; Torniellus ciuitatis præfectus cum duobus peditũ ducibus patricijs Mediolanensibus captus fuit, urbsq; direpta, ac ciues & milites in Gallorũ potestatem perueuerunt. Quę res Mediolanensium animos uehementer fregit, neq; in ore populi multa aduersus Franciscũ Sfortiam & Prosperum defuit increpatio, quòd auxilio destitutũ Torniellum cum tot peditibus, & ualidam urbem hosti obiecissent. Sed Prosper nihili uulgi uerba faciens, illud ante omnia curabat, ut militibus qui secum erant, & ijs, qui cum Sfortia Papiam nuper uenerãt, in unum coactis aduersus Gallum exercitum educere ualeret: cui occurrere, & prælio (si fors tulisset) debellare non abnuebat. Indeq; occasionem nactus dum pars hostium trans Ticinum abesset, Sfortiam, ut quamprimum ad urbem ueniat, hortatur, ipseq; nocte intempesta Mediolano egressus aduentantem cum Germanorum copijs ad sextum lapidem excipit. Atq; ita Mediolanẽsium Dux summo cum totius populi plausu, ac fauore urbem ingreditur. Vix autem Mediolanum applicuerat, cum Federicus Bozulus cum Lescuno expugnata Nouaria ad Lautrechum reuersus est, cumq; relatum esset Papię parum pręsidij cum Mantuano relictum fuisse, qui multum rogatus Mediolanũ uenire noluerat, ne Placentia, & ab ecclesiæ ditione longius abesset: Lautrechus ob auctas hostium copias spe Mediolani amplius recipiendi frustratus Papiam tentare decreuit. Quamobrem Prosper cæteriq; Cæsarianorum duces simulac de hostiũ discessu nuncius ad ipsos peruenit, de Papia soliciti centum & mille pedites ex Corsica iamdiu militiæ assuetos nõnullis adiunctis Hispanis deligũt, & quam primum Papiam iubent contendere, qui nõ solum tanta celeritate iter arripuere, ut Lautrechũ cum exercitu proficiscentem anteuerterint: sed etiam per media hostium castra transeuntes multis eorum cæsis pugnando sibi uiam fecere: atq; urbem opportunè ingressi Mantuani animum adeò erexere ad defensionem, ut iam neq; Heluetios tanquam oppugnationi minus aptos neq; hostium timeret tormentorum uim, quibus licet Lautrechus triginta ferè murorũ cubita humi strauisset, tamen haud segniter ab obsessis diruta mœnia uallo, ag geribusq; muniebantur. Atq; adeò Dij Cæsarianis uidebantur fauere, ut propter iuges pluuias eo tempore demissas, neq; naues rebus ad uictum necessarijs onustæ, præ nimio aquarũ impetu Ticino uehi potuerint: & oppidani, qui lucri causa commeatum ad exercitum adducere consueuerant, ob impeditas aqua, & luto uias, annonam in castra non comportauerint, ita, ut exercitus Gallicus summam rerum ad uictum necessariarum caritatem pati cogeretur. Et uel hac ratione, uel quòd præter spem Gallus præsidium hostium urbem fuisse ingressum

gressum sciebat, urbem corona aggredi non est ausus. Quin audiens Prosperum Mediolano cum copijs suis egressum eadem pluuiarum causa Binalschi consedisse, iam deficiente stipendio per Magnum Magistrum è Gallia allato Papia abscedere necessarium ducit, antequam hostis propinquior fieret, qui, ut primum per cœli serenitatem licuit, motis castris ad cœnobiũ Carthusiense in septo, quod ad domesticas uenationes prisci Mediolanensium duces passuum uiginti millium ambitu muro clausere (Barcum appellant) se collocat cum Gallo dimicaturus, si in castris muniẽdis Lautrechus pugnæ occasionem non detrectasset. Sed cum per leuis armaturę equites hinc inde aliquandiu pugnatum fuisset, Lautrechus ad uicum Landrianum inter fineis Laudensis & Papiensis agri cum exercitu tendit: indeq; Moguntiam petijt. Quæ profectio etsi fugæ similitudinem non haberet, tamen Prospero, ac cæteris ducibus uerisimile uidebatur, quòd quotidie uarijs rumoribus, & nuncijs significatum erat Heluetios diuturnam militiam ferre nolle, præsertim cum stipendium paulo pòst defuturum intelligerent, & propterea Gallum in ea loca hac solum ratione ueniisse, ut commodius per uelites pecunias nuper è Gallia Aronam usq; ad se delatas reciperet: itaq; Heluetios in officio contineret. Verùm per Anchisen Vicecomitem, qui cum quingentis peditibus, aliquotq; leuis armaturæ equitibus à Morono missus iuxta Bustum oppidum haud procul Arona consederat, timor non mediocris ijs fuerat incussus, qui deferendæ pecuniæ curam susceperant ita, ut inde abscedere per aliquot dies minimè auderent. Quo effectũ est, ut Heluetij, qui iamdudum inuiti militabant, postquam Moguntiam uenere, efflagitarent sese domum dimitti, uel fieri pugnandi potestatem. Et quamuis durum utrunq; Lautrecho uideretur, quippe qui pugnandi ancipitem fortunam semper timuerit, tamẽ cùm dimissis Heluetijs dissoluere exercitum necesse sibi fore perspiceret: collaudata eorum promptitudine ac fide, cohortatusq; ad pugnam cęteris militibus in posterum diem iussit omneis adesse ut aduersus hostem proficiscerentur, & manum audacter consererent: ad quos in hũc ferè modum uerba fecit. Quod toto hoc in bello fortissimi milites semper exoptaui, ut uirtutis uestræ periculum facere aliquando daretur, id hodie uobis ita exposcentibus contigisse gratulor. Magnam enim uictoriæ spem plærunq; pollicetur militum alacritas, quam in uobis præcipuam cognoscere mihi uideor, cum pugnãdi cum hoste potestatem tantopere poposcerit is. Quod ut temere faciẽdum nunquam putaui, ita uestros animos tanquam ferri aciem retundere minimè æquum duxi: præsertim cùm aduersus eundem hostem decertandum sit, quem in urbe Mediolanensi per bimestre obsessum adeò tenuistis, ut uix sui uidendi copiam facere unquam ausus fuerit, nec mirum. Quid enim equitatus ex Hispania, regnoq; Neapolitano ubiq; semper contemptissimus comparari uobis debet, qui omni tempore apud omneis nationes summam in bello laudem retulistis? Quid tria millia Hispanorum peditum aduersus uos fortitudine, & numero longè superiores præstare poterũt? neq; etiam timorem uobis incutere debent Germani (etsi bellicosa ea gens semper habita sit) cum ij, qui in exercitu hostili sunt, non è uera illa Germania trahant originem, sed in Tridentinis saltibus sint collecti, & alias nunquam militiam exercuerint. Reliquus uerò peditatus ex agro & populo Mediolanensi, cui tot annos imperauimus, delectus fuit potius ad speciem exercitus quàm ad pugnã. Iam uerò quid Prosperum Columnam eorum ducem recenseam? hominem senio confectum, & qui in prælio nihil magis quàm de fuga cogitaturus sit, ut manus uestras effugiat non immemor superioribus annis se Regis nostri, dum contra eum arma ferret, multos menseis captiuum fuisse. Quid Ferdinandum Daualum peditatus ducem æquè timidum, parumq; honoris sui studiosum? quippe

quippe qui paulo antè iuſtiſsimis ex cauſis ob uiolatã ſcilicet in deditione Comenſi fidem ad ſingulare certamen à Ioanne Cabanneo prouocatus non modo congredi, ſed ne reſpondere quidem fuit auſus. Quocirca Deo Opt. Max. iuuante arma mecum milites capeſcite, fortitudinecꝫ ueſtra nõ ſolum Mediolanenſe imperium, uerum etiam totam Italiam ex hoſtium manibus hoc uno prælio uindicate: ita maximum Regi decus, uobis perpetuum nomen, & uirtutis ueſtræ uberes fructus referetis. Huiuſmodi oratione cum hoſtium uireis par uipenderet, ſuorumcꝫ extolleret uirtutem, & magnis uictoriæ propoſitis præmijs militum animos ſatis excitatos exiſtimaret: ſub ſolis ortum, curatis tamen prius corporibus Moguntia egreditur, rectacꝫ iter arripit uerſus Picocham: qui locus tribus paſſuum millibus Mediolano diſtat, ubi domus eſt ualde opportuna, circumcꝫ uiridaria haud exigua ſunt profundis foſsis uallata, iuxta etiam prędia effoſsi fontes, indecꝫ deducti riui ad prata irrigãda, intra quos Proſper exercitum communiuerat, tutum, & opportunum locum ratus, tum ut maiore commodo pugnaret, ſi fortè ad prælium prouocaretur, tum etiam ut hoſtem ab urbe excluderet, quod quidem ante omnia, poſtquam ciuitate exierat, ſemper optauit, ne ipſum egreſſum aliquando Galli ad eam occupandam propetantes præuenirẽt. Et fortè cum nunciatum eſt aduentare hoſteis, Moronus paulo antè in caſtra uenerat: ad quem conuerſus bono animo eſſe iuſsit, ſe iam uiciſſe affirmans, ſi huiuſmodi in loco pugna committeretur, ſimulcꝫ hortatur ut Mediolanum quamprimum reuertatur, & aliquot millia peditum Mediolanenſium ad ſe mittat, quod tantis animis effectum eſt non ſolum à populo, ſed ab ipſo etiam Duce Sfortia, ut uniuerſis paſsim pugnandi ardor incredibilis innatus uideretur. Egreſsi itacꝫ ſunt ex urbe circiter ſex peditum millia, & quadringenti equites cum ipſo Duce, reliquis iuxta aggeres ad urbis cuſtodiam diſpoſitis: & quamprimum ad Picocham uentum eſt, iam multæ Heluetiorum phalanges cum bellicis tormentis aduerſus frontem Cæſariam exercitus contendebant, quam Germani pedites ſub Georgio Frondeſpergo duce impertiti tutabantur, à latere multi ex Heluetijs ab Hiſpanis ſclopis interficiebantur, nec præ foſſarum altitudine poterant Heluetij (qui mos eſt eorum in prælio) aduerſus hoſtilia tormenta progredi: à ſiniſtra uerò parte Leſcunus cum trecentis equitibus ex robore exercitus delectis, peditumcꝫ acie per uiam Mediolanenſem feſtinabat ad pontem, per quem in caſtra hoſtium erat aditus, ſed ducem Franciſcum & Mediolanenſeis nactus, poſtquam paululum pugnaſſet, coactus eſt pedem referre: à dextra autem alia equitum ala mutata cruce alba, qua Galli ſignantur, in rubram nitebatur Lautrechus unà cum Cæſarianis caſtra ingredi: ſed fallacia in tempore cognita, iuſsit Proſper ſuos omneis herbæ, aut ſpicarum, quibus agri tum referti erant, manipuios capiti imponere, ut ab hoſtibus dignoſcerentur: itacꝫ euitato dolo uictoria penes Cæſarianos, & Mediolanenſeis fuit. Cecidere in eo prælio Heluetiorum tria millia cum decem, & ſeptem eorum ducibus. In Cæſaris autẽ exercitu pauci deſiderati ſunt: unuscꝫ tantum è ducibus Ioannes Cardonenſis Coloſſani oppidi in Sicilia Comes ſagitta faciem transfixus occubuit, dum in medio ardore pugnæ caſſidem eleuat, ut quid agendum foret, abſcꝫ impedimento cerneret. In hunc modum Galli potius pugna abſcedere coacti, quàm fracti, tormenta reduxerunt: impedimenta quocꝫ ſi qua ſecum attulerant, Moguntiam reportarũt: ubi cum ſolam noctem Lautrechus quieuiſſet, ſub ſolis ortum ad oppidum Tritium, quod in ripa Abduæ poſitum eſt, proficiſcitur: confectoꝫ ponte Heluetios, qui ſeſe dimitti flagitabant, per Bergomatum agrum in patriam redire permiſit. Cum Heluetijs Renatus quocꝫ Sabaudianus, Galeacius Sanſeuericus, & plurimi Gallorum proceres abſceſſerunt. Quamobrem Lautrechus magnis

æstuans curis, Laudem Pompeiam munire decreuit, ut eius urbis præsidio Cremonam, & transabduanam oram facilius tutari posset, antequam hostis nouo pugnæ successu alacrior factus præueniret. Interea maxima Prospero obiecta erat difficultas, nam Germani pro uictoria menstruum stipendium sibi dono dari flagitabant: & non solum ipsi Adurnoq;, qui eos è Germania adduxerat, haud auscultabant, cum obijcerent pecuniam non deberi, quòd in pugnaquamuis extitissent superiores, tamen hostem non debellassent, qui se incolumem receperat, reduxeratq; tormenta, ac impedimẽta seruauerat: quinimò reliquos etiam milites, ut seditionem facerent, impellebãt adeò, ut oppugnatoria tormenta abducerent, hostilia insuper minitati, nisi stipendium erogaretur, manus propterea in ipsum Prosperum uiolentas inijcerẽt. Quod Franciscus Dux Mediolani sentiẽs, ne parta uictoria è manibus per seditionem elaberetur, cum Germanis re composita menstruum stipendium militibus intra trigesimum diem dono dare pollicetur, atq; ita promissa, nõ sine magna difficultate postea exoluit: quippe qui trimestri bello, & diutina exercitus sustentatione nullis ad huc ferè exactis uectigalibus, nesciret unde sexaginta & amplius aureorũ millia assumeret, ut promissam pecuniam immerentibus elargiretur. Certiores itaque milites efflagitati muneris ad oppugnandam Laudem ciuitatem profecti sunt, quò iam Lautrechus sex equitum turmas præmiserat, peditum præsidium paulo pòst transmissurus. Sed cum opinione celerius Hispani muris appropinquassent, externus miles in urbem paulo antè ingressus nondum stationibus dispositis, quas unusquisq; præsidio aduersus hosteis tueretur, inuasione adeò repentina territus, facilem ascensum Hispanis per aggeres muros q; reliquit, & fuga trans Abduam, prout quisq; potuit, sibi salutem quæsiuit: nonnulli tamen è Gallis cæsi, multi etiam capti, & impedimenta omnia amissa, ac urbs penitus fuit direpta, ciuesq; ferè omnes pecunia sese redimere coacti sunt. Et quanquã hæc uictoria maximam opportunitatem conficiendi totius belli attulerit: tamen non tam Francisco Sfortiæ iucunda fuit, quàm molesta depopulatio ciuitatis. Quare unà cum Morono, per quem omnia ferè negocia tractabat, eò se contulit: ac postquam de recuperanda Cremona, & reliqua Mediolanensi ditione cum Prospero & cæteris ducibus egit, Mediolanum reuertitur ad res urbanas componendas: & magistratus, qui ius populis dicerẽt, creandos: quod adhuc ob bellorum strepitus minimè factum fuerat. Interea Prosper dimisso ad recipiendum Pisleonum cum militum parte Daualo, ipse cum reliquis copijs Cremonam pergit, Galli autem, qui præsidio Pisleoni stabant, unaq; oppidani Gallicæ factionis studiosi rebus suis diffidẽtes pacta incolumitate deditionem fecerunt. Inde ad Cremonæ mœnia admoto exercitu, cum iam antea Lautrechus in Brixiensem agrum se recepisset, & aliquandiu ibi moratus, tandem per Heluetiorum fines familia sua tantum comitatus in Galliam decreuisset reuerti, Lescunus eius frater, cui totius exercitus prouinciam commiserat, cum Prospero ad has conditiones deuenit, se Cremonæ cum exercitu regio quadraginta dies, datis tamen obsidibus, permansurum, & nisi interea è Gallia tantum præsidij mitteretur, quod Padum fluuium per uim transiret, aut unam saltem ciuitatem ditionis Mediolanensis præsidio militum firmatam expugnaret, se Cremonam Prospero, uel cui ipse uellet, redditurũ, modò cum militibus suis, ac cum tormẽtis uexillisq; in speciem exercitus explicatis, ac cum impedimentis omnibus in Galliam redeundi potestas fieret: interim utrinq; læsum iri neminem. Additum insuper est ut captiui ultro citroq; redderentur: & oppida omnia & loca, quæ à Gallis adhuc tenerentur, post exactum huiusmodi tempus deditionem facerent, Mediolanensi tamẽ, Cremonensi, & Nouariensi arcibus exceptis, quas Regi liceret, quoad posset, tutari. Quæ postquam pacta addito

iureiurando

iureiurando fuerunt, Prosper uno tantum è suis Cremonæ dimisso, qui Gallorum promissa, obseruari curaret, ipse cum exercitu Genuam contendit. Secum autem uenire uoluerat Antoniotum & Hieronymũ Adurnos fratres, ad quos rerum Genuensium procuratio attinebat, ut per eos commeatus, plaustra, boues operarij, ac alia ad bellum necessaria exercitui suppeditarentur. Genuę per id tempus imperium administrabat Octauianus Fulgosus, uir tum prudentia & rerum usu insignis, tum morum probitate Genuensibus admodum charus: qui etsi corpore esset imbecillo, longaq; ægrotatione affectus ita, ut malè belli munia posset obire: tamen & Galliarum regis amicitia, qua potissimum nitebatur, fretus, & per Federicum fratrem Salerni antistitem, hominem impigrum omnia belli ministeria præparat. Peditum Italorum duo millia ad urbis defensionem disponit: amicos & nominis Fulgosi studiosos, qui plurimi in Lyguria erant, in armis esse iubet. Regem etiam admonet, Cæsarianos iam Gallico bello in Insubribus confecto Genuam properare, & propterea ualido præsidio ad tutandas Genuę res opus esse, quod nisi citò mittatur, frustra proculdubio sera postmodum fore auxilia, præsertim quoniam propter Adurnorum aduentum non minus intra urbem quàm foris sibi timendum esset. At Rex, qui Italiæ res summopere cordi habebat, iam post cladem apud Picocham acceptam peditum quatuordecim millia ex Aquitania, & Prouincia Narbonensi cum quingentis equitibus cataphractis milleq; sagittarijs equestribus delegerat: mandauerat q;, ut duce Roberto Scoto in Italiam properarent, & rebus suis afferrent auxilium. Sed quia suos in tempore ad opem Genuensibus ferendam uenire posse non sperabat, idcirco Petrum Nauarrensem ducem rei militaris peritissimum, qui paulo antè in Galliam ex Italia redierat, cum duabus triremibus Genuam cõfestim misit, & fortè ciuitatem eo tempore ingressus est, quo Ferdinandus Daualus cum Hispanico atq; Italico peditatu ab ea parte, qua olim stabat Phari turris, castra mœnibus admouebat: & iam tubicinem præmiserat cum literis ad præfectos urbis conditiones afferentem, ut intra unius diei spacium præsidium omne Gallicum dimitterent: Antonioto Adurno, quem Cæsar Genuæ ducem esse uoluerat, parerent: classem omnem, quoties è re Cæsaris esset, paratam haberent: si hæc facerent, de cætero eos suis legibus uti permissurum. Quod si mandata negligerent, omnia hostilia, si in bello succubuissent, illis esse subeunda: quare plurimi in urbe, quæ nouarum rerum cupida semper extitit, nisi nouum militum præsidium uetasset, mandata accipienda suadebant: sed præ timore libera haud erat ciuitas. Et propterea Benedictus Viualdus, qui plusquam par erat, Fulgosis obsequebatur, ciuium Genuensium nomine ad Daualum, qui expugnandæ urbis assumpserat prouinciam, mittitur: & dum sub spe res componendi moram in castris trahit, pedites, qui turrim quandam prope portam eo die pluribus tormentorum ictibus prostrauerant, dum incautius qui iuxta mœnia stationes agebant, urbem custodiunt, inscio Daualo, & cum Viualdo ad rem componendam intento turrim facto impetu occupant, aditum sibi ea parte facientes, qua murus aliquot in locis ruinam dederat. Fit undiq; in exercitu concursus, & clamor ingens, eleuantur à cohortibus signa: pedites q;, qua primi irruperant, circumquaq; inuadunt. Ipse autem Daualus dimisso concilio uersatur inter primos, & muri parte occupata ingressus suos, qui temerè progredi uidebantur, subsistere imperat. Admonet præterea de uictoria Prosperum, qui cum Germanis, & equitatu ferè omni in alia parte constiterat, quæ Besania dicitur, ut cum reliquo exercitu in urbem iam captam introeat. Mox suis in unum collectis, præcipit ut ordinibus seruatis procedant. Fit fuga undiq; ab ijs, qui urbi tutandæ præerant, nec ullus iam audet uel seipsum defendere: ipse Archiepiscopus Salernitanus cum Centurione, qui prætorium

torium custodiebat, magno militum & ciuium numero stipatus naueis cõscendit, & ad littus occiduum, Massiliamq; iter dirigit. Octauianus Fulgosus eius frater, quòd in lecto ægrotaret, postquã prætorij portas claudi iussisset, mittit è suis unum, qui è fenestra nunciet hosti, se in Ferdinãdi Dauali potestatem uenturum. Captus est etiam Petrus Nauariensis, alijq; cum eo multi. Vrbs omnis direpta: & quia tantum prædæ inibi fuit, quantum uix hostis amplius optare potuisset: Prosper edicto mandauit, ne quis è ciuibus captiuus à quoquam fieret. Postero etiam die ut populationibus tandem modus imponeretur, ciuitate exercitum omnem eduxit dolens eam urbem direptam, è qua propter immensas opes Cæsareum exercitum multos menseis pecunia sustentare potuisset. Atq; ita capta Genua, audiens Prosper Gallum cum nouo delectu alpeis transire, uersus Hastam ciuitatem cum copijs iter arripit illi occursurus, si res Insubrum, & pacta Cremonensia turbare conaretur. Sed postquam ad uicum in agro Hastensi, qui Villa noua dicitur, Gallus applicuit, cognita Genuę iactura tantisper substitit, quoad Regis iussu, cuius mentem trans alpeis miserat explo ratum, in Galliam cum nouo exercitu reuersus est. Igitur Lescunus, qui Cremonæ erat, spe omni auxilij sublata postquam quadraginta dies secundũ conuenta præteriere, cum mandatis nuncium ad Prosperu misit, qui & captiuos, & arceis reddi iuberet. Ipse autem cum Gallicis reliquijs, & cum tormentis bellicis ex fœdere in Galliam proficiscitur fide, ducibusq; itineris à Prospero acceptis: in cuius laudem tam multa Galli prædicabant, ut non Regij exercitus euersorem, sed potius seruatorem in Galliam Cisalpinam uenisse faterentur: quippe qui neminem unquam, præterquã in acie, occidi passus fuerit: quiq; etiam deuictis hostibus tantas commoditates concesserit, quantas alius uel amicis fortasse denegasset. Recuperatis è Gallorum manibus totius ferè ditionis Mediolanensis ciuitatibus, & arcibus paucis, quæ adhuc in hostium potestate erant, obsidione cinctis, maior quàm crederetur, restabat pecuniæ difficultas ad continendum exercitum. Verum ut impensæ pars tolleretur, dimittuntur aliquot Germanorum millia. Atq; interea Carolus Lanoius apud Neapolim regiæ potestatis, & Ioannes Emanuel Cæsaris legatus conuentu inter se Romæ habito freti Cæsaris auctoritate, cuius nomen iam fugato Gallo plæriq; in Italia uerebantur, summam aureorum centum quadraginta millium à Florẽtina Repub. Mediolanẽsium duce, Senensibus, Genuensibus, & Lucensibus, prout eorum quisq; magis onus laturus uidebatur, exigere statuunt pro totius equitatus & peditatus Hispani aliquot mensium stipendio, quos in Insubribus permanere necessarium existimabant, non quòd sufficerẽt ad Regis uireis Italia arcendas, si expeditionem rursus Italicam tentaret (quod plæriq; facturum rebantur) sed quia Germani facilius euocari, ac Itali, quoties esset opus, deligi possent. Illud etiam grauius urgebat, quòd neq; Cæsar à Flandria, aut ab Hispania bellũ Gallo mouere poterat pecuniæ inopia, & rebus omnibus imparatis, neq; Anglicus rex solus bello, quòd in Northmanos & Picardos ea æstate inferebat, quicquam profuturus uidebatur. Quare Cæsar monitus à Prospero, cuius consilia semper & Italiæ quietem, & imperij Romani amplitudinem, ac rerum firmitatem respiciebant, Venetias Hieronymum Adurnum mittit, uigilantia, usuq; ac singulari prudentia præditum, ut quoquo modo è dignitate Cęsaris melius fieri posset, res inter eos componerentur. Quod etsi diutius protractũ est propter intempestiuam ipsius Adurni mortem: nihilominus tandem per Marinum Caraciolum post nonum mensem fœdus inter eos ictum est his cõditionibus, ut pro cõmuni rerum Italicarũ defensione cum peditum sex millibus, ac utriusq; armaturæ equitibus mille & ducẽtis alter alteri, cui opus foret, auxilio esse deberet. Quod tanto Mediolanẽseis affecit gaudio, ut plæriq; disiunctis à Gallo

Venetis,

Venetis, illum nunquam amplius cis alpeis descensurum crederent: neq; aliud iam cogitarent, quàm quomodo sese à Cæsarei exercitus onere eximere possent: qui consumptis iamdiu Italorum principũ tributis, in unum Mediolanensium ducem incumbebat: & facta paulo antè in agro Hastensi seditione Vigleuenum usq; omnia hostiliter depopulatus fuerat ita, ut circiter centum aureorum millia Francisco Sfortiæ numerare opus fuerit pro seditione compescẽda, præsertim ne in tanta spe res Venetas componendi, omnia huiusmodi tumultu turbarentur, neq; amplius pax sequeretur, sine qua res Mediolanensium nullo modo possent habere firmitatem.

GALEACII CAPELLÆ DE REBVS GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI II. Mediolanensium Ducis, Liber III.

INsecuta altera æstate post quàm Galli apud Picochã cladem acceperant, cum omnes ferè, qui in arce Mediolanensi obsessi erant, uario morborum genere defecissent: reliqui moræ tædio non expectato belli apparatu, quod magnis uiribus denuò instaurabatur, arcem ipsam Sfortiæ dediderũt incolumem in patriam reditũ cum armis, & impedimẽtis pacíscentes. Quod quamuis Regi plurimum difficultatis afferebat: tamen cum nihil æquè cordi, ac rerum Italiæ amissarum recuperationem haberet, & à Cæsare, & ab Anglorum Rege, qui sese magnum bellum in Galliam moturos sæpius iactauerant, omnia frigerent, quàm maximum potest Italorũ peditum, equitumq; leuis armaturæ numerum stipendio conducit: tormenta bellica, tormentorũ materiam omnem, iumentorũ & uehiculorũ ingentem apparatum instruit, ac imprimis tantam cõtrahit pecuniarum summã & uectigalia mercatoribus Lugdunensibus oppignerando, & decimas sacerdotibus, & tributa in unaquaq; regni prouincia passim indicendo: quantam nemo unquam antea in Gallia corraserat. Oratores etiam mittit ad Heluetios ut pedites suppeditarent, quos, cùm primũ in Taurinos descenderit, sibi adiungat. Quod sentientes Franciscus Mediolanensium dux, & Prosper Columna etsi rebus Cæsaris, suisq; ex fœdere, ac pace Veneta magnum præsidium parabant: tamen ad tanti belli defensionem aliud etiam fœdus magno labore, & studio Romæ componũt inter Pontificem Hadrianum VI. Cæsarem, Florentinam Remp. Mediolanensium ducem, Genuenseis, Senẽseis, & Lucenseis, pactoq; inuicem firmant, ut trimestrem pecuniam, quantam quisq; maximam posset, erogaret pro sumptibus belli perferendis aduersus eos, qui Italiæ quietem turbare conarentur, Prosperumq; Columnam deligunt, cuius ductu & imperio res bellica gubernaretur. Qui uarijs rumoribus Gallorũ motus audiens, iamq; de futuro bello certior in Germaniã mittit, qui peditum inde sex millia Mediolanum adducerent: plurimis etiam, quos in re militari strenuos antea cognouerat, munus iniungit peditum in Italia deligendorum: & quanquam per aduersam ualetudinẽ iam aliquot menseis resoluto stomacho, amisoq; ciborum appetitu, non solum corpore, sed animo quoque imbecilli factus esset: tamen loca omnia Mediolanensis imperij, qua possent hostes irrumpere, lustrat: tandemq; statuit ad ripam Ticini fluuij hostium impetum propellere, firmataq; in hoc sententia nihil ulterius de urbe munienda cogitat, tanquã hostis fluminis transeundi potestatẽ nusquã esset habiturus. Quæ cum pararẽtur, Franciscus Sfortia per id tempus Moguntiæ agens, haud Mediocre subijt discrimen. Inter eius aulicos uersabat Bonifacius Vicecomes, qui cum antea peditum cohortis præfectura ad arcis Mediolanensis obsidionẽ priuatus fuisset,

præturæ quoq; uallis, quæ à Sesite amne nomẽ accepit, in Notarienſi agro tũ liſſet repulſam, quibus ex cauſis, ac etiam ob Heſtoris Vicecomitis cædem, quam mandante Morono perpetratam fuiſſe æmuli eius aſſerebant, ualde & illi & Duci ſuccenſebat. Quapropter dum Mediolanum redeuntem Principem cum cæteris aulicis ſequeretur, ut ad quadriuium antea deſtinatum applicuit, eum à tergo pugione aggreditur: ſed quia ipſe in equo ſublimis ſedebat, Princeps q; parua mula uehebatur, & ferientis impetum ſentiens, caput inclinauit, leue duntaxat, minimeq; profundũ in ſiniſtro eius humero inferre potuit uulnus, & idcirco Vicecomes ſtatim in fugam ſe coniecit, nec ex ijs qui fugientem ſequuti ſunt, quiſquam eum potuit adſequi. Quare Princeps, qui maiores timebat inſidias, Moguntiam quamprimum redire optimum eſſe arbitratus eſt. Allato Mediolanum huiuſmodi nuncio Moronus congregatis urbis primatibus Palauicinum Vicecomitem Alexãdrinum antiſtitem tanti facinoris ſuſpectũ, & quem dudum Duci infenſum ob Heſtoris fratris cædem plærique exiſtimabant, Proſpero mandante, cui eum confidere haud ignorabat, euocari curat, ne ſi uim ei adhibere uoluiſſet, ob generis ſplendorẽ, & clientelas plurimas in urbe tumultus excitaretur. Mox detento per Proſperum Vicecomite, multi eius affines & amici in carcerẽ truduntur: adhibitaq; per tormenta quæſtione, nonnulli fatentur factã fuiſſe in domo ipſius Antiſtitis cõiurationem, neminemq; ad perpetrandum tantum facinus Bonifacio magis idoneum uiſum: ſtatimq; interfecto principe animum illis fuiſſe Moronũ, eiusq; amicos incuria obtruncare: Proſperum, quòd exoſum non haberent, comprehendere: à nonnullis ciuibus & mercatoribus quàm maximam poſſent, pecuniæ ſummam extorquere: ad id peragendum nõnullas habuiſſe peditum cohortes in Statidorum Ligurũ finibus (qui Monsferratus hodie eſt) Vercellis, & in tranſabduano agro. Sed quia Bonifacius triduo antè ſtatutum diem facinus aggreſſus ſit, ideo pedites & duces imparatos fuiſſe: neq; coniuratos quiuiſſe perficere quod in animo habebant, Regi ſcilicet urbem, ditionemq; Mediolanenſem tradere, ut ita gratiam apud eum nanciſcerentur. Atq; id, tametſi ab uno, & item ab altero aſſertum fuerit: tamen plurimi adhibitis etiam tormentis conſtanter omnia negauerunt: ipſeq; Bonifacius poſtea nõ ſemel coram multis profeſſus eſt, ſe neminẽ cõſcio, ſed proprio impulſu, id molitum fuiſſe, quia Principem nouiſſet nulla ſua culpa in ſe malè animatum. Fama uulnerati Ducis increbreſcente, cùm plærique ex ijs qui longius aberant, necem ex uulnere ſequutam exiſtimarent, Galeacius Biragus Mediolanẽſis, qui parteis Gallicas ſequebatur, nonnullos pedites in Taurinis, & Monteferrato collegit, quorum auxilio Valentiam oppidum iuxta Padum occupat, arcem etiam per quoſdã oppidanos in deditionem accipit. Quod ſentiens Antonius Leua, qui Proſperi iuſſu Haſtam uſque cum Hiſpano peditatu, & equitibus leuis armaturę ad continendos in fidepopulorum animos proceſſerat, Valentiam cum parte copiarum proficiſcitur, & cum ſpacium qui intus erant, non habuiſſent oppidi muniendi, intra biduum oppidum ipſum expugnat: Biragum q; captiuum facit, antequam à Gallis ullũ afferri potuerit auxiliũ. Nam etſi amico opem ferre properarent, nihilo minus & longinquitas itineris, & Caroli Borbonij ducis ſuſpicio iter agentem exercitum aliquot dies retardauit. Non enim Regi bene conſultum uidebatur, ſi (ut decreuerat) ipſe in Italiam deſcenderet, relinqueretq; in Gallia Borbonium iam irritatum Comeſtabulatus officio, ac Borbonenſi & Auernorum opulento ducatu potentiſsimũ. Quapropter cùm Rex ipſe Lugdunum pergeret, illũ uiſitauerat domi ægrotum ſe ſimulantem, ne in Italiam uenire cogeretur. Mox cum præcepto regio euocatus eſſet, lecticam uacuam, in qua iacere ſe ægrotũ ſimulauerat, biduum antequã detegeretur dolus, deferri iuſsit, ipſeq; clam duobus

tantum

tantum comitibus in Sequanos (quæ regio Caroli Cæsaris est) proficiscitur, ubi duodecim peditum millia ipsius iussu, quàm occultius fieri poterat, iam cõ ueniebant: quibus, cum primum Rex Alpes transisset, Borbonius bellum in Galliam erat illaturus. Nam iam antea per Hadrianum Beaurenum Cæsaris oratorem simulato mercatoris habitu ad se profectum cum ipso Cæsare conue nerat eius sororem Heliodoram in uxorem accipere, & de Gallia cum eo & Rege Anglico pactus fuerat: iniurias ulcisci cupiens, quas à Rege sibi existima bat inferri dum aliquot oppida ex hæreditate paterna, & Borbonensem etiam ducatũ in litem deducere cogitur. Quamobrem Rex dum Lugduni esset, cer tior factus Germanos pedites indies Burgundiæ finibus appropinquare, ad monitusq; à nonnullis, qui literis quibusdam indignationem ipsius Borbonij paulo antè cognouisse asserebant, sibi ab eo timẽdum esse, mutato consilio ex peditioni in Italiam iam instructæ Gulielmum Gonfierium maris præfectum (quem barbari Ammiraldum uocant) præficit, mittitq; cum quatuor millibus peditum, & quingentis equitibus Sabaudianum præfectum aulæ, ut Borbo nium cõprehenderet: sed cum Borbonius iam abijsset, Sabaudianus ditionem illius omnem redegit in Regis potestatem. Interea Ammiraldus cum triginta peditum, duobusq; equitum millibus, totidemq; sagittarijs equestribus in Ita liam descendit. Cumq; Hispani, qui cum Antonio Leua erant, retrocederent, neminẽ Gallus habuit, qui ipsius conatibus obstaret, donec ad Ticinum per uenit, ubi quatuor millia Hispanorum peditum, totidem adiunctis Germanis cum tota Cæsarianorum equestri acie conuenerant: ipseq; Prosper quanquam corpore inualidus, tamen lectica ad citeriorem fluuij ripam se deferri iusserat. Sentiẽs autem iam magnum hostium numerum ad ulteriorem fluminis ripam peruenisse, aquasq; præter morem ex diuturna, quæ antea fuerat, siccitate mi nimè profundas, serò timens se non posse eo loci Gallo obstare, præsertim quia Itali pedites, qui diuersis in partibus conscribebantur, nondum applicuerant, primum grauiora tormenta Mediolanum remittit, ne si maior quępiam uis in gruisset, ea hostibus relinquere cogeretur. Mox ubi omnem exercitũ Regium Vigleueni conuenisse audiuit, suosq; in citeriore ripa, maximè qua custodiam agebant Germani, ab hostibus, qui in ulteriore stabant, tormentis arceri, & nõ modo equites, sed pedites quoq; fluuium uado transire, frustra aliquoties repu gnare conatus, motis castris exercitum omnem nemine amisso Mediolanum reducit: adeoq; ciuitas ex huiusmodi re consternata est, ut si cõfestim hostis in sequutus esset, obuiam habiturus erat neminem. Sed dum Ammiraldus suos colligit, & eos, qui serius uenerant, expectat: Cæsariani, ipsiq; Mediolanenses animo confirmati, aggeres reficere conducta innumerabili fossorum manu properant. Interea pedites Itali aduentabant, & commeatus intra urbem nullo intermisso tempore deferebantur. Hieronymus quoq; Moronus post introdu ctum exercitum per totam urbem iterum atq; iterum ad arma iussit conclama ri, ut certior fieret quantum præsidij à populo sperare posset: quem adeò bene animatũ ad repellẽdum hostem cognouit, ut nihil unquam fuerit promptius. Quare Prosper omni prorsus abiecta urbis relinquẽdæ opinione, quæ ipse per aduersam ualetudinem præstare non poterat per alios exequebatur. Iam in ur be duodecim peditum millia cõtraxerat, magnusq; populi numerus, quoties opus foret, in armis aderat. Miserat præterea Papiam ualidũ cum Antonio Le xandria relicta Cremonã proficisci mandauerat ita, ut à tribus saltẽ ciuitatibus (si à reliquis nõ posset) hostium impetum propelleret. Cæterùm Ammiraldus serò copias ad urbẽ duxisse cognoscẽs mutato oppugnationis consilio, positis propè ciuitatem inter Laudensem Ticinensemq; uiam castris ad recipiendam

Moguntiam

Moguntiam partem exercitus mittit. Mox Petrum Baiardum ductorem impi grum cum octo millibus peditum, tormẽtis decem bellicis, ualidoq; equitatu Laudem Pompeiam proficiſci iubet. Quod ubi ſenſit Mantuanus, qui ex fœdere cum Pontifice inito in eam ciuitatem cum quingentis peditibus, & totidẽ equitibus uenerat, ſe tam modicis copijs defendendæ urbi imparem cernens, antequam Gallus aduẽtaret, admonitu Federici Bozuli, propinquitate & amicitia ſibi iuncti, qui Gallicum peditatum ducebat, inde diſceſsit. Gallus Laude ciuitate præſidio firmata, ponte ſuper Abduam confecto, quamprimum Cremonam cõtendit: ibiq; adiuncto ſibi Rentio Cerro Romano cum quatuor peditum millibus, quos Carpi, & in ditione Ferrarienſi regia pecunia collegerat, ſtatim oppugnare ciuitatem aggreditur: neq; Venetorum copias timet, quæ, etſi in Ponteuico oppido propinquo confederant: tamẽ neq; Gallo pares erãt, neq; ſine Veneti ſenatus auctoritate extra fineis ſuos progredi uolebãt. Quin ita Proſper, & ij, qui Mediolani de re bellica conſultabant, fore exiſtimantes, tũ è Papia, tum ex Alexandria Cremonam euocauerãt treis mille, & quingentos Italos pedites ſub ducibus Mayno, ciuitatis præfecto, Frãciſco Salomone Neapolitano, Bartholomeo Martinengo Brixienſi, & Mediolanenſi Franciſco Stampa: neq; à Mantuano, qui urbem Laudem in hoſtium poteſtate reliquerat, amplius poſcere uolebant ut cum militibus ſuis Cremonam ingrederetur, ueriti ne nimis de ſe ſolicitus ſalutẽ propriam ſaluti ciuitatis anteferret. Perorabant tamen ducem Vrbinatem, Legatumq; Venetum, ac Mantuanum Principem obſecrare non deſiſtunt, ut quàm propius Gallo poſſent, caſtrametarentur ita, ut urbem adoriri non audeat. Sed Gallus à propoſito non dimotus eſt, quin admotis tormentis triduum urbis mœnia quaſſauit: & cum ſupra triginta muri paſſus humi ſtrauiſſet, & dato militibus ſigno, urbẽ corona aggredi præcepiſſet, iamq; omnes ad iuſſa maturanda inſtructi eſſent: tantæ repentè decidere pluuiæ per quatriduum demiſſæ ſunt, ut rem differre opus fuerit. Interea qui Cremonæ obſidebant, ſpacium ad reparanda ſtrata mœnia habuere: & (quod utilius etiam fuit) cum Gallo ſolum à Laudenſi agro, & ab ora trans Abduana, quæ ad uictum pertinebat, ſubminiſtrarentur, quòd cætera loca ibi propinqua parum pacata eis eſſent, difficultate itinerum, & iugis pluuiæ uictus penuria laborauere ita, ut coacti fuerint multa ſumere ex arce Cremonenſi, in quam cõmeatus plurium menſium paulo antè attulerant. Cæterùm iam ſpe recipiendæ Cremonę fruſtratus Ammiraldus, ſimulq; cognoſcens earum copiarum diſceſſu muniendę ciuitatis Mediolanenſis maximam commoditatem hoſtibus prębuiſſe, ſuos denuò ad Mediolanum obſidendum redire iubet. Atq; ita cum Moguntiam ueniſſent, propter duos hoſtium exercitus diuerſis à lateribus urbem obſidenteis, non niſi difficulter ijs, qui commeatum afferebant, erat adiutus, & cum molas frumentarias, quæ foris erant, incendio Galli abſumpſiſſent, tanta farinæ intra quatriduum Mediolani oborta eſt penuria, ut ſupra centum hominũ millia hebdomadã totam pane caruerint, leguminibus, & oriza uitam trahentes, donec inſtructis tandem intus molis truſatilibus farina hominũ manu abundè fieri cœpit. Interea Proſper, quia ægrotus eſſet, Ferdinãdo Alarconi, qui Cæſaris iuſſu è Calabria Mediolanum per eos dies uenerat, ut peditum præfecturam gereret donec Daualus abeſſet, ſummam regendi exercitus commiſit, qui bene gerẽdæ rei ſtudioſus extemplo, ut hoſtẽ ab urbe ſummoueret, aggerẽ effoſſa terra, & ex ceſpitibus, trabibus & arborũ ramis intextis in ſpeciem turris erigit, in cuius uertice erat area ambitus pedum circiter ducentorũ, quæ à fronte cratibus terra oppletis uallata tormentis, & peditibus collocãdis ſpacium relinquebat: atq; ita aliquot dies Gallos crebris tormentorum ictibus infeſtans, multos ex eis interfecit. Sed cum id parum ad liberandam obſidione urbem

urbem Prospero uideretur, Principi Mantuano, qui se ad quæq; belli munia alacrem præbebat, iniungit ut cum equitibus Pontificijs Papiam se conferat, ut inde uiatores, eosq;, qui annonam ad exercitum hostium deferebant, infesta ret. Cæterùm quoniam durante diutius bello stipendium à socijs collatum cõ sumptũ erat, & ob mortem Hadriani Pont. ne obulus quidem Roma amplius mittebatur: Florentinaq; Resp. Genuenses ac Lucẽses exacto primo trimestri pecuniam ulterius pendere grauabantur, decreuit Prosper, cum aliunde non posset reddita Alphonso Ferrariẽsium duci Mutina, quam Guido Rangonius Romanæ ecclesiæ nomine aduersus Ferrarienſem tutabatur, pecuniã in usum exercitus parare. Iamq; missis ultro citroq; oratoribus de summa conuentum erat, nisi Bartholomeus Cattinarius, unus è Cæsaris cõsiliarijs, qui per eos dies à Carolo Lanoio Bononiam pręmissus fuerat, ijs, qui negocium tractabant, significasset, haud è re Cæsaris fore, urbem bello opportunam tradere Ferrariẽsi Gallici nominis studiosissimo, ecclesiamq; Cæsari reddere infensam, pręsertim in tam diuersis eligendi Pontificis studijs aut Cæsari, aut Gallo fauentis: neq; deinceps (si paululum tolerarint) pecuniam defuturam, Lanoio iam cum pedestribus, equestribusq; copijs Neapoli in Insubres proficiscente, & cum eo etiam redeunte Ferdinando Daualo, qui ut superiore anno, ne Prospero pareret, in Hispaniã abierat, ita in præsentia sub Lanoio uiceis Cæsaris gerente cum munere gubernãdi peditatus militare non detrectabat. Quare oratores à Prospero Mutinam missi re infecta rediere. Dum hæc geruntur, iam quotidie maior rerum omnium copia Mediolani suppetebat: Galluſq; timere cœperat ne à Mantuano, & ab ijs qui Papiæ erant, occupato ponte, quo Ticinum eregione Vigleueni coniunxerat, cõmeatus penuria laboraret: propterea Petrum Baiardum, & Rentium Cerrum cum copijs, quæ Moguntiæ erant, reuocat, quorum discessu à Briganteis collibus, totoq; superiore agro tanta tritici & uini summa in urbem inuecta est, ut nulla amplius famis formido supereſſet. Iamq; de obsidione minimè Ammiraldus cogitabat: neq; aliter occupãdæ urbis ulla suberat spes, patefactis præsertim insidijs, & proditione à Murgante Parmensi primipilo in legione peditum Ioãnis Medicis tentata. Nam cum is pontem sublicium, qua extra aggeres urbis iter erat, occiso cohortis centurione ibi in statione posito occupare pollicerentur, & Gallum inde introducere, & iam treis coniurationis conscios, adiutoresq; haberet, Ioannem Ferrarienſem ex peditatu Stephani Columnæ, qui sibi proximus excubias agebat, dato iureiurãdo socium ad facinus peragendum requirit, præmium, quod ab hoste accipiebat, cum eo communicaturus. Sed Ferrarienſis fidei plenus, ut proditionis certior fieret, operam suam pollicetur, cumq; cognouisset quid se facere & qua hora uellet, extemplo Stephanum ducem suum adijt, remq; omnem patefecit. Quamobrẽ Ioannes Medices sui militis crimen ægrè ferens Murgantem statim, cæteroſq; coniuratos comprehendit, disquisitioneq; per tormenta habita criminis reos agnoscens lanceis transfigi à militibus iubet, Ammiraldus igitur quia iam hyems instaret, neq; belligerare eo tempore absq; summo militum incommodo poterat, inducias duorum mensium à Prospero petit: quas ut facilius impetraret, omnia cis Ticinum bello parta reddere pollicetur. Quod cum facere Prosper alijs ducibus inconsultis recusaret, Gallus locum inter castra sua & urbem delegit: ac obsignato fidei publicæ diplomate aliquos è Cæsarianis mitti requisiuit, duos & ipse pariter missurus pro inducijs, ijsq; tractandis, quæ utrique parti conducere uiderentur, missiq; propterea sunt Ferdinandus Alarco, Hieronymus Moronus, & Paulus Victorius Florentinus. E' Gallis uenere Galeacius Vicecomes, & Thomas Boierius exercitus quæstor. Cum'que Moronum ambo reperissent, qui utrique fuerat aliàs amicitia coniunctus,

easdem

easdem inducias poscũt, quas à Prospero antè petierant: cõmemorantq́ quantum hæc bella, quæ iam triennio exacto initium habuere, Insubres premant: quantum è re Mediolanensi futurum sit, si quoquo modo ab armis discedatur: ita Mediolanenseis damnis, cædibus, rapinis, incendijsq́, quæ bella afferre solent, posse modum inuenire: atq́ interea tempus multa allaturum, quibus pax aliqua inter Regem & Cæsarem, Mediolanenseisq́ cohærere posset. Contrà Moronus, & qui cum eo erant, sese post restitutum in ditionem paternam Franciscum Sfortiam nunquã bellum quæsiuisse, uerùm Regem nimio propagandi imperij ardore iam bis, nõ modo Mediolanensem ducatum, in quo nullum ad eum ius spectet, sed Italiam totam turbare nixum fuisse, & propterea Italos principes communi consensu commune damnum repellere. Iam non de restituendis cis Ticinum locis, sed de recuperanda tota ditione agi. Inducias, quas petãt, si rebus in Italia per uim occupatis cedant, Carolum Lanoium, qui à Cæsare & socijs missus in cisalpinam Galliam propediem uenturus sit, non denegaturum: & idcirco ad eum proficiscerentur, neq́ enim de inducijs, neq́ de pace aut de rebus componendis illo inscio sese quicquam acturos. Atq́ ita Gallis in castra, alijs in urbem redeuntibus, Ammiraldus propter intempestiuam niuem, ne amplius sub diuo exercitum contineret, statuit in hyberna concedere, solutaq́ Mediolani obsidione, Abbiatum se recipit, indeq́ pedites à Narbonensi prouincia, & Allobrogicis alpibus, quia nullius essent usus, dimisit, nouoq́ Heluetiorum delectu aduentante primos, qui missionem postulabãt, solutis stipendijs ad suos permisit redire: & ne, interea dum Cæsariani Carolum Lanoium serius uenientem Mediolani nihil agentes expectant, ipse quoq́ frustra tempus tereret, Rentium Cerrum cum septem millibus Italorum peditum Aronam oppidum munitissimũ in finibus Verbani lacus proficisci iubet, ubi Anchises Vicecomes Mediolanensis cum militum præsidio pro Sfortia tam bello quàm pace imperabat, tuncq́ ad famam appropinquantis hostis habuerat supplementum mille & ducentorum peditum. Quamobrem licet postea per triginta dies nunquam cessans Rentius tormentis arcem oppido imminentem quassauerit, sine qua oppidi receptio nihil Gallo profutura erat: ita, ut ferreæ pilæ sex mille aduersus mœnia excussæ fuerint, ac sæpe instructis ordinibus irruptio tentata sit, tamen tanta semper uirtus fuit intus propugnantium, ut innumeris suorum cæsis, Rentius re infecta abire coactus sit. Interim Carolus Lanoius Papiam applicuit, ibidemq́ aliquot dies moram trahens euocato ad se Morono, postquam de rebus bellicis consilium habuisset, Mediolanum uenire decreuit: quod antea distulerat, audire scilicet cupiẽs quem Prosperi ualetudo exitum esset habitura. Nam iam octauum mensem non sine propinati ueneni, siue amatorij medicamenti suspicione grauiter ægrotabat. Verùm ubi mente iam prorsus alienata paucos dies eum uiuere posse cognouit, urbem ingressus præstantissimum belli ducem antequam moreretur, uidere, eiusq́ funeri interesse uoluit, & uita functum cum Marco Antonio Columna nepote in patriam sepeliendum ex testamento deferri curauit. Posthęc ne diutius bellum traheretur, cum Veneto oratore constituit, ut Venetus exercitus traiecto Abdua sese Cęsareis copijs iungeret, saltem quo tempore sex millia Germanorum peditum Mediolanum applicuerint: quos præsenti pecunia adduci mandauerat. Agit etiam cum oratore Clementis VII. qui paulo antè summo cum omniũ Italorum gaudio electus fuerat Pontifex, ut equites Pontificij exercitui Cæsareo adiungantur: uigintiq́ aureorũ millibus ab eo acceptis per literas, & nuncios cum Florentinis, Senensibus, & Lucensibus statuit ut pecuniã secundum fœdus ad se mittãt: & ne belli diuturnitate nimis graue uideretur omnẽ cõuentã pecuniã numerare, rem, quoquo modo potest, cõponit ad id persoluẽdum,

quòd

quod reliqui erogare nollent, Sfortiam ducem coacturus ita, ut ei præter portionem ex fœdere spectantem, necesse fuerit ingentem pecuniæ summam exercitui Cæsareo erogare, iamdudum pro exacti temporis stipendio debitam, antequam Mediolano, ubi iam quintum agebat mensem, egrederetur. Qua in re incredibile est quantū Mediolanenses semper sese promptos exhibuerint, tum præcipua quadam Principis comitate, qua plurimum ad conciliandam hominum beneuolentiam poterat, tum uarijs artibus, & Moroni oratione persæpe impulsus, ut bonorum depopulationes, exactiones pecuniæ, & uillarum incendia, quæ quotidie patiebantur, non tam grauia essent, quin spe uictoriæ, & Gallorum expulsionis lenirentur, præsertim cùm priuatas omneis pecunias in superiore bello collatas, intra sextū mensem è uectigalibus publicis Sfortia restituisset, idem etiā pro suo in populos studio & fide facturus, nisi reddendi facultas crebrioribus belli sumptibus ablata fuisset: & cum iam transgressis cis Abduam Venetis, Germanoq; peditatu aduentante cum exercitu egressus fuisset, innumera ciuium multitudo Principem suū cum armis sequuta est, & militiæ munera obire non recusauit, donec Venetis ita suadentibus decretum fuit ut Mediolanum rediret: necq; in tanta æmulatione Mediolanensis imperij uarijs ipse belli periculis se obijceret. Satis enim esse, si Moronus in castris uersaretur, tum ut consilijs ducum interesset, tum ut per eum oppidanis multa, quæ in exercitu erant usui, imperari possent. Gallus Cæsarianos copias educere, & Venetos cum eis cōiungi præter spem intelligēs, etsi perculsus erat clade apud Robechum nuper accepta, quò paulo antè nocte intempesta Lanoius, Daualus, & Ioannes Medices cum ualida equitum peditumq; manu uenerāt, ac plureis grauis armaturæ hostileis turmas nil tale metuenteis adorti, partim cæcidérant, partim equis, armisq; spoliatas, ac propè seminudas aufugere coëgerant: tamen, ut tantam belli molem posset sustinere, sex millia Heluetiorum præter eos, quos secum habebat, quamprimū ad sē deduci curat, ita, ut ex ea natione duodecim millium peditum numerum haberet: quibus secum iunctis (si fors ita tulisset) prælium detrectare nolebat. Cæsariani autem, postquā aliquot dies apud Binascum, mox apud locum, qui Motta Vicecomitū dicitur, moram traxissent, ut hostem Abbiato, ubi tutus esse uidebatur, extraherent, relictis præsidio Mediolani aduersus exercitum Gallicum (si fortè urbem adoriretur) peditum Italorum quinq; millibus reliquas copias trans Ticinum adducunt, & ad Geminas columnas (Gambalotum uocant) primùm castra locant. Ipse autem Vrbinatum Dux, qui in exercitu Veneto imperabat, & Trumelli decreuerat castrametari (cum Garlascum hostium præsidio munitum inter se, & Papiam urbem interiaceret ita, ut à cōmeatu, qui Papia in singulos dies iumentis, & plaustris uehebatur, non solum Veneti, sed etiam Cæsariani paruo conatu possent excludi) ad expugnandum oppidum quamprimum tendit. Cumq; murorum partem admotis machinis humi strauisset, iubet pedites equitesq; adhibitis scalis in muros euadere. Iamq; ab ijs, qui intus erant, Veneti repellebantur, ipseq; dux acrius instabat, & retrocedere suos non patiebatur: tandē nonnulli ex ductoribus Venetis, & magis strenui milites per fossas mento tenus aqua plenas transiliūt: tunc pariter omnes, quà mœnia magis obruta erāt, & hostes reficiendis aggeribus intenti minus repellere poterāt, acrius urgere & maiore ui irrumpere conantur ita, ut undiq; fuga ab ijs, qui præsidio erant, fieri cœpta sit, oppidumq; direptum. Cæsi, captiq; eo die plusquā quadringenti ex hostibus sunt. Quę uictoria maximū duci Vrbinati decus, Cæsarianis aūt magnas cōmeatuū utilitates attulit. At Gallus ubi hosteis trans Ticinū profectos, Garlascoq; potitos intellexit, ne Vigleueno quoq;, & cæteris Laumellensis agri locis excluderetur, oī prorsus spe potiundi Mediolani deiectus, relicto Abbiati mille peditū, equitumq;

equitumq; centum præsidio, traiectoq; Ticino Vigleueni castra locat: & quia cunctando tempus terere uidebatur, ibiq;, quoties leuibus prælijs cum hoste certamen euenerat, fortuna semper fuerat aduersata, magnumq; equitum numerum amiserat, biduo exercitum in aciem deduxit, pugnandi copiã hostibus faciens, qui, tametsi numero ac militum uirtute superiores haberentur, tamẽ & Venetis ita suadentibus, & quia ex literis interceptis cognouerãt pecunias hosti deesse, minimè uisum fuit tentare ancipitem pugnæ fortunã, cum tutiorem euentum cunctando sperarent. Cæterùm ne omnino nihil agerent, quoniam post Ticini traiectionem Gallum Abbiato dimouerant, simili cõsilio Vigleueno quoq; tentant eijcere. Sartiranam itaq; profecti (quod oppidum est in citeriore Padi ripa) ubi quingenti pedites cum nõnullis equitibus præsidio positi erant, tormentis muros diruere aggrediunt. Ammiraldus, ne suos sineret paulatim deficere, Vigleuenum reliquit, obsessis auxilium laturus. Verùm anteq; Mortarium ueniret, nunciatum est Vgonem Pepulum Bononiensem, & Ioannem Biragum, qui oppido & arci præerãt, expugnato utroq; loco in Cæsarianorum manus captiuos peruenisse, milites q; omneis, qui intus erant, ad internitionem cæsos. Quare, cum iam sera essent auxilia, Ammiraldus Mortarij se cõtinuit. At Cæsariani huiusmodi uictoria subnixi, Vercellensium animos per Hieronymum Pectium eorum ciuem tentãt à Gallis diuertere. Quod illi haud difficilè fuit Gibellinæ factionis studio, cuius primas parteis in ciuitate semper tenuerat. à ciuibus itaq; receptus eius opera commeatus, & alia quæq; necessaria, inde ad Cæsaris exercitũ indies deferebãtur. Quod quidem tanti fuit momenti, ut Lanoius, cæteriq; duces sperare iam auderent Gallis reditum in patriam intercludere, & propterea ad pagum inter Vercellas & Nouariã (qui arcus Marianus dicitur) proficiscuntur. Ammiraldo, qui Nouariæ cum exercitu erat, duo adhuc supererãt, in quibus spem poneret ne à Cæsarianis intercluſus fame premeretur, prohibitis non modo commeatibus à Taurinis, unde iamdudum exercitum aluerat, sed etiam ad hostilem exercitum conuersis: unum erat in Heluetijs, quorum decem millia ad se mitti per oratores petierat, atq; ijs expectabat ut quadringenti equites, qui è Gallia ueniebant nuper, adiungerentur: alterum restabat in Rhætis, qui Chrysones dicũtur, qui ad numerũ quinq; millium selectorum peditum stipendio Gallico per Bergomatum agrum iter faciebãt: propositumq; erat per trans Abduanam oram sese cum Federico Bozulo, qui cum magna Italorum peditum manu regio nomine Laudem urbem obtinebat, coniungere, atq; ita hosteis è Laumellensi agro reuocare, nisi Mediolanum (quod minimè credendũ erat) in discrimẽ adducere mallent. Quod sentiens Sforția Ioannem Medicem cum quatuor millibus peditum, & ducentis equitibus, qui ipsius Sforțiæ stipendio militabãt, in Bergomatũ fineis trans Abduam mittit, ubi aliæ, pręter quas secum duxerat Vrbinatum dux, conuenerant Venetorum copiæ. Itaq; iuncti Venetis Sforțiani sese interponũt, ne Chrysones ijs, qui in urbe Laudæ erant, cõiungi possent. Ipse uerò Ioannes Medices quotidie per leuis armaturę equites gentem huiusmodi prælijs in affluetam infestabat: adeoq; eos perculsit, ut quicquam proficere diffisi, postquam triduũ ibidem morati sunt, in patriam regrederentur: & paulo pòst pacem & amicitiã cum Francisco Sforția transmissis Mediolanum oratoribus petierint. Hocigitur timore liberatus Sforția, ne Gallis Nouariæ obsessis commeatus ex oppido Abbiato mitti posset, eò Medicen se conferre cũ copijs iubet: expugnatoq; primùm Ticini ponte, quem Gallus præsidio tenebat, ipse in castra profectus tormentis oppidi mœnia à solis ortu ad meridiem quatit. Mox magno Mediolanensis populi numero militaribus copijs adiuncto pugnæ signum dat, tantoq; animorum ardore oppidum oppugnatum est, ut quamuis intus plusquã mille

mille propugnatores summa ui ad defensionem incumberent, tamen Mediolanenses per aggeres, & fossas aqua plenas muros transilirẽt adeò: ut statim captum & direptum oppidum fuerit: hostes tum cæsi, tum unà cum oppidanis capti, prædaq; haud mediocris uictoribus contigit, quæ causam postmodum magnæ attulit calamitatis. Nam cum ob diuturnam militum in oppido stationem ex nimio fœtore pestis homines inuasisset, præda plærosq; milites infecit, & ferè quisq; qui aliquid inde exportauerat, peste corripiebatur: atq; ita ea contagione paulo pôst tota urbs Mediolanensis infecta est. Expugnato Abbiato Sfortia haud minima cum laude Mediolanũ rediit. At Cæsariani, qui non longè à Nouaria castra habebãt, indies arctius Gallum obsidebãt: & adempta eis Ticinum cõmeatus & auxilij facultate, Heluetijs, qui iam Eporediæ ad numerum quinq; millium cõuenerant, uiam sese cum ijs qui Nouariæ erant, coniungendi intercludere conabantur. Sed Gallus militibus & præsertim Heluetijs, quos secum habebat continua nouem mensium militia iamdudum fessis cupiebat bello finem imponere, & trans alpeis reuerti. Quare suis Nouaria eductis instructa acie ad oppidum Romanianum tendit. Cæsariani cum Venetis, qui in Vico Mariano erant, cognita Gallorum profectione castra mouent. Laudatoq; penes quem cura erat gubernandi exercitus, confecto passuũ sex mil lium itinere ulterius nolebat progredi. Verùm Carolus Borbonius, qui re in Burgundia malè gesta in Italiam uenerat: & ut suum in Cæsarem studium & fidem magis declararet, in exercitu & agendo & consulendo nunquam defuerat: tantum eo die itineris cõfici iubebat, ut in posterum abeuntem hostem formidinis plenum ad pugnam uel inuitũ, possent cogere. Atq; in hac ducum altercatione Ammiraldus nocte intempesta motis castris sub diei crepusculum iam aduentantibus ad ulteriorem Sesitæ ripam Heluetijs, qui Eporedia uenerant desyderio potius ut suos in patriam reducerent, quàm pro Gallis amplius pugnandi, ipse uado cum exercitu fluuium transiuit. Et quamuis è Cæsarianis plusquam mille pedites non sint insequuti sine uexillis, equitesq; ferè totidem leuis armaturę, tamen tantus terror hosti iam perculso iniectus est, ut nemo resistere auderet: sed prout quisque magis poterat, iter acceleraret. Capta ibidem sunt tormenta sex bellica, & quamplura ab hostibus relicta uexilla, à scloppetarijs cæsi sunt Petrus Baiardus, & Ioannes Cabaneus equitum ductores. Ipse etiam Ammiraldus eodem teli genere adeò graue in brachio uulnus accepit, ut lectica necesse fuerit eum in Galliam deferre: neq; amplius præ nimio uulneris dolore in exercitu potuerit obire munus imperatorium. Quare cæteri duces omni alia cura omissa incolumem in Galliam exercitum reducere conantur. Tormenta, quia magnæ essent molis, & per uallem, cui Augusta Prætoria nomen dedit, qua ipsi proficiscebantur, carris traducendis iter non erat, in arce quadam nouem passuum millibus ab urbe Eporedia relinquunt. Marchio etiã Rothelini unus è Galliæ proceribus, qui Segusium usq; cis alpeis auxiliũ Ammiraldo laturus cum quadringentis equitibus iam uenerat, in Galliam reuertitur. At Cæsariani duces præmissis tantum uelitibus, qui hostem abeuntem sequerentur, & per eos receptis tormentis, quæ Gallus cum grauioribus impedimentis reliquerat, ad oppidum, quod Sancta Agatha nuncupatur, conueniunt: ibiq; cum Legatus Venetus rempublicam suam Cæsari, ac Mediolanensium Duci satisfeciisse diceret iam pulsis Italia Gallis, illud etiam Cęsarianis expostulantibus denegare non potuit, ut antequam exercitum dimitteret, Laudem ciuitatem à Gallis occupatam liberaret, donec interea Daualus cum Hispano peditatu reciperet Alexandriam, quam è Gallorum manu Vitellius Romanos Adurnorũ armis frustra aliquot mensis recuperare tentauerat. Ibi etiã in concilio Cæsarianorũ ducum recitatæ sunt literæ Caroli Cæsaris, Henriciq;

Anglorum Regis: quorum uterq; pulso iam Italia Gallo expeditionem in Gal liam procurabat. Ideoq; Carolo Borbonio decernũtur sexdecim peditum mil lia, equites mille, tormenta bellica quatuordecim: ipseq; Lanoius eidem nume rari iubet ducenta aureorum millia, quæ Cæsar in Hispania mercatoribus Ge nuensibus numerauerat, ut Genuę certo tempore redderentur. Riccardus etiã Pacæus orator Anglicus magnam pecuniarum summam ad id bellum Regis sui nomine pollicetur. Per id tempus Moronus, ut Mediolani, quoties opus es set, pecunia æquiore lance exigeretur: decreuit censum longa temporum in tercapedine antea nunquam renouatum agere. Et quoniã urbs in sex classeis, quas uulgò portas uocant, distributa est: ipsæq; classes in centum circiter uici nias diuiduntur, è quibus duo ciues ex prudentioribus rebus publicis semper præfecti sunt: uocatis ipsis præfectis ad nouum censum agendum incumbit, æstimatoq; fortunarum omnium precio actus est census sestertiũm quater mil lies, quæ summa est centies centenorum millium aureorum, quo uix constitu to, pestis, quæ post direptum Abbiatum anno post cœptum bellum quarto ur bem inuaserat, tantum acceperat incrementi, ut Princeps in arcem Tritij, Mo ronus autem cum Senatu & reliquis magistratibus Moguntiam se recipere co acti sint. Itaq; post modicum temporis cõtigit, ut neq; panis, neq; alia ad uictũ necessaria Mediolani suppeterẽt, adeò, ut qui peste infecti extra ciuitatẽ emissi fuerant (quorum maximus erat numerus) cum ad eos commeatus nec à ciui tate, nec aliunde ob pestis timorẽ importaretur, seditione facta urbem ingressi sint omnia tumultu, armisq; miscentes, & nisi blanda quorundam ciuium ora tione sedati ad ipsorũ tabernacula non longè ab urbe posita reuersi essent, præ ter uim, quam plurimis attulissent, miraculo potius adscribi potuisset, quàm di ligentiæ, si quis à peste incolumis euasisset. Moroni igitur iussu postmodum uicini ad urbem in singulos dies commeatum afferebant, Princepsq; pauperũ rationem habens ex publico sumptum eis subministrari iubebat. Sed quanq; necessaria ad uictum ex eo tempore non deessent, & plericq; sacco induti, nu disq; pedibus supplicationes per totam urbem Dijs facientes, ueniam irarum Cœlestium, finemq; pesti exposcerent: non tamen, nisi post quartum mensem uis morbi imminuta est. Quo tempore mortui sunt è populo, Mediolanensi sut pra quinquaginta hominum millia, præter eos, qui foris innumerabiles occu buerunt. Dum pestis (uti diximus) in urbe desæuiret, Vrbinatum dux cum e xercitu Veneto Laudem Pompeiam profectus Federicum Bozulum affinita te, & fraterno amore sibi iam multos ante annos deinctum per tubicinem ad colloquium euocat, docetq; nihil amplius spei in Gallo esse, qui iam alpeis sine armis & impedimentis transgressus erat, & idcirco satius esse ciuitatem redde re, cum nihil aliunde auxilij speraret, quàm quid posset uis, experiri. Quamob rem Federicus, qui planè noscebat se plus commodi Galliarũ Regi afferre pos se, si duo millia ueteranorum peditum in Galliam adduceret, qui Regi magno usui futuri erant, quàm si frustra ciuitatem ad nullum præsentem usum custodi ret, cum Vrbinate de urbe reddenda pactum init, accepta potestate cum mili tibus in Galliam redeundi. Per eosdem etiã dies Busius, qui Alexandriæ præ erat, siue diffisus urbem posse tutari aduersus strenuum hostem & perisisimi belli ducem, siue cæteris in Gallia cisalpina amissis locis superfluum existima uerit unam urbem Regi seruare, cum Ferdinando Daualo de ea restituẽda pa riter pacisciturut cum armis, ac rebus suis in Galliam abire liceat. Atq; ita rece pta Alexandria Busij milites cum Laudensibus, qui per id tempus discesserãt, in Galliam peruenere: ex quibus postea plus utilitatis Rex nactus est in bello Massilienſi, quam si, non modo Laudem urbem, & Alexandriam, sed & totam Mediolanensem ditionem custodissent: per eos enim effectum est, ut Massilia

maritima

maritima ciuitas ualde bello opportuna contra Cæsaris exercitum defenderetur, donec Rex equitatum suum diuturno bello, non solum fessum: sed magna etiam ex parte amissum instauraret: & nouum ex Heluetijs, ipsaq; è Germania præmijs pellectum peditatum colligeret: quo fretus, post quartũ mensem non solum Cæsarianis se opponere: sed ipsos etiam discedere coactos à Massiliæ oppugnatione magnis itineribus antecedere, & in Italiã ipse proficisci ausus est.

GALEACII CAPELLÆ DE REBVS GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI II. Mediolanensium Ducis, Liber IIII.

POstquam Carolus Borbonius diutius cum exercitu in Gallia stetisset, neq; quicquam profecisset in oppugnatione Massiliæ, redditus certior neq; Cæsarem ab Hispania, aut à Flandria, neq; Regem Anglicum à Northmanis in Galliam eo anno arma laturũ, sero cognoscens se nimis arduam prouinciam sumpsisse, statuit in Italiam regredi. Quare maiora tormenta, quia carris, & uehiculis propter alpium difficultates iter non erat, nauibus imposita Genuam transmittit: minora autem in frusta comminuta mulis uehẽda imponit, ut ex eodem metallo (si opus foret) cum in Insubres ueniisset, refici possent. At Rex sex millibus Heluetiorum peditum, totidemq; Germanorum, ac decem millibus tum ex Italia, tum è Gallia comparatis, cataphractisq; equitibus ad numerum duorũ millium, ac totidem sagittarijs equestribus comitatus, incredibili quodã recuperandæ Mediolanensis ditionis desiderio accẽsus, nemini auscultando, qui ipsum ab huiusmodi expeditione deterreret, in Italiam quàm maximis potuit itineribus contendit, iam non alium, quàm se, ducem fore exercitui æquum ducens, alijs, quos delegisset, ter Italia pulsis: & quia ipsi itineri iam accincto Lodouica mater significauerat cõuenire eum se cupere, antequam Alpeis transiret (cum alioqui semper illi fuisset obsequentissimus) ueritus ne à suscepta prouincia filium pio quodam affectu dehortaretur, colloquium parẽtis respuit: & Cancellario Galliarum, nonnullisq; à secretis, qui aliàs Regi comites esse etiam extra regnum proficiscenti consueuerant, mandauit ut cum matre ad gubernandam Galliam remanerent, donec ipse bellum Mediolanense confeciisset. Quod ut celerius fieret, statuit Cæsarianos, qui per Alpeis litoreas magnis itineribus in Insubres reuertebãtur, & iam duorum dierum itinere anteibant, non amplius insequi. Atq; ita ipse alpeis Cotias (recentiores montem lenebræ uocant) transiens iuxta Salutianorũ fineis ad occupandum Mediolani imperium festinauit conatus Cæsarianos præuenire. In hoc rerum turbine Carolus Lanoius, qui totam æstatem Hastæ cõsumpserat, iam bellum proculdubio oriri sentiens, literis Sfortiam Ducem solicitat ut Mediolanum confestim redeat, quoniam propter pestem, quæ sæuissimè ea æstate ciuitatem afflixerat, non solum ipse Princeps secesserat: sed uniuersi ferè ciues ex urbe discesserant. Verùm Sfortia, qui ex litteris regijs sæpenumerò per id tempus interceptis, & multorum relatu cognouerat quantis uiribus Gallus in Italiam reuerteretur: quicq; res Cæsarianorum Massilienſi expeditione malè tentata perculsas uidebat, parum præsidij in eis ad sustinendum contra potentissimum Regem bellum existimans in tanto rerum discrimine malebat Mediolano abesse, quàm absq; militum præsidio accurrere ad urbem, quæ prima hosti obijceretur: & propterea Pisleono, quò se iamdudum contulerat, non absedere satius ducens Moronum ad Lanoium mittit, ut unà quid agendum esset in bello, decernerent. Interea cum nullis ordinibus Cæsariani traiectis alpibus in Italiam peruenissent, Lanoius ne Mediolanensi ditione ab hoste excluderetur,

cluderetur, audiens Regem iam Augustam Taurinorum cum parte copiarum aduenisse, Alexandriam cum militibus, quos in Italia retinuerat, se recepit. Eodem etiam tempore Daualus cum Carolo Borbonio Gallum adeò festinabat præuenire, ut, quo die Rex cum prima acie Vercellas applicuit, ipse Alba profectus uicum Iriæ oppidum iuxta Padum (quod quadraginta milliariorũ spatium est) peruenit. Itaq; cùm postero die Cæsariani omnes, præter quam Germani, qui spatio tantum aberant itineris unius diei, Papiam uenissent, cognitumq; esset Sfortiam adhuc esse Pisleoni, & eò etiam Moronum (quoniam nihil præsidij à populo Mediolanẽsi ob hominum paucitatem habere potuisset) se contulisse: ipsi Lanoius, Borbonius, & Daualus Sfortiam admonent, ut confestim Papiam unà cum Morono se conferat ad defensionem rerum Mediolanensium, quò res expostulauerit uenturus: ipseq; Daualus literis manu sua (ut efficaciores essent ad persuadendum) conscriptis commemorat se uiginti dies, totidemq; noctes festinando Massilia eo usq; iter fecisse, ut rebus Cæsareis, & Sfortianis suppetias ferret: & ne amitteretur parta toties contra Gallum gloria: orareq; propterea ne in re tam necessaria sibimet deesset, cum tot bellorum duces, ipseq; semper uictor exercitus nõ solum opes: sed animam etiam, ac sanguinem ipsum offerret pro rerum Mediolanensium defensione. Quo nuncio uespere accepto, cum sub diei crepusculum Princeps discedens Papiam uenisset cum aulicis, & magno ciuium suorum numero: qui undiq; urbe effluxerant ne Gallum, contra quem sæpius arma sumpserant, Mediolani uiderent imperantem, offendit duces, exercitumq; omnem Papia discessisse exceptis duntaxat Germanis peditibus: qui paulo antè eò applicuerant. At Sfortia, & Moronus nihil differendum rati (etsi de uia fessi non solum homines: sed iumenta etiam essent) statim Mediolanum gressum dirigunt: uixq; duo milliaria prætergressi erant, cum Ferdinandus Castriota, qui tormentis & machinis adducendis præerat, præmissis aliquot ex equitibus suis Sfortiam penè uenientem admonet magnas Gallorum copias tam pedestreis, quàm equestreis, postquam Cæsarianus exercitus Binascum fuisset prætergressus, aduenisse: noctesq; proxima maiorem partem exercitus hostium cis flumen Ticinum esse profectam: & propterea se occlusa uia cum tormentis Papiam reuerti. Atque idcirco Sfortia regressus Lanoio, & cæteris Cæsarianis ducibus, qui Mediolanum uenerant, frustra expectatus maximam de se malè cogitandi occasionem dedit. Nam, cum neq; uallum urbis refectum offendissent: neq; farinam ad panem conficiendum, aut lignorum copiam in ciuitate esse intellexissent, pœnituit eos cœpti consilij, Principe præsertim, & Morono absentibus: quorum studio superioribus in bellis totum populum habuerant obsequentissimum. Itaque nescire eo tempore unde fossores ad reficiendos aggeres, & munienda mœnia, & instrumenta ad opus faciendum habere possent: & in tanta rerum difficultate, iam Gallis cis Ticinum castrametantibus, incertis rumoribus ferebatur Sfortiam, & Moronum cum Gallo consentire contra Cæsarem: eaq; ratione in tanto belli motu Mediolano abfuisse. Quare omnibus exercitus Cæsarei ducibus mandatur, ut in sequentem diem copias instruant, quò decretum fuerit, profecturi. Gallus autem, qui omnem spem uictoriæ in celeritate posuerat, instructis ordinibus Mediolano appropinquabat. Quod sentientes Cæsariani confestim milites exire, & uia Laudensi iter facere iubent: uixq; Daualus, qui in ultimis ad portam urbis remanserat, ut instructo ordine, & sine fugæ specie progrederentur, porta Romana egressus erat, cum per Ticinensem, & Vercellensem Gallicus exercitus ingressus est: qui si eo die relicto Mediolano insequebatur Cæsarianos, nemini dubium est quin eo ipso die debellatum fuisset. Nullius enim erat operæ hostem abiectis magna ex parte armis amissisq; equis tam longo

itinere

itinere fatigatum ad internecionem cædere, uel turpiter abeuntem compellere in præceps. Sed nimia Regis (ut creditur) potiundi Mediolani cupiditas, in cuius oppugnatione duobus superioribus bellis eius duces frustra tot menseis incubuerant, ipsum hoc præuidere non permisit. Cæterùm Rex ut semper fuit clementissimus, ita nihil hostile in ciuitate fieri uoluit, quin paucos, præter eos, qui arcem obsessuri erant, ciuitatem introire passus, ipse ne eam quidem uoluit uidere, quoniam nisi confecto bello muris se tenere haud decorum esse existimabat. Interea cum amissæ urbis nuncium Sforția accepisset, relictis Papiæ quinq; Germanorum peditum millibus, unà cum Morono, & magna Mediolanensium caterua secundo Padi flumine, Cremonam ire pergit existimans id, quod paulo pòst cõtigit, Regem cum exercitu ad oppugnandam Papiam primum uenturum, ut eam ciuitatem, & tormenta bellica, quæ omnia ibi Cæsariani habebant, in potestatẽ redigeret. Quod Antonius Leua, qui in urbe cum Germanis, & aliquot Hispanis militibus remanserat, ita fore haud dubitãs excubias, stationesq; militum circum mœnia disponit, molas etiam trusatiles quamplureis, quanta potest celeritate, parari iubet, ne cis, transq; Ticinum â Gallo obsessus, omnibusq; molis, quæ plurimæ in fluuio erant, excluſus panis penuria laboraret: deligit quoq; nonnullos Papienseis, qui triticum, uinum, & reliquum commeatum in urbe describerẽt: & quia militibus stipendium unde daret, non habebat, ipsos à ciuibus ali uoluit sumptibus iuxta cuiusq; facultates æqualiter distributis. Atq;, ut plurimis belli necessitatibus, quibus pecunia opus erat, non deesset, sacro, profanoq; argento passim collecto monetam excusit: in qua ad posterorum memoriam signatum fuit. CAESARIANI PAPIAE OBSESSI. M. D. XXIIII. Interea Lanoius relicto in urbe Laudæ præsidio in Cremonensem agrum se contulit: statimq; Moronum, cuius inductriam, & promptitudinem in superiore bello cognouerat, ad se per literas euocauit: & cum illo congressus perspexit antea se, & de Duce, & de ipso Morono diuersi consilij nefas iniuria suspicatum esse, auditaq; ibi Regis ad oppugnandam Papiam profectione, coacto concilio, exquisitisq; ducum sententijs, nonnulli Germanum peditatum minus aptum existimabãt ad ferendam obsidionem, nec sine stipendio, quamuis alerentur, credebant militiæ onus laturos: & idcirco duo millia Italorum peditum, qui Alexandriæ substiterant, ea urbe, tanquam minus opportuna, derelicta, Papiam euocari suadebant. Sed postremò uicit melior sententia, serò scilicet pedites Alexandria uenturos: minusq; esse conueniens eam ciuitatem deserere: qua iter Genuam, & inde in Hispaniam esset, præsertim cum à Gallo iam cis Ticinum profecto minimè timendum foret, ut magnas uireis adduceret ad Alexandriam oppugnandam. Quare eo enixius operam esse dandam ne Papia eo tempore amitteretur: quæ facilè in fide contineri posset. Illud etiam multo magis esse aduertendum, si Germani inde educantur ut ex alia natione imponatur præsidium, ipsos iustam iracundi causam habituros, quòd eis minimè duces confidere uiderentur: hominesq; suspicioſos, & iracundos fortasse ciuitatem hosti esse tradituros, & propterea, cùm nulla, nisi in Germanis, urbis defendendæ spes reliqua esset, decernunt exercitum quamprimum instaurandum, augendumq; esse nouo Germano peditatu: ad quem conducendum Lanoius cum pecunijs certos homines miserat. Iniunctum est insuper Ferdinando Daualo ut adiuncto secum Morono, cum Hispano peditatu Laudem Pompeiam contineat, tanquam urbem maximè opportunam ad bellum, & ad instruendum exercitum propter fluuium Abduam urbis muros alluentem: ultra quem omnia pacata erant: ne, si fortè Gallus eò diuertisset, non solum Papiæ obsessis succurrendi, ubi supplementũ ex Germania aduenerit, opportunitas amitteretur: sed tota etiam transabduana ora,

na ora,& Cremonenſis ager in hoſtis poteſtatem peruenìret. Interim Rex admotis tormentis Papiæ muros pluribus in locis quaſſare, mox inſtructa acie, qua magis mœnia diruta erant, milites foſſas tranſire, & murum aſcendere iubet. Sed Germanis,& alijs, qui intus erant, repugnantibus non ſine multorum cæde Gallicus exercitus repellitur. Itaq; uim fruſtra expertus Ticinum fluuiũ qui in duo ſcinditur cornua, alteroq; tantum ciuitatem alluit, aggeribus in alueo factis tentat diuertere. Sed ubi iam immẽſos in opere feciſſet tumptus, tantæ de cœlo deciderũt pluuiæ, ut nimia aquarũ ui tota moles corrueret. Quamobrem obſeſsi Cæſariani ab ea parte, qua fluuius præterlabitur, foſſa prealta, & uallo murum, qui tenuis admodum erat, cõfeſtim reparãt ita, ut ſi hoſtis (quod deinde euenit) iterum fluuiũ diuertiſſet, poſſent non minus ab ea parte, quàm ab alijs aduerſus exercitum Gallicum ſeſe tueri. Verùm Rex, qui totis uiribus, totoq; animo erat intentus non ſolum Cæſarianos ditione Mediolanenſi: ſed etiam regno Neapolitano expellere, cum Clemente VII. Pont. agit per Albertum Carporum principem, oratorem ſuum,& Ioan. Matthæum Gibertũ ipſius Pont. Datarium, qui ad ſe in caſtra uenerat, ut ſecum in gratiam rediret obliteratis odijs, quæ Leonis X. tempore exorta erant: eorumq; hortatu Ioannem Scotum Albaniæ ducem cum decem millibus peditum, & ſexcentis equitibus, ac cum Rentio Cerro,& plurimis ex Vrſina familia, quæ Gallicæ factioni ſemper ſtuduit, ad inuadendum regnum Neapolitanum mittit: ſimulq; dat operam ut magna ſulphuris pulueris,& ferrearum pilarum ſumma in tormentorum uſus ab Alphonſo Eſtenſi Ferrarienſium duce mutuo accepta per milites, qui Padũ cum Albaniæ duce tranſierant, ad ſe adduceretur, præſertim quia Lanoius,& Daualus cognita Gallorum trans Padum profectione, relicto in urbe Laudæ modico præſidio ad impediendum hoſtium conatum cum omni exercitus robore Padum tranſibant. Cum enim Regem huiuſmodi rerum apparatu plurimum egere audiuiſſent, exiſtimabant ob id ſolum Gallicas copias Padum tranſiſſe: nec ueriſimile putabant Mediolanenſi imperfecta expeditione Gallos Neapolitanam (quod uarijs iam rumoribus ferebatur) tentaturos. Itaq; cùm Monticellum Cæſariani applicuiſſent, oppidum trans Padum Placentiam uerſus quinque millibus paſſuum à Cremona ſitum, Fidentiolam ſeſe poſtero die conferre decreuerant, niſi per leuis armaturæ equites quidam Regis cubicularius, & alter amanuenſis Albaniæ ducis captiui in caſtra fuiſſent adducti: ex quibus cognouere Gallos, qui trans Padum profecti erant, à Rege admonitos fuiſſe, ut omni ſtudio conarentur hoſtem à Padi ripa abducere: ut cum procul abeſſet, ipſe poſſet armatis aliquot nauibus (cum breui itinere Papia Cremonam ſecundum fluuij curſum tendatur) pontem occupare, quem Cæſariani paulò ſupra Cremonam inſtruxerant. Atq; ita hoſtibus Pado excluſis totam ipſe nemine repugnante ditionem Mediolanenſem facilius occuparet. Quod haud difficile factu perſpicientes Cæſariani Monticelli ſeſe continent, præſertim quòd Regi,& eius copijs ſe minus pares ſperabant cùm rebus ceteris, tum pecunia: quæ ſegniter à Cæſare ſubminiſtrabat. Et Romanus Pontifex, & Florentina Reſp. ut in ſuperioribus bellis conſueuerant, non ſolũ nõ iuuabant: ſed iam aperte fauebãt Gallo: & nuncijs, ac literis Pontifex hortabatur ut Lanoius relicta ciſalpina Gallia cum exercitu in Neapolitanum regnum reuerteretur, pollicitus Regem mutato conſilio ab expeditione Neapolis temperaturum. Neq; ſolum Pontificiæ,& Florentinæ pecuniæ Lanoio deerant: ſed ab ipſa etiam Neapoli, & à Duce Mediolani, cui fere ſola Cremona relinquebatur, ne minimam quidem partem eius, quæ fuiſſet uſui in tanto bello, percipere poterat ita, ut neceſſe fore proſpiceret ſtipendij defectu non modo exercitum augeri non poſſe: ſed breui diſſolutum iri. Non parum etiam angebat quòd Veneti

Cæſari

Cæsari superiore anno fœdere coniuncti ex pacto debitas auxiliareis copias mittere detrectabant: neq; oratores, qui Cæsaris, Franciscíq; Sfortiæ nomine crebrò Venetias, & ad Vrbini ducem propterea mittebantur, quicquam profi-ciebant. Id scilicet effecerat timor potentissimi Regis, aduersus quem pugnan-do maius in se odium nolebant concitare: & maximè etiam illos mouebat su-spicio non ab re concepta: ne, si fortè Cæsariani aduersus Gallum uictores exti tissent, eiecto Sfortia Mediolanense imperium ipsi occuparēt: quod ualde eos angebat. Verebantur enim ne potentioris uicinitas aliquando ipsorū Reipub. officere posset. Quare Carolus Lanoius, eiusq; consiliarij conditionibus ope-ra Pontificis à Rege acceptis, relictis Insubribus cum exercitu in Neapolitanū regnum reuerti optimum esse existimabāt. Idq; proculdubiò fecissent, nisi Da-ualus, qui & rei militaris scientia, & magnanimitate primas parteis in exercitu obtinebat, ac etiam Hieronymus Moronus summam turpitudinem esse præ-dicassent additis nuper sex millibus Germanorum peditum, totidemq; paulo pòst in auxilium uenturis, de discessu tum differere, cum de pugna cogitādum esset: affirmantes, nisi frustra tempus teratur, exercitum Cæsari addictissimum, & tam longo stipendio ditatum posse aliquot adhuc dies exigua pecunia con tineri, modo Germanis nuper adductis non desit unde sese alere possint: nec pro uirili Sfortiam Ducem impræsens (ut antea semper fecit) defuturum: cu-ius exemplo debere Lanoium non modò Neapoli quam maximam possit, pe cuniam cogere: sed priuata etiam uasa aurea, & argentea ipsum, & reliquos du ces pro sustinendo bello conferre. Quæ sententia cum uicisset, omnes cis Padū regressi Laudem Pompeiam proficiscuntur: materiamq; omnem tormentariā ad Regem deferri permittunt. Atq; ut contra exercitum hostilem (si Neapolim peteret) non deesset præsidium, Lanoius Honoratum Caietanum unum è pri moribus, qui apud se essent, Neapolim mittit: ac per proceres, & principes re-gni Neapolitani equites, pedites q; deligi mandat ad uim repellendam. Ipse in-terea Daualus qui maiore spe bellū moliebatur, animoq; iam conceperat cum ipso Rege belli fortunam (ubi Germani omnes aduenissent) experiri: ne quid sibi à tergo relinqueretur, cum omnibus ferè copijs pergit ad Casianì arcem supra Abduam recipiendam: quam Galli primis belli diebus occupauerant: admotisq; tormentis, ubi nullum propugnatores auxilium mitti senserunt, ui-tam tantum incolumem paciscentes relictis armis, impedimentisq; omnibus ex pacto ad suos reuertuntur: magnusq; tum Gallos, qui Mediolani erant, in-uasit timor, ne ad urbem occupandam Cæsariani pergerent: quod quidem id-circo semper dissuaserat Moronus, ne Hispanus miles occasionem nactus nō antè ciuitate (si ea potiri contigisset) uellet excedere, quàm stipendium iam-diu debitum acciperet. Quare præsidio arci in deditionem acceptæ imposito, ad ciuitatem Laudem omnes reuersi sunt: ibiq; ex literis Antonij Leuæ cogno uerunt Germanos Papiæ obsessos pecuniam efflagitare, minitariq; ciuitatem hosti tradere, nisi stipendium penderetur. Daualus igitur, & Moronus, quibus uictoriæ nanciscendæ maior cura inerat, cum neq; præsentem haberent pecu-niam, neque fieri posset ut eo tempore, etiam si affuisset, Papiam deportaretur, uafrè facto Germanos quietos reddere statuunt. Duos itaq; homines deligūt fide, & industria præditos: qui cum equis uino onustis conferant sese in castra regia: triaq; millia aureorum in uase uinario occludunt. Quamobrem, ubi Pa-piæ erant propiora hostis castra, tabernaculum ponunt, tanquam uinum uen-dituri. Interea literis ignotis characteribus scriptis Antonius Leua in urbe de to-ta re edocetur: qui extemplo ab ea parte, qua signum datum erat, cōplureis mi-lites ad leue prælium emittit: dumq; acriter in castris ad arma conclamatur, ta-

bernaculaq; & tentoria tolluntur ob hostium timorem, alter ex ijs, qui deferēdæ in urbem pecuniæ prouinciam sumpserat, fracto uase uinario, & arrepta pecunia inter tumultum elapsus Papiam ingreditur: & ad Antonium Leuam adductus significat se pecuniā portasse, non ut Germanis omnibus satisfieri posset: sed ut ducum, qui foris exercitum gubernabant, satisfaciendi studium perspicerent: simulq; intelligerent quanto cum discrimine illud, quicquid erat pecuniæ, attulissent: Daualiq;, ac cæterorum ducum nomine obsecrat, ne in tam diuturno bello, quod tanto sumptu sustinetur, amittendæ pecuniæ auctores esse uelit. Germanus miles, qui nuncium dicere, ac Daualum uera scribere cognoscebat, seditionem non modo compressit iam excitatā: sed usq; ad belli exitum à petendo etiam stipendio abstinuit. Per eosdem etiā dies præfectus Germanorum Papiæ moritur exacuta febre, uel (ut multi existimauere) incerto ueneno, cùm haud mediocris esset suspicio illum cum Rege ad prodendam ciuitatem consentire: & ne tumultus inter milites excitaretur, si aut in iudicium uocatus fuisset, aut uiolenter trucidaretur, tutius consilium nonnulli captum fuisse affirmarunt illū de medio ea uia tollere. Interea cum è Germania sex insuper peditū millia Laudem Pompeiam aduenirent, & persæpe ipsum Lanoium Neapolim reuerti uolentem Daualus tandem cōsilium mutare coēgisset, Moronusq; Cremona tantum pecuniæ attulisset, quantum satis esset ad equitatū hybernis mouendum, & aduersus hostem deducendum, quantumq; ad prouidendum sufficeret ut operarij, tormentorum apparatus, funeis, & ferramenta cum reliquis belli instrumentis non deessent, ipse Daualus, cui à Carolo Lanoio cura belli gerendi propter magnam rerum omnium difficultatē relinquebatur, ut miro ardore flagrabat immortalem sibi gloriam comparandi, ita omnia ad bellum necessaria Morono strenuam operā eidem præstante præparat: ducesq;, & cohortium centuriones hortatur ad prosequendum bellum & necessarium, & glorioſum: cumq; omneis fermè bene animatos agnouisset, conuocatis Hispanis peditibus, à quibus summopere colebatur, & in quorū promptitudine, & militandi peritia maximam uictoriæ reposuerat spem, suggestum ascendens, ut facilè ab omnibus audiri posset, in hanc sentētiam orationem habuit. Nisi uos hactenus cōmilitones agnouissem quæcunq; bellorum discrimina gloriæ uestræ, & Cæsarei nominis amplificationi posthabuisse, profectò absq; stipendio aduersus hostem educere posse non confiderem. Sed cum animaduerto eosdem uos esse, qui proximis annis Gallum Mediolano nō modo fortiter expulistis: sed etiam cum magna copiarum multitudine reuersum acie profligastis, & tandem Italia coēgistis turpiter abscedere, spei plenus timorem omnem abijcio: certamq; uictoriam uestra uirtute fretus mihi polliceri posse uideor. Quin Regem ipsum, qui nunc adsit, non maiores uireis ad bellum afferre: sed, si uictus fuerit, plus prædæ allaturum existimo: atq; illum in Italiam hoc tempore descendisse ueriſimile est, quia suis iam ter inde pulsis nihil ultra confidat: tantoq; facilius eum uinci posse arbitror, quanto nimio animi ardore uno, eodemq; tempore & Papiam urbem munitissimam frustra treis menseis oppugnet: & exercitus partem ad tentandum regnum Neapolitanum mittat, quasi copias nostras ad hunc diem semper inuictas cōtemnat, quia penuria rei nummariæ paululum laboremus. Quod quidē uos minimè mouere debet, qui tot annos Cæsaris auspicijs militastis: & licet aliquando sera: tamen debita semper stipendia retulistis, quæ neq; hoc tempore amittetis, cùm paulo antè literis certior redditus sim in Hispaniam ingentem auri summā mercatoribus Genuensibus numeratam esse, ut paulo post Genuæ in uestrum usum reddatur. Quod si de amittendo stipendio nonnulli fortasse timent: nihil huiusmodi, nisi hoste uictore

uictore metuendum est, quoniam uobis uictoribus ab omnibus Italiæ, & Gal
liæ locis pecunia minimè defutura est: uictoriamq; è manibus nostris uix elabi
posse arbitror, si in aciem descendere, & paucos dies stipendiorum solutionem
expectare uolueritis tot hostibus deuictis, tot ciuitatibus, & oppidis expugna
tis aliquando ditati. Iam hostis non amplius duorum dierum itinere abest: bre-
ui possumus (modo ipsi non detrectaueritis) manum cum eo conserere: cui &
numero, & fortitudine præstamus. Nec uereor ut Rex obstinato quodam ani-
mo nunquam se Papia abscessurũ, nisi ea recepta, prædicat: quinetiam uiribus
inferior, ne obsessis opem ferri patiatur, ad pugnam descensurus sit. Quod, si
forte præter multorum opinionem non præstiterit: tamen æquum est eos, qui
Papiæ inclusi sunt, & pro salute reliqui exercitus sese iam tertium mensem obsi
deri patiuntur, liberare: maximè etiam glorioſum est cogere potentissimum
Regem ad relinquendam iamdiu cœptam obsidionem. Cæterùm tantum mi-
hi desiderium cum ipso dimicandi quotidie suggeritur, ut (si sors pugnam ob-
tulerit) sperem illum nullo modo manus nostras euasurum: gloriamq;, & no-
men Cæsaris, ac uestrum adeò auctum iri, ut, non modo toti Italiæ, & Galliæ
formidandum sit: sed leges etiam imponere debeat. Audita Dauali hortatione
cum non solum Duces: sed milites etiam sese alacreis exhibuissent ad pugnam,
offerentq;, quoties iussisset, cõtra hostem exire, Getmanum peditatum etiam
admonet ut, parte stipendij accepta, quo cibaria in castris emere possent, reli-
quum expectare ne grauentur, quod ubi antea ab Hispanis promissum fuisse
audiuerunt, pariter sese idem facturos pollicentur. Reliquum igitur erat id etiã
equitibus persuadere: qui iam multo antè stipendium non acceperant: & diffi-
ciliores ad id faciendum uidebantur. Quare ad diuersa oræ transabduanæ, &
Cremonensis ditionis loca, ubi hyberna agebant, Daualus profectus eis per-
suasit, ut parte stipendij accepta & ipsi militare non recusarent. Atque ita rebus
cum exercitu constitutis Cæsariani hyeme nondum exacta Mélignanum pri-
mum profecti sunt, ut Mediolano ad decem millia passuum propinqui expe-
rirentur an Galli metu urbem essent deserturi. Sed postquam cognitum est nul
la signa timoris edere, mutato consilio ad expugnandum oppidum Sancti An
geli reuertuntur: quod fermè medium est inter Laudem urbem, & Papiam: ne-
que id ab re. Nam nisi eo expugnato à ciuitate Laudæ, ubi qui commeatum
adducebant, frequentes conueniebant quotidie, nulla fermè cibaria ad exerci-
tum deferri potuissent. Erant autem in oppido pedites Itali octingenti cum du
centis equitibus sub Pyrrho Gonzaga: & paulo antè Rex hostium aduentum
timens Iacobum Cabaneum magistrum equitum, & Federicum ipsius Pyrrhi
fratrem eò miserat, ut perspicerent an oppidum aduersus hostem satis muni-
tum esset, & quales militum animi uiderentur, amboq; Regi retulerant omnia
diligenter prouisa esse. Sed Daualus dispositis tormentis, ut primum mœnia
lustrauit, ad Moronum, qui pedibus ægrotus in urbe Laudæ substiterat, scri-
psit se in posterum diem tormentorum ui oppidum quassaturum, oppugna-
turum, atque expugnaturum: resq; literas comprobauit. Prostratis enim ali-
quot speculis, è quibus propugnatores tela, & scloppos emittebant, omnes,
qui præsidio intus erant, relicta murorum defensione intra arcem sese recipi-
unt. Tunc Daualus cum paucis militibus fossam (aqua enim licet profunda
esset, carebat) ingressus ab Hispano Centurione, qui lapidum fragmenta ma-
nibus apprehendens pileum rubrum lancea paulum supra muri altitudinem
eleuari iubet, dein apprehẽsum puerum toto capite supra murũ extollit: cumq;
nemo in eum eiacularetur, oppidi defensores aufugisse existimans Hispanus
saltu in murum euadit: Hũc statim insequutus est ipse Daualus. Quamobrem

admirati milites nõ ſolum ducis prudentiam: ſed etiam magnanimitatem, per muros introire in oppidum pergunt, donec per ingreſſos recluſa porta aditus omnibus patefactus eſt. Nec maiorem defenſionem qui in arcem confugerãt, fecere. Quin ſtatim omnes ſeſe Daualo dediderunt: quos equis tantũ armiſq; demptis, exceptis eorum ducibus incolumeis cum ueſtimentis abire permiſit, ea conditione ut trans Abduam ſeſe reciperẽt: nec niſi poſt exactum menſem, contra Cæſaris exercitum rurſus militarent. Quo effectum eſt ut eo die, præter adeptam gloriam, haud mediocrem etiam beneuolentiam hoſtium Daualus ſibi conciliarit. Igitur Rex expugnatione Sancti Angeli audita, cum Cæſarianos aduerſum ſe quamprimum profecturos minimè dubitaret, ne (quod initio nullo modo facere ſtatuerat) ab obſidione Papiẽſi recedere cogeretur, omneis copias, præter paucas, quæ trans Ticinum ad continendos in fide populorum animos intra oppida hyemabant, in unum contrahit: &, ut obſeſsis auxilium ferri prohiberet, in ualle, quàm Vernaula riuus perfluit, exercitum collocat ab ea parte, qua Cæſariani uenturi erãt. Atq;, ut tutior contra hoſtem foret, iamdudum Ioannem Medicem cum tribus peditum millibus, & trecentis equitibus conduxerat Sfortiæ infenſum quòd ab eo, cuius ſtipendijs hactenus militauerat, Gallo iam acriter bellum gerente non accerſiretur. Multos etiam alios ductores Italici generis ſolicitat, & præſertim Guidonem Rangonium Mutinenſem magni nominis uirum, & Franciſcum eius fratrem, ac præcipuè Ioan. Ludouicum Palauicinum, qui, erſi in Gallum ob ſupplicium Manfredi fratris aliquandiu malè animatus fuiſſet: tamen, ut contra Saluiatorũ familiam, & Ioannem Medicem, quorum potẽtiam ob Pontificis affinitatem formidoloſam habebat, præſidium ſibi pararet, poſtquam pecuniarum inopia à Franciſco Sfortia, & Cæſarianis militum præfecturã habere non potuit, quinquaginta equitum ductorem, & peditum tribunum ſe Regi requirenti obtulit. Euocati etiam à Rege ſunt duo millia peditum Italorũ Maſſilia nuper Saonam profecti, ubi ſuperiore æſtate pro eius urbis defenſione ſub Rentio Cerro militauerant. Sed dum prope flumen Vrbæ in agrum Alexandrinum peruenirent, Gaſpar Maynus Mediolanenſis, qui ab initio belli cum mille & ſeptengentis peditibus Alexandriæ tutandæ præfectus fuerat, cum parua militum manu urbe egreſſus illos de uia feſſos, nihilq; tale cogitanteis offendit: atque animoſè facto impetu eos, poſtquam paũlulum ſubſtitiſſent, fugat: fugientesq; inſequitur uſq; ad oppidum Caſtellatium: Cumq; unà ingreſſus eſſet, paucis eorum cæſis cæteri ſeſe dedidere. At Maynus armis, equisq; hoſtibus tantummodo demptis omneis incolumeis, præter duos centuriones, dimiſit: & non paruam inde retulit laudem, captis præſertim in ea pugna decem & ſeptem uexillis. Per id etiam tempus cum in caſtris Regijs militarent peditũ Chryſonũ circiter ſex millia, Ioan. Iacobus Medices Mediolanenſis, qui arcis Muſsi iuxta Larium lacum præfecturam gerebat, uafrè facto illos à Galli auxilio ita reuocare aggreſſus eſt. Clauena Rhætorum oppidum eſt non longè à lacus ſummo, ubi arx ſupra collem erat à domibus, quæ in oppido frequẽtes ſunt, haud mediocri interuallo ſeiuncta: quà, dum præfectus nihil tale ſuſpicatus fortè egreſſus eſſet, à Medicis militibus, qui non longè ab arce inter quaſdam rupeis collocati erant in inſidijs, cõprehenditur: accerſitaq; ad portam præfecti uxor timens cõiugi, quem milites ſtrictis gladijs occidere minitabantur, niſi ſtatim arcem traderet, illos intromittit. Atq; ita Medices accepto à ſuis peracti facinoris ſigno cum trecentis peditibus, quos propinquos iam adduxerat, per arcem ingreſſus oppidum in poteſtatem redigit: ac cõfeſtim tumultu in locis uicinis excitato non ſolum Chryſones, qui domi erant, in armis fuerunt: ſed eos etiam, qui cum Rege apud Papiã, militabant,

militabant, per literas reuocarunt, & cûm non profeciſſent literæ, bonorũ proſcriptionem minati omneis in patriam reuerti quamprimum iuſſerẽt: quod qui dem Regi plurimum obfuit. Nam cum hoſtes ad teli iactum propinqui eſſent, diſceſſus ſex millium peditum, præter attenuationem exercitus, cæterorum etiam fregit animos. Iamq; uincendi totam ſpem duabus tantum in rebus Rex poſuerat, unam ſcilicet in hoſtium rei pecuniariæ inopia, quę tanta erat, ut Germanis peditibus ſingulis ſex diebus dimidium numi aurei daretur, quo uix panem emere poſſent: & Hiſpani pedites tranſacto tempore, quo abſq; ſtipendio in caſtris permanere Daualo polliciti fuerant, iniuſſu ducum paſsim prædam quęrentes abirent: neq; in caſtris, niſi magna cum difficultate, reuocarentur: ita ut ad eos continendos neceſſe fuerit tantam tritici, & uini ſummam ſingulis eorum cohortibus dare, quanta ſeſe abſq; carne, aut alio obſonij genere alere poſſent. Quod nequaquam tamen fieri potuiſſet, niſi Moronus euentura multo antè proſpiciens, caſtellum caſtris propinquum, in quod magna uini, & frugum copia ex proximis uillis conuecta fuerat, ne à militibus diriperetur, magna diligentia ſeruari curaſſet. Altera ſupererat ſpes in ijs copijs, quas iam dele gerat Palauicinus: cui Rex mandauerat ut Cremonam modico Sfortianorum præſidio munitam occupare conaretur: & quam maximè poſſet, commeatum, qui inde ad hoſtium caſtra deferebatur, impediret. Quamobrem ille confeſtim cis Padum cum peditum duobus millibus, & quadringentis equitibus profectus Caſale maius ingreditur: & quia nulla mœnia cingebant, carris, uaſis uinarijs, cratibus, aggeribusq;, ut commodius poteſt, oppidum firmat: mox equeſtri procella uiatores, & colonos uillarum deterrere, & populari cœpit. Quapropter Sfortia, qui Cremonæ ſubſtiterat, magnis anxius curis ægrè à ciuibus, qui iam multa tributa contulerant, tantum æris exigit, quantum ſatis eſſet ad pedites mille quadringentos cõtinendos: quos cum paucis equitibus ſub Rodulpho Varano Camerinenſi militantibus, & cum leuis armaturæ turma ad corporis ſui cuſtodiam antea delecta, Alexandro Bentiuolo Bononienſi parere iubet: qui uel hoſte numero inferior, quam primum Caſale maius cõtendit. Palauicinus igitur, etſi propediem Franciſcum Rangonium Mutinenſem cum peditum, & equitum manu uenturum ad ſe non ignoraret: tamen parum ſibi à Sfortianis in præſentia timẽdum ratus, cum copijs ad pugnam egreſſus equites Bentiuoli primum in fugam uertit: ſed ubi Sfortiani omnes aduenerunt, reſq; cominus geri cœpta eſt, & Bentiuoli, & militum eius fortitudine pauliſper, qui cum Palauicino erant, pedem retroferunt, donec ipſe enixus ſuis animos addere in Sfortianos impetu facto equo excuſſus uiuus in hoſtium uenit poteſtatẽ. Atq; ita fuga undiq; exoritur: & Sfortiani hoſteis inſequuti una oppidum ingrediuntur. Capti permulti ex hoſtibus fuere, plures tamẽ diuerſa in loca abierant, neq; ullo poſtea in loco ſedem firmarunt. Magnam laudem huius pugnæ ſucceſſu Bentiuolus retulit: tãtumq; præſidij rebus Cæſaris, & Sfortianis attuliſſe uiſus eſt, ut bene de toto bello ſperare cœptum ſit: ipſiq; Sfortia, & Cæſariani duces magna lætitia ex tam fœlici euentu affecti ſunt. Imprimiſq; Daualus nihil cogitabat, niſi quomodo cum Rege abſq; loci incommodo congredi poſſet, ſperans quemadmodum & ipſe, & reliqui, qui Cæſari fauebant, in leuibus prælijs ſemper ſuperiores extiterant, ita etiam, ſi tota acie decertaret, uictoriam penes ſe fore: eiusq; erat ſtudium per diem plureis horas in equo eſſe, & caſtra hoſtium circumquaq; luſtrare, ut quo in loco Heluetij, in quo Itali pedites ſtationem agerent, ubi equitatus moraretur, ubi tormenta eſſent hoſtilia non minus ipſe, quàm hoſtis ſciret: foſſas etiam agrorum, uias, exitus, ingreſſusq; omneis uiarum propinquos optimè callebat. Noctu uerò ſæpe ad arma hoſtem excitabat: & modo à fronte, modo à latere urgens aliquando

integras

integras cohorteis cæcidit. Quo effectum erat ut formidabilis Cæsarianus exercitus Gallo iam esset, optimeq; consulere uidebatur Albertus Carpensis, qui Roma Pontificis nomine certos nuncios ad Regem mittebat, ut omnino decertandi occasionem uitaret: exercitumq; ita communiret, ut necessitate adductus cogi non posset ad pugnam. Breui enim fore ut exercitus hostilis pecuniæ defectu dissolueretur. At Rex, etsi uera Carpentem suadere cognosceret, & magno suo incommodo paulo antè Ioannes Medices idem belli scientissimus, atq; audacissimus in uelitari pugna scloppo iuxta pedis talum uulneratus fuisset ita, ut præ effracti ossis dolore Placentiam naue secessisset: tamen magno sibi dedecori fore existimans, si Papiensem obsidionem ob timorem intermitteret, minimè eos audiebat, qui inde discedere consulebant. Cæterùm Daualus, qui exercitum suum eò uidebat adductum, ut (nisi celerem reportaret uictoriam) paulo pòst discedendi necessitatem esset habiturus, euocatis in castra militibus, qui aberant, ac rebus omnibus ad pugnam paratis, ex omnium ducum sententia media nocte castra mouit: equitumq; duas, peditum autem quatuor acies instruxit: quarum primam ex duobus millibus Germanorũ totidemq; Hispanis admixtis Italis constituit: secundam ex solo Hispano peditatu: tertiam, & quartam ex Germano: cumq; Rex exercitum omnem inter castra Cæsariana, & Papiam haberet, à fronte, à tergo, & â sinistro latere præaltis fossis, & uallo castra munierat: à dextro autem muro Barci Papiensis se tutum esse credebat, præsertim quoniam intra palatium Mirabellum nuncupatum, ubi antiquitus Duces Mediolanenses, cùm uenationi darent operam habitare soliti erant, nonnullas equitum turmas, & peditum cohorteis disposuisset. Sed Daualus instructo exercitu per fabros lapidarios, militum etiam auxilio sexaginta muri passus tanto silentio prostrauit, ut strepitus ab hoste nusquam fuerit auditus. Itaq; cùm Barcum ingressus esset, prima peditum acies, cui Alphonsus Daualus Vasti Ammonis princeps præerat, Mirabellum: reliquum uerò exercitus ad Regia castra cõtendit: quo tactum est, ut confestim ad arma in exercitu Gallico conclamaretur. At Rex cuius castra superioribus noctibus aliquot in locis ab Hispanis infestata fuerant, suspicatus Cæsarianos Mirabellum profic sci, propterea quod intra Barcum hosteis uenisse plærique renunciarent, suis statim opem ferre decreuit. Iussis igitur militibus arma capere, castrorum relicta munitione Cæsarianis æquo loco pugnandi fecit potestatẽ: & cùm primũ agmen Hispanorũ obuiã habuisset, â scloppetarijs, quibus plurimũ ea gens ualet, Gallorum primi multa cæde, & sanguine coguntur retrocedere, donec Heluetij pedites, equitatusq; à latere urgens Hispanos repellũt, sed subsequuti Germani in cuneatam frontem aciem porrigentes, Heluetios post magnam illatam cædem profligant. Tum Rex magno equitum cataphractorum numero stipatus pugnam ingressus dum suos à fuga cõpescere enititur, equo grauiter icto effusus à quinq; Cæsarianis militibus capitur: statimq; Lanoius, qui casu eò aduenerat, corporis proceritatem, & armorum pulchritudinem miratus ipsum iam se, qui esset, palam ferentem in potestatem recipit. Eodem etiã tempore Alphonsus Daualus cum prima acie equites Gallicos, qui Mirabelli substiterant, sternit: & Antonius Leua cum Germano peditatu Papia egressus Gallos à tergo cædebat, donec fuga undiq; cœpta hemo amplius è tanto exercitu resistere auderet. Sed omnes, quibus primus impetus uitam non ademerat, se dedunt: ita ut præter postremam equitum aciem, cui Carolus dux Alanconij Regis sororius præerat, & qui statim conserta manu cum tota acie prælio se subtraxerat, pauci ex alijs, qui superfuere, Cæsarianorum manus euaserint. Cecidêre in ea pugna tùm ferro, tum fugientes Ticino submersi ex Gallorum exercitu supra octo hominum millia: equè primoribus totius

Galliæ

Galliæ circiter uiginti: inter quos fuerũt Gulielmus Gonfierius Ammiraldus, Leſcunus, & Iacobus Cabanneus magiſtri equitum (Galli Mareſcallos uocant) Ludouicus Tremellius Burgundiæ præfectus, Galeacius Sanſeuerinus ab armis, equiſq; ipſius Regis, magnus Scutifer nuncupatus, & alij quamplures. Rex ipſe captus cum reliquis ferè exercitus ducibus. Ex Cæſarianis uix ſeptingenti deſiderati ſunt: nemoq; è ducibus, præterquam Fernandus Caſtriota in acie occiſus fuit: tantumq; prædæ totus exercitus, & præcipuè Hiſpani tum è caſtrorum direptione, tum è captiuis congeſſerunt, ut præter ſummã laudem, & gloriam ſibi comparatam potentiſsimo Rege capto, & deletis eius copijs, ac recuperato Mediolanenſi imperio, nulli unquam in Italia milites ditiores effecti ſint.

GALEACII CAPELLÆ DE REBVS GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCI ſci II. *Mediolanenſium Ducis, Liber V.*

PRoſligato ad Ticinum Gallorũ exercitu, captoq; eorum Rege, duo potiſsimum impedimentũ attulerunt, quo minus Carolus Lanoius uictricia ſigna inferret in Galliã: quæ tanta accepta clade omni prorſus præſidio caruiſſet. Vnum, quòd ſine pecunia nõ poterat nouum bellum parari. Alterum, quòd niſi explorato Cæſaris animo tam arduam prouinciam aggredi haud æquum ducebat. Accedebat præterea quòd Regis captiuitate maximas controuerſias, quæ inter duos Chriſtianorũ potentiſsimos principes uarijs de cauſis obortæ aliàs fuerant, ſedari tum poſſe ſperabat. Quare Cæſarem quamprimum de uictoria certiorem facit. Quo autem id celerius fieret, Regem ad ſcribendum literas ad matrem hortatus eſt, quibus rogabat ut nuncij in Hiſpaniam proficiſcentes, & inde etiam rediturí tutò iter per Gallias agere poſſent: fore enim ut id ſibi magnopere proficeret apud Carolum Lanoium: cuius auctoritate, & gratia ſperabat à Cæſare libertatem adipiſcí. Quod non ſolum poſcenti ultro conceſsit mater: ſed nuncio etiam properanti alias ipſa dedit literas, quibus Cæſarem obſecrabat, ut humanę conditionis eſſet memor. Fieri enim poſſe, ut manſuetudinis, & clementiæ aliquando gratia referretur. Atq; id illi haud difficilè fuit exorare. Nam Cæſar, ut in Italia debellatum, & Regem captiuum eſſe intellexit, animum ad pacem extemplo adiecit: neq; ob tam inſignem uictoriam ullum lætitiæ edidit ſignum: ſed tantum ſupplicationibus gratias egit Dijs immortalibus, qui ſibi rerum in Italia componendarum tam facilem uiam aperuiſſent: ſimulq; Lanoio per literas mandat ut Regem ipſum & loquendo, & conſulendo ad idipſum hortaretur. Interea Lanoius accepta à Franciſco Sfortia Piſleonenſi arce Regem cuſtodiendũ eò adduxit: poſtmodum Papiam reuerſus, cùm magnum ſibi onus incumberet tot ſtipendiorum militibus perſoluendorum, magnam exercitus partem in Placentinum, & Parmenſem, ac etiam Regienſem agrum ire præcipit, ea ratione Clementem Pont. & Alphonſum Ferrarienſium ducem adducturus, ut pecuniam in exercitus uſum erogarent. Venetos etiam hortatur præſtare quod impenſæ amplius in bellum factum erat pro militibus, quos in auxilium mittere tenebantur, cùm ipſe in augendo Cæſariano exercitu eam rationẽ habuerit, ut numerum eorum expleret, qui ab eis mitti ex fœdere debuiſſent. Atq; tantus iam erat in Italia Cæſarianorum metus, ut paucis diebus Clemens Pont. uigintiquinq; aureorum millia, & Alphonſus Eſtenſis quinquaginta numerarint: Venetí etiam auri ſignati octingenta pondo polliciti ſint, ne hoſtium loco haberentur. Sed dum Lanoius ſpe conſequendæ maioris ſummæ moras nectit,

nectit, immutatâm Venetorũ offendit uoluntatem. Nam niſi renouato fœdere, & fide ab ipſo Cæſare data, Lanoio credere haud ſatis tutum exiſtimabant. Per eoſdem etiam dies pecuniæ, quæ iamdudum in Hiſpania à Cæſare mercatoribus Genuenſibus numeratæ fuerant, quæſtoribus in Italia reddunt. Quod uerò reliqui in ſtipẽdia exercitus debebatur, id omne Sfortiæ Duci neceſſe fuit perſoluere: ut tot milites, qui non modo oppida, & uillas paſſim uaſtabant: ſed intra urbem populaturi omnia uenire minabantur, à ceruicibus populorum deijceret. Atq; ita in Haſtenſem & Salutianum agrum, ac in Taurinos exonerata huiuſmodi procella Mediolanenſes ingenti periculo liberati uidebantur: niſi idem Lanoius, qui ſuperiore bello à Cæſare Mediolanẽſis Ducatus diploma Sfortiæ conceſſum penes ſe habere palàm dixerat, quo Italos principes certiores redderet ab ipſo Cæſare totius Italiæ regnum non affectari, ipſius iuſſu duodecies centena aureorum millia poſtulaſſet, ut Sfortia iuſtis Ducatus titulis inſigniretur. Neq; propterea ditionem Mediolanenſem à Cæſare uendi aiebat: qui maiorem tam in ea defendenda, quàm in adipiſcenda impenſam feciſſet: Cæterùm, cum id grauius onus, quàm quod ferri poſſet, uideretur, haud imprudẽter reſponſum fuit, Sfortiam propediem legatos ad Cæſarem miſſurum: ut quo ſtatu res Inſubrum eſſent, certior redderetur: neq; uereri quin multa de Lanoij petitione detraheret. Atq; ita in aliud tempus re huiuſmodi dilata, Lanoius Piſleonum ſeceſſit, ubi Franciſcus Galliarum Rex magna cura in arce cuſtodiebatur: cumq; crebris cum eo colloquijs multa de Cæſaris benignitate quotidie polliceretur, magnam ſpem Regi iniecit, fore ut ſi cum Cæſare cõgredi poſſet, in libertatẽ reſtitueretur. Et propterea Lanoium obſecrabat ut in Hiſpaniam potius, quàm Neapolim, quò ſibi proficiſcendum eſſe antea audiuerat, adduceretur. Neq; ad id minus intẽtus erat Lanoius: quippe qui & magna præmia, & haud minorem gloriam ſibi ſperaret comparare, ſi ipſius opera inter duos adeò potentes, eoſdemq; infenſiſsimos Reges beneuolentia conciliaretur. Quamobrem Regi perſuadet ut iter in Hiſpaniam à Gallis tutum reddat. Propterea q; Anna, quem Memoranſim ab oppido eiuſdem nominis uocant, unus è purpuratis Regijs ad Lodouicam matrem, cui ſtatim audita Regis captiuitate regni procurationem Gallia omnis demãdauerat, ire pergit: eiusq; iuſſu deductis è portu Maſsilienſi ſex triremibus Lanoium cum Rege profectum ad portum Delphini uiginti paſſuum millibus orientem uerſus à Genua offendit. Cumq; in illum uſq; diem ſemper dixiſſet ſe Regem Neapolim adducturum, tunc conuerſo ad occidentem itinere cum decem & ſeptem triremibus in Hiſpaniam ire properat. Accepto nuncio Lanoium cum Rege in Hiſpaniam ad Cæſarem proficiſci, reconciliationem inter eos tractari nemo amplius dubitauit. Quare in animos Italorum principum ſtatim irrepſit opinio Italiæ totius dominatum à Cæſare affectari: Regisq; Galliarum reſtitutione ingentem quæri pecuniæ ſummam: atq; ita Cæſari facilè fore, qui regnum Neapolitanum poſſideret, & in Inſubribus uictorem haberet exercitum, alias Italiæ urbeis, & loca in poteſtatem redigere: ab alijs pecuniam extorquere: quæ placerent diripere: militum hoſpitia arbitratu ſuo in oppidis, & ciuitatibus diſtribuere. Quo metu perculſi Clemens Pontifex & Veneta Reſpublica crebris literis, & legationibus hinc inde miſsis conſilium inire cœperunt, qua potiſsimum uia huiuſmodi coniunctionem impedirent: nihilq; magis conducere uiſum eſt, quàm Lodouicam Regis matrem Italiæ uiribus in ſpem filij liberandi inducere. Sed ad id peragendum cenſebant oportere Galliam Italiæ eſſe pacatam. Fore enim ut Cæſar rebus ſuis metueret, ſi inter ſe conſentientes tot principes perſpiceret: quorum auxilio potius, quàm proprijs uiribus, ſuperiora confeciſſet bella. Exiſtimabantq; Sfortiam Mediolani Ducem, ut ditionem

ſuam

ſuam onere Cæſarianorum militum liberaret, in eandem ſententiam uenturū, præſertim cum iamdudum à Cæſare inſignia, & iuſti Ducatus tituli nō niſi duriſſimis conditionibus, promitterentur: Atq; ut huiuſmodi coniunctione facilior Italiæ foret defenſio, per Hieronymum Moronum tentant Ferdinandum Daualum à Cæſaris obſequio diuertere: magnaq; propterea pollicentur præmia. Primùm ſcilicet totius Italicæ militiæ ducatum, Neapolitaniq; regni ſceptrum: quod, non modò communi principum ſumptu adipiſci: ſed etiam tutadò ſine dedecore, & proditionis ſpecie facere liceret, iuris ciuilis, & pontificij auctoritate demonſtrare conantur Neapolitanum ciuem (quòd ius eius ditionis ad Romanam Eccleſiam ſpectet) non poſſe ſolum à quocunq; alio abſque ignominiæ, aut defectionis nota, ut Rom. Eccleſię adhæreat, deſciſcere: uerum etiam ad parendum pontificijs mandatis obligari: atq; ita cum in ipſorum ſententiam tranſiſſe illum exiſtimaſſent, Sigiſmundum Alberti Carpenſium principis à ſecretis deligunt: quem in Galliam mittant ad fœdus cum Italis principibus tractandum. Verùm, ſeu quòd in itinere interceptus eò non peruenerit, ſeu quòd Rex in Hiſpaniā traiectus maluerit pace, quàm bello de libertate ſua cum Cæſare agi, Galli non, ut antea, Italici fœderis cupidi uidebant. Quinimò, ut filio captiuo Lodouica mater morem gereret, Margaritam filiam ex morte Caroli Alanconij Ducis paulo antè uiduam in Hiſpaniā unà cum legatis mittere nō recuſauit. Quod quidem popoſcerat Rex, ut Cæſari gratificaretur: quiam animo agitabat Heliodoram ſororem ſuam, quam Carolo Borbonio ſuperius pollicitam retulimus, Franciſco Regi, ipſius autem Regis ſororem Borbonio in matrimoniū tradere: atq; ita illum in Ducatum, quo obſequutas ipſius parteis fuerat expulſus, reſtituere. Cum ergo Legati in Hiſpaniā applicuiſſent, inducias primum ſex menſium fecerunt: quibus Carolo Borbonio iter tutum ex Italia ad Hiſpaniam pateret. Mox, cum ad conditiones pro Regis reſtitutione allatas deuentum eſſet, Cæſarq; totius Italiæ ditioni, nec non prouocationibus Belgicæ inferioris, quæ ad Senatum Parrhiſienſem pertinebant, ac imprimis Burgundiæ renunciari à Gallo uellet, legati inter cætera mandatum habere ſignificant, ne quid ullis conditionibus tranſalpini regni imminui paterentur. Cumq; aliter Cæſaris animus ad pacem haud inclinaretur, unà cum Regis ſorore, quæ Caroli Borbonij nuptias confeſtim aſpernata fuerat, in Galliam re infecta rediêre. Quamobrem Rex, qui ex Hiſpania abeundi nō paruam ſpem in ea legatione poſuerat, animo conſternatus in aduerſam ualetudinem incidit: & niſi Cæſar ægrotum uiſitaſſet, bonoq; iuſſiſſet eſſe animo, in magno uerſabatur uitæ diſcrimine. Sed Cæſaris comitas, renouataq; ex illius oratione libertatis ſpes breui hominem ad priſtinam reduxit incolumitatem: idq; maximè ut ſperaret, præſtabant nunciij, qui ſæpe ad illum ueniebant: clamq; ſignificabant quotidie Cæſarem à ſuis in Italia moneri, ut pacem Gallicam honeſtis conditionibus non aſpernaretur: neque ſineret Gallos Italis iungi: periculum enim imminere ne diſſoluto exercitu, qui rei pecuniariæ inopia diutius contineri non poterat, non modo eius auctoritas in Italia: ſed regnum etiam Neapolitanum in diſcrimen adduceretur. Atque ita ſerò coactum iri quomodocunque pacem à Gallo accipere: quam in præſentia maiore commodo dare poſſet. Quæ cùm ueri ſimilitudinem habere uiderentur, ualdeq; Caroli Imperatoris animum mouerent, illud etiam magis mouit, quòd Ferdinandus Daualus quæcunque in Italia aduerſus Cæſarem acta eſſent, per certum nuncium patefecit: nec de ſe malè amplius permiſit ſuſpicari. Nam antea & Antonij Leuæ, & Ferdinandi Marini exercitus quæſtoris literę multa à principibus Italiæ haud è re Cæſaris tractari ſignificauerant: nec poterant plærique

non

non admirari, quòd Daualus, cui totius exercitus demandata erat cura, in tanto negocio nihil scriberet. Incertum autẽ est an ad id impulsus fuerit, siue quòd Francisco Sfortia in grauiorem ualetudinem, & in summũ uitæ discrimen præter spem redacto, maluerit ipse (si illi mori cõtigisset) præesse Insubribus, quàm cum maiore periculo maiorem dignitatem quærere: siue quòd eo animo simulauerit se Cæsari iratum, suamq; aduersus illum operam petentibus non negauerit, ut aduersariorum cõsilia intelligeret, atq; ita eorum conatus facilius posset infringere. Patefacta igitur principum Italorum coniuratione Cæsar statim Daualo rescripsit, ut quoquo modo ei melius uideretur, prouideret ne quid res suæ detrimenti acciperent. Itaq; Daualus reuocato ex Taurinis exercitu, ubi per æstatem statiua habuerat, Mediolanum uersus præter omnium spem uenit: & cum primum Nouariam applicuit, per literas Hieronymum Moronum ad se euocat: qui (ut erat callido ingenio, & in indagandis hominum consilijs perspicax) nonnullis rumoribus edoctus ei parum fidebat. Sed cum Daualus nihil non fuisset pollicitus, ut ad se uenire non recusaret, Moronus sperans uirũ famæ, & honoris cupidissimum nunquam adductum iri, ut contra datam fidẽ quicquam mali, in se præsertim amicissimum, moliretur, Nouariam uenit: multaq; cum illo collocutus, dum discessum parat, Antonio Leua ita iubente à militibus comprehenditur: quo nuncio consternatus Franciscus Sfortia Iacobũ Philippum Saccum ad Daualum mittit, ut suam erga Carolum Cæsarem uoluntatem, & obseruantiam declararet. Sed quoniam Moronus uel ea potissimum ratione coniectus erat in carcerem ne hominis ingenium, quod ipsi multoties aliâs usui fuerat, in præsentia officeret, ijsdem artibus, quibus Moronum ad se traxerat, benignè, & comiter allocutus oratorem illum ad hortandũ principem pellexit, ut ciuitates, & munitiora loca Cęsaris nomine sibi custodienda traderet. Fore enim ut cognito eius animo, atq; erga Cæsareã maiestatẽ promptitudine, & fide sedatis suspicionibus, quæ non temere de Pontifice, & Venetis indies suboriebantur, protinus restituerentur: gratiorq; Princeps efficeretur Cæsari. Quæ quidem, etsi grauiora essent, quàm ut tam facilè deberent concedi: tamen, ut declararet imperium, quod à Cæsare acceptũ habere semper præ se tulerat, paratum ad eius utilitates reddere, & ne tantam in se Cæsarianorum uim concitaret, cum omnia ab Italiæ principibus adhuc imparata essent, præter Mediolanensem, Cremonensemq; arceis, quas ad corporis sui tam male ex longa ægrotatione cõfecti custodiam reseruauit, reliqua totius ditionis loca, ac ciuitates Daualo concessit: confidereq; haud minus innocentia & benignitate Cæsaris, quàm Dauali pollicitationibus uidebatur: qui se nil præterea innouaturum non semel affirmauerat. Sed principem statim fefellit opinio. Nam Daualus cum primùm munita loca præsidio firmauit, cum ualida Germanorum, & Hispanorum peditum manu, ac nonnullis equitibus ad urbem gressum dirigit: nemineq; aduersante, distributis intra priuatas domos militibus, extemplo sibi postulat arcem dedi. Res profectò haud æqua, ut iam non modo id agi uideretur, quo rebus Cæsareis consultum esset: sed ut Princeps causa indicta nõ modo Ducatu, sed etiam libertate spoliaretur. Serò itaq; Sfortia agnoscens se nimiam Dauali uerbis fidem adhibuisse, passus est se potius obsidione cingi, quàm Daualo, aut Cæsarianis amplius confidere. Interea Carolus Cæsar, qui ob ea, quæ Mediolani agitabantur, planè cognoscebat ut magis, & magis à se principum Italorum animi quotidie alienarentur, satius duxit conditiones à Rege captiuo oblatas nõ aspernari, quàm ansam relinquere ut Lodouica eius mater Clementi Pont. atq; Italiæ principibus iungeretur, præsertim cum post infectam cum legatis in Hispania pacem fœdus cum Henrico Angliæ Rege renouatum esset: atq; ad id incitabat, quòd rex libertatis desiderio Burgundiæ cedere

cedere pollicebatur: dicebatq; se effecturum ut tota Gallia, postquam in regnũ esset profectus, consensum præbere haud abnueret: qua spe ductus Imperator pleriscp; eius consiliarijs, maximè Carolo Lanoio, & Henrico Nausonis comite ita suadentibus, fœdus ijs conditionibus cum Rege icit, ut rebus Italiæ omnino cederet: Senatum Parrhisiensem à Flandriæ prouocationibus abdicaret: Burgundiam restitueret: utcp; ipsi ad sumendam imperij coronam in Italiã uenturo peditum sex millia, equites cataphractos sexcentos cum totidem sagittarijs penso in semestre stipendio in auxilium præberet: procp; ijs obseruandis, & donec libertate adepta promissa denuò sibi rata fore iuraret, filios duos natu maiores daret obsides: utcp; pax firmior, & fœdus arctius iungeretur, Heliodoram eius sororem uiduam in matrimonium acciperet: ex qua si filios contingeret nasci, Burgundiæ dominatum eis reddere Cæsar pollicebatur. Atcp; in hunc modum inita pace minus iam rebus Italiæ sibi timendum existimans, Pontifici haud auscultabat quotidie pro restitutione Franciſci Sfortiæ oranti: necp; culpam transferebat in Daualum, quem ille omnium aduersus Cæsarem actorum reum arguebat, cùm patefactis ab eo aduersariorum consilijs de fide ipsius dubitare minimè æquum uideretur. Itacp; cùm nulla à Cæsare refulgeret spes Sfortiæ liberandi, statim Pontifex, & Veneti animum ad Regem Galliarum conciliandum adiecerunt: quem eo animo fœdus cum Cæsare existimabant percussisse, ut cum ad suos redijsset, causam quæreret non seruandæ pacis. Propterea ad eum in Gallias mittunt gratulatum pro recuperata libertate, & ad suos optatissimo reditu mandatacp; legatis præbent fœderis percutiendi: quod postmodum initum est his conditionibus: ut Gallus omni ditione Italiæ, excepta duntaxat Hastensi ciuitate, cedat: quotannis autem per Franciscũ Sfortiam ei pendantur quinquaginta aureorum millia: ipsumcp; non solum Mediolanense imperium possidere patiatur: sed etiam unà cum Pontifice, & Venetis teneatur communi sumptu in paternum imperium restituere. Quod uerò ad Neapolitanum regnum attineret, eligendum esse Regem, qui septuaginta aureorum millia in singulos annos Regi persolueret: huiuscemodicp; tributis eum cõtentum esse debere: exercitum quoque per Pontificem, & Venetos parari tanto equitatu, peditatucp; tum Italico, tum ex Heluetijs, ut Cæsarianis esset numero superior: sustentandoscp; stipendiorum sumptus, donec penitus exercitus Cæsarianus Italia' pelleretur. Quo percusso fœdere Pontifex, ut belli gerendi iustam haberet causam demonstraret, ad Cæsarem in hæc fermè uerba literas dedit. Non opus esse arbitramur longo sermone ad demonstrandũ quo studio, quibus ue curis à nostri Pontificatus initio tum pacem communem totius Christiani nominis, tum priuatim tuam nobiscum coniunctionem procurauerimus. Sunt enim omnia acta, cogitatacp; nostra tibi æquè nota, ac nobis. Illud uerò silentio præterire non possumus, nihil nos unquam prætermisisse, quod uel ad boni patroris erga uniuersum gregem officium, uel priuatim ad fidelis amici animum erga te pertineret: cuius tamẽ uoluntatis, atcp; amoris erga te nostri eum sumus exitum consequuti, ut repulsi à beneuolentia, & coniunctione tua semper fuerimus. Quo circa ad ea consilia, à quibus & natura, & uoluntate omni tempore abhorruimus, necessariò sumus compulsi: licet serius, quàm & rerum indignitas, & honoris nostri, publicicp; cõmodi ratio postulabat. Iam enim patientia nostra ad negligentiam Rerumpub. conuertebatur, nisi tandem arma capemus: quæ & iusticiæ, & Italiæ libertati, & nobis ipsis præsidio essent. Etenim (ut causas breuiter attingamus, quibus adacti sumus ita facere) meminisse potes antequam ad Pontificiam dignitatem assumeremur, nos summopere tibi addictos fuisse: & quo rerum tuarum is exitus esset, quem tutè optabas, necp; laboribus, necp; periculis, aut impẽsis nos peperciſſe: & postquã ad Pontificatus

honorem uocati fuimus, tuiq; hostes magnas in Italia copias habebãt, etsi prò dignitate abstinendum nobis ab armis operæprecium fuisset: tamẽ ne te, tuaq; negocia impedita relinqueremus, nõ solum Florentinorum auxilia: sed etiam Rom. Ecclesiæ copias in tuis subsidijs, & castris uersari permisimus: nec pecunias cessauimus tuis suppeditare, donec depulsum illud periculũ fuerit. Quod si idem postea in sequenti bello, quod ad Ticinum confectum est, non præstitimus, id non uoluntati nostræ erga te imminutę: sed pontificatus dignitati, quę communis in nobis patris personam exposcit, potius attribuendum est, presertim cum tu ipse uidere potueris, quæ nobis esset cura rerum tuarum. Nam iusto cietatem hostium tuorum sequi uoluissemus, magna nobis prędmia non solum proponebantur: sed iam parata erant: & tui tam facilem uictoriam nunquã nacti fuissent: ob quam, cùm sublata omnis cõtentio uideretur, cum tuis ducibus fœdus iniuimus: & quo ali, ac sustineri exercitus tuus posset, plusquam medio crem auri summam dedimus ea conditione, ut à finibus nostris exercitus abduceretur, restitueretur q; pecunia, si tu fœderi cum illis inito nõ cõsentires. Quod quanquam minimè apud te ratum fuerit, nihilominus neq; aurum récuperauimus, & contra fidem datam in Romanæ Ecclesię locis diutius exercitus tui bona pars uersata nullum crudelitatis, nullum auaritiæ, aut immanitatis genus in nostros prætermisit. Quamobrem cum ita à te, & à tuis accepti essemus, ut nulla meritorum nostrorum ratio haberetur, nemini mirum esse debet, si quę in tui detrimentum à Ferdinando Piscario occulta consilia haberi cœperant, cum ad nos delata essent, nõ penitus aspernati sumus. Cæterùm cum tui Mediolanense imperium occupassent, circumuallareq; perrexissent Franciscum Sfortiam à te toties declaratum Mediolani Ducem, tantam indignitatem (ut uerum fatear) ægrè quidem tulimus: & cunctis propè Christianis principibus auxilium conferentibus, pro communi Italiæ periculo non negleximus arma capere: ita tamen ut legatum tuum, qui pro componendis (uti aiebat) rebus uenerat ad nos, interea audiremus: & relapsi in pristinam conciliandæ amicitiæ spem, & perpetuitatem, & beneuolentiæ nostræ fructum tibi polliceremur, modo per te Mediolanensium Duci (etiam si quo pacto errasset) clementia impartiretur: sine qua res Italiæ eo tempore securitatem habere non poterãt. Sed tu plus iniquis tuorum, quàm par erat, consilijs fidei adhibens pro clementia iusticiæ rigorem obtulisti: quæ tamen nescio quo modo iusticia appellari possit, cùm iudicium, atq; sententiam pœna anteceserit, & Princeps, tui hactenus semper obseruantissimus, indicta causa iam septimum mensem acerrimam tuorũ obsidionem patiatur. Quibus tot, & tantis causis de te diffidere, & quodammodo desperare coacti sumus: nostramq; amicitiam, quam tu toties repudiasti, multis, & magnis principibus adiungere: quorum optimum in Christianã Rempanimum si essemus aspernati, non pastoris & communis patris laudem, sed superbi, & insolentis nomen acquisiuissemus. Habes rationem actorum, & consiliorum nostrorum: quę idcirco à nobis summatim explicata est, ut non solum coram Deo (is enim inspector est cordis) sed etiam coram hominibus testatam optimam uoluntatem nostram relinquamus. Dum hæc fierẽt, Franciscus Sfortia in arce Mediolani inclusus diutius obsidionem tolerare nõ poterat. Quamobrem Antonius Leua, Alphonsus q; Daualus, qui mortuo Ferdinando Daualo rerum Mediolanensium administrationem susceperant, quęcunq; onera, uel intolerabilia urbi imponere in animum inducũt potius quàm Principi obsesso opem ferri patiantur: imprimisq; ciues, qui iurare in uerba Cæsaris recusabant, nisi sibi cautum esset Cæsareum dominatum haud iniquum fore, modo æqua pollicendo, modò metu ne deteriora contingerent, iusiurandum facere compellunt. Postremò, cum diuturna stipendij inopia, imminẽtisq; belli metu

opus

opus esset pecunia, à plurimis, qui mercatura, aut opificio diuitias comparauerant, non paruam efflagitãt auri summam: pignoribus q; ablatis, & carcere detrectanteis ad erogandum pecuniam cogunt. Quare senatus, populus q; Mediolanensis conuentu inter sese habito, omnes uno ore coram legatis Cæsaris queruntur, non modò uillas oppida q; diuturno militum sumptu quotidie exhauriri, agros q; colonis passim discedentibus incultos remanere: sed etiam in urbem ipsam, & ciueis manus iniici, priuatas q; pecunias contra toties promissam fidem extorqueri: à quibus cum temperari posthac efflagitarent, omnia q; sese facturos Cæsariani pollicerentur, hoc animo Mediolanenses discessere, ut si cuipiam postmodum pro eroganda pecunia uis inferretur, uicinorum implorata ope arceretur iniuria: & ut huiusmodi decreto Deus Opt. faueret, supplicationes à summo Virginis matris templo ad diui Ambrosij tutelaris cædem triduum decernunt. Sed nihilominus Cæsariani, quibus cordi magis erat habere pecuniam, quàm pollicita obseruare, missis satellitibus in priuatam fabri cuiuspiam domum, cui nudiustertius aureos quingentos numerare imperatum fuerat, totam urbem tumultu cõcitarunt. Dominus enim domus, cùm sibi per uim aufferrentur pignora, correptis repentè armis, auxilio q; uicinorum implorato, abire coëgit satellites: qui cùm paulo pòst Antonij Leuæ iussu, ad quem factum retulerant, alijs adiunctis redijssent, portas q; domus occlusas perfringere conarentur, à uicinis pariter omnibus ad arma conclamatum est. Ita q; paulo pòst tumultus totam urbem peruadit: nec q; quicquam tamen ultra eo die tentatum est, quàm ut uis arceretur. Perterritus subito tumultu Antonius Leua è curia per minus frequentem urbis partem ad loca arci proximiora, ubi tria millia Germanorum peditum ad arcis obsidionem collocata erant, se contulit: collecta q; peditum manu, & Gaspare Mayno non paruæ auctoritatis inter ciueis comitatus, qua populi armati turba densior erat, ire pergit: hortatur q; ut depositis armis digrediantur: nec q; huiusmodi tumultibus minimè profuturis omnia misceant. Idem etiam alia ex parte faciebat Daualus, qui eo æquiore animo audiebatur, quo minus populo erat inuisus. Ita q;, cum diei fermè dimidium totam urbem perequitassent, ea conditione populus ab armis discessit, ut Cæsar, eius q; legati uectigalibus contenti priuatæ parcerẽt pecuniæ: nec q; ullum præterea militem, quàm quos ab initio ad arcis obsidionem posuerant, in urbem adducerent. Sed cum postero die nonnullos ex Hispanis ducibus aduentaneis uidissent, crebris q; nuncijs admonerentur integras cohorteis peditum, equestreis q; turmas properare ad urbem, prẽmissis aliquot ad Alphonsum Daualum, & Leuam patritijs, qui resumendorũ armorum causam in ipsos impingerent, magno adeò tumultu totam urbem concitarunt, ut de linquenda urbe Cæsariani deliberauerint. Cæterùm cùm magnum populi numerũ ad curiam diripiendam, ubi rerum criminalium præfectus cum peditum manu diuersaba tur, accurrisse cognouissent, reuocatis animis uias trabibus tabulis q;, quo melius fieri poterat, obuallare pergunt: & ab arcis custodia ad populum se conuertunt. Quo factum est ut in ipsa arce obsessi erumpendi occasionem diu tentatam nacti sint. Nam Princeps multorum pollicitationibus fretus, qui magna sese facturos iactauerant, emissa militum manu statim munitiones hostium occupat. Sed ubi qui opem, aut commeatum ferat, cõspicit neminem, abiecta auxilij spe iam clamorem, & strepitum in urbe paulatim sedari audiens, suos intra arcem recipit. Interea multi pugnæ insueti, multi etiam ob direptam curiam præda onusti abire, & signa pro libito deserere adeò, ut quibus tutandæ patriæ maior cura erat, animus deficeret: nec spernendæ à Cæsarianis oblatæ conditiones uidebantur: qui præter Germanos ad obsidionem arcis iam pridem positos, cæteros milites non modò ex urbe: sed ex agro Mediolanensiũ amouere

promittebant. Itaque, cum à solis occasu ad ortum incerto euentu pugnatum esset, utrinque ab armis discessum est: aliquotq; posteà diebus quieta urbs uidebatur: licet plærique id Cæsarianos potius, quia è re sua esset, eo tempore ab armis cessasse, quàm ex animo promisisse existimarent, præsertim cùm multi ex militibus non modò sese in Mediolanenses malè animatos palàm iactarent: sed breui asseretent uindictam sumpturos. Necq; secus erat putandum, cum à Pontifice, à Venetis, ab Heluetijs, à Gallia imminẽte bello necesse Cæsarianis esset nihil intentatum relinquere, quò tot hostium impetum sustinerent. Principium igitur à nonnullorum ciuium relegatione factum est: qui maiorem antea gratiam Cæsarianorum promeruerant, cum in superioribus bellis ad arma toties aduersus Gallos sumenda alacreis sese exhibuissent. Hoc enim Cæsariani ob Sfortiani nominis studium habebant cæteris suspectiores: & tumultus paulo antè in urbe concitati culpam in illos transferebant. Quod ubi populo renunciatum est, indignatus occasionem quæri, qua ducibus suis (si facto denuò opus esse contingeret) priuaretur, ad amouendam eorum suspicionem uades dare promittit. Sed dum nonnulli ex ijs, qui pro uadibus nomina profitebantur, minus probarentur à Cæsarianis, populusq; nolle quenquam è ciuibus relegari etiam atq; etiam contenderet, & in ciuitate non deessent seditiosi, qui omnia cuperent tumultu misceri, primo delegatis, & Cæsarianorum ducibus palàm obloqui, mox arreptis armis (si quempiam militum, maximè ex Hispanica natione, nacti essent) trucidare, spoliatumq; necare: & quamuis id primatibus, & ijs præcipuè, quibus ciuitatis salus erat carior, displiceret, ac centuriones cum aliquot armatis per urbis portas dispositi essent, ad propulsandas populi aduersus Cæsarianos iniurias, tamen tantus facinorosos furor inuaserat: totq; milites præsertim Hispani, qui propius urbem Ducum suorum iussu se contulerant: in horas nihil tale metuentes adueniebant: ut ipsi Centuriones ad huiusmodi amentiam compescendam non sufficerent. Hanc occasionem nacti Antonius Leua & Alphonsus Daualus, tum ut militibus prædæ auidis morem gererent, tum etiam ut parere docerent Mediolanensem populum, denunciarunt protinus sese nulla amplius promissorum fide erga ciuitatem tenerí. Atq; idcirco ea parte, qua stationem suorum posuerant, uallo, & tormentis per noctem munita, collecto militum agmine improuisò alia ex parte egressi primum occiso quodam ex infima plebe, qui caput honoris causa detegere (ut moris est) coram ipsis aspernabatur: mox tribus alijs, quos in uia obuios habuerant, trucidatis initium pugnæ præbuerunt: igneq; ex turri accenso signum cæteris accedendi ad urbem dedere. Commouit uniuersos ciueis tam inopinata cædes: quæ ipsis Alphonso Daualo, & Leua non modo præsentibus: uerùm etiam iubentibus hostiliter erat ædita: nec quisquam tam pacato animo in ciuitate fuit, qui non uel cum omnium fortunarũ & uitæ periculo, arma capescenda censeret. Sed nullus eo tempore Cæsarianos timor inuadebat, quippe qui supra mille armatos, præter eos, qui arcem antea obsidebant, paulo ante clàm introduxerant: occupauerantq; plæraq; loca urbis eminentiora, unde à sclopetarijs crebris ictibus Mediolanenses interficiebantur. Quare multi è ciuibus abiecta omni uictoriæ spe, præmisso tubicine deligunt oratores: qui benigna oratione Cesarianorum ducum iram lenire studeant. Sed cum in eo duces persisterent ut suspecti emitterentur, à populo in cõcione acclamatum est minimè æquum esse, cùm totus exercitus hostiliter ad urbem appropinquaret, ut inde exirẽt, qui præsidio forent ciuitati. Atq; ita redintegrata pugna miserabilis erat tam inclytæ urbis casus. Germani enim in propinquas domos ignem iniecerant, ne Mediolanenses è tectis, & speculis suos interficere possent: ipsiq; è turriculis, & fenestris, quas militibus munierant, passim prosternebant ciueis: nec quisquam

quisquam in eo prælio uiuus capiebatur: sed ubiq; uulnera, cædes, incendia ap parebãt. Redacta in tanto discrimine ciuitate, cum Leua, & Alphonsus Daualus perspicerent (si reliquæ Hispanorum peditum cohortes in ipso pugnandi ardore intromitterentur) non solum urbem direptioni obiectum iri: sed eundem cædibus fore finem, qui & militum foret satietati, duces nondum ingressos admonent, ne absq; ipsorum iussu ciuitatem introeant: audientesq; populum de pugna fessum esse, & non solũm eos, quos antea exire iusserant: sed maiorem etiam numerum migrare uelle, ab armis hinc inde cessatum est, cum à solis occasu ad nonam diei horam utrinq; armati stetissent, maximoq; ciues uidebantur soluti periculo, nisi paulo pòst cognouissent diem illum tot malorum, quæ postea secuta sunt, fuisse initium.

GALEACII CAPELLÆ DE REBVS GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCISCI II. *Mediolanensium Ducis, Liber* VI.

POstquam ex eius diei pugna innotuit quantum Veterani milites inconditæ multitudini præstarent, mœstitia, & dolor, qualis in capta urbe esse solet, in omnium animo & uultu apparebat. At Cæsariani uoti compotes urbem ingressi obseptas uias recludi, sibiq; à ciuibus nõ militarem uictum: sed opiparè, ac perquam eleganter parari imperant: designatisq; per totam urbem hospitijs, militum arbitrio cogũtur ciues, præter epulas, etiam uestes, & indumenta præbere: quibus sumptibus, & interdum etiam cõtumelijs, & uerberibus uexati multi quotidie uel relicta supellectile, uxore, & liberis tot impendentium periculorum metu abibant: necq; bonorum publicatione, aut ædium ruina, quas milites à fundamẽtis in odium fugientium demoliebantur, retineri poterãt. Interea Pontifex, & Veneta Resp. undiq; coactis militibus duces suos in Insubres maturare imperabant, ut iuxta fœdus cum Francorum Rege paulo antè initum, Cæsarianum bellum aggrederentur: Franciscoq; Sfortiæ iamdudum obsesso opem ferrent. Quod cùm Alphonsus Daualus, Antoniusq; Leua prospicerent, necq; esset dubium quin Veneti Laudem ciuitatem essent tentaturi, ut ibi sedem ad omnia belli exequenda negocia constituerent: propterea treis Hispanorum peditum cohorteis præsidio urbis collocauerant: qui cùm Mediolanum à suis direptum iri existimarent, nullo iussu retineri potuerunt, quin statim ad urbem aduolarent, relicto in ciuitate Laudæ sub Fabricio Maramaldo Italorum peditum septingentorum præsidio. Cæterùm ij Duce suo ita permittente in ciueis nullum prætermittebãt insolentiæ genus: adeò ut plærique de fuga potius abiecta rei familiaris cura cogitarent, quàm diutius in huiusmodi seruitute uiuere, nisi Lodouicus Vistarinus patritius, qui cum Cæsarianis militabat, adiecto ad liberandam patriam animo, clàm pactis cùm Francisco Vrbini duce, ac Petro Pisaurio legato Veneto conditionibus, iuuenes aliquot delegisset: quorum operam in tradenda Venetis urbe strenuã sperabat fore. Itaq; admonito Vrbinate ut quàm secretius fieri posset, noctu cũ parte copiarũ ad urbem appropinquaret, ipse in aliquot uicinis domibus suis dispositis, assumptisq; tantum secum duobus comitibus ad turriculam quandam, ubi sex tantum pedites excubias agebant, pergit animaduersurus in eos, nisi uigilanteis offendisset, subsequutisq; paulo pòst ijs, qui facinus aggredi parabant, tanta celeritate omneis comprehẽsos necauit, ut strepitus nusquam sit exauditus. Patrata huiusmodi cæde Vistarinus per uallum demissus ad urgendum Venetorum aduentum properat antequam Maramaldus, aut alius quispiam facinus resciret: adeoq; fauit fortuna, ut Veneti prius traiecto Abdua

fossas,& munitiones urbis transirent,quàm hosteis aduenisse quisquam intelligeret.Cæterûm re tandem cognita Maramaldus collectis suis omnibus in arcem se recipit:quam deserere turpe existimabat,nisi prius ab Alphonso Daualo,& Leua admoneretur quid sibi in tanto rerum discrimine agendũ esset. Sed cùm magni momenti Cęsarianis huiusce urbis amissio uideretur,extemplo Hispani omnes Mediolani in armis fuerunt:& ad tria millia peditũ ciuitate egressi cum Alphonso Daualo,& Ioanne Vrbina tribuno ante horam diei quintam per arcem urbem ingressi adiunctis Maramaldi peditibus usq; ad forum perueniunt.Iam Franciscus Vrbinatum Dux cum magna exercitus Veneti parte introierat:uicosq; omneis,ac domos plurimas, quæ ad eam portam, quà ipse intrauerat,respiciebant,præsidio munierat ea de causa, ut si maior ingruisset hostium uis,iter sibi liberum ad discessum pateret. Quare haud segniter ab Hispanis,qui urbem recuperare conabantur,dimicatum est:& non semel tentatum, si qua possent Venetos præsidio deijcere. Sed cùm illi acriter repugnarẽt, & cominus gladijs,atq; hastis, eminus etiã scloppis certaretur, Hispani, qui potius Laudem urbem amittere,quàm Mediolanum in discrimen adducere uolebãt, & ad protrahendum ibidem bellum nihil parauerãt, reductis secum peditibus Italis,qui cum Vistarino haud cõsenserant, relicta etiam arce Mediolanum reuertuntur: statimq; Germanos mille & quingentos Papiam ire iubent, ne ea quoq; ciuitate amissa omnis abeundi uia (si quid durius incideret) præcluderetur.Equites etiam tam grauis,quàm leuis armaturę Mediolanum reducunt, uel ut tutiores contra hosteis essent,uel ut maiore sumptu Mediolanenseis grauarent:quibus adeò erant infensi,ut nonnunquam ciueis, & matronas, ac etiã pueros domi uinctos asseruarent,tanquam sumptuum obsides: reliquamq; familiam mancipiorum loco haberent: uidereq; erat tabernas passim occlusas, Deorum templa nullis ornamẽtis referta,quæ cum omni lautiore supellectile, & mercimonijs passim in caueis,& terræ uisceribus abscondebantur:quanquã id frustra à multis fiebat.Nam & seruos,& ancillas,in quibus maior erat suspicio,milites cogebant ubi ciuium bona absconderentur,manifestare:& ipsi tanquam canes sagaces armorum, quæ ad se iusserant conferri, perquirendorum prætextum habebant,ut omneis domus latebras rimarẽtur:etsi quidpiã,quod placeret,aderat (nam quisq; fortunarum hospitis sui arbitrium sibi uendicauerat) protinus auferebatur:ipsiq; Antonius Leua,& Daualus,ac Carolus etiam Borbonius, qui nuper ex Hispania à Cæsare Insubribus præfectus redierat, adeò milites debacchari permittebant,ut uniuersi ciues supplices peterẽt relictis facultatibus abire quò uellent,sibi licere,ut saltem à militum iniuria corpora libera essent. At Borbonius meliora illos sperare hortatus, deumq; optimũ testem inuocans primis tormentorum hostilium ictibus caput suum deuouebat,nisi numerato aureorum triginta millium tributo, quibus menstruum stipendiũ militibus dare posset,ex templo tam graui onere liberaret urbẽ. Quod mortis genus creditum est illi postea Romæ ob periurium contigisse:frustra enim intra paucos dies à Mediolanensibus pecunia exacta est: & nihilominus Hispani in uexandis ciuibus adeò perseuerarũt, ut reperti sint qui tot erumnarum tædio sibimet laqueo mortem consciuerint:quiq; è sublimi nonnunquam præcipites sese dederint.Verùm apud plærosq; plusquam Borbonij pollicita, spes Laudensis uictoriæ poterat.Nam cùm ciuitatem illam tam segniter à Cæsarianis in hostium potestatem relictam fuisse audiuissent,fieri posse non putabant, ut quinq; millia Hispanorum cum tribus Germanorum peditum millibus paucoq; equitatu,præsertim deficiente stipendio,& nulla annonæ acerua ta quantitate tam uastum urbis spaciũ diutius tueri possent aduersus omnis fermè Italiæ uireis. Atq; id prima belli præ se tulerunt initia.Nam cùm primum

Hispani

Hispani laude cesserunt, Pontificij, qui ad numerum octo millium peditum cum ualido equitatu in agrum Placentinum paulo antè peruenerant, confecto ratibus ponte Padum transiere: & Venetis adiuncti Mediolano appropinquabant: miserant etiam antea Octauianum Sfortiam, episcopum Aretinũ ad Heluetios: qui Francisci Galliarum regis fauore quatuordecim peditum millia cõscripserat: & per Rhætos, & Bergomates descendẽs liberum iter ad exercitum Italicum habebat. Sed cum serius, quàm tempus expostulabat, proficiscerẽtur, Sfortiani in arce Mediolanensi obsessi ad id inopiæ redigebantur, ut præter panem, qui ex farina furfuribus admixta conficiebatur, quo pluribus impartiri posset, nihil haberent. Quare delectu inter eos facto circiter ducẽtos homines tertia noctis uigilia ex arce emittunt: qui per hostium munitiones egressi, qua negligentius excubias fieri antea animaduerterant, per uim arrepta uia Melignanũ peruenere: ibiq; reperto Francisco Guicciardino Pontificis legato unà cum Veneti exercitus imperatore, ac plerisq; alijs ducibus, obsessorum inopiã significant: asseruntq; (si diutius auxilium ferri protrahatur) arcis deditionem breui sequuturam: uel (quod peius futurum esset) omneis in hostium potestatem uenturos. Quamobrem Itali duces iussis Sfortianis bono animo esse, magis ut hostium animos tentarent, quàm ut sexdecim peditum millibus nuper collectis sperarent Cæsarianos ueteranos milites Mediolano expellere, ad portam, quæ Romana dicitur, gressum dirigunt. Cumq; Ioannes Medices, qui primam aciem ducebat, tormentis turrim quandam obruere aggrederetur, ut patefacto per eam aditu facilior esset irrumpendi uia, ad id loci omne Cæsarianorum robur protinus accurrit: & nõ tantum ciuitatem tueri, sed etiam egredi audent, & manum cum hoste conserere. Postquam autem leuibus aliquot prælijs hinc inde usq; ad horam diei nonam pugnatũ esset, Itali qui intra paucos dies Heluetios uenturos haud ignorabant, quibus adiunctis minimè dubium erat quin superiores euaderent, reductis machinis, quæ usq; ad hostium munimenta actæ erant, Melignanum regressi sunt non sine magno Cæsarianorum fauore: qui cedente hoste nihil sibi ulterius ab eo timendum existimabant. At Mediolanenseis ingens oppresserat mœror, cum audirent exercitum Italicum, in quibus pristinæ libertatis paulo antè effulserat spes, retrocessisse, necq; in hominum animos cadere poterat id hostium metu, sed potius haud sincera erga Ducem Sfortiam uoluntate factum fuisse credebant. Hoc successu elati Cæsariani, cũm omnes prius intra urbis interiora mœnia hospitia delegissent, aggeres circa suburbia aliàs constructos reficere properant: & quotquot tam è populo, quàm è patritijs nacti erant, ligonibus, & batillis in euacuandis fossis cogebãt insumere operam adeò, ut huiusce contumeliæ uerecundia aliquot dies nemo ex optimatibus in publicum prodiret. Sed uarijs in locis occlusi aduentãtibus Heluetijs meliorem fortunam præstolabãtur. Non enim uerisimile uidebatur Franciscum Francorum regem, qui toties omni aduersante Italia res Insubrum solus in discrimen adduxisset: & qui in præsentia Heluetios in Galliam cisalpinam transmittebat, nunc adiunctis Italicis uiribus imparem tam paruo hostiũ exercitui fore. Quare Sfortiani redintegrata spe, licet uix paucissimorum dierum cibus, & is quidem exiguus, ac pessimus supereesset: tamen de deditione nullum faciebant uerbum haud dubium auxilium expectantes: Sed dum tardius exercitus Italicus Melignano discedens cum iumentis compluribus, & uehiculis commeatu onustis progreditur, & superiorem uiam, qua ad arcem itur, duobus passuum millibus ab urbe capesit ut uenientes Heluetios sibi adiungat, sine quibus in pugnæ discrimen iterum nolebat se cõferre, Sfortiani obsessi iam non famem: sed mortem ipsam in faucibus habentes, extrema necessitate adducti Iacobum Philippum Saccum ad Carolum Borbonium, &

cæteros Cæsarianos duces emittunt: qui postquam multa de eorum aduersus Sfortiam odio conquestus fuisset, quòd innocentissimum principem, & Cæsarei nominis ac amplitudinis semper studiosissimum æmulorum calumnijs circumuentũ tamdiu obsessum tenerent, tandem pollicetur arcem reddere, si non iniquæ interea conditiones fiant, donec Cæsar re intellecta iustitiæ melius possit consulere: quod quidem haud aspernati sunt Cæsariani: omni enim se prorsus hostium timore liberos existimabant, si arce potirentur: & propterea nihil Sfortiæ non dare promittũt. Illud tantùm difficultatis inerat, quòd Borbonius cum Mediolanensi Cremonẽsem etiam arcem reddi postulabat: cõtendebatq; id & à Duce, qui innocentiæ confideret, minimè recusari, & ab se maximè expeti debere, ut rebus Cæsareis, aduersus quas omnis Italia cum Gallis, & Heluetijs armaretur, consultum esset. Qua de re cum antea Sfortiani dubitassent, Sacco in mandatis dederant, ut si aliter fieri non posset, pro Principis, & suorũ salute, ac libertate omnia polliceretur. Sed dum orator ex uultu, & sermone hostium recuperandæ arcis desiderium agnoscit, cautius agens ad suos rediturus gradum uertit, tanquam de Cremonensi arce nihil pacturus. Itaq; flexis Cæsarianorum animis conuentum fuit: ut Sfortiæ cum suis omnibus, ac tota eorum supellectile abire liceret. Comumq; ciuitas, quàm Cæsariani præsidio tenebãt, eidem promittitur cum non modicis redditibus, donec à Cæsare super imperio Mediolanensi, & criminibus, quæ in Principem impingebãtur, iudicatum esset: traditusq; propterea est Cæsarianis exposcentibus Ioan. Angelus Ritius, uir à secretis ipsius Sfortiæ, ut ab eo omnium actorum, & cõsiliorum, quæ Mediolani agitata fuisse ferebantur aduersus Cæsarem, ratio intelligeretur. Sed ille eximia fide, & prudentia præditus adeò utranque causam & Ducis, & suam æquam esse ostendit, ut intra paucos dies dimissus nõ sine adepta ipsius etiam hostis beneuolentia abierit. Firmatis huiusmodi deditionis cõditionibus Francisus Sfortia quamuis Hispanorum promissis non satis fideret, & minimè putaret incolumem, donec in Cæsarianorum potestate esset: tamen dissimulato metu relictis in ciuitate impedimentis, quæ paulo post ipsius discessum magna ex parte ab Hispanis direpta fuerunt (iumentorum enim & uehiculorum usus non suppetebat) in castra Italica uiam capessit. Cæterùm magna etiam iniecta est suspicio, cùm ipsi honoris gratia Antonius Leua se comitem usq; ad uallum urbis adiunxisset: uerebatur enim ne mala potius quapiam ex caula, & ex officio id potissimũ ab eo factum esset. Quod etiam plæriq; patritij Mediolanenses, qui obsidionẽ unà tulerant, ueriti arma induti gradum faciebant, ut si princeps cõprehenderetur, ipsis cum militibus (quibus, ut parceretur, mos inductus erat) abire liceret. Igitur postquam in castra Italica, præter spem, incolumes peruenerunt, Sfortia, qui omnem tot malorũ culpam non Cæsari, sed eius ministris attribuebat, statuit omnino uel inuitis amicis omnibus, qui multa de Cæsaris iniuria aduersus ipsum loquebantur, Comum se transferre: ibiq; manere quoad æmulorũ calumniæ innotescerent, nisi Sforcinus, qui cum militum præsidio ad recipiendam ciuitatem præmissus fuerat, renunciasset Hispanos, qui intus erant, egredi nolle, etiam si Princeps intromitteretur: quoniam conuentum fuisset ut Comum redderetur, nec; pactum ut Hispani inde abscederent. Itaq; cognito Cæsarianorum animo Franciscus Sfortia in castra rediit: & cum hactenus cõtra Cæsarianos nulla in re cõsensisset, tunc Italicum fœdus cũ cæteris principibus iniit: & bellum aduersus illos tanquam cõmuneis hostes pro uirili suscepit. Per eos dies Sigismundus Malatesta unus è ducibus, qui pro Cæsarianis Laudæ erat, & postquã ciuitas in Venetorum potestatem peruenit, cum Alphonso Daualo regressus Mediolani militabat, tubicinem cum literis ad Vistarinum mittit: quibus illum ad singulare certamẽ prouocabat eo quòd

contra iusiurandum, & militare decus ciuitatem ipsius fidei creditam hosti tradidisset: polliceturq; armorum iudicio, quæ mẽtiri haud solere plærique opinantur, in eo perfidiam demonstrare. At Vistarinus neq; se contra iusiurandũ, neq; contra militiæ decus feciſſe dicebat, qui pro libertate patriæ id facinus aggressus esset: imò sibi plus, quàm mediocre præmium deberi, quòd de fæuissimorũ hostium manu ciueis suos uindicasset. Itaq; statuto die cum armis equestribus equo sublimi uectus, gladioq; & claua ferrea cinctus in certamen descẽdit: pariterq; Sigismundus magna Hispanorum caterua comitatus in castra Italica, ubi pugnæ locus electus erat, proficiscitur: & paribus armis indutus agilitate corporis, qua plurimum fidebat, Vistarinum primò circuire, & modò à dextra, modò à sinistra, uulnus si qua posset inferre: neq; tamen, præter equum, quem duobus affecit uulneribus, hostem lædere potuit. Sed ille, qui & corpore proceriore, & uiribus plus poterat, postquam Malatestam tot gyris fatigatũ incautius ictum frustra tulisse aspexit, ense aggressus eum in dextra uulnerat adeò, ut præ dolore gladius è manu excideret. Quare acrius iam uulneratum & sui defendendi impotẽ insequutus totam duelli aream coegit non semel retrocedentem circuire, donec occidente iam sole (cùm quatuor horas pugnassent) Vistarino palma certaminis adiudicata est non sine manifesto totius belli omine, q; absque cruenta militum cęde diu protrahi deberet. Interea cum iam inclinante æstate, præter unam Laudem Pompeiam, nullum fuisset receptum oppidũ, & Mediolani oppugnatio uideretur durior (quoniam Cæsariani non modò fortiter intus urbem defendebant: sed foris etiam quotidie leuibus prelijs pugnabant audacter) dimissis ad obsidionem Heluetijs unà cum Pontificis copijs, omniq; ferè equitatu Malatestę Ballioni Perusino impigro Duci cum octo millibus peditum Cremonæ expugnatio destinatur: ubi mille Germani pedites cum quingentis Hispanis, & equitibus ducentis præsidio positi erant. Verùm postquã aliquot dies Malatesta circunsedisset urbem, & tentato infeliciter per arcem, quàm Sfortiani tenebant, ingressu supra mille homines amisisset, ne res amplius frustra tentaretur, Franciscũ Vrbinatem Veneti exercitus imperatorẽ cum omnibus Venetorũ copijs eò tendere oportuit. Is igitur patefacto usq; ad munitiones aditu, quibus Cæsariani urbem ab arce secluserãt, fortiores milites clàm traducebat, qui scutis obtecti unà cum scloppetarijs uallum ascendebãt: atq; ita eminus uulnerati plęriq; cõcidebant propugnatores. Tormenta etiam ex arcis turribus crebra emittebantur adeò, ut ex ijs, qui hostibus obuiam prodirent, pauci redirent incolumes. Tot itaq; Cæsariani difficultatibus pressi ciuitatem dedere paciscuntur, nisi intra decem dies auxiliũ à suis feratur. Conuenitum etiã est ut Germani trans Alpeis in patriã redeant. Hispanis autem nisi post annũ in Mediolanensi ditione militare ne liceat. Interea Romæ Clemẽs Pont. ob diuturnũ in Insubribus bellum difficultate pressus pecuniaria cum Vespasiano Prosperi filio totius Columnensis familiæ nomine paciscitur de iniurijs ultro citroq; remittendis, satius utriq; parti existimans euentũ totius belli expectare, quàm nouo militũ delectu, & sumptibus domi fatigari: huiusmodiq; fœdere dimissis tribus peditũ millibus, qui Romæ iamdudũ stipendia meruerãt, tutus fuisset, nisi Vgo Hispanus, qui superiorib. mensibus à Cæsare frustra missus Romam uenerat pro rebus Italiæ componendis, nactus occasionem Pontificis opprimendi Pompeium Cardinalem, & Ascanium Columnẽseis impulisset (quia nullã ipsi fidem dedissent) tumultuarijs collectis militibus Romam inuadere: fore enim ut Clemẽs nullo munitus præsidio uel in palatio uiuus cõprehenderetur, uel saltem à bello aduersus Cæsarẽ discederet. Itaq; delectu armatorum duorum millium clàm facto Romæ, prius nunciatũ est Cardinalem Columnam cum magnis copijs apud diui Ioannis Lateranensis esse, quàm

quisquam tale quidpiam suspicaretur: & idcirco cum frustra Pontifex præsidiũ in tempore conaretur parare, hosteis iam appropinquare audiens uia occulta cum plærisq; qui uel in pontificio palatio habitabant, uel officij, aut metus cau sa eò conuenerant, intra molem Adriani (quæ nunc arx sancti Angeli dicitur) se recipit: seroq; admonitus non modo carneis, & alia esculenta: sed annonam, & uinum tot hominibus intra paucos dies defuturum, maluit pauxillum de suo iure decedere, quàm ad deditionem fame cogi: & propterea missis oratoribus ab Hispano, qui hæc iactabat fecisse non tam ad Pontificem offendendum, quàm ut eum in parteis Cæsaris accedere cogeret, conditiones accipit: ut seruatis quatuor mensium cum Cæsare inducijs copias quas in agro Mediolanensi habebat, cis Padum reduceret: atq; datis ob eam causam obsidibus Columnenses eo libentius discessere, quòd etsi haud ignorarent arcem non diuturno tempore ad deditionem ob nimiam obsessorum multitudinem potuisse cogi: tamen haud existimabant Pontificem tam uæcordem fuisse, ut eò se recepisset, ubi quatuor dies se continere nequiuisset: & ipsi pauci ac sine pecunia & commeatu, depopulati omnem Pontificiam supellectilem abire incolumes satius ducebãt, quàm expectare donec milites deligerentur: atq; ita turpiter inde cogerentur abscedere. Dum hæc fierent, Franciscus Galliarum Rex ex fœdere cum Pontifice, & Venetis inito Vasconum quatuor millia, & quadringentos equites cataphractos, totidemq; uelites duce Michaële Antonio Salutianorũ principe in Italiam destinat: qui Italico exercitui adiunctus communibus auspicijs bellum aduersus Cæsarianos gerat: & fortè per id tempus iter faciens in ora Transpadana aliquot oppida receperat, cùm ei renunciatum est ob pontifi cis copias, quæ eius iussu discessum parabant, & Veneti exercitus absentiam, cuius magna pars apud Cremonã urbis deditionem expectabat, Cæsarianos non modo Mediolani nõ obsideri: sed populari omnem undiq; agrum: & magnos commeatus indies in urbem comportare. Quare spreta transpadanæ regionis cura traiectis copijs Hispanos cohercere ab agrorum, & uillarum incursionibus pergit: uerùm hæc serò prouidebantur. Nam seu quòd antea exercitus Italicus parum curauerat castella urbi propinqua redigere in potestatem, et impositis præsidijs prohibere nequicquã in urbem comportaretur: seu quod ea est soli ubertas, atq; urbis amplitudo, ut non nisi longo tempore res ad exitum deduci possit, Hispani per æstatem omnia ad tolerãdam diu obsidionem (si ita opus fuisset) congesserant: & ciuium sumptu propè incredibili indies lautius epulabantur. Illud etiam Cæsarianis addebat animos, ut non modo pares Italis, sed etiã superiores euaderent, quòd Georgius Frondespergus, qui duobus superioribus bellis in Italia pro Cæsare cũ magna laude militauerat, à Gaspare filio, qui Mediolani Germanis imperabat, & ab Alphõso Daualo, Antonioq; Leua magnis pollicitationibus accitus, proprijs pecunijs quatuordecim peditum millia delegerat, pensoq; in singulos homines ultra ducum, & centurionũ stipendia aureo nummo, per Tridentinos saltus iter in Italiam tentabat arripere: quo nuncio consternati Italorũ animi, ne obsidionẽ penitus intermitterentur, cœnobiũ ab urbe duobus passuũ millibus munire properãt: ubi tria peditum millia cum quingentis equitibus tutò hyemare possent. Moguntiam etiã firmari iubent præsidio, ut pluribus à locis uiatores deterrere possent, quominus ad urbem cõmeatus comportaretur. Verùm hoc rerum apparatu, cum innotuisset Germanos Frondespergo duce cum tormentis, & ualida equitum manu à Ferdinando Pannoniæ Rege tradita alpeis frustra repugnante Venetorũ præsidio transisse, abiecta huiusce muniminis cura Mediolanensem obsidionẽ penitus intermittũt: ipsiq; Vrbinas & Ioannes Medices cũ equitibus, & expeditiore peditatu proficiscuntur aduersus Germanos: qui iam Pischeriam

iuxta

iuxta lacum Benacum applicuerant, ac plæraq; Venetorum oppida, & loca im
munita partim annona & cibarijs, partim pecunia mulctabant. Quocirca Ve-
neti, ut suorum animos confirmarent, prohiberentq; (si qua possent) ne hosti-
bus ulla re auxilium ferretur, quotidie in armis erant: Germanosq; iter facien-
tes infestabant adeò, ut leuibus prælijs eorum multi quotidie deliderarentur.
Verùm ubi Germani in Mantuanos iter direxerunt, Vrbinas, & Medices, ut
proficiscenteis quiescere haud sinerent, cum ualida equitum, & peditum ma-
nu à latere, & à tergo hosteis adoriuntur. Ipseq; Medices, utpote audacior, &
leuibus magis assuetus prælijs antegressus scloppo crus grauiter saucius pu-
gna statim coactus est excedere: & Mantuam delatus non sine magna totius
Italiæ iactura intra decimum diem uitam finiuit. Interea Mediolani soluta peni
tus obsidione, Hispani stipendia multorum mensium efflagitare: palamq; mi-
nari, nisi quamprimum pendãtur, sese omnia turbaturos: & ut res militum ani-
mos comprobaret, tabernas & domos diripere: ciueis, quos obuiam habuis-
sent, spoliare, & captiuos facere cœperũt: adeò ut ad huiusmodi tumultum ac-
currentes ipsi Borbonius, Alphõsus, & Leua promisso quinq; mensium stipen
dio seditionem uix sedare potuerint: utq; pollicita seruandi facultas suppete-
ret, non modò per noctem plæroscq; è ciuibus, & mercatoribus, quos ditiores
existimabant, comprehenderunt, & carceri inclusos quàm maximam pecunię
potuerunt summam exsoluere coëgerunt: sed argentum etiam, & aurum ex i-
psis Deorum templis abstulere. Itaq; numerata in singulas cohorteis stipẽdio-
rum parte Papiam modò hos, modò illos (quamuis id esset difficillimum: atq;
haud scio an quicquam toto hoc in bello difficilius fuerit) transmittebant. Eo
enim animo Cæsariani omnes, & præcipuè Hispani Mediolanum uenerant, ut
nunquam nisi pecunia, & præda onusti inde abscederent. Verùm ubi id omni-
no impossibile fore cognouerunt, præsertim tanto militum sumptu plærisq; ad
egestatem redactis, fortunas ciuium ex urbe discedentiũ multi inuaserant: mul
tiq; ut ciues ejicerentur, coloni tantum, & fœminæ retinerentur propriæ utilita
tis causa suadebant. Sed ob Germanorum Frondespergo duce aduentum, qui
apud Casalemaius ope Mantuani Principis traiecto Pado Fidentiolã agri Pla
centini oppidum sese contulerant, sententia immutata est, cùm Mediolanensis
ditio, præsertim diuturno bello uastata amissa etiam Cremona, & Laude Pom
peia tanto militum numero haud sufficere uideretur. Quamobrem alias sedeis
quærere, alibiq; tantam exonerari procellam decretum est. Adiectus est igitur
animus ad Pontificis urbeis: in quem, tanquam pristinæ amicitiæ desertorem,
malè animati erant. Placentiaq; primum eorũ sensisset impetum, nisi Salutiano
& Venetis persuasum fuisset è re Italiæ fore Clementem, quòd & secum fœde-
re iunctus, & Pontifex esset, ab iniuria tutari, præsertim quoniam polliceretur
post transactos quatuor menseis bellum instaurare. Atq; ita transmisso in urbẽ
ualido præsidio, mœnibusq; uallo, & fossa communitis Borbonio, qui cum Hi
spano peditatu, & equitibus, adductis machinis eò uenerat, tanquam equo fe-
rociter exultanti frenum iniectum est: adeò ut uim experiri noluerit, Italicum
scilicet exercitum ueritus, qui non longius, quàm sex passuum millibus castra-
metatus, licet pugna abstinere decreuisset: tamen quotidie Cęsarianos leuibus
infestabat prælijs, equitatuq; commeatum hostium prohibebat: quo effectum
est: ut Cæsarianis summa pecuniæ inopia laborantibus, cum per uillas, & oppi
da ad parandum uictum uagari non liceret, nouo consilio fœli-
ciorem fortunam quærere satius ui-
sum sit.

GA-

GALEACII CAPELLÆ DE REBVS GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCI-sci II. *Mediolanensium Ducis*, *Liber* VII.

IAm nihil Cæsariani in oppugnanda Placentia proficere sperabãt: & necesse erat exercitum, cui stipendium non supperebat, spe prædæ continere. Quare ex omnium ducum sententia Borbonius aduersus Florẽtinos, & Pontificem cum tanto exercitu statuit iter dirigere. Antonium autem Leuam cum quatuor Germanorum, totidemq; Hispanorum cohortibus Mediolanum remittit: ubi tria millia Germanorum peditum uictum sibi à Mediolanensibus parari imperauerant: & iam decretum erat ut in quatuor urbis classibus alerẽtur iuxta ciuium censum: uel in singulos sexta pars aurei nummi indies numeraretur: utq; onus facilius tolerari posset, uiciniarum præfecti non solum diuites: sed etiã eos, qui labore quotidiano uitam agebant, pro uirili coegerant ad sumptum faciendum. Cæterùm adeò multi ex urbe abierant, ut iuxta censum mille aureorũ unicuiq; esset alendus unus militũ: neq; tamen reliquæ duæ classes immunes erant. Sed Italis peditibus ad numerum circiter duorũ millium sub Lodouico Barbiano militantibus, & ijs, qui cum Antonio Leua regressi erant, stipendiũ pendere cogebantur. Igitur senatusconsulto cautum erat, ut omnes, qui triennio proximo urbe abscesserant, quamprimum reuerterentur: & militum onera tam impræsens, quàm in futurum sustinerent. Senatus autem, qui à Leua immunitatem hospitiorum impetrauerat, litibus, quæ propterea oriebantur, semper intentus nihil magis curabat, quàm nullam militibus excitandi tumultus occasionem relinquere: & idcirco præconis uoce fugientes sub capitis pœna euocabantur, eorumq; bona nulla absentiæ excusatione donabantur militibus. Dum hæc Mediolani agerentur, iam Franciscus Sfortia è Cremonæ, & Laudæ uectigalibus, ac tributis ad tria millia peditum in armis habebat: & non modò duas ciuitates, oramq; transabduanam militum suorum muniuerat præsidio: sed in agrũ quoq; Mediolanensem illos progredi iubebat. Forteq; eo tempore euenerat, ut Sfortiani repentino impetu Moguntiam occuparent. Quamobrem, si impunè id ferret, dedecori sibi fore Antonius Leua existimans, cum septem armatorum millibus ad oppidũ properat. At Sfortiani, qui omnia imparata, nullamq; auxilij spem habebant, propterea quòd exercitus Italicus paucis Venetorum exceptis, qui trans Abduam statiua habebant, Borbonium Italiæ inferiora loca petentem sequebatur, oppidum diripiendum Cæsarianis relinquũt. Ejectis Moguntia Sfortianis una tantùm melioris fortunæ supererat spes: quod Borbonium, qui ne oppidum quidem, quò se reciperet, habebat, sine pecunia, sine commeatu cum exercitu tam magno aliquo in præceps iturum existimabant: neq; in animum cadere poterat unius Alphonsi Estensis opibus, qui tum solus contra pristinum institutum ob odium in Clemẽtem Pontifex Cæsarianorum partibus fauebat, tantam gentiũ colluuiem diu posse sustentari. Cæterùm plærosq; fefellit opinio. Nam postquam in Florentinorum ditionem peruenere, atq; occupandę urbis, cuius opibus tot milites ditari sperauerant, facultas non dabatur, spretis inducijs â Carolo Lanoio cum Pontifice nuper pactis Borbonius maximis itineribus Romam contendit: ubi Pontifex dimissis magna ex parte militibus, sub Lanoij fide se tutum existimabat. Itaq; aditu per uim occupato, cum ipse Borbonius murum ascendens scloppo ictus statim mortuus cõcidisset, Cæsariani milites non modo hostiliter urbem diripuerunt: sed ipsum etiam Pontificem, qui in Adriani molem confugerat, ad deditionem coactum captiuum tenuerunt. Neque dies ille, quo alma urbs prædæ fuit, quo ipse

ipſe diuorum reliquiæ altaribus erutæ ſunt, quo tot uirgines intra caſtos parietes occluſæ, libidinem coactæ fuerunt militum explere, quo non modò in homines: ſed ipſa etiam in marmora, & antiquas Romanorum ſtatuas ſæuitum eſt, finem dedit malorum. Nam milites diſtributis in tota urbe per domos paulo antè direptas hoſpitijs, Cardinaleis, Antiſtites, principum oratores, ciueisq; & mercatores, ac omnem populum Romanum, quibus paulo antè innumerabili pecunia redemptis nihil omnino ſupererat, ad alendum tantum exercitum coëgere: ipſiq; per ludibrium ſacerdotalibus ueſtibus induti urbem perequitabant: &, tanquam ibi eorum perpetuum foret domicilium, quæcunq; ad uoluptatem, & delitias quærebant: neq; exercitum Italicum, qui uicinorum populorum in ſe ſtudium, & fidem continebat, neque Francorum Regem timentes: qui alium exercitum parabat duce Lautrecho ad comprimendas in Italia Cæſarianorum uireis, & præſertim ad reſtituendam Pontifici libertatem: cui expeditioni ſumptuum portionem rex Anglicus impartiebatur: & malè animatus in Cæſarem cum ob alias cauſas, tum ob non reſtitutam iamdudum mutuò creditam pecuniam, nihil magis cupere uidebatur, quàm eius potentiam compeſcere. Sed antequam Gallus alpeis tranſiret, Veneti auctis copijs, adiunctisq; tribus Sfortianorum peditum milibus aduerſus Cæſarianos, qui Mediolani æſtiua agebant, proficiſcuntur. At Leua, ne, cùm præcipuum Italici exercitus abeſſet robur, collectos paulo antè milites, eoſdemq; paucos formidare uideretur, cum Germanis peditibus Hiſpaniſq; fermè octingentis, totidemq; Italis, ac non magna equitum manu urbe egreſſus occurrit hoſtibus ſtatimq; illos coegit iam caſtra intra Melignanum collocanteis potius retrocedere, quam cõmittere ut oppidi immuniti cauſa pugnæ locus eſſe poſſet. Per id tempus Ioan. Iacobus Medices, quem ſuprà arcis Muſsi præfectum eſſe retulimus, aucto nomine, & uiribus ob Clauenæ ſtrenuum facinus non modo à Franciſco Sfortia, & Venetis maiora ſtipendia merebatur: ſed ipſi etiam Francorum regi dignus uiſus eſt, quem cum magna peditum manu in Ducatum Mediolanenſem prę-mitteret. Et propterea, dum Heluetios Gallico ſtipendio apud Larium lacum expectat, cum paucis armatis arcem inter Leucum, & Comum Mongutium dictam per dolum occupat: quam Alexander Bentiuolus nihil huiuſmodi metuens inhabitabat tanquam domum propriam. Quamobrem Antonius Leua ſtatim recuperandæ arci Lodouicum Barbianum præficit: qui tentata infeliciter oppugnatione, ac cæſis fermè è ſuis centum, re infecta Moguntiam abijt. Liberato itaq; ſuorum præſidio Medices collectis circiter peditum tribus milibus in agrum Mediolanenſem deſcendit. At Leua, qui Melignani caſtra metabatur, ſiue quòd milites commeatum omnem emere cogerẽtur, & alieno ſumptu uiuere aſſueti ſtipendium, quod à Mediolanenſibus pendebatur, donec extra urbẽ permanerent, in ſumma annonæ penuria non ſufficiebat, ſiue quod urbi tam propinquo duobus à lateribus hoſte metueret, ſublatis tabernaculis in urbem redijt. Certiorq; factus Medicem cepiſſe locum caſtris imminutum (Caratum uocant) quatuordecim paſſuum millibus ab urbe, ipſe prima uigilia cum omnibus copijs egreſſus ſub ſolis ortum hoſteis nihil tale opinanteis adoritur. Quare territi noui milites domibus, in quibus uerſabantur, exeuntes in planitie propinqua ſæpibus circundata aciem inſtruunt: uelites cum ſclopetarijs ad leue prælium non omneis hoſtium copias ueniſſe rati: ſed opinione fruſtrati, cũ loco decliui, & clauſo tanq; carcere ſepti eſſent, abſq; ſui defendẽdi facultate plęriq; aut cęſi ſunt, aut capti in hoſtiũ uenerũt poteſtatẽ: nõnulli tamẽ, cum Io. Iacobũ ducem arrepto equo fugã quæſiſſe intelligerẽt, diuerſa in loca, quo timor, & occaſio ſuadebãt, abiêre. Adepta huiuſmodi uictoria Antonius Leua cum ſuis incredibili gaudio Mediolanum regreſſus eſt: ubi tantummodo

armatos

armatos ducentos reliquerat minimè Venetos timens, qui decem tantùm pas
suum millibus aberant. Cum ijs itaq; qui belli finem cupiebant, parum spei in
Venetis supereſſet, reliquum erat auxilium à Gallis præſtolari: qui ſuperatis Al
pibus duce Lautrecho Haſtam applicuerant: expectataq; Heluetiorum legio-
ne in unum cogebant copias: & fortè per id tempus Ludouicus Lodronij co-
mes cum ualida Germanorum manu Boſchi (oppidum eſt in agro Alexandri-
no) pecuniam ad ſumptus militum, qui Alexandriæ erant, perferendos exige-
bat: cùm Lautrechus iuſſis equitibus cum parte Heluetiorum ad oppidum
properare, Germanis uiam ad ſuos Alexandriã redeundi præcluſit: ſubſequu-
toq; poſtmodum toto exercitu, & admotis machinis aliquot in locis pergit
quaſſare mœnia. Sed intus propugnantium multitudo plureis dies Gallum
detinuit: tandem expugnato oppido, hoſtiliterq; direptis, & incenſis domibus
oppidani, qui fugam non arripuerant, coacti ſunt pecunia libertatem redime-
re. Germani autem, qui primo impetu mortem euaſerant, Gallicum ſtipendiũ
ſequuti Lautrecho adhæſere. Dum hęc agerentur, Andreas Doria Genuenſis,
Gallicæ claſſis præfectus ſolutis è Maſſilienſi portu decem & ſeptem triremi-
bus oram Lyguſticam infeſtabat: & uſq; ad Genuæ portum progrediens non
modo Genuenſium impediebat mercimonia: ſed etiam nonnullas naueis one
rarias, quæ maximam uim frumenti deuehebant, intercipere conatus intra por
tum Delphini obſederat ita, ut inde exire non auderent: eodemq; tempore Cæ
ſar Fulgoſus, qui ob aduerſam factionem Adurnis Genuæ imperantibus exul
Venetis militabat, & paulo antè cum auxiliaribus Venetorum copijs ad Lau-
trechum uenerat, Galli iuſſu terreſtri itinere aduerſus Genuẽſeis proficiſcitur.
Atq; ut ciuitas, quam ſumma uictus penuria laborare haud ignorabat, celerius
ad deditionem cogeretur, qua ſibi iter erat, pecora, atq; armenta abigêre: oppi-
da, & uillas, quæ ob locorum aſperitatem paucæ ſunt, depopulari: neq; ullum
edulij genus intra urbem importari ſinere. Quibus rebus permoti Genuenſes,
cùm omnem ciuitatis tuendæ ſpem in illis nauibus poſitam eſſe perſpicerent,
eductis armatis ſex triremibus auxiliũ ferre, ſi qua poſſent, tentare: adeoq; Ge-
nuenſibus fauit fortuna, ut ſubitò uentorum turbine compulſus hoſtis Sao-
nam ſe recipere coactus ſit: Philippinusq; Doria Andreæ ex fratre nepos in
Genuenſium manus inciderit. Atque hoc ſecundo rerum ſucceſſu Genuenſes
non ſolum aduerſus Fulgoſum intus ſeſe tuentur: ſed etiam exire urbe audent,
& hoſtem pugna laceſſere: quem in fugam uerſum, cùm incautius ſequentes
prætergreſſi eſſent, ipſe ad urbem alio itinere ire perrexit: & Gabrielem Marti-
nengum militum Genuenſium ducem fruſtra ſuos reuocantem comprehen-
dit. Itaque Genuenſes cùm ſuos excluſos uiderent, & iamdudum laborarent
re frumentaria, Fulgoſum, & milites Venetos, qui cum eo erant, intrò admiſe-
rũt. Sed Lautrechus paulo pòſt ſequutus præfectum Regio nomine cum præ-
ſidio urbi impoſuit: & recepta paucos poſt dies per deditionem arce, in quam
Adurnus cum Cæſarianis ſe receperat, & ciuitatem, & omnem oram Lyguſti-
cam ditione tenuit. Interea exercitus direpto Boſcho Germanos Alexandriæ
incluſos infeſtare, & ne commeatus amplius introferretur, prohibere, donec
Lautrecho reuerſo mœnia circunſederi, & oppoſitis machinis proſtrari cœpta
ſunt: & primo quidem aggreſſu maximè declinauerunt Cæſarianorum animi
ob militum amiſſionem, qui Boſchum profecti inde redire non potuerant, Ve-
rùm cum paulo pòſt Albericus Barbianus cum armatis quingentis per colleis
Alexandriæ proximos in urbem intraſſet, difficilior oppugnatio reddebatur.
Nam ſtrata machinis murorum parte uallum magna celeritate intus reficieba-
tur: & ſine ingenti cæde Galli ingreſſum per uim tentare non poterant, præſer-
tim anteq; Veneti tormenta non pauca cũ puluere ſulphureo miſiſſent: quibus
poſtea

postea diuersis in locis mœnia adeò quassabantur, ut Baptista Lodronius diutius urbem tueri posse diffisus deditionem facere coactus sit his cõditionibus, ut sibi cum Germanis, atq; impedimentis omnibus in patriam, Barbiano autẽ in Taurinos abire liceret: modo per semestre contra Galliarum Regem, atq; eius socios arma non inferret. Recepta itaq; urbe quingentos ferme è suis Lautrechus delegerat, quos Alexandrię præsidio imponeret, nisi Franciscus Gauasset iam in ipso belli initio fœdus non seruari: & propterea Lautrechus, cum se id ob Genuensium uicinitatem, & cõmodum militum, qui adhuc è Gallia uenturi essent ad restituendam Italiæ libertatem tentasse diceret, quãdo ipsis aliter uideretur, ut Sfortianum urbi imponeretur præsidium, permisit. Per hos dies Antonius Leua, qui debellatis Medicis copijs Mediolanum se cõtulerat, exercitumq; continebat in suburbijs, neq; ciueis alia re, præter quàm stipendio militum grauabat, queri pecuniam serius à ciuitate subministrari: neq; ad tantos sumptus sufficere. Quocirca Mediolanenses, qui hæc ad maius imponendum onus tendere non ignorabant, polliceri supra uireis sese facturos, quo stipendium militibus non deficeret, modo extra priuatas domos continerentur, & parceretur urbi tamdiu superiore anno ab Hispano exercitu uexatæ. Sed nihil proficiebant querelæ ciuium: moscq; gerebatur militibus ut epularum, & lucri causa aduersus tam ualidas hostium uireis urbem & sese tueri uellent. Introducto itaq; exercitu distributi iuxta ciuium censum milites fuerunt: qui etsi numero non multi admodum erant: tamen, quia in unaquaq; cohorte plærisque duplex, aut triplex stipendium pendebatur, multo plureis pecunię distributiones ad sumptus quotidie conferre oportebat: & multis, qui urbem deseruerãt, multis etiam egestate compulsis portiones suas non conferentibus, reliqui ad illorum sumptus cogebantur. Cum autem Antonius Leua, alioqui in rebus etiam duris intrepidus, iam capta Genua, & Alexãdria, ac tanta ui hostium adueniente, tam modico exercitu, præsertim sine pecunia, sine cuiusquam auxilij spe, adeò magnam urbem tutari posse diffideret, dicitur animo agitasse Papiam se recipere. Cæterùm quia certior factus est eam urbem commeatu carere, sententiam ea fiducia mutasse, quòd uiro in re militari magni nominis, etiam si hosti cedere oporteret, nunquam honestæ conditiones defuturæ essent. Atq; ita misso Papiam Lodouico Barbiano, cùm ipse antea quamplurimis edictis ciueis urbe abscedere prohibuisset, tunc, modo iuxta censum pecuniam duorũ mensium numerarent, uolenteis abire permisit: diplomataq; obsignabat abeuntibus, ut apud hosteis etiam morari liceret. Id autem plerisq; euitãdorum tot imminentium periculorum causa haud displicebat: & nisi rei pecuniariæ obstitisset inopia, pauci oblata huiusmodi opportunitate in urbe remansissent. Dum hæc Mediolani aguntur, Galli pactis inducijs cum Ioanne Cerusione Hispano, qui Casellas oppidum in transpadanis munitissimum tenebat, ne abeunte iam æstate nimiam in oppugnatione moram traherent, in agrum Mediolanensem proficiscuntur: & cum haud longius, quàm octo passuum millia ab urbe castra locassent, ex eo loco præter omnium spem Papiam ire perrexerunt: incertum siue id factum sit, quia Francisci Sfortiæ restitutionẽ ægrè ferrent, siue quia occasionem Papiæ expugnãdæ prætermittere noluerint: Remissis enim à Barbiano Mediolanum paulo antè militibus circiter quadringentis, quo Lautrechus traiecto Ticino profecturus uidebatur. Papia erat expugnatu haud difficilis, Sfortianis præsertim, & Venetis adiunctis: qui tantam adduxerant tormentorum, & pulueris sulphurei copiam, ut quatuor diebus, quibus acriter urbs oppugnata est, magna murorum pars solo æquata sit: neque ullo modo qui intus erant, ad uallum obducendum sufficerent. Quamobrem Papienses

supplices

ſupplices Barbianum obſecrant,ſi ſibi, ſi militibus nollet parcere, parceret tot matronis,& uirginibus,quas irrumpente hoſte iam rapi, iam per uim ſtuprari uidere uidebantur.Sed cùm nihil eo tempore profeciſſent preces,tandem ſerò Barbianus admonitus militibus,& ciuibus qui unà propugnationi aderant, iam nimio labore feſsis,tubicinem ad Lautrechum pro dedenda urbe mittit. Sed,dum Gallus ipſe,qui profectus erat in Venetorum caſtra, perquiritur,milites acie iam ſtructa maximo impetu,qua murorum ruinæ aditum dabant,urbem ingrediuntur.Quod ubi conſpexit Barbianus,recluſa porta confeſtim in hoſtium caſtra ultro pergit:deductuſq; ad Lautrechũ captiuus Genuam mittitur.Interea Galli ob acceptam ſuperioribus annis apud Papiam cladem urbi infenſi poſt cædem primo ingreſſu editam,ac direptas non ſolum priuatas domos:ſed monachorum etiam cœnobia,& diuorum templa, nullum captiuis ciuibus efficiendis modum facere:ſed plæroſq; ter,& quater ad ſeſe redimẽdum pecunia cogere. Poſtremò Vaſcones, qui præter cæteros erant immaniſsimi, ignem in ciuium domos inferre,& totam urbem miſcere incẽdio,niſi ipſe Lautrechus tandem poſt octauum diem militum furorem in immeritam urbem ulterius debacchari prohibuiſſet. Recepta in hunc modum Papia Lautrechus quam primũ cum Innocentio Cardinale legato Bononienſi, qui ad ipſum paulo antè pro liberando Pontifice uenerat, agere cœpit de profectione aduerſus Cæſarianos,qui Romam occupabant.Quod cum diu ſecretò contineri nõ potuiſſet,Franciſcus Sforția magno optimatum cœtu, qui ad ſe Mediolano confluxerant,comitatus ad Lautrechum antequam Papia diſcederet,uenit,tum ut ſuam in Regem demonſtraret obſeruantiam,& ſtudium:tum etiam ut ipſi Lautrecho qui huiuſmodi honores ambire uidebatur, perſuaderet ſatius eſſe Inſubrum prius expeditionẽ perficere,quàm relictis propinquis hoſtibus longinquos ſectari.& haud quidẽ minus uerè,quàm ex animo, quia è re ſua eſſet, admonebat:idemq; ſentire Lautrechus profitebatur.Sed duorum, Galliarum ſicet atque Angliæ regum,quorum communi ſumptu continebatur exercitus, præcepta obſtare:qui ſe in Italiam potiſsimum miſerint pro recuperanda Pontificis libertate: quo perfecto haud difficilè foreAntonium Leuam Mediolano expellere.Interea ipſum Sforțiam cum Venetis poſſe urbem obſidere:& breui compellere ad deditionem,ſi præſidijs impoſitis oppida & caſtella muniãtur: arceanturq; per equitatum uiatores, qui commeatum ad urbem comportare conſueuerunt. Atq; ubi hæc parum ſufficiant,ſe in Inſubres Deo Opt.fauente, pro cuius eccleſia militet,uictorem paulo pòſt rediturũ: & ſi quid radicum hoſtilium adhuc ſupererit,extirpaturum.Cæterùm quanquam hæc Sforția in bonam partem acciperet:tamen non eum latebat, quòd multi pro certo afferebãt Regem idcirco nolle impræſentia ipſum in Ducatum ſuum remitti, quòd ueretur,cùm primum ipſe Sforția eſſet reſtitutus,eum in parteis Cæſaris tranſiturum:uel potius quia in ipſius arbitrio haud fuiſſet reſtituto Principe Mediolanum reddere,ſi pro filiorum recuperatione ſibi paciſci contigiſſet de tradendo Cæſari Mediolanenſi Ducatu.Habito huiuſmodi colloquio Sforția poſtero die Laudem Pompeiam reuertitur. At Lautrechus paucos dies Papiæ moratus,dimiſsis Heluetijs,qui Romanam expeditionem ſequi noluerunt, cum Germanis,qui Gallia frequentes Regis iuſſu ad ſe ueniebant, Placentiam conceſsit.Ibiq; per oratores Alphonſum Eſtenſem Ferrarienſium ducem,ac Federicum Principem Mantuanorum quo tutiores eſſent partes Regis, fœdere iungit.Interea Antonius Leua,cum Galli diſceſsiſſent,parum Sforțianos,& Venetos timens,qui ad gerendum bellum cis Padum ſoli remanſerãt, cum quatuor armatorum millibus,& magna tormẽtorum ui Abbiatum circunſedit:& multis ictibus mœnia quatiens Sforțianos,qui oppidum præſidio tenebant, unius

diei

diei spatio coëgit ad deditionem: & iam naueis ad traiiciendum Ticinum para
bat idem aduersus Vigleuenum, Mortariumq;, ac reliqua Laumellensium, &
Nouariensium oppida facturus, nisi Lautrechus Petrum Nauariensem pedi-
tatus Regij præfectum cum ualida Vasconum manu remisisset: atq; ita paucis
diebus receptum Abbiatum Sfortiani maiore militum præsidio, & conuecto
undiq; commeatu muniuerunt. Quo effectum est, ut quamuis Vascones Pla-
centiam ad Lautrechum redierint: tamẽ Leua spe potiundi Laumellensis agri
fruſtratus, Mediolani plureis dies se cõtinuerit. Sed postquam relictis Insubri-
bus Lautrechus in Flaminiam peruenit, Italos, & Hispanos milites emisit, ut
uictus penuriam, quæ diuturno bello omnia Mediolanensis imperij loca inua
serat, aliqua ex parte leuaret: aditumq;, qua posset, patefaceret ijs, qui lucri cau-
sa annonam, & cæterum commeatum in urbem comportabant: simulq; ut re-
sentiret sibi animos, & uireis haud deficere. Redacto itaq; in potestatem toto
superiore Mediolanensi agro (quem Seprium incolæ uocant) Philippus Tor-
niellus, qui Italis erat præfectus, collectis nauibus cum mille ferme, & ducentis
peditibus Ticinum transgreditur: atq; urbem Nouariam per arcem, quam Gal
li expugnare noluerant, ingressus Sfortianos ad numerum quadringento-
rum inde abire coëgit. Pars itaq; Aronam ad Federicum Borromeum, reliqui
cum Accursino Laudensi profecti sunt Mortarium: atq; ibi sese tanquam fron-
tem pro defensione Laumellensis, & Papiensis agri aduersus Torniellum, &
Cæsarianos opposuerunt, donec transmisso ualidiore præsidio Torniello facul
tas adempta est ulterius euagandi: sed tantummodò leuibus prælijs quotidie
inuicem certantes totam hyemem consumpserunt: neq; facinus ullum memo-
rabilius edebatur, quàm quòd oppida, & loca omnia immunita passim diripie
bantur: & non modò deprehensi uiatores (adeò res in formam latrocinij uene
rat) sed etiam intra proprias domos oppidani captiui fiebant. Neq; hæc tantũ
edebantur à latronibus, quorum numerus tum ob hominum egestatem, tum
ob intermissas plærasq; bellorum diuturnitate mercenarias arteis, haud erat e-
xiguus: sed ipsi etiam milites nullum prætermittebant latrocinij genus: &, si
quem nacti erant, ex quo aliquid corradi posset, inauditis prius cruciatibus la-
ceratum cogebant aurum excutere. Per id tempus Ioan. Iacobus Medices, qui
communi Italorum principum stipendio militabat, ne omnino nihil ageret,
Leucum, tanquam oppidum sibi opportunissimũ, in extremo lacus Larij cum
sexcentis peditibus circumsedit: neq; poterant Hispani Como auxilium ob-
sessis mittere ob multitudinẽ nauium, quas ipse Medices iampridem Comen-
sibus eripuerat. Quare Antonius Leua, ne per ignauiam oppidum amitere-
tur, decreuit, quandò classe non posset, terra auxilium ferre. Eductis igitur Me-
diolano omnibus copijs ipse cum Germanis ad quintumdecimum ab urbe la
pidem castra locat. Hispanos autem, atq; Italos pedites, quorum numerum re-
ceptis Nouariensibus per hyemem auxerat, expugnata Olginati arce in ripa
Abduæ posita, quam Medices antea occupauerat, trans Abduam ire iubet, ut
terrestri itinere Leucum ingredi possent. Philippoq; Torniello auxilij per uim
obsessis ferendi cura demandatur. Nam Medices antea explorato Cæsariano-
rum aduentu, & cum Venetis, & cum Sfortia egerat uti ad se auxiliares arma-
torum copiæ mitterentur: & acceptis à Venetis aliquot tormentis bellicis om-
neis aditus, qui ob locorum & montium asperitatem difficiles erant, uallo, fos-
sisq; obstipauerat: uimq; hostium huiusmodi auxilio haud magno conatu re-
pellere sperabat: & ne tanta spe fruſtraretur, ipse, quo periculũ maius immine-
bat, adesse: suos ad strenuè pugnandũ hortari, ut præteritã ignominiã præsenti
uirtute resarciãt: arma, ac instrumẽta ad instaurãdos aggeres aduersus uẽturos

hostеis parare: operarios militibus iubere adsistere: Venetos præterea in locis asperioribus præsidio ponere: ut quanto locorum natura tutiores essent, tanto longius abessent à periculo: uerùm id frustra prouisum est. Nam Cæsariani occupato ex aduerso latere monte, qui Leuco imminet, tentato infeliciter pluribus locis aditu, tandem quâ Venetorum cohortes præsidio positæ erant irrumpunt. Quod sentiens Medices suspicatus quam primum id, quod antea uarijs rumoribus ad se delatum fuerat, Sfortiam ægrè laturum si Leuco ipsum potiri contigisset, tormenta protinus, quæ à Venetis acceperat, nauibus imposita abducit: ipse quoq; cum suis naueis ascendens, quas in ripa ad omnem casum paratas habebat, Iorniello, & Cæsarianis facultatē reliquit oppidi muniendi: statimq; agitare animo cœpit (quandò hac uia Leuci potiundi facultas secus cesserat) alia rem aggredi. Nam Hieronymus Moronus, quem suprà à Ferdinando Daualo carceri inclusum fuisse retulimus, post transactum annum ingenti auri summa à Carolo Borbonio liberatus, & unà cum eo Romā profectus iam apud Philibertum Auraicæ Principem, qui post occisum Borbonium exercitus præfecturam susceperat, magnam sibi uendicauerat auctoritatem: neq; quicq; sine eius consilio à Cæsarianis Romæ agebatur. Is igitur siue quòd Medici bene esse cuperet, siue quòd in parteis Cæsaris maiore, quàm antea studio transisset, Antonio Leuæ literas mitti à Philiberto persuasit: quibus monebatur ne Medicis amicitiā aspernaretur, quę magno ei aliquādo usui esse posset: simulq; ipse ad Medicem in eandem scripserat sentētiam, & ut hominem, quem rerum propagādarum cupidissimum agnoscebat, magis alliceret, se Leuco, & eius uiribus quod à Sfortianis, à Frācisco Galliarum Rege, & ab ipso Ferdinando Daualo Cæsaris nomine dono habuerat, cessurum obtulit, modò parteis Cæsaris iuuaret: neq; conditiones adeò optatas Medices respuerat: sed animi sui consilia minus declarans, quid ferret rerum euentus expectabat. Verùm, postquam Veneti, qui præsidio ad Leuci oppugnationem uenerant, Cæsarianis (uti retulimus) cessere, dolum subesse ratus accipit conditiones à Morono oblatas: & Leuco potitus magnas Cæsarianis, præsertim in uendenda Mediolanensibus annona utilitates attulit. Interea Carolus imperator, qui iam certior erat summis Gallorum uiribus, omniumq; ferè Italorum principum consensu Lautrechum in Italiam descendisse, ne per ignauiam sui opprimerentur, Henricum iuniorem Brunsuincæ ciuitatis in Germania inferiori ducem in Italiam mittit. Et quamuis Veneti transitum eius impedire conati sint, Franciscumq; propterea Vrbinatum ducem accersiuerint, qui toto superiore anno in Vmbria cum Salutiano principe manserat aduersus Cæsarianos, qui Romę erant: tamen tantis uiribus, tantoq; belli apparatu Germanus stipatus erat, ut tutius consilium sequuti Veneti ciuitates, & oppida munitiora præsidio firmare, quàm extra milites continere maluerint. Quare Germanus miles nemine obstante alpeis transgressus alia oppida depopulari, alia incendere, ab alijs pecuniā extorquere. Colonj præterea undiq; fugere: pecus intra ciuitates, ne præda hostib. esset, abigere. Dum hęc agerent, iam Mediolanensiū calamitates eò peruenerāt, ut miserāda opulētissimę olim urbis esset facies. Nam uix quatuor annorū reditus sufficerant ad sumptū hyemis unius tolerandū: & plęriq; ad extremā inopiam cōpulsi nihil habebāt nō modò quod impartirētur militibus: sed nec quo sese alerēt. Si quis aūt ex ijs, qui huiusmodi sumptus perferre non posset, militū, & præsertim Germanorū incurrebat manus, cathenis uinctus, tanq; capitis reus esset, carnifici custodiendus dabat, donec pecuniā recuperaret: & reperti sunt qui pro mortuis in tam atroci carcere, cum uiuos redimere nō possent, coacti sunt aurū maiore cura quirere, ne cadauera sepultura carerēt: & tamē in tanta ciuitatis calamitate nō deerāt qui, uel magistratuū, & priuati lucri causa, uel in odiū Sfortiani

nominis

nominis reliquis suaderẽt satius esse pecuniam, quamuis magno fœnore, perquirere, ut præsentibus malis exitus expectari posset, quàm in alienas terras proficisci, uictumq; ab ignotis quærere, præsertim tot impendentibus in itinere latronum, & militum periculis: quæ quidem paucos remorabantur. Nam quo maius imminebat periculum, eo maiore diligentia fugæ occasio arripiebatur. Quocirca reliquum erat fugiẽtium fortunas publicare: quorum tantus erat numerus, ut eorum nomina typis imprimerentur, quandoquidem manu describere nimis longum esset. Accedebat ad hasce Mediolanensium calamitates tam ingens annonæ penuria, ut greges pauperum fame morientium quotidie in uijs publicis reperirentur. Patricij autem, qui pauci admodum in urbe erant, obsiti squallore, & sordibus conspiciebantur: ianuæ domorum, & artificum tabernæ passim erant occlusæ: atq; in frequentioribus antea urbis regionibus urticæ, & sentes accreuerant. Igitur cum eo indies redigeretur, status ciuitatis, ut diutius durare non posset, Antonius Leua quasi Mediolanensium conditionem miseraretur, conuocatis ciuibus iureiurando promittit, si ex priuato censu (publica enim deerat pecunia) uiginti dierum stipendia militibus pendantur, exercitum urbe educturum: neq; posthac aliud onus à se impositum iri. Quod cùm Germanis haud placeret (ne quidpiam intactum in urbe relinqueretur) monachorum, & uirginum cœnobia ingressi, præter epulas, quas lautè sibi parari iusserunt, tot quotidie molestias illis exhibebant, ut plæriq; mutatis uestibus religionẽ dissimulare cogerentur: neq; prius ad cœnobia reuersi sunt, quàm Germani omnes Antonio Leua ita iubente urbe excessere. Iam enim æstas aduentabat, & Papia, quam tantis uiribus, tantoq; belli apparatu Lautrechus expugnauerat, paruo negocio in Cæsarianorum redierat potestatẽ, dum ciuitas Annibale Picenardo Sfortianorum peditum tribuno ad continendos in fide Transpadanos profecto, segniter à Petro Longhenna, & Venetis, qui eius tutandę prouinciam sumpserant, custoditur. Huiusmodi uictoria subnixus Leua, reliquam ditionem recipere properans milites omneis & Mediolano, & alijs etiam ex urbibus, & locis eduxit: primumq; Abbiatum petijt, quod statim defensores omni auxilij spe uacui dediderunt: postmodum Aronam aggredi animo uoluebat, nisi Federicus Borromeus Sfortiæ rebus diffidens in parteis Cæsaris transijsset. His itaq; peractis una tantum ciuitas Laudensis inter duos amneis Ticinum, atq; Abduam restabat, quam etsi ualde cuperet Sfortianis eripere, utpote quæ initium recuperandi imperij Sfortiæ dederit: tamen, quia maioribus uiribus ad expugnandam ciuitatem, quàm suis opus erat, Henrico Brunsuicensi in agrum Bergomatem obuiam proficisci statuit, ut illi persuaderet, ne antè in regnum Neapolitanum traijceret ad auxilium Cæsarianis à Gallo obsessis ferendum, quàm totum Mediolanẽsem ducatũ recuperaret. Quod quidem tam ualido exercitu existimabat breui posse fieri, præsertim ob Sfortiæ inopiam: qui hactenus, ut belli impensam toleraret, præter cõsueta uectigalia, multa tributa Laudensibus, & Cremonensibus imposuerat: ac ex Alexandria ægrè tantum pecuniæ exigere poterat, quantum satis esset ad continendum eius ciuitatis præsidium. Accedebat, quòd in tanto Germanorum metu parum à Venetis sperandum erat auxilij: qui relinquere nolebant sua, ut aliena tuerentur. In quam sententiam cùm Germanus transijsset, relicta Bergomi oppugnatione, siue quòd Venetorũ timuerit potentiam, siue quòd pecuniam propterea acceperit, ad Laudem ciuitatem traduxit exercitum. At Franciscus Sfortia, qui ob aduersam ualetudinem bello interesse non poterat, Brixiam profectus in urbe Laudæ Ioan. Paulum fratrem cum duodecim peditum cohortibus reliquit: uixq; circunsessa à Cæsarianis fuit ciuitas, cùm Germanus princeps, & Leua Fœcialem unà cum tubicine ad poscendam urbem, tanquam Cæsari debitam,

miserunt multum omnibus, qui intus essent, minati, nisi statim ciuitas dederetur. Ad ea Ioan. Paulus respondit se ab ipsomet Antonio Leua, dum Papiam aduersus potentissimum Regem tueretur, didicisse quàm pulchrum sit minis hostiũ haud terreri: nihilq; sibi optabilius, quàm palàm omnibus facere quantum Sfortiana uirtus ualeat. Quocirca reliquum erat Cæsarianis uim experiri. Et prima quidem tentandæ irruptionis prouincia Antonio Leuæ, & suis cessit: qui ut sibi animos, aut uireis non deesse demonstraret, post quassata machinis bellicis aliquandiu mœnia Hispanos, quorum promptitudini, & audaciæ plurimum confidebat, ad murum, quà maiorem ruinam dederat, premittit: qui scutis ingentibus tecti subsequentibusq; scloppetarijs signa inferre intra urbem: propugnatores è muris deijcere: suisq; aditum aperire quam maximè enitti: cõtrà Sfortiani præter plumbeas, & ferreas pilas, quas tormentis emittebant, saxa, & sudes in Cæsarianos uoluere: gladijs, atq; hastis irrumpentes hostes detrudere, ac in fossas præcipitare: ingentiq; clamore eorum ignauiam increpare, quòd patefacto perstrata mœnia aditu, tamen ingredi non auderent. Itaq; cum suprà horam tertiam atrociter pugnatum esset, nox inæquali iactura prælium diremit. Nam Cæsariani ob suorum cædem, qui tot præteritarum uictoriarum memores spe potiundæ ciuitatis glorioſam mortem oppetiuerant, mœsti redibant in castra. At Sfortiani repulsa tantis animis hostium ui ingentem hostium numerum, eorumq; minas paruipendebant: cupiebantq; ut rursus prælij fortunam experirẽtur. Sed Cæsariani, quia secus primum certamen cesserat, & cum urbs circunsessa fuit, nondum maturæ erant segetes, uictus penuria breui sperabant Sfortianos ad deditionem cogi posse. Neq; illos diutius ea spes frustratura erat. Nam congesta in unum intus omni annona iam nemini, prẽterquam militibus, panis impartiebatur: adeò ut uniuersus populus uel summo cum captiuitatis, aut cædis periculo egredi, uel intus fame mori cogeretur, neq; inde se eximere posset, nisi eo ano, incertum an cœli intemperies, aut tot impendentium periculorum metus, an fortè (ut plærique arbitrantur) diuina uindicta tot pernicialeis morbos attulisset, ut in unaquaq; regione Italiæ innumerabiles intra paucos dies ægroti mortui sint, & multo plures ea æstate, quàm desæuiente in cisalpina Gallia superioribus annis peste fato cesserint. Inuasit itaq; ea lues Cæsarianorum castra, qui Laudenseis obsidebant, & præcipuè Germanos milites: neq; ullus, postquam ægrotasset, conualescebat: & plærique fatum illud euitare non sperabant, nisi in patriam redirent. Atq; tum hac causa notissimũ, tum uictus etiam penuria, quàm diuturnitas attulerat belli, Germani frequentes quotidie ex castris discedebãt, & in Germaniam per Rhætorum, & Heluetiorum loca reuertebantur: neq; ea res ducem Brunsuicensem ualde cõmouebat, cùm tentata infeliciter prima expeditione difficiliores, quàm antea sperauerat, res Italiæ cognouisset. Accedebat quòd consumpto ferè omni militum ex Germania allato stipendio non modo suos in Neapolitanum regnum ad liberandum Cæsaris exercitum traducere non poterat: sed nec diutius apud Laudem urbem in castris continere: atq; ab Antonio Leua, qui ad eam diem suos priuatis aluerat oppidanorũ sumptibus, quotidie edocebatur quanta Mediolanensium esset calamitas, ut omnẽ exueret spem, si quid ab eis corradi ad sustentandum tam numerosum exercitum posse existimaret: simulq; omnia ipsius Leuæ facta, & consilia eo spectabant, postquam ditionis huiusmodi auxilio redintegrandæ spe deiectus est, ut Germanus quamprimum Italia abscederet: ne Mediolanensium imperio, quibus solus ad eam diem ipse præfuerat, excluderetur.

GA-

GALEACII CAPELLÆ DE REBVS GESTIS PRO RESTITVTIONE FRANCIſci II. Mediolanenſium Ducis, Liber VIII. & ultimus.

INterea Franciſcus Galliarum rex, qui aſsiduis Lautrechi nunciis certior reddebatur, quantũ ſibi immineret periculi tum ob ſtipendij defectum, tum ob eaſdem febreis, quæ, ut in cęteris Italiæ locis, ita in ipſius exercitu plærosq; ex militibus, præſertim Germanos, & Gallos inuaſerant, Franciſcum Borboniũ unum ex proceribus, ſancti Pauli Comitem cognominatum cum aliquot equitum turmis, & pedi-tum octo millibus in Italiam mittit ea ratione, ut ſi Henricus dux Brunſuicen-ſis in Neapolitanum regnum proficiſceretur ad Cæſarianos liberãdos, pariter & ipſe ſequeretur Lautrecho auxiliũ laturus: ſin minus, Venetis, & Sfortianis coniunctus in Inſubribus aduerſus Antonium Leuam bellum gereret: neq; ſi-neret per ignauiam res Cæſaris incrementũ accipere: & forte in Italiam eo tem-pore applicuit, quo dux Brunſuicenſis ob ſuorum diſceſſum in Germaniam ire parabat. Itaq; huiuſmodi cura liberatus, recuperatis in finibus Tranſpadanorũ prius aliquot oppidis & caſtellis, quæ paulo antè in poteſtatem Cæſarianorũ peruenerãt, dum Sfortiani Germanorum metu uireis omneis ad defendendas ciuitates cõtraxiſſent, in agrum Cremonenſem peruenit. Interea Germani, qui pro Carolo Cæſare in Italia militabant, ad pauciores quotidie redigebantur: Italiq; cum Hiſpanis non multi erant: equitatus etiam erat exiguus: ipſeq; An-tonius Leua, ad quem poſt receſſum ducis Brunſuicenſis ſumma rerum redie-rat, relicta iamdudum Laudenſis urbis obſidione Melignani caſtra metabatur: neq; diutius ſtipẽdij defectu ibidem permanere poterat. Sed neceſſe ei erat alia ratione exercitum alere: animoq; agitabat quomodo Mediolani ad urbis præ-ſidium Germanos ſaltem proximam hyemem continere poſſet. Quamobrem Mediolanenſes metu perculſi, ne iterum ad contributiones, aut ad præbenda militibus cibaria redeundum eſſet, etſi bis antea oratores ad Cęſarem in Hiſpa-niam ad quærendum tot malis auxilium profecti eſſent: tamen ne ſibimet de-fuiſſe uiderentur, tertium cum literis in hanc ſententiam oratorem miſerunt. Iamdudum inuictiſsime Cæſar calamitates noſtras, & per literas, & per orato-res Maieſtati tuæ patefecimus: quos ſingulatim quibus hactenus ærumnis à militibus tuis uexati fuerimus ſignificaſſe non ignoramus. Sed quia nullũ ad-huc remedium ſenſimus adhiberi, neceſsitate coacti oratorem hunc nouiſsi-mum mittimus, ut ſi aliį leniores in quærenda tot malis medela uiſi fuerint, is tanquam poſtremus, totum uulnus detegat: ne te ignoraſſe unquã dicere poſ-ſis quæ, & quanta, poſtquam hic à tuis dominari cœptũ eſt, pertulerimus. Poſt exactum enim diuturnum à nobis militum tuorum ſtipendium, omnem exer-citum tuum intolerabili in nos licentia debacchantem octo menſeis aluimus. Mox renouato bello, & deficiente rurſus ſtipendio, quindecim alios menſeis coacti fuimus quotidie pecuniam iuxta ſingulorum mille aureorũ cenſum ad ſumptum duorum peditum cõtribuere. Quæ ſumma ad quadringenta aureo-rum millia excreuit: neq; tam diuturno malo, niſi collato etiam aureorum tri-ginta quinq; milliũ tributo, finis impoſitus eſt. Quod ut in tempore exigi poſ-ſet, plurima prædia ad pauperum uſum teſtamento legata uiliſsimo pretio uen-dere oportuit. Atq; eo tempore tot domus à tuis militibus dirutæ, tot uirgines, tot nuptæ, tot uiduæ, & infantes cathenis multoties ob cõferendę pecuniæ im-potentiam uincti fuerunt: tot ciues dignitate, atq; opibus antea ſplendidiſsimi à militibus tuis pecuniæ cauſa in uincula coniecti occubuerũt, ut nemo diutur-

nius,aut miſerabilius ullius unquam ciuitatis excidium uiderit. Nam præter eos,qui domi,foriſq; ob uictus inopiã uita exceſſerunt,plærique ex ijs,qui nondum defecêre,pane tantum,& aqua diu uitam tolerarunt. Quid totius agri uaſtitatem,agricolarumq; fugam referre opus eſt? quibus ob crebras militum incurſationes nihil ad uitam tuendam relictum iamdudum fuit, ut nõ alia ex cauſa tot exitiales morbi omnem ditionem Mediolanenſem inuaſerint: qui & magnum ciuium noſtrorum numerum abſtulerunt: & paucos in agris reliquerũt ſuperſtites. Si qui autem euaſerunt, tanquam prorſus omni melioris fortunæ ſpe deſtituti,in alienas profecti ſunt regiones,ut quod uitæ ſupereſt, in quietioribus locis tranſigant. Atq; in hoc rerum ſtatu nouum tamen bellum, quemadmodum minimè tibi ignotum eſſe arbitramur, aduerſus hanc infœliciſſimam urbem parari audimus. Quocirca cùm nihil nobis reliqui ſit,quod ad ſuſtinendos belli ſumptus denuò conferamus, præter animam, eam ipſam, tanquam à Deo acceptam,ipſi uni cupimus (quoad licet) ſeruare: ut autem aliquandiu liceat,te Cæſar inuictiſsime ſuppliciter multisq; cum lachrymis obteſtamur: obſecramusq; ne eam nobis clementiam deneges,quàm etiam hoſti non imparti turpe eſſet. Huic urbi nonnunquam dominatæ ſunt externæ gentes: quæ urgentibus bellorum neceſſitatibus imperium relinquere maluerũt (licet fortaſſis,ubi melior ſeſe offerret occaſio,illius recuperationem tentare in animum induxiſſent) quam nobis nihil tale merẽtibus excidio eſſe. Eam autem ciuitatem Cæſar,quæ non modo opes : ſed etiam uitam, & ſanguinem pro eius exercitu ſuſtinendo iamdudum cõtulit,peſſum ire patietur? honeſtiſſimasq; populi ali quando de ſe benemeriti preces negliget? neq; tot malis ipſe, qui ſolus poteſt, auxilium feret? Quod ſi nullum,aut ſerum futurum eſt,audies paulo poſt eos, qui adhuc Mediolani ſuperfuerunt, cũ iam amplius tot mala pati non poſſent, patriam reliquiſſe,& uictum miſerabiliter petere ab ignotis : ſi modo qui præbere nõ abnuat,quiſpiam reperietur. Alioqui ferarum more herbis ueſcemur: quod adhuc plurimi ob inopiam facere coacti ſunt. Neq; id tamẽ abſq; tuę laudis imminutione euenire poterit: cuius cauſa nos ad huiuſmodi miſerias adducti fuiſſe palàm feretur: meminiſſeq; debes te quoq; natũ eſſe mortalem: atq; in hac ſuprema imperij ſede ad ſalutem,non ad hominum perniciem à Deo cõſtitutum: eidemq; omnium abs te reddendam aliquando eſſe rationem. Nihil autem ea legatio, literæue profecerunt, præterquam quod Cæſar eos per literas hortatus eſt,ut paululum adhuc tolerarent: fore enim ut breui intelligerent nihil quiete Italiæ ſibi eſſe charius. Interea Antonius Leua animo uoluens quã odioſum eſſet ſuperiorum contributionum nomen, excogitata alia recuperandæ ingentis auri ſummæ ratione pœna capitis, & fortunarum publicatione indicit ne quis panem conficere poſſit,aut farinam domi habere, præter eos, qui huiuſmodi uectigal conduxerant: à quibus in ſingulos farinæ medimnos aureos treis,nouem poſtea menſeis exegit: eaq; pecunia non modò Germanis, ſed & Hiſpanis,& equitibus ſtipendia abundè præbuit: reliquos autem Nouariæ,& in Laumellenſibus aliquot oppidulis,ac per uillas agri Mediolanenſis totam hyemem non tantum uictum quærere: ſed impunè etiam, cum aliter continere eos nõ poſſet,prædari permiſit. Dum hæc ab Antonio Leua ad protrahendum bellum parantur,iam Frãciſcus Borbonius iunctis Sfortianorum, ac Venetorum copijs ad circunſedendam Papiam profectus erat: neq; Leua, præter ducentos Germanos, atq; Italos fermè octingentos, quos in ciuitatem paulo antè præſidio miſerat,quicquam auxilij poterat amplius ferre. Sed Melignani ſe continebat rei exitum expectans. Verùm,poſtquam magna ui ab hoſtibus mœnia quaſſari audiuit,Mediolanum redire ſatius eſſe duxit,quàm ſine auxilij præſtandi facultate diutius milites ſub diuo cõtinere. Oppugnata itaq;

aliquot

aliquot dies ciuitate,& ſtrata haud parua murorum parte Galli admixtis Venetis,& Sfortianis dato pugnæ ſigno tanta animi promptitudine prælium ineunt,ut qui intus erant,licet ſtrenuè reſiſterent, ad propugnandum non ſuffice rent. Sed poſtquam Petrus Biragus unus ex ipſorum Ducibus ſcloppo crus grauiter ſaucius concidit,neq; ſe ab humo tolli, ne interea ſui prælium deſerent,paſſus eſt,& Petrus Butigella Cæſarianorum pariter Dux eodem teli genere uulneratus pugna abſceſsit, tunc Sfortianis, & præcipuè Annibali Picenardo Cremonenſi,qui peditibus mille & ducentis præerat, maxima laus urbis captæ ceſſit.Per eos dies Genua,quæ totam æſtatem atrociſſima peſte labo rauerat adeò,ut non ſolum ciues:ſed ipſi etiam milites, qui urbi præſidio poſiti erant,urbem deſerere cogerentur,magno in diſcrimine uerſabatur. Nam Andreas Doria, quem ſuprà Regiæ claſſis præfectum eſſe retulimus, parum gratum exiſtimans in ſe Regis animum, maius quàm dici poſſet, odium in illum contraxerat:duoq; hominem præcipuè mouebant. Vnum, quod non tantùm Lautrechus: ſed ipſe etiam Rex ab eo efflagitauerat Alphonſum Daualum, Aſcanium Columnam, & nonnullos alios Cæſarianorum duces, quos occiſo Vgone Hiſpano Neapolis Prorege Philippinus eius ex fratre nepos magna cum laude diſſipata Neapolitana claſſe captiuos fecerat:ipſiq; ualde Rex ſuccenſere,niſi illos redderet,uidebatur.Quod quidem Doria iniquum eſſe exiſtimabat:quoniam iure belli facultatem ſeſe pecunia redimendi captiuis feciſſet: neq; fidem ſuam frangi,neq; pecuniam ſibi debitam eripi æquum putabat. Alteram prætendebat offenſionis cauſam ob ſubductum promiſſum ſtipēdium: & propterea miſsionem aliquoties expoſtulauerat,ut ſibi, quò uellet, cum triremibus abire liceret:quam cùm Rex minimè concederet, teſtatus ſe iureiurando,quod ipſi aliàs præſtitiſſet,amplius non teneri,iam ſe Regis hoſtem apertè profitebatur:& cum Gennenſibus, à quibus ob rei naualis ſcientiam plurimi fiebat,ineibat conſilia patriæ libertatis reſtituendæ: multorumq; animos aduerſus Gallum irritabat,quòd non ſolùm Saonenſes, qui antiquo iure Genuenſibus ſemper paruerant,liberos effeciſſet:ſed contra toties promiſſam fidem antiquam etiam Genuæ oppreſsiſſet libertatem. Quę quidem multo antè proſpiciens Theodorus Triuultius iamdudum ad Regem ſcripſerat ſatius eſſe Saonam Genuenſibus reddere, quàm populis natura leuiſsimis eo tempore nouandarum rerum præbere cauſam: ſimulq; monebat, Doriam uirum ad omnem rem maritimam opportuniſsimum liberalitate, atque officijs continere, optimum ſibi uideri.Sed dum Rex fidelibus Triuultij conſilijs minus auſcultat,Doria fortè nactus occaſionem,dum peſtis adeò ſæuiret, ut ciuitas penè ab omnibus deſereretur,ipſeq; Triuultius urbis præfectus multitudinem fugiens intra arcem ſe contineret,cum armatis aliquot triremibus urbi appropinquat. Et quamuis in recipienda per uim ciuitate parum profuturus eſſet, tamen Gallica claſsis,quæ tum in portu erat,metuens ne ſibi iter in Galliam intercluderetur,confeſtim abijt. Itaq; paucis repugnantibus Doria cum ſuis ad numerum quingentorum Genuam ingreſſus eſt: uocatisq; ſtatim ad libertatem ciuibus omneis ad arma ſuſcipienda hortatur:ipſiq; Dij uelle uidebantur Italiæ imperium è Gallorum manibus uindicari.Nam intoleranda uis morbi (uti dictum eſt) omnium fermè corpora in tota Italia per eam æſtatem adeò uexauit,ut tem poris uitio pauci reperti ſint,qui non ægrotauerint. Quamobrem in Gallico exercitu,qui iam quartũ menſem Neapolim obſidebat, multitudine languentium plærique neglecti, deſertiq; moriebantur: quotidianaq; funera ob omnium oculos erant.Et quamuis eadem quoque morbi uis Cæſarianos inuaſiſſet:tamen umbræ,tectaq; urbis ipſos recreabant. At Galli diu circunſedendo, lociq; ipſius grauitate ex quinque & uiginti armatorum millibus intra triginta

dierum ſpatiũ amiſſo, interim Lautrecho duce ad quatuor millia redacti ſunt. Atque ita Neapolis obſidionem deſerere coacti capti, & ſpoliati propè omnes ad Auerſam urbem fuere. Huiuſmodi igitur nuncio Genuenſes, tanquam diuino auxilio freti, Theodorum Triuultium non ſolùm obſidere intra arcẽ pergunt: ſed etiam aduerſus Franciſcum Borbonium, qui ex Inſubribus digreſſus cum tribus millibus expeditorũ militum Genuam properabat, alacres urbem tuentur, & obſidionem arcis haud intermittunt. Quare Gallus, qui omnem recuperandæ ciuitatis ſpem in celeritate poſuerat, & propterea minorem commeatus ſecum afferendi habuerat rationem, cum ob locorum aſperitatem, & populorum in Gallos concitatum odium minimè efficere poſſet, ut in uſum exercitus annona in tempore ad ſe afferretur, & cum paucis ipſe profectus, præter ſpem, hoſteis magno in numero intra urbem ueniſſe intelligeret, re imperfecta retrogreſſus Alexandriam ſe contulit: ibiq; (quoniam hyems iam inſtabat) hybernare cum militibus conſtituit. At Genuenſes maioribus animis obſidioni innixi intra paucos dies Triuultium penuria uictus coegerunt ad arcis deditionem: mox cum ualidioribus copijs aduerſus Saonenſeis profecti imperij iugum nemine auxilium ferente ſubire coegerunt. Adempta igitur in hunc modum Gallis Genua, cum in proximum annum omnis Franciſci Sforti æ recuperandi Mediolanenſis ducatus ſpes coniecta foret, reliquum erat per hyemem nequaquam ſinere hoſtium uireis in Inſubribus incrementum accipere, dum interea Galliarum Rex ualidiores copias pararet: quibus & amiſſum propè partum Neapolitanum regnum recuperare poſſet: & Cæſarianos iuxta fœdus Italia expelleret. Cæterũm nihil æquè Regis animum angebat, ac Genuæ amiſsio: quod & ciuitas eſſet ob uicinitatem peropportuna rebus ſuis, & antiquo titulo obnoxia: & quod priuatus ciuis, qui tot annos ipſius ſtipendio militaſſet, nullo externorũ principum auxilio, non ſolùm florentiſsimam ciuitatem occupaſſet: ſed pulſo etiam undique Gallico præſidio, regiam potentiam contemnere uideretur. Quamobrem Franciſcus Borbonius, qui Regis animum planè nouerat, cum per exploratores audiuiſſet Genuenſeis, tanquã ab hoſte ſecuri eſſent, omnem fermè militarem cuſtodiam intermiſiſſe, ſimulq; relatum eſſet inuiſam eſſe multis nimiam Doriæ potentiam, occaſionem recipiendæ Genuæ oblatam eſſe exiſtimans Monteiano peditum præfecto mandat, ut cum expedita militum manu celeri itinere proficiſcatur. Fieri enim poſſe ut in proximam noctem Genuam aduentaret: anteq; occuparet urbem, quã quicquam tale à ciuibus ſuſpicaretur: & quoniam relatum quoq; erat Doriam in ſuburbano habitare, eius per noctem comprehendendi cura Valcerchæ uni ex centurionibus, qui melius de facie hominem nouerat, iniuncta eſt: & militibus quidem maturandi itineris ſedulitas non defuit. Sed cùm omnia, quæ de Genuenſium negligentia dicta erant, uana offendiſſent, neq; in ſuburbano per eam noctem Doria moram traxiſſet, ne tantum itineris fruſtra eſſet ſuſceptum, direpta ipſius Doriæ domo Galli Alexandriam extemplò rediere: neque amplius Genuenſis expeditionis tentandæ oblata eſt opportunitas. Nam poſtquam Carolus Cæſar in Hiſpania Doriæ facinus agnouit, haud ignarus quantum antea rebus ſuis in Italia detrimenti allatum eſſet ob Genuæ iacturam, urbem rei maritimæ opportuniſsimam in diſcrimen amplius adduci noluit. Igitur nauibus eò tranſmittit Hiſpanorum peditum circiter duo millia, ut præſtò eſſent (ſi ita expediret) uel ad oræ Lyguſticæ defenſionem, uel ad augendum Leuæ in Inſubribus exercitum. Quocirca ipſius Leuæ iuſſu Lodouicus Barbianus (iamdudum enim Gallorum manus effugerat) Genuam proficiſcitur, ut peditibus rerum Italicarum ignaris præeſſet. Quos poſtquam inter ſaxa & rupeis aliquandiu continuit, ægreq; illi ſine ſtipendio, & pecunia uictum ſibi

parare

parare poterant, neque à Genuensibus urbem introire permitterentur, per Apennini saltus in Placentinos traduxit. Atq; ita hosteis fefellit: qui iampridem æstate aduentante instauratis exercitibus, auctisq; tam pedestribus, quàm equestribus copijs illorum iter ad Antonium Leuam intercludere conati erant: sed dum Derthonensem, atq; Alexandrinum agrum obseruant, quà uenturos existimabant, illi longiore uia profecti per montana loca, quæ Romano Pontifici parebant, ad Padum eregionè oppidi Belgiosi perueniunt: cumq; eò Antonius Leua adductis omnibus copijs Mediolano ueniſſet, nacti ab incolis nauis nemine repugnante Padum trajiciunt. Venerant autem ex Hispania plærique eorum sine calceis: multi absque induſio, & lacerna, omnes autem propè seminudi, colore etiam, & uultu ita squallido, ut fame consumpti uiderentur, ac ut ueriſsimo uocabulo Egeni ab omnibus nuncuparentur. Necq; eorum in urbem aduentus minores, quàm antea reliquorum militum, calamitates attulit. Nam cùm Germani, quibus abundè stipendia ex nouis panis uectigalibus pendebantur, eo importunitatis proceſsiſſent, ut pro libito domos ciuium ingreſsi hic prandium, illic cœnam sibi parari, nec niſi accepta etiam pecunia abire uellent, occluſæ domorum fores totos dies permanebant: neque propterea tutæ erant ab iniuria. Nam per tecta, per feneſtras, trans parietes allatis ſcalis introibant milites: nihilq; proficiebant, qui tantæ inſolentiæ ad Antonium Leuam deferebant querelam: quin adeò mos huiuſmodi inualuerat, ut uerteretur in iocum, ſi in quampiam domum, dum aliquis egrederetur, Germani ſtatim irrumperent. Poſtquam autem Egenorum multitudo in urbem confluxit, id adiectum eſt mali, quod per compita, & uias ſæpenumero ueſtimenta ciuibus detrahebantur per uim: & cum pecunijs crumena auferebatur. Quocirca plærique ex ijs, quibus quidpiam adimi poterat, domi latitabant expectantes quem finem tam diuturnum bellum aliquādo eſſet habiturum. Iam enim Galeus Mortariū per uim receperat: & Philippus Torniellus relicta Nouaria Mediolanum ſe contulerat: neque, præter duas arceis, quiſquam locus Cæſarianis trans Ticinum parebat: Venetiq; traiecto Abdua cum omnibus copijs Melignanum rurſus uenerant. Ipſi autem Sforziani partim ad Gallum, partim ad Venetos tranſiuerant, ut in utroque exercitu (quoniam bellum confici ſua magis intererat) aduerſus hosteis pugnarent: uerùm ſtatim conficiendi belli ſpes euanuit. Poſtquam enim in aciem exercitus prodijt, cognitum eſt & Gallum, & Venetos pauciores militum copias adduxiſſe, quàm ſeſe antea paraſſe iactauerant. Quamobrem Sforzia admonebat, quando Mediolanum urbem adeò uaſtam, præſertim nouis Hiſpanis ad Leuam auxilio profectis, oppugnare ipſi haud ſufficerent, ut diuiſis copijs Veneti Caſsianum, Galli Abbiatum ſeſe reciperent: equitatuq; prohiberent quidpiam ad hosteis comportari: fieri enim poſſe, ut ciuitas paruo temporis ſpatio ad deditionem cogeretur, cùm ob diuturnum bellum in toto agro Mediolanenſi nullę fermè eſſent ſegetes: omniaq; alia eſculenta direpta iamdudum fuiſſent. Sed Gallus, ubi recuperandæ Mediolanenſis ditionis facultas non daretur, mandatum à Rege accepiſſe dicebat, ut rem potiſsimum Genuenſem curaret: & propterea trans Padum redire ſibi ſatius eſſe, cùm Veneti Caſsiano, Sforziani autem Papia, & Vigleueno hoſtem comprimere ſufficerent, ne longius euagaretur. Itaque in caſtra reuerſi duces, confeſtim Veneti Melignano mouerunt: ipſe autem Gallus, qui ſuos propius urbem admouerat, ad uicum Landrianum duodecim paſſuum millibus inter Papienſem, & Laudenſem uiam ab urbe ſe contulit: ibique dum impedimenta, & machinas bellicas, unaq; primam ſuorum aciem præmittit, & ipſe ſerius diſcedit cum media, & poſtrema acie, Leua Mediolani per ſpeculatores certior redditus Gallum præmiſſa copiarum parte, Landriani moram trahere,

uocatis ad consilium ducibus, magna, inquit, adipiscendæ uictoriæ nobis sese offert occasio. Veneti, unaq; Sfortiani, sicuti hodie accepi, cum Gallo discordes Melignano abierunt. Gallus autem Landriani substitit: huic ego congredi, si me sequi uolueritis, iamdudum animo agito: nec uereor quin uestris uiribus nihil tale opinantem ante opprimam, quàm arma expedire, quàm aciem instruere possit. Cæterùm si forte prius inde abierit, fugati hostis gloria, simulq; ex ultimo agmine nobis præda minimè poterit deesse: cumq; omnes in eandè sententiam transissent, ad arma per totam urbem conclamatur, & in unum coacti omnes superinduto armis candido indusio, ut per noctem à suis dignoscerentur. Antonium Leuam sequuti sunt non sine magna ciuium admiratione, qui hostes diuisis copijs abijsse nescij non obstupescere non poterant, cum uiderent ipsum Leuam ob podagram, & articularem morbum sella incubantem à quatuor hominibus armatum gestari: memoresq; cladis apud Caratum superioribus annis Medici illatæ existimabant strenuum quidpiam facinus tentari: sed ob numerosiorem, & omnibus rebus magis instructum hostem dissimilem exitum sperabant. Constitutis igitur in hunc modum inter spem, & metum Mediolanensibus, cum per noctem Cæsariani sine tubarum, aut tympanorum sono pedetentim processissent, atque ad duo milliaria uicini essent hostes, iterum ab exploratoribus admonitus Leua illos nondum Landriano abijsse, citatiore gradiens passu prius illos inuasit, quàm ipsorum aduentum persenserint. Quare cum uix arripiendorum armorũ tempus concederetur, iamq; prima acies sub Ioan. Thoma Galerato Mediolanensi præmissa abesset longiùs, neq; admonita in tempore reuerti posset, reliquum erat Gallo his copijs, quæ secum erant, pugnæ fortunam experiri. Maximam autem spem posuerat in Germanis peditibus, quos ad duo millia & quingentos tum è Germania, tũ è Cęsarianorũ transfugis, antea collegerat nisi & ipsi fortunam, animosq; cum domino mutassent. Nam in primo congressu perculsi loco cesserunt: & nisi aliquantisper Italorum peditũ circiter duo millia ducibus Hieronymo Castilionensi, & Claudio Rangonio Mutinensi impetum sustinuissent, nemo in toto exercitu erat, qui nõ statim omnem salutis spem in fuga poneret. Sed dum Italis eorum conspectum fugere, quos nuper oppugnatum uenerant, summum dedecus uidetur, præliatum est parumper æquis animis: mox equitatu, & Germanis terga dantibus, Itali pariter pugnæ uictoriam hostibus cõcedunt. Ipseq; Frãciscus Borbonius, dum frustra præaltam fossam equo transilire nititur, cum Castilionensi, & Rangonio, atq; alijs quam plurimis in hostium manus incidit. Atq; ita equi, iumẽta, uehicula, omnis ferè & Gallorum, & totius exercitus supellex, machinæq; imprimis bellicæ Cæsarianorum præda fuere: reliquitem, qui abiectis, aut relictis impedimẽtis abiere, cum prope Papiam applicuissent, à Picenardi militibus qui præsidio urbis impositi erant, armis, atque equis exuti plus auaritiam in hominibus iamdudum prædæ assuetis, quàm amicitiã, aut fidem posse perspexerũt. Per idem ferè tempus Nouarię memoria dignũ facinus editũ est. Nam postquã Antonius Leua exploratis hostiũ uiribus cognouisset sibi ab eorũ impetu parum timendũ esse, Philippum Torniellum cum trecentis fermè peditibus paruoq; equitatu Mediolano emiserat ea ratione, ut dũ hostes cis Ticinum moram traherẽt, Torniellus amnem transgressus Nouariã, reliquaq; eius agri loca reciperet. Sed quia nullæ naues ad trajciendum fluuiũ aderant, lembos duos carris impositos secum adducit. Atq; ita cum paulatim sui amnem tranassent, equiq; habenis ab ijs, qui in lembis erant, deducti ad alteram ripam incolumes peruenissent, improuisò nonnullos Sfortianos peditum, qui arcem quandam circumsederant, aggressus nihil tale opinantes opressit. Itaq; armis, impedimẽtis q; spoliatos capto eorum duce abire permisit.

Post

Post hæc Nouariam ire pergens per arcem, quæ à Cæsarianis tenebatur, in urbem intromissus alterum Sfortianorum ducem cum peditum cohorte coëgit ad urbem tradendam. Exinde quia maturæ erant segetes, & coloni Gallis, & Sfortianis victoribus spe pleni armenta è montibus domum coëgerant, emissis militibus properat undiq; prædam agere: at præfectus arcis iam semotis hostibus, nihil sibi amplius timendum putãs, cum aliquot è suis animi relaxandi gratia per urbem nonnunquam inambulabat: cum captiui quinq;, duo scilicet Sfortiani, reliqui Nouarienses custodiæ causa eò adducti nõnullorum auxilio, qui in arce opus faciebãt, arreptis armis, & Hispanis, qui pauci intus erant, partim trucidatis, partim in carcerem coniectis arce potiuntur: & quia nondum Gallos profligatos fuisse audiuerant, auxiliũ à suis haud frustra sperabãt. Nam Sfortia quamprimum Torniellum Mediolano egressum esse per exploratores cognouerat, Nouariam ipsum petere arbitratus ad suorum tutelam Ioan. Paulum fratrem cum ualida peditũ, atq; equitum manu iusserat properare: iamq; Vigleuenum applicuerat, cùm Torniellus audiens præfectum arce exclusum, nullam moram interponendam ratus eò accurrit: minisq; propugnatores, nisi portam recluderent, terrere: mox arma expedire: scalasq; parare, ac suos ad cõscendendum hortari. At Sfortiani, qui intus erant, ob paucitatem diffisi nihil præter quàm de conseruanda ipsorum uita pacti, demisso ponte Torniellum intrò admiserunt. Itaq; ipsi incolumes reliquis Nouariensibus trucidatis uallissimam arcem, quam inopinato euentu hosti eripuerãt, deserere coacti sunt. Dum hæc agerentur, iam fama erat Carolum Cæsarem post Gallorum apud Neapolim excidium ingentem triremium, atq; omnis generis nauium numerum paraſſe, Italiamq; decreuisse eo anno petere, ut de more imperatoriam coronam assumeret: & idcirco Barcinonæ fœdus cum Clemẽte pontifice percussisse: obliteratisq; odijs Medicum familiam, quàm Florentini direpta à Cæsarianis Roma ciuitate eiecerant, restituere promiserat. Insuper quietem Italicam sibi iamdudum cordi esse adseuerans, nihil pro communi Christianorum pace, simulac in Italiam ueniſſet, prætermissurum pollicebatur. Iamq; Andreas Doria ipsi obuiam cum Genuensium classe in Hispaniam profectus erat: & Galliarum Rex omnia sibi in bello aduersa hactenus contigisse prospiciens malebat legationibus de rebus suis, quàm armis cum Cęsare agi: sperabatq; æquiores conditiones referre, si fœdus ante aduentum ipsius in Italiam tractaretur. Atq; ob id Lodouicam matrem adhibitis aliquot regni Consiliarijs Cameracũ præmiserat, ut unà cum Margareta ipsius Cæsaris amita, quæ iamdudum Belgicę inferioris administrationi præerat, in finibus utriusq; prouinciæ conueniret. Nec difficilè admodum fuit utrinque animis ad concordiam inclinantibus rem componere, Gallo præsertim Heliodoram ipsius Cęsaris sororem uiduam in matrimonium ducente: & numerante pro filiorum redemptione aureorum uigesies centena millia. Fama aduentus Cęsaris in Italiam increbrescente Francisci Sfortia, qui profligato exercitu, & capto Francisco Borbonio duce nullam amplius in Gallo spem sibi supereſſe ꝓspiciebat: & sua cum Venetis arma ad ducatum recuperandum nõ sufficere arbitrabatur, quomodo Cæsari reconciliari posset, indies animo uoluebat: nemoq; ad id Pontifice magis idoneus uidebatur, tum quòd Romanę ecclesiæ haud minimum conducebat Italiam esse pacatam, tum etiã quòd Cæsare in Insubribus occupato nulla subiugandæ Florentinæ Reip. aderat occasio. Accessit insuper ad mouẽdum Cæsaris animum bellum, quod eo tempore Solymanus Turcarũ Imperator aduersus Ferdinandum ipsius Cæsaris fratrem tantis uiribus gerebat, ut paucis diebus omnẽ inferiorẽ Pannoniã expugnatis arcibus, & locis plærisq; eius Prouinciæ munitionibus in potestatẽ redegerit: adeò ut nisi Vienna ciuitas magno militũ præsidio

munita

munita obstitisset, qui tantos conatus retardaret in tota Germania obuiam habiturus fuisset neminem. Quamobrem Carolus Cęsar, ubi Genuam applicuit, his copijs quas secum nauibus aduexerat, Placētiam ire perrexit: euocatumq; statim ad se Antonium Leuam, qui post captum Franciscum Borbonium, & profligatos Gallos, aduersus Venetos Cassiani supra Abduam castra metatos exercitum adduxerat, comiter excepit unaq; de rebus Insubrū collocutus, etsi maximè eius animus ad pacem Italicam inclinaretur: tamen homini summa cupiditate conficiendi iamdudum cœpti belli inflammato exercitum aduersus Sfortianos, qui Papiæ erant, adducere permisit: propterea quòd à legatis Franciscī eorum ducis impetrare non potuerat, ut eam ciuitatem, atq; Alexandriam sequestro Clemens Pontifex teneret, donec de innocentia Principis cognosceretur. Erecta eo tempore mirum in modum omnium erant studia. Nam & qui Cæsaris partibus fauebant, nihil ipsum in Italia agentem non conficere posse sperabant: & qui Franciscum Sfortiam cupiebant imperare, tum ob eius innocentiam, Pontifice præsertim interceſſore, tum ob conseruandam Germaniam aduersus ingenteis Turcarum uireis Cæsarem necessitate adductū iri ad Principem restituendum existimabant: haud enim ueriſimile erat aduentante iam hyeme totum bellum eo anno confici posse: & in proximum differre in tanto Turcarum metu non satis tutum uidebatur. Non parum etiam mouebant tot exercitus nuper ex Germania, atq; Hispania adducti, præter ueteranos, qui ob ipsius Cæsaris aduentum non solùm pręsens stipendium: sed pręteriti etiā temporis efflagitabant: & facta seditione ad quingentorum numerum Mediolanū ingressi, cum in urbe circiter uiginti dies moram traxissent, pręter cæteras uexationes, haud mediocreis calamitates iamdudum afflictæ ciuitati attulerūt. Reliquum igitur erat rebus compositis, Frāciscum Sfortiam in paternū auitumq; sceptrū restituere, nisi id è dignitate Cæsarea haud esse Antonius Leua adseuerans magnis uiribus Papiam oppugnare, machinas bellicas, tormētaq; quamplurima adducere, scalas parare, milites q; ad prælium expedire properasset: quibus rebus etsi parum mouebatur Annibal Picenardus, qui præsidio urbi erat, tamen cum in secundum usq; mensem cōmeatus intus non suppeteret, & emissis paulo antè quatuor peditum cohortibus ad sancti Angeli oppidū, quò ipse Leua exercitum adducere dissimulauerat, pauci in urbe contra tantas hostium uireis remansissent, anteqüam ab hostibus oppugnatio fieri cœpta esset, deciuitate tradenda paciscitur, nō sine maxima adeptæ antea gloriæ imminutione, atq; auaritiæ nota: quod metu amittendæ ad eam diem congestæ prædæ deditionem fecisset: sed utcunq; sit, hoc unum detrimenti Picenardus attulit, quod amissa Papia grauiores postea conditiones impositæ sunt. Pacis enim consilia haud propterea aspernatus Cæsar, antequam Bononiam proficisceretur, quò Clemens Pontifex ad ipsum excipiendum Roma ueniebat, Mercurinum Cattinarium Cardinalem, summumq; imperij Cancellarium Cremonam misit, ut cum Sfortia de conditionibus restituendi ducatus ageret: moxq; Antonium Leuam, quem huic cœpto existimabat obstare, Bononiam ad se euocat: atque interea Lodouicum Barbianum Insubribus præpositum esse iubet. Cæterùm ne, dum pax tractaretur, milites, qui in Insubribus hybernabant, nihil agerent, Barbianus Hispanos, atq; Italos pedites, quos ad septem millia secum habebat, ad oppidum sancti Angeli adducit: quod Sfortianorum duæ, totidemq; peditum Venetorum cohortes præsidio munierant. Sed postquam aliquandiu Barbianus tormentis, & machinis oppugnasset mœnia, nactus opportunitatem iugis pluuiæ, cùm scloppetariorum sub diuo pro muris dimicantium nullus esset usus, suos scutis innixos gladijs, & pilis aduersus hostes pugnare, in primisq; ipse inter medios uersari, ac strenuos quosque murum ascendere

ascendere hortatur. Sfortiani igitur, & Veneti, cum abiectis scloppis ob pluuiã cominus pugnare sibi necesse esset, fracti animis paulatim hosti cedere, atque aditum Cæsarianis præbere intra oppidum. Itaq; ingressi hostes quos primum habuere obuiam, ad unum ferè omneis necí dedere: reliquos autem iam mitigatis animis inermeis, pecunijsq; spoliatos abire permiserũt. Hoc successu elatus Barbianus, etsi ualde cuperet Laudensem expeditionem aggredi, propterea quòd eam ciuitatem toto in bello, tanquam durissimam frontem, Cæsariani obuiam semper habuerant: tamen & hyeme iam aduentante, & parum suppetente militum stipendio, satius duxit trans Abduam proficisci, ubi nullis antehac anno militum hospitijs homines uexatí cõmeatu abundabant, quàm frustra ciuitatem præsidio, & mœnibus munitissimam tentare. Iamq; Cassiani supra Abduam confecto ponte, & parte copiarum transmissa, nonnullæ Hispanorum cohortes ex ijs, quí Egeni nuncupabantur, retrocedendi consilio inito Mediolanum properabãt: cùm Barbianus audita suorum seditione ad urbem aduolat: & ne ciues per uim illos alere, aut quicquam durius pati cogerentur, quemadmodum paulo antè Leua Papiam oppugnante contigerat, præcipit omnibus, quí per ætatem possint, arma caperent. Quare Hispani, quibus sine prælio introire nõ licebat, retrocedere, ad exercitumq; proficisci, quàm pugnæ periculum facere satius duxerant. Per id tempus Veneti, ne soli quietem Italiæ ægrè ferre uiderentur, de pace cum Carolo Cæsare Bononiæ agere cœperunt. Quocirca Franciscus Sfortia magis ad pacem accensus decreuit quoquo modo restitutionis conditiones accipere: & accepto fidei publicæ à Cæsare diplomate Bononiam proficiscitur: utq; primum ad conspectum Cæsaris accessit, uerba fecit in hanc fermè sententiam. Nihil mihi unquam fuit optatius, dum per tuos inuictissime Cæsar licuit, quàm ut aliquando daretur occasio: qua meam erga te obseruantiam, & studium demonstrare possem. Cognouisses enim te in minimè immemorem beneficium contulisse. Sed quando sors ita ferebat, ut non sufficeret tuo me auxilio in paternum Ducatum restitutum esse, nisi iterum, atq; iterum uictricia tuorum arma contra hostem multoties bellum instaurantem præstò fuissent, gaudebam saltem quòd in tantis rerum turbinibus inclinante nonnunquam ad hosteis fortuna, animum tamen semper eundem seruaueram: neq; hostis pollicita, neq; cuiuspiam stimuli meam erga Maiestatem tui nominis fidem labefactare potuerant. Quod cum ita palàm esset, ut te nullo modo ignorare existimarem, fieri posse non putabam, ut cùm tanta fidei in me documẽta perspexisses, in suspicionem læsæ maiestatis Romani imperij apud te inciderem. Sed quoniam in non obscura multorum æmulatione tibi necesse erat interdum sermonibus tuorum, quibus immitiora consilia magis placebãt, aureis adhibere, ipse fortunam meam potius semper doluí, quòd per locorum distantiam causam meam iustissimam apud te probare non possem, quàm tuam in me (etiam cùm tuorum armis acerrimè obsidebar) asperitatem, aut inclementiam unquam accusaui. Quin etiam speraui omni tempore nõ modo tot calamitatibus Italiæ: sed meæ etiam expulsioni nullum ab alio, quàm à te salutarius remedium afferri posse. Itaque aduentum tuum uotis exposcebam. In animum enim induxeram, quando te absente indicta causa fuerã damnatus, nunc te iudice in Italia existente innocentiam meam ab inuidorum calumnijs tutam fore. Atque hæc cum dixisset Sfortia, reddito statim Cæsari diplomate nulli rei se magis confidere, quàm benignitati, clementiæq; ipsius dixit. Quocirca Cæsar pro re pauca respondit: amplexatusq; Principem bono iussit esse animo: postmodumq; Pontificis, & Mercurini Cardinalis opera constitutis de restitutione conditionibus Sfortiæ necesse fuit, præter ea,

quæ

quæ purpuratis ipsius imperatoris dono dedit, summam aureorum noningentorum millium Cęsari polliceri: è quibus primo anno, qui erat à partu Virginis trigesimus supra millesimum, & quingentesimum, atq; huiusce belli decimus, quadringentena millia, reliqua æquis pensionibus in annos decem numerare teneretur. Cognita Francisci Sfortiæ restitutione, Hispani iterum iam Lodouico Barbiano ex acuta febre Mediolani uita functo, seditione facta urbem hostiliter minantur ingredi, nisi emerita iamdudum stipendia sibi à ciuibus pendantur. Quamobrem Mediolanenses conuerso in mœrorem gaudio, quod ob restitutum Principem suum conceperant, legatos ad Cæsarem mittunt obsecrantes, ut iam initis cum Francisco ipsorum Duce pacis conditionibus miserrimam ciuitatem ad superiores sumptus, & ærumnas, quibus plus æquo iamdudum uexata fuit, redire nõ sinat: & propterea, si quæ militibus restant numeranda stipendia, ea ex priuatis Mediolanensium pecunijs, quæ iampridem exhaustæ sunt, nequaquam erogari debere. Quod cùm Cæsar æquum esse dixisset, ut eo metu ciuitatem liberaret, militum partem exauctoratam in patriam redire iussit: reliquos autem traduxit ad Florentiam obsidendam: neq; in Insubribus quenquam remanere permisit, præter illos qui Comi, & in arce Mediolanensi custodiæ præfecti erant: utrunq; enim locum in pacis conditionibus, tanquam pignus pecuniæ primo anno promissæ sibi reseruauerat. Quamobrem Franciscus Sfortia acceptis à Carolo Imp. iustis ducatus Mediolanensis titulis, Alexandrum Bentiuolum uiceis ipsius gerentem, Iacobum Philippum Saccum senatus præsidem, cæterosq; magistratus Mediolanum ad suscipiendam imperij administrationem mittit: qui statim uocatis urbanarum rerum præfectis, ut tam ingens pecuniarum summa ad constitutum tempus exsolui posset, uectigalia primum omnia duplicarũt: mox cum ob populi paucitatem ea minimè sufficerent, ne tanti oneris quisquam immunis esset, decretum est ut in singulos farinæ triticæ medimnos aureus nummus tertia parte adiecta, duoq; denarij supra eius summæ dimidium in parem siliginis, & milij mensuram: at in unamquamq; uini metretam asses æris uiginti tantùm exigerentur. Cæteris quoq; in ciuitatibus, & locis Mediolanensis ditionis, præter consueta uectigalia, par tributum, licet alia atq; alia ratione impositum est. Atque hæc, quanquam grauissima essent, præsertim populis tamdiu atrociss imo bello, fame ac peste uexatis: tamen tanta animi moderatione antea Franciscus Sfortia imperauerat, ut eo restituto omnes in meliorem uiuendi spem erecti sint.

FINIS.

CLA-

CLADES IN CAMPO MOHACZ, IN QVA LVDOVICVS OCCIDIT, A' D. STEPHANO BRODERITH OLIM Procancellario descripta.

REGNABAT eo tempore, quo Solymanus Hungariam ualidissimo exercitu est aggressus, anno 1526, Ludouicus eius nominis secundus, Hungariæ, Boemiæq; rex, Vladislai Cazimiri ex Anna de Caudale Galla filius: qui patre in ætate pupillari amisso, agebat eo tempore, quo bellum est ei per Turcam motum, primum & uigesimum annum. Fuerat ei paucis mensibus ante mortuum patrem desponsata Caroli Imperatoris ac Ferdinandi Archiducis Austriq; soror Maria: quam statim ut ad annos pubertatis peruenit, duxit in uxorem: sorore sua natu maiore Anna, eodem tempore Ferdinando in matrimonium tradita. Erat Ludouicus iuuenis procerus, forma corporis supra alios æquales egregia, naturæ singulari bonitate, & præclara indole: uirtutis ita insignis, ut si eum ad maturiorem ætatẽ peruenire contigisset, habuissemus in eo proculdubio, longè optimum ac præstantissimum principem. Ingenio erat miti admodũ, ac minimè feroci, ad omne rectum & honestum mire flexibili, & sua etiam sponte procliui. Præterea armorũ tractandorũ, equitandi, uenandi, & alia huiusmodi iuuenilia & militaria opera exercendi studiosus, uerax, cõstans, & secreti, si qd' ei credidisses, tenacissimus.

Erat eodem tempore regni comes Palatinus, quem uocant, quæ prima est à rege inter seculares dignitas, Stephanus Batori: superstes Stephani Batori, qui sub Matthia rege impigrè & magna cum laude rem Transyluanam administrauerat, ex fratre Andrea nepos: & Transyluaniæ præerat Ioannes Zapoli, comes Scepusiensis, is qui paulo pòst regnum est adeptus. A' patre Stephano in ampliss imis opibus cum fratre Georgio est relictus: tanta apud nobilitatem gratia & fauore, ut iam inde à puero omnes eum, ueluti regni successorem, si illud hærede legitimo uacuum remansisset, obseruarent, & in eum unum omnium oculi essent coniecti. Maiori Vualachiæ, quam Moldauiam appellant, Stephanus: minori, quam Transalpinam uocant, Radul imperabant, utercq; regi Hungariæ subiectus. Banus Dalmatiæ, Croatiæ & Sclauoniæ (nam hæ tres prouinciæ ab uno magistratu regebantur, quem nos maritimũ etiam præfectum dicimus) erat Franciscus Bathiam, obsequijs familiaribus iuuenis olim regi adhuc puero conciliatus. Arcem Themesiensem, & eas regni partes quas inferiores uocamus, Petrus Pereni tuebatur: & is coronã etiam regni, post mortem patris Emerici Pereni, apud eum relictam, cum eo quem diximus Ioanne Zapoli comite Scepusiensi seruabat. Sirmio, & ei regni parti, quæ inter Sauũ & Drauum per ripam Danubij iacet, Paulus Tomorij Archiepiscopus Colocensis præerat, ex ordine eorũ quos Fratres minores de obseruantia uocamus: uir strenuus, & qui, antequã eam religionem intrasset, plurima exhibuerat, nec modica suæ uirtutis argumenta, cum hoste sæpius congressus. Vacante postea Archiepiscopatu Colocensi, cùm ea bona, amisso paulo antè Belagrado, non minus defensore quàm sacrorum ministro indigere uiderentur: postulatũ fuit in publico regni conuentu ab omnibus, ut Paulus è religione, si exire abnueret, etiam ui & authoritate summi pontificis Romani extractus, illi ecclesiæ, illis q; locis ab hoste defendendis præficeretur. Diu multum q;, ac uerè, nõ simulatè

Palatinus.

Ioan. Vaiuoda.

latè reluctatum, tandem uoluntati regiæ ac regni parere coegerũt. In qua præfectura, confessione omnium, perperam etiam de eo iudicãtium, (ut nulla excellens uirtus sine inuidia est.) ita se gessit, ut nihil penitùs prætermiserit, nõ solùm quod ad strenuum militem, & Imperatorem, sed etiam, quod ad uirum religiosum, & bonum Archiepiscopum pertineret: nihil de priore uitæ austeritate, neq; in cultu corporis, neq; in ulla alia re remittẽs, aut immutãs. Comes Christophorus de Frangepanibus, ante menses aliquot ab obsequijs Ferdinãdi Archiducis, magnis promissis ad regni obsequia accersitus, cùm postea loco beneficiorum quæ expectabat, iniuria nõ mediocri affectus fuisset, illuc unde uenerat ad Ferdinandum, redierat. Cancellarij munere fungebatur Stephanus Brodericus, in ea parte Pannoniæ superioris natus, quę nunc peculiariter Sclauonia nominatur: ad eum magistratum, ex legatione Romana, quam tunc obibat, paucis antè mensibus accersitus, maiore ad bene agendum animo, quàm facultate. Thesaurarij magistratus erat penes Alexium Thurzonem hominẽ, (ut opinio multorum de eo erat) prædiuitem, & eo magistratu aliquoties antea diligenter functum. Ioannes Bornomizza Posonienſis & Budensis arcis præfectum agebat, non paruæ apud regem, quem ab incunabulis educauerat, eodem in hanc uel in aliam uoluntatem mouendo, autoritatis: apud alios ferè omnes magnæ uenerationis, cùm ob senium, tum propter immotæ cuiusdam seueritatis & bonitatis, ac illibatę in regem fidei opinionem. Hi ferè, quos diximus, erant tunc publici magistratus, cæteri prælati & Barones suis quisq; priuatis rebus operam dabant: præter Ladislaum Salcanum, Archiepiscopũ Strigonienſem, regni primatem, & supremum cancellarium: qui, licet paucis antè mensibus, uel quia aliter facere non poterat, uel quietioris uitę studio, sigillum regium, quod secretũ uocant, in manus regias tradiderat, quod Stephano Brodericò fuit datum: penes hunc tamen magna pars authoritatis residebat, resq; huius etiam nutu, pro magna parte, regebantur, cui ob dignitatẽ, ætatem, prudentiam, & rerum quas longo tempore administrauerat, agendarum peritiam, rex adhuc inter omnes plurimum tribuere uidebatur, præsertim ubi de summa rerum agebatur. Et is ferè erat status rerum in Hungaria: quando regi Ludouico nunciatum est, Solymanum, pace cum omnibus finitimis in annos plures firmata, arma infesta contra se terra aquisq; mouere. Cui ad id faciundũ magnam præbebat opportunitatem, Belagradum & Sabacia, paucis antè annis in potestatem redacta: Zalankemen, & omnibus alijs oppidis citra Sauum, eodem tempore dirutis, usq; ad Varadinum Petri: quem totum tractũ nos durante adhuc antiquo uocabulo, Sirmium appellamus. Quę res talem hosti aditum in Hungariam patefecerat, ut quoties Sauum transire, & in Hungariam irrumpere uellet, ægrè posset ab eo prohiberi. Præerat tunc ei Pannoniæ inferioris parti, quod superius dictum est, Paulus Thomorij: qui ubi exploratũ habuit Turcam in Hungariam aduentum, non contentus id per literas & nuncios sæpe antea regi significasse: conscensis raptim leuibus curribus, quos nos à loco Kotcze appellamus, uigesima Martij ad regem tunc Vissegradi agentem, repentè aduolat, aduentum & apparatum hostis ac pericula quæ regno imminerent, edocet: suarum ad hostem reprimendum uirium imbecillitatem narrat, celeritate esse opus, arcendum hostem Sauí apud Belgradum transitu: & rem, si in tempore prouideatur, tametsi difficilem, non tamen esse prorsus factu impossibilem. Ad id, si necessaria sibi præstentur, suam operam pollicetur. Rex his rebus motus, & quòd aduentus Turcæ ex pluribus etiam alijs locis uehementer confirmabatur, ex eorum qui tunc secum erant consilio, cõuentum publicum indicit ad diem diui Georgij martyris, quę proxima erat sacra. ad quam cum frequentes omnes omniũ prouinciarũ ordines cõueniſſent, decernuntur ibi ea

ibi ea quæ ad regni defensionem pertinere uidebantur: illudq; inprimis, ut ad diem Virginí matri ab Elisabeth uisitatæ dicatam, quæ in secundam mensis lij diem cadere solet, omnes regni proceres, tam ecclesiastici quàm seculares, & tota nobilitas, uiritim cum certa rusticorum parte, Tolnam armati cõueniant, hosti inde cum rege obuiam ituri. Rex interim ad bellum necessaria parat. Principes Christianos, maximè uicinos, per Oratores, cõmunis periculi admonet: Boemos item & Morauos, ac Slesitas tam nunciis quàm literis urget, ad auxilia debita, & aliàs sibi ad hanc rem promissa præstanda. Neq; omittit pontificẽ Romanum urgere, quantum maximè possit, ad eam pecuniam, quam in Hungaria ad militem cõducendum pontifex habebat, adaugendam. Nam de rege Poloniæ Sigismundo, patruo regis, alia prorsus ratio uidebatur: quòd is fœdus cum Turca paulo antè pepigerat, extremum excidium à suo regno (quãdo aliter inter tot Christianorum principum dissidia non posset) uel hoc pacto auertere conatus, neq; uidebatur princeps integerrimus, & fidei obseruantissimus, contra confœderatum principem auxilia ulla præstiturus. Eadem de Venetis ratio erat. Permittitur præterea in eodem conuentu regi, ut si ob ærarij publici penuriam (quod mala administratione eorum qui Reipub. præfuerant, penitùs exhaustum erat) uideretur ei thesauri ecclesiastici pars aliqua attingẽda, id ei facere liceret: quod ne fieri sine aliqua noxa posset, Romanus etiam pontifex suo iam diplomate indulserat. Designantur postremò inter illos quos domi habebamus, duo huic bello gerẽdo duces: Christophorus comes, quem ad Ferdinandũ rediisse, superius diximus: & Nicolaus comes de Salm. Cùm hæc & plura alia in hunc modum essent in conuentu illo generali constituta, rex rebus omnibus ritè consultatis, conuentum dimittit: ipse, quæ statuta in conuentu fuerant, quanta maximè potest diligentia exequitur. Primùm omnium scribit de his periculis ad omnes principes Christianos, omnium auxilia implorat, maximè Cæsaris Caroli, & regis Gallorum Francisci, paulo antè ex captiuo in libertatem restituti: utrunq; summis precibus obtestatur, ne se in tanto discrimine deserant. Regi Gallorum & illud in memoriam reducit, quid sibi in oppido Piczigytone captiuus per oratorem suũ de defendenda Hungaria, & de ferendis, si Deus eum pristinæ libertati restituisset, suppetijs promiserit: nũc esse tempus, ut promissa huiusmodi persoluantur, quandò ei facta esset diuino munere eorum adimplendorum potestas, & sibi extrema immineret eorundem exposcendorum necessitas. Mittit præterea Oratorem expeditum ad alium sororium suum principem Ferdinandum, & ad alios Imperij principes, qui tunc Spyræ conuentum Imperialem habebant. Mittit in Boemiam, Morauiam, Slesiam. Agit cum Ioanne Antonio Barone Burgij, qui tunc Pontificis nomine apud regem Oratorem agebat, ut instet apud Pontificem pro maiori pecunia, ad tantum onus belli sustinendum, suppeditanda. Præficit dimidij argenti ex ecclesijs accipiendi summæ Ladislaum Macedonium, paulo antè ex episcopo Sirmiensi Quinqueclesiensem in gratiam Cancellarij factum, cum pluribus alijs: Nicolaum uerò Gerendi, argento huic uel in monetam cudendo, uel ex assensu Oratoris Pontificij ad hos tantum solos belli usus militibus distribuendo. Exigitur præterea per thesaurarium pecunia ab abbatibus, præpositis, capitulis, à ciuitatibus quas appellamus liberas, à Saxonibus, Transyluanis, â Iudæis: conquiritur undiq; neruus belli, ita ut intra paucissimos dies collecta sit in hunc modum non parua uis pecuniarum, in eosdem quos diximus neruos belli distributa. Veniũt interim assiduè modò literæ, modò nuncij ab Archiepiscopo Colocensi, à Vvaiuoda Transsyluano, Turcam iam Belgrado appropinquare: & aliquam copiarum partem, quæ præmissa erat, iam Sauum transire. Quæ res acriores addidit & regi, & his qui apud regem erant, stimulos, rerum

omnium approperandarum: & ante omnia hostis, quando iam Sauí transitu arceri non posset, à Drauí transitu prohibendi. Verùm hic locus postulare uidetur, cum sit sæpè tam Sauí quàm aliorum fluminum & locorum mentio facienda, ut situm uniuersæ Hungariæ, & maximè eorum locorum per quæ hostis contra nos uenit, per quæ nos illi obuiam processimus, ubi prælium commissum sit, breuiter explicemus.

HVNGARIAE DESCRIPTIO.

Hungariam totam (quam nunc uel ab Hunnis, uel ab Hungaris, populis ex Scythia certè profectis, qui eam incolunt, ita appellari constat) Danubius, omnium quos Europa habet fluuiorum maximus, in Martiana sylua ad Vlmam ortus, ex Germania defluēs, mediam interfluit, atq; in partes scindit, in citeriorem & ulteriorem. (nam nunc ita loquimur, ac si Budæ, quæ regni sedes est, essemus.) Citerior est ea, ubi olim Pannoniæ fuerunt: hæc ab ulteriore Hungaria Danubio, & Austria, & Norico, radicibus Cæcij, sic olim dicti, montis: à Slauonia Drauo, à Bozna & Rascia Sauo fluminibus terminantur. Nam in locis Danubio propinquis, & ad Belgradum spectantibus, ad Sauí usq; fluminis ostia, cum Danubio excurrit Vvalko, Posegam, Sirmium, tres insignes prouincias, quas nos comitatus uocamus, à Slauonia diuellens. Huius citerioris Hungariæ caput est ea, quam paulo antè nominauimus, Buda, regni sedes. Nobiliora in ea oppida, Alba Regalis, coronatione & sepultura regum insignis, Strigonium Metropolitana, Quinqueclesiensis, episcopalis sedes, præterea Sopronium laurinum, & Sabaria, diui Martini, & Stridon, diui Hieronymi patria. Flumina multa in ea nobilia, præter Danubium & Drauum, quos superius diximus. Lacus habet duos nobilissimos, Balaton, & Ferton: alterum tredecim citer miliarium in longitudinem protensum: alterum non ita longum, sed Balatone longè latiorem. Huic citeriorí Hungariæ, ubi Drauum transieris, annexa Sclauonia est, pars olim Pannoniæ superioris, inter Sauum & Drauum posita: sed Sauum etiam longè transgressa, & usq; ad flumen Hunam (hoc enim illi nunc est nomen) protensa, ubi Croatia incipit. Post quam Dalmatia sequitur, per oram Adriatici maris, quæ partim Veneto, partim Turcæ paret. minima eius particula est regi Hungariæ subiecta, loca mediterranea Boznenses tenēt, & Rasciani, qui olim Mesi superiores fuerunt. Sclauoniæ caput Zagrabia est: Croatiæ nunc Bigihon est, antea Fumium erat. Dalmatiæ, in ea parte ubi Hungaro paret, Segnia, Boznæ, Iaycza, Rasciæ siue Seruiæ Belgradum, & in hunc modum se Hungaria citerior, & ea quæ inter Danubium & sinum Adriæ sunt, habent. Vltra Danubiana Hungaria montibus, Carpathijs supra Posonium incipientibus, & longissimo flexu ad littus Euxini maris porrectis, à Morauia, Slesia, Polonia, & à Russia distinguitur, usq; ad eum locum, ubi regio est, quã Maromarusiam uocamus. Ibi iam alij montes & sylua ab eo loco Seuerinum uersus tendentes, à Transsyluania & Valachia Transalpina separant, hanc ulteriorem Hungariam Tibiscus fluuius, omnium quos Septentrio habet fluuiorum (quantum adhuc intelligere licuit) piscosissimus, in montibus Maromarusijs ortus, mediam interfluit: præter alia minora duo nauigabilia flumina, in se recipiens Zamosium & Marysium, utrumq; ex Transsyluania defluentem. Hæc Hungaria ulterior habet oppida nobiliora, ad Septētrionem Posonium, Tirnauiam, Trincinium, & ibidem fluuium Vagum, prope Comarom in Danubium influentem: Nitriam, & inibi Bistriciam, cum aliquot montanis oppidis, auríq; & argenti cupri fodinis: item Vaciam, Pestum Budæ oppositum, Agriam, Cassouiam, & aliquot Scepusij oppida non ignobilia: ad Meridiem uerò Colociam, Bachiam, Zegedinum: ultra Tibiscum, Varadinum, Debrecinium, Riuulum dominarũm, cum fodinis auri & argenti, Chanadinum, & nobilissimam

bilissimam arcem Themesiensem: præfecturam, quæ tertium inter regni præfecturas locum obtinet: Seuerinum, ubi pontis olim à Traiano Imp. extructi uestigia etiam nunc apparent: & alia, quæ breuitas historica nunc prolixius uetat enumerare. Tibiscus ipse circa Titulinum, non procul à Varadino Petri, in citeriore eius fluminis ripa sita, Danubiũ influit. Vltra eos montes, quos à Carpathijs ad Seuerinum protendi diximus, Transsyluania est, Dacię olim pars. Eius caput Alba Iulia, uel à Iulio Cæsare, uel ab Hijula potius quodam Hunnorum principe ita dicta. Oppida complura nobilissima, in quibus Cibinium, Brassouia, Colosium, Bistricia, & plura alia à Germanis, quos nos Saxones appellamus, condita & habitata. In ea sunt Siculi, genus hominũ ferox & bellicosum: inter quos nullus neq; nobilis, neq; rusticus, omnes eodem iure cẽsentur, Heluetiorum instar. Transsyluania ipsa rerum omniũ est feracissima, prȩcipuè auri, argenti & aliorum metallorum: ad hæc salis montani, equos generat nobilissimos, uino abundat, sed non æquè excellenti ut Hungaria & Sclauonia. Transsyluaniam duæ cingunt Valachię, Transalpina & Moldauia: illa Danubio, hęc mari Euxino admota: utraq; cum Transsyluania eam Europæ nunc occupat partem, quę olim Dacia erat. Sic totus iste tractus Transdanubialis, qui non solùm Hungariam ulteriorem, sed Transsyluaniam quoq; cum utraq; Valachia continet: Danubio, montibus Carpathijs, mari Euxino, & rursus eodem Danubio ex omni parte includitur. Et hæc de generali Hungariæ situ: nunc restat de his locis dicere paulò aliquanto particularius, in quę tota huius belli uis incubuit. Infra Budam, per ripam Danubij descendentibus præter quosdã ignobiliores pagos & uicos, Rakos, pòst Tholna est, sedecim miliarijs nostris Hungaricis à Buda remota. Inde Batha, sub Batha Mohacz ad ripam Danubij sitũ. Mohacz ad dextram, in locis mediterraneis, Quinquecclesias habet, ciuitatem ante hanc cladem in Hungaria satis insignem, quatuor miliarijs, uel paulò amplius à Danubio, tribus à Drauo remotam. Drauum uersus Socolosium, ultra Drauum Valpo arces nobiles habentem, à Mohacz porrò usq; ad Drauũ fluuius quatuor uel paulò amplius, miliaria sunt. Supra eum aũt locum ubi Drauus Danubio miscetur, in ulteriori ripa est oppidum Ezeek, & ibidem uestigia magnæ alicuius, tempore quo Romani Pannonias obtinebant, urbis: coloniæ fortasse Romanorum, ab ostio Drauí non nisi duobus miliarijs remotæ. In eo loco ubi Ezeek est, Drauus in angustum coarctatus, ponti faciendo est aptissimus: quod sequuti nostri, tempore quo Belgradũ amissum est, pontem ibi per quem exercitus traduceretur, extruxerant. Post Ezeek, Erdeuud est, arx prępo situræ Thitetiẽsis, locus undiq; syluis cinctus, & qui paruo labore, natura adiuuante, munitissimus effici posset. Post Baroh, Vvalko, Zatha, & ea regione Bachia, quam diximus: altera Hungarię metropolis, in loco campestri sita, ut sunt omnia alia ulteriora, quæ inter Tibiscum & Danubium iacent, campestria & plana, atq; ob id pecori & armentis alendis in primis utilia. A' Zatha per eandem ripam, est Vvilak oppidum cum nobilissima arce, atq; ibi primũ aperitur beata illa & fertilissima regio Sirmiensis, non uini solum tota Septentrione laudatissimi, sed etiam rerum omnium quæ ad usum humanũ pertinent, ferax: tot olim Imperatoribus, atq; etiam (ut annales Romani habent) unius ad pontificatum Romanũ euecti, mater & alumna. Oppido olim eiusdem nominis insignis, cuius etiam nunc uestigia extare dicuntur. Mira ibi est locorũ amœnitas, mira soli fœcunditas, incredibilis aeris temperies: quod propterea iam esse constat, quòd ea regio non est à littore Adriatico nisi tridui, aut ad summum quatridui itinere remota. Prima, in Sirmia ab Vvilak recedentibus occurrit Banmonostra, sedes episcopatus Sirmiensis: ac antequam ad Varadinum Petri perueneris, Kamanceh nobile oppidum, intra illud est Varadinum Petri, oppidum

cum arce ecclesiæ Colocienſi ſubiectũ: quem locum amiſſo Belgrado, pro Belgrado numeramus, poſtea eſt Zalonkemen, & alia non magni nominis oppida, ſuperiori Belgradenſi clade per Turcas diruta. Inde in eo angulo ibi Sauus Danubio influit, arx Zemlen: inter hanc arcem, & Belgradum oſtia Saui: & in altero confluentis angulo Belgradum illud, tot nobiliſsimis cum hoſte Turca commiſſis prælijs inſigne: à cuius iam penè captæ oppugnatione, Ioannes Huniadij, Matthiæ regis pater, Hungariæ gubernator, cum fratre Ioanne Capiſtrano, Amurathen olim Turcarum imperatorem, ſumma cum nominis noſtri gloria repulit. Hanc arcem nos Nandor Albam uocamus, aliqui Albam Græcam dicunt, antiqui Thaurinum appellarunt. Sita eſt, quâ Hungariam ſpectat, in rupe præcipiti, oppidum habens ſub ſe eiuſdem nominis: hinc Sauum, ubi Danubio miſcetur, illinc Danubium præterfluentem deſpiciens. Et in hunc modum ſe habet Hungaria: & eorum locorum, ubi tantam cladem accepimus, ſitus. Nam ad dotes Hungariæ, quibus ſupra omnes Europæ prouincias (ſi uerum dicere licet) abundat, referẽdas, peculiari uolumine eſſet opus, nos ſitum eius, ut magis eſſet conſpicuus, oculis legentium ſubijcere ita uoluimus.

¶ Rex igitur, ut ad inſtitutum redeamus, ubi accepit, Turcorum copias iam Sauum tranſire, ueritus ne illo ſuperato, eueſtigiò ad ripas Draui, & ad oppidũ quod diximus Ezeek, ante ſe occupandum feſtinaret: ad eum locum præſidio retinendum, animum adiecit: quę res demandata eſt comiti Palatino, qui tunc non procul à Drauo, in arce fraterna erat. Qui licet malè pedibus affectus, id tamen curandum impigrè ſuſcepit. Cæterùm illis, quibus mandatum erat ut eõdem uel irent, uel copias ſuas mitterent, mandata ſegnius quàm par erat obeuntibus, Palatinus fruſtra id quod aggreſſus fuerat, facere conatus, Budam ad regem uenit: ubi accuſata eorum qui ſibi adeſſe noluerunt negligentia, poſtea apud regem manſit, regiæ exhinc cõtra hoſtem profectionis comes. Sub idem ferè tempus rex factus eſt certior per ſecretum nuncium à quodam, cui hoſtis conſilia ac rerum eius ſtatus erat exploratiſsimus, nihil eſſe conſultius, quàm ſi Vayuoda Tranſſyluanus, cum Trãſalpino, (nam & huius fides regi in hac parte explorata eſſe uidebatur) uel à tergo aggrederentur hoſtem, nihil tale cogitantem: uel illo rectà contra regem tendente, ipſi iunctis uiribus Thraciam, omni præſidio nudatam, inuaderent, ita enim fore, ut hoſtis uel opprimeretur in medio: uel certè ab incepto deſiſtere, atq; ad ſua defendenda redire cogeretur. Fuit id conſilium primò ſuſpectum, ob nonnullas cauſas, quas longum eſſet commemorare. Deinde cum Strigonienſi Archiepiſcopo res fuit communicata, illo conſilium approbante, præceptum eſt Vayuodæ Tranſſyluano, per Vrbanum Batthiani, qui tunc fortè in Moldauiam mittebatur, ut re plenius cognita, id faceret quod magis è Repub. eſſe arbitraretur. Et, ſi id putaret utilius, uires ſuas & Tranſſyluanorum, cum Vayuoda Tranſalpino, ad illa loca conuerteret. Quę res pro magna parte in cauſa eſſe potuit, quòd Vayuoda ad tempus prælij adeſſe non potuerit. Iam dum hæc agebantur, non aderat ſolùm, ſed & præterierat tempus conuentui Tholnenſi deſignatum, & nemo adhuc ad eum locum ueniſſe audiebatur: uidebanturq; omnes ſolum regem inſpicere, neque prius Tholnam uenturi, niſi regem ibi intellexiſſent eſſe. Inualeſcebant interim in dies magis ac magis rumores de Turcæ ulteriori progreſſu: donec auditum eſt, eum Sauo tranſito aliquot caſtellis obuijs dirutis, Varadinum Petri obſidere: & iam arcem (nam oppidum parum munimentum habebat) acerrimè terra & aquis oppugnari. Tum denicq; rex, licet neq; ex Boemia, neq; aliunde quicquam adhuc aduenerat, & paucas admodum copias apud ſe haberet, ne quid tamen in tanto regni periculo omiſiſſe uideretur, quod à ſe fieri poſſet, XXIIII Iulij Buda egreditur, penes Danubij ripam, Tholnam uerſus paulatim iturus: ſperans

sperans interim, alios quoque ad se uenturos. Paulo ante hunc regis ex Buda egressum, missus fuerat Stephanus Bathori de Somlio ad Vayuodam Transsyluanum, qui eum iuberet, reiectis omnibus alijs cõsilijs, hostis aduentu ita iam exigẽte, cum omnibus copijs Transsyluanis ad regem properare. Habuit tunc rex, cum ex Buda egrederetur, cum his qui Mariæ reginę & Archiepiscopi Strigoniensis erant, equitum ac peditum ad tria milia. Eo die quo Buda egressi sumus, ad suburbanum Ambrosij Sarkani peruenimus, duobus miliarijs à Buda distans: Erd loco est nomen, ibi rex equum amisit, quem habebat omnium charissimum ac præstantissimum, repentino morbo absumptum: ex quo incredibili dolore est affectus, multi id pro infausto omine habuere. Vbi cùm aliquot diebus rex fuisset commoratus, neq; quisquam ad eum ueniisset, cum ijsdem copijs, cum quibus illuc uenerat, ulterius ad uicinum pagum, Erchij uocatum, procedit: ibi etiam multis diebus inutiliter cõsumptis, & solo Andrea Bothori ex primoribus tum, non contemnendis copijs ad eum ueniente, per ripam Danubij ad Penteleum est itum, locum & ipsum (sicut & de Ezeek diximus) uetustate alicuius etiam Romanorum coloniæ uestigia seruantem, ubi nobis à Vayuoda Transsyluano Georgius Basij, cum mandatis præstò fuit. Summa mandatorum hæc erat: Vayuodam ualde ancipitem esse quid agere debeat, ob tantam qui ad eum missi illis diebus fuerãt, nunciorum uarietatem: uenisse ad se primùm aliquot literas regias, deinde frequentes nuncios (in quibus Galpa rum etiam Horvuath de Vvimgard, regiæ dapis in mensam apponendæ præfectum) quibus ad regem uenire iuberetur, uenisse postea Vrbanum Batthiani, qui consilia quædã de hoste à tergo cum Vayuoda Transalpino aggrediendo, ad se detulerit, uenisse postremò Stephanum Bathori de Somlio, qui rursus priora illa mandata repetiuerit, non reuocatis apertè ijs quæ per Vrbanum Batthiani fuerãt nunciata. Atq; ita prorsus se incertum esse, quid inter tot consiliorum mutationes agere, uel quid'nam horum mandatorum exequi debeat: ad omnia se, quæcunq; regia Maiest. iubeat, esse paratum. Sibi tamen uideri illud consilium longè esse salutarius, quo ad regem uenire iuberetur. Serum esse iam illud de Turca à tergo aggrediendo: &, ut ualdè periculosum, ita iam factu longè quàm antea difficilius, etiamsi maximè conducat. Iam enim Transalpinum, cum quo id facere iuberetur, coactum esse mittere in castra Cęsaris Turcarum, pro obside filium, quem unicũ haberet. His à Georgio Basij cognitis, rex inde ad Felduar (ita oppidum in eadem ripa Danubij situm appellamus) eodem quo Basij mandata domini sui exposuerat, manè profectus, Georgio ibi in senatum uocato mandat, ut dies & noctes, quantum maximè possit, ad Vayuodam festinet: placere regi, Vayuodæ consilium: & ita nunc, hoste limites regni ingresso, & contra se properante, ex usu esse. Itaque rebus omnibus & consilijs alijs postpositis, Vayuodæ cum omnibus tam Transsyluanorum copijs, quàm alijs, quos per uiam ad regis castra ueniens ubiq; offenderit, ad regem festinet, omnes quoscunq; possit in castra regia trahat, non nobiles solùm & militares, sed etiam agricolas. Dantur literæ ad Transsyluanos: dantur & ad episcopum illius prouinciæ Ioannem Gozthan, reginæ cancellarium: dantur ad Vayuodã ipsum, Georgio id ex uoluntate, (ut dicebat) domini sui suadente: hæ, quas ille alijs ad eos facilius mouendos ostẽdere posset, solito arctiùs scriptæ: & in quibus sub pœna infidelitatis ei mandabatur, ut ad regem dies & noctes festinaret. Mittitur cum Georgio Basij, ut res facilius & celerius confici posset, Ioannes Statilius, acris & prompti ingenij uir, ac non mediocris literaturæ, Petri Berizlai episcopi Vesprimiensis & Bani Martini, uiri pacis & belli artibus clari, ex sorore nepos, alij nondum à rege discesserant: & ecce infaustus nuncius, Varadinum Petri per plures dies à nostris uiriliter defensum, omnibus ferè defen-

Erd suburbanum.

ſoribus interemptis, muro (quo peruetuſto, & ideo non ſatis ualido, arx erat circumdata) crebris tormentorum ictibus in terram deiecto, in hoſtium potestatem ueniſſe: atq; eos inde terra & aquis ad alias propinquas arces, maximè ad Vylak oppugnandum, properare. Rex hoc nuncio conſternatus, tanto magis properate iubet eos, quos ad Vayuodam mittebat, ſcribuntur præterea literæ ad omnes partes, mittuntur nunciĳ ad Georgium comitem Scepuſienſem, qui non longè ab Albaregali, cum quinq; hominum milibus eſſe dicebatur: ad Franciſcum Batthyanĳ, Banum Croatiæ, ad comitem Chriſtophorum, quem iam fama erat à Ferdinando digreſſum, in Croatiam ad patrem peruenisſe, ut acceptis inde armis, equis & domeſtico milite, ad regẽ inſtructior ueniret. Ad hæc Ladislaus Macedo Budam ad reginam celeri curſu ire iubetur. Petitur à regina, ut fratrem Ferdinandum, & in eius abſentia præſides Auſtriæ, pro ſubli dijs antea petitis, regi quamprimùm ſubmittendis, urgeat: & maximè pro tormentis bellicis, quibus hoſtem inſtructiſsimum audiebamus, nos non ualde abundabamus. Deinde ut regina urgeat Boëmos quoq;: & illas copias Boemicas, pro quibus nomine & ære ſuo priuato cõducendis Mezericio pecuniã dederat. Vrgetur per literas Thomas Nadaſdinus, qui ad Ferdinandum miſſus fuerat, ut inſtet apud eum, narratis & regni ac regis periculis, & præcipuè Varadini Petri amiſſione, ne princeps regi, duplici cognatione, & periculorum etiã ſocietate cõiunctus, regem in tanta neceſſitate deſerat. Idem agere iubetur Nadaſdinus apud alios Imperĳ principes, qui tunc (ut ſuperius dictum eſt) Spiræ conuentum Imperialem habebant. Inter hæc Paulus Thomorĳ, qui adhuc ante Varadinum Petri expugnatum, dum duo equitum milia haberet, quæ ſecum tunc cum eo erant, ſummæ temeritatis eſſe iudicat, tantæ hoſtium multitudini ſe opponere: relictis in præſidio arcis mille circiter peditibus, & paucis equitibus, quos in arce ab hoſtibus defendenda periſſe diximus, in alteram Danubĳ ripam tranſgreſſus fuerat: ubi, quantum poterat, hoſtis celeritatem retardabat, tam terrâ quàm aquis. Habebat enim & ſuper Danubio copias nauales, eorum quos nos Nazadiſtas appellamus, non paruas, hoſti tamẽ longè impares. Rex uerò oppugnatione Varadini Petri audita, per ripam Danubĳ, ex eo loco quem ſuprà diximus ad Pakos, ibi biduum cõmoratus, & erat dies transfigurato Saluatori ſacra, Tholnam peruenit, aucto iam aliquantulũ exercitu: & cum Tholnam intraret, habuit ad quatuor, uel paulò amplius equitum milia. Tholnam intranti regi, prodĳt obuiam, cum his qui pauci iam Tholnam conuenerant, comes Palatinus: qui adhuc ex ſecundis caſtris, quę eum in Erchĳdi uxim habuiſſe, Tholnam fuerat præmiſſus. Rege Tholnæ exiſtente, conuenerunt ex omnibus ferè tam citerioris quàm ulterioris Vngariæ prouincĳs, quæ nos comitatus appellamus, frequens numerus, ſuperuenit & comes Georgius Scepuſienſis, cum trecentis, uel paulò amplius equitibus grauis & leuis armaturæ, ac mille circiter ducentis peditibus. Affuit & Hannibal Carthaginenſis Cyprius cum mille trecentis peditibus, pontificĳs pecunĳs conductis. Venerunt & aliæ pedeſtres pontificis copiæ, quæ omnes in unam ſummã collectæ, efficiebant quatuor peditum millia, armis & robore militum eleganter inſtructæ. Atq; ex hoc numero, duce Leonardo Gnomskĳ Polono, egregio caſtrorum metatore, & ad hoc ipſum præcipuè conducto, Poloni mille & quingenti: qui rebus omnibus, quibus hoc militum genus commendari ſolet, alios peditatus longè anteibant. Venerunt per hoc ipſum tempus & nonnulli ex epiſcopis: Paulus Vardaĳ Agrienſis, Franciſcus Perenni Varadienſis, & plures tã epiſcopi quàm ſeculares. Dum Tholnæ eſſemus, conſultatum eſt diligenter frequentiſsimo ſenatu, quotidie ferè diebus regni, de ulteriori regis progreſſu, ac rurſus de retinẽdo tranſitu Drauí: quãdo iam & de Sauo & de Varadino Petri

actum

actum esset: & Turca expugnatis iam omnibus penes Danubium castellis, & arce etiam Vilak in potestatē recepta, ad Ezeek aduentare diceretur. Designatur itaq; rursus, qui properet ad Drauí transitum, ante hostem occupandum, idem comes Palatinus, qui prius. Addūtur plures ex optimatibus, qui eum sequantur cum copijs: quorum aliqui, dum mandatum regium exequi recusant, dum priuilegia sua & morem baronum sub regijs tantum signis militandi iactāt, ea quoq; res, Drauí scilicet defensio, fuit prætermissa: Palatino, tametsi eadem qua prius corporis ualetudine impedito, nullum tamen laborē recusante: quem cum ad Mohachium progressum, cæteri qui mittebantur, sequi recusarent, priuilegia sua (ut diximus) allegantes: rex in frequenti senatu, ubi de hoc agebatur, subitò in iram uersus: Video, inquit, ego unumquenque capite meo (uerba enim regis, sicuti fuerunt, ita ponemus) excusationem & salutem capitis suo quærere. Ego personam, & caput meum ideo in hæc pericula adduxi, ut illud pro huius regni & uestra salute omni fortunæ discrimini obijcerem. Ne quis igitur sit, qui possit excusationem aliquam suæ ignauiæ capite meo prætendere, ne ue possit aliquid mihi imputari: ibo ego, Deo optimo bene iuuante, cras uobiscum in persona, eò, quò alij sine me ire nolunt. His dictis applausu multorum, admiratione uerò omnium qui aderant subsequuto, signum in sequentem diem proficiscendi canere iubet: quibus dā, qui non ignorabant, quid inde periculi sequi posset, frustra profectionem huiusmodi dissuadentibus. Ex Tholna igitur sequenti die profecti, pridie eius diei qui erat assumptæ Virgini matri dicatus, Zeckzardum, inde binis castris Batham peruenimus. Fuerunt prius missi inualescente in horas hostis appropinquatione, qui exercitum per pagos & uicos huc illuc dispersum in unum cogerent, & Batham cōpellerent. Fuit missus episcopus Boznensis, Georgius de Palina, uir iuris scientia & uitæ integritate clarus, qui Paulum Tomori eōdem uenire iuberet. Cum itaq; Batham omnes conuenissent, & tempus exigere uideretur (id quod & ad eam diem uidebatur non sine graui detrimēto & incommodo dilatum) Imperatorem aliquem exercitui prę ficere, rex animis ac suffragijs omnium, à singulis secretò exploratis, cum multo maioris partis uota in Monachum inclinare uideret: eum cum comite Georgio Scepusiensi, fratre Vayuodę, totius exercitus Imperatorem declarat: nō omnibus eam ducum, præsertim Monachi, declarationem approbantibus, quibusdam etiam satis grauiter id ferentibus, quos tamē postea omnes uidimus dicto ducum obsequentissimos fuisse. Verùm Tomorij cum regis uoluntatem eam circa se esse uideret, ut curam ducendi exercitus omnino susciperet, diu est, multumq; reluctatus, nunc regularem professionē, nunc imperitiam, ac uirium suarum tanto oneri ferēdo imparitatem causatus: habere dicebat regiam Maiest. multos claros uiros, ex ordine patricio, seculares, quibus hoc muneris longè magis conueniret, nominabat comitem Palatinum præsentem, & Vayuodam absentem: utrumq; in magnis expeditionibus uersatum, & ducendi exercitus alijs omnibus quos Hungaria haberet, peritiorem, ad hæc, comitem Georgium Perenni, hęc iuuenes, non carentes tamen & ingenio, & ministris longè se bello gerendo aptioribus: se tanto oneri omnino imparem, ut qui tale bellum, quale tunc suæ Maiest. instaret, ne oculis quidem unquam uidisset: necq; id onus ullo pacto subiturum, etiam si rex caput ei amputare iuberet. His & alijs eiusmodi tam publicè quàm in secretis regis colloquijs frustra sæpe commemoratis, rex nihilo secius eum ducem belli declarat. Addit ei, quod diximus, Georgiū comitem, Vayuodæ fratrem, qui & ipse diu est eam prouinciā pertinacissimè deprecatus. Tandem ea lege consensit, quòd ei nemo alius, nisi frater Paulus (ita enim dicebat) collega daretur: utq;, ubi frater aduenisset, liberum esset ei statim hoc munere sese abdicare, quod facilè fuit

conceſſum: quòd longè iam antea fuerat decretum, ut cum Paulo Tomorij, & comite Chriſtophoro Vayuoda, dux huic bello gerendo præficeretur. nam comes Nicolaus de Salm ualetudinem aduerſam excuſauerat. His itaq; peractis, duces ad locum caſtris prope oppidum Mohacz capiendum proficiſcuntur. Erat id oppidum epiſcopatus Quinqueccleſiẽſis inter Batham & oſtia Drauí fluminis, in ripa Danubij ſitũ. Danubius paulò ſupra Bathan ſcinditur in duos alueos: quorum maior ulteriorem, quæ campeſtris eſt, Hungariã ſecat: minor Batham & Mohaczium alluit: ambo infra Mohaczium in unum coëuntes, inſulam ibi efficiunt. Mohaczi uicus ſiue oppidum eſt ſatis celebre, habet circa ſe quaq; uerſùm ingentem planiciem, nullis collibus uel ſyluis impeditã. Habet ad ſolis occaſum Quinqueccleſias, ciuitatem (ut diximus) ante hanc cladem ſatis inſignem. A' Septentrione eſt ei, quam diximus, Batha: ab Oriente habet illum minorem Danubij alueum, à Meridie quatuor & amplius miliarijs remotum Drauum fluuium, inter quem & Mohaczium ſunt partim colles uitiferi, partim paluſtria quædam loca, & in hoc ipſo ſpacio erat, nõ procul à Mohacz, aqua potius quædam paluſtris, quàm quòd ea uel palus uel amnis uocari poſſit. Kraſſo eum incolæ appellant, ultra quem habebat Tomorij quinq; aut ſex equitum milia in caſtris, partim ex his qui ab initio cum eo fuerant, partim qui poſtea cum Petro Perenni, & cum alijs ad eum aduenerant, quos iuſſu regis ex ulteriori ripa Danubij in citeriorem traduxerat, cum exercitu regio coniungendos. Loco igitur caſtrorum cum collega prope Mohaczium capto, ac diligenter ex præſcripto etiam Leonardi Gnoienskij metato, & ſua cuiq; ſtatione aſſignata, ipſe rurſus ad ſuos, qui ultra illam aquam in caſtris erant, cum Petro Perenni proficiſcitur, illos quoq;, ſi id ei perſuaderi poſsit, in caſtra regia ſecũ adducturus. Quò ubi peruenit, & ubi militibus & copiarũ ductoribus in unum conuocatis uoluntatem regiam, & pariter ſuam de caſtris retroducendis expoſuit: tum uerò milites ad unum omnes fremere, indignari, ſeſe ab hoſte, cui obuiam iri oportebat, cum quo manus, ſi uiri eſſent, ſtrenuè forent cõferendæ, abduci: fugam meditari, non pugnam. Principes, qui talia regi ſuaderent ocio & inertiæ aſſuetos. Veniat modò rex, & ſecum in hoſtem arma ferat: uictoriã fore in manibus ſuis. Exploratũ ſibi eſſe habere quidem hoſtem ingentem uim hominum & tormentorum: exercitum tamen eius imbellem eſſe, & inermem: uix decimum aut uigeſimum quemq; telum aliquod habere, quo nocere poſsit: illud etiam eſſe ſibi cõpertum dicebant, omnem illam ſtrenuam olim, & inuictã Turcarum manum, primùm ſub Belgrado, pòſt in expugnatione Rhodi eccidiſſe. Agat modò magnanimus dux cum collega, quę ſint ſtrenui ducis: omnia proſpere caſura. Auellat regem & ſtrenuũ quemq; militem, ab illa inerti ſacerdotum & aliorum pugnam detrectãtium turba, qui regem etiam ipſum deanimo & corpore præſtantem, ſuis ignauis moribus & conſilijs corrumpere & effœminare, & ex præſtantiſſimo iuuene ſui ſimillimum reddere conentur. Dum hæc in illis caſtris aguntur, iam apud Mohaczíũ omnes loca in caſtris ſibi deſignata occupauerant, & ſub tentorijs agebant. Rex adhuc ſe in Noua uilla Macedoniorum, quæ inter Batham & Mohaczium eſt, cum paucis cõtinebat: nõ paruo expoſitus periculo, ſi hoſtis nõ multum in de remotus, paucitatem, quæ apud regem erat, animaduertere potuiſſet. Sed regis fatũ in aliud tempus, ubi longè glorioſius pro patria occumberet, fortuna reſeruabat. Aduolat interim repente ex caſtris, nocte intempeſta, ad regem ſomnum carpentem, Michael Podnamiczkij, ab optimatibus miſſus, afferens pro re certa, Cæſarem Turcarũ Drauum iam tranſiuiſſe, cum magna copiarũ parte: reliquam cum omne celeritate traduci, certamẽ nullo iam modo differri ulterius poſſe. Orare optimates regiam Maieſt. ut omni mora poſtpoſita, ad eos in caſtra ueniret, de prælio cum hoſte

Kraſſo paſſus.

hoſte conſerendo conſultaturus. Rex his quæ Podnamiczkij attulerat cognitis, & aduocatis his paucis conſultatoribus quos secũ habebat, conſultat quid in re tam trepida & ardua agendum eſſet. Occurrebat regi cõsilium Vayuodæ Tranſſyluani, è comitis Chriſtophori, quorum uterq; per nuncios, qui ab illis paulo antè redierant, damnarat cõsilium eorum qui regem ante tempus ad locum hoſtis adeò propinquum adduxerant. Fuiſſe regi uel Budæ expectandũ, uel in alio quopiam remotiore ab hoſte loco ſubſiſtendum, dum omnes regni uires & auxilia conueniſſent. Hortati fuerant regem, ne ante ſuũ ſaltem aduentum, manus cum hoſte conſereret. Nunciabat & illud Vayuoda, per Ioannem Statilium, uenire ſecum ex Tranſſyluania copias cùm numero tum robore militum ita præſtantes, ut in eis poſſet rex uel præcipuam ponere ſpem uictoriæ. Et hæc igitur ueniebant regi in mentem, & ante oculos ei uerſabantur quę Setinatus nunciabat. Cui ſi non paruiſſet, ſi quid aduerſi contigiſſet, hoſte præſertim adeò propinquo, & militibus tanto ardore pugnæ flagrãtibus, uidebat omnem rei malè geſtæ aut occaſionis prætermiſſæ culpam in ſe unum coniectũ iri. His curis anxius, ſtatuit tentare optimatum animos, ſi quo pacto ad Vayuodam ſaltem, & comitem Chriſtophorum expectandum, & ad caſtra interim, ſi hoſtis urgeret, in tutiorem locum transferenda induci poſſent. Mittitur ergo in caſtra, eadem fermè illa noctis hora qua Podmaniczkij uenerat, cancellarius, qui apud regẽ erat, ſuaſurus primoribus, maximè ducibus belli, & Strigonienſi archiepiſcopo, ac comiti Palatino (nam reliquam procerũ ſimul & uulgi multitudinem à nutu iſtorum pendêre non ignorabat) prælij dilationem. Iubetur cancellarius commemorare omnia ex ordine, quæcunq; à Vayuoda & à Chriſtophoro fuerãt regi nunciata: ponere eis ante oculos, quàm manifeſtum excidium regno immineat, ſi rex cum tot primoribus, tanto totius regni Hungariæ nobilitatis & militiæ flore, ſeſe tam aperto periculo exponeret. Nam ſi contingat (id quod hoſtium multitudine & apparatu cum paucitate ſuorum collata, magnopere eſſet extimeſcendum) regem ſuccumbere: quid poſtea eſſe, quod poſsit hoſtem remorari, aut impedire, quò minus tota Hungaria paruo negocio potiatur? Dicebat inſuper, eſſe longè fortaſſe utilius, dum alij uenient, dum Vayuoda cum Tranſſyluanis, Banus Sclauis, Chriſtophorus ex Croatia, Boemi cum Morauis & Sleſitis, & ſi quę alia auxilia eſſent uentura, adeſſe poſſent, exercitum abducere in aliquem tutiorem locum: uel retro etiam, ſi hoſtis eam neceſſitatem imponat, aliquantulum cedere, minus calamitatis acceptũrã eſſe Hungariã, ſi hoſtis eam totã à Mohacio uſq; ad Poſonium peruagetur, ac ferro & igni deuaſtet, quàm ſi tanti exercitus, in quo rex & tanta ſit procerum nobilium & militũ turba, uno prælio deleãtur. His enim deletis, quid poſtea ſpei regno reliquũ eſſet? Rege autẽ, & tot proceribus, ac tali milite ſaluo, faciliora fore omnia: eò præſertim rege, qui generis propinquitate ac neceſſitudine ſit longè lateq; uniuerſum Chriſtianum orbem circumplexus. Hæc cùm cancellarius, quemadmodũ iuſſus erat, eadẽ illa nocte ad proceres, primùm primoribus ſingulis ſeorſim nocte aditis, deinde ad Senatum uniuerſum detuliſſet, nihilo magis profecit, quàm ſi nihil eis fuiſſet nunciatum: adeò omnium animi erant partim uana uictoriæ ſpe certaminis auidi: partim metu diſſuadendæ pugnæ, cupidius deſiderio uidebant militum animos accenſos, occupati. Rex igitur ſub primam lucem in caſtra uenit: & quia nondũ ex Buda naues uenerant, quæ tento ria & alia in caſtris regi neceſſaria deferebant, in domum epiſcopi oppido adiacentem diuertit, tentaturus ibi quoq;, quod per cancellariũ paulo antè fruſtra tentauerat. Conuocantur igitur ad regem omnis omniũ ordinũ & nationũ cõſilarij, diu Senatui ex ordine etiam militari interfuere frequentes: & ex Boemis quoq; & Morauis, illi qui ad eos præuenerant. Agitur diligẽter cum ſenatu &

militari ordine, quid facto sit opus: cum nemo adhuc eorum qui ex Transsylua
nia, Sclauonia, Croatia, Boemia, Germania expectarẽtur, adesset: quorum ple-
roscꝫ certa spes esset breui affuturos: hostis autem in propinquo esset, non nisi
duobus ad summum miliarijs à castris regijs remotus, pugnam fortasse nullo
pacto dilaturus: quid faciundum regi censerẽt: transferenda ne aliunde castra,
pugnæ, interim dum hi qui expectabantur aduenirẽt, differendæ gratia: an bel
li fortunam cum hoste experiundam? Aderat his consultationibus Paulus enũ
Tonorij, proxima nocte ex alijs castris hac ipsa de causa accersitus: qui cum à
prælio cum hoste conserendo uideretur non alienus, rex miratus qua spe ani-
mum haberet, & eius etiam à tali proposito auertendi gratia coram uniuerso
senatu iubet eum interrogari, primùm de suorum, deinde hostiũ numero. Nam
& id sciebat ille, magis ipsi quàm ulli alij constare, ob frequentes exploratores
& transfugas, qui ad eum assiduè ueniebant. Ad primum respondit, tam in ca-
stris regijs, quàm in suis (erant enim, quod suprà diximus, diuisa) non esse suo
iudicio supra uiginti milia armatorum. In castris uerò hostium, dixit se certò in-
telligere ad 300000. hominum, quæ res, & tanta nostrorum cum hostibus im-
paritas, cum animos omnium uehementer perculisset: subdidit repentè ille, nõ
esse hostes propterea magnopere formidandos, esse enim illam multitudinem
& inermem magna ex parte, & imbellem. Instanti regi rursus percunctando,
quot nam crederet hostium milia esse bello aptiora & selectiora? respondit,
70000. Is quoꝫ numerus uisus est exercitum nostrum quàm longissimè exupe-
rare: præsertim cum idem tormenta etiam bellica grandiora dixisset esse supra
300. His tamen diu multumꝫ consultatis, & tam Monachi consilio quàm ani-
mis ferè omnium (præter paucos, qui nescio quo uano metu ducti, non aude-
bant palàm quod sentirent proferre) iam per se ad pugnam decernendam spe-
ctantibus, superuenere repentè inter medias has cõsultationes, missi ex alijs ca-
stris, qui cum in senatum intromissi fuissent, dixerunt, se nomine eorum quin
alijs castris erant, tam ad regem quàm ad senatum mandata habere. Ita prius
cum solo rege in secreto conclaui collocuti, postea inde cum eodẽ rege egressi,
monent senatum accuratè, nomine suorum, ne regem à pugna cum hoste con-
serenda dehortẽtur, habere se uires hostium, licet hi numerosi sint, planè explo-
ratas: uictoriam esse in manibus, modò fortuna, quam Deus eis obtulisset, uti
uelint. Venirent igitur cum rege, & castra Deo bene iuuãte cum suis castris ho
sti uicinioribus, & illi inuadendo opportunioribus, iungerent. Quòd si quid
aliud regi persuadere niterentur, illis paratum esse exitium: secꝫ ab hoste contra
nos, si castra nostra castris illorum quamprimum nõ admoueremus, uenturos
affirmabant. His inter ipsas belli cõsultationes coram rege & senatu expositis,
illis etiam qui saniora consilia sequebantur, tam atroci denunciatione deterri-
tis, pugna decernitur: nulla spe, necꝫ Vaiuodam, necꝫ Christophorũ, necꝫ Boe-
mos ad tempus prælij affuturos. Banus tantum Croatiæ, Fran. Bathianij, qui
iam non procul à Quinqueclesijs cum copijs Sclauonicis erat, spem faciebat,
sese intra biduum aut triduum affuturũ. Id quod postea euenit ita. Fuerunt qui
dimisso etiam senatu, multum improbarent consilia pugnæ, ita præcipitanter
ineundæ. Fuit inter alios Franciscus Perenni episcopus Varadiensis, festiui in-
genij iuuenis, & ita certo scribendi charactere præditus, ut ei neminem nostro-
rum (nisi fortasse Thomam Zalahazij episcopum Vesprinien sem) in hoc gene-
nere præferri uelim, præsertim si tantum ingenio excolendo quantum ocio, &
his rebus in quibus iuuenes nobiliores, magno suo & patriæ damno tempus
plerunꝫ conterere solent, indulsisset. Is igitur, quasi eorum quæ paulo post fe-
quuta sunt præscius, regi non sine omnium qui aderant admiratione dixit,
eum diem quo pugnandum esset, postquam ita placeret, 2000 Hungarorum

Episcopus Varadiensis.

martyrium

martyrium (nondum enim hunc numerum exercitus excedebat) duce fratre Paulo Thomorij, pro Christi religione occisorum fore consecrandum: ac pro eorum canonisatione quod uocant, cancellarium, si is huic bello superfit, in urbem fore mittẽdum, ut qui pontifici & supremis patribus sit ad legationes Romæ defunctas bene notus, in quo utinam ille falsus fuisset uates. Sed erunt fortasse, qui accusaturi sint audaciam nostrorum, qui ita cupidè pugnam hanc exposcebant: & hanc uel temeritatem, uel improuidentiam sint uocaturi: quod necp nunc deesse uideo. Sed ignorant multa illi fuisse in causa, quæ prudentissimos etiam & summos Imperatores, ad idem facilè impellere potuissent: & ante omnia, mirus & incredibilis, ac fatalis penè quidam militum ardor, ac certa & indubitata in omniũ ferè animis uictoriæ spes. Ad hæc, occulta quædam Pauli Thomorij cum magna hostilis exercitus parte cõsilia, cum his scilicet, qui uel Christiani ipsi, uel Christianis parentibus nati erant: & qui tormentorum bellicorum apud hostem curam habebant, partim Germani, partim Italici generis. Quin & illud accedebat, quòd non uidebatur satis tutus ab hoste adeò propinquo receſſus: hoste præsertim ob equorum uelocitatem ad nullam rem magis apto & prompto, quàm ad persequendum cedentes. Pugna igitur in hunc modum decreta, ea quæ ad pugnam pertinebant curantur. Ante omnia Tomorij in castra sua, quæ in proximo fuisse diximus, proficiscitur, ibi ægrè à suis impetrat, ut retrò aliquantulum concedant, & se cum exercitu regio cõiungi patiantur. Ita sequenti die castra nostra cum castris illorum, medio ferè miliari, infra Mohaczium coniuncta fuerunt: sic tamen, ut & ibi nostri illis nõ miscerentur, sed esset paruum interuallum inter nostra & illorum castra relictum. Eodem tempore uenerunt ex Buda naues tormentis bellicis maioribus & minoribus, pluere item bombardico, & quibusdam alijs ad pugnam necessarijs plenæ: nouem etiam machinas à Viennensibus missas aduehentes. Venerunt & Alexij Turzonis 200 ferè pedites, cum aliquot machinis. nam ipse cum episcopo Vesprimiensi Budæ relictus erat apud reginam. Hi duo ad eius custodiam & obsequia deputati fuerunt: fugæ etiam eius postea comites, qui in hunc usque diem in reginæ obsequijs permanserũt. Affuit & Banus etiam Croatiæ, die Dominico, qui pugnam præcessit, cum elegantissimis copijs: fuere ad tria milia equitum, ac non ita multi pedites. Venerant cum eo Ioannes Tahij, Ioannes Banffij, & nõnulli alij ex regni Sclauoniæ proceribus. Venit postridie eius diei manè, rege etiam instruente, (nam eo etiam die creditus est hostis in prælium descensurus) Simon de Erdeuud, episcopus Zagrabiensis, cum fratre Petro Erdeuudij, cum septingentis amplius equitibus, uiris, equis, armis decẽter instructis. Aduenit eodem ferè temporis momento Stephanus Azel, cum 300 equitibus fermè, quos Ioannes Bormemissa regi in subsidium miserat, cum aliquot milibus aureorum, supremum à patre filio alumno munus. Venit circa ferum eiusdem diei, Ioannes Zerechen, supra 2000 peditum, eorum qui circa Drauum colunt, & insignes sagittarij habentur, ducens, partim in suis, partim in capituli Quinquecclesiensis possessionibus collectorum. Venerunt & alij plures intra illud triduum: illi præcipuè qui propinqui erãt, & in his Philippus More episcopus Quinquecclesiensis, & frater eius Vladislaus More. Quibus omnibus simul cõgregatis (fuere autem ad uiginti quatuor uel uigintiquinq; hominum milia: nam naualium copiarum, quæ & ipsæ eodem in loco erant, nullus in eo bello fuit usus, Cæsare cũ illo suo tam numeroso & potenti 300000 hominum exercitu, non nisi per duo miliaria distante) consumpti sunt illic tres dies, qui pugnam antecesserant, partim in pugnæ præludijs, quæ assiduæ fiebant, maiori semper hostium quàm nostrorum damno: partim in consultando, quo pacto & in quo loco cum hoste congrediendum, quem in modum acies esset

Laslo More.

esset struenda, ubi rex in acie stare, ubi eques, ubi pedes, ubi bombardæ poni deberent, quas ad octuaginta habebamus, cum hostilibus minimè conferendas. Disputatum fuerat ante illud tempus diligenter de regis persona: fuerant, qui censebant eum cum aliquot hominum milibus selectis, procul ab acie stare debere, quod cùm nullo pacto exercitus laturus esse uideretur, qui regem de more uolebant prælio interesse: agitatum est & illud, ut regis loco, armis regijs alius inducretur. Sed id quoq; uisum est, sine ingenti exercitus reclamatione ac consternatione fieri non posse. Decretum igitur postremò est, cùm satis anceps pugna imminere uideretur, ut essent qui regis seruandi curam haberẽt, si quid grauius accidisset: & regem simul ac aciem, ita ut restitui posse amplius non speraretur, inclinare uiderent, ex media acie ereptum abducerent. Demandata fuit hæc cura Gaspar o Raskañ, Valẽtino Toronk, & Ioanni Kalañ, tribus præstantissimis uiris, & regi sine ulla controuersia, fidissimis: dispositis etiam ad id equis uelocioribus, quibus rex, si ita necessitas postulasset, in euadendo uteretur. Sed ut ad rationem disponendæ aciei redeamus, erant non pauci, & in his Lampert Gnoniskij, qui consultissimum nimium censerent, si curribus quibus rex maximè abundat, acies undiq; cingeretur: ac si intra septa & munimenta certamen fieret, hoc enim pacto futurum dicebant, ut hostis non ita facilè nos posset (quod magnopere timendum erat,) circumuenire. Approbant hanc struendæ aciei formam Radisch Bosich & Paulus Bakith: ex quibus posterior tribus legitimis prælijs à Solymano cum hoste commissis, interfuisse se dicebat. Itum est igitur pedibus in hanc sententiam. Demandataq; ea cura Gnoinskij, & quibusdam alijs: serius tamen quàm oportebat, & eo demum uespere, quò in sequentem diem est cum hoste pugnatum. Itaq; hæc quoq; res, sicut alia multa, fuit neglecta. Aciem eo die quo est pugnatum (qui fuit XX IX Augusti mensis, diui Ioanni Baptistæ decollato sacer) ex sentẽtia eorum quos paulo antè nominauimus, ita extruere placuit, ut quanto latius extendi posset, extenderetur: in quo illud est potissimùm spectatum, ne ab hoste circumuenirentur. Deinde diuisus est uniuersus exercitus in duo agmina. In primo agmine, duces belli erant nullo certo loco: sed ubi res postulasset, dextrum eius cornu Banus Croatiæ, cum Ioanne Thahij: sinistrum, quod Vayuodæ Transsyluaniæ, si adesse potuisset, designatum fuerat, Petrus Perennij curabat. Erãt in hoc priori agmine plures ex primoribus, in quibus Antonius Paloczij, Franciscus Hommonaij, Gabriel Perennij, Thomas Zechij, Andreas Bathorij, Emericus Czibak, & plures alij. Tormenta bellica statim post principia posita erant. Secundum agmẽ, siue illa acies, quam nos Statariam appellamus, in qua rex erat, ex equitatu magis constabat, paucos admodum pedites à lateribus habebat: inter hanc aciem, & primam, nõ intercedebat nisi spacium lapidis iactus. In eo agmine ante eum ordinem in quo rex erat, triplex erat ordo, magna ex parte ex cubicularijs regijs & baronibus conflatus: quorum dux erat Nicolaus Tharczay, uir & manu promptus, & singulari in regem fide. Ibidem erat uterque aulæ regiæ prefectus Petrus Corlatkei, & Andreas Trepka Polonus. Erat & Stephanus Slijk Boemus, cum alijs Boëmis & Morauis: & hi ante regem, regi proximi erant. Tres illos ordines subsequebatur ordo regius, & in eius ordinis medio rex ipse, nempe

Ingenio, specie, uirtutecq;, numinis instar,
Spes patriæ, regumq; decus, si fata tulissent.

Ad regis dextrã erant, antistes Strigonienſis, & Zagrabienſis. nam Agrienſis adhuc ex Batha Budam fuerat missus, post Zagrabiensem, Varadiensem, Quinqueclesiensem, Sirmiensem: duo enim ex prælatis, Iaurienſis & Vaciensis, ad læuam positi erant. Post cancellarium, Nitrienſis, Bosnenſis, præpositus Albenſis,

Albenſis,& poſt hunc ſecretarij ac cubicularij, regis in parte ſiniſtra, penes regem,locus erat relictus comiti Palatino:qui licet æger pedibus,& uix equo inſidens,tamen modò in primo,modò in ſecundo agmine diligentiſsimè uerſabatur.In læua igitur parte,cum Palatinus à loco ſuo abeſſet,erant penes regem aliquot barones:& illi duo,quos diximus,antiſtites.Regi à tergo adhærebant Czetricz, Maijlath, & Horvuath, ſtabuli regij magiſter. Poſt proceres ſimili modo erant hi,quos quiſq; ſibi magis fidos & ſtrenuos pro tutela corporis ſui delegerat:his erat coniunctus poſt regem & proceres,equitum cataphractorũ pulcherrimus globus,1000,uel paulò amplius cataphractos cõtinens.nam alij huius generis equites per primum agmen ſparſi erant.In medio huius globi erat uexillum regis,quod Ioannes Dragffij iudex curiæ,quæ tertia eſt inter ſeculares à rege dignitas,ſuſtinebat.Hanc ſtatariam aciem cingebant undiq; equites leuis armaturæ, & pedites quoq; à lateribus,quod ſuperius diximus.In latere eius dextro,poſt antiſtites & ſecretarios, erant illi tres, quibus tutelam regij corporis commiſſam fuiſſe diximus.Locus,ubi acies fuit inſtructa, receſſerat à Mohaczio miliari uno, à Danubio præterfluente miliario medio. Erat, quod & ſuperius dictum eſt,in eo loco ingens & lata planicies, nullis neq; ſyluis,neq; uirgultis,neq; aquis,neq; collibus impedita,niſi quòd ad lęuam,inter eum locum & Danubium,erat aqua paluſtris, & limoſa, crebra arundine plena,ubi poſtea multi mortales perierunt.Contra nos collis erat in longum protenſus,in theatri quodammodo formam, ultra quem Cæſar Turcarum caſtra habebat,in collis imo deſcenſu,pagus modicus cũ templo. Feuldvuar ei pago eſt nomen.Ibi fuerunt poſitæ machinæ hoſtiles,eum locum oculis nos poſtea, circa extremum certaminis tempus conſpeximus,hoſtibus fuiſſe oppletũ, maximè Ianiczaris,quos uocant,qui quicquid erat ultra illius pagi caſulas,omnia longo ordine occupabant: inter quos fuiſſe Cæſarem,poſtea fuit cognitum. Tormenta ita erant ibi poſita,quaſi in quadam ualle:propter quod noſtris longè minus, quàm ſi in plano fuiſſent, nocere potuerunt, & plus terroris quàm damni intulerunt.Acie in hoc quem diximus loco,eo quem diximus modo & die,paulo pòſt ſolis exortum inſtructa,(erat autem dies clara, & multum serena) Palatinus regem ex eo loco quem ei deſignatum fuiſſe diximus,eductum, quod & triduo antè fecerat,per uniuerſum exercitũ circumducit: ibi eum præſentem,de quo aliqui dubitauerant,omnibus manu oſtentans, paratum dicebat omnia extrema,& mortẽ etiam ſubire pro patria,pro ſacra Chriſti Dei opt. max.religione,pro coniugibus & liberis eorum. Agerent itaq; ipſi quoq; uiri fortiſsimi,Hungaros ſe eſſe meminiſſent:& eos qui & ipſi ſæpè,& eorum olim maiores inclíti illi heroes,& fortiſsimi Chriſtianæ Reipub.propugnatores,tot clara trophæa,ex eodem illo,cum quo pugnaturi eſſent hoſte,retuliſſent. Nec eſſe quòd hoſtium multitudine deterreantur, non enim in multitudine, ſed in robore militum, ſitam eſſe uictoriam. Deum etiam ipſum ex alto, pro ſua ſancta religione pugnaturis affuturum: in manu ipſorum poſitam eſſe dicebat, non patriæ ſolùm, quam hoſtis occupare ueniſſet, ſed totius Chriſtianæ Reipublicæ ſalutem. Hæc & alia talia cum Palatinus, & ſimul etiam rex omnibus ordinibus obequitatis, commemoraſſent: rex locum & ordinem ſuum repetiuit. Conſumpſimus poſtea maiorem diei partem in expectando hoſte: qui ſe ita haud multis qui leuia cum noſtris certamina ac belli præludia exercebant, præmiſſis, adhuc poſt colles illis continebat, dubium noſtros ne, ut ad illas locorum anguſtias pertraherent, an ut pugna in ſequentem diem delata, nos ea nocte in caſtris ex improuiſo aggreſſos opprimeret, quod pro ea militum & tormentorum copia, qua abundat, non erat ei difficile factu: uel ut potius nos longa prælij expectatione fatigaret. Quicquid in hoc hoſtis

fuerat

fuerat secutus, non mihi de hoc est compertum. Tenuit certè nos tota ferè illa dies suspensos. Sic suspensis & expectantibus apparuit, iam sole in uesperam inclinante, agmen hostium, per uallem, quæ nobis ad dextrã subiecta collibus erat, tacitè incedẽs, sola hastarum summitate illud prodente. Monachus igitur, ratus id quod erat, illos uel ad castra nostra diripienda, uel ut nos circumuenirent, tendere de prima acie ad regem aduolans: iubet Casparum Raskay cum duobus alijs, quos ad custodiam regij corporis deputatos fuisse diximus, ire exploratũ, quid nam illi molirentur, & ut eos si possent, ab incepto itinere auertant. Ille non immemor quid ei antea fuerat de regis custodia mandatum, recusata, quantum honestè potuit, prouincia: demum cùm & Monachũ instare uideret, & regem Monachi imperio non contradicere, ne quod non sine magna causa faciebat, id in ignauiam uel timiditatem ei uerteretur: subdit equo calcaria, & illuc quò nitebatur, cum socijs, & tota equitum qui eis parebant, cohorte festinabat, ea etiam spe (quod nõ uidebatur ullo modo dubitandum) illum ad tempus, quo regi eius opera esset necessaria, inde facilè reuerti posse. Athis eò quò diximus profectis, adhuc incertum erat, utrùm hostis facturus esset eo die pugnandi potestatem: & erat post meridiem hora ferè tertia. Nec deerãt ex primoribus, qui tam longam expectationem pertæsi, signa receptui canenda, & in castra redeundum censerent. Quod cum Monachus sensisset, repentè ad regem cum collega aduolat, pugnam nullo modo differendam esse monentes esse periculi nũc cum parte copiarum hostilium, quàm in posterum diem, cum toto exercitu congredi, non esse de uictoria dubitandum. Ad quam uocẽ rex statim signa canere iubet: & simul cum tubarum clangore, & tympanorum sonitu exoritur clamor, uel cantus potius nostrorum, Iesu Saluatoris nomẽ inuocantium de more, & eodem tempore uidimus ingentem copiarum hostilium de colle illo, qui nobis oppositus erat, sese sensim demittentium, ubi Cæsar Turcarum etiam erat. Tum demum regis capiti galea est imposita, quo tempore magnus in eius ore pallor apparuit, quasi futuri mali præscius. Signo belli dato, uiriliter cum hoste concurrêre hi qui in prima acie erant: bombardæque nostræ omnes emissæ fuerunt, paruo tamen hostium damno fit certamen, multo acrius quàm pro numero militum nostrorum, plures ex hostibus quàm ex nostris cadunt: donec nostris fortissimè pugnantibus, hostis cedere cœpit, siue nostrorum impressione eò actus, siue ut nos ad tormentorum loca pertraheret. Et repentè aduolat ad regem Andreas Batorij, hostes terga dare, uictoriam esse nostram, promouendum esse gradum, & nostros hostem fugientem persequentes adiuuandos. Properamus igitur per æqua & iniqua: uerùm ubi ad eum locum uentum est, in quo paulo antè fuerat certatum: ibi uerò multa nostrorum, plura hostium cadauera per campos iacentia uidisses, & quosdam semiuiuos, & adhuc spirantes: interim nostris hosti instantibus, & fortiter cum eo pugnãtibus, agmine regio eodem, quantum à cataphracto milite properari poterat, properãte, inclinari cornu dextrum cœpit, & plerique ex eo cornu fugã capessere, tormẽtis (credo) quæ hostis tunc primùm iaculari cœperat, extremũ quæ res & globorum iam nostris etiam, qui penes regem eramus, capitibus siperuolantiũ, crebri iactus, non parum terroris omnibus incusserunt, & eo ipso tempore rex in ordine nostro nõ cõparuit, siue priores illos ordines quos ante ipsum diximus fuisse, progressus, (quod antea ita erat statutũ, ne rex in eodem loco staret) siue sublatus ex acie ab his quos ei post tergum fuisse diximus. nam utrunque fieri potuit. Nec desunt qui dicũt, eũ priores sui agminis ordines transgressum, usque ad principia peruenisse, atque illic uiriliter cum hoste pugnasse. quod ego neque affirmare ausim, neque apertè inficiari. Illud mihi certò cõstat, eũ tunc à nostro ordine, & à suo loco abfuisse, quãdo tormẽta hostilia tonare cœperũt, & quando

quando ex cornu dextro fuga fieri cœpit. Secundum ex eodem ordine, penè eodem tempore quo regem sensimus abfuisse Archiepiscopũ Strigoniensem, & nõnullos alios regi propinquos. Ego regis amissi culpam neq; in eos ausim conferre, qui ei custodes fuerunt adhibiti: neq; in eos, qui eum fortasse intempestiuè ex acie subduxerunt, sed infelici cuidam nostro fato: ut rege etiam amisso, non solum pateremur ea quæ ab externo hoste passi sumus, sed domesticis etiam dissidijs & factionibus ob alium regem in locum demortui substituendum agitaremur: nostris flagitijs, his etiam grauiora merentibus. Illos enim utroscq; scimus regi fidissimos fuisse, & regiæ salutis studiosissimos. Nam quod ad tres illos attinet, ad custodiam regij corporis deputatos, constat eos ab horte, ad quem reprimendum missi fuerant, non prius redire potuisse, quàm fuerit tota acies nostra in fugam conuersa, capto etiam uno ex eis, & eodem in loco liberato. Quò molestiore animo ferendum censeo, quòd ausus sit quidam, oratione de hoc publicata, (si oratio illa uocari debet) nostros sui regis desertores falsò uocare. An deseruisse regem sint censendi, qui omnia illi officia bonorum ac fidelissimorum subditorum præbuerunt, qui omnes ferè in eodem in quo rex iacuit, campo iacuerunt, testati morte etiã, quàm fidi suo regi, quàm amantes patriæ fuerint. Sed idem ille egregius historiarũ scriptor, qui hæc scribit, & qui tot conuicia in gentem nostram ingerit, huius etiam cladis historiam ita scripsit, ut me pudeat eum ita impudenter rem sibi ignotam in uulgus protulisse ausum. Sed nos ad institutum redeamus. Regis exercitu per ea quæ diximus uehementer turbato, & ad fugam spectante, diu tamen etiam postea est pugnatũ, iam non in latiore illa planicie, sed ante ipsa tormenta: quæ nobis adeò erant propinqua, ut non fuerint à nobis decem passibus remota: donec non solùm terrore, sed & fumo tormentorum omnia replente, ac uisum etiam prohibẽte, coacta fuit magna exercitus pars in uallem, quæ aquis illis palustribus iuncta erat, descendere, reliquis adhuc ante tormenta uiriliter pugnãtibus. Cæterùm cum hi quoq;, qui se in uallem receperant, rursus in pugnam instaurandam redijssent, neque iam ulterius uis tormentorum & fumi sustineri posse ullo modo uideretur: magna exercitus parte in fugam dilapsa, ipsi etiam sunt fugere coacti. Fugam igitur ad unum omnes, quâ cuicq; proximum erat, capessunt, ac per ea potissimum loca, per quæ paulo antè ouantes & spe uictoriæ pleni ueneramus, & per castrorum loca, quæ fuerãt antea ita per hostes direpta & dissecta, ut uestigia tantùm eorum superessent, & plena essent omnia eorũ qui in castris remanserant cadaueribus. Hostes uisa nostrorum fuga, uel fraudem subesse rati, uel pugna fatigati, diu se intra aciem suam continuerunt: & nisi tenebris noctis insequentis sese intendẽtibus, nequaquã nostros sunt insequuti. Quæ res, & quòd nox paulo pòst cũ imbribus effusissimis est subsequuta, multis mortalibus saluti fuit. Durauit certamẽ iustum per unam ferè & mediam horam, suntq; non pauci & illa palustri uoragine absumpti. Nam regis corpus, quem & ipsum ibi perijsse nonnulli dicebant, fuit postea repertũ in hiatu quodam terræ prærupto, supra Mohaczíũ, miliario medio sub pago quem Czelie uocamus, qui locus tunc Danubij inundatione aquã solito maiorem habebat, ibi simul cũ equo ita ut erat armatus, ab aquis fuit suffocatus: quo in loco plures etiã alij perierunt, atq; ab eo loco non procul repertum est corpus Andreæ Trepka, & Stephani Azel. Monachus in prima acie fertur cecidisse, fortiter pugnans, eius caput à trunco abscissum, postero die per castra hostiũ loco triumphi fuit circumlatum, longæ hastæ affixũ: quod postea ante tabernaculũ Cæsaris stetisse aiunt. Eo die qui pugnã est insequutus, mille & quingenti ex his capti fuerant, & inter hos magna primorum nobiliũ pars in coronã positi, coram exercitu uictoriæ capite sunt truncati. Cæsare sanguinẽ illorũ libante dijs suis,

pauci

pauci ex captiuis seruati: ut essent, à quibus Cæsar & Hibraim bassa ea quæ opus erant, possent sciscitari. Inter hos Nicolaus cognomine Hertzek, quod lingua nostra ducem significat, dux reuera, & thesauratius regius existimatus: item Ioannes Pileczkij, & Ioannes Maczieijovuskij Poloni, omnes cubiculi regij ministri, à quibus postea ad reginã reuersis multa cognouimus, quæ breuitas historica commemorare nunc non permittit. Seruatus fuit & Michael Fekethe, & Bartholomæus Maytinij, qui postea magno ære fuerunt inde redempti. Perierunt in eo prælio & in fuga, præter regem, ex antistitibus Ladislaus Zalkanus Archiepiscopus Strigonien sis, Paulus Thomori Colocẽsis dux bellij, Franciscus de Peren Varadien sis, Philippus More Quinquecclesien sis, Blasius Paxij Iaurien sis, Franciscus Gzacholij Chanadien sis, Georgius de Palfina Boznen sis episcopus. Ex Baronibus, Georgius de Zapolia, comes Scepusien sis, alter belli dux: Ioannes Dragffij, iudex curiæ: Franciscus Orzag cubicularium, Petrus Corlathy & Andreas Trepka ianitorum, Simon Horvuath pincernarum regalium magistri: Thomas Zechij, Gabriel Perinni, Ambrosius Zarkan, Antonius Paloczij, Matthias Czethini, comes de Frangepanibus, Sigismundus Banffij, Franciscus Hampo, Ioannes de Batian, Stephanus Slyk Bohemus, & nonnulli alij Bohemi & Moraui. Ex nobilioribus & potioribus regni, Franciscus Balaszy, Nicolaus Tharzay, Ioãnes Paxy, Ioãnes Istvuanffij, Emericus Vvarday, Michael Podmaniczkij, Georgius Orlovuchicz capitaneus Seginen sis, Stephanus Azel castellanus Poson ien sis, Sigismundus Pogan, Ioannes Tornaly, Ioannes & Stephanus Kalnay, Nicolaus Forgach. Præter hos, nobiles potiores usq; ad quingẽtos. Quin tum præter tria uel quatuor milia peditum, paucissimi euaserunt, fuerunt autem usq; ad duodecim uel undecim millia peditum: ex quorum ducibus uix euasit quisquam alius præter Hannibalem Cyprimum. Tormenta bellica omnia, & illa quæ in acie fuerunt, & ea quæ partim in castris, partim in nauibus remanserunt, habuit hostis. Horum cura demandata fuerat, sed serò & non nisi eadem illa nocte quę pugnam præcesserit, comiti Ioanni Hardek, uiro strenuo & industrio, & qui circa regem ab initio fuerat diligentissimè uersatus, regi inter paucos charus. Nocte & die quæ pugnam insequuta est, hostes in omnes partes propinquas cursu effusi, obuia quæq; uastauerunt, & combusserunt, nulli mortalium parcentes, non sexui, non ætati, nõ religioni, omnia fœda & crudelia in miseram gentem exercentes. Neq; est mearum uirium, cladem illius noctis, & sequentium dierum deplorare: quæ tanta fuit per omnem illam Hungarię citerioris partem, ut non possim mihi persuadere, ab ullo unquam hoste crudelius esse sæuitum. Illud inter alia contigit, nunquam fortasse antea auditum, quòd infantuli uiui, neu a gitu proderentur, fuerunt ab infelicissimis matribus in terram defossi, ibidem aere terra intercluso, matribus inde aufugiẽtibus miserè suffocati. Processitho stis usq; ad Balatorem lacum, Quinquecclesien si ciuitate insigni combusta: cuius tamen arx, & nobilissimum templum quod in arce est, remansit intactum. Dum hæc agerentur, iam Vayuoda circa Zegedinum erat, cum copijs Transsyluanis: quę cum ita citò subsequi non possent, ipse conscen sis leuibus rhedis, cum paucis ad regem pròperabat: ut uel solus prælio, quod intellexerat minimè dilatum iri, interesset. Comes Christophorus Zagrabiam peruenerat: Bohemorum aliqua pars, eorum qui in auxilium regi ueniebant, partim non longe ab Alba Regali, partim circa laurinum erat, & circa eadem loca Georgius Marchio Brandenburgen sis, & cancellarius Boemiæ Adam de Noua domo. Regina hac clade audita, cum episcopo Vesprinien si & Alexio Thurzone, & oratore pontificio, incerta adhuc de regis interitu, trepidè Poson ium confugit, rerum suarum magna parte per Danubium subuecta: in quibus, & in his quæ ciuium

eiuium Budenſiũ erant, licet Andreas Orbancz, qui arci Strigonienſi præerat, nonnulla damna fecerit, tamen in huius rei commemoratione longè à ueritate receſsit ille, qui militibus noſtris leuis armaturæ, quos uero nomine Huſſarionnes appellant, eam impingit culpam, quòd puellas reginales inhoneſtius habuerint, & in earum ſoleis per ludibrium ſaltauerint. Cæſar paucis diebus circa ea loca ubi prælium fuit commoratus, omnibus deinde quos prædatum dimiſerat, ad ſe reuocatis, inde Budam uerſus mouit: ad quam ſextis aut ſeptimis ca ſtris ripam Danubij legens cum peruenisſet, oppidis & uillis obuijs omnibus exuſtis, eam ſine omni præſidio relictam reperit, & combuſsit, arce ſola cum ſtabulo regio ac uiuario ferarum relicta. Inde dimiſsis in omnes Hungariæ citerioris partes prædatoribus, quicquid inter Danubium & lacum Balatorem iacet, uſq; ad laurinum, omnia ferro & flamma uaſtauit. Strigonij tamen arx, per eum quem ſuperius nominauimus, Andream Orbancz deſerta, per hominem humillimæ ſortis, & qui paulo antè peditũ illius capituli ductor erat, Matthæũ cognomento Nagh, qui illuc cum paucis cõfugerat: arx uerò Vviſſegradij, coronæ regiæ conſeruatorium, per ruſticos & monachos fuerũt ſeruatæ. Tantus terror inuaſerat animos noſtrorum, audito Cæſaris Budam aduentu. quæ quidem arces, & cum his Thata, & Commarum, atq; etiã Alba Regalis, propterea etiam ab hoſte non fuerunt captæ, quòd is, neſcimus quo conſilio, regnum uaſtare tantum contentus, de arcium & locorum munitiorum expugnatione nihil habuit penſi. Nuſquam eſt hoſti ſic in Hungariam ſequenti magis repugnatum, quàm in loco cui Marotho eſt nomen, non procul à Strigonio. Receſſus Maroth. eſt archiepiſcopi Strigonienſis, nõ inamœnus, inter eas ſyluas, quas nos Vviet teſias appellamus, ſyluis & nemore undiq; cinctus. Huc ſe aliquot milia noſtrorum receperant, cum cõiugibus & liberis, anguſtijs freti. Cum his hoſti fuit non ſemel acerrimum certamen, magna hoſtium ſtrage. Poſtremò, cùm nullo modo caſtra noſtroru, quæ curribus circumduxerant, expugnari ab hoſte poſſent, coactus eſt hoſtis tormenta quoq; bellica illac adducere, & ita demum & caſtra diſiecta, & omnes ferè ad unum cæſi fuerũt: ingentes cadauerum cumuli, qui nunc quoque eo in loco uiſuntur, facilè magnitudinem cædis declarant: fuere autem, ut hi qui pauci inde effugerunt referunt, uſq; ad 25000 noſtrorum. Omnium uerò ubiq; tam cæſorum quàm captorum numerum in unam ſummam colligendo, affirmare auſim, ex his quæ cognoſcere potui, periſſe hac clade propè 200000 hominum. Citeriore Hungaria in hunc, quem diximus, modum à Draui hoſtio ad laurinum uſq; uexata, terrore nõ modico etiam his qui procul erant, à Viennẽſibus quoq; iniecto, ponte ſuper Danubio ad Peſthum facto, decimoquarto quum Budam uenerat die, Cæſar in Hungariam ulteriorem tranſijt: dimiſsis inde quoq; ad omnes partes quæ inter Danubium & Tibiſcum ſunt, qui omnia ſimiliter uaſtarent, & comburerent, ſicut in citeriore Hungaria fecerat: multitudinem omnem quę Tibiſcum non tranſierat, partim gladio interimit, partim in ſeruitutem rapit. Ipſe ſatis iam in miſeram Hungariã debacchatus, domeſticis, quæ interim in Aſia minore (quam Natholiam uocant) exorta fuerunt, diſsidijs eum reuocantibus, omnibus quę intra Drauum & Danubium occupauerat locis, atq; ipſa etiam arce & ciuitate Budenſi ſine ullo præſidio relictis, domum eſt reuerſus.

DE FERDINANDO REGE.

EXcipit regnum Ferdinandus, diuinitùs omnium uoto nunc Imperator, idq; suo iure non modò connubiali, sed maiorũ cum Matthia, postea Ladislao quoq; conuentionibus & pactis, quæ uel ab Ibraimo Bassa per Lascium aliquando Byzantij recitata, & audita comprobata fuisse lego. Non tamẽ sine labore, diuersis q; Baronum studijs illud est consecutus, coronam q; Albæ insesto Emerici accepit, 1527 anno: ac Budæ in regia collocatus est, cùm Ioan. Vayuoda iam ad Tokay militem colligeret. Is enim flagrãs cupiditate regni, quod illi à Ladislao ferè & proceribus, excito ad rusticanum bellum sopiendũ, quidam etiam promissum fuisse dicere non uerentur, quid animi haberet, quàm Lodouico & Ferdinãdo studeret, in interregno ipso testatus est. Iam enim à cõuentu illo Pesthiensi, ubi omnia loca armis obsederat, uim minatus, cum de Lodouici cõfirmando imperio tractaretur, quid ambitio, prehensationes & ingenius artes ualeant, experiri est ausus: exercitu quoq; ad Mochaczium tardius moto (licet id accidisse contrarijs Lodouici legationibus & mandatis multa allegerant) spem concepisse de Solymani erga se adq; regnum tradendum propensam liberalitate, non imperiti rerum fateri audent: nec omnino spe falsus est, siquidem Ferdinando ritè electo, præripere coronam aggressus, promissis immeris, ut à quibusdam rex crearetur, obtinuit. Sed infaustus illi dominatus, & semper inconstans fuit, adeo q; cladibus sæpe cumulatus. Ferdinandus enim cõscripto exercitu paratissimo, illius molitionibus obuiat: rectà Budam obsessurum ut Vayuoda intellexit, cõscius uirium profugit. Bis ad Tokay fusis eius copijs satis Vngarorũ societate firmatis, nusquã tutus esse potuit: & diu in Polonia hospes latuit, donec se, suos q; & regnum ad extrema redactus, in turpissimam tutelam, seu potius seruitutem Solymani turpissimam abiecerit. Quo uiriè precibus ad restituendum sibi regnum, & securum præstandum exercitu, imperium cùm ipse suum amiserat, tum uerò negocium Europæ solicitudinemq; attulit maximam. Postremò tamen Caroli v. aliorum q; principum opera, Viradini anno 38 reconciliatus fuit, pactis q; laudabilibus ad mortem stetit. Non obscurum est, Vayuodam apud Turcam non parum commendationis operæ Venetorum inuenisse, quòd Syrmiensis præfectura Grittio, Transsyluaniaq; concessa fuerit. Nec desunt literæ, quibus docetur, Francorũ regem annua tricena milia aureũm nummũm Venetijs subsidio Ioãni aliquandiu dependisse. Verùm quod ad hunc optimum, clementissimum, fidissimum q; regem Ferdinandum attinet, non deerunt qui memoria & stylo, quid amore Christi molitus sit, per 38 annos susceperit, ausus q; sit, copiosè uereq; narraturi sint: quandò recentes historiæ post obitum commodius diuulgentur, liberius q; cognosci, iudicari q; soleant. Materiam & argumentum tamen omnis illius uitæ integerrimæ oratione mea sequenti ad funus conscripta, subijciam, quod ipsũm & alios nuper suarũm scriptores rerum feciſſe uideo.

FINIS.

COM.

COMMENTARIVS CAPTÆ VRBIS, DVCTORE CAROLO BORBONIO, AD EXQVISITVM MODVM CONFECTVS:

ubi non modò ordine magis quàm hactenus ab alijs exposita omnia, sed multa etiam aliter cernere liceat,

Authoris innominati.

Huic adiecta sunt poematia duo,

Carolus, siue Vienna Austriaca.
Carolus, siue Tunete Anastasij.

IOACHIMVS CAMERARIVS DANIELO Stibaro, S. D.

QVID tu quereris silere Musas nostras, qui non ignoras quibus flatibus quasi cygnorum excitentur carmina illarum: Mihi quidem, mi Daniele, ita uehementer τοῦτο πῶς κωλύεσθαι obstrepitur, ut mirum sit exaudiri à me ipso, nō enim dicam ab alijs, nostros cantus. Non quereris, satis scio, amplius sunt tibi enim notæ multiplices curæ meæ, quibus hoc tempore distineor, quibusq;, si quid ingenij in me esset, id totum κωλύεσθαι, uel potius ἀφανίζεσθαι debebat. Sed tibi tamen satis facere cupio. In quo studio mutuabor calliditatis aliquid à uestra sapientia, & tibi à me dabo alienum beneficium: etsi non sunt ista aliena beneficia, quæ quasi μαγγανείᾳ τινὶ propria fiunt. Nos quidē certè hæc, qualiacunq; sint, maxima ex parte exornauimus, & instruximus quadam specie pulchritudinis: ac ne penitus abdicemus, nos quasi in gentem alienam adoptione emancipata transire iussimus. Quòd autē ad captam Romam attinet, Commentarium propter rem memorabilem plurimi faciendum, scito illum nobis ab A. Palæospyro missum, cui nos uersus Cæsarianos adiecimus. Est autem tibi erga Carolum nostræ uoluntatis promptitudo nota. Rideant hanc sanè qui uelint, in hac paruitate nostra & præstantia illius, cum ipsum numen infimorū adoratione & cultu imprimis delectetur. Tibi misi nunc hæc, non solum ideò ut aliquid mitterem (nolim enim abire multum temporis, quo non seruato antiquo more decerpam aliquid de fructibus studiorum meorum) quo te munerari possim; sed ob hanc etiam causam hoc tempore in istam editionem operam diligenter dedi, ut te inter uarios rumores quasi uaticinijs quibusdam confirmarem. Noli enim putare plus fidei habendum ullis astrologorū aut aruspicum diuinationibus, quàm eorum qui uatum nomen proprium inuenerunt, non imbuti superstitione aliqua sed instinctu quodam & ui cælesti præditi. Quid dubitas? uincere oportet Carolum, prorsus enim huius.

τιμὴ ἐκ Διός ἐστι, φίλαι δέ ἐμμεμάασι Ἐρῶσι.

Vis plura? non dico tibi uulgaria prædictionum diuersarum, quæ sunt tibi notissima, sed unum singulare. Fuere quondam in Italia uiri eruditi sortibus Virgilianis: tum Carolus adolescens fuit, nec quisquam suspicari potuit eò progressurum potentiæ atq; opum, quo nos cum incredibili lætitia uidemus. Tunc de Pontifice Leone & alijs quæ sortes fœdæ atq; ridiculæ exijsse dicantur, non lubet nunc exponere: nam publicare animus est cum Homericis quibusdam, quarum nobis spes nuper est facta: sed de Carolo Philippi filio dictum his uersibus data tum fuit:

Huius in aduentum iam nunc & Caspia regna
Responsis horrent diuūm, & Mœotica tellus,
Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.

Quibus nos, si uidetur, & præcedentia & sequentia attexemus quæ his ipsis profectò indicantur. Sed non libet nimium gloriari: etsi gloria humana reprehendi solet, diuina neq; solet, neq; debet. Carolum autē constat nunquam tribuisse suis uiribus maximarum rerum ullas actiones suas, sed potius retulisse acceptū

totum nomen, decus, famam, fortunam imperij, uirtutis, potentiæ, victoriæ, diuino numini: cuius ipse quàm administer uoluntatis in terris uersaretur atq; elaboraret. Hæc, mi Daniele, si uidebitur communicabis cum Huteno nostro, cuius fratrem Philippum natum laudi iuuenem, reuersum de Indica nauigatione, ducere ali quot ad Cæsarem cohortes audimus, fumusq; illius laudatissimis conatibus precati dignam fortunã. Quam quidem iam ita ille finxit animo supra ætatem forti atque magno, ut instabilissima dea in hoc mutari non posse uideatur. Quicquid enim accidat, ego quidem uolo ominorq; læta omnia. Quam gloriam sibi comparauit ille uirtute sua, sempiterna, profectò etiam ad posteritatem cum aliqua accessione dignitatis nobilissimæ gentis est futura. Sed fuimus longiores quàm oportuisse uideatur, in quo si quod est peccatũ meũ, cupiditati quasi colloquendi tecum ascribas, cuius iam diu sermonum suauitatem requiro cum summo desiderio. Bene uale, & saluere Hutenum à nobis multum iube. Tubingæ Sueuorum, XV. Cal. Iunij.

VRBIS ROMÆ EXPVGNATIO PER EXERCITVM IMP. CAES. CAROLI QVINTI, AVspitijs Borbonij: quæ contigit, Anno M. D. XXVII. paucis narrata.

HOELICES successus Caroli Cæsaris toti Italiæ non modicam formidinem iniecerũt, tam diu retenta ditione Mediolanensi: quanquam potentiores Itali fortiter obniterentur, & toties frustrato Galliarum rege in repetẽdis Insubribus, tandem etiam capto, ac in Hispaniam abducto. Quare uisum est Clementi VII. Pontifici Rom. fœdus Italiæ principũ & maximarum ciuitatum instituere, quò tutiores essent aduersus ingruentem Cæsarem, & ad illum excludendũ (nam hoc planè agebatur) ualidiores. Hanc ipse ligam sanctissimam appellauit, ueluti natam authore eo quem orbis sanctissimi nomine salutat. Ad hæc cõsilia turbanda nihil prius habuit Imperator Carolus, quàm exercitum in Italiam quamprimum mittere, qui cunctis minaretur, præsertim Florentinis, qui pace diuturna, auctis opibus, & citue summo Pontifice superbi, de nouo fœdere mirum quàm attollebant cristas. Itaq; iubetur Georgius à Fronspergo clarus eques, & notæ uirtutis, toties iam Ducis munere in proximis bellis, imò prælijs fœliciter functus, exercitum conscribere: quem ille contractum ocyus in Alpestri Rhætia ad Athesim uergente, subinitium anni quingentesimi uicesimiseptimi supra millesimum in Italiam duxit. Statim aderant cum aliquot millibus Hispanorum Carolus dux Borbonius, cui summa totius exercitus præfectura tradita est, ac princeps Arausiensis, Burgundiorum manu comitatus. Sed & Conradinus Lepontinus cum quatuor uexillis Germanorum militum, qui Cremonæ præsidium Cæsarium agitauerant, sese coniunxit. Continet autem uexillum non supra quingentos milites, sæpè pauciores. Paulo pòst Italorum phalanx accessit, quos ducebat Mutius à Columna. Iam ad famam tam numerosi exercitus Italia malè sibi conscia, mirè turbata erat. Proinde Pontifex Romanus author conspirationis nepotem suũ Iohannem Medicem cum lecta manu perditorum nebulonum, quorum pars indigenæ erant, pars ab Hispania uenerant, misit unà cum Iohanne Francisco Vrbini duce, qui à Venetis conductus erat, Germanis obuiam, ut arceret illos, nec Padum transire sineret. Sed iam traiecerat exercitus. Itaq; quum depellere non posset, profligare multo minus, persequi cœpit, & circunquaq; uexare, do nec paulo pòst in aggere quodam ictu ænei tormenti fuit extinctus. Amisso nepote suo, qui fœderatorum summus dux fuerat, solicitus Clemens quum uideret Germanos ac Hispanos ad Parmam & deinceps Bononiam urbes Ecclesiæ Romanæ deflectere, summisit Muschanum uicarium regni Neapolitani, qui

qui apud Borboniũ ſubditos Pontificiæ ditionis pecunia redimẽret, quo prorſus ab omni maleficio abſtinerent milites, & in aliud territorium tranſirent. Is legatus cùm incautius ꝓficiſcitur, captus eſt, ſed mox liberatus. Poſtulata ſunt ter centena ac quinquaginta aureorum millia. Tantam ſummam nemo uoluit præſtare. Itaq; quum haud ita procul Ferraria aliquandiu ſtatiua habuiſſent, ut gente eos rerum omnium penuria, ſic ut non ſolum commeatu deſtituerentur, ſed & ueſtimentis, atq; adeò calceis iam carerent, deportato prius Georgio à Fronſpergo Ferrariam curandæ ualetudinis cauſa (nam ſigna quædam paralyſis iam in eo apparebant) magnis itineribus Florentiam contendunt. Quam rem haud illibenter audierũt Romani, ſperantes à periculo ſe tutos, quum Florentini peterentur, & cupiebat Pontifex ſpectator tantum eſſet belli. Verùm ſecus eſt uiſum ſuperis, & uetus ac uerum eſt uerbum: Conſultum malè conſul tori peſſima res eſt. An ſua ſponte, an potius aureis aliquot globis tacti, duces exercitus retrò ceſſerint, parum liquet. Hoc conſtat, eos qui Florentiam petere uidebantur, dicto citius Romam aduolaſſe, perpetuò ueſtigijs inſiſtente duce Vrbinate, ſed citra noxiam inſignem. Via militari minimè ſunt profecti, ſed per montes & loca confragoſa ac ſyluas, dum compendium itineris ſectantur, tanta celeritate, ut nuntium prẽuerterint, nec aduentare ſcirentur niſi iam proximi Romæ. Quinto Nonas Maias præmiſerunt ſenatorem ad portam urbis, deſcentem ut aditus aduenienti exercitui pateret. Reſponſo nuntium minimè dignatus eſt Laurentius à Cere Vrſinus Pontificiorum dux, ſed tantum dixit cõtemptim, ni abiret properè, ſe de equo hominem ictu ænei globi tormentarij deturbaturum. Itaq; rediit ad ſuos. Poſtridie ante mœnia urbis cõſtiterunt. Sabbathum erat, uulgò iactabatur tranſituros illac Neapolim, nec diu moraturos. At ſtatim apparuit cuius rei gratia ueniſſent, dum caſtra figunt poſt diui Petri templum inter ueterem Romam & quod Burgam appellant, iuxta campum cui Sancto nomen. Id cùm Pontificij uiderent, nec ipſi ceſſabãt operibus ſe munire, æneis tormentis duas noctes & intermedium diem qui Dominicus erat, illos impetentes. Non uiſum eſt conſultum Borbonio, ſi inermes & oppugnatorijs machinis nullis inſtructi diu tempus tererent, hoſtium aſſiduis ictibus expoſiti. Libuit quamprimum experiri fortunã. Ergo bonis auibus pridie Nonas Maias Vrbis oppugnationem diluculo nebuloſo aggrediuntur: bis repulſi ſunt, tertiò uicerunt. Hoc profuit irruentibus, quòd quoties oppugnationem iterarũt, toties cadebat nebula proſpectum Pontificijs adimens, ut neſcirent qua maximè parte hoſtis irrueret. Ex ſtipatoribus Romani præſulis numero ducentis, Heluetij erant: cum ad murum uiriliter pugnantes circundarentur, uix quinquaginta ſuperfuerunt: nam & in æde Diui Petri mox aliquot circa ipſum Clementem ceciderunt. Et centurio Reſchius Turegienſis ex uulnere ad murum accepto grauiter affectus, in ſinu miniſtræ domi quieſcens, occiſus eſt. Borbonio quoq; ſtanti in ſcalis globus ænei tormẽti parum caute à ſuis emiſſus, ut eſt plena periculi eius generis armorum tractatio, crus alterum ſub femore perfregit. Id accidit in oppugnatione poſtrema, qua expugnata urbs eſt: ex quo uulneremox extinctus in ſacello Xiſti, in quod ſemianimis à militibus fuerat delatus. Hoc quod nunc dicetur, nemo crederet fortaſſe, Pontifici adeò non fuiſſe curæ exercitum iſtum, ut ſub urbis expugnationem ipſe in ædem Diui Petri deſcenderet, ſpectaturus ſacrum, & nunciantes expugnationem primùm ridere, donec hoſtes in ipſum templum irruerent, nimium certè fretus Apoſtolico fulmine, quod nudiuſtertius in aduenientes iaculatus fuerat, in cuius execrationis diplomate hæc lecta ſunt uerba: Excommunicamus Carolum dictum Borbonij ducem, & exercitum eius, partim ex Lutheranis, partim ex Mahumetanis conflantem, Significabantur autem Lutheranorum nomine Germani, ut Hiſpani

ſpani Marranorum. Sed ad narrationem redeamus, Pontifex relicto ſacro, cui ſpectator aſsidebat, quàm celerrimè in altum ſe per gradus & oſtium quoddã ſubduxit, in Hadriani molem per nota ambulacra fugiens. Et qui ibi ſunt excluſi, iugulati ſunt ad unum omnes, nõ ſolum ex ſtipatoribus, ut antè diximus, ſed ex templi miniſtris & ex plebe non pauci: neq; enim maieſtatem Diui Petri, in cuius templo hæc fiebant, quicquam reuerebatur prophanus miles, ite Pontifici quidem ipſi parſurus, ni fuga obiectis repagulis ſibi conſuluiſſet. Ad tumultum primùm captæ urbis cæteri quoque Cardinales omnes & Epiſcopi ad Hadriani molem properant. Vbi dum uulgus trepidum nunc excluditur, nunc ſummouetur, ut magnatibus pateat aditus, in ponte multi mortales oppreſſi ſunt, & obtriti multi. Tantum ceſſarant Cardinales, Senenſis, Cæſarinus, Iacobatius, Tudertinus, & is qui à Valle cognominatur: & iam omnia fremebant militari furore circa arcem, quare uiſum aliò fugere. Patebat in proximo palatium ſancti Georgij conditum à Raphaele Cardinale Sancti Georgij, in quod paulo antè uenerat poſt expugnatam urbem Cardinalis Columnanus cum ingenti lectorum militum manu, partes Cæſaris ſequens, quum tamen diſcedentes Germanos nemo ſit acrius perſequutus. Sed hic Italorum mos eſt ſubinde mutare fauorem, ut res & fortuna ſeſe mutarint. In has ædes recepti ſunt. Interim non citra plurimorum ſtragem, Burgo ſancti Angeli direpto (regionis nomen eſt) ulterioris urbis partes inuadi cœperunt. Longum ſim factu rus, ſi calamitatem deſcribere coner quantum eſt paſſa ciuitas Rom. A Gothicis, Vandalicis, & Longobardicis temporibus nunquam exitio propior fuit: nec innoxiorum ciuium bonis exſatiata militaris auaritia. Violata ſunt etiam templa, refractæ Veſtalium fores, cœnobitarum ſepta dirupta, contaminata ac direpta omnia. Fœlices erant qui ſua tantum amiſiſſent. Torquebãtur, dum nõ habent quod nouo raptori tradant. Senſerunt hanc inclementiam multi præclari uiri fautores etiam Cæſaris, quorũ aliqui inter cruciatus perierunt. In ſummã, nihil intactum reliquit hoſtilis furor, pepercit nemini. Durauit hæc rabies non modicos dies. Miraris Lector quidnam egerint milites tanta præda potiti: quieuiſſe putas. Imò tum rixæ & iurgia inter ipſos cœperunt. Nam aleam ludi paſsim exercebant, ubi uidiſſes uni ſactui nunc trecentos aureos, nunc ſexcentos, ſæpenumero mille committi. Qui ſuffarcinata ueſte uenerat, quæ poculis aureis & argenteis turgebat, ſæpe abſq; interula diſcedebat. Vnde non paucos tanta deſperatio inceſsit, cogitantes à qua fortuna excidiſſent, ut clauſis oculis in Tyberim ſe præcipitarint. Iudæi, quorũ magnus numerus illic, ne ſint omnia ſancta Romæ, perſolutis pretijs ſeſe redemerunt, ex præda omnis generis uilis empta ingens lucrum facientes. Porrò qui molem obſidebant Hadriani, in qua Pontifex erat cum Cardinalibus, Epiſcopis, & Primatibus urbis, extremos muros ſuffodere cœperunt, ut ſummiſſo puluere tormentario ſtructura diſſiliret. Sed impediebat aqua quæ circundat peramplis foſsis arcem. Quid hic attinet conuitia recenſere, quæ petulantia militaris in ſummũm paſtorem & Cardinales ſubinde effudit? Quid contumelias commemorare, quibus Chriſtianas ceremonias, ut quiſque erat leuiſsimus, ita ſtudio maiori irriſit, dum ebrij milites nunc Pontificiæ geſtationis ſimulacrum repreſentant, uiuidum aliquem ſactis ueſtibus indutum in lectica baiulantes: nunc benedicẽtem Pontificem per deriſionem æmulantur: interim parum plauſibile Romanis auribus Lutheri nomen Boatu occinentes, ſi fors mitratorũ aliquis de feneſtra proſpexiſſet? Pontifex tamen obſidionem tolerauit uſq; ad octauũ Idus Iunias. Nam eo die, quo uidelicet hoſtibus urgente rerum omnium inopia ſeſe dedidit, rurſum ſuæ poteſtatis factus eſt, & in integrum, ut uocant, reſtitutus, ut ſacerdotia conferret, donaret priuilegia, ac de rebus alijs ex more ſtatueret. Conuenerat autem inter

præſulem

præsulem Romanum & obsidentes in hunc modum. Milites intra arcem reciperentur, & hanc custodirent: Pontifex cum suis illic maneret, donec militibus esset de stipendijs satisfactum. Statim itaq; Germani propugnaculum unum tantum, quod ingredienti dextrum occurrit, præsidio occupant Centurione Maynrado Elymgerio Vlmensi. At Hispani, ut minimè stupida gens est, non contenti propugnaculum alterum quod ad sinistram est occupasse, in porta arcis etiam & cœnaculis, per quæ ascenditur, aptis locis quinas militum stationes disponunt, in ipsum quoq; Pontificis cubiculum præsidio inducto. Nam metus erat ne elaberetur. Iam itaq; potiebantur arce Hispani, sine quorũ præfectis militaribus, Larcone, & Iohanne Vrbinate, & suppræfecto Morono Mediolanensi nihil agebatur: nimirũ huc spectabant, quum tot præsidijs Hadriani molem stiparent. Admittebant ad Pontificem & excludebant, quos uoluissent. Minus poterant Germanorum duo prefecti, primarij uirtute, & maiorum imaginibus clari, Conradus à Bemmelbergo oriundus ex Hessia, quem uulgò milites paruum Hessum appellitãt, quòd fratrem habeat grandiorem, & Vvendelinus cognomẽto. Ad lacum, Italorum Mutius à Columna, Radus Burgundionũ. Dum hæc geruntur, iam agebatur Iulius Mensis. Nec supererat Romæ quod compilaretur à uago milite, & annona carissima erat, ac inualescebat pestis. Itaq; totus exercitus sublatis signis Narniam proficiscitur, præter eos qui præsidia agitabant in arce Pontificia, ceu memorauimus. Distat id oppidum xL. millibus passuum ab urbe. Expugnatur statim, diripitur & destruitur instar Romę. Imò sæuitum ardentius in Narnienses ferunt. Prętexebatur causa, ni fallor, quòd commeatum quo nec abundabant ipsi, non subuexissent ad urbem. At non quiescebant Hispani, nisi Hadriani molem soli tenerẽt, fortè instigante Pontifice, qui sperabat se melius cum Hispanis, qui pauciores erant, transigere posse, quàm cum Germanis, gente effræni. Id quod paulo pòst accidit, ceu suspicor, cum dimissus est. Persuadent igitur Elymgerio ut cum suis quinq; Centurijs (uexillum enim habebat) ex arce discedat, Hispanicis præsidijs locum cedens. Vix exierat, & ecce totus exercitus Narnia Romam reuertitur Mense Septembri. Ibi rursum tumultu miscentur omnia. Agminatim adeunt Hadriani molem, & urbem se denuò direpturos atq; adeò inflammaturos minantur, ni persoluat Pontifex promissa stipendia. Quum efflagitandi minitandiq; finem nullum facerent, prodeũt ex arce tandem colloquij duntaxat gratia, si quo modo compesci milites Germani possent, Archiepiscopus Sipontinus, Archiepiscopus Pisanus, Iohannes Matthæus Episcopus Veronensis, egregiè doctus homo, & Antonius Puccius Episcopus Pistorienſis: ex laicis, Iacobus Saluiatus consobrinus Pontificis, & Laurentius à Rudolphis, frater Cardinalis à Rudolphis. Hos, ut dixi, colloquendi tantum causa progressos, arripiunt statim auidi milites, & obsidũ loco tenent. Erat in Palatio Georgiano, cuius antè meminimus, camera nõ ita alto loco, sed ferreis cancellis satis munita: in hãc istos contrudunt. Dij boni quàm sæpe producti sunt in concionem ira frementem, & stipendia conuitijs & minis exposcentem: quàm sæpe ad ipsum patibulum adducti, quod in foro pro plectendis facinorosis erat erectũ: quàm multis iniurijs domi foris q; impetiti. Verba Germanorum non intelligebant, sed satis lo quebantur ipsi uultus insultantium. In uestibulo cubiculi, in quo obsides detinebantur, semper reperisses quinque, rarò pauciores centurias militum die no ctuq; ostium obseruantes. Horum excubiæ durabant horas xxIIII. Tum totidem centuriæ succedebant in decedentium locum perpetuò. Sed ô Germanorum oscitantiam! Dum soliciti pro foribus excubant, obsides noctu per fumariũ cubiculi ptidie diui Andreæ erepserunt, nec uisi postea sunt. Quam rem

prius resciuerunt Hispani, qui Hadriani molem cum Pontifice tenebãt, quàm ipsi excubitores Germani. Vide ingenium & solertiam gentis. Nec mirum si à præsule Romano & obsidibus pecuniam tam insolenter flagitabãt, qui domũ summi ducis totius exercitus, Principis Arausiensis, in demortui Borbonij locum pridem suffecti, fœdum in modum diripuerant; ut sibi metuens iuuenis Senas profugeret. Huius loco Dux est mox institutus Marchio à Quosta, qui hoc officio functus est donec mense Februario Neapolim proficisci cogeretur: nam inuiti Romam relinquebãt. Sed Galli per Picenum instructissimis copijs, nempe centum millibus peditum & equitum, ditionem Neapolitanã libi uendicatum ibant. Quibus nisi fuisset obuiam profectus exercitus Romanus, & præcedendo restitisset, actum fuisset non solum de regno Neapolitano, sed & de ipso Cæsareo exercitu, qui hinc Gallis, hinc Italis medio loco consistens pœnas dedisset: nam uelut inter Scyllam & Charybdim uersans ab utrisq; paulo pòst ad internecionem haud dubiè fuisset cęsus, ni maturasset abitum. Aiunt exercitum Germanorum aduenientem fuisse quatuordecim milium, discedentem octo duntaxat. Tantam multitudinem absumpserat lues quæ Romæ diu grassata est. Ante hoc tempus ab Hispania literæ uenerant, quibus Imperator apud Pontificem anxiè excusabat ea quæ Romæ nuper acciderant. Nam initio suo omnia esse gesta, nec se milites eos pro suis agniturum, qui tantum nefas ausi forent. Iubebatq; liberum dimitti cum suis Pontificem: id quod & factum est: sed haud dubiè prius pecunia placatis Hispanorum animis, in quorum manibus erat, ut suprà diximus. Videbatur autẽ timere solicitus Princeps ne præsul Romanus ipsum inter eos, quibus ex Christiano ritu communione piorum interdicitur, si non palàm, saltem occultè retulisset. Ad quæ rescripsit Clemens, nunquam de Cæsare sic se sensisse, ut pro sacris abstento iudicarit. Proinde meliora sibi de sede Romana promitteret. Ipse mox Oruietum concessit.

CAROLVS, SIVE VIENNA AVSTRIACA.

O Deplorati nunquã satis aspera fati
Fortunam in nostrum grassans caput, ecquid in ullo
Tãdem fine tua insistet uis? ecquid erit cum
Respicies gentem placato Christida uultu?
Te uoco fortunam magni quam Patris aperta
Irreuocabilibus pandunt dictamina chartis,
Quamq; uolutatam infinito numina produnt
Consilio. O tandem Deus, ô Deus ad tua tandem
Aspicias bona: quæ nunc dissipat hosticus ensis.
Præcipuè nanq; hæc tua sunt, ubi tradita primùm
Scripta tui doctrina recepta est sanguine nati.
Cur patitur tua uastari clementia sedes
Vlterius placitas hostilis Marte cohortis
Infestæq; tibi Pater, infestæ & tibi Fili
Sancte tibi & numeri flatus perfectio trini?
Quid primũ memorẽ? quid postremũ? omnia supra
Inualuere modum mala, nilq; accedere posse,
Cum speres, tum uix cœpisse exorta uidentur.
Nuper erat, neq; enim lõgum est nimis, intoleranda
Occubuisse crucem Gratiũ, quam beta notatam
Quadrifido giluis distinguit margine punctis,
Pontica quam tulerat Byzantij insigne Trapezus.
Sed non dira Asiæ modò in urbes Turcica pubes
Inuasit, domuitq; opulenti maxima mundi
Regna, ubi prorepsit petulans Bithynide Prusa:
Sed Cilices etiam & Tauri iuga uasta colentes
Cepit, & Armenias leuis est inuecta sub oras,
Cappadocumq; insedit agros, Pamphiliaq; arua
Et iuga Paphlagonum, et Pisidum campestria rura,
Et Crœsi antiquum imperium, qua Lydia præter
Iugera scruposa fluit Hermus fertilis unda,
Et Phrygiæ campos, ubi priscæ mœnia Troiæ
Tyndaridum pressit bello manus inclyta regum
Ioniæ & ueteris terræ, & loca opima Cares,
Aeolidosq; sinus, & quas Aegeia cingunt
Aequora tellures. Cyprum hæc inuasit ab ira

Numinis

Numinis orta lues, Eubœæq; arua beatæ,
Et claram euertit Rhodon, & Lesbo dominata est.
Tunc (neq; enim cupidæ mentis uæsana quieuit
Vllo fine libido) & in Europam intulit arma,
Per breuia ingrediẽs freta Bosphori et Hellespontĩ.
Sed tamẽ unde & q̃ misera hæc ab origine pestis
Repserit, & tanto processu inuaserit orbis
In loca totius cultu optima, uertere nostram
Ante querelam æquum duxi. Neq; non tamen auget
Sortem hoc indignam, seruilia corpora tantum
Imperium obtinuisse, & nunc late omnia duro
Seruitio premere, adductisq; inflectere frænis:
Emersa est Scythicis lacubus, muliebribus ante
Accersita ad concubitum parentia iussis.
Fœminea ad talos tunica leuibusq; ueredis,
Et tenui uolucris ferro contempta sagittæ,
Tum contempta ubi uirtutis decorisq; manebant
Reliquiæ quamuis modicæ. Nunc turpia pulsis
Quippe tenent illis regnum, Discordia tantum
Corda ciere malum, & potuere inducere pestem.
Sed tamen hunc quondam à nobis obiecta furorẽ
Arcuit, atq; Asiæ loca iussit obire Propontis,
Cum catecuzana infœlicis factio belli
In sese rabidos iratam obuertere rictus,
Sanguineosq; feram fecit distringere dentes.
Atq; ita telluris capta hæc dulcedine Graiæ
Paulatim insedit pergens, dum protinus omnem
Sub iuga Barbarici traxit turba impia regni
Quo sub nunc antiqua gemit Tritonidos ora,
Vnde humana putant iura & commercia nata,
Inuentrix uitæ opportunæ cultibus artis.
Thebanumq; solum, & sacratæ Phocidos arua,
Et campi Aoniæ lugent, silet Arcadicæ uox
Fistulæ, & in syluis Echo se muta requirit.
Hoc agros monstrum & uastauit Acheidas urbes,
Armaq; Doriacis fregit celebrata trophæis.
Insula ubi Pelopis cognomine cingitur undis
Aequoreis, binariq; patens excurrit ab Isthmo,
Quondam inuicta uiris tellus, dum sancta Lycurgi
Spartanos morum & legum dictata regebant,
Nobilem & Epirum palma olim cœpit æquarum.
Hic & in Aetolos obuertit castra superbos,
Victriciq; manu domuit progressus, equestrem
Aemoniam, & priscorum laude celebria quondam
Thessala Peneo uiridantia flumine Tempe.
Huic uicti Thraces etiam Mauortia proles,
Et Macedum paret natio. Dumq; omnia nuper
Christi dissidijs & bello in gente laborant,
Constantine tuam posuit sibi Barbarus urbem:
Ille sui sedem regni, uicinaq; late
Percurrit loca, Bulgariamq;, Auaresq;, Dacasq;,
Illyricosq; sinus. Huius uim Dalmata sensit
Cladibus attriti crebris sensere Liburni.
Quin & Noritia prædas ferus egit ab ora.
Interea loca sunt Asiæ huic intacta relicta
Nulla, & in ante suos dominos sese intulit, eq;
Soltanum imperium uertit, ueteremq; subegit
Cum Sidone Tyrum, et Syriæ claram Antiocheam,
Inq; Palæstinos Arabasq; potentia torsit
Tela, & Niloos oppressit Marte colonos.
Quid memorẽ te, parua qdẽ, & cincta undiq; sæuis
Hostibus, ô mater tantorum magna uirorum
Gente Cananitis Iudæa sorte subacta?
O' dilecta Deo præ terris omnibus una,
Cui debere illi natalia tempora uisum
Vnigenæ nato, quo sunt authore salutis
Parta bona humani generis qui uiuit, & absque
Cum Patre & Sancto regnat spiramine fine.
Sed nos ad propius nobis uulnus ueniamus,
Quod tractare manus tremit, & mẽs horret ita in-
Atq; ita se uisu fœdum spectantibus offert. (gens
Quod crudelis abit rabies uiolenta Tyranni
Pannoniæ infligens miseræ nunc, ô miseræ nunc:
Sic miseræ ut quondam fœlix fuit, illa & ad ipsam
Austriacam usq; lues peruenit dira Viennam.
Quis cladem illius fando, quis funera belli
Enumeret? flamma & ferro, quacunq; mearet,
Fecit iter, genitrix confossos cernere natos,
Vimq; coacta pati, uiq; ipsa occumbere letum.
Præcisa alterius salijt de pectore mamma:
Alterius patuit perfosso abdomine uenter.
Quæ sed in innocuo uis, aut iniuria sexu
Non tentata fuit? saltem has luet impia gentis
Colluuies, Deus hæc, Deus ipse hæc puniet ausa.
Tunc capita & totos (uisu miserabile) truncos
Sepibus affixi, aut hastis fudere cruorem.
Nil prætermissum est sceleris. Tremefacta Vienna,
Impete fulminei subiecto pulueris inter
Spemq; metumq; suam uix est tutata salutem.
Dextera quod toti nisi formidabilis orbis
Protegeret Caroli ciues ope Cæsaris orbos,
Quis scit an ille etiã huc grassatus Mars Alamanos
Nos uicina magis sortitos flabra Aquilonis
Pergeret, & Francos sibi subq; iugare Sueuos?
Sed tua succurrit Carole, ô tua dextra labori
Cælestis dextra auxilij suffulta fauore.
Si tamen est, quamuis sero, fas uerò fateri.
Non dedit ille mala hæc nobis & damna Tyrannus:
Sed nunc, ut quondam te Gens Hebræa parentem
Deseruit Deus, & meritorum oblita tuorum

A' te discedens sceleri seruiuit: ita omne
In facinus reges & subdita turba ruentes
Neglexere uiam uirtutis, & undiq; sese
Flagitijs etiam pulchrum implicuisse putarunt.
Hæc inflixerunt nobis cruciabile uulnus,
Nostra quod ulterius serpens ignauia fouit.
Permutata imis sunt summa: neq; ulla magis iam
Rebus in humanis manet in subuersa priore
Conditio, non ordo loco. Quid, fraude malaq;
Relligio, quòd nunc est uicta superstitione?
Vnde est improbitas uitam deducta per omnem
Et squalet mundus uitio obrutus, edere cuius
Nomina cunq; mali libeat iam nulla requiras,
Quæ memorare piget? Sed quid si fortè fauor nos
Respiciat posita fœlicis Numinis ira,
Quamuis multa uetent sperare: & fortè tamen si
Vnanimem ducibus tribuat coniungere sensum
Et scelus, & contra ultricem facta impia mentem,
Atq; animum antè suis ponat qui publica rebus
Qui ius & rectum colat & procuret honestum:
Vim tollat, scelerisq; nefaria puniat ausa.
Quis magis optatus uotis obtingere posset
Dux Carolo, ut quondã Gedeon, Sampson, Ioshuas,
Gentis & Isaides Iudeæ gloria regum?
Quiq; alij (neq; enim cunctorum nomina parua
Exposuisse queam libro) dextra, animoq;
Ingenti ac forti hostiles fregere cohortes,
Quæ petiere tuum populum Deus, ut petit illa
Nos populum tuum, habetq; patentes bellua fauces
Deglutire parans insigne nomine Christi?
O' utinam illa dies tantorum causa bonorum
Orta sua in roseis ostendat lumina bigis
Mortali uoto turbæ exoptato frequente.
Tũc ego, quicquid ego possim, neq; enim Deus esse
Pauperis ingratum patitur sibi munus honoris,
Ad citharam læta resonabo uoce Latinam,
Grates maximè agens tibi Rex Deus optime regum,
Effundam & prompto celebrãs inuicte triumphos
Cæsar mente tuos, interq; ingentia facta
Non inopes defecta requirent uerba Camœnæ.
O' mihi sint rebus super his uitalia lucis
Tempora lætificæ, ferat hanc miseris eitò terris
Numen opem, uertatq; oculos ad nostra benignos
Vulnera, & admota sanet potentia dextra.
Hoc oro, mecum hoc omnes orate bonarum
Ex animo rerum, & sanctæ uirtuis amantes.

CAROLVS, SIVE TVNETE.

QVID, qui indefessis decurris in æthere bigis,
Desuper & terræ lustras loca Phœbe patentis,
Vnde oreris, mediq; nites ubi culmine cæli,
Oceaniq; subis uastu lacum, & inde reuertens,
Cynthia in exortus ueheris radiante priores,
Quid melius cernis Carolo, aut quid Cæsare maius?
Aspice, nam nil te fugit, aspice Phœbe. Quid ergo
Tale uides? à quo metuit perterritus orbis,
Imperiumq; tremunt scelerati, quiq; fuere
Exitium pestisq; bonis, nunc fortè suarum
Mutata satagunt rerum, quæruntq; latere
Vi captæ loco in angusto regionis iniqua.
Quam tulit ille diu, quam non est ultus, & omnes
Sustinuit quasi sopitus patientibus ausus
Hostiles animis, quos tandem excitus apertis
Aspiciens oculis sese ipse recollegit, inq;
Maiorum reuocat mentem præclara suorum,
Et totum quæ facta uehuntur laude per orbem:
Materiamq; dare aggreditur, si quem tamen ista
Secula ferre queant, aut si uentura poëtam:
Qui digna æternæ faciat præconia famæ.
O' Carole, ô magni soboles generosa Philippi,
Tertius à Diuo qui ducere Maximiano,
Tú ne ille es Carolus, Carolo de Principe quintus
Romani imperij, de quo tot carmina uatum
Arma per edicunt totum uictricia mundum,
Cuius & ante suum memorantur nomina partum,
Formaq; descripta est, & castæ nobile mentis
Ingenium, ut iam quisq; tuos quòd uiderit annos
Et genitum seclo sese lætetur in isto?
Ergo tibi non sola subest Europa, nec illa
Terrarum plaga, qua decliuis ab æthere Phœbus
Soluit equis spatio fumantia lora peracto:
Sed tua se longè infinita potentia tendit
Vlterius, trans Herculeis inclusa columnis,
Inq; Atlantiacum freta prospicientia Pontum,
Vnde obeunt uastum ferratæ Nerea classis,
Exquiruntq; nouas hominum super æquora sedes,
Atq; alium inueniunt discclusum fluctibus orbem,
Indiam ab occiduo uenientes littore. Nec gens,
Nec locus incursus illarum pertulit ullus.
Ipse diuitias auri argentiq; reportant,
Et pretiosarum gemmarum lucida dona,
Bellorum neruos, pacis decus, atq; tuis hæc
Expediunt

Expediunt Carole auſpicijs: ſed tu magis alta
Diuino ſpectas animo, pudet illa Tyrannis
Priſcorum ſeruire patrum florentia regna,
Sub Scythicoq; premi ſanctam pede relligionem.
Hæc Caroli pia corda tenet dignißima cura,
Eſſe uidet: quicquam eſſe Deo, neq; gratius ipſi,
Barbara quàm ſtricto ſi ferro fregerit arma,
Proq; ſalute hominũ ſtricto, et pro nomine Chriſti.
Vindicis ipſe igitur Dux agminis Africa uictor
Littora cum lecto peruadit milite, iuſto
Marte ferox pulſi fraterno crimine regis
Defenſor, Tunetisq; caput nunc obſidet urbem
Maurorum imperij. Quo cùm ſe inferre pararet,
Expectans Siculo uenientes æquore naues:
Tunc inſigne crucis, poſtaquam Chriſti dos una
Extulit, ille manu ſacræ uenerabile ſignum
Militiæ poſitis genibus, ſic eſſe locutus,
O ſocij, neq; enim parua aut contempta manus eſt
Armorum ſeſe fertur cingente corona:
Copia in his ueſtræ Carolo duce & auſpice caſtris,
Hæc nos ſuſcepti præcedent ſigna duelli,
Hæc ego capta mea dextra, ſi quæritis, ipſe
Complectar, uosq; ante geram comprenſa fideli.
Quare ſi qua ducis reuerentia, ſi qua potentis
Numinis, & ſi qua eſt communis cura ſalutis,
Pro ſe quiſq; uiri tota huc incumbite mente,
Per uos ut ſummi cælorum gloria Regis,
Perq; ut uos ueſtræ grandeſcat gloria gentis,
Siue Itala de ſtirpe ſati, ſeu Bætidos oræ
Cultores noſtri regni, ſeu bellica miſit
Ad graue diſcrimen ſancti Germania Martis,
Cernitis hoc toto nil uſquam ex agmine deſit.
Sunt naues quibus inductis cælabitur æquor:
Quas neq; Perſarum quondam ſeruilia regis
Agmina nõ etiã mare prouectæ hoc quoq; in ipſum
Atthides, aut opere, aut ſuperent fœlicibus armis.
Nec tamen unquam aliæ memorantur claßibus iſtis
Inſtructæ melius ſalſas fluxiſſe per undas.
Solis eſt annis opus, & formidine caſſo
Pectore, in imbellem tales proficiſcimur hoſtem
Sed pelagi inſuetos audita pericula terrent.
At ſcitote Deum Dominum terræq; mariſq;,
Verſante æthereo ſceptra immortalia templo
Deſuper in ſibi deuotas nil triſte cohortes
Paſſurum inferri, dextraq; ſupernè potente
Propulſaturum mala telluriſq; ſaliq;.
Illo nos modo præſenti me pectore freti
Quiſq; ducem cupidè ſequitor: ſic fatus in altum
Proq; rates iubet, & ſimul excipit ipſum
Doriaca inſignis cura edita fabrica puppis.
Vela aquilonaris ſinuant flabra annua uenti,
Ordine procedunt ſulcantes uda carinæ
Marmora, Sicelidos ſit aquæ res mira puellis
Inſulæ, & in pelago conuulſæ innare uidentur
Et trepidæ emergunt redimitum fluctibus ulua
Ore tenus caput, & ſe rurſus in ima recondunt
Armorum inſolitis radijs ceu fulguris ictæ,
Perculſæq; ſono horribili quos ærea mittit,
Flammiuomo ore globos elidens machina ferri
Has ſenior ponti in Nereia tecta reuerſas
Demulcet, blando appellans ſermone futura
Prædicente ſuo, memoratq; oracula Proteus.
Hæc eſt illa dies, hæc lux eſt feſta ſorores,
Quam uotis longo iam tempore ſæpe petiui,
Quæ pacis ſert in cunctas exordia terras.
Ergo quies & læta uigebunt otia rebus
Humanis. Non ulla magis piratica toto
Inſidioſa bonis graſſabitur æquore puppis.
Nunc tibi finis adeſt Getici uis impia regni,
Quam nimis eſt perpeſſa diu clementia magni
Numinis in terras ſæuam noſtrasq; furentem
Aequoris in ſedes. Caroli debere triumphis
Materna Caroli Sequana de ſtirpe, diu iam
Debita Francigenæ dextræ. Sed dum ſibi fatis
Conciliat genus eximij ſtirps illa Rudolphi,
Interea orbis clade ferox, & multa fuiſti.
Nunc fortuna retrò cedit tua. Cede potenti
Cede Deo, & Caroli inuictas uictore cohortes
Deditione uelis, & palmas tendere inermes,
Ante pedes abiecta ſolo uictoris, & unam
Supplex de illius ſummam ſperare ſalutem,
Qua ſeruare ſolet quoq; manſuetudine captos
Aut refuge in montes, Scythicasq; require latebras
Per Tanaim, cum mox glacie pons iunctus eunti
Iam præbebit iter, uel fluctus curre per arctos,
Quâ quondam Inachiam fama eſt tranaſſe puellam
Nec rabies te peruertat confligere bello,
Vtq; uelis acie decernere. nil tibi reſtat
Succeſſus ſortis ue bonæ. Tulit omnia charus
Ipſe Deo Carolus, cuius ſi numen adoras,
Siq; humilis ueniam petis, eſt fortaſſe ſalutis
Spes non abijcienda tibi, ſpem ponito regni.
Hæc ſenior, illæ attonitæ ſermonibus aures
Præbebant etiam facto iam fine loquendi.
Tandem animis hilares, uix ſpemq; ſuam capientes
Vota canunt Carolo reſonant Lilybeia latè
Littora, & illuſtri ſcintillans Aetna fauilla.
I Carole, i mundi fœlix melioris origo,
Ad decus i Carole æternum. Nunc terminus inſtat

Triſtitiæq;

Tristitiæq; malisq; Hic & tecum incipit unà
Prosperitas & pax procedere, gaudia tecum,
Tecum sancta quies & fessis otia terris.
Ecce nitet solito lux clarius, & silet æther,
Aptaq; sola tuis insurgunt flamina uelis,
Cærulei fluctus rident: Te te omnia rebus
Humanis Carole expectant spem, teq; salutem
Nunc fugit exitium, pestis fugit antè malorum
Verborumq; lues, inopisq; carentia uictus:
Nunc etiam cessant odiorum dira uenena
Vnanimiq; omnes coniungunt fœdera corde.
Pergite fœlices Carolo duce, pergite turmæ.
Vos manet ab frustra multis fortuna cupita
Militiæ & sancti summo sub numine Martis,
Imperio Carolo infinita prouincia cuius
Est data totius mundi. Te mœnia nulla,
Nulla acies Carole excludet, pelagusq; solumq;
Ille Deus, Deus ille tibi, qui exciuit, aperta
Reddet. Quinetiam, si res ferat, aëra & ipsos
Cælorum pandet tractus, ne quid tibi toto
Possit inaccessum fieri aut obsistere mundo.
Hoc celebrant uitreum cantu Nereides æquor,
Illud diuina Carolo Duce classe superbum
Exultat, sternitq; uias, portusq; recludit
Africa terra tuos. Veteris Carthaginis arces
Prætereunt, Tumetisq; petunt hostilibus urbem
Mentibus, atq; armis Getici tremit impia turba
Præsidij, atq; animo uisis modo frangitur illis,
Et pugnare iubet pudor & formido retentat.
Numẽ adest, iacite arma, pcul, Pudor omnis abesto
Conceßisse Deo, gaudet cui cedere rerum
Natura, illi etiam dubijs nunc mentibus æstant,
Materiamq; uolunt Caroli præbere triumphis.
Iamq; freti ingentes neq; propugnacula turres
Non muros obstare sinit sibi, non sibi fossas
Læue quibus terris immisit Barbarus æquor.
Inuehitur portu Caroli iam classis aperto,
Cæsa iacent passim submersaq; corpora Ponto,
Crebraq; depressæ passim extant fragmina puppis.
Iam ductor pelago, cedit, prauaq; manu se
Per Numidum tostas fugiens subducit arenas,
Cognomenta cui sunt Russæ congrua barbæ.
Exultat captiua hominum, gaudetq; caterua
Libertate sua, Carolus nam liberat omnes,
Conseruans profugo placato milite regi
Incompilatam quam Marte receperat urbem.
Macte animo & uirtute, Dei dux inclyte. Nunc te
Gloria perpetua redimire corona,
Gloria cæleſti properat fulgore renitens.
Te canimus, te dehinc rebus fœliciter actis
In terra penitus stabilita pace canemus.
Ne pariant tibi mornati fastidia uersus:
Gratáq; sit cupida concepta in mente uoluntas
Indigno celebrandi ingentia carmine facta.
Hoc pater ipse Deus rerum suprema potestas
Et fieri patitur, nec forti offenditur ausu
Præbet & incultis diuinas cantibus aures.

FINIS. VIEN.

VIENNAE AVSTRIÆ VRBIS NOBILISSIMÆ A SVLTANO SALEYMANO IMMANISSIMO TVRCArum Tyranno immenso cum exercitu obsessæ Historia.

PIO LECTORI S.



T, quæ ante oculos posita per meridiem aspicimus, sic quo in discrimine reipub. Christianæ status uersetur uidebimus, si superiorum cladium, quæ ut ab oculis longius abfuerunt: ita ne ad animos quidem nostros unquam pertinuerunt, immemores ad unius saltem Viennæ Austriæ urbis nobilissimæ, recentem calamitatem, irreparabiliaq; damna oculos, animosq; retulerimus. Iacent diruta, ambustaq; circumquaq; oppida ac pagi, colonis uiduata, qui partim crudelem in modum trucidati, partim captiui in acerbissimæ seruitutis miserias seruati, pecorum instar abacti sunt. Sicq; parentes charos desiderant liberos, orbi parentibus, lugent liberi. Ac fœlices iam matres putantur, quæ ante ora paruos infantes allidi, configi, martyrio affici uiderint, quæq; sic affectos post sceleroso rum hostium fugam repererint, præ ijs quæ arreptos, quos Christo pepererant, à perfidis hostibus ad Mahumeti flagitiosam impietatem ablactari, illici ac compelli audiant, cõtra nos forsitan olim, nisi uiri, id quod audimus, fuerimus arma laturos. Horret hic animus inauditæ crudelitatis exempla, efferatæ immanitatis supplicia, fœdæ libidinis abominabilia flagitia referre. Et ut nihil nos moueant fratres nostri, qui iam diu hostium captiui in compedibus, pistrinis, metallis, agris ærumnosissimam uitam tolerant: tot nuper ex sola Austria mortalium millia ex omni ætate iugulata, in seruitutem redacta, abactaq; si quid Christiani amoris in pectoribus fouemus considerantes ita inflammari debemus, ut nemo non modo uir Christi religioni inimicatus, uerum etiam ne fœmina quidem ulla reperiri debeat quæ pro patria, aris, focis, paruisq; liberis aduersus euiratissimos, flagitiosissimosq; hostes arma ferre recuset. Miseræ itaq; & afflictæ Viennæ obsidionem, quorundam amicorum precibus adducti latinitate donauimus, ut intelligerent etiam Hispani, Itali, Galli, Angli, cæteræq; nationes Christianæ suam quoq; rem agi, quum proximus ardeat paries. Nudam rerum gestarum seriem secuti, ornamenta historiæ non adhibuimus. Id enim maioris & ingenij & otij indigere uidebatur. Et Vrsinum Velium ingenio ac literis abundãtem, Regis Ferdinandi Historiographum eam operam strenuè nauare non ignorabamus ut res gestas horum temporum, secundam, restantemq; fortunam inclyti Regis illustribus literarum monumentis consecrata ad memoriam posteritatis transmittat. Vale.

D. DIDASCO SERAVAE HISPANO REGIAE Maiest. Nobilium Puerorum præfecto.

Quod mi Didace, tam facis benigne,
Constanter facis usq; seduloq;
Deuincis animum meum, negare
Vt fas esse nihil putem petenti.
Ergo habe tibi quicquid est libelli
Donatum facili Latinitate.
Iras inde leges trucis Tyranni
Humanitq; sitim cruoris, almæ
Circum mœnia quum ferus Viennæ
Nobis exitium omnibus pararet,
Qui ueri colimus Dei uerendum
Nomen, sacra, fidem, piosq; ritus.
O bellum horribile, ô Getas minaces,
Qui finis dabitur gregem innocentem
Vexandi facietis usque & usque
Ludos Christicolas feretq; Christus?
Non, non, credite, terga uos dedisse
Tandem uidimus improbi Cinœdi.
Excelsi manus hæc Dei putanda est,
Tercentum bene millibus Getarum,
Tantum millia sedecim pauoris
Iniecisse, fugam ut retro pararint,
Insano uelut inciti furore.
O uos ô niuea fide, pioq;
Semper pectore, Teutones putati,
Vicino moniti minis periclo,
Infractum modo robur indolemq;
Fortes exerite, esse uos docete
Inuictos, patriæ uocat supremum
Tempus, semiuiros petitq; contra
Vestrum præsidium, uiri, fidemq;.

Inclyti Hungariæ Regis Ferdinandi,
Nobilium puerorum præceptor.

Anno

ANno post Christum natum M. D. XXIX. die decima mensis Aprilis, ini
manissimus Turcarum tyrannus Sultanus Saloymanus, maximo cum
exercitu, pedestribus equestribusq; copijs, aquâ terraq; instructissimis: incredi
bili omnium rerum, quæ belli usus exigit apparatu è Constantinopoli mouit,
quo Hungaria domita, Austriã, cui auidissimè inhiabat, unà cum finitimis cir
cumquaq; regionibus in potestatẽ redigeret, eaq; potitus, auctis prospero rerũ
successu animis, Viennæ, quæ magna est ac præpotens Austriæ ciuitas, aut ali
cubi per Hungariæ uasta loca hybernaret, refectis postea hominibus, iumen
tisq;, recens, appetente uere, liberis Germaniæ populis indignum fœdæ serui
tutis iugum imponeret, cui rei gerendæ triennĩ integrum destinauerat: proin
de aduersus finitimorũ circumquaq; hostium insidias, quibus uisum est locis
ualida præsidia imposuit. Authorem Zepusiensem ferunt comitem Ioannem,
quondam Transsyluaniæ Vaiuodam, quem rege Ludouico, miserandũ in mo
dum unà cum exercitu trucidato, dira regnandi libido inuaserat: quocirca ma
lis artibus ambire, callidis consilijs potentes quosdam Hungariæ proceres sol
licitare non acquieuit, donec à suæ factionis hominibus adiutus, regiam coro
nam, contra ius phasq; inuolarit. Rei indignitate commotus inclytus Austriæ
dux Ferdinandus, ad quem ius regni legittimè pertinebat, nõ magno quidem,
sed bene instructo, ornatoq; exercitu Hungariam ingressus, hoste profligato,
& propriis etiam possessionibus pro iure belli exuto coronæ de more, ac regni
solenniter legittimeq; potitus est. Hinc comes Zepusiensis re spesq; bona desti
tutus, desperatis rebus, inexpiabili sese scelere obstringere nõ dubitauit. Patriã
prodere, ut exitiabilem Christi nominis hostem, Germaniæ immitteret, ausus
est. Turca itaq; cum exercitu ad Albam Græcam, quæ portæ instar Christianis
nationibus semper habita, quum uenisset, comes Zepusiensis, fatale patriæ ma
lum, pessimis artibus nunquam non deditus, natiuo Germani sanguinis odio
præceps, legatos mittit, qui crudelissimo hosti tutum per Hungariam iter indi
carent, rationẽ ac uiam affligendæ, uastandæq; Germaniæ præscriberẽt: Quos
tantæ proditionis authores cùm Turcarũ Cæsar summa cum uoluptate au
disset, inito utrinq; nephario fœdere, testis ingentis ac nouæ lætitiæ ululatus
per Turcarum agmina exortus est. Ter humum proni deosculabantur: omni
bus ignearijs tormentis, quas bombardas uocant lætitiæ signum dabant. Ipso
rum numini fusis precibus gratias agebant, quòd ea hora Hungariæ regnum
ac populi cum Turcis fœdus amicitiamq; coierint: deinde Turcarum Cæsar e
xercitum rectà ad Budam duxit, cui in itinere Zepusiensis comes, haud ita ma
gna cum militum manu se coniunxit, se regnumq; patriæ proditor conscelera
tus in hostis fidem ac manus commendauit, receptiq; uniuersam Hungarorũ
nationem auxiliaria arma, aduersus Teutonum populos, ultrò laturam. Quæ
Turcarum tyrannus in eam partem accepit, ut, quoniam satis sciuerat illius
technis Ludouicum regem trucidatum: nepharias in regno actiones non
semel agitatas, à proditoris quasi aspectu refugeret, abhorreretq;: neque ita
magno plausu acceptum, Budam usque à tergo exercitum sequi compule
rit à suis disiunctum. Et quo facilius Hungariæ regno, cui inhiabat poti
tur, edicto publico promulgauit. Quicunque Ioanni Zepusiensi comiti,
quem regem appellabat, cuius in regnum uindicandi gratia sese uenisse præ
dicabat, se non dederet, obtemperaretq;, eum sese ferro, flammaq; abolitu
rum. Qui uerò dicto audirent, regi que parere in animum inducerent, iis
pristina iura, immunitates, libertatem que pollicebatur. Quibus minis
coactæ ciuitates, Quinquecclesiensis, Alba regalis, Pestiensis, aliæque
præterea multæ sese, nihil reluctatæ hosti dedidere. Sola Buda, præ
dio duorum uexillorum quæ Christophorus Pesserer, & Ioannes Trau
binger

binger Capitanei ducebant, freta hostis minas contemnere ausa: circumfusa Turcarum agmina aliquot dies fortiter repugnãdo remorata est tam diu, quo ad iugi hostium oppugnatione debilitati, fracti, specq; contra tantos impetus tuendæ urbis destituti milites Germani, ad arcem refugere, ultro urbe hosti relicta. Arx porrò ad uoluptatẽ magis quàm uim instructa erat: necq; natura necq; hominum opera satis munita, proinde factum, ut de ea seruãda diffidentes, de salute, quæ in ultimum discrimen uocatà uidebatur cogitarent. Ideò conditiones quas, si arcem ultro derent, Turcarum tyrannus tulerat, accepêre, arcem in hostium potestatem dedêre. Erat autem in conditionibus, Turcarum Cæsarem, si arcem traderent imposita præsidia, omnium saluti, uitæq; parcere decreuisse, comites insuper daturũ qui saluos eos ad suos perducerẽt. Firmatis itaq; signatisq; propria Turcarum Cæsaris manu literis fidentes milites, relicta arce prodiêre, acceptisq; conductoribus abitum parabant, sed infelices qui perfidi hostis datam fidem tutam existimarint. Vix portas urbis egressi à lanceris (sic enim illi ueteranos milites uocãt, rei militaris expertissimos, in quibus spes omnes rerum gerendarũ sitas habẽt) excepti, circumuentiq; armis primũ, bonisq; exuti, nudiq; dimissi, deinde haud ita longè à Buda crudelem in modũ trucidati: ægrè ex omnibus sexaginta dilapsi, seruatiq; perfidiæ plus quam Punicæ testes euasere. Occupata Buda Turcarũ Cæsar rectà exercitũ ad Viennã adduxere properauit. Budæ Zepusiensem comitem, & Ludouicũ Gritti Veneti ducis filiũ, nothum, cum quinq; millibus peditũ, tribus equitũ reliquit. Quæ ad Danubium sitæ arces, castella, oppida, urbes ultro, hosti paruerunt: in quibus Plintenburgiũ, Strigoniũ, Commora, Altenburgiũ ita munitæ arces existũt, ut si ea quæ debuerat, in earũ præfectis fides, probitasq; fuisset, & præcipuè si Strigoniensis Archiepiscopus fœderũ sacramẽtorumq; oblitus, sui saltem officij, nominisq; memor esse uoluisset, arcem situ, arteq; munitissimã, & ad inhibẽdum crudelissimi Tyranni impetum appositissimã non ultrò apertam, præsul Christianus, exitiabili Christi nominis hosti obtulisset, adeq; illius partes desciuisset, dierum aliquot moram sanè Turcarũ Cæsari obiecisset, quoad Regia maiestas undiq; cõtracto, quàm poterat ualidissimo exercitu aduersus hostiũ immanes copias sese armasset, firmassetq; tantã cladẽ resp. Christiana non accepisset, Austria ferro, igniq; uasta nõ iaceret, tot hominũ millia, per summã crudelitatẽ interfecta nõ desiderarent, irreperabilia damna declinassemus. Hic nihil cessans Turcarũ Cæsar, mira celeritate Viennã uersus contendit, eamq; uicesimaseptima die Septembris, nona hora ante meridiẽ, aliquot millibus equitũ absq; ulla intermissione, quoad reliqua, immẽsi exercitus moles cõflueret obequitari tentariq; fecit. In urbe sæpe ad arma signũ datũ, quò securi militũ animi ad obeundã sustinẽdaq; futura prælia acriores, uigilãtioresq; deinceps cõcurrerent. Quę cum insperata omniũ animis accidissent, militiæ præfecti, & à consilijs, de urbe tenenda cõsilium inierunt, cumq; undiquaq; suburbijs cincta esset, quæ hostiũ insidijs opportuna, urbi defendendæ obstare uidebantur, decreuêre incendenda, diruendaq;, quod cum non segniter milites effecissent, atq; adeò perpetuò quatriduo, effractis foribus ædium, direptis, hostilem in morem infelicium ciuium bonis, uino, quo ea urbs abundat partim excepto, partim in terram effuso, pulsatis dominis, si qui sua seruare studebant, octingentas domus subruerunt. Deinde militiæ præfecti, à consilijs, tribuni, milites, unanimi consensu sacramento fœdus pepegere, sese urbem pro uirili tueri uelle, seruarecq; tormenta, quæ amissa magno hosti adiumento forent ad reliquias Germanicæ nationis superandas. Et omnino pro Christi fide, religioneq;, si quis casus uocaret, unà strenuè pugnãdo, aut uincere, aut fortiter occumbere. Hinc ad hostem ab urbe depellendũ uersa cõsilia, munita uarijs operis mœnia, sua quam tueretur cuiq;

cuiq; duci deſignata urbis regio eſt, Illuſtriſsimus princeps Comes Palatinus Rheni Philippus, Bauariæ dux, &c. qui ultrò prę ſentibus periculis caput ſuum obijcere non dubitauit, centum equitum turma tempeſtiuè Viennam ingreſſus (quod eius patruus Fridericus comitijs Spirenſibus, aduerſus Turcas omnium principum conſenſu ſupremus capitaneus ac Dux electus, ſubitò hoſtium aduentu excluſus Cremblij reſedit) in locum nepos ſuffectus, cum reliquis Sacri Imperij ducibus, qui XIIII uexillis peditum præfuerunt; eam urbis partem (quæ à porta eſt, quæ Hungariam uerſus patet, & Stubarum nomẽ ſortita eſt) ad turrim uſq; Rubeam, quàm uocãt, defendendã ſuſcepit. Eckh à Reiſchach, cuius ductui tria millia peditum paruerũt, portam Carinthiam, quæ ad hoſtium uim minus munita fidelius præſidium exigebat, ad Auguſtini ædem, ſuorum robore uallauit. A' quo Abellus ab Holeneck, qui Stiriæ auxilia ductabat duo uexilla peditum, regionem urbis, quæ ad arcem uſq; ſita eſt cum ſuis inſedit. Arcem Leonhardus à Velſs, cui Imperatori Veterani per Hungariam uarijs caſibus exerciti, obtemperarunt. Hortorũ arcis Maximilianus Leiſſer partem tuebatur. Arcis item portam ad uſq; Scotorum portam & Iudæorum turrim occupauit. His in ſubſidiũ, ſi qui caſus uocaret, quatuor urbis areis, quingenti equites Auſtriaci ſubornati: utrinq; præterea ad Scotorum portam Ioannes à Greineck, & Ioannes Hauſer duarum urbis regionum ciues ſubſtituerũt, reliquicues præfecto ciuiũ & iudici parere iuſsi, quibus reſtinguendi incendij, ſi quod exortum eſſet, partes datæ. Reiprechto ab Eberſtorff, qui duobus uexillis præfuit Auſtriacis, regio urbis, quæ à Iudæorum turri tenet, & *Im ellendt* Germanicè appellatur, concredita. Inde Hiſpani milites ad Carinthiorum portam, ubi maius periculum urbi imminebat, uirtutis ergo, & ob tormentorum, quos arcobuſos appellant copiam accerſiti ſunt. Reliquã urbis partem, qua Danubius prę terlabitur ad turrim uſq; Rubeam & Imperij auxilia Erneſtus à Brandenſtain, quem duo millia Bohemorũ ſecuta ſunt, unà cum Vvilhelmo à Vvartenburg, & comite Ioanne ab Hardeck qui ducentos equites ducebat, inſederunt. Duces, militiæ præfecti, & à conſilijs, nobiliſsimi atq; optimi quiq;, quòd magnus metus animos omnium inuaſerat, utrinq; ad Carinthiorum turrim pulueribus ſubmotis mœnia ſubrutum, diuulſumq; iri, ubi ſummum periculum erat, ibi ſummopere excubandum rati, inter quos Ioannes Cacianer fuit, Stiriæ & Carinthiæ auxilia: Caſpar, item Ritſchan & Sigiſmundus Leyſſer cum duobus uexillis militum à Carinthiorum porta ad diui Auguſtini ædem in omnem euentum inſtructi paratiq; conſiſtebant. Quum porrò deſcripta munia quiſq; obijſſent, delegatasq; urbis regiones occupaſſent, tormenta ænea producta, per urbem, mœnia ac turres diſtributa, præcipuè autem ſuper Carinthiorum turrim collocata, inſtructaq; ſunt, quorum aliqua crebrò iaculandi impetu, puluerum ui rupta diſſilierunt, neq; ullus ſanè locus ad uniuerſum Turcarum exercitum circumquaq; impetendum, uexandumq; oportunior fuit. Indeq; adeò maxima damna Turcis illata plerici; ex captiuis affirmarũt. Portæ urbis omnes clauſæ, communitæq; fuere, una Salis porta, quâ ad Danubium itur, aperta, unde eruptio, ſi qui caſus tuliſſet, fieri poſſet. Nauigia bellica celoceſq; optimi regis Ferdinandi prouidentia maximis impenſis, à fabris Italis, aduerſus Turcarum Naſſadiſtas inſtructa, armataq; in naualibus exuſta, conciſa ac ſubmerſa ſunt. Nautæ enim Itali qui in ſpe erant, fruſtra expectabantur, ad murum proxima ædificia, quæ gerendis rebus obſtare uidebantur, ſolo æquata. Ligneæ tegulæ, ne exceptis maleolis, ac ſulphuratis iaculis incẽdium alerent, circumquaq; deturbatæ. Iacti præterea aggeres ab ea urbis parte, qua hoſtis præcipuè timebatur, ut ſi etiã mœnia ſubruta forent, unde ſe defenderent, haberent. Interea dum hæc fierent, qui Turcæ exercitum præcurrerunt, pernicibus equis freti noſtros aſsiduis

assiduis incursibus exercebant, quibus cum toto triduo acriter nostrates equites congressi, quosdam captiuos trahere, cæsorumq; capita in urbem referre nulla ab armis quies, nulla intermissio fuit, donec immanibus hostium copijs campi circumquaq; completi sunt. Vicesima tertia die Septembris equitatus nostri circiter quingenti, per Stubarum portam, quæ nondum clausa erat progressi, cum hoste, ad diui Marci ædem concurrerunt, & cum hostium ingruentium impetum non ferrent, auersi sese ad mœnia proripuerunt, eo prælio tres è nostris cæsi, septem capti fuêre, in quibus comitis Ioannis ab Hardeck uexillifer Christophorus Zetlitz fuit, qui ab equo deturbatus uexillum alij, qui ad urbem referret commisisse fertur. Turcæ tribus qui ex nostris cæsi capita abscidere, tribus item ex ijs, qui quatuordecim ad Diui Marci ædem, mille passus pro Stubarum porta in ptochodochio leprosi ægrotabant, interfectiq; sunt, capita ademerũt quæ pilis totidem præfixa, captiuos equites ad Turcarum Cæsarem ferre coëgerunt: qui cum ad Cęsarem Turcarum perducti constitissent, eos interrogauit, an non essent principes, ac gerendarum rerum militiæq; præfecti urbem dedituri: cui responderunt captiui, obfirmatum esse apud omnium animos, obsidionem tamdiu tolerare uelle, quoad uitã, spiritumq; ducere queant: quo sermone Turca perculsus, deinde quanta hominum uis intra mœnia esset item interrogauit, responderunt, Doriphoros XX millia esse, equites duo millia. Tum ubi Rex eorum esset quęsiuit. Lincij eum agere responderunt, idq; oppidum ad ripam Danubij XXIIII milliaria longè à Vienna situm esse: ad hæc Cæsar. Quæram illum etiam si in medio sit Imperio, ac reliquos Germaniæ populos inuisam. Percontatus præterea est, suburbia quamobrem exusserint, fieri enim non posse ut urbem seruent, se nihil dubitare, quin potiturus sit: ad quę illi, se nescire responderũt. Interim nostri duobus è captiuis Turcis, uelatis occipitio uexilliferum, cuius ante mentionem fecimus, egregiè aurata, sericiaq; ueste adornatum cum tribus è captiuis, quibus trinos ducatos dono dedit, saluos XIIII die Octobris ad urbem remisit, in mandatisq; dedit, quo dicerent militię præfectis se, si ultrò ciuitatẽ dederent, cum eis pro mœnibus pacisci uelle, oblatis bonis conditionibus, neminem ex suis intra ciuitatem intromissurũ, nullius rem salutémue offensurum, eorum qui in urbe essent: quod si facere recusarent, negauit se inde discessurum, quoad ui armisq; expugnatam occupet, ex omni ætate minores, maioresq; natu trucidet, urbem igni in cineres redactam solo æquet: Subiunxit prętera ut dicerent, quando unus Deus sit, qui cœlestia moderetur, æquum esse unum caput, unum principem orbi terrarũ imperare, eum sese esse uelle, uitamq; acerbam habiturum quoad illos, uniuersamq; Christianorum nationem armis subegerit, suæq; ditioni parere coegerit.

Ad quæ cùm nihil prorsus responderetur, instructis ordinibus exercitus rogabur Viennæ admouit, oppidum Prück, & arcem Trautmansdorff, quòd resistere tantis uiribus desperabãt, iustis rationibus nihil reluctantes, in deditionem accepit, nemini quicquam damni fecit, inq; discessu etiam ab omnium bonis temperauit. Quibus locis occupatis, ex infinita multitudine, prædonum exercitum, circiter triginta millia, Ogleo Michaele Bassa duce (qui nullis stipendijs militant, ab reliquo exercitu pernicibus equis effusi, oppida pagosq; incendunt, & prædam agunt) longè lateq; amandauit. Quocirca Stiriam penetrantes, & ex altera Danubij ripa ad Laureacum usq; peruetustũ superioris Austrię supra Onasum flumen oppidum, peruadentes, inaudita efferatæ immanitatis exempla edidere, dies noctesq;, iugibus incendijs continuarunt: prædam ex hominibus, iumentis, pecudibus, req; familiari egerunt, nullum crudelitatis genus interim omittẽtes, cæsis crudelem in modum, quos captiuos ducere posse

deſperabant: in mulieres ac teneram ætatem omni libidine intemperantiſſimè abuſi: prægnantibus exciſo utero fœtus eripientes, partim terræ alliſerunt, partim haſtis præfixos ſanguine rorantibus deferebant: ex præda quæ ferre non poterant perdiderunt.

Obſeſſa autem Vienna eſt XXVI die Septembris, aquâ terraq́, circum circa immanibus Turcarum agminibus, ut ex ædita Diui Stephani elegantis, uetuſti, ac rari operis Pyramide, unde longiſſimè proſpectus patet, humani oculi acies, exercitus magnitudinem ſuperare, comprehendere, metiriue nequiuerit: ad decem millia paſſuum, denſa tentoria circiter uigintiquinq́ millia numero, ſic enim ferè compertum eſt, poſita tenebant. Ipſe Turcarum Cæſar ad Diui Marci, quæ ædes in uia qua itur in Hungariam ſita eſt, caſtrametatus uſque ad Schuechat, & arcem Trautmanſdorff, Imbraim Baſſa ſupremus Turcarum Cæſaris à ſecretis, & capitaneus, ac rerum penè omnium gubernator, à Danubio ad uſq́ Viennæ montana caſtra habuit: In medio Turcarum Cæſaris exercitu, quemadmodum ueriſſimis authoribus didicimus, tercentum ænea tormenta, quas Bombardas uocant collocata: uallo, foſſaq́ circum caſtra munita, & ad prælium parata inſtructaq́ omnia. Cæſaris caſtra magnificè intus de gentis more, auleis, aureis puluinaribus adornata, foris auratis haſtigijs collucebant, quæ quingenti circumſtipabant ſatellites, arcubus armati: Ante tormenta mediocri relicto ſpacio, robur exercitus, quos laniceros uocant, conſiſtebat, hi ferunt magna apud Turcarum tyrãnum authoritate eſſe, in quibus ſpes omnis uictoriæ pendeat, quiq́ eligendi Imperatoris poteſtatem habeant, numero XII millia fuere. Deinde Baſſæ duces & capitanei ex Nathalia, id eſt, minore Aſia: Baſſena, alijsq́ Turcæ ſubiectis prouincijs poſt mœnia ad Cecium montem uſq́ obſidebant: Naſſadiſtæ qui celocibus, actuarijsúe nauibus freti, aduerſo flumine, Danubium tenerent, ripam fluminis ad Nuſdorff uſq́ V. millia paſſuũ à Vienna occupabant. Vbi porrò Turca animaduertit, eam urbis partem, qua Carinthiorum proſtat turris, ut infirmiorem noſtrum præſidium fortiter inſeſſe, indeq́ tormentis ſuos milites præcipuè impeti, uexariq́, eò uim omnem contulit exercitus ſui, turrim expugnare conatus, in ſuburbijs, quæ exuſta à noſtris militibus ſolo ob ſubitum hoſtium aduentum nondum prorſus æquata erant, magnam uim tormẽtariorum exercitatiſſimorum collocauit, qui perſoſis muris, poſt quos latebãt, tuti, noſtros è mœnibus eminentes certiſſimis ictibus impetiuerunt, multosq́ adeò inſidiarum rudes confecerunt, quoad damno icti cauerunt ne quis appareret: grandiora tormenta poſt ſuburbia conſtituit, quibus aduerſam Carinthiorum turrim uehementiſſimè impugnauit: tanta interim ad grandinis ſpeciem ſagittarum uis effuſa eſt, ut proxima muro tecta, denſa iaculorum ſegete completa horrerent. Viceſima deinde ſeptima die Septembris Naſſadiſtæ quingentis celocibus Danubij pontem inuaſere, occupatum exuſſere. (Et ſi nõ uanum eſt noſtros quoq́ priores, partem pontis ſubruiſſe) ibiq́ in ripa caſtrametati, iter aduehendi comeatus intercluſerunt, quod ubi à noſtris animaduerſum, equitatus, cum tribus millibus peditum urbem egreſſus, prælio hoſtem laceſsiuit, ſed cum noſtri tormentorum grandiorum parum ſecum produxiſſent, hoſti in fugam uerſo, haud ita magnum damnum intulere. Eadem die Fridericus Rheni Palatinus, cum Vvolfgango item Palatino ad Crembſium appulit, qui ſi maturiùs ueniſſet, magnum noſtris cõſilio & armis ſubſidium adiunxiſſet, quum autem certis authoribus pontem exuſtum dirutumq́ cognouiſſet, cum pleriſq́ alijs Crembſij inuitus reſedit. Intercluſis itaq́ aquâ, terraq́ itineribus, ut nihil neq́ inferri neq́ efferri potuerit, circumquaq́ omnibus hoſtium copijs refertis uijs, reliquum fuit, ut in ultimum diſcrimen uocati, noſtris corporibus, qui pro hoſtium ingentibus copijs ſanè parua manus

manus fuimus, hostilem impetum in omnem casum sustineremus: quantus au
tem strenuissimi cuiusq; animum timor, quanta denicq; uitæ ac sanguinis utili-
tas inuaserit, qui utrinq; res ex æquo æstimauerit, facilè considerabit, præsertim
si expẽderit Viennam neq; natura loci, neq; arte hominum satis munitam, mu-
ro tantùm aggeri imposito, ueteri ac uix sex pedes denso uallatã, ad quem sicco
pede aditus militi pateat. Accedit, quòd urbs bene magna undiq; imminẽti ho
sti præsidia uaria opponere necesse habebat, erãt autem qui in urbe tuenda oc-
cupabantur milites non plures XVI millia, accedebant ciues, quorum multi
non comparebant: nam quum inutilem militiæ sexum, uxores, paruos liberos,
matres, propinquos, senio ac morbo confectos, piè prosequerentur, ijs ereptis
ad communes fortunas defendẽdas redituri, hostis inusitata celeritas illorum
consilio obstitit. Turcarum uerò, cùm exploratores nostri, tum illorum captiui
pro uero retulere tercẽtum millia fuisse, qui si, ut solent, uno impetu undiq; q;
ad mœnia successissent, tam pauci ne sustinerẽt oppugnationem, magnus ne-
tus inuaserat. Qua re nihil deterriti generosi animi Principes, Philippus comes
Palatinus, & qui uices Regis agẽs, summus Imperator designatus erat, comes
Nicolaus à Salm natu grandior. Vvilhelmus à *Rogendorff*, ac cæteri militiæ præ-
fecti & à consilijs tam paucorum militum uirtuti non diffisi intra urbem ita af-
fectam strenuè perseuerandum decrêuere.

XXIX. autem die Septembris, qui diuo Michaëli festus fuit, dúo millia quin
genti milites, per Carinthiorum portam eruptione facta, Turcarum circiter du
centos, Duces item duos interfecêre, quum è nostris non plures tribus desidera-
rẽtur: Quod si dimidia hora antè urbem exiuissent nostri, Imbrahim ducem,
quem Baßam uocant, urbis situm speculantem comprehendissent, qui omniũ
Turcarum Imperatoris actionum, consiliorumq; gnarus, non pœnitenda præ-
da uenisset. Hispani interim alijq; milites aliquoties pauci numero plus minus
quinquaginta urbe egressi per uineas plerosq; hostium ex insidijs imprudentes
oppresserunt, ac spolia tulerunt, non raro ipsi tamen temeritatis suæ pœnas
dedere. Iam spe urbem Turca deuorauerat, quippe qui terrori fore omnibus tã
immanem potentiam putarat, quibus in fugam coniectis urbem desertum iri,
aut certè minis coactum iri sibi certò persuaserat, ideoq; tormẽta ænea quibus
tentata mœnia subrui solẽt, in naues imposita à tergo dimisit. Cum autem præ-
ter opinionem præsidia urbis impauidè hosti resisterent, alia uia aggrediendũ
duxit: cuniculis actis magnam uim puluerum muro subiecit, malleolorum, at-
que ignitarum sagittarum magnum numerum, in urbis fastigia effudit, immi-
sit præterea Germanos quosdam pecunia corruptos, qui urbem (quod tres de-
prehensi in quæstione confessi, qui XVII. die Octobris iusto supplicio in qua-
tuor partes laniati sunt) uarijs locis, præscripto tempore incenderẽt: quo, cùm
omnia incendio miscerentur, ipse disiecto muro, aditu facto perturbatos oppri
meret: quod consilium haud eos clam fuit qui rebus gerendis in urbe inuigila-
runt. Neque enim nisi mediocribus tormentis impetebat hostis, ac manuarijs,
quos atcubusos appellant, ad omnium admirationem diu noctuq; nulla inter-
missione certissimis ictib. imminebat, quæ muros labefacere, subruere ue pos-
sent nulla audiebantur: facilis itaq; coniectura fuit more suo, Turcam uarijs lo-
cis actis cuniculis, perfossoq; muri fundamento, pulueribus adhibitis ruinam
aditumq; moliturum: qua uerò urbis parte penetraret hostis nesciebatur, quo-
ad Turca quidam ad mœnia prope Fibri, quam uocãt turrim ultro se offerens,
prima Octobris die bene manè deprehensus indicium fecit, quo edocti Duces
aduersus hostium cuniculos fodere instituerũt, neq; infelici successu ad Carin-
thiorum turrim quam summopere Turcę solo æquare conabantur, Turcarum
opetas nostri excepere, ijsq; propulsatis magnam uim puluerís, ut quidam au

tumiant ademere, quæ res Turcarum Imperatori magnæ admirationi mixtum terrorem attulit. Christianis parentibus se natum index fassus, de uarijs rebus interrogatus, ueriſsimè reſpõdiſſe repertus eſt. Nam à pueris inter Turcas eductus plurima eorum conſilia callidè imbiberat. De Turcæ conſilio interrogatus, reſpondit: decreuiſſe urbem, diſiectis puluerum ſubmotorum ui turribus, uiolenter de repentè capere: docuit loca, quibus perfodere pararet: De tormentis, reſpondit: terrâ, quadringenta ænea tormenta aduecta eſſe, quæ pugni magnitudine globos iacularentur, ac maiora etiam quædam: aduerſo autem Danubiò nõ plura ſubornata decem prægrandibus XX pedum longitudine. De Nauigijs Turcæ reſpõdit: Imbrahim Baſſæ ſexaginta naues parere: Turcarum Cæſaris nauium ſe numerum neſcire: Naſſadiſtarum autem quadringentos eſſe, omnibus porrò nauigijs quinq; armatorum millia aſcripta: prægrãdia quædam, aliquot retrò à Vienna miliaribus, relicta. De numero militum ait, ferèdis armis idoneorum centum millia eſſe, in quibus XII millia lanizarorum, qui Imperatorem Turcarum ſtipent, ſex item millia, qui Imbrahim Baſſæ adſint, horũ armaturã eſſe tormenta manuaria, arcus Parthicos & pila non admodum longa, reliquos equeſtres eſſe. De ſumma mortalium, Turcarum exercitus interrogatus, circiter ter centum millia, numerari affirmauit. De camelis deinde, uiginti millia agi reſpondit, pabulo, farina armisq; onuſta: Neque ultra miliare unũ uniuerſo cum exercitu, hominibus, iumentisq; defatigatis proficiſci poſſe Turcam aſſeruit. Multi captiui Turcę quæſtioni adhibiti fuerunt, ſed hoc diuinitus (ſic enim credere phas eſt) oblato indice nihil ueracius, preſentiq; rerum diſcrimini ſalubrius fuit. Ideoq; uirtutis ergô generoſus Heros Gulielmus à Rogendorff, quoad uiueret homini uictum amictumq; pollicitus eſt. Huius porrò indicium ſecuti Duces noſtri, quibuſcunq; locis hoſtiũ operæ cuniculos agere parabant, diu noctuq; ſuos in contra fodiendi opere continuere, ita ut utrinq; quatuor pedum ſpacio aliquando concurrere uiderentur. Quarta Octobris die, Turcæ adeò uehementibus omnis generis tormentorum fulminibus ubem concuſſerunt, ut in ſtuporem ueteranos, ac multo rerum uſu peritiſsimos exercitatiſsimosq; milites conijcerent, qui ſe tantum, tamq; horribilem fragorem nullis bellorum caſibus unquam expertos affirmarunt. Interea temporis hoſte in agendis cuniculis occupato, noſtri circiter octo millia rei ſeſe bene gerendæ occaſionem nactos rati, ſexta die Octobris quo hoſtem ſuburbijs arcerent, & agentes cuniculos explorarent, per Salis turrim erupêre, multosq; Turcis in ſuburbijs pro arcis porta & Carinthiorum turri trucidarunt. Extitit interea quidam inauſpicato clamore ſtrenuè aduerſus hoſtes irruentes reuocans, quòd ordines componere, & aciem inſtruere conſiliũ eſſe diceret: quo clamore, ceu panico terrore externatis repentè militibus, receptu fugæ ſimillimo ad urbem trepidabatur: adeò ut denſo fugientium agmine multi in uallum, foſſamq; deuoluti proprijs armis, alij grauiter ſaucij, alij occiſi fuerint. Ea eruptionе Vvolfgangus Hag, qui dux uexillo uni præerat cum quibuſdam primi ordinis militibus, & Hiſpanis (qui primi ſeſe omnibus periculis offerre auſi fuerũt) quum reliquos à fuga dehortatus, ſeſe ut ſequerentur Germani animi, ac fugæ neſciæ, uirtutis memores obteſtaretur, longius in hoſtiũ inſidias præcipitatus, deſtitutusq; fortiter pugnando oppetijt. Eadem die circa meridiem Turcæ cadelos ſarmentis onuſtos, ipſi quoq; onera baiulantes ad mœnia adegere, foſſas impleturi uidebantur, quo facilius aggerem exuperarent, ſed neſcio quo modo hoſti certè conſilium diſplicuit: Nihiloſecius noſtri inſtructa acie ſuo quiſq; ordine, locoq; hoſtem operiebantur. Eck à Reiſchach ſtrenuus miles tres ea die glandes plumbeas aduerſo pectore excepit ſummi Dei beneficio, ac ferrei toracis, loricæq; bonitate tectus, incolumis ſeruatus eſt.

Octauus

Octaua porrō Octobris die, ac pridie antè utrinq; ad Carinthiorum turrim per murum cuniculos egêre, fundamentaq; muri incidêre, hac arte rati mœnia suppositis excussa puluеribus, intra ciuitatem prolapsura, nostri rerū non igna ri prævalidas trabes circumquaq; muro admouerunt, quo factum ut incensis puluеribus dissecta mœnia, nostris indemnia foras prolaberentur. Dirutā mu runt, curæ omnium magis ac magis ad uigilandum intentæ, Duces ipsi ad laborantem urbis partem excubarūt, nulla quies, nullus oculis somnus capitur, perpetuus hostis amoliendi animos defatigat labor, iam proditionis suspicio, iam incendiorum metus, ducum uexat mentes. Eadem die quidam è Turcis captus est, qui capitis periculo affirmauit, Turcarum Cæsarem, nō ultra decem dies ad Viennā fore: quod uerum esse euentus docuit. Postero deinde die matrare conati, tandem à nostris propulsati. A' meridie circiter tertiam horam itetim, è regione diuæ Claræ duobus locis puluerum ui subruerunt, in ipsa intedere parabant, fortiter nostri hostem sustinuerunt, multi Turcarum occisi, Hispani quidam Germaniq; milites, unâ cum muri parte, cui insistebāt eiecti deuolutiq; ferè salui euasere. Hîc raro casu quidam tormēto ictus pro mortuo habitus, deinde illæso corpore, in illius marsupio plumbeus globus inuentus est. A' nona Octobris die ad duodecimum nulla intermissione, tormentorum assi duis ictibus cuncta personant: subinde ad mœnia euaditur, neq; in urbe cessatur, uehemens utrinq; certatio, ab urbe omnis generis tormēta in hostes effunduntur. Musicis interim instrumentis, tubis, tibijs, cornibus, fistulis ac tympanis infractum, imperterritumq; animum nostri significabant. Duodecima deinde die Octobris ad Carinthiorum portam, ex altera parte, Stubarum uersus, quam uocant portam, iterum Turcę magnam muri partem deiecere, neq; uno tantum loco fumus apparuit, quod indicio fuit pluribus locis subiectis puluеribus hostem simul mœnia subruere conatum, sublato illicò uexillo, Hispani, Germaniq; milites fortiter sese hosti ostentant, sed Turcæ terrore perculsi, neq; diu, neq; ita magna ui nostris negotiū facessebant, ad oppugnandumq;, quod è spectulis ac turribus quidam in urbe uiderunt, Turcarum duces frameis, fustibusq; suos milites pulsatos, adigere nequaquam potuerunt: Si qui ad fossam adacti illicò fugam retrò arripuerunt: quam nos potētem manum summi Dei fuisse interpretamur, qui cor, uirtutemq; adimit, quando, quibusq; uoluerit. Statim post subruta mœnia, Turca Carinthiorum turrim prægrandi ac uiolento tormento aggressus, certissimis ictibus lapideis globis fastigia turris impetuit, deiecitq;, sicq; nostris Bombardarum præfectis defendendæ urbis ex ea parte quæ sola igneariorum tormētorum capax erat, & unde magnam cladem hosti obtulerant, facultatem ademêre. Quanquam per noctem, quoad fieri potuit, admissa damna refecere, cōpleta fimo uasa muri instar oppositêre, sub quibus tuti hostem uexarent, quorum tamen multi insigniter petiti à Turcis manuarijs tormētis icti occubuere. Continenter interim Turca oppugnationem urgere, suos animare, cohortari, impellere ut superato muro urbem quod facilimum factu erat, caperent. Decreuerat enim Turca antequam infectis rebus se in Hungariam reciperet, id quod è captiuis cognouimus, omnibus uiribus undiquaq; urbem aggredi, atq; ultimam oppugnationem experiri, quod nostris magnum metum attulit, fecitq; uerisimile, quod à decimo secundo Octobris ad XIIII ab oppugnatione temperabatur. Hic uarij uulgò, ut in magno metu rumores spargebantur. Certum erat Turcam antequam infectis rebus discede

ret omnia moliturũm, quando subrutis in immanem aditum mũris, diurnis nocturnisq; oppugnationibus nihil prorsus profecissent, per cuniculos in urbem inuasurum, derepentè ex insperato nostros oppressurum, undiquaq; emergentibus è cellis uinarijs, per insidias hostibus plericq; suspicabãtur: timebatur præterea ne stationes militum subiectis pulueribus disijcerentur, non sine magna nostrorum clade. Sed pro sui populi salute, si quando aliâs, hoc tempore lanè excubauit summus Deus, qui animos nostrorum auxit, atq; hostium audaciã repressit, monitumq; hoc exemplo Christianum populum maluit, quam funditus perditum. Nam XIIII Octobris contra omnium expectationem hostes iterum ignearijs manuarijs, ac item grandioribus instare, ac magnã plumbeorum globulorum uim, ad glandium speciem oblongorum in urbem iaculari. Decima deinde hora noctis incẽsis castris (quod è quibusdam Christianis qui effugerant percepimus) magno ululatu, quem fuisse captiuorum existimamus generis ac nominis nostri Christianorum, qui spem magnam fouebant, se tandem aliquando liberatum iri, sed ualde sua miseros fefellit opinio, siquidem in fuga partim arrepti in perpetuam seruitutem, partim crudelem in modum concisi ac laniati oppetiêre, fugæ similimum discessum properarunt. Meritò itaque Generosis ac fortibus militibus summi quiq; honores haberi debent, qui gratia summi Dei suo robore Christiani sanguinis sitientissimum hostem remotum, & à Germania, quæ firmissima est Christianę reip. pars suis corporibus exacluserunt. Quod si Viennam Turca cepisset igneariorum tormentorum ornatissimam, instructissimamq; copiã in suam potestatem redegisset, eo ipso anno per autumnum in superiorem Germaniam facilè penetrasset, quam si occupauerit, quod Deus nolit, actum est de Christiana libertate, sub omnium grauissimo tyranno durissimam Christi fideles seruitutem tolerabimus. Atq; adeò, ut longius progressurus nõ fuerit, Viennam certè ita aggeribus, muroq; communijsset, ut per hyemem ibi refecto exercitu primo uere, iusto bello Germaniam lacessere expeditissimè potuerit. Constat enim eo consilio Turcam Viennam ueniisse, ut ea occupata toto triennio Germaniæ bellum faceret, in eaq; cruentam tyrannidem pro libidine innumerabili hominum ex omni ætate iactura expleret, omnia igni ferroq; uasta redderet, quod proh dolor iam nimium sæpe experti sumus, ac iam recenti, uicinoq; magis Austria periculo, ac clade moniti è somno uel ueterno potius expergefieri debemus. Vidimus his oculis oppleta omnia loca cadaueribus, fœdis uulneribus crudelissimè consauciatis, nulli sexui, nulli ætati tẽperatũ. Exempti matrũ aluo fœtus allisi, parui pueri frameis dissecti, hastis transfixi, uirginibus mixtæ matres, post abominalẽ execrabilẽq; abusum, horret mens dicere, à ceruice resectis capitibus toto corpore deformatæ, nulla omnino exempla immanitatis extare, nec excogitari quidem posse existimo, quæ non ediderit in nostri sanguinis fratres truculenta belua. Tempus itaq; est uiri Christiani ubicunq; terrarum Christo uiuitis, tempus inquam est nos è somno excitari, hanc irati ob nostra scelera numinis plagam agnoscere, unanimiter ad Deum conuerti, resipiscere, omisso uanæ gloriæ studio, odium mutuum ponere, monstrosas de fide Catholica dissensiones, & nunquam finendas disputationes abijcere, in unum catholicę ecclesię sacrosanctum corpus coalescere, & in amore proximi, ac bonis operibus simul totis uiribus in Christo qui caput est unanimes uiuere, orareq; ut nobis gratiam suam cõcedere dignetur, qua armati immanem hostem à ceruicibus nostris propulsemus, & deinde oppressis hostibus quieti in pace, pie, sancteq; uiuere queamus. Quod si editum in infelices Austriæ Christi fideles exemplũ nihil nos mouebit, hancq; præsentem Dei plagam ad nos nihil pertinere putabimus, quid aliud quam præsens exitium toti Germaniæ, ac orbi Christiano, pronunciemus? non mihi credite,

credite, didicit modũ habere hostis, circuit omnia leo rugiens impotenti animi libidine, inexplebili regnorum cupiditate, insatiabili sanguinis nostri siti longius semper lõgiusq; progredietur, quoad unus omnia occupabit, quod eum hactenus fecisse multorum Regum, Principum, populorũ, urbium exitio edocti tandem scire debemus.

Quum itaq; per noctem (ut diximus) magna pars exercitus discessisset, Veneris die Imbrahim Bassa unâ cum reliquis ducibus manè instructis ordinibus circiter LX mille equitum in procinctu constitit, nihil tamen ea die gestum: uenit in mentem ducibus nostris quod antè hostium uoluntatem è captiuis esse audierant, ut de redimendis captiuis ageretur, & utrinq; fieret permutatio. Sic enim Imbrahim Bassæ uideri illi affirmauerant, mittunt itaq; nuncium cum literis, sibi quoq; placere, cum belli ius ita ferret ut captiuorum ratio utrinq; haberetur. Ad quæ Imbrahim Bassa suo signo cõfirmatas literis dedit, quarum exemplum ascribere uisum est operepreciũ esse.

Imbrahim Bassa Dei gratia supremus secretarius, supremus consiliarius, potentissimi inuictissimiq; Cæsaris, Sultani, Soleymani dux, & uniuersi imperij, ac rerum gerendarum gubernator. Visis literis, quas nuncius uester nobis reddidit, Generosi duces, ac rerum gerendarum præfecti illustres, de uoluntate uestra cognouimus. Scitote nos non uenisse uestras ut ciuitates occuparemus, sed ut Archiducem uestrum Ferdinandum quæreremus, quem tamen non inuenimus: Etsi pluribus diebus in illius expectatione hic morati sumus, non tamen ad hunc usq; diem comparuit: heri tres è uestris captiuos liberè ad uos dimisimus, simili ratione uos cum nostris agere æquum est, quomodo nuncium uestrum iussimus ad uos referre. Integrum porrò uobis est mittere quem uobis uisum fuerit, qui de captiuis cognoscat, neq; tali in casu de fide nostra quicquã dubitare debetis. Quod uerò ijs qui Budæ in præsidio fuêre, fidem non seruasse insimulamur: illorum non nostra culpa factum est. Datæ pro Vienna XVII Octobris Anno M. D. XXIX.

In mandatis præterea nuncio dedere, sese ut militares homines decet, iuxta ius belli facere constitutum habere, quandò eò res deuenerit, ut plurima inter eos agẽda restent. Tabellario è Damascena purpura uestem rubeam dono dedere. Eodem die Christophorum Zetlitz de quo antea meminimus, comitis Ioannis ab Hardeck uexilliferum captiuum, egregiè aureis purpureisq; uestibus ornatum liberè ad urbem remisere, eademq; de re ei mandata dedere.

Postridie porrò, Cæsarem, qui cum exercitu præcesserat persequutus ea celeritate, ut quinq; diebus Budam uenerint, quæ XXXII prælongis Germanicis miliaribus à Vienna abest, innumeri equi ex fuga mortui corruerunt, nec non mortui reperti sunt. Paulus Backitsch, Sigismundus Weixelwerger, & Ioannes Cazianer, leui armatura fugientes persequuti, multos ceperunt, plurimos interfecerunt, è captiuis etiam Christianis non paucos liberauerunt: Nassadistæ quoq; ad Posonium ex urbe arceq;, cui præfectus fuit Vvolfgangus Oder, impugnati quibusdam demersis nauibus magnam iacturam fecerunt. Captiui Turcę pro certo affirmarũt, Turcarum Cæsarem maxima damna accepisse, tum quòd plurimi ex illius militibus cæsi ignearíorumq; ui confecti sunt, multi fame enecti: tum quòd equorum, camelorumq; ingẽtem numerum amiserit, tum quòd singulari uirtute præditum Bassam Ducem è Natalia, id est, minori Asia, quòd certis authoribus accepimus, pro Carinthiorum porta Catapulta ignearia ictum desiderarit. Caussæ discessus fuisse perhibent, quòd pro tanto exercitu cõmeatus nõ suppeditauerint, indeq; intolerabili fame uexatos hostes diutius durare nequiuisse, & quod cœli immitioris inclementiam appetente hyeme, molles

Asiæ gentes,& transmarini milites non ferendam experiebantur.Ianizeri præcipuè militiam diutius ferre recusabant,etsi centum in dies,singulis asperi (hi numi uocantur Turcaici argentei,qui singuli sex nostratibus,id est,crucifero uno cum dimidio commutantur) numerentur:quanquam negauerat sese Cæsar à Viennæ oppugnatione,nisi urbe capta discessurum,etiam si tantum nivis cœlitus decideret,ut ad genu usq; pertingat. Ad hæc,Turca pro comperto habebat Ferdinandum regem,iustum exercitum in Bohœmia contraxisse:ab Imperio non contemnenda auxilia mitti,paratumq; prælio cum eo decernere:& cum suos fame,laboribusq; fatigatos sentiret,cum recentibus cõgredi noluit, rectà itaq; fugienti similis ad Albam usque properauit,magna præda onustus. Tam lentum Turcæ discessum Duces,militiæ præfecti & à cõsilijs aliquandiu suspectũ habuere,in insidijs alicubi aliquot millia subornata latere rati,instructa acie pro urbe egressi,Iouis diem integram armati constitere, cumq; hostis nullus compareret,iterum ad urbem sese receperunt. XVIII Octobris Friderichus ad Rhenum Palatinus,unà cum reliquis principibus,quos Cremblij per obsidionis pericula fuisse ostendimus,Viennã uenit.Haud ita multis pòst die- bus cum ab hoste iam summi Dei ac bonorum uirtute securi agerent ciues,gra uior ab amicis terror obijcitur: Germani milites,& Imperij præcipuè auxilia, plusquam barbarica truculẽtia,iuris humani,diuinique oblíti,hostilibus animis neglecta maiorũ disciplina,indignissimis iniurijs,cõtumelijsq; ciues afficere. Nam quidam nõ contenti uina exhausisse,in quo perdendo magis,q̃ hostem cendo occupati,sic inebriebãtur,ut cum ad arma signum daretur,alij arma ubi inuenirent ignorarent,alij uacillantes per plateas offenderent: hospitium suo- rum,etiam præsentium,refractis seris,corruptis arcis,armarijs,mensis,direptis, quę reliquę erãt facultatibus,animos suos manusq; expleuerunt:nec dũ illorũ libidini satisfactum,uitra,fornaces, tabulas pictas comminuerũt (tantum non uitam miseris ciuibus eripuerunt) uina,carnes, panes, copiosè suppeditata,ac regis optimi benignitate gratuitò condonata,nihil importunos animos flecte bant.Nam XIIII uexillorum ab Imperio auxilia,XXIII Octobris à prima luce usq; ad uesperum frequentes coiêre,conuentuq; habito, trium oppugnationũ stipendia,de more militari,flagitarunt,quæ nisi numerarentur, præsentem du- cibus ac ciuibus cædem denunciabant,omnia denicq; acerba minati, Conradũ Gozman,& Iacobum à Vuerdenau capitaneos per integram diem conuentui inter- esse coëgerunt. Qui cum docerent quàm iniusta eorũ petita essent, si quid iure deberetur,sese offerre aiebant quos tandiu in uinculis ac custodia seruẽt quo- ad satisfieret,simulq; copiosè ad eos ac fortiter: Eck à Reischach uerba fecit, quum peterenti libera quæ uellet dicendi copia facta esset:sed nullius oratione, huma- nitate,admonitione,quicquam profectum,uno ore omnes sublata uoce,pecu niam flagitare,cædem,prædam minari. Quem tumultũ grauiter ferebat inclyt- us princeps Friderichus,atqui indomitum uulgus,nisi suæ libidini satisfieret compesci posse desperabat:quid facerent? de oppugnatione stipendium coa- ctum,ac ui magis quàm merito extortum unum promiserunt,sed nondum pla cati milites,duobus supra dictis ducibus hastas undiquaq; intentarũt:Quoad inclinato iam die magni Michaelis uexillifer prolato signo progressus commi litones ait:Quicunq; emeritis duobus stipendijs, & uno, oppugnationis gra- tia oblato cõtenti esse uolunt me sequant. Aegrè hic à uexillifero cruentas ma nus abstinuerunt:eum deinde per densum circulum perrumpentem uexillife- ri reliqui & antesignani secuti conuentum diremêre. Quum porrò Imperij au- xilia duobus emeritis stipẽdijs,item uno oppugnationis prætextu extorto dis solutis deliniti essent: ecce ibi alia exorîr dissensio. Veterani milites,qui plures annos Duce Leonhardo à Vels in Hungaria militauerãt, & Eckij à Reyschach,im-

penio

perio subiecti, quod debita stipendia non continuò, & ex sententia numeraban tur, se urbem direpturos minati, propter tumultum magnus iterum metus ci- ues occupauerat: qui maturo ducum, militiæ præfectorum & consiliariorũ sa- noq; consilio discussus tandem cõquieuit. Sic res utrinq; gestas, breuiter quam uerisimè complexi sumus, ne longa narratione hominum aures oneraremus. Deo sanè optimo maximoq; meritò gratias agere debemus qui immanem, ef- feratumq; tyrannum longius sæuire uetuit: orareq; ut aduersus incredulos no bis in fide uera consentientibus animos, roburq; ministret, quo simul ex hoste crudelissimo uictoriam simulq; pacem aliquando tandem reportemus.

CATALOGVS VIRORVM ILLVSTRIVM, DVCVM MILITIAE, PRAEFECTORVM, Legatorum cæterorumq;, quorum uirtute & consilio Vienna seruata.

¶ *Primi ordinis officia militaria,*

Illustrissimus Princeps Philippus ad Rhenum Palatinus, Bauariæ dux, Fri- derici patrui loco supremus auxiliorum Imperij dux seu capitaneus.

Comes Nicolaus â *Salm*, natu grandior inclyti regis Ferdinandi, à consilijs ac cubicularius, supremus totius exercitus Regij capitaneus, de cuius fato obi- ter paucis perstringam. Iam inde à prima ætate & ipso tyrocinio maximis bel- lorum casibus exercitus, omnibus ferè memorabilibus prælijs interfuit. Et nu- per Viennę cum murus ui pulueris subiecti labefactatus corrueret, lapide ictus altero pede uulnus accepit, quod uixdum obductum soluta obsidione quum Strigonium cum exercitu aliquot millium profectus esset, recruduit, adeò ut inualescente malo imbecillior, quam qui militiam ferre posset, amicorum con- silio ad suos domum redierit, quo per quietem pristinam ualetudinem recipe- ret. Deinde in *Marcheck*, Austriæ castello in suorum luctu & lachrymis è uita de- cessit. Felix post tot emerita decora heros, si quod unũ in uotis habebat, pro pa tria ac Christi fide saltem fortiter pugnanti oppetere & parta suis uictoria ge- nerosum spiritum reddere licuisset. Obijt anno â nato Christo M. D. XXX. IIII Mens. Maij, ætatis suæ anno LXXII.

Guilielmus à *Rogendorff*, &c. inuictissimi Imperatoris Caroli cõsiliarius ac cu- bicularius, & inclyti Regis Ferdinandi item consiliarius, ac Magister equitum, quem hodie dicunt Marescalcum, & Magistrum de campo.

Marcus *Bock* à *Leupolsdorff* iuris consultus, consiliarius Regius & quæstor ter- ræ Austriæ, infra Onasum flumen, supremus annonę Præfectus, quem uocant Magistrum munitionum. Vlrichus *Leisser*, Regius legatus, quem hodie dicunt consiliarium campi, siue de la Guerra, & supremus tormentorum ac machina- rum bellicarum Præfectus, quem uocant, capitaneum de Lartagleria.

¶ *Legati siue commissarij rerum bellicarum & à consilijs,*

Georgius à Bucha, cõsiliarius Regius, & locũ tenens Austrię infra Onasum.

Leonardus à *Vels*, consiliarius & cubicularius Regius, Dux siue capitaneus septem uexillorum ueteranorum.

Nicolaus *Rabenhaubt* à *Sûcher*, eques auratus, consiliarius Regius, Austriæ in- fra Onasum cancellarius.

Eck à *Reischach*, eques auratus, consiliarius regius, capitaneus sex uexillorum.

Rudolfus ab *Hochenfelt*, consiliarius Regius, Austriæ infra Onasum.

Nicolaus à Turri consiliarius regius, Dux copiarum, quæ aduersus Sagra- bienssem Episcopum ex Hispano, Germanoq; milite conscriptæ fuêre.

Felicianus à *Pötschach*, consiliarius regius Austriæ infra Onasum.

Ioannes Catzianer, eques auratus, Carniolæ præfectus, leuis armaturæ equestrium turmarum Dux.

Ioannes ab Eybeſbald, eques auratus, conſiliarius Auſtriæ infra Onaſum.

Ioannes à Greiſeneck, eques auratus, Regius cubicularius hæreditarius Carinthiæ, capitaneus peditatus, ac ciuitatis, Viennæ.

Melchior à Lamberg, conſiliarius Auſtriæ infra Onaſum.

Vvolfgangus Matſcheber, Archiducatus Auſtriæ legatus ſiue cõſiliarius cãpi.

Troianus ab Aurſperg, eques auratus conſiliarius Auſtriæ infra Onaſum.

Vvernhardinus Ritſchan, eques auratus, Regius legatus ſiue cõſiliarius cãpi.

Helfrichus à Meckau, eques auratus conſiliarius Regius, Auſtriæ ſupra Onaſum legatus.

Eraſmus ab Obritſchan, conſiliarius campi Carniolæ.

Raymundus à Dornberg, eques auratus, conſiliarius Auſtriæ infra Onaſum.

Michael Otto ab Achterdingen, conſiliarius campi, præfectus Machinarũ bellicarum Auſtriæ ſupra Onaſum.

Ioannes Apholtrer, conſiliarius & Mariſcalcus campi.

Seyfridus Collenitſch, Iuriſconſultus, conſiliarius Auſtriæ infra Onaſum.

Ioannes Kauffman, Iuriſconſultus conſiliarius Auſtriæ infra Onaſum.

¶ *Officiorum militarium Præfecti.*

Vitus à Walenburg, ſupremus à numerãdis ſtipẽdijs, uel prefectus nummorũ.

Leonardus Kutenfelder, ſupremus cenſor, ſiue luſtrator exercitus, el Veador.

Michael Stuzel, Petrus Stern, Ioãnes Weißperger, ſecretarij militares, ſiue campi.

Iodocus Lilgenberger, annonæ Præfectus.

Ioannes Gamper, Præpoſitus iudiciorum ueterani exercitus, el Alcaldo de la Iuſticia.

Ioannes Eberle, Præpoſitus caſtrorum ueterani exercitus, el Præuoſt, qui tormento ictus occubuit, huic ſuffectus Valentinus à Gerada.

Georgius Stöckel à Lindaw, ſupremus Præfectus excubiarum, ueterani exercitus, Maiſtro de la Garda.

Vvolfgangus Gabañ tribunus, ſiue quartarũ Magiſter ueterani exercitus.

Gaſpar Schnaitter, Præpoſitus caſtrorum Eckij à Reyſchach, el Præuoſt.

Ioannes à Berneck cenſor, ſiue luſtrator exercitus Nicolai à Turri, el Veador.

Ducum Catalogus & copiarum quas quiſq; duxerint, numerus.

Vvolfgangus à Rogendorff conſiliarius Regius, Mariſcalcus terrę Auſtriæ infra Onaſum flumẽ, quingentos equites duxit, inter quos nobiles recenſentur.

Longinus à Bucham.
Ioannes à Lappitz.
Eraſmus à Starhenberg.
Martinus à Bucham.
Ioannes à Lamberg iunior.
Vitus Künigſperger.
Vvolfgangus Eſmayſter.
Ioannes Laſperger.
Georgius Grabner.
Gebhardus Vueltzer.
Hieronymus Geier.
Ludouicus Schönpruner.
Chriſtophorus Rauchenecker.
Ioannes Lob.
Achacius Meſtenbeck.
Georgius Dietrichinger.
Sigiſmundus à Bucham.
Sebaſtianus Hager.
Leopoldus à Maynburg.
Ioannes à Bucham.
Ernrichus Künigſperger.
Leopoldus Lembacher.
Rudolfus Freiſchlag.
Andreas Vualtinger.
Marcus Maminger.
Gothardus Vellendorffer.
Vvolfgangus Span.
Ioannes Roſenhardt.
Vitalis Kaltter.
Chriſtophorus Haritzer.
Chriſtophorus Schonburg.
Chriſtophorus Auſer.

Chri-

Christophorus Redler. Ioannes Wallen.
Stephanus Pölchinger. Christophorus Randecker.
Reinprechtus ab Eberſdorff, capitaneus ciuitatum Austriæ, ſuper unum uexillum peditum.
Ioannes Fingenſeiſer & Richardus Inſaner, capitanei ſuper delectum denorũ militum terræ Austriæ infra Onaſum.

Sub Nicolao à turri capitaneo meruerunt,

Stephanus Graßwein, eqũes auratus conſiliarius, capitaneus CCL equitibus, Stiris præfectus, præſtò nõ fuit, cuius loco ſucceſſit Bartholomæus Weyſenecker.
Otto à Paen, ſignifer. Gothardus à Lamberg.
Kilianus Zuch. Martinus à Mallentein.
Caſpar Schrampf. Zacharias Hymperger.
Andreas Rindſcheit. Martinus à Fledniz.
Rochus à Trautmanſdorff. Christophorus Hebenſtreit.
Vlrichus Mazeber. Dauid Hunperger.
Iob Gamms. Christophorus à Lindeck.
Andreas Lamiſtorffer. Erhardus Mindorffer.
Andreas Wintzrer. Clemens Prunhaimer.
Heinrichus Prandtner. Ioannes Mülhauſer.
Guilielmus Freitag. Martinus Semenitſch.
Ioachimus Freitag. N. Edlinger.
Ioannes Pernecker. Leonardus Pandorffer.

Abelo ab Holeneck capitaneo uexillum paruit peditatus Stiriæ ſub quo nobiles fuerunt,

Hartmanus ab Holeneck. Paulus Steinacher, ſignifer.
Georgius Stainpeyß, qui tormento ictus occubuit.
Andreas Stadler, &c.

Sub Anthonio Rud à Kolnwurg Stiriæ peditatus uexillum unum meruit, ſub quo nobiles,

Georgius Wildenſteiner, ſignifer. Vvolfgangus à Lamperg.
Adamus & Sebaſtianus Sulzpacher, fratres. Melchior Stadler.
Melchior Schramph. Sebaſtianus Roſenberger.

Leonhardus Lochner Carinthiæ capitaneus, duas centurias equitum duxit, in quibus nobiles,

Ioannes à Neunhauß. Christophorus Doſch.
Christophorus Prunhaimer.
Vvolfgangus & Christophorus ab Eckenburg.
Leonhardus à Malentein. Ioannes Prunhoffer.
Ioannes Rhenner, &c.

Christophorus Saler, capitaneus uexillum duxit peditum Carinthiæ ſub quo nobiles.

Christophorus Mardachs, ſignifer.
Ioannes Hautz. Gaſpar Kienberger.
Christophorus Keller. Hans Reiſchperger, &c.

Hiſpani capitanei, Ludouicus de Aualos Magiſter campi. Ioannes de Anguiera, Ioannes de Salinas, Melchior de Villaruel circiter ſeptingentos Hiſpanos pedites duxerunt, qui ſtrenuè pro Ferdinandi regis optimi ſalute excubantes, omnibus periculis ultro ſeſe primi obtulere, adeò ut audierim neminẽ tam maleuolum, qui non ſingulare illorum uirtuti teſtimonium dederit, in his nobiles numerantur.

Ciros

Ciros signifer. Anthonius Comargo signifer, occubuit.
Petrus Nauares, signifer. Cardenes item signifer.
Georgius Mauricz. Christophorus de Aranda.
Ludouicus de Calathauit occubuit. Alfonsus de Eredia.
Zapata. Valde Rama. Balaeurs.
Iuanus de Argolio Ferdinandus de Roza.
Iacobus Garzia de Cusman, occubuit. Gueuara, &c.

Didacus Seraua Regiæ Maiestatis puerorũ nobilium præfectus, unde reliqui se effugisse facilè patiebantur, Viennam iam aqua, terraq; hostium innumeris copijs circumseptam conducto celoce, Decoris demerendi spe incensus, secundo Danubio properauit, in oppugnatione primus in hostem sulphurata iaculatus, aduerso torace tria spicula excepit. Multa memorabilia Hispanos patrasse audiui, sed quia incerto authore ferebantur, malui bonos milites suis laudibus fraudare, quã nimio laudandi studio palpum obtrudere uoluisse uideri.

Sub Ioanne Cacianer, capitaneo Nicolaus Schnitzenpaumer CLX. *equitibus præfuit, in quibus nobiles,*

Ioannes Leisser, Præfectus excubiarum uel Magister de la Garda.
Ioannes Gall, signifer. Alexius Flaschperger.
Christophorus Mindorffer.
Ioannes Clobitz, Præfectus excubiarum. Ioannes Leble, &c.

Sub Ioanne Comite ab Hardeck, à poculis hæreditario Austriæ infra Onasum, capitaneo militarunt CCL *equites, in quibus nobiles,*

Ioannes à Schelnberg. Heinrichus à Schelnberg.
Christophorus Zetlitz, signifer. Erasmus Teüffel.

Guilielmus ab Oberbeck, is excusso ab equo ad diui Marci ædẽ signifero, fertur signum arreptum ut antè meminimus, seruasse, & ad urbem retulisse.

Nicolaus Rechenberger. Conradus Phrior, ab Vratislauia.
Ioannes Reibnitz. Melchior Panowitz.
Valentinus Logus à Procat. Sebastianus Hoswitz.
Vvalthassar Seidlitz. Conradus Seidlitz.
Ioannes Haubitz à Puperſdorff. Laurentius Magnus.
Balthassar Knoblasdorff à Perndorff.

Georgius Scheredi, item Georgius Hatalinij, Adamus Honorij, Ioannes Norouusky qui quatuor, episcopo Strigoniensi quum seruirent, impijs & conscleratis illius cum Turcis conspirationibus offensi, cum XXVIII equitum turma ad Ferdinandum Regem sese receperunt.

Sub Leonhardo à Fels, capitaneo singulis uexillis Præfecti fuêre capitanei infra scripti.

Egidius à Fels. Ioannes ab Altenhausen. Thomas Flaschberger, signifer.
Christophorus Reischacher. Hainrichus Wundershofer.
Ioachimus ab Helmstorff. Thomas ab Armstorff.
Petrus à Fels. Nicodemus Sinckmoser.
Ioachimus ab Rosenaw. Hainrichus Sendroffzky.
Albertus ab Kodsan. Georgius Zwestualin.

Caspar Ritschan capitaneus Regius uexillum peditum duxit, inter quos nobiles fuêre,

Christophorus & Ioannes Amstæter.
Ioannes Lochner. Ludouicus Gall. Guilielmus

Guilielmus Vualtinger. Gregorius à Faulach.
Georgius Seydlitz. Caspar Carlouitz, &c.
Vvolfgangus Hagen, capitaneus Regius uexillo peditum uni præfuit, lõgius in hostem progressus, a cæ nostris (ut ostendimus) destitutus, fortiter pugnando oppetiit, cui successit Ioannes Altenhauser, sub quo nobiles militarunt.
Albertus Peltzky signifer. Ioannes Parsnpruner.
Christophorus à Sinzndorff. Georgius Strasser.
Ioannes Zwerder, &c.

Sigismundo Leusser capitaneo Regio unum uexillum peditum paruit, sub quo,

Gunthérus ab Herberstain, signifer. Mathias Fux.
Iacobus Tranner. Andreas Hoffer, &c.

Sub Maximiliano Leysser capitaneo regio, super unum uexillum peditum militarunt,

Sebastianus à Zweysseneck, signifer.
Petrus à Zweysseneck. Christophorus Leysser.
Seifridus à Ratmansdorff. Andreas à Mallentein.
Gaspar & Ioannes Ottwein. Vvalthasser Schramph.
Hieronymus à Rechperg. Gaspar Purckhsdorffer.

Ioannes Surg à Surgenstain, capitaneus Regius uexillo uni præfectus, sub quo meruerunt,

Erhardus à Perlingen, signifer. Georgius Zwaldner.
Ioannes Brenner. Georgius Glück.

Ioannes Grummoser, capitaneus Regius duo uexilla peditum tenuit, sub quibus militarunt,

Guilielmus à Bibrach. Michael Zwildmair, signifer.

Sub Eck à Reischach capitaneo, sex capitanei qui singulis uexillis præfuerunt, militarunt,

Ioannes, Vlrichus à Rotenburg. Ioannes Dietrichus ab Hocheneckh, capitaneus.
Schvueyckhardus Thun à Neuburg. Iodocus à Grienstain, signifer.
Ludouicus Vuolff ab Habsperg. Ioannes ab Hocheufeldt.
Ioannes à Seyboldstorff. Rupertus à Grana Búrgundiæ.

Maximilianus Auer ab Hernkirchen, capitaneus Regius unius uexilli pedit.

Ioãnes Georgius à Burckstall, capitan. Regius ũnius uexilli, sub quo militarũt,
Heinrichus ab Raubenstain. Sebaldus à Bolckenstain.
Vvolfgangus Sigismundus à Stain. Ioachimus Schönfelder.
Vvolfgangus Gultinger. Guilielmus Fuller.
Conrad Zeller. Georgius Gurtler, signifer.

Eitel Ioannes à Faulach capitaneus Regius unius uexilli, sub quo,

Christophorus à Schina, signifer. Friderichus ab Einzberg.
Vvenceslaus ab Hamburg. Ioannes Reibitz.

Christophorus à Neuenfels capitaneus Regius unius uexilli, sub quo,

Michael Landenburg, signifer.
Ioannes Ottmayr. Ioannes ab Loguu.

Vuolfgangus Phaffenlapp capitaneus Regius unius uexilli ſub quo.

Ioannes Eberhard à *Reynach.*
Iacobus Sigiſmundus. Heinrichus ab Mandach, &c.
Erneſtus à *Brandenſtein*, Regię Maieſtatis ſatellitum, quos Trabandos uocant capitaneus, quatuor ſignis præfuit peditum Bohæmorum, in quibus nobiles fuerunt.
Guilelmus Zuſirzetitzky à *Wartenberg*, capitaneus Regius unius uexilli.
Sebaſtianus *Knoblſtorffer*, ſignifer.
Petrus à Proſetz capitaneus Regius unum uexillum duxit.
Petrus Vvopith Ginackh Perzina, capitaneus Regius duorum uexillorũ.
Achacius Schlusky à Clunna, ſignifer.
Vvenslaus Landa, ſignifer.

Nobiles quidam, qui nulli duci addicti militarunt.

Rupertus comes à *Monderſchiet.*
Vvolfgangus comes ab *Ottingen*, qui proprio ære militauit.
Guilielmus ab *Herberſtain*, eques auratus.
Ioannes Salamanca egregia uirtute iuuenis Hiſpanus, hic unà cũm aliis quibuſdam, Cacianer duce excurſione facta ad Viennæ montana, cæſis fugatiſq; Turcis fortiter ſeſe geſsit.
Chriſtophorus à *Lamberg* Gaurini præfectus, Turca adueniente, arcem minimè munitam incendit, ſeruatiſq; tormentis Viennam uenit.
Georgius *Wolfframſtorffer*, Regiæ Maieſtatis uenationum præfectus.
Leonhardus *Hauſer*, uir ſtrenuus capitaneus ciuitatis Viennæ, cuius ædes ærumnoſarum mulierum, puerorumq; perfugium fuerunt, tormento ictus conualuit.
Eraſmus *Scheürer.* Ioannes Haug, à *Fraynſtain.*
Hieronymus *Ruck.* Sigiſmundus *Guntheshauſer*, &c.

Auxiliorum Imperij Catalogus.

Philippus Palatinus ad Rhenum, de quo antea mentionem fecimus, centuriam equitum unam duxit.
Sylueſter à *Schaunburg*, & Ludouicus à *Graueneck*, tribuni.
Thomas *Marſchalch*, à *Pappenheim.*
Georgius à *Rechperg.* Georgius *Hundt*, &c.
Conradus *Gotzman*, Dux ab Electoribus principibus præfectus ſeptem capitaneis, ipſe in obſidione Viennæ non fuit, nam Crembſij reſedit.
Georgius ab *Lauffenholtz*, capitaneus unius uexilli auxiliorum Imperij.
Ioannes à *Mortlingen*, ſignifer. Ioannes à *Feſtenberg.*
Martinus & Vittus ab *Egloffſtain.*
Gundelius & Ambroſius à *Schamberg.*
Ioannes *Taubentantz*, capitaneus Imperij unius uexilli.
Balthaſar à *Bock*, ſignifer. Vvolfgangus à *Creützen.*
Eraſmus ab *Hayd*, &c.
Ioannes à *Gundelfingen*, capitaneus Imperij uexilli unius.
Chriſtophorus *Grolandt*, ſignifer.
Caſpar *Altmülſtainer*, *Zammacher* Norinbergenſis, capitaneus Imperij unius uexilli.
Pangracius *Zolner*, ſignifer. Chriſtophorus *Stramer.*
Nicolaus *Roſenperger.* Friderichus *Haner.*

Ioannes

Ioannes à Riedlingen, capitaneus Imperij unius uexilli.
Georgius Schmidt Hornnbergensis signifer.
Iodocus ab Hayd, &c.
Magnus Michael ab Anspach, capitaneus unius uexilli.
Paulus Hartumb signifer, &c.
Michael à Bamberg, capitaneus uexilli unius.
Melchior Schaid signifer, &c.
Ioannes Hablūgel, capitaneus uexilli unius.
Ioannes Burckhart faber signifer.
Guilelmus Talhamer, capitaneus uexilli unius.
Ioannes Eysen signifer.
Christophorus Iud, capitaneus uexilli unius.

Iacobus à Zwerdna Dux ab electoribus principibus septem signis præfectus, in obsidione non fuit, sed Cremsij cum Friderico Palatino egit.

Ludouicus à Graueneck, capitaneus Imperij auxiliorum uexilli unius.
Guilelmus Güß signifer.
Rudolfus à Papenhaim, Marischalcus Romani Imperij hæreditarius, capitaneus uexilli unius.
Ioannes Sigismundus ab Ellerbach signifer.
Georgius Lamparter à Greiffenstein, capitaneus uexilli unius.
Georgius ab Fechingen signifer.
Ioannes Mergl à Memmingen, capitaneus uexilli unius.

Sacri Romani imperij officia militaria.

Ernestus à Brandenstain, sacri Romani imperij supremus censor militaris siue Iustrator exercitus, el ueador.
Michael Beheym, Præfectus tormentorum & machinarum bellicarum, capitaneus de Lartaglaria.
Georgius à Mündehaim, Præpositus iudiciorum, el Alcaldo de la Iustitia.
Bartholomæus Aman, Præpositus castrorum el Præuost.
Philippus à Gelhausen, Præfectus excubiarum septem signorū, quæ sub Conrado Gotzman meruerunt, el Maistro de la Garda.
Sebastianus à Schorndorff, Præfectus excubiarum septem signorum, quibus præfuit Iacobus à Zwerdena.
Ioannes Schmidel tribunus, Magister quartarum.

FINIS.

BELLI

BELLI PANNONICI PER ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC D. D. FRIDERICVM, COMITEM PALATINVM, &c. contra Solymanum Turcarum tyrannum gesti, Liber I.

MELCHIORE SOITERO A VINDA
Iureconsulto auctore.

SI quis uarios Principum Regumq; casus & diuersa fortunæ ludibria, quibus ubiq; gentium rerumq; Dominos misere exercuit fallax nimium & incõstans Dea, animo secum exactius perpendat, mirabitur hanc ausam & in terræ numina, tanta cum insolentia & fastu, utranq; sibi uendicare pa-ginam. Quia etsi Iulius Cęsar, quum olim ad hoc culmen & fastigium rerum, euectus, maris inter procellas periclitare-tur, illam in se tanquam supra humanam sortem positum, nihil posse existima-rit: atq; syderalis scientiæ Matheseos q; illi periti notores, nullam in capita hæ-sacra, stellarum configurationes habere potestatem iudicarint: Noxiam tamen & ijs in præsens Deorum cœlestium nutu cognouimus esse uim, quæ tam bre-ui momento, tot præclaros Principes, uel rupto uitæ filo, humano potuerit cœ-mere consortio, uel sedibus suis eiectos, à dijs patrijs laribusq; procul alienum uertere solum compellere. Defuncto namque Maximiliano Augusto, mox & Leonis Decimi Pontificis Maximi, insequuta est ruina. Crederes ijs ueluti or-bis luminibus extinctis, naturam quoq; omnes suas immutare uoluisse uices. Quandoquidem Dux Vvirtenbergius, audita Maximiliani morte, iustis tus-dum rectè Christiano ritu persolutis, ius humanæ societatis uiolare ausus, au-tis sedibus à Sueuiæ confœderatis pellitur, quem sequutus Daniæ Rex Chri-stiernus, nam dum imperium eius grauius ferũt subditi, regno suo quod æquo iure iam diu possederat excutitur. Pari sorte & Gallorum Rex Franciscus ulus, dum imperij fasces Cæsareumq; diadema Carolo inuidet, collatamq; illi à Se-ptemuiris adimere conatur Maiestatem Ticinensi in agro, Germanis Hispa-nisq; militibus congressus, à Nicolao de Salmen Germano Comite capitur, amissis etiam ex Regulis, proceribus, & principibus suis quàm plurimis. Quę tempestas & in mundi caput urbem Romam, Pontificemq; Maximum Cle-mentem septimum, & sacrum quoq; & purpuratum Cardinaliũ ordinem, non minori quàm olim sub Heinrico in Pascalem desæuit immanitate. Quare cùm Christiani Principes, nunquam antea mutuis armis, & uersa in semetipsos ra-bie: acrius cõflictarentur, noua q; religio, & noui ritus, qui tunc permissas quod-dam liberius forsitan quàm decebat, passim tradebantur, priuatorum mentes adeò peruertissent, ut ij nepharia quæq;, quasi furia quadam infernali, & sæua exagitati Erynni, in Templa, in Deos, & homines, patrare auderent: atq; Ruiili corum manus, tum temporis maximè, per Germaniam motus ingentes, nec Spartaci illius, Euni, aut Viriati, minores, atq; bella plusquam ciuilia commo-uisset, Solymannus Turca, Caspiam concitauit gentem: quæ olim ab Alexan-dro Magno, Macedonũ Rege, longo hinc semota recessu, ferreisq; repagulis Caucasias concluså intra rupes, Christianum sanguinem iampridem, & abeo tempore

tempore quo portas illi Hyrcanorum reserauit Rex, haurire assueta, atq; noua tùm quoq; & recenti de Soldano Aegypti victoria, sua sponte & à natura satis insolens, efferacior facta, uoluntariam hinc odio in nos ducta Vatiniano, & liberam præstabat operam. Aggressus itaq; Bellgradum fortissimum Germaniæ nostræ propugnaculum properè subigit, & Rhodum, ipsum religionis Christianæ scutum hucusq; & antemurale, non multum diu pòst expugnatam, suam redegit in potestatem. Dein nostro malo perpetuò uincere edoctus, Ludouicum Hungariæ Bohæmiæq; Regem, spei optimæ adolescentem, inter Drauum Istrumq; flumina cum paucis & incautius occurrentem, dolo magis & perfidia suorum, quàm uirtute propria trucidat circumuentum: quo uicto Hungariam ipsam ueluti spe omni destitutam celeri itinere percurrens, ignis flamma depopulatur: & præda ditatus ingenti, præsidijs munit firma quæq;, infirma uerò demolitur. Nec diu multúmue cunctatus, ne Germanorum qui Pannonijs uicini tate sunt proximiores, irritaret animos, Thraciam exercitus cum parte citato gradu repetit, quo per hyemen quæ tunc instabat maioribus contractis copijs, futura æstate totam subigeret prouinciam. Sed inter hæc post hunc infelicem Ludouici Regis casum, maximum inter Austriæ Archiducem Ferdinandum, quem nunc Cæsarem agnoscimus, & Ioannem Cæpusiensem Comitem Iazipum Transyluaniæq; Præsidem, de regno Hungariæ oritur dissidium. Ferdinandus enim id dotalibus ex pactis ad se pertinere existimabat: alter uerò Ioannes scilicet comes, illud electionis iure ad se spectare contendebat. Vnde tandem quum uterque sua in sententia persisteret immotus, nec alter alteri cedere uellet, ad arma peruentum est, et bellum planè pernicioſum & exitiabile ortum. Quoniam autem potentia, Ferdinando, Ioannes se intelligebat imparem, prohæc agebantur, ueteris Marcomanniæ populi, antiquo fœdere quod olim prijs uiribus diffisus, externa confugit ad auxilia. Nam & interea tēporis dum scos inter Bohemię Reges, & Austrię Principes percussum fuit, Ferdinandum sibi creauere Regem. Veritus itaq; Ioannes ne regno solùm cui inhiabat excideret, uerumetiam ne & comitatu, quem à maioribus suis habebat hæreditarium, pelleretur, Turcarum tyranni implorabat opem: qui occasione noua, qua sibi ad regnum parari intelligebat aditum, apprimè lætatus, lubens hunc in sum accipit patrocinium. nouerat enim callidus latro ille, quàm multa regna maiores sui, per similes huiusmodi occasiones Christianorum principum è manibus, à Paleologi ipsius atq; Cantacuzeni temporibus usque, iampridem antea eripuissent. Ferdinandus uerò Rex quum incendium illud non suam in pernitiem tantùm, uerumetiam & totius Reipub. Christianæ euersionem, exarsurum præsentiret, sibi quoq; & communibus rebus in tempore duxit prospicien dum. Et quoniam tunc fortè Germani principes, Septemuiríque illi sacrosancti, Panegyrim Spyræ ueterem Nemetum apud urbem celebrantes conuenerant, commodum uisum huic, & hos de ferendo auxilio compellare. Profectus itaque celeriter illuc, rem eis huiusmodi propè uerbis exposuit: Non uos fugit principes magnanimi, Diuum Maximilianum Augustum parentem nostrum, has nobis olim parauisse nuptias, hunc matrimonij illius sanctissimi, inter nos & Annam coniugem, Reginam nobilissimam sponsorem fuisse & Paranymphum. Qui inter cæteras conuentiones & hanc dotalem nobis præscripsit legem, ut si Ludouicum Regem quem tunc unicum Vladislaus habebat filium, sine hærede legitimo decedere è uita cõtingeret, superstite Anna sorore coniugenostra, & ipsa prole fœcunda, uel nos ipsi loco illius & iure maritali succederemus in regnum. Non displicuit id seni Vladislao, & idem quoq; appositis Diplomati sigillis, regni proceres comprobarunt. Migrauit ex hac uita communi fatorum ordine Vladislaus. Nec diu pòst & Ludouicus dira morte (heu hor-

ret animus dicere aut meminisse) à bestia illa Turciaca fuit peremptus, patuit nobis existente conditione, & ex pacto conuento, ad regnum aditus. Sed dum huc iutis suffragio fulti adnitimur, solus Ioannes Vaiuoda, nos hinc, contra omnem rationis æquitatem amoliri conatur: & nec hominum fidem, nec Deûm religionem respiciens, Solymannum Turcam sola inuidiæ præpotentiæ & dominandi libidine ductus, orbis in ruinam & aduersum nos solicitare est ausus. Qui occupatis iam pridem antea firmissimis quibusque, certum nunc miseris Hungariæ populis minitatur exitium. Nisi igitur ijs uestra ope, uestro auxilio, celerius succurreritis, actum erit dubio procul, de tam nobili regno: sed nec uos tum quidem, & Germania uestra, à periculo & interitu longè aberitis. Nam statim ac insigni præsidio illo latus uestrum nudatum fuerit, & fortuna quoque uestra, tanquam in præcipitio posita, nutare incipiet. Nostis enim & uos ipsi exemplis multis admoniti, quàm pertinax sit hostis ille truculentissimus. serpit namq; ignis more, ut plurimum uicina quæq; deuastans. Quare si uos sociorum miseria & infœlicitas, qui hucusq; non secus ac fideles Limenarchæ quidam, pro Imperij Romani & Reipub. Christianæ incolumitate, tam diligenter euigilarunt, nihil mouet: at moueat uos saltem, patriæ uestræ atque religionis communis pietas, & salus: atque arma iam tandem non pro socijs hijs solùm, qui sanguinem suum toties pro uobis, & rebus uestris, uelut largo imbre quodam profuderunt, sed etiam pro uobis ipsis, pro liberis & coniugibus uestris, pro focis & aris, spiritu magno & germano, corripite. Necq enim nunc diutius, & donec hostis intra limites receptus fuerit, expectandum. nam turius longe est, si Scipioni Africano credimus, bellum foris & procul à patria, & in solo alieno gerere, quàm hostem proprios intra terminos receptum, gnauiter sustinere. Dictis hijs. Principes Germani, etsi magnis quibusdam alijs curis detinerentur, nihilominus tamen nec & hanc negligendam duxerunt esse rem. Decretæ itaq; sunt extemplò, hunc aduersus hostem, auxiliares copiæ, & qui ab incursionibus limites tutarentur conscripti milites Præfectus est hijs illustrissimus princeps, Comes Palatinus Rheni Pauariæq; Dux Fridericus. Nam & huic communi principum suffragio, populiq; fauore & clamore, Imperium cum rerum summa oblatum primùm, & demum etiam id iustis rationibus & argumentis recusanti, ob merita & uirtutes, quibus nec priscis cedebat ducibus demandatum est, & esse iussum. Qui quum quale onus humeris suis foret impositum, qualemq; prouinciam subijsset, iam sua pro prudentia secum cogitaret, consilio prius quàm facto opus esse intelligebat: nam tumultuarijs in rebus consilium capere rarò uel temporis ratio patitur: uel loci admittit opportunitas. Ratisponam igitur, ubi quondam Noricorum Regum, fuisse sedem commemorant. Principes qui rei gerendæ, quasi Apocleti quidem, consultores adiuncti erant euocat. Bis illuc conuentum fuit, & bis illinc re infecta discessum. Nam peractum tunc penitùs nihil, nisi quod posterioris conuentus die, duo qui Turcæ in Hungariam obseruarent expeditionem, constituti sunt speculatores, Sebastianus Schitling, iureconsultus insignis & Eques auratus, atq; Christophorus Besnitzer Brunduni Bauarici præfectus, Barbaræ Hunicæq; linguæ, haud ignarus, munia strenuè exequuturi, Budam usq;, quam Sycambriam olim dictam, quidam existimant, progressi, Turcarum Tyrannum, ingenti collecto exercitu, Adrianopoli egressum & aciem Hungariam uersus dirigere comperiuntur, & principi Palatino celeriter reuersi denunciant. Qui cunctatus nihil, trãsuectionem parare, Lustrumq; condere, Magistros equitum. Tribunosq; peditum, ocyus iubet. Et quia uerò hæc tanta cum celeritate, ut rei exigebat necessitas fieri non poterant, ne hostis dilato longius negotio, pro more suo deprędandi inde arriperet occasionem, ut in rem foré uisum, Philippum principem ex fi-

ne

tre nepotem, bello acrem adolescentem patua equitum peditumq; manu, ad retardandum hostilis furoris impetum, præmittit: quem & ipse mox recognitione peracta militumq; nominib. intra pyctatia receptis, toto insequutus est cum exercitu. Egressus itaq; Neomarckt è regia sua. Ratisponam celeriter contendit, & nauibus illic quas diu antea parare iusserat, properè conscensis, una cum tribus fratribus germanis, Honorico Traiectensi Episcopo, Ioanne Ratisponensi Ecclesiæ præsule, & Guelphone quem ueteres, nos nunc Vuolfgangum dicimus, natu minimo Palatino, Danubij per fluenta delapsus, tertia die Lyatium Austriacũ appulit: ubi à Rege Ferdinando (nam is illic tum erat) perbenignè exceptus, atq; ad cœnam omni magnificentia & splendore regali exornatam, honorifice deductus est. Multa coram inter conuiuandũ de belli rebus commentati sunt, seriis tamen his, delectantia quædam, & βιωφελῆ nonnun quam comiter intermiscentes. Post conuiuium à Rege discessum precatus Princeps Palatinus, postera die & sub diluculo abire paratus, quoniam moras negotio inconsulta & indiscussa re discedere. consumpta est igitur tota ea dies consultationibus, & stratagematum ratiocinationibus, & sequẽti primum utrinq; discessum. Comitatus est Rex unà cum Reginis duabus Anna coniuge & Maria sorore, ad naues usq; perhumaniter deducens abeuntem. donauit tamen hunc antea in signum amoris equos duos Argolicos: quorũ alter auro, alter ostro tectus erat purpureo. Equestre sanè hoc & huismodi Principe non indignum præmium, actis gratijs pro morũ ciuilitate sese commendans Princeps, classem Grein uersus, Scyllea rabie famosum oppidũ & uelis & remis impulit, ubi uix egressus nauem Melchiorem de Harstal, quẽ iampridẽ antea, ne quicquam interim dum moram apud Regem traheret, negligeretur, ad Principẽ Philippum, ut Austrę caput urbẽ Viennam præsidio muniret, bellicq; consultores atq; Apocletos iftos Chremsium, ut Closternumburgij Cetium iuxta montẽ, aduentum eius præstolarentur, dimiserat, anhelũ & properantẽ obuium habuit, qui Turcam Solymannum urbi Viennæ exercitu ingenti & innumerabili imminere, hancq; obsidione arctissima undiq; premere nunciabat: quem & mox cornicen quidam, eadem indicans, & ne latius progrederetur admonens, à consulto tibus belli missus, est insequutus. Quibus omnibus territus is nihil, classem parare, arma capere, aciem instruere, bellicaq; instrumenta ex ordine disponere, & Chrẽstium ipsum ocyus iubet appellere, miscebat in diuersa fluminis ripa, perfidissima Mahumeti gẽs omnia cæde, igne, ferro, flamma. Fugiebat misera Christi plebecula, incerta quò se conderet tandem, aut quò euaderet. Exanimes pene omnes, uiri, & fœminæ, infœlicia pignora, charos liberos, dulcesq; penates tanquam medio igne raptos trahebant. Motus hoc miserando spectaculo piissimus princeps Palatinus, & quos re ipsa militis ob paucitatẽ, quum uix sexcentos omni exercitu secũ retinuisset, iuuare nõ poterat, uerborũ tamen benignitate, innata pro clementia sua fouere, & lenire conatus, se horũ & Deum aliquando fore ultorem in præsentiarum adijciens. Et tunc tertium quoq; à Sigismũdo de Vueyxelberg, Equite aurato, & Vagitio Paulo Constantinopolitano, leuis armaturæ ductoribus, quibus & pontis Danubiani tutela commissa fuerat, acceptum est nuncium, quod mox aliud & iterũ aliud est insequutum. Quæ licet omnia, ne latius progrederetur, admonere debebãt Principem, nihilominus tamen sub aurora ipsa uela uentis, se suosq; Deo & Fortunæ commiteret statuit, parauerat iam omnia, & mens erat medios penetrare per hostes: sed quia longe aliter dijs superis uisum, nebula repente & cœlo sereno orta, lucis, & temigij usum nautis ademit. Nam nec tunc Danubij per fluenta ob infames scopulos, nauigare tutum. Inter hæc belli cõsultores, iuncto Bauarico equitatu

peditatûque omni aduenium, indicantes hostem in urbem omnem occlusisse aditum. Hanc neque terrâ, neque aquâ tuto posse aditi, se omni conatu nisos, si quo modo penetrare possent, irrita tamen spe, se penitùs effecisse nihil, interce pisse namq; Tyrannum, classe pontes Danubianos, hosq; iniecto igne Græco incendisse, & alia exercitus parte, totam circumuallasse urbem, habere hunc suis in castris, ultra trecenta millia militum, quibus circumquaq; oppleuisset omnia, se nunc eo retrocedendi cepisse consilium, quò maturius quid in re tam ardua facto esset opus, unà secum deliberarent. Commouebant hęc Principem ipsum non parum, multum angebat animum consanguineus, & ex fratre ne pos Philippus, cruciabat commilitonum infœlicitas, & plebis ipsius quæ un dique cædibus & rapinis exposita erat, miseria & calamitas: infractus tamen, si qua arte, modo, aut ingenio obsessis subuenire posset, usq; cogitabat. Et firma adhuc erat sententia, uel mortem fortiter oppetere, uel interturbatis saltem ho stium cuneis, in urbem prorumpere. Belli autem consultores quum hunc im possibilia cœptare intelligerent, diuersum sentientes, ne se tanto huic periculo committere uellet admonebant. Non enim hic urbis unius de præsidio tantum, sed totius orbis potius de imperio, nunc concertandum: ex suo capite iam non unius hominis aut exiguæ gentis alicuius fœlicitatem, sed Christianæ Reipub. atq; Germanæ nationis, salute ueluti sacra ex anchora dependere: impossibile esse, quod mente concepisset, tam exigua manu hostium castra penetrare, nec id si absq; noxa & periculo fieri possit omni, usq; adeò profuturum, quòd si & ipse quoq; urbis intra septa concludatur, neminem fore, qui tanta cum fide Re gi Ferdinando, Septemuiris electoribus, cæterisq; Germaniæ Principibus & Dynastis, quanto in periculo Respub. uersetur, queat significare: neminem qui obsessis interim donec maiores ex Germania contrahantur uires, consilio, opere aut opera possit subuenire: singulari Deorum prouidentia factum, ut serius & post obsessam primum urbem aduenerit, non spernendum cœleste consilium: melius esse in loco aliquo non intuto residere, & eo quasi munimento quodam se tenere, maioresq; copias operiri, atq; hosti nonnunquam fortius incumben ti, data opportunitate à tergo insultare, sic impios illius conatus facile reprimi atq; obsessos socios, egregiè posse tutari. His & alijs rationibus persuasus, uix tandem quieuit Princeps, atq; apud Chremsium, Stain & Mauteren tria hæc oppida, nisi quod ea Danubius intermedius disiungit, unum uisa, donec spes melior refulgeret, residere constituit: & omnia hæc Regi Ferdinando & Prin cipibus imperij quo celerius fieri possit indicare. Missis igitur undiq; literis & nuncijs, rē quo in statu sit properè significat, admonetq; ut si saluā uelint Rem pub. Christianam, patriam liberā, incolumes liberos & parentes, omni collecto iuuētutis robore, reseratisq; Martis penetralibus, & Argiletei lani apertis tem pli fortibus, impij hostis illius tyrannidi se opponant pro tēpore. Nam rē Chris stianam uix ullo unquam antea tēpore uel Caroli Martelli, uel sub Henrici pri mi imperio, Hunica etiam sæuiente gente, magis acriusq; fuisse afflictā: omnia nunc stare in præcipiti, breui, nisi nouis uiribus fulciantur ruitura. Et quoniam idem incendium, Bohæmis & Morauis cæterisq; Marcomannicę nationis gen tibus, qui omnes olim Marobodui Regis fortissimi agnoscebant sceptrū, uici nitate erat proximum: eosdē quoniā & iam antea in armis esse audiuisset, in au xilium accersire non uidebatur importunū. Præerat hijs tum Regis Ferdinandi loco Ioannes de Berenstain Baro. Scripsit itaq; huic ut & celeriter aduersus hos tem communē, cōmune ferat auxilium, quod & cæteros quoq; Pannoniæ sus perioris admonuit proceres, subijciens ne patiantur metu conterritos incolas diutius palare, sed animis consternatos potius uerbis quibuscunq; in spem me liorem studeant erigere, memores, longe magis timidè fugientibus, quàm for titer

siter pugnantibus mortem pallidam imminere. Decretum erat tum comparato exercitu, Turcarum classem, quę utrumcp pontem occupauerat, ex improuiso intercipere, aut obruere, obsidionis fortunam in eo uerti ratus, si Danubiana præsidia prius intercluſiſſet, ſtatuit igitur uiam ferro in urbem aperire, atque inde obſeſſos, cōmeatu, & alijs ad munitionē neceſſarijs rebus iuuare. Aperuit id clā miſſo nuncio Principi Philippo, quo is commilitones ſuos ad obſidionem atcp res alias arduas conſtanter perferendas animaret: forè enim breui, omnibus portis effunderētur, atcp uictores quidē, & duriſsima obſidione liberati tandē, hoſtium cuneis commiſcerētur. Dum hęc per Principē Palatinum parabantur, non quieuit ediuerſo Turcarū tyrannus, more ſuo circumiacentia quęcp deuaſtare. miſsis namcp leuis armaturę equitibus quibuſdā, nec non claſſiarijs & peditibus expeditis, ueteris luliobonæ per agros Marhafeldiā uerſus, acie directa profectus, infirma aggreſſus, ſolo æquat cuncta. Cæduntur ſenes, rapiuntur iuuenes, mulieres turpia maritorum ſub oculis paſſæ, unà cū liberis intereunt, infantes uel utero ſecti, uel qui matrum adhuc hærebāt uberibus, parentum auxilio penitus deſtituti, ſtipitibus per uicos paſsim ſuſpenſi, dulcē, quam nuper acceperāt, exhalabāt animam. Hęc & alia multa quę nec ſcribere, nec fari fas ſine pietate, diſcrimine, & miſericordia, ab hoſtib. crudeliſsimis ſunt perpetrata: quibus haud immeritò miſera Chriſti conterrita plebecula, ſine duce, abſcp rectore, & magiſtro, errabunda uagabat: quò confugeret, aut quē inuocaret neſcia. Principis tandem quē primùm Chremſium, pauco cū milite aduenisſe compererat, auxilium implorat & opem. Venerunt eodē die trium prælatorū, de Cloſternumburgo, Cetuagio, & Melck (quæ & antea ueteribus ſub Dynaſtis, & priuſquā ad ſacros fuit deputata uſus, arx ferrea dicebatur) legati, precatū idē, indicantes, niſi cœnobia & oppida ipſorū firmo quodam muniantur præſidio, actū iam eſſe, de ſe rebuscp ſuis omnibus: eò namcp Ferentariam Turcarum excurriſſe turmam, & huic niſi celerius militum nonnullorū occurratur ſubſidijs, ipſi tanquam imbelles & armorū inſcij, nō poſsint reſiſtere. Collegerat interea temporis Principis iuſſu, Guilielmus à Buechā, fuga elapſos mille indigenas, quibus dum rectore carerēt, ducem tribunoscp precabatur. Adiunxit igitur hijs opportune quidē, & Dijs ita uolentibus, oblatos ueteranos quoſdam, & Bauarorum ex cohorte lectos nonnullos nobiles, qui unā cum illis prædicta ad loca profecti, ea ab hoſtium impugnatione fortiter ſunt tutati, eadem induſtria & Axpachium, nobile non procul à Spitz oppidulo ſituatū monaſterium ab incurſionibus hoſtium tutū, per loci illius præfectum & illæſum fuit conſeruatū. Tutabantur iuxta Stockorauiam Diui Colomani morte inſignē uicum, cum indigenis locicp incolis Danubij tranſitū Chenringi fratres germani duo, gloria inſignes. Haymburgū uerò pedites ſexcenti, qui quum tātę hoſtium multitudini reſiſtere diffiderent, ſumma rerum trepidatione, deſerta arce, Chorneoburgum ſe conferunt. Vbi quum multa militariter per ſæuitiam in ciues perpetraſſent, à principe in ordinem redire, hijscp deſiſtere iuſsi, minus obtemperantes ademptis ſignis & armis, prouincia ſecedere grauioris pœnæ ſub commina tione iubentur. Ortum eſt proxima nocte & ſequenti Chremſij incendium ingens, quo auctore incertum: multi id militibus ob ignominiam miſsis, multi id hoſtibus in proximo locatis putabant aſcribendū. perierūt eo Conrado Gotzmanno peditum ductori, equi nonnulli & miniſtri non ignobiles. Dum hæc foris agebantur, Ferentarij Turcæ bellico ritu urbi obequitando, integrum per tribuum cuncta perluſtrabant: noſtri uerò ediuerſo mœnium intra munimenta infracta delitescentes uirtute, omnia quæ ad defenſionem erant neceſſaria præparabant. Suburbana igitur quia ampla & imminuta, ne damno noſtris forent,

& præsidio Turcis, diruta sunt & incensa, machinæ & bellica instrumenta, per turres & eminentiora quæq́, unde in hostium castra facilius posset eiaculari, ordine recto disposita. Naues quæ in anchoris iam diu perstiterant, atque Italicum frustra expectauerant militem, submersæ: fossæ post muros ductæ, & aggeres erecti: urbis custodia per stationes diuisa, & ualida undiq́ elocata præsidia: portæ penè omnes præter eas per quas egredi nonnunquam in hostes liceret, latere cocto obductæ, & sic compositis rebus non diu manibus & armis temperatum. Nam mox occupatum castrorum munitione hostem, aggressi exigua manu nostri, collatis ultra uallum & munitiones signis pepulere. Tentatum est idem sæpius, & plerunq́ feliciter peractum. nam cæso hoste plurimo, sine sanguine nostro in urbem reditum. Postremò etiam & Hybrahim Bassa, secretorum Tyranni omnium conscius, dum gratia speculandi Viennæ situm incautius processerat, penè fuit deprehensus. Actum fuisset proculdubio belli de mole, capto hoc, tanquam unico rerum & omnis fortunæ arbitro. quia uerò hunc seruare ad peiora, & Dijs quoq́ ipsis placuit, nostratium manus, & is tunc quoq́ effugit. Bis quidem in huiusmodi eruptionibus à nostris militibus male pugnatum est, semel quum cohortis Ductor Vuolfgangus Hagen, noctu urbem infelici egressus auspicio, ut suos tutò reduceret & incolumes, inter primores impigre dimicans, gregariorum suorum qui ordines turbauerant, inertia potius, quàm fortitudine hostium uictus, ad arcis portam cum ueteranis quibusdam & Hispanis fortiter occubuit. Et iterum semel quum Christophorus Zetlitz Vexillifer quingentorum equitum turma, hostium usque procurrisset ad castra, & captus denuo nimia multitudine circumuentus, cum sex commilitonibus suis, qui & in acie cæsorum commilitonum suorum, atque leprosorum quatuor, quos per summum scelus trucidauerant Turcæ, capita contis præfixa gestare sunt coacti, in Tyranni perductus est conspectum: à quo multum de Regis Ferdinandi absentia & rebus, multum etiam de principum animis & instituto, quibus urbis tutela commissa erat: hanc ne contra tantam potentiam ipsius seruare sperarent? interrogatus, aptè & prudenter respondit: Ferdinandum Regẽ non admodum procul hinc abesse. Nam iustum expectantẽ exercitum in Lyntio oppido residere. Decretum enim huic, per Germaniam, Bohæmiam, & Marcomanniam, communi omnium consensu, auxilium maximum. aliquantisper igitur si uter bello plus ualeat experiri libeat, & donec conueniatur expectandum Regem neq́ abfuturũ diutius, neq́ sæuam Martis aleam detrectaturum, maturare enim & hunc rẽ, & has nationis omnes iamdudum ad arma conspirasse. De principum uerò animis & instituto scire quod uellet, sibi parum liquere: sed hoc unum constare, Principes hos & reliquos cõmilitones omnes, summos & imos, conceptis iuramenti uerbis, iampridẽ uouisse, uel urbẽ tueri magnanimiter, uel suprema quæq́ perpeti, & diram mortis necessitatẽ fortiter & Saguntino more obire. Frustra itaq́ eum tot bellicosissimis illic præsidentibus uiris, (quod uenia sua dictum uelit) prædę huic inhiare, quum illis spes omnis, ueluti quondã Spartiadis ipsis non in mœnibus & muris, sed in armis & uirtute posita sit. Adesse enim illic intra urbis mœnia cum Principe Philippo Nicolaum de Salmen Comitem, Gulielmum de Rogendorst, Leonhardum à Fels, & Eckhardum de Rischa, bello omnes inuictos heroas, & magnificentia rerum gestarum insignes & claros bellatores, qui non facile ad quemuis leuis auræ uentum soleant concitari, Ad quæ etsi commouebatur aliquantulum Tyrannus, dissimulato tamen calore, pauca hæc tantum intulit: Se hucusque multis cum gentibus congressum, uictorem fuisse semper, nec labores suos antea unquam frustratos, quare ne & nunc quidem de uictoria & belli fortuna, quamuis sæpius sit anceps & dubius Martis exitus,

tus, desperare. Cæterùm nosse hunc & alios unà secum captos, se uitæ illorum iam & necis liberam habere potestatem, & uitam si uelit nunc eis posse auferre: hanc autem hîjs, quoniam & uictis hostibus ignoscere sciat, iam ultro donare, urbis uerò defensoribus, illuc reuersos uerbis suis iubet nuntiare, urbem illam quam tamen aduersus tantam potentiam, cui nec Taurinum nuper, nec Rhodos clara restitisset, tueri aut defendere esset impossibile, ipsi traderent: certasque pacis conditiones & leges, quas ipse dicturus esset, susciperent: tractaturum se de hîjs extra urbis mœnia, ne militum uulgus impium quid interim aut crudele admittat. Difficile enim esse id à sceleribus & impietate cohibere: cum abire, confidant itaque clementiæ suæ & omnia candida futura, si eos sibi ipsis & rebus suis rectè consulere, si pro tempore, & priusquam Martis sæuitia latius euagetur, ad benignitatem suam confugiant serò nimis hæc post exitum uictoriæ expectari, ubi nil, nisi mors atra, cædes certa & exitium miserabile soleat imminere. Quare perpendant secum exacta trutina rem diligenter, ne id quod eis per indulgentiam nunc ultro offeratur, posthac precibus nequeant impetrare. Decreuisse se omnino hinc non nisi expugnata urbe discedere, & subacto toto terrarum orbe, in patriam regiamqûe Constantinopolim redire. Quemadmodum enim duobus solibus, Alexandro Macedone teste, legitime regi non possit mundus, ita duobus regibus non queat recte gubernari. Vnum esse omnium in cœlis Dominum, se unum in terris Gentium omnium Principem futurum. Dixerat hæc, & continuò retento unico Vexillifero, cæteros omnes & aureis tribus Hungarici ponderis singulos donatos dimittere iussit. Reuersi in urbem summo gaudio excepti, grauia hæc & imperiosa Tyranni mandata referentes, Principibus exponunt: qui surdis auribus excipientes, ad hæc respondere quippiam iudicabant indignum. Quare quum se amplosacq; & magnifica uerba illa sua contemptum iri, sibiqûe à nostris nihil responderi intelligeret, animo & ira æstuans, diu noctuq; uolutabat, quomodo urbe potitus, cõtemptam suam ulciscereturMaiestatem. Visum itaq; hanc summa ui & conatu omni oppugnare. Sita est autem Vienna quinq; millia passum à Cetio monte, ima in planitie, Flauia à gente quondam dum Pannoniæ terminos Romani, Barbarorum aduersus incursiones tutabantur condita, & ob memoriam nominis tanquam positum monumentum Flauianum, olim ab aris Herculis, Alexandri aut Bacchi rituibi conditis, appellatum: nunc uerò Vienna prima syllaba ommissa, uel à torrente, qui eam à meridie imbribus auctus preterlabitur, sic dicta. Quæ licet Septentrionem uersus Danubij fluminis obiecto firmior aliquantulum reddatur, reliquis tamen ex oris neq; arte neq; natura usq; adeò est munita. Nam fossæ ante mœnia si quæ sunt, siccæ, & nullius lateris liquore perfusæ, facilem oppugnantib. præbẽt ascensum, & mœnia ipsa, quamuis coctili laterculo sint constructa, turrium tamen propugnaculis hostilem aduersus uim & iniuriam non satis sunt firmata: quia & hæc nec lata, uegionibus uineis admotis, cuniculisq; & subterraneis meatibus actis, muri nitebatur subuertere fundamenta: quos fomentis, sulphure, bitumine & puluere tormentario farserat, ut igne admoto militem suum, quem undique in aciem eduxerat, tanquam fumi nebula tectum, urbis intra munitiones ingenti ruina perfactas, facto impetu deduceret. Sed præsides dij atq; tutelares loci, auctore Christo, suorum miserti, crudele illud & impium Tyranni detegerunt consilium. Capti enim per opportunè & secreto quodem fatorum ordine transfugites, uerum profari tormentis coacti, proditionis præmio accepto, urbis ædificia incendere se pollicitos fatebantur, ut dum intus ad arcendum concur-

reretur incendium, ipse interim foris, nudata suo præsidio occuparet mœnia: indicabant idem & Turcæ à nostris militib. depræhensi, & idē Fridericus Princeps misso clàm nuntio admonebat: Vnde facti alacriores nostri, nihil laboris aut curæ ulla ex parte remittebant, atq; longe maiori quàm antea diligentia intra urbem stationes, ante portas custodias, & post muros peragebant uigilias. Et tum demum qua ex parte murum suffodere niteretur animaduersum: doli detecti, atq; fodientium elusa opera. Quicquid enim ab hostib. illuc unquam congestum, id totum à militib. nostris contrarijs & transuersis cuniculis aut meatibus actis, ui raptum, aut solertia quadā & astu ablatum: & hostes etiam ipsi nonnunquā, qui se tentandæ fortunæ gratia illic condiderant, grauiter afflicti, inania cœpta Tyranno & uanos labores referebant: qui ut & hoc sibi parum feliciter procedere sensit, quadrifariam diuisum exercitum, & senas sibijpsi succedentem in horas, continuato die ac nocte prælio, urbem iubet oppugnare, & fossores interim in auersissima munitionū parte, cuniculos numero plures agere, ut sic uel perpetuis laboribus exhausti, atq; paucitate milites nostri uicti, loca deserere cogerentur: ut operis à sensu, armorū strepitu & dimicatione auersi, actos cuniculos non sentirent. Non fuit uana spes Tyranni. nam statim ac signum inuadendi Turcis datum, & à nostris inter mœnia ad arma concursum, suffossus & crebra ui pulueris impetitus murus, tribus ex oris ampla patefacta fenestra, corruit. Vnde ingenti sublato clamore connixi primò Turcę, & agmine densato patentes muri aditus, per ruinas magno molimine gradientes, oppugnare incœperunt, atq; nostros omni glandium ac telorum genere imperere & urgere, nostri uerò ediuerso primo in limine immoti, & animo infracto stantes, insultantium impetum sustinere, atq; hostes ipsos lancearū contis tormentorumq; globulis, fortiter excipere conabātur & arcere. Illi Germanorum ac Hispanorum militum ardorem, micantemq; ira uultum, nō maiori constantia ac Samnites olim furentia Romanorum ora ferre, sed mox impulsa à fronte tantum acie, omnes retroire. Germani Hispaniq; milites erumpere, trepidantes à tergo cędere, & si quos maior solito audacia ad altiora urbis mœnia euexerat, ad ima pręcipitare: Tyrānus fortes pristinę uirtutis & gloriæ admonere, labore & uulneribus fessos reficere, atq; subsidijs nouis fulcire, ignauos increpare, & demū omissum prælium redintegrare: hi uerò rem non alia uirtute quàm antea gerere. Nam accepta clade maxima etiam postremò imperij & ordinum immemores, ex acie auffugere. Pudebat ignominię, quā nō ad urbis unius modo expugnationē, sed ad uniuersi belli summā pertinere existimabat, Tyrannum. Et iam si quo modo gloriam recuperare, clademq; acceptā memorabili quadāte, & facinore aliquo insigni, abolere posset, anxius et furibundus cogitabat. Indignū uidebat̄ tot consumptis & exantlatis laboribus, cœptū opus deserere, econtrà uerò periculosum tot pręstantes & bellicosos uiros, temeraria urbis unius in oppugnatione deperdere. Placuit tandē paucis diebus interiectis, & donec animos & uires resumerent milites, armis tēperare, & denuo reparatis primùm & cōpositis omni studio rebus, summa ui & omnib. copijs circumuallatā corona urbē iterū inuadere. Eductus itaq; in aciem & in stationes, unde tutius prorumpere posset miles, qui & iam ad signa elocatus consistebat: ut nostras cohortes tanta alacritate, pro muris & mœnibus excubare conspexit, totus animo frangi cœpit, & trementib. genubus collabi. Sonabant iam utrinq; classicum æneatores, & ad belli munia fortium animos incitabant, sed Turcæ metu exanimes, non secus ac conspecto Persei quodam spectro, in saxa mutati, persistebāt immobiles. Compertum tunc, ut sæpius antea, illud Catilinæ dictum quàm uerissimum: Verba uirtutem non addere, & Imperatoris orationem ex ignauo strenuum & timido fortem non facere. Quoniam, etsi hos ad omne imperium sur-

dos

dos iam & pertinaces, non uerbis tantum & lenta uite, ut quondam apud Romanos moris fuit in ordinem cogere, uerum etiam & strictis gladijs & accynactibus nudatis Tyranni iussu, uerbera multa intentantes, urbis in oppugnationem adigere niterentur, Zumbassi ipsi & tribuni militares, ab inuitis tamen & à superioris certaminis memoria pauidis adhuc, nec oppugnationem nec operam aliquam aut obsequium militare extorquere potuerunt. Totũ sic exactum est triduum, ut hij ante castra, & extra uallum sæpius educti, sæpius in agmina & aciem coacti, stupidi penitus, & absq; omni aculeo, & tanquam primo insultu totum uirus semel profudissent, sua in pertinacia perdurarent. Quum igitur tyranus Gyngisheros illos suos, in quibus omnis belli & uictoriæ spes non secus ac Triarijs olim situata & reposita erat, æquè ac gregarios milites & mercede conductos, quos Asapides uocare solent, animo consternatos, & diuturna obsidione & longa profectione pertæsos animaduerteret: Regemq; Ferdinandum iam & Principem Palatinum, ingenti Germanorum & Bohæmorum robore ceruici suæ, suo tergori audiret imminere, timore perculsus, fugam cœpit meditari, & obsidionem, hyemis ante aduentum, quam nec sui tanquam Asiatici molles & frigoris impatientes ferre poterant, dissoluere. Aduocatis itaq; in concionem Visiheris, Beglerbegis, Bassis, Sansachis & Zumbassis, atq; alijs tribunitiæ aut alterius cuiuscunq; militaris potestatis hominibus, habita oratione, hunc propè in modum disseruit: Audimus commilitones, Ferdinandum Regem atq; Fridericum illum Palatij Rheniq; Principem, conscriptis atq; ueteri sacrata Samnitum lege initiatis, per Germaniam Boihæmiam & Marcomanniam, aduentare exercitibus, & utranque Danubij fluminis secundùm ripam, nos contra infestis signis contendere. Quod quidem summis uotis optabamus antea, id nobis iam serò nimis, post tantam militum nostratium pertinaciam uidemus ultro obuenire. Nam si iusta acie cum hijs nunc fuerit decertandum, uix æquo marte in tanta militum pertinacia depugnabimus. Quàm enim periculosum & difficile sit, inuitis ac repugnantibus militibus prælium inire, atq; ancipiti belli fortunę se committere, uos ipsi longa experientia rerum edocti iam pridem nostis. Quare quum non minor sit uirtus adempta opportunitate, armis nonnunquam temperare, quàm oblata occasione hosti magnanimiter occurrere: decreuimus tandem obsidionem hanc, quam & uestro consilio nuper suscepimus dissoluere, militemq; ipsum pro tempore & priusquã frigoris & hyemis intemperies abeundi facultatẽ adimat, in portũ & hyberna reducere. Vestrum aũt erit hæc omnia, ne uel miles animaduertat, aut hostis præsentiscat, summo silentio, Minotauri symbolo moniti, cõtegere, atq; educto iterũ in aciem stationesq; milite, oppugnationem uestra de industria fingere, ut hac simulatione tuti nos interim cũ sacrinis cum impedimentis & grauioris armaturę militibus sensim hinc subducere, & uos deinde tanquã uelocitate corporũ aeleuitate armorum, ad accelerandum iter expeditiores, facilius subsequi possitis. Ita enim fiet ut metu dubius hostis mœnibus egredi non audeat, & exercitus noster incolumis ad tutiora euadere queat. Gnauiter exequuturi mandata duces illi & tribuni, corpora milites ueteri Græcorum more curare iubent, & arma expedire, atq; dein quumprimũ classicum intonuerit paratos adesse. Cessatum est utrinq; ab omni opere bellico biduum, & ad noctem demũ tertiam sequentem, dato prodeundi signo in aciem reditum, ordines instructi, agmina in suos apparatu expedita. Stabãt extra uallum Turcæ, uix arma manibus retinentes tremuli, cuncta quæ simulabantur ex uerò agi existimantes. Nostri autem intra muros quamuis consiliorũ tyranni penitus ignari, nihil remissum aut humile cogitantes, actis diligenter pro tutione mœnium custodijs, atq; muri ruinis

sedulo refectis, hostis aduentum expectabant: decantantes etiam lætí interim, non ueterem illum Germanorum baritum, sed hymnos sacrosanctos & Chri-
sto suo dignos uersiculos, præsagientibus forsitan animis finem nunc adesse la-
borum. Fit enim sæpius ut & nescia mens humana, quasi Numine quodam ta-
cta, diuinitus futura prænunciet. Collato propè pede & ex propinquo posthac
pugnatum nunquam, sed omnia bombardis & machinarum tormentis eminus
acta. Tegebatur cœlum densa glandium & missilium nube: tremebat tellus &
ingenti xdito mugitu mouebatur: uulnerati multi, cæsi, aut fœdè lacerati, tor-
mentorum ui & impetu tanquam turbine rapti, mediam aëris per regionem fe-
rebantur. Cecidit eo in tumultu dum incautius progreditur, Natoliæ præses,
summo tyranni atque suorũ omnium luctu, fulmine Caranthiaca è turre misso
letaliter ictus. Motus hoc infortunio tyrannus, incensis statim prima sub uigilia
castris, institutam antea accelerat abitionem, quod tamen ne foret inultum, mi-
seros prius Christicolas, quos sors iniqua captiuitate inuoluerat, contra ius
gentium & phas omne, crudelitate summa coram mactare iubet omnes. Audi-
tus est morientium eiulatus & clamor, nostris à militibus, intra urbis mœnia,
nescientibus tamen quid ageretur, donec postera die exorta, hostis fugam ani-
maduertêre, cæsorumq; corpora passim castrorum per planiciem dispersa repe-
rierunt. Miserandum hoc quidem & triste spectaculum. Iacebant mixtim san-
guine uulneribus & cruore fœdati, uiri, senes, iuuenes, pueri, matres (neq; enim
sexui uel ætati pepercerat, ferina belluæ illius rabies) sed erit hoc spero non im-
pune. Deus enim faciet ut iuxta Ezechielis Prophetæ uaticinium, martialis
Germanorum manus, de patrato tam iniquo facinore, condignum aliquando
sumat supplicium: tyrannumq; illum non secus quàm Tamberlanes Scytha, Pa-
zaitem olim cauea inclusum aureisq; cathenis uinctum, orbi exhibebat deri-
dendum spectaculum: quod propè fore Carolo Imperatore, & duce Cæsare
Ferdinando, ueterum oraculis admoniti iampridem auguramur. Nam & hoc
his deberi palmarium, multa ante sæcula nec gentium quidem tacuerunt Di-
Si enim candidissimo rerum Augustalium scriptori Suetonio Tranquillo cre-
dimus, ducentis annis Galbæ ante tempora à fatidica quadam puella, Cluniæ
cíq; Iouis sacerdote pronunciatum fuit: oriturum quandoque ex Hispania
Principem, dominumq; rerum. Quod licet tunc temporis quidam ad Galbam
ipsum, quoniam maiores eius hac in prouincia præturam, & ipse quoque pro-
consulare gesserat imperium, referre uoluerint, ego tamen id ad inuictissimos
pientissimosq; Principes hos iudico referendum: Schiltpergij illius nobili du-
ctus Historia, qua indicat se quondam ad Nicopolim unà cum cæteris Chri-
stianis militibus profectum, illicq; affecto Sigismundo Imperatore insigni illa
clade, ab immanissimis Turcis fuisse captum, & belli iure serui loco habitum,
per triginta captiuitatis suæ annos diuersa loca peragratum, peruenisse tandem
ad Abrahami Patriarchæ Ilicem, in ualle Mambræ Ammorræi, iuxta curiam su-
am, ubi & supremum mortalibus expectandum iudicium, mundi sub origine
deplantatam: quæ à Gentilibus sacrosancta ideo habeatur, & solenni quodam-
modo consecratione ueneretur, quòd particula de hac quantumuis minima col-
lo suspensa, regio siue Herculeano medeat morbo. Vnde & factum, ut & hæc a
Sarracenis & Mahumetanis muri ambitu circumsepta, peruigili custodiatur cu-
ra: & Turcarum tyranni huius titulo se hucusque uoluerint præsigniri, exaui-
se hanc Christo Deo & saluatore nostro, crucis in lignum elato, & eam antea
priusquam uictor ille gentium, missus ab Occidente imperator, uirtute & armis
illuc profectus, rei diuinæ mysteria cærimoniasq;, & omnem purioris Christia-
nismi cultum ex integro restituat, reflorere non posse. Et id non tam nostrorum
assertionibus, quàm etiam Gentilium & Sarracenorum comprobatum prædi-
ctionibus

ctionibus: quod & uerum esse Diui Hieronymi, Beati Isidori, Egesippi & Iosephi Iudæi credere inducimur testimonijs. quibus & sacræ quoque astipulantur literæ, quæ & Ilicis illius siue Therebinti, ad quam tres Angeli Domini Abrahamo quondam apparuerint, meminere. cum quo & Flauij quoque Vopisci in Floriani Imperatoris uita adductum conuenit uaticinium, palàm & omni uerborum absque inuolucro confirmans, nasciturum aliquando ex Pannonia Principem, & Iudices Parthis, & Persis, qui Francos & Alemannos, sub Romanis legibus habeat, qui per omnem Affricam Barbarum non relinquat, qui Taprobane præsidem imponat, qui ad Romanam insulam proconsulem mittat, qui Sarmatis omnibus Iudices, qui terram omnem quam Oceanus ambit, capitis omnibus gentibus, suam faciat: postea tamen Senatui reddat imperium, & antiquis legibus uiuat, ipse uicturus annis centum uiginti. Taceo interim & lubens prætereo Methodij, Cyrilli, Rupæcissæ, Merlini, Brigittæ, Ioachimi, Alsanfredi & Torquati, atque aliorum multa non è Druidum quercubus, aut Corthina Cynthij elicita responsa, sed pijs mentibus spiritus instinctu cœlitus enunciata oracula: quæ omnia tanquam ore uno prolata, hijs Principibus Orbis deberi imperium profitentur. Sed de hijs satis. redeat igitur nostra unde digressa est oratio. Soluta itaque urbis nobilissimæ per tyrannum crudelissimum obsidione, Hybraim Bassa consiliarius intimus & secretorum omnium unicus arbiter (nemo enim in admonendo hoc uno ius maius, aut libertatis plus habebat) collectis leuioris atque expeditioris armaturæ equitibus, compositisque ex arte & industria subsidijs, præcedentem à tergo integrum per diem suum tutabatur tyrannum, qui correptis repentè signis, tanta cum acceleratione illis hinc profectus est, ut & urbes & oppida omnia, quæ improuiso metu & tanto rerum tumultu perculsa, imperium acceperant, & deditionis uelamenta oleæ ramos scilicet, & portarum claues obtulerant, nullo uel stipendio uel præsidio imposito, intacta reliquerit: & quinta post abitionem die Budam Hungariæ trigintaduo milliaribus Germanicis à Vienna distantem, omnibus cum copijs perueniret: non minori cum dedecore & turpitudine ex Germania tunc (quam triennio, quum tamen Romani hanc ducentis & decem annis uix triumpharint, subigere certo sibi persuaserat) quàm quondam Xerxes Persarum Rex cum tam numeroso exercitu è nobili Græcia aufugiens, amisit tam celeri ex profectione suorum quàm plurimos. Quorum cadauera unà cum ingenti Camelorum & bestiarum numero strata passim per itinera fuerunt reperta, ui frigoris, hyemis sæuitia, & famis diuturnæ tolerantia iamdudum antea emacerata. Petierunt nostri, antiquam legum contra constitutionem, qua (Triphonio teste) cautum fuit, ne captiuorum ratio haberetur aliqua, aut cum hoste de hijs ageretur quicquam, captiuorum permutationem, inducti ad id, non tam suorum misericordia, quàm captorum Turcarum perpetua precum instantia. Misso nuncio à Bassa Hybraimo tyranni loco contra morem responsum perbenignè, posse si uelint, absque omni periculi metu, de hijs qui agant, transmittere. Se enim neque ad prædam neque ad urbium uenisse euersionem, sed ut Regem Ferdinandum tamdiu expectatum, & nusquam comparentem ferri uirga inuiserent: concessisse iampridem nostratibus nonnullis absque omni redemptionis precio liberam redeundi postliminio facultatem, quod ut & ipsi faciant uicissim, rogare. Nam Martis aleam eò nunc progressam, ut hoc commercij genus inter ipsos futurum sit quotidianum. Nuncium ipsum Baptoserica, & Zetlitium Vexilliferũ, quem in eruptione captum iam supra diximus, aurea ueste donatos dimisit, & suis nunciare iussit, se omnia posthac, quoniam & hosti fides seruanda bona & Attica tractaturum fide. nam quod præsidijs Budam elocatis, pacta conuenta nuper non sint seruata, id non

Turcis

Turcis ipsis, qui fidem semel datam fallere non norint, sed Germanis ipsis potius qui perierint imputandum: ueritatis tamen sine ratione hæc. Certum enim est hos, contra ius & phas, fidem præstitã & pacta manu subscripta tyranni, unà cum Ducibus duobus Christophoro Besserer & Ioanne Traubinger, inermes iam & deditos, à Gyngisheris fuisse trucidatos. At quis in Cylice fraudem, in Thrace commentum, & in Turca huiusmodi miretur mendacium, quum hij et ridendo & per ludibrium fidẽ fallere soleant? Præclara tunc maximè per omne obsidionis tempus, Principum Palatinorum Friderici et Philippi uirtus illuxit: qui inter cæteros, quamuis multi illic egregij, insignibus cp facinoribus & rebus gestis præstantes adfuerint bellatores, uelut inter ignes Luna minores emicuerunt. Nemo enim hijs unis uigilantior, nemo laboris & periculi tollerantior: neq enim ullis molestijs exhauriri poterant, aut curis uinci, sed omnia circumeuntes, omnia perlustrantes, nunc boni militis, nunc optimi ducis aut imperatoris munere fungebantur: strenuos comiter compellabant, saucios & egrotos fomentis & pecunijs mirè confouebant & iuuabant, ut planè auitam militarem in hijs cognoscere potueris, & Palatinum ingenium perspicere. Quare quum alter foris, alter intus, urbem tanta conseruasset industria & uigilantia, conuersi in eos omnes, hos Seruatores patriæ, hos σωτῆρες & parastatas appellabant. Vnis hijs omne quicquid unquam magnificum gestum erat tribuentes & acceptum referentes. Nam & crebræ inter hæc urbis ante liberationem à Turcis factæ excursiones, tanta nostris à militibus Principis Friderici auspicio repressæ sunt fœlicitate, ut nisi cœlestium id tribuatur benignitati, ueri fidem, atque credulitatem superare uideatur omnem. uicit mille Turcas, triginta naubus Danubium transgressos, Marafeldiæ per agros rapientes & incendentes omnia, ad Stockorauiam, Iulius de Hardeck Comes, ducentis cũ equitibus missus, in quos quia tum primum sub oculis ipsius arcem & uicum Schmida incenderant, iusto animi dolore commotus, equites tanta concitauit uehementia, ut hos propè prius ad internitionem cæciderit omnes, quàm hunc ipsi adesse præsenserint. Amisit tumultuaria hac pugna, præter unum cui Coborle nomẽ, fere nullum penitus neminem, & hunc tamen morientem non inglorium. Nam is ut primum mutuum peruentum fuit in conspectum, equum tam acri impetu, calcarium stimulo in hostes adegit, ut per medios & fuga iam effusos, ad naues usque præter omne negotium proruperit, & unam ex hijs secum, in quam hostibus grauem et repletam desilijerat, ad fluminis ima demerserit, sponte morientibus & non secus ac si ueteri Decij alicuius, aut Codri ritu, super telum pedibus subiectum consistens, præfante pontifice solennia uoti uerba, patriæ pro salute caput suum deuouisset. Occidit partim fudit & cepit, Caspar Erlebeck à Trauntz ad Treselmauri pistrinum, quod direptum incendere moliebantur, trecentos ultra Turcas, decem cum equitibus tantum & peditibus prætorianis sex, inopinantes adortus, Leonidæ Spartiadum duci haud absimilis, nisi quod is medios inter hostes concidit, ille uerò trophæa ad suos lætus & uiuus reportauit. Multi hostes à leuis armaturæ equitibus, quos Hussaros barbaro appellant uocabulo, confossi sunt, multi capti, & ad Principem Fridericum uiui perducti. Multi etiam quum aliquando ad templi cuiusdam turrim, nephasti ex sacro, uitæ quæritantes præsidium, confugissent, à Georgio de Leuchtenberg prouinciæ præside, Sigismundo à Vuolfgango de Vueyx, Bauaricorum equitum præfecto, Corneomburgum iuxta, ubi Principis iussu præsidebant, Tyranni subiculis, & toto propemodum Danubij ex ripa spectante exercitu, cæsi sunt & ignis fumo, non aliter ac quondam Alexandri Seueri Imperatoris iussu, fumitenditores enecati. Liberata autem sic, ut iam dictum est, obsidione Viennæ & rebus hijs ita insigniter gestis, Princeps Fridericus, illuc quàm maximis po-

fuit

tuis itineribus contendit, eo animo atq; instituto, ut iunctis utrinq; copijs cum hoste, si is pugnam non detrectaret, acie confligeret, uel saltem postremum agmen præcurioribus, si fugientem consequi non quiret, incesseret aliquantulum & carperet. Quare mox ut Viennam uenit, milites conuocare iubet, atque numerum eorum tribunos inire. sed uix cœpto lustro, Gregarij statim tumultuari, stipendium quintuplex ob egregiè defensam urbem poscere cœperunt: commeatuumq; omnium quos per obsidionis tempus insumpsissent, gratuitam remissionem exigere. Princeps eos primum leniter & innata pro clementia sua admonere conabatur, ne partam tanto cum decore nuper gloriam, tam atrà nota uellent defœdare: demum etiam adhortari & precari ab hoc rerum tumultu desisterent, nec egregium illud & nobile quod ipse instituisset opus iam præpedirent. Fateri quidem se eos omnes ob nauatam in defensanda urbe fortem operam, præmio & obsidionali corona dignos: importunum tamen esse hijs fruolis contentionibus, tempus nunc terere. Nunquam enim antea magis quum hostis interim elabatur, nocuisse differre paratis. Sibi igitur credant, se namq; sedulo & diligentia summa curaturum, ne insignis eorum uirtus maneat indonata, modò in præsentiarum pareant & obsequantur. Monuit hos nihil Principis benignitas, sed maiori cum importunitate æra militaria & stipendij auctarium flagitare instabant, & quum ad molliendam illorum pertinaciam, Ductores quosdam hijs longa per militiæ tempora notos demisisset, accensi acrius ira magis sæuire, postremò quoq; proiectis sarisis atq; lanceis suis, Ductoribus circumuallatis, nouocyus æra dentur, lymphati & furibundi mortem minitare. Protracta est huiusmodi concertationibus usq; in serum tota dies, & tunc primùm discessum: sed mox postera luce uix dum recte exorta, eò iterum reditum, & tum quoque perniciosum diripiendæ urbis consilium pereos ferebatur initum. Quare quum nec imperium apud hos ualere ullum perspiceret, atque se & socios omnes & urbem ipsam in summo periculo, in summo discrimine uersari intelligeret, festinandum duxit, & insano illorum furori antequam maiorem erumperet in sæuitiam occurrere. Ad compescendum itaq; eorum tumultum, triplex hijs pactus est stipendium: sed serò nimis id tum erat, quia hostis interim ad tuta, & unde eum consequi haud erat possibile, euaserat. Laxauerat animos forsitan nimia idem sub tempus indulgentia, necnon & rei militaris, dum hostis foris acriter urgeret, satis licenter habita disciplina. Non mansit tamen id impunitum, quoniam etsi facinus illud non eadem sæuerit ate, qua olim huiusmodi mala expiari solitum fuit, decimatione uel crate sit uindicatum, in capita tamen seditionis, atq; auctores nonnullos tanti criminis ultore gladio grauiter fuit animaduersum. Fœdæ multæ ea tempestate exortæ sunt tempestates, morbi uarij præsertim per Germaniam incogniti, pestilentia ingens, nec non per multos annos continua propè rerum omnium ad uitæ humanæ usum pertinentium inaudita charitudo: quibus prodigia multa. Deorum in nos iram significantia, accedebant. Nam Viennæ diu antea, tres soles unico arcu inclusi, integrum per diem in cœlo splendere uisi. Luna sanguinea maculata cruce pernox constitit, trabs ingens & trecentorum passuum longitudine, diui Stephani Prothomartyris, atque urbis illius numinis tutelaris, per templum ducta, prima post meridiem hora comparuit: humanas hęc terrifat uerè mentes. Ad Deûm igitur concursum, delubra, & obsecrationes insigni animorum facta deuotione: id saltem impetrauere: ut cernum, quod passim imminere ferebatur, ab urbe & Orbe, Friderico & Philippo Principibus Palatinus auctoribus, ueluti Dioscuris quibusdam, pellere-tur exitium.

DE BELLO PANNONICO

LIBER SECVNDVS.

INTEREA dum hæc in Germania Pannoniaq; agebantur, Imperator Augustus citeriori aberat in Hispania. qui statim ac dehijs certior factus est, compositis domi rebus in Italiam, quæ bellorum ad huc fluctuabat tumultibus, magnis itineribus contendit: & pacesta hac, militem qui illic ab eo, quo Rex Gallorum captus est, præfederat tempore, secum arripit, & transcensis Alpibus, qui Rhętos Vindelicosq; uereri à Germania disterminant, in Pannoniam progredi sæuientiq; hosti occurrere statuit, sed Alpium fauces nondum ingressus, hostis abitionem tumpemq; fugam & reliqua omnia ut acta erant comperit. Quoniam uerò hostem hunc quasi dulci illecebra quadam inescatum futura æstate rediturum certò sibi persuadebat, animo secum, quomodo impijs illius conatibus posset resistere, cogitabat. Impossibile uidebatur dissidentibus inter se atque mutuis armis contendentibus Principibus Christianis, egregium quippiam aut magnificum perficere: nam discordia ipsa, ut plerunque aliàs ita hoc tempore exitialis maxime iudicabatur & perniciosa. Placuit itaque ante omnia nouum illud dogma, ueluti certum quoddam discordiæ seminarium mentibus hominum reuellere, atque discordantes Principes, qui ab inani uerborum pugna ad armorum peruenerant insaniam, tanquam reparato ueteri Athenienſium fœdere & ἐυνοσίᾳ ipsa renouata, in unitatem concordiamqûe reducere, atque edicto publico conuentu, Augustam Vindelicorum, antiquissimam quondam Romanorum Coloniam Principes imperij euocare: quò ut ueris sub initium Septembris uitri electores, alijqûe Principes, Dynastæ ac proceres unà cum ciuitatum legationibus, Maiestatis imperio obtemperantes conuenere. Curiam ingressi & habito senatu in primis noui dogmatis de religione rem ordiri cœpere, & ipse Imperator Augustus tum Saxonum Principem cum suis adhærentibus manere iussit: Dogma illud nouum quod ipsi sectarentur à lege diuina planè esse alienum. pugnare enim id ueluti ex diametro honestiori ueterum doctorum cum disciplina, nec cum bonis moribus aut sacrosanctis Ecclesiæ traditionibus aut institutis conuenire. Desisterent igitur nec tam friuolè à Christiana unitate discederent, quã cœleste Numen ueritatis spiritu tam egregiè & prudenter à mundi initio confirmasset, Prophetæ sancti & Patriarchæ diuinitùs & eiusdem numinis instinctu afflati docuissent, martyres & Christi beati confessores felici sanguinis sui profluuio comprobassent, & quam tandem etiam piarum mentium, Patrum quoque & maiorum nostrorum unanimis consensus per tot secula & annorum reuolutiones laudassent pijssime & adorassent. Neigligentur hijs omnibus plus, sed ad sobrietatem tantùm quod & satis esset sapere. & si hæc eos parum forsitan commouerent, cogitarent saltem quàm ingens malum esset, statum publicum, otium commune Christianæq; rei tranquillitatem perturbare, præsertim hoc tempore iniquo, quo hostis Turca iugulo nostro intentus, nos tam acriter armis nunc undique impeteret & urgeret. At hij in eadem perseuerantia, in proposito & animi sententia immobiles perstitere, indicantes etiam se à Christi doctrina Euangelijq; ueritate recessisse nunquam, & doctorum suorum dogma cum Apostolorum traditionibus in nullo penitus discrepare: propterea nec pudere eorum omnium, quæ hij in hunc usque diem palàm docuissent, ipsiq; credidissent, Imperatoria Maiestate & Principibus omnibus corã professionem publicam facere, certãq; & indubitatam rationem reddere.

reddere. Composuisse namq; suos iampridem antea quos euulgauerint in lucem q; ediderint libellos multos, sanæ doctrinæ atq; purioris Christianissimi testes & indices synceros, nũc se hos quibus totius dogmatis atq; fidei ipsorum contineretur summa, humiliter offerre: paratos etiam de hijs cum doctis, si quo modo pacari posset res, amice conferre. Non displicuit Caralo Imperatori relidito. Lecti sunt igitur ad id ex omni cœtu utraq; à parte uiri septem, omni eruditionis genere atq; prudentia singulari præstantes: qui collatis utrinq; sententijs atq; nodosis argumentationum Meandris resecatis, controuersiæ de capitibus acri iudicio & diligentia summa multum differuere. Et à multis creditum eo tum sublata concertationis atq; dissidij materia, rem componere potuisse omnem. Si illi qui sparsis per prouincias ac territoria sua monasterijs bona, quæ adimere ausi fuerãt, tunc restituere uoluissent. Nam quum hæc contra ciuilium legum constitutiones fieri uiderentur, iussit Imperator, redditis ablatis, manibus post hac temperare. Quanquam autem illi mandatis forsitan obtemperassent libenter, quia tamen ablata ministris suis beneficij atq; donatiui loco conceserant, iam parere huic sacræ iussioni non poterant, moti itaque hac atque alia de qua hic disserere longum foret ratione, imperata facere recusabant. Impe rator igitur mandata ingeminare ac repetere cœpit, hij uerò tanquam iure licu isset id se defendere. Discessum fuisset tunc proculdubio infecto omni negotio, nisi Fridericus Princeps Palatinus, cuius opera & consilio tunc maximè uteba tur Augustus, rem illam sua pro prudentia alium ad conuentus diem, qui Ratisponam indictus est, distulisset, & spe finiendæ illic controuersiæ facta, commune aduersus Turcas Principum consensu impetrasset auxilium. Sed idem tunc Ratisponæ penè contigit, quod antea Augustæ. Nam si Ludouicus Princeps Elector, Palatinæ domus natu maximus, unà cum Archipræsule Mogun tino eodemq; Principe Electore, partes suas non interposuisset, & illinc quoq; eodẽ modo, quo antea priori in conuẽtu infecta pace fuisset discessum. Quod ut hi duo Principes bonorum perquam optimi sensere, atq; dissidium illud iam nihil aliud, nisi bellum ciuile & intestinum spirare intellexerunt, Suenisfordiam Franconiæ oppidum secesserunt, & assumpto arbitratoris officio, rem inter Imperatorem ipsum atque utriusq; partis Principes dictis legibus, huncin modum composuere, ut rebus eo in statu quo tunc essent sic permanentibus, nihil à quoquam liue ueteri is adhæreret disciplinæ, siue is nouum sectaretur dogma, inuouaretur: sed omnes quasi factis inducijs donec coacto concilio generali, res ex integro decideretur, manibus ac iniurijs hinc inde temperarent, præfatis tamen nihilominus communem aduersus hostem interim, communibus auxilijs & promissis, & Imperator Augustus apud Pontificem Maximum instituturum maturaret consilium: uel si id tam maturè Maiestas sua impetrare non posset, alium saltem ad componenda reliqua conuenendi diem indiceret. Gratæ fuere Maiestati Augustæ propositæ L L. hæ, & à partibus utrinq; animis læ tis acceptæ pacis conditiones, & Principibus Electoribus, quod tumultum quem hucusq; per tot annorum curricula componere potuisset nemo, soli ipsi prudentia sua & opera indefessa sedauissent, gratiæ ingentes actæ, & non immeritò: nam nemo antea in lapsantem Rempublicam, plus opis aut operæ contulit, quàm hi duo Principes in hãc tũ temporis dissidijs & tumultibus fluctuan tem industria sua contulere. Non abierant adhuc Ratispona Principes, nec conuentus omnino erat peractus, crebri nuncij Solymannum Turcam nouam & priori longe maiorem in Pannoniam parare expeditionem referebant. Imperator igitur & Principes non diutius cunctandum rati, soluto conuentu, rẽ quoque duxere maturandam; ne dum lento quodam ut anteriori in profectione ad

arma

arma procederetur gradu, hostis interim pro celeritate sua præoccupata pro-
uincia, damnum daret ingens: aut uulnus, quod omnem superaret artem infer-
ret improuisus, & rectè quidem & prudenter. Nam cunctatio nisi certo quo-
dam & Fabij illius Romani iuxta institutum reguletur modo, noxia est plerun-
que bello, inutilis & damnosa, præsertim hunc aduersus hostem, qui ocyor Eu-
ro ire solet ac redire, atque hic uel illic, unde minus speres insultare. Constitit
ob rem priori bello prudenter beneq; gestam, iterum Augusti Cæsarisque &
communi omnium Principum suffragio, penes Fridericum Principem Impe-
rij summa, additi sunt huic Apocleti & belli consultores, Guilelmus de Ren-
nenberg, & Georgius de Haydeck, antiqua & heroica apud Germanos pro-
gnati familia, Rinhardus de Neyneck à Glatt, Sigismundus de Hesperg, Vuolf
gangus de Affenstain, & Vlricus de Schellenberg, Equites aurati omnes, nisi
quod & posteriores duo iuris Diuini & humani non fuêre imprudentes. Atq;
soluto sic conuentu Principes ut primùm domum rediêre, habito undique per
prouincias delectu, auxilia promissa ad locum & tempus constitutum ordina-
uêre. Quare & Princeps Fridericus profectionem suam duxit accelerandam,
iniquum ratus si πρόβωλος ipse, serius, quàm cæteri aduenirет. Ordinatis igitur
sua in prouincia sedulò rebus, diebus paucis interiectis, Abudiacum Danubia
num Thermis & ueterum scriptorum monumentis celebratum, atq; sex mili-
bus passuum supra Ratisponam existentem uicum reuersus est, & Carolum
Augustum fratremq; eius germanum, quem is inter hæc unanimi Principum
electorum consensu, raro fraternæ concordiæ & antiquitatis exemplo confor-
tem Imperij & Cæsarem asciuerat, ibidem conuenit: cum quibus de belli rebus
pauca. nam plura nec res nec tempus patiebatur, colloquutus, castrorum locum
in Lupi campo, qui Danubij fluminis secundùm ripam è regione urbis Viennę
& pontem propè expositus est, capere iussus, quòd uel is situ & natura ad pon-
tis fluminisq; custodiam, & ad conseruandum liberum in urbem aditum com-
modior: uel quòd Martij animalis ab nomine, cuius fœmina olim geminis fra-
tribus Imperij conditoribus fœlicia ubera præbuisse feratur, auspicatior iudica-
tus. Additum tamen in rem præsentem quum uenisset, de hijs Apocletorum at-
que Petri de la Quoua qui & castrametationum maximè esset gnarus, consilio
commodius tractaturum multa: tunc quæ iam non cogitentur animo occurre-
re, se quoq; ambos cum exercitu quem peculiariter spopondissent, & qui nunc
in Hispania Italiáque conscribatur, breui affuturos, id saltem caueret, ne capta
semel in Lupi campo castra, ipsorum ante aduentum & se inscijs hinc amoue-
ret aut transmutaret: sed ea potius interim uel ducto uallo & fossa ueteri, Roma-
norum more, communiret: uel antiquo Germanorum instituto, carrorum mul-
titudine circumsepiret: militemq; rudem adhuc, atq; uarijs ex gentibus congre-
gatum & collectum, arte quadum & disciplina militari, aduersus callidum ac
dolosum hostem hunc præliari erudiret. Multum enim ueteranum & exercita-
tum à nouo & tyrone differre: & hac ratione fieri, ut hi quasi phratria quadam
& amicitia mutuò contracta, firmius inter se cohærerent: & cùm necessitas in-
grueret, fortius præliarentur. Finito colloquio, acceptoq; hoc mandato, Fride-
ricus princeps celeri cursu Boiodurum ad Ernestum Bauariæ ducem, locique il-
lius pręsulem deuehitur: & quoniam sitocomiæ munus atq; omnis annonę mi-
litaris curæ huic erat demandata: hunc ut commissum sibi officium gnauiter
exequeretur, compellans familiariter, est adhortatus. Nosse enim quantum pe-
riculi immineret, si annonæ penuria in castris oriatur, uel si ea minus iusto uel
maiori quàm par sit precio uenundaretur. Nec diu moratus illic Chornumbur-
gum appellit, militémq; ipsum in radicibus montis Peysenbergi, iuxta arcem
Greitzenstain, castra prima interim capere iubet, atq; mox Labacensi episco-
po lo-

po Ioanni Cantio, atq; Petro de la Queua, aduentū suum in urbem Viennam, ubi hi præsidebant, significat: admonétque ut postera die Imperatoris Caroli, Cæsarisq; Ferdinandi mandata de belli rebus audituri, apud eum Chornumburgi conuenirent. Sequenti die exorta, hi ut iussi erant comparuerunt, & exposita Augustali sententia, castrorum de metatione & loco diligenter et omni ratione excussa, diu consultauere: & exquisitis animorū sententijs multi erant, qui castra Stubæ ad portam inter urbis Viennæ mœnia, & secundum torrentis nominis eiusdem ripam iudicarent collocanda: multi (& quorum pars obtinuit quoq;) qui Principali à decreto ne latum quidem unguem existimarent discedendum, inducti etiam noua ratione, quòd nec milites numero plures, nec quos recenserent adhuc conuenissent. Nunciatum eo tempore Turcarum Tyrannum Constantinopoli sexcentis militum millibus iam antea pridem egressum, Gunzam exiguum oppidulum, nulla arte, opere aut natura munitum obsidere, idq; non die aut nocte intermissa oppugnatione, omnium copiarum ui premere & urgere. Præsidebat autem illic centum cum militibus tantum, Nicolaus Iuresitz, uir pietate quidem erga Deum & patriam insignis, qui quamuis rerum omnium, quæ ad obsidionem tolerandam erant necessariæ, planè forret inops, neq; enim has Turcæ tum celeritate præuentus comparare potuerat, belli tamen machinam in se unum conuersam tanta fortitudine animi diebus uigintiquinq; sustinuit, ut eum omni ope humana destitutum, tanto hostium à furore, solo auxilio diuino intelligeres conseruatum. Excitauerunt Turcæ circa oppidi muros in planicie, nam & hoc in plano situm est, qui mœnium altitudinem superarent, aggeres duos, unde semper defensorum terga in oppugnationibus tormentorum globulis & ictibus crebris pulsabāt. Actum fuisset senam de nostris, nisi Deus suorum misertus, malum hoc auertisset dubio procul, nam Turcæ illatis ultra uallum & mœnia supra uexillis octo, eos omnes tunc inde depulerant, et erant iam sine defensore mœnia, & sine propugnatore oppidum, quoniam omnes tunc saucij & fessi testudinis sub munimento delitescebāt, & nemo erat qui iam posset uel auderet resistere. Sed ecce imbellis ætas, senes, pueri, matres, quę hucusq; ędium intra parietes se continere iussa, alta uoce & pectore imo Dei auxilium fidem & misericordiam implorans, mirificè fuit exaudita. Eiulantium enim clamore hostes animis perculsi, oppidulum militum oppletum existimantes, oppugnatione obmissa à mœnibus uictores resiliunt, numinisq; præsentia perterriti persequente etiam nemine, eadem penè turpitudine aufugere illinc compulsi sunt: qua olim Hercules abiecto clypeo aureo, ab Oxidrochis Iouis fulminibus, & rubente dextera cœlitus defensis: tentatum, si Nicolai animus ad deditionem compelli potuisset, sed frustra. Frendebat igitur cœlestium consiliorum ignarus Tyrannus, dentibus atq; animo & ira æstuans, oppidum illud inducto aratri sarculo, funditùs cogitabat euertere. Quia uerò Deus Optimus Maximus, cuius nutu reguntur uniuersa, occulta & immensa benignitate sua, qua se pie colentes fouere semper solet, sęuientis aliò auertere uoluit institutum. Ibrahimus enim Bassa, cui in admonendo ius summum fuisse suprà diximus, statim ac Tyranni mentem eò tendere intellexit, captato peropportunè, & donec animi æstus aliquantulum resedisset, expectato tempore intercessit iniquiens: Hunc rem nec nomine nec magnitudine sua dignam parare, si tot uirium, tot operarum in oppidi unius tam inualidi & immunitæ expugnatione prodigere conaretur, unde tamen uix uel præmij uel gloriæ quippiam foret expectandum. nullam enim inde si etiam id expugnari deberet, apud quenquam oriri admirationem. Nemini enim mirum uideri, magnis copijs & tantis oppidum natura & præsidio inualidum, expugnare: præsertim perseuerantia tanta, qua etiam inuicta aliàs sæpe debellarentur. Ediuerso

autem si belli fortuna, cuius uicissitudines plerunque incerta contingere solerent necessitate in diuersum cessisset, magnum sui inde apud omnes generari contemptum. Quare consultius esse militum laboribus, in re tam exigua, & ubi honoris nihil sperandum parcere, & eosdem ad opus maius, quod reliquum non ignoraret, reseruare, quàm uirtutem & fortitudinem ubi ostendi non quiuerant, in tam ignobilis uici illius oppugnatione, frustra & inutiliter consumere. Nam licere iam minori cum dedecore hinc abire, quàm post ultimos conatus, uiribus attritis demùm & infecto negotio, discedere. Magnificentius itaq; elusisse, obsidionem illam soluere nunc, atq; Nicolaum euocatum oppido donare, quàm tanto cum militum discrimine suprema quæq; experiri. Dictis his atque huiusmodi similibus rationibus adductis, ægrè tandem obtinuit, ut Tyrannus ipse Nicolaum, quem armis uincere non potuerat, misso caduceatore in castra ad Ibrahimum uocari, atque hunc in modum oppido quanuis alieno donari pateretur. Vocatus autem Nicolaus, quanquam letaliter uulneratus esset, spemq; iam nullam reliquam haberet, uenire tamen ad Ibrahimum etiam tum constanter pernegabat, nisi diplomate & obsidibus præstitis factus securior, ne quid ab eo, quod uel á dignitate sua, uel à religione Christiana & fide foret indignum, exigeretur. Laudabilius esse ratus, unà cum suis fortiter interire, quàm se suosq; ludibrio, atque fluxæ hostium fidei credere aut offerre: & quia ob magnanimum uiri responsum creditum, res ipsius non usque adeò accisas, nec uires adeò attritas aut labefactatas, quin insultantium ac oppugnantium uim aliquandiu adhuc sustinere potuisset, id quod petebat non fuit negatum. Nam Turcarum ex nobilioribus obsides, duo dati sunt propere, & diploma utpetitum fuit præstitum & oblatum. Egressus itaque Nicolaus acceptis his oppidum, Ibrahimi in conspectum postquam peruenit, honorificè exceptus & considere iussus, de tribus tantùm præcipuè fuit interrogatus. Primò, ex ueteribo, de quo in Thracia nuper quum legationis munere apud Solymannum Imperatorem fungeretur laborasset, iterum reconualuisset. Secundò, an uulnera quæ proxima in oppugnatione excepisset, forent letalia. Tertiò, qua fiducia ductus Imperatori Solymanno, cui cæteri omnes uicinia iuncti colla sua submisissent, solus ipse hucusq; tanta animi pertinacia restitisset. Mirari enim se ullam spem in Rege Ferdinando, Calypede modo, & nimium tardo existimaret reponendam. Inferebat ad id Nicolaus, primùm gratias ingentes se agere, quod de ęgritudine sua præterita, & uulneribus in propugnatione proxima acceptis tam humaniter fuisset percunctatus, liberatum se Christi Saluatoris sui gratia morbo iam pridem, nec uulnera esse letifera. Ad tertium autem quod attineret, nosse eum pro prudentia sua, boni bellatoris esse, aduersarijs & hostibus magnanimiter resistere, nec rebus asperis facilè perturbari: aut grauibus fortunæ insultibus gradu & animo leuiter deijci aut dimoueri. Se humana opè destitutum, Diuinum confugisse ad auxilium, quo conseruatus hucusq; persistiterit inuictus: quod & sibi posthac nunquam defuturum speraret. Regem autem Ferdinandum quem nunc Cæsarem, & Augustæ Maiestatis hæredem omnes Christiani orbis Principes legissent & agnoscerent, tā procul non abesse, quin & breui magno cum exercitu esset affuturus. Quare si sibi in hunc usquediem nō sit subuentū se nihil mirari, multas namq; causas & rationes, quibus institutū præpediri potuerit opus, interuenire potuisse, quū fortuna instabilis aliàs natura, quia sine pedibus nusquam minus quàm in bellicis rebus Martijsq; negocijs sibi ipsi constare soleat. Admiratus igitur Ibrahimus magis ac magis excelsum & inuictum Nicolai animum quum illum non solùm oppido, quod per tot dierum spatia tam insigni cum uirtute aduersus tot hostium millia defendisset, sed quouis etiam ingentissimo præmio dignum tacitè apud se iudicaret, do-

ret, donare se Imperatoris sui Soleymanni nomine eum hoc oppido inquiebat, ob uirtutem suam nobilem & in defensando oppido egregiè operam nauatam. posse enim nunc si uelit id omni sine dubio unà cum præsidijs & defensoribus suis perdere penitùs & euertere: quia uerò natura sua mitis sit ac clemens Imperator Soleymannus, uirtutumq; ac fortium uirorum maximus amator & spectator, iussisse ei & oppidum illud unà cum commilitonibus & præsidijs suis in præmium uirtutis conferre, rei alienæ satis munificus Donator: nunquam forsitan donaturus, si hoc insigni absq; iactura & clade militum suorum speraset expugnare. Accepit munus hoc gratijs actis & animo quidem læto Nicolaus, deprecans ut & munificentia illa liberius atq; militum absq; iniuria frui liceret, uiolentas manus illorum cohibere. pollicitus est id se curaturum Ibrahimus, dummodo & ipse uicissim in ægrotantes & saucios Turcas qui exercitum consequi non ualerent, suos quoq; sæuire non patiatur: & sic cœpta obsidione postera die soluta hinc perrectum. Certiores itaq; facti de obsidione oppidi (nam reliqua adhuc ignorabant) Princeps Palatinus proceresq; Germani, quonam pacto subueniri posset obsessis, inter se collatis sententijs iterum consultauere. Et quoniam nondum tantæ militum confluxerant copiæ, nec tantum exercitui inerat robur, ut cum hoste aperto Marte contendere liceret, tutius iudicatum hos subsidijs quibusdam atq; annonæ prouentibus elusis per nostrorum hostium uigilijs, donec Imperator Augustus, Cæsarq; Ferdinandus maioribus cum copijs aduenirent munire & adiuuare. Inspectæ tunc tormentorum machinę atq; annonę & prouentuum inita ratio, & ubiq; negligentia quę dam & incuria reperta, mandatum itaq; his, quibus id negocium publicè iunctum fuerat, sarcire neglecta, & prospicere in tempore, quæ inde euenire possent incommoda. Soluto concilio, urbem uersus ad conuiuium, quod Labacensis Episcopus opulentia & apparatu magnificum Principi Friderico cæterisq; Heroibus parare iusserat, properatũ: & quum ad pontes illos Danubianos qui numero tres sunt, fuisset peruentum, milites omnes per stationes custodiasq; diuisi, armorum strepitu bombardarumq; boatu prætereuntes excipiebant: non minus honorificum etiam tum, quàm olim armis laudare existimantes. Primi pontis munimenta Caspar Rurzan prouincialium cohortium ductor obtinebat. Secundi, Sigismundus de Brandis Classiariorum nec non Manipulorum quorundam Nauarcha. Tertij, cum urbis mœnibus Lotroniæ comes, structæ acies atq; inter se concurrentes naumachiæ atque terrestris prælij speciem exhibebant, spectatu quidem iucundissimam. Inde in urbem ad conuiuium maxima congratulatione & lætitia omnium peruentum: id non diu protractum. nam mox ad concilium rebus sic exigentibus reditum, & decretum Imperatori Carolo Cæsariq; Ferdinando omnia hæc de Gunzæ obsidione, de commeatu, de machinarum tormentorum'que refectione, de castrorum mensatione, atque de Ducum Tribunorum'que militarium absentia, per quæ omnia, quibus instituto & excursionibus Turcarum obuiari posset præpeditentur, ocyus misso cursorio nuntio significare, precariq́ue Maiestates, aduentum instituta'que profectionem iam tandem uelint maturare. Et post hæc urbis mœnia refecta, muri solidati, addita propugnacula, auctæ turres. Sylua Viennensis (nam & hæc ab urbe ipsa nomen retinet) arborum struibus ne receptaculi loco hostibus foret, occlusa. Consumpta huiusmodi sedulitate sic tota die eaq́ue iam in uesperam inclinante, digressus à reliquis Heroibus Princeps, Vagitium Paulum cuius supra libro priori sæpe meminimus, ægrotantem exitinere, inuisit humaniter & alloquitur. Dein Loysium de la Quoua mille quingentorum Hispanorum præfectum comiter compellans, & militibus illius quos is statim ac Principis aduentum præsenserat, in aciem coire

atq; eodem modo quo priores in urbe pugnæ ſimulachrum fingere iuſſerat, ſumma animi delectatione ſpectatis, ac pro innata comitate ſua lingua uernacula laudatis & ſalutatis clementer, nam illius eam à puero, & eo tempore quo cum Philippo Rege Caroli Ferdinandíque parente in Hiſpaniam profectus eſt edoctus, apprimè gnarus erat. Vt primum autem & multam ſub noctem Chornuiburgum rediit, Imperatori ac Cæſari hæc omnia de quibus antea in concilio tractatum fuerat gnauiter, notarios ac exceptores illos perſcibere iuſſit: & quamuis ita ſummis laboribus omnem penè conſumpſiſſet noctem, ſub aurora tamen ſequentis diei Principum Imperij auxilia, quæ hucuſque uaria per loca fuerant diſperſa, colligere imperat: atque recognita, caſtrorum locum in Lupi campo, ut cum Auguſto Carolo Cæſaréque Ferdinando conuenerat capere. Paritum Principis mandato ſedulo. nam ſtatim conuentum, & caſtra ſine mora (ut iuſſum) conſtiutta, & quia tunc nonnullorum fraudes, qui priuatam utilitatem publica facerent potiorem, patuere: atque indicatum Hiſpanicum præſidium, effracto Chremſij publico horreo, annonam diripuiſſe, nec Viennam magna copia rerum abundare. quare cõmeatuum ratio per Palatinum Principem & Apocletos ipſos iterum inita, & iuſſum publicam quandam uenalium facere licitationem, ut miles ea quibus indigeret, iuſto Agricolæ tamen abſque detrimento comparare poſſet pretio. Erant tunc in caſtris neque machinæ neque tormenta, quibus ea quouis ſaltem modo munire liceret. Reſcriptum itaque de hijs Cæſari Ferdinando, qui horum ſumptum atque curam Auguſtæ ſuſceperat, ut hæc iuberet ordinanda. Commiſſum id à Maieſtate ſua conſiliarijs Viennæ præſidentibus, qui Bombardulas Carrathas (ut uocant noſtri) uiginti duas ſitu, rubigine & diuturna incuria ſatis neglectas, cum foſſatoribus iumentis & beſtijs iugalibus centum miſerunt. Tyrannus autem dum hæc tanta diligentia parari uidit, tot tantasque noſtrorum copias undique confluere, diffiſus iterum Mahumeto ſuo Acynaci & Diis patrijs omnibus, fugam eodem modo quo priori profectione fecerat, maturare cœpit, atque Croatina clauſtra uerſus ſumma celeritate contendere, quod ut animaduertit Princeps, indecorum duxit planè & à dignitate ſua penitus alienum, hoſtem hunc è Germania, iam tam inſigniter & ſecundo affiicta, inultum diſcedere: uias omnes præſidijs munire iubet, effugia occludere, & fluminum tranſitus reiectis pontibus adimere, atque Imperatorii interim Carolo Cæſaríque Ferdinando properè indicare, ſi ipſi negotiorum molibus præpediti ad pugnam uenire non poſſent iam, militem ſaltem quem huc uſque apud ſe retinuiſſent ad exercitus incrementum ſine mora dignarentur tranſmittere, eíque cum hoſte pugnandi tribuere poteſtatem, ne & is nunc quoque poſt tot & tanta ſcelera in Germania perpetrata: poſt tot cædes, excurſiones & depopulationes commiſſas, impunitus iterum elaberetur. Inter hæc literæ Nicolai ipſius atque Longini de Buchaim (nam & is unâ illic in præſidio erat) quibus opem & auxilium præcabantur, Viennam allatæ ſunt, quas ad Principem perferendas præſidij præfecti, Equitibus auratis Helfrído de Meckau, & Feliciano à Petſchau, eo cum mandato dederunt, ut & nuntiarent, ſe hijs quamuis planè deſperatis pulueremtormentarium iam, frumentum & annonam ſubmiſiſſe, oppida reliqua Neapolim, Elenſtadium, & Edenburgum tanquam belli turbinibus proximiora, ualidis Equitum præſidijs firmaſſe, ut hij ſi qua uis maior aut hoſtilis tempeſtas ingrueret, ea aduerſus hanc tuerentur: obſeruarentqúe ſi hoſtem ipſum frequentibus incurſionibus à Gunzæ obſidione poſſent depellere: ob id & eis adhuc primum iuxta conſilium commodum uideri exercitum ocyus transportare, atque hunc poſitis caſtris ad Stubæ portam, ſecundum torrentis

ripam

ripam urbi Viennæ propius admouere: ita enim abeuntem hostem facilius insequi licere, atq; fugientem impedire, multa tempora, donec pontium per angustias tantus transportetur exercitus, præterire: melius hæc nunc dum commodè fieri queant, præparari. Legatis post acceptas literas, expositáque mandata, à Principe responsum, quæ cum Gunzensibus ac reliquis oppidis acta forent, atque de remoranda Turcæ abitione consultata, sibi non displicere. Laudare igitur se Præfectorum industriam & sedulitatem: castrorum autem ad mutationem quod attineret, graue sibi uideri, ea Maiestatis contra decreta præscriptoq; loco mouere. Quàm seuere namque olim in contemptores imperij, uel etiam si feliciter cessisset res fuerit animaduersum, ipsi nossent, nec filijs, nec uictoribus parsum. Rectius iam Imperatoris Cæsaris que rescriptum ad literas proximas, quibus hæc omnia significassent expectari. Reuersi erant interea Turcarum ex castris Leonhardus Nogaroli comes, & Iosephus à Lomberg eques auratus, ab Augustis Principibus in Thraciam ad Soleymannum missi legati, referentes hunc ad pugnam dimicationemq; properare, & relicta Gunza Viennam uersus cum toto exercitu contendere. Scripserat hæc Principi Palatino Cantius, se decreuisse aduentantem structis undique & elocatis syluarum per abdita insidijs excipere, ad hoc Equitibus nonnullis celeribus & expeditis sibi opus esse: precari itaq; quosdam Germana è iuuentute cor re, sibiq́ue in subsidium submittere. Non abnuendum id ratus Princeps, mox iuuenes septingentos omni ex nobilitate lectos, una cum Ernesto de Gleychen comite: qui ducta Græcorum antiquo more sorte his præfectus erat, nocti sub conticinium Viennam misit, sed eadem nocte aliud à Cantio, quòd Turcarum Tyrannum institutam mutasse sententiam, indicabat nuntium, ad Principem remissum, quare dilato in aliud tempus negotio, & ab Equitibus in castra reditum. Quoniam autem omnia iam Germaniæ Principum auxilia conuenerant, necessarium duxit ac utile ductores illorum Tribunos & Centuriones omnes à militum uulgo seuocatos, paucis his de magistratibus cæterisq́ue rebus militaribus maturè ordinandis commonefacere: Diu multumq́ue expectati duces commilitonesque fortissimi per opportunè iam tandem aduenistis, & eo tempore quo Soleymannum Turcam omissa Gunza oppido ad Lytæ fluminis ripam subsistere ferunt, cunctabundum transitum que eo animo & instituto occultè parare, ut solita celeritate fretus, nos opprimat inopinantes: quod factu haud admodum difficile illi esse, nemo est cui rerum nostrarum status saltem aliquantulum notus, qui non perspiciat. Apud nos omnia quæ ad conflictum durumq́ue Martis certamen sunt necessaria, in hunc usque diem permansere imparata: uacant munera militaria adhuc omnia, præfectus his nemo, quod sola absentia uestra factum. Quamuis enim ad hæc Heroes nonnulli, uiriq́ue alij haud ignobiles iampridem antea, tum obætatem multam, tum ob rerum cognitionem insignem nobis summe placuissent, neminem tamen absentibus ac inscijs uobis, ad ea ipsa euehere uoluimus. Sed in hoc uestrum omnium commune, quum inde communis omnium dependeat salus, iudicium expectare, iniquum rati, contra morem Maiorum honorem hunc & liberam legendi militarium magistratuum facultatem uobis præripere. Quum uerò res ipsa ob uicinitatem hostis, qui admodum castris, tam propè nunc ferox & minitabundus consistit, moram aut dilationem longiorem non admittat aut patiatur, sed festinationem summam exigat potius & desideret: decreuimus ut electionis negotium illud citius & felicioribus auspicio queat expediri, hos uobis ueluti candidatos quosdam proponere, Gulielmum namque de Rennenberg comitem, prudentia Nestorem,

magnanimitate uerò & uincendi arte Achillem aut Aiacem, equitũ magiſtrio dignum iudicamus: Theodoricum Spettium, pectoris robore Martem quendam aut Diomedem, campi præfectura & Maſcalliæ munere: Vlricum à Schellenberg, fortitudine Mutium, ſcientia iuris Scœuolam, recognitione militum & cenſura: Ioannem Hilliche uigilantia Draconem Heſperidum, aut Argum oculatum, cum uicarijs duobus Melchiore de Harſtal, & Vuolfgango à Heſperg, uigiliarum cura: Ioannem à Stadio, uafritia & induſtria Ithacenſem Vlyſſem, Sitocomiæ annonæque militaris officio. Veſtrûm tamen erit ex hoc tam inſigni procerum cœtu uel uos uel alios quoſcunque, quos uobis ad munera hæc uiſi fuerint habiliores legere, ut hi pro tempore & hoſtis ante aduentum ſic conſtituti reliqua in exercitu recte ordinari poſſint, & quæ hucuſque neglecta fuere, reſarcire. Dixerat hæc, & continuò ab hijs, præſtito tamen prius militari ſacramento, ſe Principis mandato ſemper & diligenter parituros. ad ſuffragia diſceſſum, necibi de his diu concertatum, ſed mox reditum, Principique hos quos & ipſi ad munia hæc placere intellexiſſent, eis quoque non diſplicere reſponſum. Bohæmi quoque quia ex Lunæſylua millibus octo progreſsi, Henricho Trayſch Heſſo, & Erneſto de Brandenſtain ductoribus, per Marcomannorum fines tranſierant, atque caſtra à noſtris longius quàm ère fore uiſum poſuerant, ea ut uiribus unitis hoſtiles inſultus facilius ſuſtineri poſſent, propius coniungere, & admouere iuſsi ſunt. Redierat ſub idem ferme tempus ad Auguſto nuntius cum literis, quibus Maieſtas ipſius Principi Friderico cum hoſte agendi, atque ex Lupi campo caſtra mouendi facultatem pernegabat, ſignificans ſe breui reliqua exercitus cum parte adfuturam, commeatuumque ac aliarum rerum omnium rationem diligentem tunc habituram: ſubijciens etiam his, quoniam ſuperioris Saxoniæ militibus, Ioachimum iuniorem ſenioris Ioachimi Marchionis eiuſdemque Principis electoris filium Ducem præpoſuiſſet, illis in præſens alium præponere non oportere. Lectis his ingens lætitia in caſtris orta, quia tum quod de interitu regni Turcarum in fatis eſſe paſsim ferebatur, impletum iri ab omnibus iam ſperabatur. Et quoniam conſtans fama erat, quæ linguis mille rerum fidem exaggerare ſolet, plerunque, Imperatorẽ Auguſtum Reginoburgo egreſſum, itineribus magnis, coactoque gradu Viennam uerſus pergere, ire placuit quo eius ſub aduentũ parata forent omnia, & reliquũ quoque militũ uulgus, Principis in uerba iuramento adigere, & armis inſpectis recognitum uerbis breuibus, quum longioratem pus ipſum non pateretur, unitatis concordiæque admonere: quòd intellexiſſet hoſtium animos nihil æquè in ſpem uictoriæ ac ciuiles inteſtinasque diſſentiones, quas aliquando ob diuerſas de cærimoniarum ritu opiniones, inter eos oriturras certò ſibi perſuadebant extuliſſe. Et tantum adhortatione illa tam breui & perexigua ualuit, ut totum hoc militiæ tempus, ſine quouis tumultu aut diſſentionis ſtrepitu ſit tranſactum. Iactatum tunc uulgò Hannibalem olim exercitum ſuum uarijs ex gentibus congregatum, ſeueritatis diſciplina habuiſſe concordem: Principem uerò Palatinum diuerſis ex nationib. collectum æterni numinis benignitate, ac clementia ſua ſingulari, qua etiam Cæſarem Iulium ſuperarit unanimem. Scripſit eadem die Cantius Principi iterũ, ſe ex Turcis ſeptem qui Neopolim transfugerint compertum habere, Soleymannum Tyrannum incenſis ad Lytæ flumen caſtris, Valerianos Croatinosque uerſus aufugere, atque tranſmiſſo Sauo amne, Thraciam repetere, quare Equitibus ſibi antea ob ſubſidium decretis, nunc maximè opus eſſe. Abeunti enim hoſti, flumina tria magnitudine iuſta obſtare, Drauum, Rabam, & Rabunzam, quæ quoniam fugam acceleranti, uno die, cum tam ingenti exercitu traijcere forte impoſsibile, futurum, ut tranſmiſſa exercitus parte una, reliquam in diuerſa

fluminis

fluminis ripa ad insidias & occasiones omnes opportunam, trepidus post se co
geretur relinquere. Statuisse itaq; hanc uel illic sub silentio noctis, uel ad Croa-
tina claustra, quæ spatij ob angustiam ad unius hominis tantum uestigium pa-
terent, impetere. Princeps uerò quia hostis calliditatem non ignorabat, uereba-
tur, ne quum istam exiguã se insequi intelligeret manum, reuerteretur ex impro
uiso, nostrosq; priusquam succurreretur inopinantes opprimeret, Præsidũ sen-
tentiam in hoc duxit expectandam. & quoniam Legati illorũ qui non diu pòst
unà cum Cantio ipso aduenerãt, eadem petebant & referebant, Cantiusq; pro
maturando subsidio præsens iterum instabat, maiores illi copiæ quàm antea sunt
decretæ. Missi sunt enim cum præfectis duobus Vuolffgango à Monfort comi
te, & Gregorio à Losenstain Barone, equites mille sexcenti, qui postera die ut
primum illuxit Viennã profecti, postea Neapolim, regijs equitibus, quos Can
tius illuc præmiserat, se coniunxere, & campi planitiem quæ perpetuo tractu
ad XXVI milliaria Germanica extenditur, ingressi, continuato cursu hostium
uestigia legentes, Muræ pontes & Græzam Valeriæ, quam à Diocletiani filia
sic dictã Amianus refert, Metropolim sunt præteruecti, omnib. currib. sine im-
pedimentis, nisi quod Vngarica quædam uehicula Cotia à patria dicta, quibus
commeatuum nonnihil uectabatur, eos à longe sunt insequuta. Nouus tunc &
incognitus antea Germanis equitib. accelerandi itineris modus adinuẽtus est.
Quis enim credat equites Germanos ferramento & armatura graues, tam bre-
ui tẽporis spatio, & non intermisso cursu tot milliaria potuisse emetiri? Sed uin
cit omnia labor: nam nec die nec nocte ab equis discessum, non castris locus da
tus, non somno aut quieti tempus, donec hostis quæsitus, tandem est repertus.
Turca namque Soleymanus etsi Caroli Imperatoris Cæsarisq; Ferdinandi
aduentu perculsus, summa trepidatione per claustra, per flumina aufugisset,
subsidia tamen quædam & ferentariorum copias nonnullas ingentes nostrati-
um celeritate præuentus, post se in suam exercitusq; tutelã relinquere est coac-
tus: Quarum una quæ & Tyrannum ipsum ponè sequebatur, & cui Bassa qui-
dam præfectus erat, in hos equites nostros incidit. Trepidatum primò & mox
correptis armis acriter utrinq; concursum, cæsi fusiq; momento Turcæ & Du-
cem hunc quoq; suum amisere. Nam Vagitius Paulus illum primo uisu agni-
tum teli cuspide equo deturbauit, impetitum & humi deiectum gladio pere-
mit, ocyus resurgere nisum. Caput huius lanceæ cuspidi præfixum diu circum-
latum, & equo illius ephippium totum aureum detractum, fræna quoq; & pha
leræ unionibus & gemmis mirum in modum exornatæ, uictori belli iure tan-
quam Duci à Duce opima spolia adempta, uirtutis in signum concessa. Multi
tunc ex uulgi fece honorem hunc (quia æmulis non caret uirtus) Paulo inuide-
bant, sed nemo bonus (quis enim bonæ mentis, uiro tam bono & forti inuide-
ret) qui Thrax & patria exul pro nobis & religione nostra suos contra Thra-
ces & gentiles tam fortiter depugnaret. Alia quoq; prædatoria manus, quę nu-
mero iustum exercitum propè adæquabat, eò uel repentino equitum nostrati-
um aduentu ab alijs excusa, uel uoluntaria malitia & libidine prædandi impul
sa, ad Lyatium usq; Harpiarum quodam more excurrerat: omnia Cæsaris Fer-
dinandi sub oculis incendendo & rapiendo deuastans. Scripsit igitur Ferdinan
dus Cæsar, missis binis literis Principi Friderico, admonens ne prædones istos
cum tanto nostro discrimine diutius euagari pateretur impunè, sed hijs proce-
num consilio properaret obuiare. Princeps per hoc quum antea quod Augu-
stus refcripto, armis donec ipsius Maiestas adueniret, temperare iussus foret, in
tempus satis, factus est magis dubius. Vt igitur quid huiusmodi in rebus factu
esset optimum ab alijs quoq; exquireret, indicto concilio proceres Viennam
conuenire iussit. Non conuenerant adhuc uocati, & præfectorum præsidij Lega-

ti aderant, qui ferentarios prædones istos inter Chremsium nunc & Viennam obuersari indicabant, hijs duos exitus tantum ad effugium patere, quos placeret positis illic præsidijs occludere. E' diuerso uerò & ipse princeps interim, & priusquam legati isti aduenerant tres ex consultoribus belli ad Labacensem Præsulem, ut de famæ inconstantia certum quid referrent, demiserat: qui quoniam ad thermas istas Paduanas cũ Latroniæ Comitis militibus in occursum hostis contenderat, Viennæ non fuit inuentus. sed non diu post literas ad Principem dedit, quibus hostes aciem Neopolim uersus dirigere significabat, deprecans equestre quoque hos contra subsidium, cui à Principe, quia quò hi euasuri tandem essent incertum, petita commodè fieri non posse respõsum. Nam debilitatum satis antea per sub missum Cantio subsidium equitum robur: consultius uideri Viennam ad indictum concilij diem, quò & Marchionem de Quasto, Augustæ Maiestatis loco uenturum speraret, conuenire. res enim huiusmodi colloquio inter præsentes, quàm literis inter absentes commodius pertractari. Et quia conuentus iam instabat dies, Princeps Palatinus prima luce de rebus his, cum Præsule illo atq; Marchione de Quasto, Proceribusque alijs in medium consulturus Viennam est ingressus, sperans & hos rebus communibus non defuturos: sed iam diei multum processerat, & tamen neque Præsul, neq; Marchio, quamuis Proceres reliquiq; præsentes forent, comparebat: sed demum expectati multum missis literis se uenire non posse excusabãt: alter quia hostis ad Thermas Paduanas erumpere conaretur, alter quia iussu Caroli Imperatoris atq; sine mandato comparere non liceret, causam & rationem quæritans & prætexens. Quare indiscusso negotio Principum illorum ob absentiam iterum discessum. Nam & tunc penitus nihil actum, nisi quod Marcomannorum atque Bohæmorum Duces Zidislaus de Loypp, & Ioannes de Bereinstain se ad omne obsequium unà cum militibus suis offerentes, à Principe Palatino humaniter sunt suscepti: & indicia quædam uaria & incerta, non usque adeò tamen incertis autoribus, de Turcarum illorum exitu sunt allata. Nonnulli enim hos in Viennensi saltu intra latibula ferarum delitescere: nonnulli eas ad Thermas Paduanas, uel uicum Threskirchen eruptionem parare. Quæ omnia quamuis ancipitem Principis animum in diuersum abriperent, eò tamen tandem, ne ullam incuria sua prætermisisse uideretur occasionem, impulere, ut peditum cohortes nonnullas cum ualida rusticorum manu, quæ intercisis arborum molibus saltum circumsepiret, propere dimiserit, atque Pemplingero illi & Turco Vallæ, quos cum equitibus suis expeditis & Latruniæ comitis militibus Præsidij præfecti ad Thermas illas hosti opposuerant, communi procerum & Apocletorum decreto Equites nongentos ex Bohæmis Germanisq́ue lectos cum peditum cohortibus octo in auxilium demiserit, hisq́ue Brandenburgij Marchionem Principis electoris filium & Hoierum de Mandsfeld Comitem, & Conradum à Bemelberg Equitem illum auratum, qui olim Clementem Septimum Pontificem Maximum in sede sua tam immaniter perculit, præfecerit: ipseq́ue assumpta exercitus parte & Zidislao de Loypp, qui mille & ducentos equites quum sexingenti tantùm ab eo fuissent petiti secum adduxerat, montem Viennensem inter urbem & saltum eiusdem nominis medium situm spe bona plenus insederit, illicq́ue per integram noctem quamuis durissimæ pruinæ instaret tempus, ignibus sine & luminibus, ne qua præsentiæ eius procul fieret significatio, hostis aduentum & exitum expectauit, sed frustra. Quare & sic transacta uigilijs nocte, ne superuacaneis fatigaret laboribus militem in castra reduxit, Imperatoriq́ue Augusto omnia hæc festina celeritate perscripsit, rogitans enixè, si quid maiestate sua absente contra hostem hunc perpetratum

petratum iri contingeret, id pro innata clementia animo æquo susciperet, boni-
que consuleret. Belli namq; fortunam non maturum semper & quod è longin-
quo aduocetur consilium expectare, sed repentinum potius & quod sub manu
ipsa (ut Scipio dicere solitus sit) nascatur requirere. Sæpius enim pugnandum
non quia uelis, sed quia necessitas impellat, hostis cogat, uel disciplinæ milita-
ris ratio expostulet. Aduenerat non diu post, Imperialis aulæ prætorijq; Præ-
fectus, Adrianus à Roy Comes, mandata quędam Augustæ Maiestatis de com
munibus belli rebus secum afferens, de quibus cum Principe Palatino secretè
& semotis omnibus arbitris colloquutus, huiusmodi propemodum reporta-
uit responsum: Quoniam moris sit apud Germanos inueterataq; consuetudi-
nereceptum, res belli atque ad communem statum & utilitatem pertinentes,
unanimi procerum consilio pertractari, haud iniquum sibi uideri, easdem nunc
quoque Heroum illorum, qui imperij atq; Maiestatis suæ pro decore, ad tot &
tantos labores perferendos huc aduenissent, communi decreto definire: sic ma-
ximum apud hos, si ueteri honore se dignari senserint, beneuolentiam compa-
rari. Et sic uix dum digresso comite Adriano, à Marchione Ioachimo ex Ther-
mis Paduanis rescriptum, certò per exploratores constare, hostes triuium
quoddam, quò uel per Valerianos ad Tergestum illud antiquissimum & nobi
le, uel per Chenbergum montem hunc tediferum, uel Suuarcacum amnem
uorticosum euadere liceret, occupasse: cliuum tamen anteriorem & posterio-
rem, quia uterq; natura sua satis angustus esset, & uix plaustro permeabilis, à
prouincialibus arborum truncis & saxorum molibus præclusum: medium ue-
rò præsidio ualido, ut his inde etiam nullus pateat exitus, insessum. oportere
igitur cum toto exercitu, priusquam hostis ille lubricus & inconstans iterum
elabatur, confestim & sine mora insequi. Princeps Palatinus ut hæc accepit,
communitis castris & relictis præsidijs quibusdam qui ea tuerentur, postera die
se cum inuicta equitum peditumq; manu Laxenburgum, mercatura boum in-
signe emporium contulit, atque inde mox idem Marchioni de Quasto qui
cum Hispanis militibus ad diui Peletini oppidum residebat, significauit, & ut
eò usque nunc progressos hostes, quibus ipse oppositis undique & elocatis
subsidijs effugia omnia obstruxisset, iam tandem propelleret, nec pateretur eos
cum tanto Hispanæ gentis dedecore, in Christi plebem diutius & impunè ita
pergrassari: sed ab illo quamuis rapi, uastari, ac depopulari coram penè con-
spiceret omnia, contra hos actum aut gestum penitùs nihil. quam autem ob ra
tionem nec hodie satis constat, multi, ut est dicax militum uulgus, metu id, mul
ti inuidia, quam is erga Germanos peculiariter moueretur, factum iudicabant:
sed an uerum id sit, quum & innocentum milites proscindere famam sæpius
soleant, incertum, hoc tamen certum, alterum nec pium satis, alterum nec us-
que adeò magnificum. Hostes uerò quum omnem exitum auffugiumq; in-
telligerent esse occlusum, nunc illuc rimam quęritantes, incerti & furibundi cir
cumferebantur: quare Glogenitz primò, dein Bistorphium quò usque & Bran
denburgij Marchio eos est insequutus, procurrebant: postremò etiam Loy-
benstorphium quò & Princeps Palatinus sub media nocte, quum & hos castra
sua illic posuisse exploratores indicassent, motis properè signis est profectus,
& mox iterum & uix dum explicatis tabernaculis & tentorijs hostes adesse
compositaq; acie aduersum nos contendere relatum, quare & ad arma à no-
stris cõclamatum, sed uana trepidatione quorundam id factum: nam & hij nec
illic diu perstiterant. Missi itaq; ad exploranda uisenda q; omnia ex nobiliori-
bus equites quatuor, qui usque Starckenbergium arcem progressi eos in ualle
ima inter Altenmarck oppidum, & uicum Podenstain ingenti præda onustos
consedisse cõpererant. Sub idẽ tempus sunt reuersi, nunciantes illos montium

intra septa quę ob angustias nec equiti peruia forent, se occuluisse, nec diu post Turco Vala mille cum equitibus suis quibus præerat, idem indicaturus superuenit, ob armorum uestiumq; similitudinem primò hostis creditus, postea uerò ex signis, quę errorem nostris aperuere, agnitus, unde & arma quæ miles repentino tumultu arripuerat dato redeundi signo reposita. Quum autem iam post multa diuersaq; explorationum indicia certum esset, ubi nam locorum hostis resideret, commodum uisum Philippum de Oberstain Rhenensium Ductorem cum expeditis cohortibus quibusdam, ut si itineris celeritate atq; temporis oportunitate quid proficere posset, præmittere, & huic tandem etiam quòd cunctari aliquantulum uidebatur, Sebastianum Schertlium Augustanæ Vindelitiæq;, & Iohannem Sayler Palatinæ cohortis præfectos, cum Veteranis trecentis in subsidium & ad ferendam opem tanquam manu & consilio promptos bellatores submittere. Qui acto raptim agmine ad Philippum statim, noctis tamen sub conticinio peruenere, & hostis præsentia animaduersa castrorum situm & reliqua speculaturi per sentes & uepres atq; alia syluarum abdita ferarum more reptantes, ad procubitores ipsos in stationibus pro exercitu suo uigilias agentes penetrauere: ex quibus uno, fuga sibi consulentibus reliquis, peropportunè capto, quindecim Turcarum millia in ualle proxima castra posuisse, cognouerunt. Ad supremas igitur uigilias & eò unde intra uallum ipsum & castra prospicere licebat, progressi, eos qui intra castrorum se munimenta condiderant, adducta sagittariorum cohorte adoriuntur. Fundentes namq; numeroso crepitu à bombardis ignitos plumbeosq; globulos, sternentes passim atq; graui somno oppressos & torpidos Turcas uel premebant uel ad arma excitabant: qui conscensis raptim equis ex ualle in montium cacumen prosiliunt, & structa protinus acie, militibus nostris animo & impetu ferocientes occurrunt, quos nostri studio quodam retrocedentes extra syluæ fines, ubi cæteris cum cohortibus Philippus ille de Oberstain constiterat, tanquam ad paratas insidias pertrahebant, alacritate summa, etiam nonnunquam Sebastiani Schertlij illius & Saylerij iussu, quorum industria hæc omnia agebantur, tandiu obsistentes donec à sagittarijs illis eminus configerentur. Cecidere nocturno hoc prælio, & priusquam ad Oberstainum fuissent protracti, ex Turcis penè mille, nostratium paucis desideratis. Nam etsi sæpius contempta paucitate nostra ad obterendum tota acies in nos conuerteretur, sagittariorum tamen fortitudine hæc semper cum clade quadam insigni & iactura repellebatur. Et quoniam intempesta iam nox erat, quæ rebus gerendis plerunq; est inutilis, armis aliquamdiu temperatum, ex acie tamen utrinq; non discessum, atq; id tandem quod actum, ad Principem Palatinum ut ante abitionem cum Schertlio conuenerat relatum. Qui ut primum de ijs certior factus est, milites omnes subdiluculo armis & equis paratos cum silentio proxima in campi planitie adesse imperat, ut eos inde ad loca insidijs aptiora pro tempore, & antequam hostes latius propellerentur, posset elocare. Quare per eam noctem equis nec sellæ non fræna detracta, nec equiti ferramẽtum. Nam & Princeps ipse eodem oneratus, noctem exegit insomnem, Homerici illius memor, nõ decere Pemnona ἀροχῆμ, aut alium quempiam primarium uirum, cuius curæ populorum multitudo sit commissa, solidam dormire per noctem: præsertim quum tot momenta rerum ex eius quoque arbitrio dependeant. Præterierat iam tertia uigilia & aurora ipsa lucis aduentum ostendere uidebatur: datum est militibus per præcones tacitum proficiscendi symbolum. nec mora, dicto citius parent, & in constituta campi planicie ut iussi erant, conueniunt. Habebat hæc austrũ uersus montium iuga, in quibus hostium ac cohortium nostrarum acies utrinq; consistebant, à Septentrione flumen quoddam & paludẽ uoraginibus & limo profundam

dam & inuiam: ab Occidente castra nostra, & uallum, atque è regione & plaga Orientali syluam densam & ad tegendos pedites nõ incommodè natam. quatenus trans flumen & paludem quę ad effugium sola patere credebantur, Theodoricum Spetium cum leuis armaturæ Equitibus consistere iubet. Funditores uerò, sagittarios & pedites nonnullos alios inter arbusta iuxta syluam se abscondere. Et dein seipsum inter fluminis ripam montiumq; radices, cum reliqua exercitus parte medium continet, ut si quò hostium acies fuga inclinaret, eò se opponere posset, & fugientes intercipere. Quumq; omnia iam in hunc modũ constituisset, Oberstainium & Schertlium rem cœptam telamq; semel orsam, perremissum nuncium peragere admonet, ac fessum uigilia & nocturna pugna hostem iterum adoriri. Quoniam autem interim per noctem ut eos ad structas præordinatasq; insidias facilius possent propellere, atq; à faucibus montium, si illuc redire forsitan niterentur arcere, cohortes suas post hostium copias circumduxerant, terga illorum confestim bombardarum glandibus tanquam, imbre largissimo iterum compluere sunt adorsi. Pepulere eos breui ad montis illius quod iugo castris nostris imminebat, & unde in campos armis uirisque fulgentes prospicere licebat, fastigium & cacumen. Quare illi primum conspectis agminibus nostris, ueluti uisq; lupo exanimes & amissa uoce conticuere. Mox uerò & postquam spiritus redditi, sublato ingenti & ad sydera usq; clamore, barbarico ritu ferale quid ululare, atq; tum etiam ueteris militiæ memores, & in cuneos arctius cõstipati, suspenso pede et animo, effugium circumspicere. Iussit hos Princeps inter spem metumq; dubios, excussa campestri machina primũ excipere, & non diu pòst fulmine hoc territos, dato per lituos tubasq; dimicationis signo inuadere. Impetiuit illos primùm Bohęmorũ atq; Slesitarũ equitatus: quæ ad signa cursoria, ut nostri appellare solent, à frõte agminis Principalis constiterat. Deinde & ipse Princeps phalange sua & armatura graui, magnanimiter & acri impetu concurrens. Quare certamine paruo in fugã fœdam uersi, totis campis palantes, nunc huc, nunc illuc sunt circumacti, & demum etiam cum omnia effugia insidijs præoccupata & occlusa intelligerent, deficienti bus pauore animis, per omnia arcta præruptaq; ueluti cæci ruentes, in flumen paludemq; præcipitabantur, ubi pars quædã profundis gurgitibus hausta submergebatur: pars alia relictis equis, reiectis sarcinis & uestimentis, atq; solis armis quibus se tutari posset aliquandiu retentis, corporibus nudis enatabat: multis tamen limosa paludis uada obstitêre, omnemq; fugæ spem ademere. Hęrentes enim illic tanquam pedica irretiti, & ocyus se inde nequeuntes, ab equitibus peditibusq; nostris, qui unà cum Spetio illo ultra flumen subsederant, trucidabantur: quos & Princeps quoq; ipse cum eos contempto omni discrimine uitæ in diuersam fluminis ripam eniti, seq; iterum conglobare animaduertisset, traiecto statim amne est insequutus: & continuato cursu, nunc à fronte, nunc à tergo & latere fortiter insistens, per milliaria duo Germanica impellebat, nec antea destitit, donec cædibus & uulneribus abundè satiatus, ad Marchionis illius à Brandenburg milites protrudisset, qui etsi rerum harum penitus ignari, casu quodam fortuitu superuenissent, intermissum tamen iam reintegrabant prælium. Cæsus est tunc iterum magnus hostium numerus, & magna tunc quoque Marchionis antiquos auos & proauos manu & fortitudine referentis, emicuit uirtus. non solum enim is inter primos dimicabat acriter, uerùm etiam & adidem faciendum commilitones suos uerbis adhortabatur, & exemplis magnanimiter admonebat. Restabant iam pauci quidam quos equorum uelocitas tutata manibus nostratium eripuerat. Dijs immortalibus forsitan ita uolentibus, ut uictoriæ ac gloriæ huius omnes nostri fierent participes, nam nebula quæ repente & saltus & campos omnes circà intexuerat, eos ad Cantium

illum

illum atq; alios heroas Vuolfgangum à Montfort, & Gregorium de Losenstain, qui cum copijs auxiliaribus fugientis Tyranni recentia uestigia erant insequuti, tanquam ad aras Tauricæ Dianæ, aut certum quoddam mactationis deduxit sacrificium: nam & illic, uel ab equitibus illis, uel à colonis & agricolis ita cęsi & extincti sunt, ut ex quindecim millibus istis, ne unus quidem qui cladis nuncium ad suos referret superfuerit: captus enim, & ex his ob peculiare Prouincialium in Turcas odium penitus nemo. Signum unum purpurei coloris ereptum, Caroli imperatori in honorem & uictoriæ symbolum oblatum, à quo multi quorum uirtus eo in prælio ante alios fuerat insignis, dignitate equestri aureisq; calcaribus sunt donati. Captiui multi tunc quoque, quos Turcæ solita pro crudelitate nondum enecauerant, recepti. Præda omnis, quæ tamen per exigua fuit, militibus concessa. Fuit hæc uictoria nostris omnino incruenta. Nam præter unicum equitem Agnulum, uulgò Lemle, tototo exercitu desideratus est nemo. Videbatur Princeps hanc hieroglyphico, quo uexillum suum atq; labarum post susceptum præfecturę imperium inscribi uoluerat præauguratus, quia in hoc Angeli imaginem, dextra macheram, sinistra uerò scheda quandam huiusmodi cum inscriptione (è cœlo uictoria) ferentem, parare iusserat. Turcarum cadauera ob diuitiarum sitim quas illi absorbuisse ferebantur, (heu pudet auaritiæ) incisa, sed hi stomachi in penetralibus nil nisi uuarum baccas & granula quædam habere sunt inuenti, ea famis uehementia, Mahumeti sui contra legem qua ab omni uini usu arcentur, insumere compulsi: quoniam & prophana & fœda omnia in usum conuertere necessitas coegerat. Acta sunt crudelia hæc à gregarijs nonnullis: de nobilioribus enim atq; uetera nis, quod unius probare exemplo sufficit, longè aliter constitit. Fuit hoc in conflictu Eques quidem Germanus, Sebastianus de Fleckenstain, nobilitate reliq; militaris peritia insignis, cui inter dimicandum, Turca quidam sacculum nummis plenũ ueluti redemptionis pretium quum obiecisset, equi ex sella in quam forte quadam deciderat, hunc tanquam uictoriæ remoram indignabundus reiecit: ad Ditem uestrum hinc abite, inquiens, diuitiæ: non enim hic aurum, diuitias aut alia huiusmodi irritamenta malorum quærimus, sed uirtutis præmium potius, honorem & gloriam militarem. Multa tunc Turcarum Sacracenis literis conscripta apud interfectos reperta sunt monumenta, horum elogia siue testamenta, quę hij ob instantem metum, quemadmodum olim ad Vesuntionem Romani sub Cæsare Iulio, in castris antea obsignassent credita. Fugientem Tyrannum lues ingens sequuta, eum maiori suorum clade, quàm antea priore pro fectione affecit. Relatum namq; tunc ultra centum & quinquaginta hominum millia, Numinis diuini ira fuisse perempta, non minus ea tum quoq; quàm eam olim sub Senacherib rege, quum angeli manu una nocte octoginta quinq; millia cęderentur sæuiente. Cecidit per idem tempus è cœli summitate pluribus in locis ingens ignium uis, quare à multis creditum, supremum mundi instare diem, quod Adamus prothoplastes, ut Iosephus Iudęus testis est, hũc etiam sub igne aliquando periturum retulisset. & Cometa proximis tribus annis & singulis qui profectionem hanc præcessere, naturæ suę secundum rationem Septentrionem uersus, regnorum mutationem significans, apparere uisus. Et Dracones numero multi, diuersi tamen coloris, per summitatem aëris tunc quoque uolauere, Bohęmiam petentes, spiritus immundi Kakoq; Dæmones, quia hij Philosophorum iuxta sententiam migrare nonnunquam locumq; immutare soleant, existimati. Parta autem uictoria hac ad castra quæ hastatorum agmini asseruanda interim commendata fuerant, reditum, & die una ad quietem reficiendoq; corpora militi concessa, Laxenburgum toto cum exercitu quem secum adduxerat Princeps Palatinus, repetitum, quò & Philippus Princeps ex fratre nepos

nepos & consanguineus, cum Eckhardo de Reisch equite aurato, nomine Augustæ Maiestatis congratulatum uenerat, & petitum, ut Strigonium oppidum quod Cæpusij Comes uiribus ingentissimis oppugnabat, missa copiarum exercitusq; parte ui eximeret, obsidionéque arctissima qua premeretur quàm primum liberaret. Legatis uerò quia Imperatorem Carolum unà cum fratre suo germano Cæsare Ferdinando Viennam appulisse constabat, paucis, Maiestati uero suę coram postea concordi procerum sententia hũc propè in modum responsum. Neminem in hac tam insigni Principum omnium procerum ac militum corona esse, qui augustissimæ Maiestatis suæ Imperium nõ summo studio ueneretur & adoret: id enim sacrosanctum haberi & iudicari apud omnes. quare etsi profectio illa sero nimis iam & eo tempore, quo ueteres Romani milites suos olim ex castris ad hyberna deducere sint soliti, apparetur, se tamen omnes ad quoduis periculum pro Maiestatis suæ ac imperij honore & gloria subeundum, esse paratos: dummodo omnibus unà coniunctim ire atq; toto cum exercitu illuc trajicere liceat, & reliqua omnia quæ ad huiusmodi profectionem sint necessaria, maiori cura & diligentia quàm antea præparentur. Periculosum namq; esse. hosti se tam acri & sæuero, neglectis omnibus sine quibus nullum bellum rectè suscipiatur, tanquam prædam quandam certam & indubitatam obijcere. Quamuis autem Imperator promittendo saltem exiguo aliquo Strigoniensibus subsidio iterum instare decreuisset, Principis tamen Palatini consilio destitit & quieuit, indicantis si Strigonium ipsum eò usq; furorem hostilem & impetũ, quò illuc exercitus aliquis uel subsidium trajiceretur, sustinere posset, id & postea hyemis beneficio, sub qua omnis oppugnatio inutilis plerunq; esset & intempestiua, tutum fore & inexpugnabile. Principi dein à Caro lo Imperatore de cæso fugatoq; tanta felicitate hoste, gratiæ ingentissimæ actę: Duces reliqui, tribuni, proceres castrenses, & milites unà omnes laudati, quòd patriam communem & imperium tam insigni opera sua tutati essent egregiè & adiuuissent, & ita missione facta cunctis abire libere concessum. Debebatur quidem ob rem bene feliciterq; gestam militi laurus, Principi triumphus: sed quia non idem hodie, qui olim uirtuti habebatur, honos, illis nec ullus decretus est.

FINIS.

DE

DE DVPLICI CORONATIONE CAROLI V. CÆSARIS APVD BONONIAM HIstoriola, autore

HENRICO CORNELIO AGRIPPA, ARMATAE militiæ Equite aurato, V. I. Doctore, Sacræ Cæs. Maiest. à consilijs & archiuis Iudiciario. Anno 1530.

PRAEFARI mihi licet (quod his qui interfuerunt testibus uerissimum est) triumphum maximè memorabilem, & multorũ fide maiorẽ me scripturũ, quo inuictissimus Cæsar Carolus eius nominis V. cùm Hispaniarũ tũ utriusq; Germaniæ & Romanorũ archirex, à summo Christianæ religionis pontifice Clemente VII. apud celeberimã Flaminiæ urbẽ Bononiam, primũ in Longobardorũ regem, deinde etiam in Romanorũ Imperatorem mũdiq; dominum coronatus est. Putabitis ut arbitror, ex rei magnitudine fortè ingenium meũ metientes, pro sublimitate & celsitudine tantæ maiestatis, me nimium multa magno uolumine scripturũ. Atq; reuera optauerã ego plura quæ scriberẽ, quorũ maximam partẽ post terga relinquere, uestrãq; in his expectationẽ, inuitus licet, fallere cogor, sermonis ubertate obinstructionis inopiam exclusa, quam non nisi tumultuario exemplari festino calamo ex Italia ad senerissimã principẽ nostrã diuam Margaretã transmissam, cum eius iussu in publicũ ædendã accepissem, ea officij mei necessitate inductus, qua obedientiæ meæ sacramento debitam pietatẽ pro uirium mearũ captu exhiberẽ, æditionẽ acceleraui; nephas arbitratus tantæ principis, cui mos omnino gerẽdus erat, desiderium differre, aut publicũ hoc & cõmunis lætitiæ argumentũ diutius suspendere. Non est ergo ut hoc loci ex me effusam sparsamq; historiam expectetis, qualẽ non dubito alios plerosq;, cũ Germanos tũ Hispanos & Italos, qui huic tã felicissimo spectaculo interfuerunt, in singula propensi, singula cõprehensi, singulorũ memores, rẽ maximã maxima etiam eloquentia & exactiore descriptione tradituros: quam ego etiam alibi uter annales ampliorẽ, & fortè feliciori stilo tradere conabor. Sed nunc epitomen duntaxat corũ quæ gesta sunt, & amplissimi triumphi breue cõpendium, quæq; magis in aperto sunt, è multis potiora accipietis: quorũ festiuissimis spectaculis licet impar & humi depressa mea serpat oratio, in hoc tamen non improbabilis erit, quòd ex fide recitantur omnia, quam longe plus quàm eloquentiam ipsa desiderat historia.

QVOMODO CAROLVS CAESAR IN Longobardorum regem coronatus est.

ANNO à Christo nato tricesimo supra millesimum quingentesimum, existentibus in Bononia celeberrima Flaminiæ urbe, sanctissimo patre Clemẽte VII. summo Rom. pontifice, atq; diuo Carolo Cęsare eius nominis V. Hispaniæ, Germanię & Romanorũ achirege, ad quẽ tum multi Principes & legati, ac diuersarũ prouinciarũ proceres, omnisq; Italica nobilitas effuso quodã & maximo comitatu, ingensq; populorũ multitudo confluxerat uenerandum, octauo Calend. Martias, in maxima omniũ gratulatione Longobardica coronatio cœpta est. Dies ille ubiq; festus, ubiq; sollennis agebatur. Ciuitas tota frequens profusaq; in honorificentiam Cæsaris ferebatur. Indictum iustitium, clausæ tabernæ, expurgatæ plateæ omnes, & uirentibus frondibus instratæ. Exornatæ tapetib. parietes, personabant campanę, resonabant timpana, modulabantur tibię, ubiq; exultantium uoces audiebantur, omnia urbis loca ingentia lætitiæ signa præ se ferebant. Iamq; inualescente die, cunctisq; quę ad regiæ coronationis magnificentiã cõducere uidebant magnifico apparatu dispositi duo Cardinei ordinis purpurati patres uidelicet Medices & Dorius Cardinales ꝓtinus palatiũ adeũt, ubi erat inuictissimus Cæsar, rex catholicus, purpurea ac diuersis ramusculis argento crispato intextis uariegata

gata talari toga indutus, aliquot Principibus innumeraq; Italorum, Hispanorum, Burgundionum, & utriusq; Germaniæ Alemannorum, aliarumq; diuersarum nationum nobilitate stipatus: qui à reuerendissimis illis patribus prædicæ Coronationis sacrum, quod in eiusdem palatij sacello instructū erat, hoc quem dicemus ordine producitur. Prægrediebatur Cęsarem ornata auro & purpura, magnificis sumptibus ingēs nobilitas. Post cuius agmen succedebant innumeri Barones, Comites, Marchiones, & plericq; duces ac Principes. E quibus proximè antecedebant Cæsarem, inclytus dux Ascaloniæ, & Marchio à Moia, qui regium ensem in sua uagina Cęsari pręferebat. Tum generosus Marchio Asturicæ, regale sceptrum gerebat. Deinde magnificentissimus Alexander Medices, summi pontificis nepos, & dux Pennæ, aureum illud pomum mundi typum ferebat. Demum illustris Princeps, sacri Romani imperij uicarius perpetuus, Bonifacius Palæologus, Marchio Montis ferrati, regiam coronam ambabus manibus gestabat. Euestigio diuus Cæsar medius inter illos duos reuerendissimos Cardinales incedebat: quem à tergo proximè sequebatur, strenuus ac illustris Princeps, Henricus comes à Nassau, & Marchio Zenettę, aurei uelleris miles, ac Cæsarei cubiculi præfectus primarius. Post quem exterorum regum ac Principum, uariarumq; gentium auratis uestibus Oratores & legati: tum purpurati Senatores, candidati Consules, ac Scriniorum magistri, Secretorum scribæ atq; Quæstores, reliquorumq; aulicorum agmina, singula prosui ordinis dignitatisq; gradu discriminatim succedebant. Hac insigni pompa, ad (quod diximus) sacellum usq; itum est, ubi præstolabatur Cæsarem reuerendissimus cardinalis Dertusensis, qui clarissimo pontificatus habitu indutus, in pontificia sella sedebat ad altare, multorum antistitum cæterorumq; ecclesiæ prælatorum turba sociatus. Cui exhibens Cæsar debitam reuerentiam, ab eodem quibus decuit officijs & honoribus excipitur. Conuersus deinde Cęsar ad altare, genubus flexis adorabat. Quem assumentes prędicti duo cardinales, fecerūt sedere in medio ipsorū: & Principes illi qui Coronationis insignia portauerāt, suis per ordinē locis sedere iussi sunt. Tum infulatus cardinalis accepto prius à Cęsare consueto iureiurādo, ex mandato beatissimi patris illi per Breue apostolicum ab episcopo Maltæ præsentatum sacris quibusdam precibus ad hoc institutis benedicens, auspicatissimum felicissimæ coronationis deducit exordium. Productusq; est Cæsar ad altare. Ibidem per aliquot sacrorum ceremonias precesq;, & inuocata alta uoce quam litaniam uocant, sanctorum suffragia, prouolutus in stratum illi magnificè paratum, iacebat. Peractis precibus illis, accesserunt Cęsarem illustris comes à Nassau, & alter generosę nobilitatis uir, Dominus de Noir, comes, Cæsarei corporis secūdarius custos: qui attollentes Cæsarem, exuerunt illum utraq; uestę sua, superiore uidelicet toga & interiore subucula: relaxatisq; thorace & camisia, spatulas cū toto dextro brachio denudauerunt. Quem cardinalis ille sacrorum antistes, statis ceremonijs precibusq; sacrosancto catechuminorū oleo intra spatulas & in dextro brachio perunxit. Et reuerendus pater Guilielmus Vandanesse Caurensis Episcopus, Cęsareæ maiestatis Eleemosynarius primarius, cotum manibus gestans, uncta loca detergebat. His peractis reuestitus suo habitu Cæsar, ductus est in sacrarium: ubi sumpta regia abolla, toga uidelicet argentea prælonga & desuper cinctā, superindutusq; regio patagio, ex uillosa purpura auro crispato intertexta, armelinis candidissimis pellibus suffulto, cuius reiectum in terga humerale, circū spatulas diffusum pendebat. Hoc regio ornatu tecto capite consueto birreto, medio duorum cardinalium regredientem Cæsarem cū Principibus, generosus uir Adrianus à Groy, Rhodij dominus & Cæsareæ maiestatis architriclinus pri-

nus primarius, leuata Indica arundine præibat, illustri comite de Nassau à tergo prælongę abollę pariter atcp patagij fimbrias sustinente: ductusćp est Cæsar in solium, quod illi iuxta summi pontificis cathedram paratum erat. Non lōge sedebāt cæteri Principes, circumstabantćp purpurati proceres. Iam'que aduentare cernebatur beatissimus pater summus Pontifex suis cardinalibus et multis admodū episcopis ecclesiazćp prælatis comitatus. Quo ad sacelli ostium appropinquante, assurgens de solio suo Cæsar, illi in occursum progressus, quā maxima potuit honorificentia Pontificē excepit: à quo uicissim benignissimè consalutatus, pariter cum illo ad altare regressus est, ubi utrisćp & Pontifici & Cæsari magnificis stragulis, ac aureis puluinis instrata pulpita parata erant. Iamćp procumbente ante solium suum Cæsare, Pontifex flexis genubus inclinato capite, rem diuinam quā missam dicimus, exorditur: Prælectoćp confessionis symbolo, ac data reatuum absolutione, pontificiam cathedram conscendit, Cæsare pariter in suo solio, cæterisćp Cardinalibus & Principibus suis in subsellijs sedentibus: Posita enim erāt caronationis insignia supra altare. Interea reuerendissimus cardinalis Dertusensis, papalē (ut uocant) missam solennibus ceremonijs peragebat. Cumćp uentum esset ad canticū illud, quod (quia ad gradus pulpiti cantatur) gradale dicunt, productus est Cesar per cardinales illos, qui sibi collaterales assidebant, ad pontificem corā quo procumbens in genua nudo capite, ab eodē precibus aliquot sacrisćp ceremonijs benedictus est. Posuitćp pontifex in dextræ manus annularē illius digitum, annulū quē Pistaurensis Episcopus paratum tenebat, cui magni pretij adamas infixus erat: accinxitćp illum gladio super femur suum. Quem eleuatus in pedes Cęsar educens, & ter in aëra uibratum, terćp in terras detrixū, porrò supra sinistrum bachium suum reclinatum, reposuit in uaginam, ad sinistrum latus suum: rursusćp procumbēs in genua, coronam quam uocant chalybeam, pontifex non absćp solennibus ceremonijs capiti eius impositi, regēćp Longobardiæ pronūtiauit: ponensćp in manus eius sceptrū & mundū, ad singula sacris quibus dā precibus & ceremonijs benidicens, plenariam regni tradidit administrationem. Quem postea ad pedum beatorum oscula prouolutum, & gratias agentē, reuerendissimi Cardinales attollentes, in regium solium inthronisarūt, regemćp Longobardiæ proclamarūt. Tunc assurgens in pedes beatissimus pontifex, illud diuorū Ambrosij & Augustini iubileum canticū: (Te Deum laudamus,) alta uoce exorditur. Quod perinde pontificij cātores suauissima uocū melodia prosecuti sunt. Continuata deinde suis utrobićp obseruatis ritibus Missarum solennitate, cū caneretur antiphona illa, quā offertorium dicūt, processit ad altare Cęsar, & oblato munere suo sacri calicis operculū (patinam uocant) osculatus est. Rursusćp ad canticū Agnus dei, accedens ad osculū pacis, pontificē in maxillā dextrā summa cū reuerētia osculatur. Cumćp iam postrema Missæ antiphona (quæ cōmunionis nomē habet) caneretur, productus iterū ad altare Cęsar, ibićp in genua procumbens, oratione religiosissimè intentus, ab ipso reuerendissimo Cardinale, qui pontificiā Missam peregerat, sacratissimo Eucharistiæ sacramēto refectus est. Porrò peractis omnibus beatissimus pater summus pontifex benedicēs populo, centū annorum pœnitentiam singulis cōdonauit. Accipiens deinde p manū Cæsarē, quæ uenerant pompa, maximo oīm cū gaudio regrediunt in palatiū, ubi mutuo sibi congratulātes consalutātesćp, unusquisćp reuersus est in triclinium suum. Eadē die post sacrā coronationē pomeridanis horis ingressus est Bononiā, magnificentissimus Princeps Franciscus Maria Rouera, dux Vrbini, Romanę urbis præfectus Cæsareus, cui generosus dominus à Rhodio, Cęsareę domus magister primarius, cū multis Cęsareæ aulæ satrapis obuiā ꝓfectus, Cæsareæ maiest. uerbo honorificentissimè excepit: necp minus plericp cardinales & episcopi cū pōti-

cijs

tijs aulicis eidem duci occurrẽtes, utrorumq; magnifica pompa in urbẽ traductus est. Residuumq; diei illius festiuissima lætitia transactũ, instaurati magnificis sumptibus ornatissimi triumphi, extructi arcus, parati ludi, uariaq; gaudiorum spectacula, quæ urbs superba publico ærario, tum officiosi ciues priuatis sumptibus ultro exhibuerunt. Per uniuersam urbem, perq; suburbia, per singula compita, cantibus & tibijs dulcissimisq; uariorum musicæ instrumentorum modulis personabant tripudantium cateruæ, felicem sibi illum diem congratulantes, ac Carolo Cæsari magnis lætitiæ clamoribus applaudentes: excitati ignes tanta copia, ut nocturnas tenebras flammarum splendore exuperarent, totamq; cum die noctem felicissimis gaudijs peregerunt.

Quid sequenti Longobardicam Coronationem die actum est.

POstera die perdurãtibus adhuc publicis præcedentium gaudiorũm ostentis, ciuibusq; Bononiensibus adhuc maiora molientibus, nunciatur interea aduentus potentissimi Allobrogum principis, quem ducem Sabaudiæ hodie appellamus, tum aliorum quorundam è Germania superiore principum, in quorum occursum repentè undarum in speciem effusa populi utriusq; sexus multitudo extra urbem, omnes campos, omnes uias oppleuit, densissimisq; turbarum globis principibus illis quàm longissimè procedere obuiam gestiebat. Cõspicitur primum illustrissimus Sabaudiæ dux Carolus, & Carolo diuo Cæsari cognatus, cum insigni antistitum, abbatum, comitum, baronum, aliorumq; nobilissimorum uirorum, auro & purpura resplendentium ornatissima turba, innumera equitum multitudine longa phalanga aduentare. Quod ubi in aula Cæsaris rescitum est, illustris comes Henricus à Nassau, cum ornatissimo Cæsareorum procerum agmine aduentanti Allobrogum principi occurrens, regijs Cæsareæ maiestatis uerbis salutem illi annunciabat, felicemq; aduentum gratulabatur. Traduxitq; intra urbem in palatium ad Cęsarem primũ: cuius manum exosculatus, & ab illo benignissimè exceptus, post mutuas aliquot confabulationes dimittitur, accedensq; pontificem, post pedum beatorũ oscula traducitur in diuersorium suum illi magnificentissimè paratum, ubi ad imperatoriæ coronationis pompam (quæ in sequentem diem futura erat) se interea magnificentissimo ornatu apparabat. Non multo post Allobrogum principis ingressum uenit serenissimi principis Ferdinandi, Vngariæ & Bohœmiæ regis & Austriæ Archiducis, Cæsareæ Maiestatis Germani fratris legatus & Orator, nobilis & reuerendus Dominus Bernhardus, episcopus Tridentinus. Venit etiam ex comitibus Palatinis Rheni atq; Bauariæ ducibus, illustrissimus princeps Philippus, Cæsareæ Maiestatis agnatus, uterq; Teutonico apparatu & equitum numero conspicuus, magnoq; nobilium & equestris ordinis strenuorum uirorum agmine stipatus: qui uicissim non minori consalutationis pompa congratulationisq; gaudio excepti, sua ad diuersoria magno omnium applausu traducti sunt. Nimis longum foret recensere, quibus honoribus principes illi à summo Pontifice, à Cæsare, à Patribus, à Bononiensi magistratu excepti sint: quibusq; felicissimis studijs dies illa transacta est, tota in principum illorum ingressum occupata. Omnes plateæ, omnes domus, omnes fenestræ, omnia compita conspicientium multitudine complentur. Occurritur illis undiq; ornatissimis consalutantium, talemq; illis Cæsarem congratulantium pompis. Hinc insignes apicibus sacerdotes, & uetustissimę scholæ, omni doctrinarum genere insignes, cum discipulis doctores: inde cõspicua grauitate togati senatores, & municipali purpura uenerandi ciuitatis consules, festiuaq; liberæ nobilitatis iuuentus. Feruntur omnes gaudio, singulaq; loca publica lætitia occupabat. Ipsa plebs passim portas ac fenestras uirentibus sertis

coronabat, alij ad nocturna lumina funabula parabant, alij lignorum strues cō gerebant, alij fasces pice & bitumine illitas ad flammarū fomenta subijciebāt, alij ad solennia sequētis diei spectacula, triumphales arcus multiformes instau rabant, alij trophæa erigebant, alij ludorum magnificentiam adornabant, alij partas de hostibus innumerabiles Cæsaris uictorias, superbè magnificeq; ethn gebant, alij inuentas nouas terras, & ad Antipodas usq; toto Oceano quęsitas remotissimas insulas ostentabant. Nullus aut ætate aut ualetudine tam imbe cillis, qui otio detineretur, qui nō aliquid ad publicum gaudium, pari lætitia di ligentiaq; aut excogitaret aut operaretur: non matronę, nō uirgines, non pue ri, non tremulæ anus titubantesq; senes suis muneribus uacabant, quò felicis simam Caroli Cæsaris in Romanorum imperatorem coronationem, auspica tissima solennitatis pompa perpetuæ posterum memoriæ consecrarent. Sicto ta illa dies cum in illustrissimorum principum illorū ingressum & cōsalutatio nem, tum in Cæsareæ Maiestatis in Romanorum imperatorem futuram poste ra die coronationem, concelebrandam, festiuissimis laboribus transacta est.

Qua Pompa Augustalis coronatio incepta sit, & quo ordine summus pontifex templum diui Petronij ingressus.

DEscribenda nobis nunc est Augustalis coronationis solennitas, quæ po stridie à Longobardica coronatione peragēda restabat. Erat illa dies se xta Cal. Martias, dies ter felicissima terq; albo calculo signāda, dies qua in hāc lucem editus Cæsar, maxima omnium spe, nec uana quidem, mundi dominus natus est, dies qua de Gallis ab antiquo hostibus iam sæpe antea uictor, tum e tiam triumphator, capto illorum rege, glorioßissima & inaudita superis tempo ribus semperq; ueneranda uictoria potitus, unde tandem hæc nobis cum Cal lis felicissima pax & affinitas parta est: Qua eadem die nūc Augustale Roma ni imperij diadema, è septimi Clementis summi Christianorum pontificis bea tissimis manibus suscepit. Iamiam aderat optatissima illa dies, qua fugato atra noctis nubilo cœlum matutino crepusculo, dissecta obscura tenebrarum cali gine, ante solis exorientis radios adhuc propriæ lucis candore resplenderet, cū discursu triumphali nobiliū turbæ plateas complent, tantaq; hilaritudine cun cta gaudebant, & serena facie gestiebant, ut præter peculiarem morem etiam, equi & canes, & quæq; domestica hominib. animalia iucundis gestibus uoci busq; exultare sentirentur, canoræq; auiculę suauissimos concentus ultra con suetum adsonarent, exultātiumq; uocibus ipsum cœlum reboaret. Admurmu rabant dulci Zephyro perflatæ arbores, erumpētibusq; odoriferis floribus tur gentibus gemmis, amœna uiridaria arridebāt. Sic campi, sic nemora, sic prata florulento uirore alacritatem præ se ferebant, ut non bruma, sed uer ipsum pa reret. Omnis creatura futurum imperatorem temporum dominum orbisq; to tius rectorē, uelut numen aliquod cœlitus demissum uenerare uidebatur. Lon gum esset hic referre incredibilem inæstimabilemq; uestium ornatum, quibus inter se cùm pomposi Hispani, tum magnifici Itali & profusi Burgundiones, & uinci impatientes Germani, magnificentissimis sumptibus concertabant, & quisq; quibus potuit quàm maximo sumptu comparatis, suum præ cæteris in Cęsarem affectū ostentare nitebatur. Hi aureis, illi argenteis, isti holosericis, alij polymitis, alij planis, alij uillosis tū infectis purpura & tinctis murice & cocco, tum Attalica Semiramidaq; textura & Phrygio opere elaboratis, insertisq; cū unionibus uariarū gemmarū lapillis resplendebāt. Equi omnibus tales, qualcs Turno fuisse describit Vergilius, & Homerus ad Troiam ueniße narrat Meno nis. Ea erat pomparū solennitas, cui nihil adijci ad gloriæ magnitudinē potuis set. Iamq; crescentibus orientis solis radijs illuxerat clara dies, cùm principes & satrapæ

satrapæ cæteriq; nobiles, palatium protinus adeunt, ubi in amplissimam basilicam, ad alteram palatij contignationem ascendentes, omnes ad Cæsarem conueniunt. Quod ubi resciisset pontifex, dispositaq; esse omnia, ipse prior pontificio ornatu sacrisq; uestibus indutus, multis admodum cardinalibus & episcopis singulis in pontificalibus eorum sociatus, templũ diui Petronij hoc ordine ingreditur: Prægrediebantur bini & bini, cubicularij, ostiarij & scribæ apostolici. Post illos duodecim Bononiẽsis scholæ ueterani legum doctores equestri ordine & palatinatus dignitate à Cæsare recenter donati. Deinde octo eiusdẽ ciuitatis uiri patricij uenerabili pompa succedebant, quos sequebatur Rector uniuersitatis sua purpura superbus. Deinde prætor urbis Bononiensis, quem Potestatem uulgò uocant, in ueste aurata admodum conspicuus. Postea ibant auditores Rotæ cæteriq; iudiciorũ officiales. Demum LIII. cùm episcopi tum archiepiscopi, singuli in pontificalibus suis uenerabiles. Hos proximè sequebantur reuerendissimi cardinales per ordinem uidelicet Medices, Dorias, Grimaldus, Gaddi, Mantuanus, Pisanus, Sanctæ crucis, Cornarus, Grimãnus, Petrutius, Rauennates, Inchefordius, Campegius, Anchonitanus, Sanctorũ quatuor, Senensis, Farnesius, singuli in suis mytris & pallijs, quæ pluuiala uocant, quorum patagium scuti instar in terga dependet. Dehinc duo ecclesiæ tribuni siue capitanei, quos Italicum uulgus confalonerios uocant, magnanimus comes Ludouicus Rangon, & magnificus dominus Laurentius Cibo, ambo armati incedebant. Post quos adhuc alij tres reuerendissimi cardinales, Celerinus, Cæsius & Cibo, beatissimo pontifici assistentes ambulabant, in quorum medio sanctissimus pater Clemens, eius nominis Papa VII. Pontificio ornatu triplici diademate coronatus, in aurea Pontificali cathedra ab octo purpuratis stipatoribus sub aureo umbraculo sublimis ferebatur. Quem deinceps ingens abbatum, protonotariorũ, aliorumq; cùm ecclesiasticorũ prelatorum tum secularium nobiliumq; satraparũ magnatumq; turba sequebatur. Cumq; iam beatissimus pontifex intra templũ prędictũ ad altare maius usq; applicuisset, singulis sua loca occupantibus, inceptum est officium, quàm cõcinentibus Psalmis: Tertiam uocãt, tum exhibita Pontifici cõsueta obedientia, à seniori cardinaliũ Farnesio incepta, singulis deinceps pro suæ creationis ordine cardinalibus magnum pontificis deosculantibus. Proinde singuli archiepiscopi, post etiã episcopi cõsimili ordine ad pedũ oscula processerũt. Interea missi sunt duo ex reuerendissimorũ cardinaliũ cœtu, uidelicet Saluiatus & Rodulphus Diaconi Cardinales, ut Cæsarẽ adducerẽt i tẽplũ, q̃ hac quã nũc dicem⁹ põpa palatio egredit.

Quo ordine ex palatio itum est in templum.

ANteibat ingens nobiliũ puerorũ caterua, pulcherrimã de se speciem præbens: subsequebãtur magno numero fulgidæ nobilitatis & equestris ordinis uiri, omnes quidẽ magnifico ornatu spectabiles. Deinde cõplures barones, comites, marchiones & plericq; duces, & sacri Romani imperij principes, quibus Cæsareæ aulæ diuersorũ munerũ præfecti, satrapæ succedebãt: Deinde externorũ regum atq; principum, uidelicet Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Lusitanię siue Portugallię, Vngariæ, Poloniæ, Bohœmiæ, Austriæ, Sabaudiæ, tum etiam Cæsaris multorũ suorũ regnorũ principatuũq;, Castellæ, Legionũ, Arragoniæ, Nauarræ, Neapolis, Siciliæ, Granatæ, Burgundiæ totiusq; Austrasiæ & reliquorũ paludati Heraldi, cæteriq; cùm Feciales tum Caduceatores & Corynephori inspectione digni ambulabãt. Post quos Cęsareę aulę architriclini, quos uocãt magistros domus, cum suis arundinibus (Scipiones antiqui uocãt) bini & bini, pariter incedebãt. Supremus aũt & primarius magister, generosus Dominus à Rhodio, eleuata arundine sua sequebatur illos solus. Cõtinuò Cæsar,

& qui coronationis insignia ferebant principes, hoc ordine succedebant: Primus ibat illustris princeps Bonifacius Palæologus, Marchio Montisferrati, roga holoserica coccinea indutus & superuestitus ex uillosa purpura, patagiata chlamyde, candidissimis armellinis pellibus suffulta, tum & maximi sumptus gemmata tyara caput eius integebat, sacrumq; imperiale sceptrum aureum magnificentissima cùm arte tum impensa elaboratum, dextera præferebat. Iuxta sequebatur illum strenuissimus & magnanimus princeps Franciscus Maria Rouerа, dux Vrbini, etiã suo ducali ornatu incedens, qui imperatoriũ gladium cuius capulus & uagina arte aurifica & gemmaria supra omnẽ æstimationẽ admiraculum spectantiũ sunt elaborata, sua dextera eleuatũ attollebat. Insequuntur istos per ordinem, ex Palatinis Rheni & Bauariæ ducibus illustris princeps Philippus, ducali purpura ac tyara magnificè ornatus, qui aureũ mundũ manibus sustinebat. Deinde potentissimus Sabaudiæ dux Carolus in suo ducali habitu tam superbissimo sumptu elaborato, ut tyara illius supra c milia ducatorũ æstimata sit. Hic sacrũ imperij diadema ex auro obryzo pretiosissimis lapillis refertũ, adeoq; sumptuosum ut omnem æstimationẽ excedat, ambabus manibus gestabat. Euestigiò diuus Cæsar Carolus abolla regia uestitus, superindutus ex crispato auro Babylonicæ texturæ prælongo patagio, corona regia insignis, medius inter prænominatos illos duos pontificio ornatu infulatos diaconos cardinales incedebat, eiusq; postremas fimbrias illustris comes Henricus à Nassau sustinebat. Proximè deinde sequebantur quatuor insignes episcopi, tum regum Franciæ, Angliæ, Scotiæ, Portugalliæ, Vngariæ, Bohœmiæ, Poloniæ, ducis Ferrariæ aliorumq; principũ, tum Venetorũ, Genuensiũ, Senẽsium, Lucensium, Florentinorum, & aliarum gentium oratores atq; legati, clarissimi quidem omnes. Postremò Cæsarei consilij senatores ac uiri consulares secretarumq; scribæ, & reliqua togatorum turba suis discreta ordinibus succedebat. Denicq; post longum illorum ordinem nouissimorum loco fulgentes auro loricati aliquot bipenniferi, processionis totius pompam claudebant.

Quibus ceremonijs Augustalis coronatio peracta est, atq; generosus Adrianus de Croy Dominus à Rhodio, in comitem prouectus est.

COnuenerat omnis hæc multitudo, in ea quam diximus altiore palatij basilica, ex qua narrato ordine in inferiorem quæ in primo solario est basilicam descendebat. Erat ibi perforato muro constructũ ostiũ peramplum, à quo extructus pons sublimis utraq; parte munitus, & undiq; uirẽtibus sertis exhederа, myrto lauroq; uestitus, insertis pontificijs & Cæsareis clypeis, per forum mediũ ad ostium templi diui Petronij per ducentos fermè passus, ea altitudine, qua erat prima palatij cõtignatio, sublimis protendebat, atq; exinde intra templum in chorũ usq; contra altare maius paulatim declinabat: ad cuius extremũ cõtra ostiũ templi in sublimi suggesto fabricatũ sacellũ, diuæ uirginis intra turres phanum repræsentabat: per hunc pontẽ in templũ usq; tota pompa à sublimi procedebat. Cumq; iam Cæsar ipse ad sacellũ usq; (quod diximus ad extremum pontis extructũ) peruenisset, à Romanis canonicis & decano diui Petri (qui ad hoc ex urbe Romana Bononiam uenerant) correptus, ductus est intra sacellũ ad altare, ubi paratũ illi erat pulpitũ pretioso tapeto ac aureo hypocon-mate instratũ, in quod procumbẽs in genua Cæsar, post breuem oratiunculam iusiurandũ beato Petro eiusq; sanctissimo Vicario Romano Pontifici præstitit, in manus Saluiati cardinalis, ea forma, qua Ludouicũ Caroli filium iuratum esse, Decreta cõfirmant. Tunc per uenerabilẽ Ciceræ episcopũ Arioſtum Ferrarien-sem, summi Pontificis architriclinũ indutus Cæsar linostolio, quòd superpelli-cium uocãt, acceptaq; quæ dicitur amicia in canonicum sancti Petri inuestitus est. Cui

est. Cui sic stanti ante altare, decanus & singuli per ordinẽ canonici, exhibita au
gustali reuerẽtia, manus deosculati sunt. Egressus deinde sacellum illud, à duo-
bus illis ducibus cardinalibus medio interceptus, traductus est intra templum,
ad cuius ostiũ ab alijs duobus reuerẽdissimis & post priorẽ senioribus episco-
pis cardinalibus, Anconitano & sanctorũ quatuor coronatorũ, summa cũ ho-
norificẽtia obuiã exceptus, post certas preculas intra templũ abducit. Vix Cæ-
sar cum cardinalibus prætergressus ostiũ templi, insequẽtibus aliquot armatis
stipatoribus, pons ipse super quẽ ingrediebãtur xx. fermè pedum longitudine
cõfractus corruit, ceciderunt q; innumeri, unus aut alter moribundi, pauci uul-
nerati inuenti sunt: res ab omnibus miraculo tenus habita, non omnes unà pe
rijsse. Plerique hanc rem in omen uertẽtes, ex cõfracto ponte nuliũ deinceps aliũ
imperatorẽ coronatũ iri, uaticinari ausi sunt. Iam q; Cæsar ingressus templũ ad
sacellũ diuo Gregorio intitulatũ traducitur, ubi positis superpellicio atq; ami-
cia, per uenerabilẽ Cauriẽsem antistitẽ, sacris uestibus, humerali & alba, & Dal
matica, & tibialibus, & sandalijs indutus est, ac imperiali trabea circumdatus,
quæ Babylonicis ac Phrygijs artibus cõtexta, & insertis pretiosissimis gemmis
multiformiter uariegata, sic ut cùm descriptione sit difficilis, tum pondere ferè
importabilis, magnificẽtia eius etiã supra omne pretium inæstimabilis existat.
Hoc sacro atq; pretiosissimo habitu adornatus Cæsar, duobus præsulib. à quo-
uis latere, uidelicet Barrensi, Palatinẽsi, Brixiensi & Caurensi, ac illustri comite
de Nassau à tergo, gemmatę trabeæ graue pondus sustinẽtibus, medius duorũ
cardinaliũ ad mediũ usq; templi, cui loco Rotæ Porphyreæ nomẽ indiderãt, tra
ductus est: ibi trinã benedictionẽ accipiẽs, proinde ducitur ad altare maius, qd
diui Petri Apostoli Romanã aram repræsentabat. Ibi super aureã mattã, aureo
puluino subdito prouolutus, usq; post cantatas litanias aliaq; suffragia, pman-
sit: quẽ postea attollẽtes duo cardinales, uidelicet Campegius prior presbyte-
rorum, & Cibo prior diaconorũ, in sacellũ diuo Mauritio adscriptũ, adduxerũt:
ubi per præstantissimũ patrẽ cardinalẽ Farnesiũ Ostiensem antistitẽ, & cardina
lium episcoporũ priorẽ, sed & totius reuerẽdissimorũ cardinaliũ collegij senio-
rem atq; decanum (exutus prius & solutus uestibus) sacro sancto chrysmate, à
dextræ manus restricta usq; in cubitũ, atq; intra utrasq; spatulas in dorso, nõ si-
ne sacratissimis benedictionibus & ceremoniarũ ritibus delinitus est, & per ue
nerandũ Caurensem episcopũ detersus, & quo fuerat indutus sacro pretioso q;
amictu restitutus. Tunc rursus Saluiatus & Rudolphus cardinales qui Farne-
sio astiterant, unà cum illo cõducunt eum ad summũ pontificẽ primũ, qui sacro
pontificij ornatu in sancta Apostolica cathedra omnipotentis Dei uicarius se-
debat iuxta altare. Cui exhibẽs solennẽ reuerentiã Cæsar, super stratũ magnifi-
centissimũ ante illũ procũbebat. Accedẽs aũt ad altare pontifex, rem diuinã pa
rè religione, maxima cum solennitate inchoauit: peracta q; cõfessione cum ab-
solutione, ac intonato per eum alta uoce Missę introitu, & suffito altari, accedẽs
pontificẽ diuus Cæsar, osculatus est illũ in maxilla & in pectore: deinde præce-
dentibus principibus atq; coronationis insignia ferẽtibus, traductus est Cæsar
in soliũ, quod illi paratũ erat in imo chori, quo etiã abductus erat pontifex, in ca
thedrã illi paratã. Redeuntes q; principes ad altare, posuerunt insignia, quæ per
ceremoniarũ magistrũ qui sacris præerat, locata sunt super altare, reuersiq; sunt
principes ad Cæsarẽ in subsellia sua. Interea cùm res diuina diuersis ceremonijs
usq; post Canonicæ epistolæ lectionẽ (quã duo acolyti, loãnes Alberinus sub-
diaconus Apostolicus Latinè, & Braccius Martellus camerarius põtificis Græ
cè canebãt) peracta esset, adduxerũt Cæsarẽ prædicti duo cardinales ad ponti-
ficem, ante quẽ super puluillo aureo Attalicæ stragulæ iniecto in genua procu
buit. Tunc per episcopũ Pistauriẽsem sublatus ex altari sacer gladius, & datus

diacono cardinali, è cuius manibus accipiẽs illũ põtifex, & eductũ è uagina ſua benedicẽs, dedit in dexterã Cæſari, & belli iura tradidit, inquiẽs: Accipe gladiũ ſanctũ, munus à Deo, in quo cõcides aduerſarios populi Dei Iſrael. Quẽ rurſus accipiẽs è manu Cæſaris, qui Miſſæ miniſtrabat diaconus cardinalis, remiſit in uaginã reddiditq; pontifici: qui iuuãtibus cardinalibus accinxit illo Cæſarẽ ſuper femur ſuũ ſiniſtrũ. Tũc ſurgẽs in pedes Cæſar, eductũ gladiũ ualida dextra, ter in aëra uibrauit, & ad ſingulas uices aciem in terram defixit. Porrò remiſit illum in uaginam ſuam, & reclinauit ſe in genua ante pontificem: qui ſolennibus ceremonijs ad ſingula benedicẽs, aureũ illud pomũ mundi repræſentaculũ, dextræ: atq; ſceptrũ immortale uirtutis & fidei pignus, ſiniſtræ manibus eius per uices imponẽs, orbis imperiũ illi tradidit gubernandũ, quod & ille magno animo regendũ ſuſcepit: Poſtremò ſolenniſsimis ceremonijs ſanctiſsimisq; benedictionibus imperiale diadema ſacrato capiti impoſuit, ſacratiſsimũ illi imperatoris nomẽ characterẽq; cõtribuens. Mox omnis ætas, ſexus & ordo, ad ſacrati capitis diadematisq; cõſpectum effuſiſsimo gaudio ſtupefacti, & quaſi extra ſe poſiti ſunt. Quorũ intimã candidiſsimi animi lætitiã, quæ res magis exprimere potuit quàm lachrymæ, quæ paſsim ſpectantiũ genas irrigabãt? Tunc prouolutus ad pedũ beatorũ oſcula Imperator, iacentẽ illũ ad pedes ſuos Clemẽs pontifex clemẽtiſsimo affatu, iuuãtibus cardinalibus attollit. Tum diſcinctus eſt & gladius, & euaginatus traditus eſt ſtrenuiſsimo duci Vrbinati, præferẽdus. Tũ duo illi reuerẽdiſsimi cardinales, Saluiatus & Rudolphus, imperatorẽ iam diademate coronatũ, in ſiniſtra ſceptrũ, in dextera mundũ geſtantẽ, in thronũ ſuũ, qui iuxta ſummi pontificis cathedrã magnificẽtiſsimè apparatus erat, produxerunt: & ſtatutis ceremonijs inthroniſarũt Carolũ v. Romanorũ imperatorẽ ſemper Auguſtũ, mundi totius dominũ, uniuerſis principibus & populis ſemper uenerandũ metuẽdumq; denuntiãtes. Sedebatq; imperator ad ſiniſtrã pontificis, ſuperior primo cardinali epiſcopo: aſsidebantq; illi duo cardinales diaconi, ſicut aſsidere ſolẽt pontifici, & quatuor epiſcopi. Interea cantata ſunt pro imperatore ſuffragia, quã Litaniã uocãt, inuocantibus diuos cardinalibus diaconis, & reſpondentibus cantoribus. Tu illũ adiuua: loco illius quod dici ſolet: Ora pro nobis. Finitis tandem ſuffragiorũ ſupplicationibus, ſanctũ Domini euangelium utraq; lingua, primũ Latina per cardinalẽ Ceſerinũ, deinde Græca per archiepiſcopum Rhodiorũ, alta uoce lectũ eſt. Poſtea fidei Chriſtianę Nicenũ ſymbolũ dulciſsima harmonia cantatũ: Cumq; ad Offertoriũ uentũ eſſet, imperator depoſitis in manus principũ diademate, ſceptro & pomo, ac ſimul magnificẽtiſsima illa trabea, nudus capite in ſacra Dalmatica tunica procedẽs ad altare, obtulit munus ſuũ ad pedes pontificis. Erat aũt munus xxx numũm aureorũ, & ſinguli ualoris ducatorũ x. eò quòd eſſet ei dies illa natalitia, qua iam xxx ætatis annũ cõpleuit. Cõſueuit enim quotannis die illa totidẽ numos aureos offerre, quot annorũ tunc cõpleſſet ætatẽ. Facta oblatione offertur pontifici ſolẽnibus ritibus lauamẽ: qui lotis manibus acceſsit ad altare: quẽ ſecutus imperator, miniſtrauit illi, & hoſtias & uinũ, & aquã ſacrificãda porrigẽs, deinde flexis genubus procubuit in pulpitũ, aureis periſtromate & puluinis cõſtratũ, quod illi paratũ erat ad cornu altaris, permãſitq; ibi intentus ſacro Miſſæ canoni uſquequo caneretur: Agnus Dei. Tum ſurgẽs adijt pontificẽ, illũq; oſculo pacis in dextra maxilla atq; in pectore deoſculatus eſt. Tum ſecutus pontificẽ ab altari, ambo reuerſi ſunt ad ſedes ſuas: iuxta quas proſtrati in genua, iunctis manibus, nudis capitibus, deuotiſsimis orationib. intenti, ſacratiſsimũ euchariſtię pabulũ ſumma cum religione expectabãt, quã ſummus ſacerdos & pontifex ſuper patinã reliquerat in altari. Accipiensq; cardinalis Cibo, qui diaconus Miſſæ miniſtrabat, ſacrã patinã, eleuansq; ante altare, corã uniuerſo populo monſtrabat, tradiditq;

ditq; deinde alteri cardinali Cesis, qui subdiaconũ agebat. Hic accipiens illam, religiosissima reuerentia pertulit ad pontificem: qui accipiens manibus eucharistiam, quæ maiuscula hostia erat, benedixit & fregit per medium, in cuius una parte deuotissima mentis contemplatione Christi corpus depastus est. Deinde allato sibi benedicto calice, sacratissimum Christi sanguinem aureo calamo pagit alterã partem hostiæ, deditq; duobus cardinalibus, Cęsarino diacono, & Alberino subdiacono. Cõmunicato pontifice & duobus illis cardinalibus, procubuit ante illum Imperator: coram quo illustris comes à Nassau, & generosus dominus à Rhodio: hic cubiculi, ille architriclinij, præfecti primarij, magnificẽtissimam mappam ex byssо auroq; contextã, atq; ex margaritis alijsq; pretiosis lapillis elaborato sumptuoso limbo circundatã, tenebant. Tum pontifex Imperatori sacrosanctissimũ dominici corporis Sacramentum, in alia minore hostia propriis manibus ministrauit. Quod cùm ille deuotissima reuerẽtia accepisset, surgens, pontificem in maxillam osculatur: rursusq; recumbens in genua, è manibus diaconi cardinalis, uinũ, quod uocant perceptionis, recepit, prægustante sibi reuerendo Caurien si episcopo. Deinde pluribus orationibus à pontifice benedictus, surgẽs regressus est in thronum suum, indutusq; Imperiali trabea, acceptis in manibus mundo atq; sceptro, imposito sacro capiti diademate, uocati ad se iussit generosum uirum Adrianũ à Croy Rhodij dominũ, iamdudum aurei uelleris militiæ adscitum ac architriclinio supra cæteros prẹfectũ: cui ante maiestatem suam procumbenti, in hæc uerba locutus est: Non me latent generosæ Adriane maiorũ tuorum uetustissimæ nobilitatis imagines, eorundemq; erga prędecessores nostros ingentia merita: Sed nec tuam in maiorum tuorum uirtute imitanda constantiã ignoro, qui tua strenuè gesta magnificeq; facta expertus, dignum uirtutibus tuis præmiũ referre statuens, te unum uocaui & elegi, in quem huius sacri diadematis primitias impenderem, teq;, quod & merita tua deposcunt & uirtutes tuę merentur, in sacri Romani Imperij comitem proueherẽ. Quæ dignitas nunc nostro Imperio gloria, tibiq; ac tuis successoribus perpetuũ decus esto. Sacri Romani Imperij comes bona fide appellãtor, tuoq; Rhodio dominio, cum adiacẽtibus illi terris tuis, tu & successores tui, deinceps Comitatus titulo fruũtor, æqualẽ cum cæteris Rom. Imp. comitibus dignitatẽ habento, paribus honoribus, priuilegijs, præeminentijs libertateq; sine ulla cõtradictione utuntor. Qui in istis cõtradicere tibi ausus fuerit, aut obstinatus nõ paruerit, sacri Romani Imp. rebellis, & maiestatis nostræ reus habẽtor. Attonitus insperatæ dignitatis gaudio Rhodius Comes, cum longiore sermone Imperatori gratias dicere intenderet, pontifex ad altare concessit, Missamq; cum benedictione peregit, omnib. & singulis cùm in templo tum foris, Imperialis coronationis uenerationi intentis, plenariã peccatorũ oĩm remissionẽ cõdonãs.

Quæ in foro & ciuitate durantibus sacris interea gesta sunt, & quo apparatu Bononiensis populus coronatum Imperatorem uidere gestiens, excipiebat.

DVm hæc quæ diximus in templo geruntur, erant in foro quod ante templum est, erectæ marmoreæ duæ columnæ, supra quas insidentes, una prægrandis ac biceps aquila, duoq; à lateribus inaurati leones, qui epistomiorum fungentes officio, interea quo sacra peragebantur, perq; totã diem & fundam noctem, hinc leones album, inde aquila rubrum, suauissima uina continuò profundebãt: iuxtà uerò auratis cornibus & ungulis bos Troianus, uarij generis minutis bestiolis cum quadrupedibus tum uolatilibus infarcitus, interius prælonga ac robustissima cuspide uolutus torrebatur. Pluebant à fenestris panes artolagani, placentulæ, brachiola, panesq; dulciarij, tũ fructus uarij,

poma,pira,caſtaneæ nuces,& incruſtatę zaccaro auellanæ,amygdalæ, confatidri,atq; id genus plura,quæ expectabundã plebem iuuentutemq; interea cũm reficerẽt tum ſolatiarentẽ.Præterea ingens electiſſimorũ militum exercitus,multiplici cataphractorũ equitum turma,gemina & Hiſpanorũ & Germanorũ peditum acie,numeroſisq; ſclopetariorũ ſagittariſq;,tum ſupra uiginti ingentium bombardarum machinis inſtructus,ne qua ſeditio oriretur,omnes aditus occupabat,ac circa palatium atq; templum cuſtodias agebat:cui Antonius de Leua dux primarius,nomine Cęſaris imperabat.Eratq; ipſe armatus totus,ſedens in cathedra ſua in foro ante prętorium,& cęteri militum duces,cũm Hiſpani,tum Burgundiones & Alemanni iuxta illum.Peractis ſacris data eſt mora quieti,dictaq; Imperatori Panegyrica quouſq; populus templo excederet,cæteriq; ad proceſſionis pompam ſeſe cõſcenſis equis in ordinem diſponerent. Iam ergo promiſcuus utriuſq; ſexus populus, qui ſupra centum milia hominum æſtimatus eſt,egrediens templo,per uarias turmas & cuneos Imperatorẽ ſuum uidere geſtiens,quo ille ingreſſurus eſſet,ferebatur:omnes ſui ordinis & decoris obliti,quem ſors cuiq; locũ obtutiſſet,occupabat. Conſcendũt alij tecta,& ſummis pendent tegulis,alij trabibus inſident,alij columnis implexi,alij muris hærent: omnes feneſtræ,omnes rimulæ ſuis ſpectatoribus refertæ:perforati parietes & diruptæ maceries,quo oculos ſuos tam expectati Imperatoris ſpectaculo populus expleret,nullus locus nõ occupatus,ne ijs quidem,qui nõ niſi ruinolum & periculo proximũ caperet ueſtigiũ. Laborabant referta hominũ pondere tecta,neq; minus uias omnes denſiſsimæ populi turbæ opplebant:nõ ætas, non ſexus,nõ ualetudo,quenquã detinere potuit:omnes pari gaudio,pari alacritate,ad noui Imperatoris ſpectaculũ tanquã ad numen aliquod in cõmunem omnium ſalutem è cœlis demiſſum,procurrere. Quid referam ciuitatis apparatus, publicè priuatimq; ſupra modũ adornatas. Quacunq; uia ingreſſurus erat Imperator,expurgatæ plateæ,& uiridibus iuncis graminibusq;, & multorũ colorum floribus inſperſæ,ſuauiſſimos odores latè profundebãt.Parietes omnes peripetaſmatibus auro purpuraq; diſtinctis,& hinc atq; hinc longè pendentibus latè radiabãt,affixaq; matronarum ſumptuoſa monilia, pendentiaq; longis tractibus aurea balthea,tum aurea & argentea uaſa inſtar ſcalarũ per gradus expoſita,crebris repercuſſi ſolis radijs fulgurabant:neq; minus uenuſtiſſimæ quæq; mulieres & puellæ in feneſtris & porticibus per diſtincta interualla diſpoſitæ, pretioſiſsimis ueſtibus & monilibus ornatæ,tranſeuntiũ quorumq; oculos perſtringebant.Sed uicit priuata ſtudia publicus apparatus.Extructi arcus triumphales,erecta trophea,æditi ludi,celebratæ multæ admodũ Imperatoris felicisſimæ uictoriæ,parata ad omnes angulos ſpectaculorum oſtenta,& inſcripta aureis literis encomiorũ & panegyricorũ heroica carmina.Nihil unquã uiſum aut etiam auditum feſtiuius,nihil lætius,nihil magnificentius eius diei ſpectaculo.

Qua Pompa poſt Coronationem publica proceſſio habita eſt.

CAeterũm nunc proceſsionis ordo recitandus eſt:Digreſſa enim à templo plebe,põtifex ſummus ſacerdotalibus interea exutus,acceptaq; in caput magnificentiſsima corona ac triplici inſignita tyara, unà cum Imperatore diademate coronato,templo prodibat:ad oſtiũ productus eſt pontifici niuei candoris equus gradarius aureis habenis,ac monili frontalitio purpureoq; ephippio inſignis.Ad cuius ſtrapedes inſiliẽte pontifice cũm Imperator manum apposuiſſet,uix paſſus hæc clemẽtiſsimus pater,his uerbis Imperatorem alloquitur:Nequaquam id feceris fili mî Imperatorq; inuicte. Satis mihi ſupraq; ſatis humanitatis tuæ obſequẽtiſsima uoluntas,quam tamen nõ in meam perſonã, ſed illius cuius uices gero,habeo acceptiſſimã. Cumq; iam inſcendiſſet equum pontifex,

pontifex, apprehendens frenum Imperator, ductoris obsequiū illi aliquot passus exhibiturus: quod beatissimus pater nequaquam passus est. Tum datus est Imperatori equus, etiam niueo candore & sublimi altitudine illustris, quin & magnificentissimè ephippiatus phaleratusq; auro & gemmis undiq; refulgēs: cui insidens Imperator, altior omnibus eminebat, ut à cunctis conspiceretur. Post, cæteri principes totaq; nobilitas cōscensis equis, hoc ordine procedebāt, ut duo & duo pariter ambularent, pontificij à dextris, Cæsarei à sinistris præquitabant, cocco & purpura relucentes, cum cardinalium pontificumq;, tum principum secularium familiares ministri. Sequebantur auro & argento magnificè fulgentes pontificij ac Imperatorij satrapæ, & phaleratis equis bellorū maximi duces. Post quorum agmen duodecim Bononiensis populi uexilla alba, rubra cruce insignita, totidem signiferi pedites præferebāt. Quos eueſtigiò Tribuni plebis sequebantur, quibus sexdecim Bononiensium Collegiorum rubra uexilla succedebāt, post quæ Bononiensis scholæ duodecim legum doctores, sua purpura aureisq; armillis insignes, atq; Bononiensis urbis gubernator eleuatā arundinem tenens, suis lateronibus & satellitibus stipatus: tum nobilis & strenuus uir Angelus Raynuntius capitaneus iustitiæ, phalerato equo insidens, armatus & aurea lacinia super amictus, Bononiēsis urbis uexillum attollebat. Deinde quatuor rubra uexilla totidē pontificij satellites quos uocāt curiores, ferebāt: ad quę pontificij cubicularij, atq; ipsa ducis Pennę familia sequebatur. Post quos antiquum populi Romani uexillum Iulius Cæsarinus comes portabat. Deinde quod dicitur diui Georgij uexillū iunior Marchio Anguillarię gestabat. Postea Romani Imperij Aquilam generosus ex Vergeria prosapia baro Autregius attollebat: succedebāt, uexillum pontificis, uexillum ecclesiæ, porrò uexillum Crucis: quorum primum comes Ludouicus Rangon, alterum nobilis baro Gabriel Romanæ militiæ tribunus, tertiū magnificus Laurentius Cibo nudo capite gestabant. Sequebantur deinde sex albicantes equi superbissimis ephippijs phaleriscq; magnificētissimè adornati, quos totidem purpurati helciarij à manibus ducebāt. Tum quatuor pontificis insignes tyaras totidem cubicularij ferebant, quos deinde longissimus cæterorum cubiculariorū, acolytorum & pontificiæ aulæ clericorum scribarumq; ordo sequutus, tum causidicorum, aduocatorū & iurisconsultorū ingens numerus. Porrò auditores Rotæ suo cocco & purpura insignes obequitabāt. Sequebantur deinde tympanistarum, tibicinum, cornicum, tubicinum, singuli suum taratantara tonantium multitudo nō modica. Quos eueſtigiò sequuntur ostiarij, ianitores, lictores, uirgiferi, bacularij, corynophori: deinde principum regumq; & Imperatoriæ Maiestatis Heraldi suis paludamentis ac phaleris magnificentissimi. His succedebāt diuersorū populorū tum principū atq; regum oratores & legati. Postea subdiaconus quidam summi pontificis pastoralem baculum triplici cruce insignitum præferebat, post quē alter pontificiā prædiuitē tyarā ostentabat. Sequuntur alij duo, qui totidē ardentibus lychnis aurea cādelabra gestabāt. Deinde dominici corporis adorandū Sacramentū in sua capsula, super niuei candoris aurato tegmine magnificè phalerato gradario ferebat sub holoserico umbraculo, quod duodecim Bononiensiū, cùm uiri patricij tū doctores physici sustentabant, atq; duodecim candidę cerę ardentibus tædis pontificij cubicularij ab utraq; parte comitabantur. Proximè deinde sequebatur summi pontificis sacrista, candidā uirgā manu gestās. Tum ꝓcedebāt celeberrima pompa, ad septuaginta ferè diuersi ordinis & per sua distincti agmina comites, marchiones, duces & principes, omnes aureis uestibus, & singuli suis lateronibus & satellitibus magnificè stipati. Quos deinceps ferè ducēti holoserico & polymito uestitu superbissimi satrapę, etiā suo satellitio stipati ꝑ ordinē sequebātur. Postea eleuatis arundini-

bus ſuis Imperatorij architriclini, quos Magiſtros domus uocant, tũm & Ma-
gnus Magiſter, iam comes à Rhodio ſuccedebat ſolus, quem proximè armorũ
rex heraldus, cui à Burgundia nomen eſt, paludatus antecedebat aureo argen-
teoq; nomiſmate plenas bulgas (hypoperas alij uocant) ab equi ephippio ſu-
ſpenſas ferens, è quibus ad utraq; uiæ latera, cum inter eundũ tum inter redeun
dum plenis manibus in plebem ſpargebat, Imperatoris liberalitatem procla-
mans, quæ tunc Imperium, Imperium, Imperium, uiuat Carolus Imperator ca-
tholicus, uiciſſim acclamabat. Erat autem nomiſma quod largiebatur, Impera-
toris effigiem, cum inſcriptione, CAROLVS V. IMPERATOR AVGVSTVS,
ab una parte inſculptam habens: ab alia uerò eiuſdem diui Imperatoris ſphæ-
geticum ſignum, duas uidelicet columnas, in quorum medio annorum Chriſti
numerus arithmeticis apicibus expreſſus erat, circumſcriptũq;, PLVS VLTRA.
Poſt magnum domus Magiſtrum purpuratorũ patrũ, reuerendiſſimorũ uide-
licet cardinaliũ cœtus, ſuo cardineo ornatu procedebat: ſequebãtur ſuo ordine
principes illi ſuperius nominati, ſacri imperij inſignia ferentes. Eueſtigiò bea-
tiſſimus pontifex, atq; à ſiniſtris eius diuus Imperator diademate illo ſumptuo-
ſiſſimo coronatus, aurea gemmataq; trabea circumamictus, ſed illa ſuper ingẽti
mabili quam antea diximus propter importabile pondus relicta, ambo eodem
ſub umbraculo, quod à tribus Venetorũ Oratoribus, & alijs tribus Bononien-
ſium patricijs attollebatur, mirifico decore incedebant. Quos ab utroq; latere
pontificij Imperatorijq; laterones, cùm Hiſpani tum Burgundiones & Germa
ni Alemannicq; ſatellites longiſſimo tractu à plebis intercurſu cõſtipabant. Hæc
clamabant omnis ſexus, omnis ætas, omnis ſtatus, uiuat Carolus, uiuat Impera
tor, Imperij quoq; nomen in cœlũ tollebãt: tum redolentiſſima diapaſmata im-
poſita thymiaterijs adolebãt, cyprioq; puluere tranſeuntes perfundebant. Se-
quebantur proximè à tergo pontificẽ duo cubicularij, & duo alij ob pontificis
in eos fidem ac beneuolentiã conſpicui uiri, horũ unus illi à ſecretis ſcriba, alter
uerò uitæ illius ualetudinisq; præ cęteris curã agens phyſicus atq; medicus: Im
peratori uerò proximè ſuccedebãt illuſtris comes à Naſſau, deinde archiepiſco
pus Barrenſis, pòſt Cauriẽſis epiſcopus, demumq; generoſus ſimul & reueren
dus Georgius Auſtrius epiſcopus Brixienſis, poſtea ſpectabilis uir Nicolaus
Pernotus, dominus Grãdiuallis, tum ſpectabilis dominus Michael Maius, Im-
peratorię Maieſt. apud ſummũ pontificẽ Orator perpetuus: porrò innumerica
nonum legumq; doctores ac uiri cõſulares, multi etiã eccleſiaſtici proceres &
prælati. Horũ omniũ turbã poſtremò premebãt longis ordinibus cataphracto-
rum equitũ galeatæ phalanges, ſuis ſignis teſſerisq; diſtinctæ, ut quę Marchio-
ni Aſcolenſi, quæ comiti à Rhodio, quæ Baroni Antregio, quæ Viennæ domi-
no, quæ Baroni ſancti Saturnini cæterisq; ſtrenuiſſimis ducibus parerẽt, facilè
internoſcerent, quorũ agmẽ auratis loricis interlucẽtes hypotoxotę claudebãt.
Hac celeberrima pompa pontifex atq; Imperator ad diui Dominici templum
uerſus progrediebant. Cumq; mediũ itineris ad quingẽtos fermè paſſus pene-
trãſſent, tũc multa honorificẽtia ſeſe cõſalutãtes, põtifex benedicẽs Impe-
ratori, p aliã uiã diuertens, cũ ſuis ſtipatoribꝰ ad palatiũ regreſſus eſt, Imperator
ſuis cum ordinibꝰ ad præfatũ templũ procedẽte. Cumq; iam deſiliſſet equo ad
fores tẽpli, aderãt ibi ex urbe Roma in albis ſuis canonici diui Ioãnis ad Latera
nũ, qui Imperatorẽ qua decuit reuerẽtia excipiẽtes, inſtitutis ad id ceremonijs,
in canonicũ Lateranenſem adſciuerũt. Tum Imperator diui Patris Dominici ſa
cram ædem ingreſſus, Deo gratias agens adorabat ad altare, peractisq; precib.
ſumpto in caput diademate, paratũ ibi ſolium conſcendens, aſſumensq; in ma
nus cùm aureum pomum tum euaginatũ gladium, multos & ſtrenuos & bene
meritos uiros equeſtri ordini aſciuit, ac aurata militia condonauit. His peractis
rurſus

rursus conscendens equum Imperator, eadem qua uenerat pompa, sed per aliã uiam palatiũ uersus regreditur. Itaq; iam arcubus & spectaculis omnibus præteritis & perlustratis, ubi ad forum uentum est, extemplò qui restiterunt ad cuspidem supra octo milia delectæ militiæ cùm Hispani tum Germani pedites, sclopetas omnes tum & maiores machinas tanto sonitu fulgureq; exonerant, ac si Iupiter ipse quicquid uspiam in thesauris suis fulminũ tonitruorumq; conclusum habuerit, id totum pariter simulq; tunc cœlo demisisset. Præterea personabarumq; nubes perstrepebãt. Tum populus omnis ingentibus clamoribus impetij uocem in cœlum efferens, Caroli nomẽ eiusq; uictorias & triumphos indefessis uocibus extollebat. Omnes supinis manibus gratias agebãt Deo, gratulabanturq; nouo Imperatori, applaudebãt mutuò sibijpsis, felicem Carolum Augustum, felicem eo Imperatore Italiam, felices sese omnes qui eum diem uidissent, exclamabant. Tum excitati per uniuersam urbem ignes, turres omnes festiuis facibus & impositis stipitibus flammis coruscabant: fenestræ omnes lucernis, tædis & cuiuscunq; generis ficti luminis cœlestium syderũ splendorem uincebant: suburbia præterea & circumquaq; adiacentes pagi, oppida, uillæ & castella, accensis in cœlum ignibus diei noctem æqualem reddebant, pulsantibusq; campanis lætitiæ signa latè monstrabant. Nulla species pulchrior, nulla pompa felicior, nullus triumphus illustrior unquam uisus est. Nullus dierum quos annalium uetustas consecratos in literis habet, cuius tam insignis gratulatio, tam effusum gaudium, tam celebres triumphi cùm fuerint tum esse debuerint, unquam à condita urbe, Bononiensi populo illuxit.

De reditu Imperatoris in palatium & conuiuij solennis apparatu.

HAc magnificentissima pompa inclinante se iam die, reuersus ad palatium Imperator desiliens equo, primum eos qui signa & uexilla præterebant, tum umbraculum gestauerant, & alios pleroscq; cùm nobiles tum ciues & scholasticos equestris ordinis auratos milites, procreauit. Deinde Basilicam amplissimam aulam auratis laquearijs & Babylonicis peripetasmatibus suspensam tapetisq; instratam, principibus comitantibus ascendit. Cernebantur ibi appensi laquearibus argenti polymixi pensilia q; candelabra, quæ luminosis cereis redolentibusq; lychnis referta, lumina latè profundebant. Conspiciebatur ibi etiam extructus amplissimus abacus, uarij generis aureis escarijs & poculis, putalancibus & lebetibus, œnophoris, amphoris, phialis, scyphis, cyathis, pateris tragematarijs miro artificio cælatis, gemmatisq; calicibus, & id genus epitrapezijs confertus. Ad caput autem Basilicæ sub aureo conopæo Imperatoris mensa sita erat, & iuxtà non longè altera mensa, qua magnificentissimus Sabaudiæ dux cæteriq; principes qui coronationis insignia portarunt, recubituri essent. Erant etiam cæteris principibus ac prælatis primoribus q; satrapis suspensa peristromatibus & instrata auleis, suisq; abacis & mẽsis magnificè parata cœnacula. Iam hora aderat conuiuij, & instructis mensis accumbebat summum thronum Imperator, ac deinde per ordinem cæteri principes suas mensas accumbunt. Dantur aquæ manibus, & solenni Oratione mensæ benedicitur. Tunc primores satrapæ (Dapiferos idcirco uocant) præeuntibus cum suis scipionibus architriclinis, argenteis canistris panem, & auratis patinis uaria tuceta, leucophaga, frictellas, tortas, & quicquid præclarum ars Apitia excogitare potuit, inferunt. Deinde secundis mensis grandioribus lancibus exquisitissimas per ordinem epulas copiosè apponunt, assa, elixa, iusculenta, frixa, pastillia, promulsidaria, pultaria, crustulenta, aliaq; lautissimorum eduliorum genera lapidissimis succorum multijugis condimentis suffusa, multa quoque supra appetentiam discumbentium magnificentiæ causa illata sunt.

Porrò

Porrò tertijs mensis quæ cœnã clauderent, uariegata coquinarijs artificijs multarum figurarum tragemata bellariaq; ministrabantur: nec deerãt toto conuiuio uarij generis generosissima uina, stabantq; præstò pincernæ, pocula singulis pro libito ingerentes, propinatoresq; ad omnes epulas & pocula prægustabant. Illud quoq; magnificæ liberalitatis spectaculum multis admirationi fuit, quòd post singulas dapes leuatæ mappæ & mantilia, unà cum auratis argenteisq; patinis & lancibus, cumq; cibarijs à fenestris in forum præda plebi proijciebantur, structoribus interea alia supra alia imponentibus. Cumq; iam absoluta esset cœna, dilutis pro more odoratissima aqua manibus, remotis mensis, iterum solennibus precibus redditę sunt Deo gratiæ. Tunc Imperator accepto in manus sacro gladio, plurimos rursus cùm nobiles tum consulares uiros ad equestris ordinis honorem dignitatemq; prouexit. Magna denicq; parte noctis transacta, principes singuli consalutato Imperatore, ad sua diuersoria cubitum faceſſunt, populo Bononiensi adhuc pluribus florulentis diebus ignitisq; noctibus festiuitatis celebritatem iugiter continuante.

Totius operis peroratio.

DIcite io Pæan, & io bis dicite Pæan: Illa enim quæ omnibus horis omnibus uotis indefessis precibus semper optauimus, illa inquam felicissima dies tandem nobis illuxit. Coronatus est Carolus v. Imp. semper Augustus, cuius in Italiam aduentu mox pacati hostes, discessum ab armis, compolita bella, cõfœderati principes & respublicæ, sedati tumultus, reuocati in concordiam factiosi optimates, totaq; Italia post tot armorum miserrimam afflictionem à grauissimo tyrannidis iugo uindicata, & uera Imperij luce recreata securitati & libertati restituta est. Sola Florẽtia restat armis & obsidione cincta, quæ (si summi pontificis prætensa iura paterentur) ipsa quoq; Imperatoris nutibus lubentissimè obsequeretur. Cæteræ omnes Christianę nationes tanti Imperatoris, aut pietate deuinctæ, aut metu quietæ sunt. Quem principem diuinitus constitutum & ab ipso Deo repertum, uocatum, electum atq; missum ad hoc amplissimum Imperium moderandum uidemus. Cuius gloria humanum modum supergrellã, ipsaq; rerum gestarum insperata magnitudo, & inimicorum suorum uictores exercitus diuinitus profligati testantur, quia non est alius princeps qui habeat sic appropinquantem sibi Deum, sicut adest illi Dominus Deus noster: quo aspicio iam diuinare audemus, nõ nisi nouum & ingens maiusq; miraculum futurum: nullum autem maius neq; Reipublicæ Christianæ salubrius euenire poterit, quàm quod sublatis quæ circa religionẽ nostrã in Germania factiones grassantur, expurgatisq; & extinctis prauis errorũ opinionibus (quod in proximis istis Germanorũ comitijs, cum diuino cõsiliorũ Imperatoris obsequio futurũ certò speramus) ecclesiæ catholicæ pacẽ tranquillitatẽq; restituat. Deinde etiã has suas prouincias, licet felicissima pace fruentes, aduentũ numinis sui illustret reddatq; feliciores, quò sic tandẽ pacato orbe Christiano, unanimi principum & populorũ consensu cõtra immanissimos Turcas Christianæ religionis sanguinarios hostes, uictrices ferat aquilas, fauente Deo optimo, maximo, cretino. Quẽ nos suppliciter, obnixè & indesinenter, omnicq; uotorũ nuncupatione precamur, ut Carolũ v. optimũ humani generis Imperatorẽ Augustũ, in longissimos annos nobis & posteris nostris (neq; uerò illi melius quicq; optare possumus quàm quo fruimur ipsi) semper felicissimũ, inuictissimũ, triumphatorẽ, conseruet & augeat, utq; omnia sibi pro desiderio diuini animi sui, quo nocere quidẽ nemini, prodesse uerò omnibus uelit, ad incrementũ Christianæ religionis, imperij amplitudinem, & nominis gloriæq; immortalem prosperè felicissimeq; succedant. Et nos omnes tam optimo felicissimoq; imperatore, obedientia, fide, gratitudine, dignos reddat & diutissimè frui concedat. Finis.

HEN.

HENRICI CORNELII AGRIPPÆ IN TRIVMPHALEM CAROLI CAEsaris coronationem Epigramma.

ROma tuus ſileat Cæſar ſileantq; triumphi,
Et quæ teſtantur pegmata facta ducum.
En quia mirамur Graios iuuenemq; potentem,
Quem meritò magnum ſecula priſca canunt?
Maiùs habet terras numen, maiorq; triumphus,
Maius & imperium, gloria, fama, decus.
Dijs genitus pietate nitens, iuuenilibus annis
Carolus, & bello clarior atq; toga.
Arma mouet Gallis, Heluetica corda retundit,
Et tua nil trepidat tela Britanne ferox.
Eridanus croceo decurrit ſanguine, Tybris
Illachrymat, Rhoadnum triſtior unda premit.
Vos etiam Ligures & Punica littora, Iberum
Quàm nocuit ſerò hunc uos coluiſſe Deum.
Nec modo Chriſticolas, uerùm Garamãtes et Indos,
Arctoosq; ſimul continet, urget, habet.
Ergo agè qui ſolus, qui victor in orbe triumphas
Carole, ſubiectis parce, ſuperba domans.

Eiuſdem epigramma ad Flamineam Bononiam.

Quàmodò te Memphis laudem, tantumq; laboris
Aſſyrijs, & quicquid ſeptem miracula mundi
Corda ciere uirum, doctoſq; ad carmina uates?
Nil modo Niliaci fuerint, quandoq; Quirites.
Sola triumphales modo digna Bononia laudes
Vrbibus in cunctis præcellis uertice, tantum
Te propter Muſæ Latium, te propter eandem
Pallas, & afflati diuino numine Phœbi
Incoluere ſimul legum & ueneranda poteſtas.
Iam modo Cæſar adeſt, trepidat quo numine mundus,
Cæſar adeſt, meritos præbes tu ſola triumphos.
Quum multi ſua fata lugent, quum lætus Iberus
Defuit, ac Rhenus Romanaq; mœnia fumant,
Heluetijſq; latent bellacia pectora Martis.
Tu modo captiuos proceres, Gallumq; ſubactum,
Innumerosq; alios, quicquid uel indica tellus
Continet, ad Mauros oſtendis læta triumphos.

Eiuſdem, aliud Epigramma in perſona Caroli Cæſaris.

Carolus ille ego ſum Quintus hoc nomine Cæſar,
Natus ad imperium, Romana ut ſceptra tenerem.
Eſt animus feſſas mutasq; reponere leges,
Iura tribunorum, faſces, priſcosq; Quirites,
Patricios reuocare uiros, ſanctumq; ſenatum,
Reddere primæuo Capitolia priſca nitori,
Oppreſſos releuare manu, frenare ſuperbos
Conſilijs armisq; meis, iurisq; uetuſti
Legibus, & ueterum ſeruato tramite morum,
Omnia in antiquam correcta reducere pacem.

Eiuſdem Epigramma in imaginem Caroli equo inſidentis.

Carolus Auguſtus belloq; & pace triumphans,
Quantum pugnaci conſpiciendus equo:
Audet & infreno ſeſe committere curſu,
Hæc docet artifici picta figura manu.

Eiuſdem Epigramma in perſona Mercurii olim Cæſaris cancellarij.

Rexerat imperium Cæſar felicibus aſtris
Inter mortales cum mihi uita foret.
Omnia tunc ſuperũm nutu teſtabitur omnis
Hoſtis, qui contra duxerat arma deos.
Dijs nunc iratis reuocatus ad æthera cœlum
Appetimus, mirum ni modo cuncta ruunt.

Eiuſdem Epigramma in Emblema nobilis domini Roſebaldij.

Triſtitiamq; Alecto, curas q; Megera, ſed atrox
Omnia Cteſiphone ſuſpicione ferunt.
Nox Acheron lachrymas, prudẽs obliuio & unguẽ
Opponit, picta hæc Gallica uerba monent.

In idem, aliud eiuſdem.

Cuncta modo Alectoq;, Megaraq;, Cteſiphoneq;,
Mœſtitia, curis, anxietate ferunt.
Nox Acheron lachrymis, prudens obliuio et unguẽ
Opponit medium, ut Gallica lingua monet.

Hilarij Bertulphi Ledij Epigrãma ad D. Bernhardum Paltemeriũ, reuerendiſsimi Cardinalis Campegij Apoſtolici legati, œconomum.

Quid rogo portendit nimium iam pomifer annus,
Vix tot habet frondes mala quot arbor habet:
Agrippæ? quid heri uiſus Bernharde cometes?
Multorum, ille: ſed hic, unius interitum.
Cuius at interitum? ſi non eſt Cæſaris, ut ſit
Quantumuis magni principis, exiguum eſt.
Exiguum eſt fateor, ſi non & principis huius,
Quo ſibi pontificem ſoſpite Cæſar habet.

Eiuſdem

Eiusdem Hilarij in canem Agrippæ, cui nomen erat, Filiolus, Epitaphium.

Hospes, Filiolus quod eram, ter amabile nomen,
Quod mihi Filiolo nobile nomen erat:
Non mirum: dominus me famigeratus amabat
Agrippa, ingenij cognitor ille mei.
Quippe cui haudquaquã rationis inanis habebar,
Cui tam gratus eram, quàm bene fidus hero.
Particula est homini, diuimæ cœlitus auræ,
Magna mihi humanæ portio mentis erat.

Aliud.

Hic hospes tibi Filiolus iaceo Agrippinus,
In uita tantùm non homo, morte canis.

Aliud.

Filiolum dominus me quur Agrippa uocaret,
In causa est, memori mente minister eram,
Atq; adeò in cunctis fueram paulo minus, id quod
Natus patri etiam, non modò seruus hero.

Aliud.

Quis neget esse animum & quoddam diuinius istis
Ingenium canibus, qui comitantur herum.
Qui dominum toties à grassatore tuentur,
Testem Volcatij quis neget esse canem?
Quippe à suburbano rure Asturcone reuertens,
Nónne animam dominus debuit ille canis?
Testis item Licij cantatus Iasonis alter,
Quum post fata sui iam nihil esset heri.
Ille senatorij neq; Cælius ordinis esset
Cæsus ab armata, ni canis ante, manu.
Sit paradigma etiam tibi nobile, regia coniunx,
A' cane Consynge dilacerata suo.
Res mira est, potuit non agnouisse puellam,
Quam canis uxorem nouerat esse prius?
Forsitan haud uisa est illi, quum scilicet uxor
Lasciuo nimium luderet usa ioco.
Quid memorem populi Romani astante corona
(O' quàm spectata est digna canina fides)
Corpus ut extinctum domini, mœsto ululatu
Ad proiecta canis detulit ora cibum:
In Tyberim natitans ter sustentare cadauer
Conatus. Tanta est Romule bruta fides.
Pro domino pugnant soli, sua nomina soli
Agnoscunt memores, plus elephante canes.
Quod si adeò insertis magna experientia paruis,
Vis tanta ingenij si uel araneolo:
Disceptator item superat si Gryllus Vlyssem
Plutarcho, solidæ nec rationis eget:
Cuius, si qua alijs, quota pars animantibus, etsi
Præsertim canibus, particula ulla catis
Agrippæ cuius hic habuit paulo minus assem
Vnciolam humanæ, si modo mentis habent.

Aliud.

Quis mage Filiolo famulus dextrâq; sinistrâq;
Obsequio & memori mente sequutus herum?
Quis quàm Filiolus fido plus corde sodalis
Atq; comes domino, quàm fuit ipse suo?
Ecquod præsidiũ haud temerè corrumpitur æquo,
Quod minus obsonij quæritet, atq; sipis?
Filiolus, reduci comes huic illuc abeunti
Planè indiuiduus nocte dieq; fuit.
Quid quæso excubijs inconniuentius unquam?
Filioli obseruat peruigil ut dominum.
Quo propulsata est maiore iniuria nixu,
Quis potius dominum quo teneatur habet?
Filiolo domini nihil unquam ut amantius uno,
Sic & in hoc constans semper amore fuit.
Filioli, domino nil contra ut amantius uno,
Vni & in hac summus, nunc ita morte dolor
Vsq; adeò agnouit perfectum illius amorem,
Hæc cynico ut faceret carmina digna tapho.
Nempe creaturæ naturam insignis amandæ
Duxit, & eximium uel canis ingenium:
Plures sanè homines, queis nil ingratius unquam
Terra tulit, digni uita & honore minus,
Quàm canis hic noster, cui non sine nomine mœsto
Filiolo, Grylli cætera uultu homines.
Heu obijt domini monumentum hoc fiat amoris
Vanæ haud gloriolæ, sic aberit Nemesis.

Hilarij Bertulphi Ledij in generosam dominam Ianam Loysam Tytiam Gebennensem, Henrici Cornelij Agrippæ coniugem.

Quum Veneris Iuno cinglum sibi posceret, in quo
Insit amabilitas omnis, & omnis amor,
Id quod amatori uice posset ferre marito
Arctius amplecti, quo petit una suum.
At Venus, hoc alia sub quercu collige sodes
Illius hac nunc copia nulla mihi est.
Quin petis hac una præstantes dote Gebennas,
Quas Rhodanus latas abluit inter aquas?
Henrici est mihi præsignis Iana Loyse,
Agrippæ coniunx, quæ modo cestos habet.

Reuerẽdi P. Magistri Aurelij ab aqua pendente, Augustiniani, Epigramma ad eandem.

Curarum Agrippæ requies tu Iana Loyse,
Delitium sola es solatiumq; tui.
Cui Venus & Charites pulcherrima dona dederę,
Quæ tibi Pierides contribuere simul.

Quãm

Quàm meritò doctum tibi cœlica numina uatem
Fatidicumq; simul contribuere uirum.
Doctrinæ hic specimen, Veneris tu gratia magna,
Vndiq; conueniunt gratia, flamma, fides.
Eia agè, ardentem ardens complectere uirum,
Perge & amplexu delitiare precor.
Oscula iunge simul fidißima pignora amoris,
Quo tibi perpetuus concelebretur honos.

Eiusdem Aurelij in eandem disiunctam, Epigramma.

Laudarunt alij formam, quam Iana Loysæ
Egregiam superi contribuere tibi:
Ille pudicitiam fert pleno carmine Pallas
Inquit, uiue mihi docta Loysa diu.
Et quis non mores, & grandia uerba, modumq;,
Et genus, & Chariten concelebrare uelit?
Impia parca nimis, nimis heu uiolenta quid ausa es
Diuinum hominibus surripuisse iubar?
Vos superi retinete animum, retinete Loysam,
Iana quidem digna es nectare & ambrosia.

Ad eruditissimum uirum Henricum Cornelium Agrippam Decastichon.

Vt tua Corneli Pallas, tua maxima uirtus
Afflat Apollineo pectus amore meum,
Non aqua, non ignis nostro sic utilis æuo,
Vt sunt Pierij fœdera sancta gregis.
Luminibus serò sors obtulit inuidia nostris
Tot bona, tot nobis interiere dies.
Corrigitur dulci iactura grauißima fructu,
Est uetus à longa mos properare mora.
Tarda sibi ualidas acquirat gratia uires,
Vincamus stabili tempora prisca fide.

Marius Celsus Colentinus.

Cur syluas traxisse ferunt, cur flumina fingunt
Orphea, Threicio detinuisse sono?
Tartareosq; deos fidibus mouisse canoris,
Eumenidasq; feras, tergeminumq; canem?
Saxa Cytheronis Cadmea in mœnia dicunt
Quare Amphionia sponte coisse lyra?
Agrippæ facunda docet te pagina Lector,
Quæ posset matres flectere Strimonias.
Præterea Oceani fluctus tibi monstrat aheno
Exiguo clausos, paruulus iste laber.

Hilarij Bertulphi Ledij Hendecasyllabi, ad Alardetum canonicum Gebennensem.

Solo nomine iam recens Agrippæ
(Alardete tuis decus Gebennis)
Audito mihi, protinus per omnes
Iuro numina sanctiora musas,
Vero uerius esse, quod bonarum
(Sed si quis bene norit his abuti)
Nugarum cecinit parens Homerus,
Ιατρὸς γὰρ ἀνὴρ, ut inquit, ἀνδρῶν
Εςὶ ἀντάξιος, addiditq; πολλῶν.
Ausim huc addere nunc & ipse, πάντων.
Sed quum nobilitas libens Agrippam,
Quanquam nobilis est sat ipse per se,
Facunda mihi buccinatione,
Vtq; ars, cura, fides, pares in illo
Certent colligis: Ingenij geniq;,
Vi præstans, adeò boni feratur,
Ne mî secula quis uetustiora,
Nec cantet medicos diu celebres,
Hinc sint, Hippocrates abi, Machaon
Grandi cum Podalirio facessat,
Tantum non simul ô Apollinare
Hinc te numen ad insulas beatas
Maternam nisi mens adire Delon
Legarem, nisi tam potens præesses,
Ex æquo medicisq; uatibusq;,
In queis omnibus emicans Agrippa est.
Ceu tu sydera cum minora condis,
Nedum uel superat uel æquat omnes,
Modis omnibus & recentiores,
Modis omnibus & uetustiores.
Da mihi secula iam recentiora,
Cerno bis medicos beatiores
Iam Copus, Linacrus, Ruelliusq;
Adsurgent (mihi dictat hæc Apollo)
Cedet mirificus Leonicenus.
Adsurges (præit hic Apollo uati)
Quin dicam omnia? docte cum diserto
Cedes Symphoriane Marliano.
Cantet non Italus Leonicenum,
Non Anglus Linacrum, nec ipse Copum
(Erasmo licet audiente dicam)
Germanus meritò licet celebret
Imprimis alias, nec ipse iactet
Gallus Campegium Ruelliumq;.
Si qui sint alij supersedendum est,
Iis quos barbaries recondit atra,
Et damnat tenebris latebricosis,
Et damnat latebris tenebricosis.

Aliud eiusdem.

Alardete sacris decus Camœnis,
Quidam nunc mihi uellicauit aurem,
Non augur tamen is potens Apollo,
Pontam putat hanc recentioris
Sublatam mihi clausulam poëtæ,
Me furem mage (si placet Laueruæ)

Me clamat mage, non Lauernionem.
Non ausus plagiarium uocare.
Credo nec libet id licet, liceret
Nec forsan licet id, licet liberet
Vt barbasculus undecunq; uates.
At ô despeream miser, miserq;,
Ceu fur emoriar, probatiores
Vnquam si mihi contigit uidere
Pontani hendecasyllabos poëtæ.
Iurato mihi credit ille nunquam.
Atqui quid uetat impeditq; uates,
Vnum quo minus ac subinde uersum,
Quem doctus cecinit Catullus olim,
Quem nuper bene condidit Marullus,
Germanus canat hinc & inde Gallus,
Queis est ingenijs nihil negatum?
Sed nunc quo faciam satis superq;
Moroso tibi tam probè diserto,
Non ipsi mea iam minus probatur,
Quàm Pontanica mi placet coronis.
Quocirca tibi concinam libenter,
Non dicam tenebris latebricosis,
Adfectans duplicabilem tropiscum:
Sed dicam tenebris Lupoldianis.
Quod si nec placet hoc nec adlubescit,
Gingolphi potius uel Ortuini.

Aliud.

Quid mi suggeris ô Apollo? dixtin?
Præstanti omnibus & modis Agrippæ
Cedet mirificus Leonicenus?
Nec uictoria, nec triumphus ipsum,
Nec præferre potest λεωντα νεικη.
Quid Nice? heus ô Apollo crimen ingens
Per Musas capital Apollo noster
Nice est grandior hæc Leoniceni,
Hæcq; syllaba, quam breuem sonabat,
Longæ longior intonante Græco est.
Græcè nescio, sat scio Latinè.
Olim Græcus eram, nec ut Latinus
Essem cura fuit, satis disertus.
Sed nil præterea sat id putaram,
Ac oracula cum darem Pelasgis
Primò, dein Latijsq; barbarisq;
Respondere nisi perinde Græcè,
Cortinæ, tripodesq; Phœbadesq;.
Sed quo nunc resipiscerem pudore
Adfectus roseo, frequenter ad nos
Musæ me quoq; tunc sagaciores
Oratum undiq; principes Latini
Misere eloquij uiros disertos.
Et quid dissimulo? meis utrinq;
Planè ludibrio fui Camœnis.
Audiui innumeros, sed ut potentis
Callentem modò spiritus Erasmum
Et Græcè simul & simul Latinè,
Idq; examine semper æquilibrij.
Agnoui attonitus stupensq;, & ore
Vt suspensus inaudij rotundo
Hinc sacra, inde prophana disserentem
Crebrò quàm sacra quàm prophana mistim.
Mox inceßit Apollini Cupido
Imprimis Latialiter loquendi
Hinc discens studiosius Latinè,
Et cura mage pertinace Græcè
Penè didici, tibi ne mirum id?
Nec mirum mihi, si subinde lapsus,
Si tempuscula syllabæ, quod aiunt,
Quid quæso hac morula magis minimum?
Crassa conduplicò supinitate,
Et nostri ueniam dabunt magistri,
Quis parui Paracletus est momenti
Momenti. Quid Apollo, dic quid hoc est?
Mirum, iam quoq; lapsus es Latinè.
Mi quamuis faciles & hoc Magistri
Condonant, tamen id putate factum
A' me compositò, ut uidere discant,
Quantum id quod prætiosius legentes,
Summum temporis interim tonantem
Quo fraudant magis indies in horas,
Cui tam spiritus est breuis per illos.
At maior mihi nunc uolo triumphus
Et uictoria sit Leoniceni.
Quanquam nolo mei sit hac Agrippæ
Aut præstantior, aut magis celebris,
Ni quamuis rapui, tamen Latinè
(Graiorum crepidæ crepent licebit)
Vt Prudentius, Idolon, libenter:
Dicam, si non placet hoc, tamen licenter,
Cur Graij Latio disertiores?
Tandem non id Apollini licebit?
Quòd si non facit hoc satis peritis,
Quis non syllaba res minuta paßim
Et magnis quoq; digna res magistris.
Hic præstare habeam sat est utraq;.
Iam nunc deniq; quid necesse noui.
A' Græca simul & simul Latina
Constans, altera ut alteri nocere
Ne posßit, studiosus auspicabor.
Sic sic utraq; condocenda lingua est,
Sed non mi faciles erant magistri.
At si nunc hominum deûmq; sollers
Sum consultius, ut eligam disertum

E multis mihi milibus magistrum.
Erasmum lego, siue Capnionem,
Maius sum quibus ipse conspicatus
Nil surgens, melius, cadens ue. Vterq;
O quam Nestora uincit eloquentem,
Si tam Nestora uinceret Trifeclem
Parcarum uetat quod malarum.
His uilam sed Agrippa prærogabis.
Atqui dum studijs laboriosus
Sacris imq; peditus est uterq;,
Ebeu semper uterq; non leones,
Sed Leos habet hinc, & inde stygas
Rudenteis magis atq; rugientes.
Et Germania nunc habet disertos,
Vix dum me iuuenes adultiores,
Vix dum flore genas reuestientes
Formandum his potius libenter ipsum
Summittam modo me, meumq; plectrum,
Quo, si confieri queat, senectus
Vt par est, uenerabilis quiescat.
In promptu datur ecce uel Melanchthon,
Offertur Sapidus ue, Listrius ue.

ΤΕΛΩΣ.

VICTORIA SERENISS. PRINCIPIS ET D. D. SIGISMVNDI EIVS NOMINIS PRIMI, REGIS POLONIAE, MAgni Ducis Lituaniæ, Ruſsiæ, Pruſsiæ, ac Maſouiæ, &c. Domini & hæredis contra Vayuodam Muldauiæ, olim Daciæ, Turcæ tributarium & ſubditum: cui ſubeſt Valachia, Myſiæ inferioris pars ad flumen Tyram influens Pontum Euxinum, quæ à Deo data fuit terna in Menſe Auguſto præterito, & conſummata XXII die eiuſdem Menſis, Anno Domini M. D. XXXI.

VAYEVODA Muldauicæ & prædeceſſores eius, ut perfidorum mos eſt, nihil unquam longo iam tempore, regibus & regno Polonię, quod tenebantur, præſtiterunt, cui ipſe Vayevoda innixus, hyeme præterita, præter omnem expectationem fœderibus & iuramentis, quę fecerat, neglectis, nullaq; hoſtilitatis denunciatione præmiſſa, prouinciam regni Poloniæ Pokucziæ nuncupatam, fide & honore poſthabito, occupauit. Quam iniuriam quũ ſereniſſimus Poloniæ rex diutius ferre non poſſet, exercitum ſelectorum mercenariorum militum ex regno ſuo comparauit & conſcribi iuſsit, opera magnifici Domini Ioannis comitis de Tharnovu, Palatini Ruſsiæ, & exercituum regni Polonię capitanei generalis, uiri in militaribus clarisq; alijs in rebus præſtantiſſimi, quem ille uarijs in locis, ne hoſtis certum numerum ſcire poſſet, collegerat & diſpoſuerat, & non multo ante feſtum ſancti Iacobi ad loca, quę præſidijs hoſtis firmata erant, admoueri iuſſerat. Conſtabatq; totus ille exercitus equitibus, præter CCC pedites, q machinis & bombardis erant addicti. Ex his equitibus ipſe capitaneus generalis præmiſit duo milia, & aliquot centum equites, qui præter Valachorum ſpem & ſcientiam uarijs in locis prouinciam illam Pokucziæ adorirentur. Valachorum ibidem in præſidijs erant fortaſsis M. CCCC. bello apti, præter aliam colluuiem. Poloni milites mandata capitanei ſtrenuè exequentes, non una ex parte eam prouinciam inuaſerunt, confligentes cum hoſtibus multos trucidarunt, & nõ paucos

uiuos ceperunt, inter quos erant pleriq; ipſius Valachi familiares & aulici, atque in duobus diebus totam illam prouinciam recuperarunt, præter caſtrum quoddam Guuoſdziecz, quod cuidã nobili Polono Thuuorouuski nuncupato fuerat ademptum. Hoc tamẽ etiam paulo pòſt obſidentes, in poteſtatem ſuam redegerunt, & illi quendam præfectum militum Vlodek nomine præcerunt: pauci ex illa Polonorum irruptione, Valachorum, qui ſuperfuerãt, euaſêre in Valachiam. Huic uictoriæ capitaneus generalis comes de Tharnovu non interfuit, ſed cum potiore exercitus parte rerum euentum non procul pręſtolabatur. Victoriæ uerò nuncium cum quibuſdam captiuis, nobilis quidam iuuenis Spitek de Tharnovu ſereniſſimo Poloniæ regi Cracouiam apportauit. Paulo pòſt appulit etiam ad Sereniſs. Maieſt. Regiam generoſus dominus Hieronymus Schaffranyecz, qui plurimos ex ea uictoria captiuos attulit, hiq; hinc inde per caſtra regia habentur diſtributi. Poſt hanc acceptam cladem Vayeuoda Valachus percitus, omnes quas potuit ſuorum copias congeſsit, & in tres exercitus diuiſit, eratq; numerus omnium ſupra uiginti millia. Cum his in prouinciam Pokucziæ perueniens, ſex milia equitum ad recuperandum caſtrum Guuoſdziecz tranſmiſit. De quo certior factus comes de Tharnovu, capitaneus generalis, maturè cum toto ſuo exercitu, & his qui ultrò ſe adiunxerant, ad ſuccurrẽdum obſeſsis & caſtro affuit. Hoc uidentes Valachi, XIX Auguſti præteriti cum exercitu Polono manus conſeruerunt. In eo conflictu, cùm Dei adiutorio, Poloni ſuperiores facti, Valachorum illa ſex millia profligarũ, & in fugam uerterunt: multi illorum cæſi, capti quàm plurimi, & præſertim de illis, qui ipſius Vayeuodæ curiæ inſeruiunt. Hanc ſuorũ ſtragem, quum à duobus ſuis capitaneis, qui ex prælio profugerant, Vayeuoda audiuiſſet, commotus, iuſsit illis amputari capita, ſed aliorum precibus uictus, cathenis ferreis uinctos cuſtodiæ mandauit. Hæc eſt Valachorum conſuetudo, ut eos omnes qui ex pugna euadẽtes domum reuertuntur, ſupplicijs grauioribus quàm ſiin hõlo cecidiſſent afficiant. Hinc fit, ut in confligendo multis alijs nationibus ſint ferociores. Accenſus itaq; Valachus ira pariter & pudore, ipſe in perſona cum ſuis omnibus, Polonos ſeptos caſtris, ut eorũ mos eſt, curribus & uallis factis, cũ multis magnis bellicis tormentis, quæ ſecũ duxerat, aggreſſus eſt. Quumq; Poloni ſic cincti, nõ excedentes ſextam partem numeri militum, quem ſecum habuit Valachus, uim globorum ulterius ferre non poſſent, prioribus uictorijs animati, & ope diuina adiuti, extra uallum in ordinibus ſuis proſilientes prælium commiſerunt, & cum hoſtibus de perfidia expoſtulantes, & certantes ad quinq; horas, ſine intermiſsione cõſeruerunt manus, illoſq; ad internecionem uſq; proſtrarunt. Namq; præter multa alia millia cæſorum Vayeuoda ipſe fugiens duobus uulneribus eſt affectus. Tormenta bellica magna quinquaginta cum pulueribus, globis, curribus onerarijs, & toto cõmeatu capta interq; fuerant quædam ante XXXIIII annos Polonis, & ſuperioribus annis ipſis Tranſyluanis Vngaris adempta. Item duo uexilla maiora & principaliora, cum pana, & multa alia bellica apparamenta. Quæ omnia facta ſunt XXII Auguſti præteriti. Poloni proſequentes uictoriam, inſequuti ſunt fugiẽtes Valachos per miliare Germanicum unum & dimidiatum, trucidantes, & pleroſq; deno bilioribus uiuos capientes. Fuit cæſorum ingens numerus, & inter eos multi de primoribus Valachi reperti. Hunc lætum uictoriæ nuncium attulit ſereniſs. Poloniæ Regi quidam præfectus militum, nomine Szuuienzicki XXIX Auguſti Cracouiam. Poſtero die miſſus à comite de Tharnovu capitaneo generali quidam iuuenis nobilis nomine Sbigneus Szienyenski quoſdam Sereniſs. Maieſt. Regiæ etiam captiuos attulit. Et inde alius præfectus militum Iaſlouiecki duxit ſecum magnum captiuorum numerũ, inter quos eſt qui dicitur

fermone

sermone Valacho Glogofer, quod est apud illos supremi cancellarij nomen. Item & pocillator seu pincerna & structor mensæ, cum pleriscq; alijs ipsius Valachi officialibus. In summa nihil aliud ex eo conflictu secum quàm duobus vulneribus saucium corpus asportauit Valachus, qui non immeritò perfidiæ suæ sic dedit pœnas. Hinc tantus timor suos in Valachia inuasit, ut multi in Vngariam & Moldauiã quotidie cum bonis suis profugerẽt. Christo domino sit honor & gloria, atq; omnis gratiarum actio, qui sereniss. Poloniæ Regem quàm diutissimè contra crucis suæ hostes uiuere & triumphare concedat, Amen.

EXCERPTA est hæc Victoriæ historia ex ipsis sereniss. Poloniæ regis literis, & quorundam, qui omnia magis peculiariter scripserunt.

Datum Bruxellis, in curia Cæsariæ Maiestatis XXIIII Septembris, anno Domini M. D. XXXI.

Per R. D. Ioannem Dantiscum, C. Episcopum Culmensem, oratorem ipsius sereniss. Regis.

FINIS.

DE VICTORIA VVIRTEMBERGENSI, AD ILLVSTREM ET INCLYTVM HEROA PHILIPPVM HESSORUM omnium, ac finitimarum aliquot gentium principem, Gratulatoria acclamatio.

AVTORE H. EOB. HESSO.

ORNATISSIMO VIRO DOMINO IOANNI FICINO, ILLVSTRISS. PHILIPPI HESSORUM Principis à libellis & consilijs, patrono & amico colendo suo H. Eob. Hessus S. D.

IN tibi promissi memorem Ficine Thaliam,
En tibi pollicita carmine iussa fide.
Hinc mea magnanimo recitabis scripta Philippo
Tu quoq; non ficti lege carmina plena fauoris,
Talia qui fingat scribere nemo potest.
Accipe communis patriæ spirantia laudes
Carmina: uix tanto principe digna tamen:
Ah quotiens tam iusta legens encomia, dices
Hoc te, quod faceres, Hesse decebat opus.
Non alia decuit cantari uoce Philippum,
Quàm quæ sic patrij nominis esset amans.
Carmine magnanimus potuit meliore Philippus,
Pectore non potuit candidiore cani.
Cumq; tot eximios habeat Germania uates,
Omnibus hæc meritò meta terenda fuit.
Quorum de numero quia nomina pauca fuerunt,
Quæ facili canerent Hessica facta pede:
Ipse nouum uolui uersu celebrare triumphum,
Tantus in obscuro ne premeretur honos.
Et ne, quæ tali nunc principe nostra superbit
Hessia, Phœbæa forsan egeret ope.
Qua cum nec melior, nec Musis aptior usquam
Terra sit, hac etiam laude superba foret.
Quod superest hæc inuicto Ficine Philippo
Carmina, sed læto principe, nostra leges.

Nam quia ſæpè meas nugas laudare ſolebas,
Hîc quoq; tu nobis æquus habendus eras.
Nec dubito, quin te mea carmina teſte probentur,
Verus Muſarum ſemper amicus eras.
Propterea hinc etiam ueros decerpere fructus
Debes, & meriti præmia ferre tui.
Tu quoq; curarum ſi quando à mole uacabis,
Atq; aliud, quod agas, non erit, iſta leges.
Iſta leges, patriáq; & principe digna uidebis
Te tamen ô utinam iudice digna. Vale.

Erphurdiæ in Thuringis XXII Septembris,
M. D. XXXIIII.

IN VICTORIA VVIRTEMBERGENSI AD ILLVSTRISS. ET INCLYTVM PHILIPPVM HESSORUM Principem, &c. Gratulatoria acclamatio Helij Eobani Heſsi.

a Exordium ab admiratione.

QVAE [a] noua tam celebri Germanum fama per orbem
Tollitur applauſu? quis honor, quæ gloria parta eſt,
Quæ tantis populos gratantes laudibus implet?
Quæ tam læta hilares uictoria concutit alas,
Et uolat Heſsiacas circum lateq; per oras
Te generoſe petens tua regna Philippe reuiſens?
Illa eſt ipſa tuæ: nec me ratio iſta fefellit,
Virtutis comes ingenitæ, uirtutis auitæ,
Virtutis patriæ, quondam tibi debita ſoli
Sola tot Heroas, tot & inter fortia regum
b Propoſitio. Pectora, te læto ſpectat placidiſſima uultu,
Te miratur, amat: colit, adiuuat, erigit, auget.
[b] O felix generoſe animi, fortiſſime bello
c Inuocatio. Vnde tuas laudes: unde ordiar iſta Philippe,
Quæ facis inuicta decora immortalia dextra?
d Digreſſio in laudem iuuenilis ætatis Philippi. Non ſi cuncta uocem ueterum ludibria uatum
Exequar iſtius minimum uirtutis honorem,
Quæ te nunc iuuenem Dijs immortalibus æquat:
Experiar tamen: ipſa meas modò dirigat orſus
[c] Aſtrorum decus Vraniæ, mea Muſa, meum cor,
e Guilielmus Philippi pater. Ipſa patris ſancto tangat mea pectora flatu
Vnde tamen? quó ue inde ferar? laudúm ne tuarum
A teneris orſus dicam primordia cunis?
Sicut ab Herculeis, ſi quem iuuat anguibus, uſq;
f Franciſcum à Siggingen Philippus ui iſta ferent olim de te ceciniſſe minores,
cit. [d] Qualis enim fueris iam tum puerilibus annis,
Quanta uere tuo floreres indole, quantis
g Seruile bellum compeſcuit. Dotibus ingenij, quanta uirtute potentis
Atq; inuicti animi, præſtares omnibus unus
Principibus, qui te primæ ue flore iuuentæ
Aequarent, quis neſcit? & hæc ſeſcire fatentur,
Qui Rhenũ, Fuldamq; bibũt, patriumq; Viſurgin,
Qui uirides Mœni ripas, laniq; frequentant,
Quasq; tuas præter fluit aurifer Aedera gentes,
[e] Iam iuuenis, iam pueribus ſpectandus in armis
Aequaſti propria laudes uirtute paternas
Illo te oſtendens dignum patre, cuius ab armis
Territa cognati trepidarunt cornua Rheni,
Non tamen Heſsiacos, qua ſpectat parte leones:
Et Nicer attonita ſtabat rapidiſſimus unda.
Hunc talem tantumq; patrem quam fortibus armis
Tu ſuperes, tua facta docent, tua clara Philippe
Militiæq; domiq; opera ædita, qualia nunquam
Vel mors ulla queat, uel edax abolere uetuſtas.
Sicut enim uirtute patrem rex ille Philippum
Vicit Alexander, ſic tu uirtute Philippus
Clara tui ſuperas Guilielmi facta parentis.
[f] Namq; ut prima tuæ, ſed fortia facta iuuentæ
Prætream, quis enim neſcit quàm fortiter hoſtem
Contuderis, tua regna auſum uiolare, tuisq;
Vim facere indigenis, quem tu nec læſeris unquam,
Nec cauſam dederis cur te peterêre, ſed ipſum
Deflet adhuc Sigginga domus, mortalibus auris
Te duce ſublatum, tota ditione ſubacta,
Aequatisq; ſolo domibus. Tibi ſeruit adeptum
Hoſtibus, antiquo dictum cognomine Burgum
Traiani, nunc uox alia eſt nec digna relatu.
[g] Quantus in agricolas ſeruilia bella mouentes
Quàm fueris ſubitò exortum metuendus in hoſtem,
Qua tales compeſcueris uirtute tumultus,
Qua uicto, ſtrato, pietate peperceris hoſti,
Millia quot letho dederis uictricibus armis,
Nolentum dare colla iugo ſæuire coactus,
In tua ſpernentes clementia iuſſa colonos,

Sed

Scit tuus in rapidum uenturus [a] Fulda Visurgin,
Scit uagus & paruo, sed iam grauis Vnster Hiera
Vidit enim [b] Thuringus ager quàm fortis in armis,
Quàm fueris parta [c] clemens in pace, nec unquam
Te tua crudelem victoria fecerit hosti
Deuicto, quantumq; truci pulcherrima bello
Commoda prætuleris [d] pacis, quam semper amasti.
Hoc de te confessa modò est data [e] Francia dextræ
Depopulanda tuæ, nisi te uoluisse liqueret
Plus pacem quàm bella sequi, si cura fuisset
Sanguinis ulla tibi fundendi, iam fuit hosti
Expressa inuito certæ victoria palmæ,
Nec dubiè iam victor eras, nisi uincere nolles,
Cùm tu pacis amans, retrò tranquilla secutus
Consilia, impositis subiecto legibus hosti,
Arma domum nunquam frustra commota reducis
Arma priùs nulli tam splendida uisa, nec ulli,
Quàm sibi quamq; tuæ tam uisa simillima dextræ.
[f] Qualis ab Eoo rediens Pompeius orbe
Victor inaurato scandat capitolia curru,
Regnia laurigeris stipent victricia signis
Hinc atq; hinc, & victorem comitentur ouantes,
Talis arenosi descendens littora Mœni
Liquisti, Fuldæq; tui piscosa reuisis
Flumina, non patria minor aspiciendus in aula.
Quid memorẽ casus tuleris quàm fortiter omnes
Semper in aduersis audax, inuictus in omni
Fortuna, nec inepta domi, nec turpia ducens
Otia, sed potius ueræ uirtutis amore
Exercitæ adiens per regna, per oppida, gentes,
Plurima multorum uidisti prouidus urbes,
Et mores hominum, nec pauca pericula adisti
Tam rerum uitæq; tuæ, quàm sæpè tuorum.
[g] O Laertiadæ nec inertior inclyte magno
Nec minor ingenio, si quis contingat Homerus
Qui te, qui tua facta canat, qui laudibus ornet
Virtutem ornatam meritis, rebusq; probatam
tam satis, ô qui me procul hinc ex Hesside terra
[h] Montibus Aonidum sistat, cupidumq; bibendi
Impleat os pectusq; sacri de flumine fontis,
Inspirentq; melos, quale inspirasse feruntur
Ascræo iuueni faciles, mea numina, Musæ.
Quod si ne tantas possim contingere laudes
Ingenijs tarda uetet, mediocria captem
Munera, dum non postremas mihi Musica partes
Turba ferat, quadamq; tenus ferar acta canendo,
Fortia, præcipuè tua fortia facta Philippe.
[i] Qui nũc Sueuiaco patriam sceptrumq; paternũ
Eximia uirtute duci post longa receptum
Tempora restituis, regnoq; reponis auito
Iectum expulsumq; domo, patriaq; fugatum
Huldreichum, uix hanc ausum sperare salutem
Ni tibi coniunctus, nisi pars non parua fuisset
Sanguinis ille tui, quem ni maturior annis
Esset, & ante tui metas excurreret æui,
Fratris habere loco poteras, nunc illius alter
Non secus ac potes esse parens, & iurè uocari.
O iuuenis uirtute senex, quàm nuper amicum
Adseris in patriam ditionem fortiter, armis
Pulsum, restituisse armis, tua sola sine omni
Consilio externo potuit clarissima uirtus.
[k] Quod si nunc ratio tales foret ulla paratus
Commemorare mihi, & pleno deducere uersu
Non spatium exigui, series non ulla libelli
Sufficeret, nunc parua breuem complexa papyrum
Carmina Musa canit, seq; ad maiora reseruat,
Quæ celebret tua facta olim, nec enim putat ista
Contentum fore laude, sed ad maiora paratum,
Si qua ferat ratio, & sinat insuperabile fatum.
[l] Pauca tamen uelut è multis dispersa per omnem
Campum diuitijs florum ornamenta iuuabit
Sollicita legisse manu, non temporis ulla
Exacta ratione, statu non ordine rerum
Sed ceu mellificæ uolucres per florida prata
Nunc hos nunc alios retinaci poplite flores
[m] Delibant succos, nec in ordine mellea certo
Pascua consectantur apes, ita nos quoq; sparsim
Præcipuos auido libabimus ungue colores
Victricis uario textæ de flore coronæ.
[n] Iam ter quinq; ierant à nato secula Christo
Si tria lustra bis adijcias & quatuor annos
Tempora florigeri iam ueris adulta propinquæ
Spectabat æstatis opes, quo tempore demum
Martia terribili concussa est Hessia motu,
Non aliquem patiens hostem quem pelleret armis.
Non etiam factura sibi quem perderet hostem:
Deniq; non urbes, non regna aliena tumultu
Inuasura nouo, penitusq; procacibus ausis
Sed temerè possessa alij & uiolenter adempta
Reddere regna uolens domino, quem crederet esse
Legitimum hæredem, simul & sua iura tueri:
Quòd de stirpe foret satus illius inclytus Heros,
Qui nunc Hessiaci dispensat sceptra leonis.
[o] Nã satis hoc notũ ẽ quã sanguine iũcta sit Hesso
Vuirtemberga domus, gentes hæc fama per omnes
Sparsa, minus mirum facit, & rem laude uideri
Præcipua dignam, quòd cùm tibi nemo pararet,
Nemo etiam posset, nemo quoq; uellet auitum
Dux Huldreiche decus uictrici reddere dextra:
Tandem aliquem toto reperisses orbe Philippum,

[a] Fuldana seditio.
[b] Thuringicus tumultus.
[c] Clementia Philipp.
[d] Studium pacis.
[e] Expeditio in Francos instructiss.
[f] Comparatio.
[g] Phil. Vlyssi cõparatus.
[h] Virgliana imitatio.
[i] Propositi aggressio.
[k] Excusatio cur non omnia describat.
[l] Comparatio.
[m] Applicatio per metaphoram.
[n] Narratio à periphrasi.
[o] Philippus Huldreicho sanguine iunctus.

Qui posset, qui uellet, & in tua regna pararet
Restituisse, tuis & te dux inclyte terris.
Hoc igitur tunc mente agitãs, hoc rebus adornãs,
[a] Apparatus belli. [a] Fortia magnanimus concusserat arma Philippus,
Nec mora, confluere & tota regione moueri,
Inuictos animis iuuenes, iam bella paciſci,
Poscere iam uideas uotis, ducantur in hostem
[b] Franco-phurtum ad Mœnum. Hostibus excidium cædes, clademq; minantes,
Arma fremunt, iam tela nouant fusura cruorem
Hostilem, insano sic fertur amore iuuentus
Martis in indomitam rabiem, nec in arma cohortes
Hessia sola equitum uocat, inuictasq; phalangas,
[c] Emporium Francofurti. Millia tot peditum, sed ab omni exercitus ora,
Qua se cunq; aliquo pandit Germania tractu,
Confluit & positis ad Fuldæ flumina castris
[d] Peditũ 30 mil. equitũ mil. Agmina condensant, & campos milite complent
Diuitis immenso merituri principis ære:
Nec cuiquam nocitura manus, nisi bella mouenti,
Et se iusta satis uetituris bella mouere.
[e] Non maiores copias Alexan. Macedonem habuisse. Et iam tempus erat, totis exercitus armis
Optimus instructus, per campos ibat apertos,
Te, caput umbrosa qui cingis arundine fluuium,
Mœne petens totus domino cessure Philippo
[b] Quia uada Francigenas olim accepêre, uetusq;
Nomen adhuc retinent, positis insignibus urbis
[f] Castra ad Nicrum locat Philippus. Mœnibus eximiæ, qua tum speciosa Philippus
Agmina per placidi traduxit flumina Mœni,
Ibat enim tacita refluus iam mollior unda,
Hostibus accipiens reditura inuicta subactis
Arma, quibus non antè uadis assueuerat amnis.
[g] Arx Asperga capta à Phil. Cum namq; [c] Emporiũ, quo nõ celebratius ullum
Teutonis ora uidet, tangentibus alluat undis
Mercibus assuetus per tempora longa ferendis.
Tunc equitum peditumq; uidens tot millia in armis,
[h] Natura bõ bardarum. Obstupefactus aqua dubia stetit, an' ne retrorsum,
Se raperet, peteret ne ingentis proxima Rheni
Littora, tantus erat terror uictura ferentis
Militis arma manu, tantos oblita stupores
[i] Duo millia curruum. Corda sui traxere uirum quacunq; subibant,
Quâ pedites, quâ signa eqtes, quâ castra mouebant,
Qui si nostra legens, numero fortasse requiras,
[K] Sex millia aurigarum. Quot fuerint, qualesq; uiri, iam plenus ab omni
Parte, per hostiles uadens exercitus agros,
[d] Lectorum peditum ter denis millibus ibat,
[l] Prudentia Phil. Et quinis equitum, manus expertissima bello,
Non de fece hominum lecti, sed fortibus omnes
Insignes meritis ueterani, & uiuida factis
[m] Ars locandorum castrorum. Corpora. Talis erat Persei regna petenti
[e] Miles Alexandro, nec enim numerosior illo
Rege fuit, quàm te tuus hic ducente Philippe.
Talibus ille uiris superauit Granicon amnem
Et uada conatos Persas cohibere repressit
Millia multa uirũm sternens fœlicibus orsus
Auspicijs, tanti nimias contundere regni
Diuitias & opes, & sceptra Dareia ad ipsos
Ferre Macedonio prognatos sanguine reges.
[f] Sic tibi castra uagi ponenti ad cornua Nicri
Adfuit auspicio fautrix fortuna secundo,
Nam qua clade ferum, qua cæde affeceris hostem,
Ausum te contra: sed inutilia, arma mouere,
Iam nec in obscuro est, nec ad omnes garrula mouit
Fama tacet, loquiturq; tuas Germania laudes
Quâ uel ad occasum: quâ uel se extendit ad ortus
Phœbe tuos, quâ flat Boreæ contrarius Auster
Oppida, quæ bello: quas expugnaueris arces
Rupibus impositas altis, nec uiribus ullis
Expugnabilibus, quas tu tamen unicus omnes
Ceperis, haud dubio circum sermone uagatur.
[g] Nec testes Asperga alios puto uicta requiris,
Quid memorẽ tormẽta, quot et quæ, quãtaq; tonã
Extuleris, rapidos æquanita fulminis ictus
[h] Et nubis ruptæ sonitus, & fulguris ignes,
Qualia in imbelli timidissima dicere uersu
Musa reformidat, non bella, sed ocia tutæ
Pacis amans, sed quæ te sic mireꝛur, ut omnes
Audeat, & posuisse metus, & ad arma canendo
Hæc tua se totam tibi submisisse Philippe.
Quid loquar armatos iterũ, [i] duo millia, curruũ
Millia quot magnus nunquam cecinisset Homerus,
Argiuum proceres duxisse sub Ilion altum:
Pars quorum grauis armorum, pars ponere uilium
Annonæ præstantis opem, ne miles in armis
Deficiens, & rebus inops & inertior esset,
Quos auriga adeò currus numerosus agebat,
Vt numero impleret [K] sex millia, nec libet istis
Addere calones lixasq; cocosq; bibaces,
Et quæ turba ferè leuiorum tanta sequuntur
Agmina. Nunc adeò quàm te [l] sapienter in omnes
Obtuleris casus, quantum prouideris omni
Fortunæ ratione aditus, siue illa secundo
Seu cadat aduerso pede friuola, nullius esset
Improuisa mali rabies tibi, si qua fuisset,
Quæ tibi nulla fuit, nec si qua secunda uenires,
Fortè uideretur temerè uenisse, sed esset
Fortuna ingenio antè tibi perspecta sagaci.
[m] Nam seu castra tibi fuerant metanda, legebas
Arte locum: quò non aditus foret hostibus ullus
Quæ prope riuos aquæ, quæ iuxta pabula multo
Suffectura gregi, quæ sufficerent armentis
Quadrupedum, qua laude prior, sed fortior, et as
Exhibe

[a] Extulit Aeaciden Pyrrhum Romana Tarento
Arma lacessentem, totamq; per Hellados oram
Circum iam toties uictricia signa ferentem.
[b] Seu ducendus erat sumptis exercitus armis,
Per loca ducebas non obice clausa, nec ullo
Inuia præfractu, si sic fortuna tulisset:
Sin minus, immanes scopulos montesq; fragosus
Tutam aperire uiam superasti sæpè coactos
Non ficto [c] Annibalis rupes frangentis aceto
Exemplo, sed more tuo, sed uiribus usus,
Viribus armatæ uincentibus omnia dextræ,
Sic iuga scandentem sua te conspexit [d] Othonis,
Quam memorant isto dictam cognomine syluam.
[e] Excubias uigilum tu semper obire solebas
Castra per, & raram proprijs admittere noctem
Luminibus, nec tam ducibus tua credere castra,
Quàm tibi, sic decuit uigilantem principis esse
Pro se, proq; suis animum, nec inertia noctis
Totius in mollem conuertere tempora somnum,
Cui populi, cuius commissa negotia curæ
Publica sint uigili, sic te nocturna diurnis
Æquantem uidere tui tunc munera ciues
Tunc cùm bella manu gereres cùm bella gerentes
Omnibus ipse animo melior præstante, leuares.
Sed nec in extremis fuerit laudum illa tuarum
[f] Prouida uis animi, qua sic alimenta tuorum
Accumulata manu prædiuite semper habebas,
Vt non ulla magis fœcundum copia cornu
Concutere: aut posit plures effundere fructus,
Atq; ita ne miseris inferret damna colonis
Militis illa manus rapto gaudentis, agebas,
Feciſtiq; palàm non te tam bella uolentem
Quàm pacem, quàm iustitiæ sua iura tueri
Hoc opus aggressum, tantos obijsse labores,
Dum quem restituis patriæ, simul adseris armis,
Restituisq; illi patriam, qua cassus agebat,
In meritum exilium iunctus tibi sanguine princeps
Optimus, & meliore olim tot euntibus annis
Fortuna dignus, donec sibi redditus ipsi
Te duce præreptos iterum repetisset honores.
[g] Inclyte dux Huldreiche tuis nunc ergo beate
Et meritis sanctaq; fide, quorum ista tulisti
Præmia, cunctarum quæ sint tibi maxima rerum,
Et quibus ista frui fuerat dignissima uirtus.
Nam tua cum totum laus sit uulgata per orbem,
Gratantur reduci totum quicunq; per orbem
Et nomen nouere tuum laudesq; loquuntur.
Ad te nunc redeo princeps fortissime, cuius
Addubito mires ne prius decora ædita bella
Ansapientis opes animi, pectusq; paratis
Plenum consilijs, longè superantia captum
Istius ætatis, nisi sit tua, namq; laborem
Tam patiens, quàm fortunæ consultus in omnes
Victorem casus præstas te semper eundem.
[h] Quod ducis officium magni, quæ munera belli,
Quas armorum artes, euenta, pericula, casus
Ignoras? animos qua dexteritate tuorum
Concilias, quia te tanto ueneremur amore,
Obseruentq; fide, nec enim me fama fefellit,
Ipse ego percepi, uocemq; his auribus hausi,
Pro te si iubeas uitamq; animamq; pacisci
Milites esse tui iacturam sanguinis omnem
Esse leuem, saltem tua gratia plena fauoris
Ne desit, neu destituat tua sancta uoluntas.
[i] Scit Nicer, & paruæ uiderunt mœna Lauphæ,
Quantus in arma ruas, q̃ prompto in milite turmas
Straueris hostiles, quot millia fuderis illo
Temporis exigui spacio, quo scilicet hosti
Clara satis, quàm sis fortis, documenta dedisti,
Quàm tua uictum uictoria mitis in hostem,
Et tua quàm bello sit uiuida dextera, tam sit
Pectoris illa tui pietas generosa, nec ullas
Exigat à uicto pœnas. sic uera [K] Leones
Ista tuos decuit uirtus, sic ergo Leonum
Te meritò decorant insignia. Qualibus autem
Exequar hîc uerbis, quod quos certamine uictos
Conseruare tibi studium fuit, & quibus ultro
Ignouisse paratus eras, seruare nequibas
In sua præcipites, & te prohibente, ruebant
[l] Fata nimis miseri, te posse ignoscere uictis
Ignari, nam quid referam fugientia passim
Agmina per scopulos, per aquas, per saxa, per agros
Mortuaq; in duris hærentia corpora palis?
Sic fuga præcipites egit, sic terror in omnes
Peruasit, tanta trepidi formidine uitam
Eripuêre sibi, quàm tu conceder uelles.
Nam quos ille tuus uictor non hauserat ensis,
Hauserunt sua tela & proxima flumina Nicri,
Nicri cuius aqua tum sanguinis unda fluebat,
Cuius erat multo tum sanguinolentior amnis,
Quàm Simois fuit ille olim tot fortia uoluens
Corpora, quàm flaui refluens fuit unda Scamandri,
Cum tot cæde uiros uiolenta magnus Achillis
Sterneret & fluuio cursum prohiberet eunti.
Tot Nicer undoso tum uortice corpora uoluens
Turbidus ibat aqua, tam totis cæde ruebat
Sanguinea magni tincturus cornua Rheni.
Hæc clades docuit te uincere posse Philippe,
Non etiam uinci, namq; hæc uictoria parta est
Tanta tibi, nulla cum cæde aut clade tuorum.

[a] Pyrrhus Epirota.
[b] Peritia in ducendo exercitu Phil.
[c] Annibal Pœnus.
[d] Sylua Othonis.
[e] Diligentia in obeundis uigilijs.
[f] Prudentia Phil. in prouidendo uictui necessaria.
[g] Apostrophe ad Huldreichum ducem.
[h] Laus Phil. à disciplina militari.
[i] Conflictus & uictoria Phil. ad Lauphan.
[K] Insignia Phil. Leones.
[l] Fuga & clades ad Lauphan.

Præterea clades hostem sic ista represit,
Sic domuit, ne bella iterum ne ue arma parare
Auderet, sed se muros includeret intra,
Et potius, quàm fortuito confidere Marti,
Obsidione premi, & longos perferre labores
Quam semel ancipiti fortunæ credere uellet.
[a] Vrbes receptæ. [a] Vrbibus idcirco tota regione receptis
Omnibus aut armis, aut se dedentibus ultro
Victricemq; manum metuentibus, unica uires
[b] Arx Asperga capta. Arx experta tuas, sed ferre Asperga nequiuit.
Dij quib. impetibus, quib. hanc assultibus [b] arcẽ
Aggressus trepidam concusseris, illa ruinam
[c] Phil. è ducibus Bauariæ. Non metuens, tumidum cœlo caput alta ferebat
Tuta loco, quoniam non hac munitior ulla est
Vuirtienbergicæ tota regionis in ora,
Et sibi confidens nimium, te excludere primum
[d] Heroica Phil. modestia. Ausa fuit, sed non felix audacia cessit.
Nam quia tu cuperes captiuæ parcere fractos
Extulit illa animos, & se rata posse tueri
Principis ingenio, & magna uirtute [c] Philippi
[c] Clementia Phil. in uictos. Boiorum à ducibus, qui tunc ea tuta tenebat
Munimenta loco, sed quæ loca uiribus istis
Obstiterint, quas illa tulit, quibus illa recepta est
Consilio & uirtute tuis, Dij qualibus illam
[f] Scipio. Quassam fulminibus, domini sub iusta prioris
Iura redigisti: Nunc te manet inclytus almæ
[g] Iul. Cæsar. Posteritatis honos, manet indelebile nomen,
Fama; iam uulgata, omnem uulganda per orbem,
[h] Alexander Magnus. Gloriaq; inuidiam nunquam sensura malignam,
Digne cani maiore tuba fortissime princeps
Hesse Philippe tuis uirtute ingentior annis.
Quis tamẽ hanc, quæ te generosa [d] modestia cœlo
[i] Apostrophe ad ducẽ Huld. Aequat, & Heroas locat inter summa tenentes
Culmina uirtutum, satis ullo carmine dicat?
Aut uerbis æquare queat? non ista canendo
[K] Digressio in laudem Hessiæ. Assequar hic partem minimam, non si mihi Musæ
Inspirent animam siue immortalis Homeri,
Siue tuam diuinæ Maro, nam qualia uictor
Gesseris, & quam sis uictrici leniter usus
Dextra, nulla tacet totum iam fama per orbem.
Cum posses etenim delere, & funditus hostem
Perdere, sic uictor moderatus es omnia ne qua
Publica pax uiolaretur, ne motibus ullis
Concutteres iura Imperij, sed iusta coactus
Arma nec infesta cuiquam ratione moueres
Præterea e uicto cum sic ignouèris hosti,
Vt ueniam, quam non meruit, mitissime uictor
Donares, quid hic ueterum te laudibus æquem?
[f] Scipio magne tibi? ad rapidum qui uictor Hiberũ
Sæpè rebellanti toties ignouèris hosti.

Talis & ille fuit, qui magni nomen [g] Iuli
Primus ad imperij summos euexit honores
Romulidum, & summa rerum stetit unus in arce.
[h] Talis & ille fuit, qui magni regna Darij
Euertit, captiua trahens ingentia bello
Agmina, regalesq; opibus referentia gazas,
Abstinuit tamen, & iuuenem nec regia coniunx,
Ne quæcunq; solet talem fortuna mouere
Aetatem, mouit constanti pectore regem.
Talis & ipse tuæ fueras in flore iuuentæ,
Talis adhuc iuuenis, talem te uictor agebas
Nuper ad undantis, uada cærula, sanguine Nicri.
Talis eras cum te uincente Asperga recepta est,
Talis eris posthac, cum te uictoria felix
Euehet, & nostras læta illabetur in oras.
Tu modò, tu ne talem animum, ne moribus istis
Exue uirtutem ornatam, tua summos summos
Aequabit iam parta Duces, pariendaq; uincet
Tuq; adeò tu uiue memor clarissime sanguis
[i] Dux Huldreiche, quib. meritis, quo munere, quæue
Extulerit pietate, & qua uirtute leuârit
Sanguinis ille tui decus immortale Philippus,
Cui Rhenus, cui Ianus, & aurifer Aedera parenti:
Cui Mœnus, cui Fulda restagnatorq; Visurgis,
Cui syluæ & fluuij, quibus Hessia diues abundat,
[K] Hessia plena uiris, & latis inclyta campis.
Qualis Hyperboreum prospectans Thraca Boream
Gradiui domus ad Rhodopen, Hemumq; nivalem
Circumfusa iacet, gelidisq; assueta pruinis
Gignit in arma uiros duratos frigore, quiq;
Aut Hebrum, Nessumq; bibũt aut Strimonis undas.
Talis & ipsa situ, talis regione locorum
Et fluuijs, syluisq; frequens, & montibus altis
Hessia, naturæ similes creat alma locorum
Ceu natos in bella uiros, quibus omnis in armis
Vita placet, non ulla iuuat sine Marte, nec ullam
Esse putant uitam, quæ non assueuerit armis.
Quod si tranquillæ uertantur ad ocia pacis,
Ocia nulla terunt sine magno uana labore,
Aut duro patrios exercent uomere colles,
Aequatosq; solo campos rimantur aratris
(Namq; & planities segetum fœcunda patentes
Explicat innumeras, & plena messe colonos
Ditat, & ipsa sibi satis est) aut ardua syluæ
Lustra petunt, canibusq; feras sectantur odoris,
Venatu genus asuetum, genus acre uirorum,
Aut leges & iura ferunt, aut oppida condunt
Fortia, non solum bello munimina uerum
Quæ deceant in pace etiam, oblectentq; quietos.
Quid sacros memorem fontes? quid amœna uireta,

Quid

Qgid ualles ipſis certantes frugiferacis
Vallibus Aemoniæ dulces quid ubiq; receſſus
Muſarum loca, conſeſſu loca digna Dearum.
[a] O patriæ gelidi fontes, ô flumina nota,
O ualles, ô antra meis notiſſima Muſis,
Qgando uos iterum, ſicut puer antè ſolebam,
Aſpiciam, ueſtraq; ſedens modulabor in umbra
Carmina non aliquo doctus cantare magiſtro
Ardera qua patriam præterfluit aureus urbem
Ipſa humili aſſurgens in collem deſinit altum
[b] Francoberga meis non ignoranda Camœnis
Si qua manet me fama, & ſi mea carmina uiuent.
Sed quò dulcis amor patriæ, quò me rapis extra
Limina propoſiti? tecum dux inclyte nobis
Fabula cœpta fuit, qui Vuirtemberga receptis
Auſpiciis nunc regna tenes, tibi fauſta precamur
Omnia, perpetua populos in pace gubernes:
Nec te bella premant iterum, non ulla minetur
Exitium fortuna tibi, ſed floreat auctum
Imperium cum prole tua te principe digna,
[c] Chriſtophoro: Tu nunc qua flores indole, quoq; es
Prædutus ingenio, uirtutem agnoſce paternam
Chriſtophore, & lætare tui uirtute parentis,
Qui tibi reſtituit patriam, qua pulſus in aula
Cæſaris exuleras, uidi agnouiq; paternæ
Effigiem uirtutis, & in te ſigna notabam,
Qæ mihi ſpem facerent, patriæ te poſſe receptæ
Reſtitui, quando ingenio præſtante ualeres.
Moribus uſq; adeò quando ciuilibus eſſes,
Vtme colloquijs admiſſum ſæpè ſoleres
Comiter accipere, & menſa haud excludere eundè.
Ergo ut fortunam nemo tibi fauet iniquam,
Sic tibi gratulor hanc æquam ſatis, erige celſum
Dux generoſe animum, tibi enim uictoria parta eſt,
Hæc modò, te manet huius honos, & gloria belli,
Quam conſanguineo potes olim ferre Philippo
Acceptam, meritoq; tuis inſcribere ceris,
Mittereq; ad ueſtros ea facta legenda nepotes.
Nunc quia principiũ mihi carminis huius & idẽ
Autor eras inuicto animo fortiſſime bello
Heſſe Philippe, modum ſtatues, noſtriq; laboris
Finis eris, donec mihi liberiora dabuntur
Ocia mordaces non admittentia curas,
Et tua dum noſtris accreſcet gloria Muſis
Maior, & ingentes, quæ, ſi non deſit Homerus,
Impleat Iliadas ſanctasq; Aeneidas æquet:
Si tibi fore aliquem pariant tua rura Maronem,
En erit hoc etenim tempus, quo totus & omnis
Immortalis eas in carmina noſtra, nec unquam
Vlla tuum ueniens obliuio turbet honorem.
Nunc partem exiguam rerum cecimiſſe tuarum
Vix licuit, uix hunc etiam fortuna laborem
Indulſit, ne tanta tamen, tamq; inclyta uirtus
Eſſet in obſcuro, ne ue ignorata iaceret.
Quæ te ſupra alios ſublimem gloria tollit
Mortales, dum nemo tuas fortiſſime laudes
Dum nemo tua facta canit, dum caſſa poëtis
Heßia tota ſilet, nunquid ſiluiſſe decebit
Me quoq;? non adeò patriæ mea pectora laudis.
Fugit amor, nec dignus eras tu cuius honorem
Et meritam premerent æterna ſilentia famam.
Salue ſemidium ſanguis generoſe Philippe,
Noſtraq; placata, tuta ocia nactus ab armis
Carmina fronte uide, meq; inter temporis huius,
Qui tua facta canant, aliquem patere eſſe poëtas.
Sic tua perpetuis uirtus decorata tropæis
Floreat, & totum factis in gentibus orbem
Impleat, & nullum inueniat tua gloria finem.

[a] Antrum ad lacum Francobergẽſem intelligit.

[b] Francoberga Eob. patria.

[c] Chriſtophorus Dux Vuirtemb.

FINIS.

DE EXPVLSO ET RESTITVTO DVCE VVIRTENBERGENSI VLRICHO, HABITA ORATIO Marpurgi à Nicolao Asc. Barbato.

INTERITVRAE nunquã memoriæ, siue effecta prædicaturus, siue celebraturus euẽta, anceps sum fateor, totusq; animi pendeo, unde nam sumam tantarum initia rerum, ubi finem inueniam. Quę enim res maximis nuper cœptę conatibus, mortales omnes trepidare fecerunt, quem non in diuersas partes distractum ambigere faciant? nec diu post exoptatum finem sortitæ, tanto nos hilariores, quanto minus lætæ expectabantur, reddidere, quem cogitantem non distrahant? Quem obsecro res uix aliàs auditæ sua magnitudine non terreant, quæ ipsi Romano Imperio, quod tot saculis, quot nõ alius per terrarũ orbem principatus, sacrosanctum stetit, adeoq; toti reipub. Christianæ ruinam moliri sunt uisæ: Et nouitate quem non mouerant, quæ nationes gentesq; commotas reddidere. Euentus cõtrà talis, qualem (ut omnia Ioui ipsi, discq; cęteris immortalibus numina adimas, aut saltem deos ipsos nihil humanorum satagere credas) certè sine Deo asserere, sine diuiniori quadã prouidentia regi, putare nullo argumento queas. Quid enim si quatuor initiorum istorum, ex quibus conflata quodammodo sunt uniuersa, cõfusis ordinibus, septem errantium syderum turbato cursu, fracto temone machinæ cœlestis, inclinatis utrinq; axibus cœlum ruiturum crederes, Atlantem laborare, Herculem uices detrectare, mortales omnes malè ominari, desperare, & exanimari, mox autem nil tale ne somniantibus quidem nobis, concordiam fieri, & contrariorum magis quàm nuper concinnam ἁρμονίαν, cõsueto itinere progredi errones, redire rectis angulis polos, pro uno Atlante duos, pro uno Hercule multos, eóq; tot minarum plenis omnibus rerum plenam optimè casurarum cõfidentiam fieri. Quid inquam diceres? Nunquid non putarã? quæ uox est, fortunæ se permittentium: nomine præsenti propitioq; Deo aliquo omnia administrari? quod sapientes rectè credidere. Tum admirationi esse eum principem, & omnibus uirtutum numeris absolutum, omni cumulatum laude uirum, per quem, Deus opt. max. cõditionis humani generis misertus orbi uniuerso, præcipuè autem Europæ nostræ concordiam, pacemq; contulerit stabilem & perpetuam. Hic est ille princeps, hic est inquam princeps ille Hessorũ Philippus, nulli secundus eorum, quotquot egregiè factis, & in Deum religione, insubãi tos pietate, in omnes officijs sempiternitatem nominis, in hisce terrarum orbis angustijs meruere, in quę Deum numero exemptus mortalibus referri: Quo procurante, lucem rebus humanis & desyderatam iam tot annis tranquillitatẽ, Deus opt. max. reddidit stabiliuitq;. Quarum rerum argumentis tam perplexis quàm raris & uarijs remoram quodammodo ingeniolo meo inijcientibus, constiti aliquamdiu deliberabundus, maturoq; (ni fallar) habito consilio recusaui ἐμπαρίαν παντελῶ, & incertos aleæ iactus formidans, pares sibi materia ipsa facultates, imaginationes & (ut Græci uocant) φαντασίας adferente, rutilissimum securissimumq; esse duxi, ad priuata conuersum, cœptarum rerum cursum non interrumpere, auspicijs nouarum, dubium euentum portendentibus. Ecce quod minimè omnium rebar, nescio quæ admiratio mentem paulatim

paulatim subijt, subsequitur admirationẽ nescio quæ scintillula Genialis amoris erga principem nostrum illustriss. studiorum Mœcenatem præcipuum. Siue is patriæ Genius sit, quo nihil equidem reor efficatius, siue grati & simplicis animi candor erga eum principem, qui te studiorum ergò uocarit, uocatum liberalibus studijs educet, siue ipsarum literarum uis & scholæ nostræ numen, cuius scholæ fundamenta egregiè ab illustriss. Principe iacta uidemus. Siue alius occultior impetus, adeò ut temperare mihi nequaquam possem, quo minus ut quodcp in buccam uenit, in hoc ornatiss. uestro consessu expuam, quo ordine, quo nitore, dummodo uerè ne nauci quidem faciẽs. Cumcp populus ipse Hessicus totũ hunc mensem à reditu illustriss. principis ferias sibi indixerit, quibus, clausis officinis tabernisqp omnibus, ad templa concurritur, soluuntur uota, offeruntur preces misericordiss. Deo, qui rebus tam dubijs saluberrimo fine consuluerit. Quid nos? Qui priuilegijs principialibus, cęterarum rerum & officiorum immunes, liberaliter ociamur, ferias ne priuatas nũcupabimus? An ne res tantas ratione putabimus? oratione illustrabimus? & rerum audita tantarum pensitatacp magnitudine, ad preculas conuersi, Deo laudem concinemus? qui res plusquam tragicas, adeò plus quam comica quadam catastrophe finiuit. Quare Ioannes Rudeli rector magnifice, doctores præstantissimi, professores ornatissimi, Ciues optimi, auditores humaniss. candidis auribus excipite, quicquid nõ me quidem, sed aliunde uelut dilapso furore, imò Scholæ uestræ numine effundente uerius quàm dicente elapsum erit. Equidem nusquã euidentius quàm in hac causa comperi, quod ab ingeniosissimo poeta de poetis dictũ est: Impetus hic sacrę semina mentis. Tradunt historiæ in rebus aliquoties dubium habere uisis euentum, insanientium hominum auditas uoces, uictoria uictoria proclamantium, nec fefellit missam uocem euentus. Quare & hæc mea qualiscunqp oratio, si nihil aliud sit habitura nitoris, nihil elegantiæ, habeatur quæso hominis, insaniẽtis, dummodo, quod felix faustumcp sit Principi illustriss. Spartæ nostræ, hoc est, Hessorum patriæ, toticp orbi Christiano, nihil aliud audiatur quàm Io triumphe, Io triumphe, uictoria uictoria, uiuat uiuat Hessia. Sed temere est ut ordinem quẽdam dicendorum reperiam, si non inuenta telæ extremitate, at rupto utrincp filo & ueluti Gordij nodij secto funiculo. Primas igitur sibi partes in hac nostra oratione causæ tantorum motuum, & factæ in Sueuiã irruptionis uendicanto. Hinc quemadmodum hoc est, quàm prudenter, fortiter, quanta innocentia & fœlicitate bellum sit gestum enarrator. Tertius locus belli euentum explicato: tum cuius rei gratia potiss. huc cõfluximus, actis Deo immortali gratijs finem habeto oratio. Causæ inquam primo loco explicantor quandoquidem ex his si iustæ, si piæ sunt, euentus melioris omnis pendet. Nec potest iurè gestum bellum uideri, quod contra ius sit motum. Et iam olim à nõ indocto necp incelebri poeta quodam, sed à poeta tamen, nemini non persuasum est Tyrannum crudelissimum, quotquot omnibus retroactis sæculis fuêre, ducem Vvittenbergensem esse, quæ persuasio nisi eximatur ex hominum uisce ribus, uidebitur Tyrannum tyrannus restituisse, necessariò igitur hinc narrationem ordimur. Cùm pietatis & religionis Christianæ nomine, maximis & potentissimis principibus inuisum se iam pridem sensisset Philippus Hessorum, eocp nomine nunquam non in armis esset uigilãtissimus acerrimuscp hęros, ne uidelicet sui populares, quorum curam gerit unicè, quoscp amat ut pater filios, ludibrio essent & prædæ expositi, diriperentur illorum bona, ipsi trucidarẽtur, incenderentur oppida, deuastarentur opulentorum comitatuum prouinciæ, eiscp & alijs innumeris malis uitandis multa quotidie expenderentur (siquidẽ externi milites iam pridem alebantur nulli usui, sed cautionis ergò tantùm, ab insidijs & fraudibus à ui & armis) populariũcp exactiones earundẽ rerũ causa,

principi

principi longè acerbiores intollerabiliores q̃ essent, quã ipsis populatibus prin
cipem summa cum fide & charitate prosequẽtibus. Nec dum maximorũ sum-
ptuum finis appareret, cùm nullus inuidorum hominum maleuolentiæ finis
futurus uideretur, id multo consultissimum arbitratus est, si saluo decoro fieri
queat, de summa rerum semel decernere. Nec subinde redactis ad inopiã suis,
diffluentibus opibus, dilabentibus amicis, & (quæ fortunæ sunt mutationes à
sapiente semper prouidẽdæ) amissã auxiliorum uel aliò translata gratia, ad ex-
tremum, nudus & opis omnis egens hosti exponeretur. Sed tamen non satis
causæ credebat esse, cum suspicionibus insidijs q̃ nõ adeò expositis (quæ fraus
est hominum non bonis ingenijs præditorum) bellum gerere. Igitur ad maxi-
mas res gerendas natus princeps, cum nihil aliud mente uolueret, quàm quæ
summarum sunt laudum maximarum q̃ uirtutũ, quid ageret, quam ut sui cum
summa tranquillitate fortunis suis qualibuscunq; fruerentur, id modo secum
meditaretur? Sed frustra se hæc meditari animaduertit, ob antè dictas insidias,
quæ nihil aliud præ se ferebant, quàm exilium ipsi, interitum patriæ, seruitutem
Germaniæ. distracto igitur suorum curis prudentissimo uigilantissimoq; prin-
cipe, & in salo hærenti, lupum q̃ (ut aiunt) auribus tenenti, occasio ipsa capil-
lata fronte in ipsas principis manus adeò inpotenter (ut est cæcum numen) in-
currit, ita se tenacibus fortis. Milonis implicat digitis, ut explicare sese, elabiq;
nulla ratione posset. Siquidem negatur contra rationem, restitutio ducis Vur-
tenbergensis, ui ante sedecim ferè annos eiecti ex paterno regno, ob huiusmo-
di causas. Inuidebat crescentibus Vlrici ducis Vvirtenbergensis rebus, uicino-
rum magnatum quorundam non contemnenda factio. Inuidiam pepererat
principis ipsius animi magnitudo, aluerat seueritas, auxerant cœptarum rerum
successus, hisce enim rebus fiebat, ut qui dictis uirtutibus, optimo principi non
responderent, ijs ipse formidini esset, quibus debebat exemplo. Nec ferè amare
solet, quæ indecorè fiunt uera & excellens magnanimitas, necnon animaduer-
tere non potest in scelestos tantæ magnanimitatis grauitas. Contrà non potest
non odisse grauitatem leuitas, necnon timere illam animi fortitudinẽ, non sine
causa timidorũ imbecillitas. Instruit etiam ipsa in principe animi grauitas rem
familiarem non infeliciter, augetq; immodicè, quàm auctam merito odêre, qui
leuiter uiuendo prodigunt sua. Sed dum feliciter omnia uirtuti cedunt, dum
exemplum in paucos edit sceleratos, ut plurimi incolumes sint, dum domesti-
corum, quos aliunde exceptos incuriam liberaliter fouit, insolentiã punit, dum
suos inustè cæsos ulciscitur, cõiuratio fit eorum, qui illa iniquè fieri, temerè ce
diderunt: Vsq; adeò refert non sotularis in alterius pede, formam, sed ubi is pre
mat, penitius introspicere. Tumultuariè coactis Sueuici fœderis uiribus, princi
pem domestico pressum incommodo, & ad externam manum propellendam
non satis instructum, inuadunt, & extra paterni regni fines eijciunt occasione
nuper patrati facinoris, quod is Reutlingum ciuitatem liberam & confœdera-
tam in ditionem suam redegisset, fecerat autem hoc Vlricus dux, necessarij mi-
nistri sui iniquam cædem ultus. Audaciam Suæuici fœderis, temporis augebat
occasio, Germaniæ uidelicet nostræ intempestiuus interitus Inuictiss. Cæsaris
Maximiliani, cum quo ob raras diuini eius animi uirtutes, liquit concordia ter
ras astra petens, cuius nobis quidem immatura morte, interregno diutius quã
expediebat durante, cœpit adeò infelicibus auspicijs tumultuari Germania.
Quos motus sedaturus principum nostri sæculi quasi Nestor quidam prudent-
tissimus Ludouicus Rheni Palatinus & sacri imperij princeps Elector, qua
pollebat autoritate, (erat enim interrex) edicit, ut confœderati iure po-
tius agere uelint, quàm armorum uiribus grassari, appellante etiam sacratiss-
mas leges ipso Vlrico duce, quo quid æquius? Quis enim hominum priuatorũ

sperare audeat, se quod postuletur iure propulsurum, aut quod petat, legibus impetraturum, si maximis quibusq; principibus, nihil conferre debet autoritas legum? Sed ruit in scelus temeritas, & uiolatis tam æqui tam sacrosancti impe rij legibus, nescit sibi temperare tabificum audacissimorum hominum odium. Sat iuris credit sese habere in armis, & unius elementi inuersione, eadem res est ius & uis, æquum esse exhaustos temerarijs sumptibus loculos alienis opibus replere, hanc legem esse militarem, ne frustra coactis armis homines tam nobiles, tam prudentes, imprudentiæ, pariter & ignauiæ notentur. Audeant modo, fortuna ipsa cęsis ausibus euentum qualemcunq; allatura. Est enim nescio quę inueterata Germanorum nostrorum Barbaries (parcat mihi indigna conquerenti patria) & obluctanti æquo & bono, lex militaris, ut si qui ad temere fortasis noui cuiusdam motus acceptam famam, primo arma ceperint, factaq; ingentium sumptuum iactura, opinato malo obuiam ire cœperint, licet reipsa experiantur, errore excitos tumultus, tamen ut in incertam militiam expensarũ pecuniarum aliqua recompensatio sit, inuadetur nihilo secius is, contra quem iti cœptum est, uel uicinorum alius, eiq; uel olim transacti uel ex tempore reperti criminis nota impingitur, & fracti calami reus mulctatur, quo acceptum temeritatis malum fiat erranti tolerabilius, ne non uerum sit, quod Prouerbio dicitur. Semper aliquod malum propter uicinum malum. Ab his igitur initijs, ab hac barbariei nostræ morositate (quis morem diceret) & tam inueteratæ legis iniquitate, exutus bonis, pulsus regni sui finibus Vlricus, cõfugit ad Gallorum regem Franciscum primum, dignum meliori fortuna principem. Est enim prę ter cæteras cùm corporis tum animi uirtutes mirificè pronus ad studia literarũ. Itaq; quæ Parisiorum schola, studiorum omnium mater iam olim est habita, hu ius regis liberalitate, nunc demum incipit esse, quod hactenus uulgariter dicere, audiuit: Apud hunc regem cum aliquandiu uixisset, & tædio uitæ apud peregrinæ linguæ gentem & patriæ desyderio in Germaniam redit, spe non exigua patrij regni recuperandi, ob singularem Caroli Imperatoris clementiam & iustitiam qui diui Maximiliani, ex Philippo Hispaniarum rege nepos, qua spe successerat imperator, eadem uidebatur Rom. imperij habenas moderaturus. Ecquid non speraret ab eo imperatore Vlricus, de cuius auo tam bene meritũ se sciebat? adhibita omni diligentia & studio, præstita etiam argumentis non dubijs fide, quo Maximiliani res, totiusq; domus Austriacæ, priuati etiam suo principis studio maiores, angustiores q; tam essent quàm haberentur. Qua fide autoritatem & dignitatem tum nouæ dignitatis titulum sibi, suæq; posteritati quæsierat apud Maximilianum. Nec ingratus uidebatur futurus Carolus nepos, qui ab initio recens adepti imperij, Acta nuper Interregis iustissima comprobans, non obscurè significauit, non debere sic impunè abire Sueuici fœderis temerarium facinus. Aut si impunè abiret, debere saltem restitui eum principem, qui indicta causa regno esset pulsus. Sperabatur æquitatis rationem habiturus genuinæ, ad cuiq; suum conferendum bonitatis Imperator, ut enim male sibi conscij nunquam non metuunt, ita optima freti conscientia omnia iusta & æqua sperant. Quo maiori securus fiducia Vlricus dux Imperatori alijs innumeris rebus plus satis implicato obgannire ueretur & molestus esse, dum uidelicet secum reputat naturalem maximi principis bonitatem & clementiam. Nec putat equo sponte currenti calcaribus opus esse. Sed non cessant obstrepere, qui quod Interregis Ludouici edictum contempsissent, sese mordebant, contumaciam suam agnoscendo. Vbiq; ad latus sunt, ubiq; aures feriunt fatigant q; ad honestissima quæq; facillimi Imperatoris (nam honesta præ se ferũt) accusant criminibus non aliàs auditis innocentem principem. Nacti præterea sunt erroris sui patronum & defensorem equestris ordinis nõ ignobilẽ poetam

quo

quo maiori autoritate fidem, obiectis & confictis sceleribus in Vlricum ducem conciliarent, parco nomini eius uiri, cum quòd paulo quàm exul moreretur, non mediocriter mihi amicus fuit, tum quòd nemini sit ignotus, meditatus is nuper aliquot orationes fuerat in ipsum Vvirtembergensem, easq; ueluti ad Tribunal maximi Principis egisset, edendas curauerat. Quibus orationibus quod nunquam persuaserat agendo, hoc mox persuadet cum calcographorũ diligentia distraherẽtur edendo. nihil unquam maiori plausu in hominum manus uenerat, cum ad exemplar Philippicarum quasi (si dis placet) scriptæ iudicarentur. Itaq; legebant magna cum gratia, sola nouitate fauorem conciliante. Hoc etiam subinde orationibus nouos dialogos adijciente, & quidem terribiles mos, famosos libellos edente, crimina confingente, causam occisi affinis sui (quam unicam criminandi ansam habuit) exornante. Habetur ab uniuerso terrarum orbe miserrimus princeps is, quem depingit fingitq; fallax ingeniosissimi poetæ ingenium. Ignorat princeps exul etiam poetis se fabulam esse, ignorat se factam materiam pessimarum declamationum, nemine quæ in ipsum fierent referre audente. Quis enim præsentem rerum calamitatem nouis calumniarum calamitatibus augeret? Quo minus scit quæ agantur, eo minus opus habet defensione, eo deterior eius fit causa apud eum principem à quo nihil aliud expectare poterat, quàm iure restitutionem eorum quæ ui erant adempta. Sed uicit diligens inuidorũ detrectatio apud Imperatorem, & poeticum ingenium apud uniuersos Germaniæ proceres & omnes penè nationes. Profitebar eodem tempore in Parysiorũ Lutecia, quam urbem Europæ totius theatrum non iniuria quis dixerit, ad quod spectatum undiq; cunctæ penè nationes ueniunt. Non dico, quia satis dicere nequeo, quantum autoritate ualeret, quantum fide polleret apud omnes is, qui ingenij dexteritate & eloquentiæ uiribus, & mendaciorum fuco causam dubiam probabiliorem, humilem sublimiorem, bonam & honestam deteriorem facere potuit. Legebantur hæc magno cum plausu apud Gallos & Hispanos, distrahebantur apud diuersissimas nationes, mittebantur commissa literis ad amicos quasi typographi non satis excuderent pessimorum exemplorum. Verebantur Itali alterũ Neronem, execrabantur Siculi nouum Dionysium, trepidabant Britanni ne ex antro illo Patricij etiam sibi Tyrannorũ quispiam nasceretur. Quicquid odium, inuidia maleuolentia, & affinis cæsi dolor comminisci potuere, Phalaridas, Agathocleas, Atreas, Tyestes, Pysistratos, Typhæos, Astyages, Cambysas, Tyberios, Caligulas & Domitianos, omnium immanissimorum immanes furores & furias, omnium crudelitates & ferocias in unum congessit, compegit, coaceruauitq; uno crudelior futurus ultor pro quinq; necis poeta, cuius laudarim equidem ingenium, probarim inuentionem, amplexus sim eruditionem, si non dolori nimiũ dedisset, si innocentiæ pepercisset principis, si causam non ualde bonam tegere quam producere in lucem maluisset, & rationem habere eius iuuenis pulchritudinis, quàm non sine causa tantopere commendat. Non possum equidem uiri ornatissimi continere me hoc loco, quum fortunæ istius iniquissimos casus mente repeto, quin ualde afficiar, uideo hominem egregiè eruditum, non satis bene pulcherrima studia collocare, dum in omni optimarum disciplinarum genere uersatus, ita præceps rapitur, & nulla affectus suos ratione compescere, nullo fræno ferox ingenium moderari, nulla arte mentem domare aut temperare potest. O miseros labores eos ex quibus dum fructum percipere debemus rationem uiuendi, nihil in mores coalescit. Et quod deterius est, cum ferociorem naturam auget lectio, quòd inde fit, dum quod naturæ nostræ conuenit, approbamus, quod admonere, docere, & corrigere, in'que uiam reducere debebat, despicimus. Iam cuius commiserationis est uirum primatem

primatem à summa dignitate deijci? locupletem bonis omnibus exui? charũ luis à suis diuelli? gratiosum exteris, hospitio prohiberi? innocenti aqua & igni interdici? benemeritum in natura rerum esse non sinere? ea omnia pati causa meliore confisum, iura & leges appellantem, & præterea quæ calamitatum est omnium sæuissima, fabulam esse & poetis iniquioribus materiam, hoc est, ad uiuum maximæ tyrannidis expressum exemplar, eoq; nomine famosis libellis proscindi? O' miseram, ô calamitosam fortunam, quis Agamemmonẽ ultra acceptã iniuriam & indignam mortem unquam impetiuit petendumũe putauit maledictis? Quis nõ plus satis domestico malo miserum existimauit? Quis maximo principe probris affecto, occiso à suis, putauit adhuc in defunctum manes probrosis carminibus inuehendum? At hæc omnia in unum simul congeruntur uno impetu, & cumulo, obruitur aceruatim miserijs & probris omnibus, non solùm innocens, sed etiam legibus innitens & causa fidens meliori. Vis infertur sacratissimis legibus, non solum ab iniuriarum cõmentatore, à famosorum libellorum compositore, uerumetiam à toto genere humano. Situm, sed ære nostro redemptũ, magno cum desyderio legitur, magna cum uoluptate relegitur, tantum abest ut uel corrumpatur, uel igne absumatur, quod quidem infame carmen nemini non est ad manus, non inuentum, non repertamen leges ipsæ fieri iubent. Siquidem constitutionibus principalibus cautũ est, ea quæ infamandi alterius causa in monumenta publica posita sunt de medio tolli debere. Nos è myrothecijs piperi, ex angulis blattis tineisq; damnatas chartulas ære redemptas, promimus, & è puluerib⁹ excutimus, uno consensu omnium, ueluti tyrannicidæ, quibus legibus præmia sint decreta, & alia constitutione temeritatem diluimus, nempe ea: Eum qui nocentem infamauit non esse bonum & æquum ob eam rem condemnari. O' diuinum Platonem, nunc ego non possum non uehementer admirari & approbare diuinam istam & omnibus sæculis memorandam, de eijciendis id genus è repub. hominibus, sententiam. O' sanctissimum Areopagitarum decretum, id leguleiorum genus & tabularum foro excludentium suo. O' uim dignam lege Regi, ô uos leges sanctissimas, quin rabiem compescitis per honestas audentem ire domus impune? Dormitatis credo, at non dormitat autor legum Deus, qui lento licet, alio tamen gradu ad uindictam procedit. Est præterea in aulis principum, nulla maior, nulla pestis deterior, quàm iniquissimorum quorumq; susurronum autoritas, apud ipsos Principes, quorum offucijs, non dico officijs, à ueris simis rationibus, ab honestissimis uoluntatibus, à studiosissimis quibusq; actionibus, abductæ mentes principum rapiuntur præcipites ad consilia non satis æqua. Necq; tam facilè est quàm fortasis dici posset, eiusdem ad omnia sagacitatis principis animum semper esse. Quo enim maioribus pluribusq; obruitur negotijs, eò facilius persuasi, abducuntur ad ea quæ non satis sunt decora, prætextu honestatis sæpissimè fallente, quodq; de maximis poetis dici solet:

Sæpe opere in magno fas est obrepere somnum:

Id in principibus maximè debet ualere, ut quibus etiam scientibus, sæpe impunè peccare licet, tantum abest ut in sinistram partem accipiamus si falsò honesti prætextu peccatum erit. Est quidè aliquid, qui maiorib. frequẽtioribusq; distraherent rebus, eo ingenijs ut essent uersutioribus cautioribusq;, sed sic sumus homines. Quibus rebus omnibus effectum est, ut inops rerum omnium miserrimus princeps, iure ab omnibus deserendus uideretur. Putat Imperator natura alioqui clementissimus, & quo clementior, eò sceleratæ tyrannidis, quæ accusabatur acrior uindex, cõmeruisse Vlricum ducem, qui non modo paterni regni finibus non applicaret, sed ne hospitio quidem apud ullos mortales dignum, & ex orbis finibus ablegandum, tollendumq; è rerum natura monstrum istud inauditæ tyrannidis.

Quem

Quem igitur Germanorum optimates, præcipuo tamen confœderatorũ Sõe
uiæ, ui ejciunt, quẽ à latere maximi principis accusant, quem proscindũt poe-
tarum commenta, quem pueri in Gymnasijs declamãt proclamantq; ? Quem
leges famosis criminibus ne an carminibus ? agitari permittunt, eum Impera-
tor clementissimus immanissimum, iustissimus iniquissimum, fortissimus in-
temperatissimum, uindex libertatis tyrannum restituat ? eum in principum ui-
rorum ordine habeat ? eum non perpetuo damnet exilio summum imperium,
& imperio propagando creata Maiestas ? Nam quæ Tyrannorum propria eſt
sententia, & quæ iam pridem legis cuiusdam uim obtinuit ἀπορ γὰρ ἀδικεῖν
τυραννίδ@ πόλει καλλίσου ἀδικεῖν, τ' ἄλλα δὲ εὐσεβεῖν χρεών. Hæc inquam sententia
in tantæ amplitudinis maiestatem, inq; tam diuinę mentis naturam non cadit.
Quis enim terrarum orbis princeps hoc ducatu ditior esset ? Non aliter quam
si riuulus quispiam à cursu suo deuius auerteretur, ne in Oceanum laberetur,
diminutas ne putabis aquas, diminutum rerum omnium parentis Oceani Im
perium ? Non igitur nisi iustissimis rationibus motus Imperator Carolus, bona
proscriptæ quasi tyrannidis, uelut sub hasta emit, confœderatis pecuniam paci
scitur soluturum, ducatumq; Vvirtenbergẽsem nuper iure gladij occupatum,
emptionis titulo suum, inq; hęreditate diuidunda fratri Ferdinando tradit, be-
neficioq; ut is possideat, confert Augustę, cõsidentibus ex more ad latera sum-
mæ maiestatis maximis principibus. Cumq; cõtrouersia illa de religione non-
dum esset disceptata, & adhuc sub iudice penderet lis, ut semper pendebit (non
enim in hominum arbitrio est quicquam de diuinarum legum rationibus, de
cœlestium mysteriorum arcanis statuere. Debemus autem ad pedes inuisibi-
lis humanis oculis istius Maiestatis prouoluti accidere, & supplices orare ut
is lumen ueritatis nobis pandere uelit qui ipsa est ueritas. Hunc neq; Platoni-
ca copia, neq; Aristotelis acumen, neque regum & pontificum diademata alia
ratione agnoscẽt, quàm in cordium suorum simplicitate, & omnis humanæ sa-
pientiæ & arrogantiæ posito fastigio sui abnegatione, ipso dicente & exigente
eam à nobis simplicitatem & integritatem) cum igitur nondum religionis de-
sset posita contentio, offendit non parum quorundam animos Vlrici ducis de
recta pietate professio. Siquidẽ superioribus causis paulatim aboleri incipien-
tibus, & longam miseriam commiserantibus plerisq;, satisq; iam pridem sup-
plicia à principe uiro sumptum putantibus, poterat restitui Vlricus, si eam quã
nos rectam religionem asserimus, aspernari uerbo saltem uisus esset. Metuebãt
scilicet aduersarij, ne illo restituto latius serperet uenenum, gratia (quam nos
reueremur) diuini uerbi. Sed qui caduco regno prætulit æternum, is etiam tem
peraneo hoc semper carere non potuit, ut uidelicet diuina promissio locum ha
beret, tam in interituris quàm cœlestibus & æternis muneribus. Alijs igitur a-
lijsq; semper emergentibus occasionibus, facilè animaduertit Illustris. Hes-
siæ princeps Philippus (quæ eius est diuina indoles & industria) auũculi prin
cipis causam non modo negligi & comperendinari, uerum etiam contemni,
iniquissimam haberi & indies fieri deteriorem, & cõdemnari quodammodo
uidet inimicissimorum hominum peruersitatem, nõ ignorat fraudulentorum
hostium iniquitatem, uidet insuper manifestam generis labem. Tum omnium
iniquissimum esse nobilissimum & maximæ spei iuuenem, Vlrici ducis filium
unicum, Christophorum, non à maiorum sed pietatis nomine nomen haben-
tem, patris iniquitatem, quæ putabatur, ferre. Partim igitur sanguini hoc de-
nans, & priuatæ honestati, quam integram esse posse non iudicabat damnato
tot scelerum & facinorum affini principe, partim innocentiæ & religioni, par-
tim totius Germaniæ tranquillitati, nam & hanc nullam ulla ratione consiste-
re posse, nisi hoc restituto, comparato exercitu restituit suis læto animo exci-
pientibus

pientibus sedecim annis patria carentem sede Principem. Sinite quæso ornatiss. Viri hoc loco paululum cum umbratico isto accusatore (nolo enim duriori uocabulo hominem appellare) congrediar. Agam autem sic ferè, ut tam accusanti quàm accusato sua maneat solida integritas, integra autoritas, salua diri æquitate: neq; conuenit ut cùm res periculis plenissimæ, extra periculum cederint, cœperit tragedia, exierit comædia, oratio eis ipsis de rebus instituta, sanguinem petat & uitam: tollat licet comædia uocem, iratusq; Chremes tumido dilitiget ore, dummodo uerbis quàm uerberibus pugnet mitius. Tyrannus (inquit) Tyrannum restituit. Scio, nunquam id diceret homo eruditus si uiueret, sed potius quæ erat eius magnanimitas, quæ animi nobilitas, Principis nostri ingentem animum, præstantissimasq; uirtutes dignis laudibus euheret, aut saltem nihil contrà ne musitaret quidem, bonisq; consuleret restitutum eum ducem, qui tot annis exul quasi, patrium regnum desyderarit. Cum tamen orationes tuæ, dialogi item & poemata uersentur manibus hominum studiosorum, nec uideantur amissura gratiam eam, quæ homines eruditos immortalitati commendat, facilè adhuc Lector induci queat, sequi necessariò ut rebus sic se habentibus, quemadmodum istæ tuæ Philippicæ (ut manes interim tuos isto honore deliniam) contendunt, Tyrannus habeatur Philippus Hessorum. Quid igitur est Tyrannus? Tyrannus est qui ualere iussis naturæ legibus, Gentium decretis, ciuiũ moribus, priuata utilitate metitur omnia. Tyrannus est qui nulla optimorum ciuium habita ratione, indignos & neq; homines publicis functionibus præficit, ijsq; deglubendos deuorandosq; suos impune permittit. Tyrannus est, qui amicũ & inimicum quorum est dominus, utcunque occasio inciderit eodem loco habet. Tyrannus est, qui spreto innocentiæ delectu tormentis exquirit, multat, proscribit, relegat, ultimo supplicio afficit quos libitum est. Tyrannus est quem odêre non modo subditi uniuersi, sed proximi, sed quiq; familiarissimi, quamuis ingentibus donati beneficijs. Horum unum saltem in Vlrico Principe conuince, & omnia conuiceris, feremus hic non Areopagitarum modo, quibus quid sanctius? sed & Stoicorum sententiam, quibus nihil est seuerius, ut si uni dictorum scelerum obnoxius sit Vlricus dux, iurè damnetur omnium. Inspiciamus itaq; ab ipsis incunabulis uitam, imò à progenitoribus indolem ipsam, & quidem sic, non quasi hæc à maioribus reperta, ad huius purgationem necessariò faciant, sed quia sic uixit ut dignum maioribus fuit. Non proderunt illi maiorum egregia exempla, si non ea est secutus Vlricus, at si studuit uestigijs auorum incedere, fiat accessio maiorum ornamentis, nec dedecoret illos huius calamitas, unde plurimum semper accessit gloriæ, maximis quibusq; celebratiss. q; uiris. Nam quid opus est dicere quis fuerit Barbatus ille dux, huius sanguinis, qui Tubingæ doctorum hominum Gymnasium tantis sumptibus instituit? qui literarum studia tantopere coluerit, quæ ab omnibus Vvirtenbergensibus Principibus Vlrici huius progenitoribus summo loco semper habita, humaniss imos iuxtà ac eruditissimos uiros in omni optimarum disciplinarum genere uniuersæ Germaniæ dederunt. Cumq; passim Germania plærasq; alias Academias habeat, nescio an ulla alia celebriores habuerit uiros. Hoc igitur semper coluit Vlricus, & ni coleret, Principem se esse non agnosceret. Vt enim non arbitror hominũ rusticorum stabula alieno pecori patere, suo clausa esse, sic neq; scholas Principum beneficijs institutas, solis ciuium liberis, non etiam Principum aperiri. Extant etiam plæraque huius scholæ hominum eruditissimorum monumenta ad hunc ipsum Principem, unde satis perspicuum esse debet, quanti is eruditos ipsos fecerit. Vnde miror ex omnium eruditorũ numero esse potuisse tam impoten-

tis animi, tam iracundi, ut hunc principem famosis libellis proscinderet, apud hunc enim in honore habiti sunt Grammatici eruditissimi, hîc floruêre poëtæ ingeniosissimi, ualuerunt oratores disertissimi eloquentissimiq́, in pretio fuêre, Mathematici artificiosissimi, quiq́ cũ Syracusano isto Archimede, & Megarensi Euclide, imò cũ tota antiquitate conferri queant. Hic iura ciuilia, hic sacri Canones, hic omnia humanæ & diuinæ sapientiæ studia in maxima semper fuerunt existimatione. Et nunc tandẽ ueluti ex seruitute ad libertatis postliminiũ reuersa autoritatem pristinam recuperabunt præside tã celebris Academiæ Vlricho. Ex his semper delegit deligetq́ quos rebus suis præficiat, quorum cõsilio & autoritate, ueluti ex Calendario administret florentẽ rursus suam remp. quorum decretis stari uelit, quorũ honoribus opibusq́ augendis semper intentus liberalissimè consulat. Proinde omnibus modis charus fuit semper, eritq́ suis, gratiamq́ habuit & fauorem apud populares omnes, quem auulsum à se, & ab illo ueluti discerptos, miserabiliter ingemuêre. Sed Tyrannidem exercuit armata superioribus annis manu ingenti suorum multitudine cæsa, scilicet quorum dux & signifer erat Pauper Conradus quem uocabant, qui excitata seditione simili, cuiusmodi nono ab hinc anno uniuersa Germania est experta, impietatis suę & stulticię cũ paucis complicibus pœnam luit, cæteris omnibus impunè & præter meritum & spem clementer dimissis. Tu tamẽ gloriaris tuorum & copijs & opibus pulsum hostem, seruatum principem, qui si tyrannidem incompescendis seditionibus eius urbis exercuit, uide quo pacto tuos à tyrannide uindicare possis, si uerò pietatem tuorum prædicas, oportuit piam esse causam, quam tui tam fortiter defensam uoluerunt. Reutlingam ciuitatem liberam ditionis suæ fecit. Nemo qui belli iure aliquid suum facit, ideò est tyrannus, siquidem quos subegit non deterioriloco esse uult eis, quorum iam olim dominus fuit. Eius autem ciuitatis occupandæ ius, fecit iniusta cædes ministri, quem ob singularem industriam & fidem meritò fecit plurimi pius in suos princeps. Equitem aulæ suæ fortissimum & affinem mihi occidit. Hoc dolet quòd tuus est, non quod occisus est, neq́ ullam eius cædis faceres mentionem, nisi cognatus sanguis te inquietum redderet. Itaq́ non rectẽ tibi credit quisq́ de cædis genere, neq́ uera neq́ uerisimilia narrantem, ut mediocris saltem ingenij facile perspiciet, qui primam orationem tuam perleget, & melius consulent istam tuam ferociam, quicunq́ hoc defuncti amici manibus â te datum resciscent. Alexander ille Magnus in conuiuijs plerunq́ mactare solebat, etiam eos quos clarissimos semper habuerat, nemo tamen tyrannidis notã illi ipsi inusit superantę iracundi animi impotentiam cæteratum rerum cum dignitate gestarum magnitudine. Tu Tyrannum eum facis, qui non passim, neq́ multos ut ille neq́ ebrius, sed unum occidit, idq́ domestici mali iniurijs commotus, Et eum cuidam missione cautum sæpe uoluerat grauiter læsus, eum quem ter quaterq́ ut ex aula cederet, sua curaret, monuerat, cõtemptus impatiens. Quid hic dicam qui si hisce de rebus quid dixero, timeo ne nondum bene obductam cicatricem refricem, & in te inq́ defuncti affinis tui manes (quibus cum pugnare cautum est adagio) cogar acerbius quam destinaui dicere, si tacuero, uereor ne non satis eum uindicem â tyrannidis crimine, qui nihil minus est quam tyrannus. Sed temperabo mihi omittamq́ silentio prætereundum, Tomosq́ relegandum facinus. Ipsæ tuæ orationes rem plus satis indicant, quæ si tam grauiter conuincerent, quam clamant fortiter, esset fortè quod refelli defendiq́ oporteret. Nunc si quis mediocri iudicio eas tentarit, uiderit mox quam sint dissolutæ, quam accusent magis quam purgent, quem maximè purgatum esse uis, quàm omnia plena relinquantur suspitionibus, quas in defensione tollere, in accusatione augere debet orator, ut uerisimum esse appareat, quod dicitur, non eodem ingenio

nio orationes condi & fingi poëmata. Hæc enim natura sua, suoq; genio gratiam adferunt, illæ nisi omnem artis uim ostentēt, nescio quomodo frigere uidentur. Prima itaq; tua oratio non minus graphicè rem ante oculos ponit, quàm ipsum ducem grauiter accusat patrati facinoris. Equidem legens, interesse me arbitror, & rē ipsam geri spectare, sed cùm oculos auerto, & aures orationi accōmodo quàm multa absurda, quam nihil uerisimile deprehendo? Tertia autem tua oratio quid facit aliud, (nan secunda suasoria est belli suscipiendi aduersus Ducem Vlrichum) quàm quod causam aperit cædis commissæ. Itaq; nimis tibi tua placent, adeò, ut tuam in his negligentiam non animaduertere possis. Est enim cęcus amor sui. Alijs oportet non sibi probet, quia oratoris præmium gloriam expectat, itaq; quarta tuarū orationum defensionem Ducis Vlrici fecit. Vincis itaq;, sed nemine repugnante, quo uanitati similior est ultima oratio quæ congratulationem continet, fugati profligatiq; principis. Vide quam paucis quinq; tuis satis prolixis orationibus respondeam. At tu tyrannum æstimas ex unius hominis cæde, cuius cædis causam uerius aggrauas suspicionibus, quam immeritò patratam conuincas, & non æstimas candorem & fidem optimi principis tam iniquo animo ferentis cædem fidelis ministerij. Vlciscitur iniuria cæsum, est hoc tyranni? Occidit iustis de causis inuisum sed præmonitum, sed honesta missione donatum, sed monitiones contemnentem, est hoc tyranni? Tyrannicum est iniquè cæsos susq; deq; ferre, Tyranni est improuidos adoriri, Tyranni est bene merentes trucidare, qui suorum cędem iniquam fert grauatim, punit autem sontes & noxios, non est ille Tyrannus, hoc enim æquitatis est, illud pleni pietatis officij. Qui suorum cædem tam dolet quam si è corpore membrum aliquod, cuius maximè egeat officio perderet, merito amatur à suis, ut qui nihil dubitent se curæ esse optimo principi & paterno affectu suos amanti. Quis Tyrannorum charus fuit suis? amant Vlricum sui. Quis Tyrannorum pulsus patria tantopere expetitus à subditis? Expetunt uotis omnibus Vlricum subditi: deosq; immortales precantur ut sibi restituant aliquando patriæ patrem Vlrichum. Quis Tyrannus unquam exceptus tam ingenti omnium gaudio, tam alacribus animis, tam ardentibus suorum uotis? Non fert Tyrannis amari, non fert expulsa desyderari, non fert tanto mortalium omnium consensu & fauore recipi, non fert gratiosum esse apud suos. Iam de pietate quid dicam? fert pietas tyrannidem? exosa est ne tyrannidem, & ita exosa ut malit regno carere, quam non esse pia. Sed nec literarum studia, nec cum optimis doctissimisq; hominibus familiaritas & consuetudo, nec in subditos amor, nec subditorū fides erga principem. Hæc inquā omnia non ferunt tyrannidem. Quid facilius quam in tyrannum inuehi, at tyrannidis conuincere qui non sit, non est eiusdem facultatis. Poëta fingit ex nihilo, unde etiam commune appellationem sortitus est cum Deo immortali omnium ex nihilo factorē. At tu hic nihil fingis, personam substituis, eamq; tyrannide induis, ut sic ueſtitam & deformatam habeas quam laceres & proscindas. O artificem poëtam, imò inertem, imò impotentem, ita & indignatione nimia flagrantem animum, sed non sinit te consistere spiritus ille ferox & poëticus furor, qui ubi incanduit, coherceri nequit, nequit extingui nisi debachatum sit. Iure itaq; Hessorum Alexander exploratis iam pridem moribus & uita optimi & miserrimi principis, misericordia impulsus & rei indignitate eius innocentiam defendendam suscepit, generis conflictam labem aboleuit, Germaniæq; uniuersæ tranquillitatem extorsit, innocentem, pium & contra ius fasq; pulsum principem restituendo, de cuius restitutionis causa satis superq; pro temporis angustia diximus, et aliàs dicemus: de inceps qua bellum sit gestum ratione dicendum erit, uos quæ

so uiri Marpurgenses quæ reliqua sunt pari patientia & diligentia auditote. Re
us tot scelerum & flagitiorum apud summum imperium princeps Vlricus
cum annitentibus supplicantibusq; maximis quibusq; principibus ultima ex
peritetur, & quibus poterat rationibus, innocentiam asserere, & læsam maxi
mi Imperatoris Maiestatem placare, conaretur, audijt ut si queat armorum ui,
amissa recuperare audeat. Quæ uox quo animo sit accepta, facile est dijudica
tu. Quis enim contra tanti Imperij amplitudinem arma capiat? Sed omni ui
ualentior est causa iusta, & mens recti conscia, minas impotentium sæpe susq;
deq; fert. Qui igitur tam tristis sententiæ carmen fortissimo animo excipere,
Hessorum Philippus erat. Hic optimæ causæ fidutia, tellurem pede pulsans
(quod Pompeium Magnum gloriari solitum accepimus) eam equitum pedi
tumq; uim exciuit, quæ ferendo potentissimi hosti par credebatur futura. Inito
igitur cum sola diuini ingenij indole consilio (hoc enim, quæ nunc fere est
mortalium perfidia, in tantis rebus tutissimum usum est) quæ ad bellum diffi
cillimum & diuturnũ necessaria uisa sunt, diligentissime cautissimeq; cõparat,
quo moturus, id Deus fortasse quis norit, licet fama, si illi credendum sit, iums
restitutionem polliceretur, sed fidem derogabat tantæ rei difficultas. Appara
tus assidui & maximi bellum haud dubie moliebantur. Et principis Hesso
rum itiones crebræ & longinquæ non uisæ sunt præter rem futuræ. Est enim
hic princeps mortalium omnium laborioſissimus & minime uanus. Parantur
omnis generis machinæ, instaurantur tormenta, expediuntur balistæ, fabrican
tur pontes, quæ alarum uice nauiculas lateribus iunctas habentes, machina
rum tormentorumq; molibus ferendis sufficerent. nouum principis huius in
uentum. Equitatus peditatusq; oppidatim ut in procinctu sint, quanta possent
diligentia & sedulitate edicitur, emittuntur, qui externam excitatissimorum
undiq; gentium militum manum liberalibus stipendijs conscribant. Princeps
ipse Philippus paucis comitatus, imò paucorum comes negotiatoris habitu
remotiores & peregrinæ linguæ nationes adeundo regesq; maximos pren
sando, & potentissimos quosque Hæroas compellando, præsens quæ uult
transigit, inq; fidem suam quos conuenerat astringit. Accipiunt lætissimis a
nimis generosum hospitem exteri, admirantur & amplexantur tam magna
nimi iuuenis uirtutem. Est gratia in uultu, lepos in ore, uenustas in toto corpo
re, suauitas in moribus, prudentia in pectore præter ætatem. Conciliatis itaque
principum externorum, maximarumq; (ut fertur) urbium animis, collecto mi
lite tam suo quam externo, eoq; ueterano, eum exercitum producit, quo fa
cile si uellet, pacata Europa, quamlibet aliam mundi partem ad conserendam
manum prouocare ausit. Omnibus diligẽtissimè prospectis mittit legationem
in Hispanias ad inuictissimũ Cæsarem Carolum, honesta & iusta oratum, al
teram ad Cæsaris fratrem Ferdinandum Pannoniæ utriusq; & Bohemiæ re
gem, eadem quæ à Cæsare petitum, ut uidelicet Vlrico duci paternus ducatus
restituatur, se idcirco nunc in armis esse, qui Ducem affinem restituat, à quo
conatu tam iusto, tam pio si prohibeatur, maiora se audere, inuitum licet, ne
cesse esse. Porro legatis non satis æqua referentibus, prodit in bellum quibus
ualebat pollebatq; uiribus, nihil certius expectans quam conflicturum se pri
mo quoque tempore cum maximis opulentissimisq; regibus. Non terre
bant fortissimum Hæroa ex aduerso & ob oculos posita Pannonum ferocia,
non Bohemorum fortitudo & audacia, non Danubij uires, non Athesano
rum opes, atqui hæc robora ad sinistram respicienti obuersabantur. A dex
tris expectabantur Hispanorum exercitatissimæ copiæ, à tergo uerò Hanno
niæ & Brabantiæ fortissimus equitatus, quibus omnibus iam pridem desti
nauerat non cessurum sese. In his cum totus esset, maximis itineribus con
tendit

tendit quo tam ingentes cœptæ res ſemel expediantur. Audite quæſo res incomparabilis ſeu fortunæ, ſeu fortitudinis, quod uerius arbitror. Audite tribus uerbis, nam pluribus dicere, non ſinit rei magnitudo, non reſpondentibus uerbis geſtarum rerum magnitudini: uenit, uidit, uicit. Venit uiribus imperio par futurus: non tamen contra imperium, ſed imperij amplitudinem & dignitatem aſſerturus: uidit hoſtem non imbellem, non mox terga oſtendentem, ſed in maximis prælijs ſæpe uictorem, ſed aduerſarios ui & armis prohibiturum, obuiam it ad Laufenum (oppidi id nomen eſt) Philippus Philippo, Bauarus Heſſo, is inquam Philippus Bauarus, qui tertio abhinc anno Turcarum uim ſuſtinuerat Viennæ Auſtriæ. Tum is, qui à quorum ſtetit parte, illis ipſis debebatur argumento eſſe, quantum pollerent arte militari, quantum etiam fide & integritate præſtarent Heſsi, à quibus ipſe oriundus, cognomen eſt ſortitus, cuius ductu & auſpicijs ſuperioribus annis Roma magna ex parte capta fuit, maximi apud Cæſarem pretij uir, & patriæ cuius gerit nomen, ornamentum, niſi contra gentiles nunc moueret: non tamen animo hoſtili, ſed fide quam debet ei, ſub quo tot antè prælijs periclitatus, magna parta bello gloria, reliquum uitæ cum tranquillitate tranſigere meritò debet. Nec abeſt Ioannes Hilckus eques fortiſs. & uir rebus belli geſtis præſtantiſs. ideoq; fortiſsimo quondam Equiti Franciſco à Sickingen, digno æternitate uiro clariſsimo: & hos quidem pro uirtutum ſuarum meritò, non putaui prætereundos ſilentio. Nam quid recenſeam facinoroſorum hominum iſtorum fecem, qui quò peius ſibi ſunt conſcij, eo pugnant auidius, cùm nihil habeant certius, quàm ſi ex eo nido, quem tot annis conſpurcarunt pellantur, odium ſe futuros toti humano genere. Incidit igitur in duplex hoſtium genus Heſſus, ſiquidem alteri uirtute freti, certum habent ſe non ceſſuros, alteri malitia inſtructi & omnium rerum deſperatione, euentum quemuis malunt, quam Heſſum uidere uictorē, ſe exules. Sic igitur animatos aggreditur Heſſus modicis copijs & ea manu, quæ hoſtium numero uix reſponderet. Siquidem à tergo reliquerat exercitus partem multo maximam: ſed documento futurus quantum præſtet cauſæ fidens imperator, cauſam non bonam habenti, periculumq; promiſſorum ueterani militis facturus, inq; eius conſpectu exemplum inſigne experientiæ rei militaris daturus, cum paucis rem gerit & hoſtem (quod tertium erat) uincit. Quo uulneribus cōfecto, & tum demum in munitiſsimā Aſpergi arcem fugiente ſequitur Heſſus, plenus fiducia Dijs præſentibus rem geri. Machinas admouet, ſignum dant buccinæ concinentes lætum quiddam & hoſpitale, ueluti in conuiuio ludentes, qua ſymphonia non plus ſuorum quam hoſtilibus animis excitatis, utpote temeritatem tam munitam arcem oppugnandi irridentibus, tormentorum uim, in muros, in ipſa denſiſsima ſaxis mœnia, adeoq; in arcis ipſius rupes contorquet (omitto enim quanta celeritate alias arces antè expugnauerit) non fert cœli ruinam (ſic enim putabatur) hoſtis, ſed data acceptaq; fide exit præſidijs omni rerum & ad belli uſum copia plenis relictis. Hoc credo eſt uenire, hoc eſt uidere, hoc eſt uincere. Arces munitiſs. quæ imperij uires laturæ putabantur, quæq; ſuperioribus annis confœderatorum & minas & machinas contempſerant, quarumq; aliæ deditione ſine ui, aliæ proditione hoſtium factæ, harum aliæ ſeſqui hora, aliæ ſeſquidie Heſſum accipiunt. acciuntunà ueterem & deſyderatum dominum Vlrichum. Dicitur Autacum ſeruare uoluiſſe nobilis mulier repugnante licet marito Heydendorpio ducis partibus æquiori, tantum ſolum de nominum ratione comperi hactenus. Hæc hacq; præmonita, ne principibus negotium faceſſeret, ſua auferret, arcem dederet, reſpondiſſe dicitur, iſtam ſe mentē à dijs immortalibus deprecari, ne arcem fortiſs. foſsis uallisq; muris & mœnibus ſeptam ſine ui hoſtibus dederet. Sed di-

Bemmelbergium intellige.

gnissimus uirorum fortium præconijs in tanta uirgine animus, mox ad natu-
ram reuersus muliebrem, conditionibus cessit, quibus etiam uiri bellatores pa-
rere sunt coacti. Quid Niffa? Hæc ruinas aliarum uerita arcium, maluit fartate-
cta se fidei naturalis domini committere, quam uim experiri Hessi. Itaq; pau-
cissimis diebus toto confecto negocio, recuperatoq; Vlricho Ducatu, ad Da-
nubium castra metatur Hessus. Ecquis cogitare ausit ab exiguis Drusi fonti-
bus, à Fuldæ Laniq; riuulis prorepturum, qui Danubio tam latis manantia am-
nibus, tam altos uoluenti uortices timorem incuteret. Drusi ne illius Imperato-
ris fortissimi manes credemus eius loci, ubi is trophæa fixit, accolas adspirare
facessant superstitiosa, ubi plus est ueritatis, & peregrina, ubi domestica abun-
dant. Nec putemus temere tot Herminios in principis Cattorum Philippi pa-
rentalem lineam irrepsisse. Quid igitur mirum, si huic supplices ueniunt Ger-
accolæ, quiq; Athesim bibunt, Tyrollos nunc uocant, innocentiam suam asse-
rentes, ut qui nullius unquam iniuriæ uel autores uel adiutores in Vlrichum
ducem fuerint. Proinde se Hessorum fidei commendant, se in illustrissimi
principis officio futuros pollicentur, uident nimirum tanti exercitus impera-
tori se pares esse non posse, & dignum arbitrantur cui se, uitam, fortunasq; fu-
as permittant. Sed nec ille innocentium petit fortunas, multo minus sanguis
nem, non enim uenit princeps seditiosus, non prædo, non latro, non sanguina-
rius, sed ut incolumis sit, uiuatq; tandem in summa tranquillitate & concordia
Germania, ideò uenit. Venit enim pacem extorturus, non uenit bellum illatu-
rus, si pacem extorquere nequeat, adest propulsurus uim à se, & seruitutem à
Germania uniuersa. mox igitur mox oblatis, acceptisq; pacis conditionibus,
reuertitur in Spartam suam, eaq; contentus, si quam maximè exornare possit,
curaturus est sedulo. Vbi nunc homines suspicioси isti, qui nihil aliud princi-
pem nostrum apud exteros reges moliri criminabantur, quam ut sub prætextu
restitutionis Vlrichi, Romani fastigij sceptra aliò transferantur? Vides ut fal-
sæ, ut uanæ fuerint suspitiones istæ? imò in iustissimũ Principem cõtumelio-
sæ. Non est illa fraus, non est illa perfidia in tam generosa indole. Magni fit & me-
ritò Alexãder ille Macedo, qui post profligatas Darij Persarum regis innume
ras copias, tam honorificè, tam reuerenter & sancte habuerit captas bello regi-
nas, adeò ut etiam ab hoste pronunciatus sit dignus tanta uictoria princeps.
Itaq; cognitis Darius officijs in suos uictoris Alexandri, obtulit illi filiam in
uxorem, & dotis nomine Asiatici regni æquam portionem. Sed Alexander ut
mundum duos soles habere, ita Asiam duobus regibus parere posse negabat.
Qui se tam continentem & fortem gesit erga captas mulierculas, nequaquam
eadem ratione à regnandi libidine sibi potuit temperare. Magna res est, & ne-
scio an ulla alia quæ regem magis deceat, ab iniuria captiuæ tam nobilis, tam
formosæ sibi moderari, nec uiolare ingenuum pudorem. Attamen si uenereo
isto pruritu ardeas intemperantius, si Mars in uenerem nonunquam sit incita-
tior inflammatioq;, nusquam non mederi queas isti uoluptati. Sed ab amplio-
ra specioſioraq; habendi libidine temperantẽ esse, hæc est uera & solida tempe
rãtia, digna gloria & admiratione. Itaq; princeps noster maximis fortissimisq;
copijs animo par, qui Europæ timorem incussérat, cui Danubius supplex erat
pacis æternæ datis fideiussoribus contentus, sedato animo reuertitur ad regni
sui angustias. non triumphantis more, non cum exercitu, sed ueluti priuatus po
sito magistratu. Tantumq; abest ut tantis rebus gestis insoleſcat, ut non satis
æquo animo ferat eam laudẽ qua tantus uictor ab omni posteritate merito cele-
brari debet. Itaq; inuitus scio clementiss. princeps has tuas laudes audis, sed ne
audias uirtus non sinit, quam ut umbra corpus, sic gloria necessario consequi-
tur. sed uidete singularem & inauditam tanti principis modestiam. Negat à

se

se quod præter opinionem sit, quod admirandum, quod memorandum, esse factum, multo se imbecilliorem esse, quam qui tale quid potuerit, se unica causæ bonitate confisum, annixum esse ut ualerent uigerentq; leges, ut æquo & bono locus esset, ut indespecta esset legum autoritas, id debuisse, eum qui quid debet, nec exoluit id quod debet, parum uirum esse. Cætera Deum Opt. Max. sua bonitate & clementia effecisse. Quin & istũ ad iustissimã causam suscipiendam tuendamq; animi uigorem non in se esse, sed cælitus acceptum. Itaque quoad potest, laudum suarum decora extenuat, & soli Deo uictoræ huius gloriam asserit. Verum, inquis, cur hoc non debeat? Tu bone da alterum qui idem præstet. Philippus ille Macedo Alexandri istius pater cæsis Athenien sibus, captisq; nobilissimis uiris, à uictoria se uertit ad conuiuia, ibi cùm perpotasset, efferreturq; morosius, gestiret insolentius, quid se deceret oblitus, intuens illum Demades orator, & ueluti conditionis suæ oblitus (erat enim è captiuorum numero) sic compellasse traditur fuerentem uino regem: Tu rex cum Agamemnonis personam præ te ferre debeas, Therſiten imitari maluisti? Qua nota asperſus & reuersus ad se rex, corollas reiecit, & se ex hominum conspectu subduens quid designarit expendit, tantumq; abfuit ut iniquius iustam tulerit reprehensionem, ut etiam monitorem suum cum cæteris Athenensium captiuis liberum esse iusserit, meritò igitur eius laudatur æquanimitas. Sed purior laus est eius, qui perpetuò Agamemnonis seruata persona, tali castigatione non eguit. Est quidem Macedonis non contemnenda modestia, sed tamen infecta, sed tamen ab ijs profecta initijs, ab hoc fonte deriuata, qui saliens harena mota riuulum non adeò purum deriuat. At Hessi sine sorde, sine labe, sine magistri monentis uoce sua est & solida & syncera cùm modestia tum gloria. Accipe igitur clarissime princeps laudes te dignas, non quidem à me qui multo sum inferior, quam ut minima ex parte mea oratio tuis respondeat uirtutibus, sed à schola hac tota, quæ tuæ gloriæ, factisq; tuis responsura aliquando ingenia, tua liberalitate curã sui habẽte fouet fouebitq;. Audistis uiri ornatissimi res magnæ tum fortunæ tũ fortitudinis, quæ tamẽ maiores multo uidebunt, si quomodo se gesserit, quomodo militẽ in officio continuerit, & peritus rei militaris, & seuerus & sanctus disciplinæ sit magister audieritis. Cum enim haberet militẽ undiq; gentium excitum, ueteranum, exercitatissimum, inuictissimum, ob fœlicem rerum periculosissimarum successum ferocientem, sedulam tamen nauauit operam ne tam impotentis animi miles quicquam prædaretur, latrocinaretur, pro libidine ageret, neue quicquam committeret, quo inficeretur infamareturq; tam iustæ causæ uindex exercitus. cauit, ut quemadmodum belli causa pia fuit, ita magna cum innocentia bellum gereretur. Nihil igitur eiusmodi querimoniarum auditur, in quas animi tam feroces nũquam non cadunt. Quis in natura rerum esse posse credat, ut bellum tam ingẽtibus cœptum conatibus, sine cæde, rapinis, incendijs, furtis, stupris, raptibus incæstisq; gereretur? at uidemus sine istis calamitatum pestibus, hoc bellum gestum hoc uictore principe. Siquidem in ipso prælio, in quo resistens fortissimus Heros Philippus Bauarus, non nisi ingenti accepto uulnere cessit, hostili cessione contentus Philippus Hessus, ciuibus parcere iussit pepercitq;. Tum non sine ingenti mærore, uulneratum Bauarum tulit & deditione Aspurgi facta, magna cum facilitate dimisit. Viraginem quoq; istam tam uirilis animi, quæ ab Auraco defendere hostem se posse confidebat familiarissime appellatam & laudatam dimisit. Cetera quoque deditionem facientibus, tam manſuetus apparuit, ut qui nihil unquam aduersus ipsos ne cogitasset quidem. Furtis rapinisq; cauit liberali stipendiorum solutione, utq; stipendijs suis contenti ab iniuria dediticiorum sibi temperarent milites sedulo orauit exorauitq;. In raptores & incæstos meritis pœnis

se animaduersurum minatus, libidinem impotentium animorum coherciit, ipse nunc obeundo, nunc obequitando ubique adest, & fortiter factis præmia largiendo, desidiæ inertiæ flagitijs multam dicendo, patientissimeq; labores, æstus, uigilias, famem etiam & sitim ferendo, exemplo efficit ut ametur uirtutum omniũ exemplar & specimen, simulq; timeatur uirtutis ueræ rigidissimus custos. O prudentiam singularem, ô moderationem sanctam, ô iustitiam sanctissanctam, ô fortitudinem admirandam, præuides sagaci ingenio infinita bellorum mala, & anxiè cogitas inisq; rationem ne iustissima belli causa, aliqua impietatis labe conspurcetur, uictoriam habere uis eam, in qua non modo hostes uerùm etiam uictoris exercitus audacia superetur. Hæ sunt ueræ consummataeq; summi principis uirtutes, uno frugalitatis nomine contentæ, qua de prouerbio dicitur. Hominem frugi omnia recte facere. Is frugi homo tu Illustrissime princeps, omni bonæ frugi natus & educatus, omnis frugis bonæ custos. Sed modum facio, non inuenio, quis enim tot egregias diuinitatis animi tui dotes satis prædicarit? aut unam quandam uirtutum tuarum prodignitate laudarit? Itaq; quod ultimo loco restat dicendum de euentu uidelicet tantorum motuum, quis comicus insperatiorem, quis Phormio optatum magis, quis Amphitruo minus expectatum euentum est sortitus?

Di uostram fidem, quam sæpe forte temere
Eueniunt quæ non audeas optare?

Hessus uix tum adolescentiam egressus, sed omnibus & corporis & animi uirtutibus Heros insignis, mouet in totius Europæ potentissimos principes, sic enim fama est, ijsq; ducatum eripit, si hoc est eripere, fugato principi suum restituere. Ea enim est celsitudo eaq; modestia, ut ne cogitarit quidem unquam eis bellum inferre, quos se superiores agnoscit, & reueretur: neq; quicquam se eripere posse confidit, neq; uelit eis quos sua sponte non magnificaturos explo ratum habet. Sed quæ res maiores unquam excitauit Tragedias, quam uiros principes raro suis, sæpe aliorum stare consilijs? Quam rem dum secum honesta ratione putat. Quid tu putas, cum tantas res ob pessimorum hominum pessima consilia pararet, cogitarit? Quid de se futurum (licet se in his terrenarum miseriarum angustijs nihil aliud quam humana expectare semper prædicet) quid de nobilissimæ uxoris, de dulcissimorum liberorum, de subditorum omnium fortunis crediderit, si res aliter quam decreuerat ceciderit? uerum cum sue nullam aliâs securitatis communisq; libertatis uiam animaduerteret, uim & potentiam aduersariorum expenderet, fraudem eorum quos nunquã non suspectos habuit uteretur, Quid faciat? Scit se apud maximos orbis Christiani proceres longe gratiosissimum esse. Non ignorat quam apud liberas imperij urbes habeat autoritatem. Sed longe grauissimum est occurere illis, qui terra mariq; dominentur. At quantæ calamitatis inermem, nudum, sine præsidio, sine subsidio semper esse expositum obiectumq; animis hostilibus, eisq; derisui fieri? Tum miserrimum est auunculum principem perpetuo exilio damnatum esse, tum filium, nondum conuicti criminis parentis ferre iniquitatem. Alios eius regni tenere principatum, cuius ipse sanguinis iure esse posset, si ita fata ferant, uidet manifestam sanguinis labem indicta causa. Quin etiam animaduertit eruditiores aliquot non malos homines, sed ebrios eius errore qui superioribus annis tam fortiter ad Tribunal Cæsaris, & ad uniuersam Germaniam clamauit & declamauit, adhuc deinceps Tyrannidem principis Vlrichi traducere traducturosq; ni intercedatur, ad posteros. Rursus se obijcit uigilantissimo principi, desertæ, si tantis cum copijs aliò proficiscatur, patriæ imago, difficillimum sibi futurum, foris lacessere hostem & eodem tempore domi patriam defendere. Cogitat quam magnas res animo conceperit quamq; magno uiro, sed

Hercule

Hercule tamen dignas, non tamen uiri esse metus causa non modo perpetuo periculo, uerum etiam sempiternæ infamiæ esse obiectum subiectumq. Qui recta & honesta secum putet, adijciat modo manum honestis cogitationibus, Deum Optimum Maximum rem iustam & honestam optimo fine deductu rum, & turbulentos licet, non tamen impios motus in tuto collocaturum. Is igitur qui diuinorum istorum luminum, quæ nunc progredi nunc regredi pro imperio conditoris uidemus, uires annuo cursu temperat, in cuius manu etiam regum corda sunt posita, is inquam bonę causę uindicem neq; cedendo uult contemptui esse, neq; progrediendo, sanguine pollui innocentis multitudinis. Respicit idem bonorum omnium autor ad genuinam Cæsarum cùm clementiam, tum pietatem, erroreq; iniqua consulentium deceptis lumẽ promit iustitię & ueritatis, Respicit & preces populi Christiani nihil aliud ex tam tristibus cœptis, quam Germaniæ ruinam, quam orbis confusionem & extrema quæq; expectantis, quiq; omnia ut prudenter sic utiliter administrat, is corda temperat regum & principum adeò, ut ex tot malorum imminentium expectatione liberati, redditam nobis pacem, nos libertati uideamus, ex qua parum aberat quin decideremus. Ecquis erat modus, quæ conditiones tam inopinati fœderis? Confirmatur sacrosancta Romani imperij Maiestas Ferdinando regi, securus redditur patrij regni retinendi Vlrichus dux, stabilitur pax rerum omnium maxima & iucundissima Philippo Hesso. Secura redditur turbarum omnium Germania, Spes est certa futurę mox inter omnes Christianos principes cõcordiæ, redituraq; imperante Carolo Maximo semper Augusto aurea augustaq; secula. O mutationem lætam, ô felicem, neq; aliunde, quã à diuina prouidentia destinatã, ô principes optimos & sapientiss. optimeq; de humano genere meritos. Quis nũc dubitet de candore tuo Alberte Brandenburgensis Archi præsul Moguntine. Quis non laudet & prædicet probitatẽ tuã Ioannes Friderice Saxo, quã à patre Ioanne & à patruo Friderico acceptã nomine præfers, & factis refers. O te num tandẽ optime meritũ de Rom. Imperio eiusq; dignissimũ Philippo Ferdinandũ Cæsarem inuictiss. Neq; enim unquã es uictus, sed quę solla est & uerissima uictoria, uicisti te ipsum, uicisti affectus tuos, quibus si indulgere quam resistere maluisses, si uires experiri tuas, quis non uidet quanti motus, quantæ cædes futuræ fuissent, nihilo uicto deteriores, quam uictori, nihilo uictori lætiores quam uicto, maluisti ab exiguo cadere ducatu, quam sic turbari Germaniam tuam, etiam si citra dispendium tuum, istę turbę esse potuissent. Neq; tamen non tuus est ducatus. Te enim pro tanto beneficio quod cedendo contulisti Dominum & Augustum suum agnoscit Vlrichus Austriacæ salutis & Germanicæ pacis semper studiosissimus. Agnoscit Hessus te Cæsarem, agnoscit orbis Christianus defensorem & protectorem suum. Habes deuotum fidei tuæ Philippum Hessum Imperij, cuius accepisti habenas columen, cuius tanta est industria, ut tibi tuæq; Germaniæ urgentibus rebus maximo usui esse debeat, cuius tanta fides ut uelit, cuius militaris disciplinæ peritia tanta, ut possit. Habes obistam animi tui moderationem, deuotos omnium cum populariũ tum principum uirorum animos, prudenter, iuste, liberaliter, fortiterq; à tefactitatum prædicantium. Non es degener à Fratris Caroli Imperatoris maximi pacatissima natura & generosa mansuetudine. Qua sola uirtute res publicæ recte administrantur, fortiter regna seruantur. Imperia iuste & legitime gubernantur. Non est alienus sanguis penetraliũ diuini pectoris tui ab aui Maximiliani studijs, qui talibus semper conditionibus gessit, ut pace frueretur orbis uniuersus, nõ deficis ab abaui Friderici moribus qui nominis sui appellatione rebus ipsis nũquam nõ respondit. Viuunt in te Imperatorũ Alberti proaui & Sigismundi Bohemorum regis studia, quorum ille fortissimus

tissimus Imperator, hic optimus omnibus seculis prædicabuntur. Repullulascunt in te uirtutes tot maiorum tuorum regum & ducum, qui uix numerari possunt, quosqúe unus tui generis sanguis non modo toti Europæ principes, uerumetiam aliarum mundi partium, rebus publicis & regnis dedit, uiue, uale, & impera. Impera dummodo nos liberi, quandoquidem hoc unum summi imperij Maiestas debet suis, ut in libertate uiuant. Esto hæc barbarorum regum lex, seruitutis iugo fatigatos, lassatos, confectos & enectos uidere populares. Quod regnum neq; Romani Imperij Maiestas unquam tulit, neq; Germanorum libertas ullo tempore ferre uoluit. Tu æquitatis plænas leges dictabis, eas q; sacrosanctas tueberis, earum q; defensarum nomine Augustus, Cæsar, & pater patriæ censeberis, & quasi numen quoddam cælitus acceptum uocaberis in terris, dubio procul ob istas animi tui uirtutes in deorum numerum referendus. Tu cum Carolo fratre ultra Herculis columnas progressi, ueluti duo Atlantes molem totius uniuersi sustinebitis, quæ tantarum rerum moles eò tolerabilior utriq; uestrûm erit, quo plures Hercules, uestra clementia, æquitate & iustitia uobis conciliaueritis. Audisti Rudeli Rector magnifice, Audistis uiri ornatissimi ex quanto rerum turbine ereptos, nos, diuina benignitas, temperatis regum Hæroumq; sanctissimorum animis in turo collocarit. Audistis causam, rem gestam, & Euentum, reliquum est ut Deo Optimo Maximo gratias agamus, ne ingratitudinis in Deum, adeoq; impietatis rei expectatione deteriora aliquando accipiamus. Proinde, Deus optime Maxime, ad genua tua supplices accidimus, tibi nos deuouemus dedimusq;, Te Deum agnoscimus, colimus & adoramus. Te fontem omnis boni prædicamus, tibi ob res tantas motas ad publicam omnium salutem, (siquidem hinc te reuereri didicimus) tibi ob res tantas compositas & pacatas (siquidem hinc bonitatem tuam recognouimus) magna mortalium omnium expectatione & desyderio Trophæum erigimus, non ad Neccari fluenta, non ad Danubij profunda, sed in campo misericordiæ tuæ, ad quam genua cordis nostri flectimus, orantes ut quam pacem populo tibi deuoto præstitisti à terrenis motibus & inquietudinibus, eam cordibus nostris infundere penitusq; imprimere digneris, ut tibi hic totis cordibus nostrorum uisceribus seruientes, tecum post hanc mox interituram uitam, cœlesti & nunquam interitura pace fruamur.

FINIS.

MICHAE.

MICHAELIS AVGVSTI VVIRTENBERGENSIS GRATVLATIO AD PAtriam, de reditu Illustrissimi Principis Vlrichi &c.



FESTA dies uenit quæ lætas postulat aras,
Adsitis ciues, sertáque ferte comis.
Ore fauete omnes solennia dona ferentes,
Mittite in accensos munera grata focos.
Ducite rite choros, solennesq́; ordine pompas,
Ac tremulis manibus tollite quisq; faces.
Ludite iam fidibus, iam tympana tundite, & æra,
Spargite iam frondes ac tegat herba uias.
Ingemmetur io, resonet clamoribus æther,
Gaudebisq́; tuum plebs redijsse ducem.
Redditus in patrios princeps Vlrichus honores,
Cuius in aduentu est omnibus una salus.
Pulsus erat regno, qui quondam fraude suorum.
Heu scelus, in dominos num decet illa fides?
Excipit hunc princeps Cattorum frena capescens,
Huic etenim patrio sanguine iunctus erat.
Iura dat hospitij, mensáq́; accumbere eadem.
Sic tulit exilium per tria lustra suum.
Ast ubi iam placidam sensit Germania pacem
Fata suum finem quem statuere petunt,
Et quia Cattus erat iam sæpe misertus amici,
Ad Thalami uocat hunc atria celsa sui.
Hinc ubi seruorum iußit discedere turbam,
Talia facundo uerba dat ore uiro.
Hic agis expulsus tria lustra ex sede paterna,
Nec tibi spes reditus restat amice tui.
Casibus es actus uarijs grauibusq́; ruinis,
Et fortuna tibi semper iniqua fuit.
Nemo tamen potuit tibi fati imponere culpam,
Aut quòd peccati pœna sit ista tui.
Res testatur enim, quòd proditione tuorum
Ex patriæ pulsus sis ditione tuæ.
Quare ego mille modis reditum tibi sæpe petiui,
Quam iusta potuit conditione peti.
Pro te sæpe meæ subij discrimina uitæ,
Sæpe steti supplex regibus ante pedes.
At sic dira tuam lædunt mendacia famam,
Vt precibus flecti Cæsaris ira neget.
Ergo ego per superos, dextrãq́; hanc iuro Philippus
Perq́; meum sceptrum, & fœdus amicitiæ.
Si modo fata sinant, diuûmq́; æterna potestas,
Et faueant Christi numina magna mihi.
Ipse meo patrias tibi reddam milite terras,
Ac pro iustitia, talia bella geram.
Nil nisi iusta petam, causæ fortuna fauebit,
Quæ feret his nostris quam peto rebus opem.
Nam dubij quamuis incerta est alea Martis
Iusta tamen uincit iudice causa Deo.
Dixit & hoc animo celeri, perq́; omnia uersat,
Nec dubitat quin sint arma gerenda sibi.
Claßica ubiq; sonãt, atq; agmina ad arma uocabat,
Delectuq́; habito, castra locabat agris.
Educit muris, bellum sic mouit in hostes,
Consilio quorum dux quoq; pulsus erat.
Fama ruit uolitans talis prænuncia belli,
Aëra quæ magnis implet ubiq; sonis.
En tibi fama nouum dico Stuggardia bellum,
Dux quem Mars dubius sæpe fefellit adest,
Huic etiam auxilio est acuens leo discolor ungues,
Atq; minas Aquilæ nuntiat iste tuæ.
Hæc ita cum procerum tandem præteruolat aures,
Mœsta sub ambiguo corda timore facit.
Nec tamen omnis abest ratio, nam robore freti
Fortiter unanimes undiq; ad arma ruunt.
Dux ea tum tenuit Palatinus regna Philippus,
Præfectus patriæ qui uice regis erat.
Mœnia qui pulchræ defenderat ante Vuiennæ
Ausus hic est uires spernere Catte tuas.
Auxilia erectis posuit lectißima signis
Qua celer ad Laupham Neccarus arua rigat.
Non fuit inferior Cattus, nec more, nec usu
Militiæ cedit, nec fuit arte minor.
Signa sua opponit signis, aciemq́; subornat
Postquam pugnandi copia facta fuit.
Atq; propinquantes cum tot Palatinus equestres
Vidit & hinc peditum millia multa sequi
Primus init pugnam, nec non sua fata uidebat,
Attamen officio uult satis esse suo.
Incitat acer equum, metuendam concutit hastam.
At quid fata struant exitus iste probat.
En ueluti summo ueniens ex æthere fulmen
Illius hic penetrat fumida pila pedem.
Quid facerent reliqui? tali sunt omine docti
Cum capite & uires iam cecidisse suas
Sic igitur trepidæ sua terga dedere cohortes,
Ante tubam quærens quisq; salutis iter,
Castra mouet Cattus, uictorq́; ad mœnia tendit,
Eiectum patria restituitq́; ducem.
Hoc opus egregium est, hæc illa Heroica uirtus,
Quæ uel fatales effugit una rogos.
Hanc ego nunc dignis ornarem laudibus, atq;
Eueherem ad superas te bone Catte domos.

Hoc

Hoc tuus excellens Eobanus carmine digno
Principe te tanto ni cecinisset opus,
Quem tua te dignum peperit tibi terra Maronem,
Vt tua Mæonio carmine gesta canat.
Sed mihi uos etiam faciles concedite Musæ,
Vt paruis Elegis martia facta canam.
Nam tua te uirtus summis Heroibus æquat,
Quorum res gestas secula nulla tacent.
Et uelut illorum laudes nulla obruit ætas,
Virtutis uiuet sic quoq; fama tuæ,
Historicíq; suis tua facta Annalibus addent,
Qui populis tradunt gesta legenda ducum.
Omnia sint mortis, perdatq; annosa uetustas,
Nil tamen in famam tempora iuris habent.
Antiquos euolue duces, hunc confer ad illos
Inter præcipuos (crede) Philippus erit.
Dant exempla fidem, Romanos respice in annos,
Siue Camille tuos, Romule siue tuos.
Isti pro patria gesserunt prælia tantum,
Hic pro iustitia fortiter arma gerit.
Suscipit expulsum, clypeoq; hunc texit ut Heros,
Vindice dein studuit restituisse manu.
Sic pulsos natos Alcidæ maximus Heros
Restituit Theseus, hisq; ferebat opem.
Thebaníq; tegunt expulsos Palladis urbe,
Atq; tyrannorum non timuere minas.
Contra edicta iuuant, donec Trasibulus Athenas
Occupat, exulibus restituitq; lares.
Horũ exempla sequens pia suscipit arma Philippus.
Pro duce qui ueteri sanguine iunctus erat.
Nec satis est ipsi tales æquasse labores,
Iustitia uires sed moderatur eas.
Hunc etenim stimulant studium uirtutis amorq;
Ac recti iunctus cum probitate decor.
Nam cum terga dabant hostes, atq; agmina in agris
Hostili posset perdere cuncta manu,
Noluit inde sequi, sed clamat uoce receptum,
Pugnantes reuocat, continuitq; uiros.
Militiæ leges, belliq; exercuit artes
Posset ut à pugna sic retinere suos.
Artes quid memorem? quas nemo peritius unquam
Norat, seu bello, temporibusue bonis.
Obruit his acies, urbes, castella, domosq;,
His sine res magnas sæpe labore facit.
Continuit pedites, equitesq; per auia rara
Passim grassantes, atq; pepercit agris.
Quod ducis egregij est tantam compescere turbam,
Inq; fide legum tot retinere uiros.
Sed quod maius erat tumidam scit uincere mentem,
Fortiter affectus supprimit ipse suos.
Magna & rara quidẽ uirtus (proh Iupiter) hæc est,
Temperies Catti scilicet illa ducis.
Qua potuit tumidæ tum uires uincere palmæ,
Indomitas leges cum uel habere solet.
Nam solet immodicè uictoria legibus uti,
Inq; suis rarò finibus ipsa stetit.
Hoc igitur felix, ô felix patria gaude,
Vos ciues festos concelebrate dies:
Brachia in aduentum tanti ducis obuia lætis
Tendite per cunctas ore sonante uias.
Virtutes meruêre uiri cui talia fiant,
Fortunam patriæ reddidit iste suam.
Cui tandem reduci gratemur & omnia læti
Amplectamur, eant tristitiæ atq; metus.
Intra quæ steterant dubij tum pectora uulgi
Principe cum proprio stat patria orba suo.
Quanquam spes aderat, simul expectatio plebis,
Cætera plena metus, plena doloris erant.
Vt trepidant pulli cum miluus matre fugata
Aduolat impastus, quos pede & ore rapit.
Hi pauidi sperant tutelas, & matris alas,
Quæ tamen auxilium ferre nec ausa fuit.
Donec ad extremum domino ueniente tabernæ
Ille satur fugiens ædem & alta petit.
Voce uocat reliquos, & sparsas non sine cura
Congregat incolumes sedula mater aues.
Huius in occursum saliunt, aliq; frequenter
Quassant immemores uoce sonante malũ.
Patria sic fuerat duce cum uiduata parente
Anxia plebs intra spemq; metumq; stetit.
Auxilium trepidans oppressa tyrannide sperat,
Ex numero plures sed periêre tamen.
At postquam redijt, spes in quo tota pependit,
In uultus reliqui iam rediêre suos.
Reddita nam patriæ libertas optima rerum,
Vna salus populo, ciuibus una salus.
Hæc facit ut positis securam degere uitam,
Libera quæ tuta tempora pace refert.
In curuas gladios Mars sæuos confice falces,
Ex galeis facto uomere rura cole.
Pax etenim regnat, nunc tu quibus usus es armis
Omnia depones, hæc geret alma Ceres.
Et uos qui geritis tormenta uel arma Deorum
Puluere quæ Nitri saxa globosq; uomunt,
Ludite qui iaculo propius contingere metam
Posit, & in rapidos dirigere ille lupos.
Dulcior usus erit, uos discite suauius uti,
Vt quæ litis erant, sint socia arma modò.
Viuite concordes socios sic fingite ludos,
Naturæq; aptam iungite amicitiam.
Vos tamen ô ciues neq; uertite in otia pacem
Quippe exercitium sumite quisq; suum.

Patriæ

Patria tam latis est uobis undiq; campis,
Atq; ita piscosis diues abundat aquis.
Essq; frequens syluis, fluuijs, ac montibus altis,
Tot gelidi fontes, tot loca pulchra situ.
Tot loca Nympharum, castris notissima Musis,
Præcipueq; meis Murra ubi perdit aquas,
Et Iaca cum rapido coniungit cornua Nicro,
Hinc ducunt ortum carmina nostra suum.
Oppida tot surgunt, totq; artes nubila tangunt,
Tot nimeta fortis, ruraq; plana soli.
Singula qd memorē? Lybicos quis laudet & agros,
Siue ferant laudes Lesbia uina suas.
Seu placeat marmor semper frondentis Hymeti
India laudet Ebur, Mel probet Hybla suum.
Sint licet hæc magnis loca prædita dotibus istis,
Et genuit inde suum singula quæq; ferant.
Laudemus patriam quæ fertilis hæc tria sola
Frumentum, ac uinum, mellaq; flaua parit.
Tum quos præterea fructus natura creatrix
Gignit in hoc nostro pinguis ubiq; solo.
Farri igitur planas uel uomere scindite terras,
Ac speret plena messe colonus opes.
Et pars pampineas plantent circum oppida uites,
Pars capiant pisces, exagitentq; feras.
Pars quoq; Musarum studijs, legumq; sacrarum
Dedita, & ingenuis artibus esse uelit.
Odia uos uicti deponite, & inuida corda,
Vindice cum posuit uictor & arma manu.
Huic non bella placent, neq; ferri degener usus.
Nec lites, sed amor, iustitia, atq; fides.
Nam (quod præcipuum est) diuinos curat honores,
Atq; Deo ritus restituisse suos.
Vtpote quos tenuit synceros sancta uetustas,
Integra dum facies relligionis erat.

Estq; Tubinga igitur nunc principis altera cura,
Vt quoq; sit doctis hic schola culta uiris.
Qui rem sustineant, ac summa negotia curent,
Imperiumq; inter mille pericla regant.
Gratulor hunc etiam tibi successisse triumphum
Non minus ac patriæ Dux generose meæ.
Ac precor ut portis securus semper apertis
Tempora tranquilla pace beata regas
Nunc igitur, quia finis adest & meta malorum,
Ac tandem multo parta labore quies:
Accipias antiqua tui moderamina regni,
Quod tibi nec leges, nec sacra iura negant,
Expectate diu patriæ quem læta iuuentus,
Quem consulta cupit uox ueneranda patrum.
Quem cupidæ matres, pueri, comptæq; puellæ
Vnanimes unum sceptra tenere uolunt.
Ergo agè uiue memor fidei, mentisq; tuorum,
Ac tuus in nostro carmine crescet honor.
Sed tua iam pietas est nobis cognita dudum,
Emicat & magna luce paternus amor.
Virtutesq; tuæ, sic officiosa uoluntas
Fratris in ornandis rebus ubiq; tuis.
Præterea magnam dat spem clarissima proles
O decus & patriæ gloria magna tuæ.
Virtutis fac uiue memor, laudisq; paternæ,
Tu genus illustres, nobilitesq; tuum.
Tunc mihi si uires dederint & Phœbus, & ætas
Cum carmen uena prosperiore fluet.
Teq; patremq; canent musæ maiora camœna
Tunc dicent laudes carmina nostra tuas
Quando iterum patrijs uersus modulabor in antris
Inter Germanas Neccarides q; meas.
Interea placido nos uultu ferte poëtam
Me iuuenem patriæ sic ceciniisse suæ.

Quo anno & mense Vlrichus dux Vvirtenbergensis sit restitutus, hoc distichon ostendit, Annum literæ numerorum indicant, Mensem sententia.

Prata nitent uiolis, & pictis floribus albent
Tempore quo Vlrichus Patria regna capit.

Scilicet Anno M. CCCCC. XXXIIII.
Mense Maio &c.

ECLOGA DAPHNIS ET MENALCAS, PER DAPHNIDEM AVTEM VLrichum Ducem Vvirtenbergensem intelligit.

D. M.

Daph. QVAE mihi tam lætum te huc aduehit aura Menalca?
Forsitan audisti fortunam Daphnidis æquam?
Optime pastorum dic tandem quæso sodali,

Me. Scilicet hoc ipsum mea Daphnis pectora tangis
Qui tribus his totis es lustris exul & hospes
Cattorum, nec non etiam pecora atq; capellæ
Est & agri fructus tibi sæpe negatus, at omnis
Vsus iam redijt cum spe maiore fruendi.

Daph. Quippe ea sic nobis concessit pulcher Apollo,
Qui fuit auxilio, dum me formosus Iolas
Restituit pastor, nunc cuius ouilia Fulda
Alluit, armentis dans potum, pascua tota est.
Hesia, certè ipse est quem Pan pro Principe seruat
Pastorum, quem sic uirtutibus ornat & auget.

Me. Certè equidem præclarus is est, illustris & omni
Præditus ingenij splendore, ac fortis in armis.
Audet enim iustos defendere Marte, nec unquam
Territus hoste suo cum recti cura mouebat.
Sic uirtutis amans, recti studiosus, & æqui,
Vt pro iustitia moturus sponte sit arma.
Commoda nõ spectat, nec opes, neq; præmia quærit.
Ipse decor recti mouet hunc, quoq; inclyta uirtus
Ipsa sibi finis, pretiumq; sit undiq; sola.

Daph. Vulgus an expediat, nõ quærit quid sit honestum
Ac tales tantum probat utilitate triumphos,
Virtutisq; mouet nomen uenerabile paucos
Est quoq; nemo probus gratis si uera fatemur.

Me. Ni me syluicolæ musæ faciles q; Napeæ
Fallant, hic ipse est per quem Saturnia regna
Sunt reditura nouæ quondam pia secula pacis.
Qualia iam dudum promittunt undiq; uates
Humano generi cum ferrea desinet ætas.
Nam redit æquata, quæ temperat omnia libra
Virgo decus cœli, iam regnat dexter Apollo,
Huic quia summa uiro stabulorum tradita cura est.

Daph. Scilicet ipse lupũ qui Pannona ouilia uexat
Hinc aget ingentem, qui lustrans omnia passim (xat
Montiuagus syluas, & mollia prata pererrat.
Vt si fortè canes stabulum uel septa relinquant
Irrumpant subitò uentrem pasturus edacem,
Quatuor autumnos, totidemq; est incola messes
Pannoniæ, nec enim quisquam fuit hactenus ausus
Ponere uel laqueos, uel tendere retia, tantus
Horror inest cunctis. At nunc animosus Iolas
Marte feram perdet, fossisq; includet apertis.

Me. Fertur & huic comitẽ fore te sociũq; laborẽ.
Tum quos præterea iungent tibi Cæsar, & urbis
Cæsareæ, quibus est rerum data multa potestas
Sic igitur sic ite uiri, depellite uastam
Vestro ex rure feram, pecudes defendite pingues,
Ac pastæ referent uobis extensa capellæ
Vbera lacte domum, cum sic per prata licebit
Ludere, & in tutis sua quærere pabula syluis.

FINIS.

TVMVL

TVMVLTVVM ANABAPTISTARVM LIBER VNVS, AVTORE D. LAMBERTO HORtensio Montfortio, Ludimoderatore Scholæ Nerdenæ.

D. LAMBERTI HORT. MONTFORTII AD VIGILANTISS. COSS. & inclitum Senatum Amstelredamensem, Præfatio.



VI Rempublicam laudatè gerere in animum inducunt, ad eam ornati & instructi accedere debent, & quidem ijs studijs, eaq; doctrina, quibus societates humanæ & tuendæ sunt, & conseruandæ. Tuemur autẽ eas legibus, moribus, institutis, & eloquentia: quæ omnia ita diligenter ab eruditis & sapientibus tradita sunt, ut reuera suum otium ad posterorum utilitatem contulisse dici possint. Etenim, quis ullam hominum consociationem rectè sub legibus cõtinuerit, nisi qui leges ipse teneat? quis de iure consultus prudenter responderit, nisi qui ius diligenter didicerit? quis populum concionibus teneat, nisi qui dicendi facultatem sit consequutus? Nemo sine eloquentia multitudinem flectat, nemo uertat, nemo suadeat, dissuadeatúe, ac Suadæ, quam Græci πειθὼ uocant, beneficio aculeum in auditorum animis relinquat, qui nesciat copiosè, ornatè, ac prudenter eloqui, quæ accommodatè ad persuadendum pertineant. Atq; hæc quidem studia & disciplinæ authoritatem conciliant, decus addunt, & honores cumulant. Quare ueteres laudatissimè mihi fecisse uidentur, qui cùm bello & paci aptos uiros habere uellent, duobus potissimum studijs iuuentutem exercere consueuerunt: literis humanitatis, disciplinis & corporis exercitationibus: quarum illæ in toga, hæ uerò in sago reipub. ornamento forent. Qui neutras uerò à rudibus annis didicerant, prouerbio notabantur, Neq; literas, neq; natare. Quot fuisse olim excelsos uiros credimus, quorum maiores, cùm militari gloria tantum excelluissent, ipsi ut ad rempub. magis idonei accederent, pacis artes addidicerunt? P. Mutius, Q. filius, ius ciuile: Africanus eloquentiam, ad parentum suorum decus adiecerunt. Quod ipsum fecit & Timotheus, Cononis filius ille, qui propter admirabilem in re militari fœlicitatem, dormientis rete traxit. Hic ad bellicam laudem patris, ingenij & doctrinæ gloriam adiecit, ut belli pacisq; artibus ex æquo clarus haberetur. Fuit autem illis hic scopus, cur à doctis uoluerint erudiri, tum ut meliores ciues, tum ut reipub. utiliores essent. Tales fuit Pericles, Sophocles, Epaminundas, Demosthenes, Dion, & innumerabiles alij, qui optimè respublicas rexerunt, & in pace conseruarunt. Sapienter profectò dixit Plato: Tum demum beatas respub. fore, si aut philosophi eas administrarent, aut principes philosopharentur. Primùm autem in talibus uiget authoritas: acutissimè eloquuntur: prudenter consulunt: omnem cognitionem & intelligentiam ad publicam utilitatem, ueterum exempla tanquam speculum obtuentes, sedulò conferunt. Ipsi nemine, omnes eorum prudentia indigent, & industria. Deinde, si in medium consultandum erit, aliorum auditis sententijs, id quod ius, quod æquum, quod decorum (id quod perpauci in perplexis negotijs cogitant) exequuntur. Reliquis plus præuident: ex antecedentibus futura prospiciunt. Præsentia consilia in rebus subitis & periculosis, ex instructo penu exemplorum deprompta, quis in illa humanæ uitæ societate, quam ciuitatem appellamus, non admiretur & for mideat? Rursum, ignauos, quorum iacent consilia, quiq; ab aliorum consultis pendent, nemo magnopere suspicit, colit, aut defert quem debet honorem. Fit ibi, ut dissolutè uiuatur, sine legum metu. Quicquid enim libet, sibi licere existimant. Vbi hoc pacto, talibus res moderantibus, degitur, ibi prona in perniciem sunt omnia, & in interitum tendunt: non secus atq; nauis, quæ ab imperito magistro gubernata, naufragio proxima est, & præceps ruit. Quantas uerò tumultuũ procellas superioribus annis in infera Germania, præcipuè uerò in Hollandia, uidimus? Anabaptistarum, inquam, motus? Vnde exortas eas primum arbitrari par est, & propagatas? an non ex oscitantia & supinitate eorũ, qui minimè instructi, pessimè ornati ad respub. accesserunt? ut ad postremum, ubi illorum uires inualuissent, ægrè gentis conspiratio sit deleta? Hac autem pestilentia, hanc uerò prudentia & industria Consulum militarium & eruditorum seruatam fuisse, apud omnem posteritatem exemplo esse poterit. Cum igitur libellum hunc, quẽ de Origine & interitu Anabaptistarũ, nostra memoria, scripsi, omnino alicui nuncupare decreuissem, qui cognitioni earũ rerum inter fuisset, neminì iustius usus fui, quàm Coss. & Senatui inclyto Amstelred. dedicare: quos ea gens ita fatigauit & exercuit, ut ornatissimorũ gubernatorum gloria immortali ciuitas à uastatione et seruata & uindicata sit.

TVMVL-

TVMVLTVVM ANABAPTISTARVM LIBER

VNVS, PER D. LAMBERTVM HORtenſ. Montfortium.

PRINCIPIO omnium ſatis conſtat, uarios errores, reuiuiſcentibus noſtra tempeſtate humanitatis ſtudijs, iam tum in Eccleſiã irrepere cœpiſſe. Horum autem plerique ab obſcuris authoribus & rudibus bonarum literarũ ortum habuere. Sed cum alij alijs peſtilentiores eſſent, eum nemo non iudicarit orbi pernicioſiſſimũ fuiſſe, quo conſenſus humanæ ſocietatis perturbatus fuit, quo nihil ſanctum in uita, nihil iure proprium haberetur, nullus eſſet magiſtratus, nullis uiueretur legibus, ſed aureo (quod in fabulis eſt) renato ſæculo, mortales ſua ſponte fidem ſeruare cogerentur. His ceu fundamento Anabaptiſtæ homines fanatici, poſtremò exorti, nullo iudicio nixi, rationis & legis naturæ expertes, omnia diuina & humana peruertere cœperunt. Nam cùm legibus ſoluti uiuerent, ferarum ritum, & latrocinantium uitam mihi ſequuti magis uidentur, quàm ductum naturæ humanæ. Illi enim rapere aliena, ſacrilegijs ſanctare, ſtupris omnia polluere, ijſdem ſacris non initiatos trucidare, nullum forum, nulla iudicia exercere, uxores nullo certo numero habere ad libidinem, pium ducere. Antequàm ad rem perueniam, operæprecium eſt cognoſcere, quibus initijs, & quem maximè authorem hic error inuenit: inde à quibus confirmatus: poſtremò quî factum, cur in infera Germania in tam horribilem malorum excetram erupit. Iis temporibus, quibus inter cæteras D. Martini Lutheri theſes, liber De libertate Chriſtiana in lucem editus toto orbe ſpargeretur, mox Germanica lingua iactari omnium manibus cœptus, incredibile dictu eſt, quos plauſus apud homines literarum ignaros excitarit. Sunt enim omnes mortales natura libertatis in deteriorem partem ſemper cupidi, & eorum quæ negata ſunt, appetentes. Itaque is Liber materia uulgo ad memorabilem ſeditionem, ſed non bene intellectus, præbere uiſus fuit. Thomas Muntzerus, Saxo erat, homo (ut accepi) illiteratus: ſed, ut apparebat, in hoc libello egregie exercitatus, & ſcripti interpres parum candidus, primùm cœpit apud ſuos occultè de miſerabili Germaniæ ſeruitute queri, oneribus ac uectigalibus plebem premi, penes Principes opes, penes ſe uerò perpetuos ſudores eſſe: inde adeò etiam uix parari aduentrem explendum uictum. Aliquandiu ita muſſando tandem eò rem traxit, ut aliquam uim popularium ſuorum ad uindicandam libertatem, ad arma concitarit. Ad quam breui ex agris tanta hominum colluuies, tanta ex urbibus ſceleratorum ſentina affluxit, ut paucis diebus ad triginta armatorum milia contracta metum uaſtitatis Germaniæ fecerint. Horum conſentiens clamor erat & indignatio, ſeruitute plus quàm uilia mancipia miſeram ruſticorum plebem oneratam, in argentifodinas & lapidicinas ſe quotidie demergi. Velle ſe uectigalibus, telonis & oneribus id genus leuari: & rantũ non nullum agnoſcere principatum. Inter Chriſtianos nulli quicquam debere eſſe proprium, ſed omnia communia. Et inter iſta ſeditionis capita celebriora Muntzeri erat nouus baptiſmus in libera eccleſia, quem præclarus ille toto orbe refragante tueri uoluit. At poſtquam principum uirtute, ruſticorum copijs deletis, tumultus oppreſſus eſt, eo prælio captus Muntzerus à Duce Saxoniæ, ferro percuſſus fuit. Incidit hæc clades in annum uigeſimumquintum ſupra M.D. Authore doctrinæ ad iſtum modum è rebus humanis ſublato, ipſa tamen in paucorum à clade ſuperſtitum animis hæſit, ut eſt ingenium humanum

mentē prauī, quā recti, semper tenacius. E' reliquijs acceptæ cladis exoritur statim Melchior Hoptmānus, superiori ingenio & eruditione par. Circa Rhenū hic cum docere Anabaptistica paradoxa aggressus esset, ab Argentoratēsibus & arreptus & in uincula cōiectus fuit. Etenim illa Germaniæ pars per id tempus & doctorum hominū, & egregiarum artiū referta erat, quorū cura & magistratuum uigilantia maturè cautum fuit, ut aqua & igni omnibus ijs sit interdictum, qui eam sectam publicè priuatim ue tuerentur. Pulsi inde, in interiorem Germaniam se dispersere: maximè uerò in ea loca, in quibus homines minus callidos, & nouarum rerum auidos esse norant. Nec uerò minus oscitātia concionatorum & inscitia eos huc pertraxit. Itaq; pars in Vuestphaliam, pars in Phrisiam, alij in Holandiam, & his finitimas gentes emigrarunt. Breui per hos eò redacta res est, ut harum gentium commercio dogmate nouo simplicium animos implerint. Quare dum ij pastores & esse & dici uolunt, suum secuti agunt negocium, in uim propè innumerabilem hæc gangræna prius proserpsit, quàm detegeretur, ut oppida antè occuparint, & ciuitates proditionibus tentare adorti sint, quàm intra muros esse coarguerentur. Fato quodam mihi naturam huius negocij reputanti, ut dormitantia eorum quibus doctrina uerbi Dei commissa est, excuteretur, hæc tempestas coorta uidetur. In tanta horum hominum colluuie, ne unus quidem inuentus creditur, qui literas didicerit: plures fuere, qui neque legere, neque literas exarare norint. Cum quibus si confligatus esses, si argumentis, si scripturæ apertis testimonijs dimicasses, si confutatis nihil subisset quod responderetur, huc statim dilabebatur, sic spiritum dictare, quibusuis eum non contingere, necq; ubicq; spirare: atq; ita elabebantur, ut olim Pythagorici in dissertationibus argumentati fuisse dicuntur. Cognoscere hic precium operæ est, fontes & capita doctrinæ huius ecclesiæ: Quæ quamuis ab eruditis nostræ ætatis uiris, editis libris sunt refutata, tamen, quoniam historiam scribimus, quæ rerum gestarum narratio est, non inutile fuerit ea hic inserere, ut liqueat, quibus furijs agitati, rem immanem temerè aut si incœptare fuerunt. Erroribus iam passim propagatis, Opus Restitutionis tulo inscriptum inuulgarunt. In hoc pus & saniem paradoxorum suorum ita digesserunt, ut qui contrà sentirent, impij damnaticq; iudicarentur. Paradoxa autem hæc erant. Christi regnum ante ultimum diem rerum humanarum ciuile in terra futurum: hîc soli sancti & iusti, regibus ferro & ui sublatis, dominarē tur. Id autem regnum esse iam cœptum Anabaptistarum. Magistratū omnem esse delendum: ei omnibus opibus obsistendum. Licet Christi apostolis nullū gladij ius, nullaq; regni ciuilis administratio, nulla item imperij stabiliendi potestas permissa sit, posteris tamen eorum sectatoribus, & ijs qui post illos docē dimunus in ecclesia suscepturi essent, ciuile imperium, & ius gladij traditum: potestatem factam, impium magistratum ferro absumendi pro libidine. In Anabaptistarum ecclesia nullum impium inueniri: omnes sanctos esse. Neminē seruatum iri, qui uniuersas suas facultates in medium non conferret. Lege naturæ, cū qua lex diuina nō pugnet, fas iusq; esse, multas habere uxores. Christum corpus ex Diuæ Virginis carne non induisse. Cætera autē persequi, uel ob id horret animus, quòd ex his, & alijs id genus, Dauidis Georgij Leidensis portentosæ assertiones ijsdem temporibus pullularunt magis, quàm pari lætitia exortæ sunt: ne scribendo historiam, abominandam professionem ponere, ueritatem docere uidear. At Anabaptistæ incredibili successu omnibus locis sancti, iam occulta consilia inter se agitare, ciuitatibus suos episcopos præficere, officia inter se & munera partiri. Ipsi inter se in ædibus priuatis iudicia exercere, de suis pœnas sumere, ferro capitis anquirere. Fana diuorum diripere piùm ducere. Dictabant, olim gentem Iudaicam idem factitasse, cum spo-

lijs Aegyptiorum onusti, ductu Mosche regno emigrarent. Templum non rebaptizatorum ingredi, piaculum ducere: cum alienis uxoribus stupri consuetudinem habere, ius fasq; iudicare. Postremò latrocinia in eos exercere, qui ijsdem sacris non essent initiati, aut eorum dementiæ aduersarentur, pium existimare. Denique diuina & humana omnia miscere. Mox exorti inter ipsos uates (quos prophetas ipsi dixere) ficto enthusiasmo uaticinari stultè cœperunt. Horum uaticinium illud fuit, extremum humanorum diem tridui spacio adfuturum. Multi mortales eo perterrefacti, arbores in agris conscenderunt, ibi Christum aduentum expectaturi. Ubi illorum expectationem exitus fefellit, fame debilitati, domos quisque suas redierunt. Sequuta iam tum est seuera animaduersio: sed nusquam sæuius, quàm Amstelredami. Nam eam ciuitatem negociatorum frequentia, & peregrinarum gentium nationes mutuo commercio totam breui tempore corrupere. Diuersæ enim uoluntates, diuersa iudicia, & exteræ religiones in urbibus, rebuspublicis sunt pernitiosa. Verùm crescentibus indies istorum furibus, frustra carceres & uincula omnia fuerunt. Fuga alij aliò dilapsi, per pagos & uicos diuagati sunt: chartas in uijs publicis spargere: in sepib. uiarũ, qua expaciantium frequentia crebra esset, schedas inserere. In his minari extrema ijs, qui suæ doctrinæ non assentirentur: iram Dei & iudicium promittere, qui non omnibus fortunis abiectis, è Babylone facesserent. Cum autem hi, qui apud suos omnium opinionibus isto nomine infames erant, solum uertissent, in Vuestphaliam communiter est emigratũ, ubi iamdudũ omnia sua doctrinæ inbuerant. Monasterium gentis caput est, olim gymnasio humanitatis studiorũ celebre, opera humana magis quã natura munitius. Ager horridus partim, partim frugum ferax, amne Luppia rigatur, Vrbem hãc, propter gentis simplicitatem, & iamdudum religioni per se infestæ opportunam rati, asylũ cõcordibus animis delegere. Et recepti hic sunt primũ anno trigesimo tertio, octauo Kal. Decemb. Clam tamen magistratu à ciuib. hospitio accepti, cum eos ad doctrinã suscipiendã pronos aduerterẽt, nocturnos cœtus diuersis urbis regionibus in secretis ædiũ conclauibus agitare, ibi mysteria docere, catechismũ suũ tradere, denique rebaptizare, omnia cõmunia facere, ne quis diues in ea ecclesia appellaretur. Duos mẽses & plus eo, animos mortaliũ ꝓmiscuos ubi infecissent, in milia aliquot succreuerũt. Senatus, qui in hoc Reipub. statu diu dormierat, cum senatusconsultis & sanctionibus pestem urbe pellere conarentur, tantum abfuit ut paruenerint, ut tantum non utrinq; ad arma sit cõcursum. Vbi uerò Anabaptistæ ab Ordinibus in se grauius consultari sensere, forum cũ magnis clamoribus per tumultũ occuparunt. Inuadunt contrà optimi quiq; locũ, quẽ lingua uernacula *Oueruuater* incolæ appellant. Spectabat res ad uim & apertam dimicationem armorum, sed à neutris lacessita pugna est. Triduum ita uti in castris oppositis ab utrisq; commoratum est, ut neutri priores ab armis discesserint. Res ad ultimum per disceptatores cõpacto cõponuntur, ut utrinque in gratiam reconciliati, neutri religionem doctrinãue aliorũ incesserent, à cõuicijs & omni iniuria abstinerẽt, neutri priores seditionis authores forent, ab armis discederetur, sua cuiq; doctrina libera esset, sodalitia canonicorum suũ agerent negotiũ, magistratui per omnia citra rebellionem se obedientes in ciuilibus negocijs præstarent. His conditionibus compresso motu, Anabaptistæ, rati fore, ne positis armis incauti nocturnis horis opprimerentur, occultè suas uires confirmare aggrediunt. Literas per internuncios Osnabrugã, Vuesaliam, Cœsueldiã, & Vuarendorpiam ad homines suæ gentis mittunt. Earum autem hic tenor fuit. Prophetã à Deo missum Monasterium uenisse, qui numinis afflatu horrenda canat, & uiã rectã ad salutem doceat. Si huc uenire tel

ret,futurum,ut omnia abundè suppeterent,nullasq; opes defuturas. Relictis domi uxoribus & liberis,adeoq; omnibus rebus, si ad uerbi Dei regulã se accõmodare uellẽt,quã possent celerrimè Monasteriũ approperarẽt. Incredibilis lætitia ab hominibus id genus lectis his literis exorta,eorũ animos in spẽ nouæ reipub. constituendæ erexit,ubi nemo pauper,omnes ex æquo opulenti essent. Erant homines audaces,prompti ad patranda flagitia, libertatis ad uiuendum ex libidine auidi,inhiãtes fortunis alienis,dissoluti ac seditiosi, quiq; nullo legũ metu cohercerentur. Itaq; breui ingens inconditorũ hominũ colluuies Monasterium ex memoratis oppidis confluxit, & rebaptizari iussi sunt. Postquã hi iam numero & uiribus bonis pares se,audacia uerò longè superiores esse uiderunt,animos rursum ad rem longè arduã,facinus mehercle audax incœptandũ,adijciunt. Concurrunt cũ magna trepidatione tota urbe,& multis simul locis,pauorem horrendis clamoribus faciunt. Cõsentiens clamor omniũ erat,Abripite uos hinc impij,nisi malitis ad unũ omnes internecione deleri: eosq; q rebaptizari abnuũt, extremo humanorũ supplicio mulctabimus.

His mugitibus territi boni,& uniuersa religio,cũ in sententiã Anabaptistarũ omnino nollẽt discedere,turmatim ex urbe migrantes,uias impleuerũt. Seditionis huius concitatores principes erant,Ioannes Matthæus Harlemus,patre textore natus,& Ioannes Bocoldus Leidensis sartor, qui se prophetas appellarũt. Cum his se adiunxerunt,Iacobus Campensis,& Ioannes Geel. Potiũ adistum modũ urbe Anabaptistæ,rempub. pro sua libidine constituere aggrediuntur. Incidit hæc seditio in diem Veneris,qui primus fuit Ieiunij quadragesimæ. Circa Kalend. Februar. paulo quã hæc gererentur in Haga, ex hac gẽte,ad Rubeam portã,aliquot sunt oppressi,& capitis damnati. Nonis Martijs mox in gratiam recipi per epistolã omnẽ eã gentẽ iussit Imperator, qui ab errore resipiscerent,hac lege interposita,si eum agnoscerent,& pœnitudine adductã,delicta sua Ecclesiæ à confessionibus intra XIIII inde diẽ detegerent,illamq; argumento publicè testarentur. Contrà qui irẽt,in eos lege ageretur. Duodecimo Kal. April. paulo pòst tota Hollãdia & proximis regionibus magna Anabaptistarũ uis cum uxoribus & liberis,fortunis omnibus, præter præsentem pecuniã,abiectis,confluxit cum duodecim nauibus,in Transiselanos traiecturi. Rogati,quò iter esset: eam terram,quã Deus mõstraret,se petere respõderunt. Eodẽ die Amstelredamũ uenit,à Secretis consilij Hagensis,cum mandato Cæsaris,ut classem aliã,quæ ad illam accesserat,conserta manu retinerẽt. Postridie quinq; ex gente Anabaptistica nudi in publicũ,(erat diei meridies) singulos strictos gladios dextra uibrantes,prosiluerunt. Hi uelut lymphati hominem per urbem cum huiusmodi carminis horrẽdi ruditu discurrerũt: In nomine Domini. Benedictio diuina in dextra urbis parte,maledictio in læua sede. Nemo in eo discursu ab his labefactus fuit. Ciues insueto spectaculo trepidè excitì in forũ: sagittariorum collegium uerò in destinatum ad certamẽ locum,conuenire iussum. Inter hæc, motus arreptis seditionis concitatoribus, quieuit. Eodẽ die Harlemi sex ceduntur,inter quos tres ex huius motus authoribus fuere. Pridie Kal. Aprilis Amstelredami duo eiusdẽ gẽtis à senatu Hagẽ si capitis sũt anquisiti,et Harlemi VII Kalen. Maij quatuor igni absumpti,duę fœminæ in aquã demersæ perierunt. Res Monasteriensiũ interea ad Platonicã rempub. instituuntur. Accreuit prophetis simul statim à principio tãta authoritas,ut nihil nisi ex eorum consilio publicè priuatimúe gereretur. Ne igitur in nouo populo ea uilesceret,auspicia à cædibus & sanguine cepere. Hubertus erat faber ferrarius,homo prisci sæculi,unde,haud temerè quidquam mali erat orturn,unæ reliquiæ bonorum,qui pridem urbe excesserant. Casu hic Ioannem Matthiam obuium conspicatus,En (inquit ad suos) hominem insulsum,

Hiccine' diuina oracula nobis reddet? mirum ni merdosus uates sit. Vox ex-
cepta à circumstantibus, ad prophetã dimanauit. Iubet is extẽplo plebẽ in con-
cionẽ in cœmiteriũ D. Lamberti aduocari, & fabrũ arreptum in mediũ, ut un-
ctus erat, adduci. Ibi Ioannes Matthias: Homo hic, inquit, nefarius & male di-
cus, ausus fuit in prophetas Domini ludibria iacere, eosq; conuicijs incessere.
Sic habet scriptura, Iudicium & iustitia in domo Dei. Omnis impietas & blas-
phemia extremo est supplicio punienda. Itaq; ut documẽto uobis sit, ne quis
pari maledicentia scõmata in prophetas torqueat, exemplum in isto hodie e-
detur. Inde palo alligati caput ipse tormento manuario traiecit. Ibi publice sta-
tim cautũ est, nequis dicto factoue prophetas læderet, cõuicium ue faceret. La-
ta præterea lex est approbantibus prophetis, ne quis aurũ, ne quis argentũ fa-
ctum infectum ue, aut numisma signatũ priuatim possideret, uniuersum id cõ
pecunia in publicum ad præfectum ærarij conferretur. Illi capitale fore, qui cõ
tra latã legem iret. Horrendum mehercle carmẽ, sanguine scriptũ, & Draconis
legibus atrocius. Cæterum spacio dierum, qui ad conferendum dati publice
fuerãt, exacto, mittitur Diaconus per domos singulas, eas exploraturus, num
quis deprehenderetur, qui contra legem fecisset. Eidem negocium datum tu-
it, ut bona, supellectilia in indicem redigeret, ut aurum argentumq; omne in
ærarium inferret, zonas aureas igne corrumperet, ne ad ornamentum & ele-
gantiam cuiquam usui essent. Profugorum, & eorum simul qui solum uerte-
rant, & urbe excesserant, supellectilia, in Diaconi regiã sunt cõgesta, à quo ea
pro copia & facultatibus, tenuioribus sunt distributa. Is aũt, qui ad id tempus
usq; in domunculis humilibus habitauerant, splendidiores sunt assignatæ: un-
de pleraq; nobilitas, canonici & senatores exierant. Atq; hæc quidẽ fuerunt
rudimenta nouę reipub. Anabaptisticæ gẽtis. Inde ita aggressi sunt magistra-
tum constituere, ut duos Coss. crearint, Bernhardũ Cnipperdollingũ, et Cippẽ
brochum. His allecti sunt uiginti duo senatores, quib. ciuilis administratio de-
mandata fuit: cura consulendi de reipub. negocijs, farciendi ædificia, portas
& muros muniendi aduersus hostes. Religionis negocium erat penes prophe
tas. Et quia haud dubiã obsidionem ab episcopo expectabãt, uniuersam mul-
titudinem ualidorum ciuium ad opera fossoria traduxere. Plebs interim urbi
uallum circum ducere. In uallis occultos cuniculos agere. Circa portas consti-
tutæ tantum domus, in quas è popinis bis quotidie cœna & prandiũ frugale
missitabat. Maturè credo eos prospicere uoluisse, ne fera aliquando in fundo
foret parsimonia. Sed iacet prudentia humana, quę nulla spe opis firmionis ful
" ta, rebus desperatis ab industria sua pẽdet. Nã, ut nulla sequuta fuisset obsidio,
" unde tantæ multitudini undiq; concluſæ perpetuus commeatus, cui propter
seditiosam sectam orbis Christianus infestus erat? Sed ad prandia & cœnas
redeo, quorum ordo & uicissitudo hæc erat. Primũm carnes recentes, posteri-
die fumatæ cum larido, tertio quoq; die falsum halec, caseus & butyrum ap-
ponebantur. Circa has urbis regiones, ut portæ accuratè custodirentur, quoti
die horam habebatur cõcio. Cui fine facto, ab uniuersa multitudine ad opera
fossoria rursum discedebatur. Lata lex erat, ne quis inde nisi tertio quoq; die, eo
quidẽ meridie, domũ uxorẽ & liberos inuisendi gratia discederet. Eodem die
sub noctẽ, ad opus redire eadẽ lege tenebantur. Et in tantis laborib. plus quã
seruilibus homines pertinaces perseuerarunt, donec fames extrema periclita-
ri eos coegit. Interea è publico rerum familiariũ habebatur ratio, uxoribus &
liberis uictus parcè ac frugaliter suppeditare, uiros in fossas demittere. Alia
diruere, mutare, noua ædificare, munire consociatis animis urbem aduersus
uim. Summum magistratum, ceu perpetuam dictaturam, gerebat Ioannes
Matthias pistor Harlemus propheta, qui ea existimatione hãc authoritatem
sibi pa-

sibi pararat, ut unus iam inde supra leges esset: unus scisceret iuberetq́, quæ ui derentur: antiquaret, abrogaret leges, aliasq́ pro libidine conderet. Ad portas legislator Monasterienſium uiuendi leges et rhetras suas in tabula perscriptas proposuit. Atque has quidem ad carnis libidinem cõstringendam momentũ habere ipse dictabat. In eas qui peccaret, pœna ultimũ supplicium erat. Omnium consiliorum suorum participem ab initio sibi adiunxerat Ioannem Bocoldum Leidensem, quorum hic in domo Bernhardi Cnipperdullingi Cos. habitabat, ille in monasterio uirginum Vestalium D. Agnes sedem iam statim ab initio mutatæ religionis posuerat. Vxor huic erat eleganti forma, admodum adhuc iuuencula, quam nuper blandimentis magnificisq́ promissis (ut erat magnus ostentator) Harlema Monasterium abduxerat. Per hos dies tertio Kal. Maias literæ è Phrisia Amstelredamum missæ, in senatu recitatæ sunt in hanc sententiam, ut uiderent maturè, ne quid detrimenti respub. caperet. Anabaptistas consilium captauisse eò commigrandi, ut per tumultum sub ius suũ redigerent. Extemplò sagittariorum sodalitia conuocantur in curiam. Huc & phratores Virginis & Crucis coguntur. Cum his habitus ibi est senatus. Referetur hic Anabaptistarum consilium, ecquid spei ab ipsis senatui, si res in discrimen adduceretur, expectandum esset. Responsum ibi communiter est, uiuere & mori pro salute publica, stare sententiam. Inde cautum publicè est, ne quis peregrinum Anabaptistam hospitio exciperet. Qui eos indicio non proderet, ei capitale id futurum. Anabaptistæ peregrini, necq́ ciuitate donati, urbe ante quintam eiusdem diei horam uespertinam excederent. Post eam oppressis supplicium ultimum foret mulcta. Circa serum diei coguntur in forum iterum sodalitia sagittariorum. Inde ædibus multorum ciuium tota sparsim urbe exploratis, uiginti arrepti in uincula ducuntur. Quarto inde die, sexto Nonas Maias, urbem ingressus est Comes Hochstratanus, cum senatu pleroq́ Hollandiæ, & præfecto rerum capitalium tota ditione per itinera & uias. Octauo statim Id. duo sunt percussi: & biduo pòst, triginta sex, qui ab Anabaptistico furore relicti, cum singulis cereis, publicè ductarunt. Quinto Id. quatuor huius gentis in eadem urbe percussi, totidem igni corrupti sunt. Postridie eius diei cæditur unus. Decimoseptimo Kal. Iunij quatuor truncantur. His supplicijs rebus intra muros utcunq́ pacatis, postridie senatores Hagam redierunt. Episcopus Monasterienſis inter hæc suo maximè & suorum, qui fortunis suis exuti erant, casolicitus, ad urbem exercitum portare maturabat, antequam Anabaptistarum uires, nouis copijs, quæ circa Phrisiam & Burgundicam ditionem se armare ad expeditionem ferebantur, intra muros adiuuarentur. Et oppidanorũ infracti in fossas noctes & dies demersorum labores, & anni tempus ad corrũpendam sementem in agris, ad properandum negocium hortabantur. Breui trinis castris urbem cingit. Auxilia misêre & impedimenta Gelrus, Colonienſis, Hessus, & nonnulli alij principes, ut priusquam Anabaptistarum incendium plures urbes corriperet, ferro & armis hic obruerent. Episcopus haud diu cunctatus, paratis omnibus, suos ad oppugnandam urbem uices sortitos educit: uerùm adeò nihil effecit, ut magna clade accepta, suis receptui signum in castra dederit. Iam inde ab initio trecentos pedites senatus urbi præsidio imposuerat. Ioannes Matthias propheta se belli ducem creauit. Volens rem præclaram & facinora memorabilia in suorum conspectu edere, (temeritatem, numinis iussum fuisse, uulgo persuasum erat) subinde in castra Gelrorum cum parte peditum erupit, atq́ edita insigni clade, conclamantibus totis castris ad arma, uictor spolijs grauis in urbem redijt. Successu factus ferocior, ut stultorum temeritatem auget fortuna blandior, triginta exercitatos

bello milites deligit. Docet oraculo se monitum, ut eorũ fretus uirtute in Germanorum castra, diuersa porta, irruat: uictoriam se sine suorum sanguine, cum hostium uerò impiorum magna clade reportaturum. Germani Gelrorum securitate & exemplo edocti, multo uigilantius pro uallo suas stationes habuere. Excipiunt oppidanos porta erumpentes. Concidit inter principia Ioannes Matthias. Pauci ex ea dimicatione reliqui, salui ægrè portam tenuerunt. Perculit prophetæ mors ob creditam diuini afflatus uim totam ciuitatem, perinde ac si per unius hominis mortem publica omnium salus periclitatura fuisset. Ibi Ioannes Bocoldus, ut publicum luctum callido cõmento leniret, exortus, plebẽ ludibrio ita consolatur. Non abs re est, ô ciues, quòd prophetæ mortem tam acerbè publico luctu prosequimini. Fuit enim is uir, per quem Pater sua oracula uobis ad hunc usq; diẽ prodi uoluit, numine plenus, & qui in reb. dubijs Reipub. quod debuit & potuit, præstitit. Exempla habuit Machabeos, & multos alios sanctimonia & pietate claros uiros, qui pro ecclesia fortiter pugnando occubuerunt. At præuisum oportuit fatum, ut exitium declinasset: rectè obiecerit quis. At non idem spiritus omnibus eadem impartit. Ego equidẽ multo antè quàm in hostem uaderet, eum casurum afflatu numinis præsensi. Neq; uerò licuit hominem fati sui, in quod ineuitabili necessitate rapiebatur, præmonere. Sic illi enim uisum est, qui bona & mala è dolijs suis pro suo arbitratu mortalibus dispensat. Mittite luctum proinde: & potius illi gratulemur, qui carnem exutus, fœlix ad immortalitatem migrauit. Hominis incondita oratio tanto plausu excepta fuit, ut non solum mortui memoria ea exoleuerit: sed sublato in totum ex animis mortalium mœrore, ipse communibus omniũ suffragijs in defuncti locum propheta sit suffectus. Coluit iam inde Bocoldus maximè principum ciuitatis amicitiam, & militũ, qui urbi præsidio erãt: quorum necessitudine & suis artibus fretus, ad maiora animum adiecit. His autẽ affirmauit, nunquam se cõmissurum, ut quisquam hosti ad cędem obijceretur, aut se ducẽ in pugnam iniussu senatus fore. Huius prætextus religione cum ignauiam suam callidè palliasset, ab irruptionib. à clade Ioannis Matthiæ in totum abstinuit. Iussit extemplò in templorum turres grauioris generis serpentarios subduci. Hinc perpetuò in hostẽ infestè iaculari, in castris episcopo ingens damnum dare: ipsi à nemine feriri posse. Habuit id consiliũ episcopum uehementer solicitum, ut uineis & pluteis ab illorum iniuria suos uindicaret. Dum ciues ad infestandũ hostem ita occupantur, Bocoldus omnia sua consilia huc intendit, ut memorabili facinore existimationem singularem fatidici spiritus apud suos sibi conciliaret, quo paulatim uia ad altiora sterneretur. Circa Id. Maij munimenta noctu conscendit, per speciem uigilias in murorum stationibus exploraturi. Ibi uestibus exutis, totum se nudat, inde simulato enthusiasmo se præcipitat, nudusq; per totam urbem sursum deorsum cum huiusmodi clamore uagatur, identidem ingeminans, Rex Sion uenit. Sub hæc sumptis indumentis, domi se condidit. Postridie cum tota urbe huc confluueretur, rogantibus ecquid rei esset, nihil respondit. Et ne silentij causa lateret, scripto docuit, à numine linguam suam triduum constrictam teneri. Prodigium stupentibus, fidem rei fecit exemplum Zachariæ apud Lucam. Erant id temporis omnium animi inter spem & metum dubij: interim in oraculum futurum magna expectatione erecti. Tridui spacio exacto, in publicum processit. Ibi ceu numine plenus, docet, à Deo se mandatum accepisse, ut in Israele duodecim iudices crearet, quorum arbitrij, abrogato statim senatui suo magistratu, summa rerũ in urbe foret. Creditũ, obtẽperatũq; est homini. Legit cõtinuo è populo duodecim sui ordinis, quos ad honores uehere uoluit. Hos Iudices in Israele appellauit. Potestas his causas dijudicandi, disceptandiq;, & ius itẽ gladij esset,

ſet. Callidum conſilium, ut per homines ſuæ farinæ, ſibi & amicos & obnoxi-
os, ſolus in ſtupido populo & gubernaret, & paulatim ad regnum affectandũ
graſſaretur. Mihi quidem dicta iuxtà & facta uiri huius reputanti, uaria ſubit
admiratio. Indoles fuiſſe uidetur planè illiberalis, inuerecunda, audax, poten-
tiæ auida, & in libidinem prona. Ad ea acceſsit ingenium ſubdolum, ad ſimu-
lãdũ et diſsimulãdũ qdlibet ꝓmptũ: beluina itẽ ferocitas in eos, in q̃s imperiũ
eſſet, ſi peccatum admiſſum fuiſſet. Quæ omnia uitia, authoritas crediti ſpiri-
tus prophetici & reuerentia facilè celabat. Iudices inde ita ſtatim magiſtratum
ſuum iniuerunt, ut tyranni regna ſtabilire ſolẽt. Sæuire ferro ob quamlibet le-
uem noxam in eos, qui non obtẽperarent: Leges reſcindere, nouas condere,
longe aliam reipub. formã inducere. Ius dicentibus aſsiſtebat Bocoldus, & eo
rum ſententias pronunciabat. Cæpit interim epiſcopũ obſidionis tædiũ. Tan-
to enim exercitu alendo pecunia exhauriebatur, neq; ſpes urbis potiundæ o-
ſtendebatur. Itaq; fame premere eam conſtituit. Dimiſſò exercitu urbem agge
re cingit, ad excludendum commeatũ. Mox ſub hyemem ſeptẽ munitiones pa
ri ſpacio diſtantes illi impoſuit, cũ ualidis præſidijs: ut laboranti uni, è proxi-
mis expedita auxilia ſemper adeſſent. Circa uallum dies & noctes eques diſpo
ſitus erat, qui dies noctes ad intercipiendum, qui importarentur, commeatus,
& interuallo muros obequitaret. Per eos dies, quibus Princeps exercitum, ſo
luta obſidione dimiſerat, ab hoſtibus gregarius in urbem transfugit. Inautho-
ratus ſacramẽto Anabaptiſtarum, â Cniperdollingo hoſpitio excipitur, apud
quem Ioannem Bocoldum habitaſſe ſuprà memoraui. Nocte fortè hic è lecto
ſuo in alium, in quo ancilla domeſtica quieſcebat, placidè tranſcendit, ac cum
ea ſtupri cõſuetudinem habuit. Aduertit Bocoldus rem â gregario, qui in eo-
dem conclaui cubabat, dormire ſe ſimulante obſeruatam. Manè priuſquam fla
gitium in uulgum dimanaret, gregarium adit, atq; nummo aureo donato, ab
eo ſilentij fidem ita paciſcitur, ne ignarus eſſet, id ſibi facere licere. Veritus ta-
men, ne futilitate arbitri indicio proditus, non ſolum authoritatem amitteret,
ſed etiã in diſcrimẽ raperet, paucis pòſt dieb9 populũ in cõcionẽ aduocat, cõci
onatores ibi corã multitudine in hunc modũ appellat. Fas'ne, licitũ'ue uiro du
cere uxores plures, quàm unam? Concionatores appello: ecquid ſcripturæ in
hac re conſentaneum eſt? Nam antequam huc populum conuocari iuſſerat,
ſecretò ſuper hac theſi cum illis egerat. Reſpondent conſentienti uoce ex com
pacto, ſed quaſi ſcripturæ teſtimonio nixi, Licere. Fortè ibi tum unus aderat,
qui plùs illis ſaperet, & in ſacris reliquis multo eſſe exercitatior uidebatur. Ad-
miratus hic concionatorum paradoxum, nihilq; prophetæ reſponſum mora-
tus, clarùm exclamat: Falſum id, & cum uerbo Dei pugnans: uelle ſe ſcripturæ
authoritate contendere, unam tantum uiro conceſſam: etſi ob cauſas ad gentẽ
Iudaicam fuerit olim diſsimulatum. Gentes, quas uocamus, ductum naturæ
ſequutas, hanc doctrinam ſemper deteſtatas fuiſſe. Propheta, ne ſua exiſtima-
tio apud nouum populum, quem horrendis erroribus imbuere decreuerat, la-
befactaretur, libertate hominis offenſus, arripi eum extemplò, & mox trũcari
iuſsit. Tum demum multi hac tyrannide moti, & doctrina ſceleratorum homi-
num icti, palàm ſe à gente conuenarum ſeductos ſenſere. Quinquaginta con-
ſilium ſecretò captant, ut uitam ab epiſcopo pacti, eum nocte conſtituta in ur-
bem recipiant, & portarum ſeris ui refractis fecem peregrinorum hominum
expellant. Non continuit ſe conſultatio intra parietes: uox ab arbitro auſcul-
tatore excepta, ad prophetam poſtridie indicio defertur. Vnus et quinquagin
ta cõtinuò in uincula ducti, paulo pòſt perpetuo biduo tribus ſuppliciorũ ge-
neribus cædunt̃. Pars palo illigati, ſphærulis bombardarijs traijciunt̃: alij me-
dij bifariã diuerberantur: reliqui capite plectunt̃. Et tã triſtis miniſterij munus

obiuit Bernhardus Cnipperdollingus, & horrendorum supplicíorum, unus exactor fuit. Auctus tum publicé metus est & mœror tota urbe: tristes passim per publicũ, & demissis capitib. cernui incedere, pœnitudinem facti pariter, & silentio animorum ægritudinem testari, timore contabescere, neq; consiliũ ullum habere, neq; uiam spectare, qua fatale exitiũ euaderent. Contrà primores urbis pertinaces sub imperio plebem continere, prophetæ iussu constituunt. Portæ nocturnis diurnisq; excubijs multo quàm antè intentius custodiebantur, ne quis è muris dilaberetur, aut ad refringendas portas animos ulli confociarent. Neq; uerò iam amplius in fossas & cloacas, ut nuper, ad seruilia opera plebs demergebatur: sed principes ciuitatis satis pro tempore duxerunt, si à cõiuratione pœnarum metu & conseruandæ urbis cura, multitudo coherceret. Rebus ad istum modum sedatis, prophetæ & concionatorũ authoritate iuxtà & exemplo tota urbe ad rapiendas pulcherrimas quasq; fœminas discursum est. Nec intra paucos dies in tanta hominum turba ferè ulla reperta est supra annum decimum quartum, quæ stuprum passa non fuerit. Tantum ualuerũt in Anabaptistica repub. unius scelerati hominis, perditi conatus, consilia & authoritas, ut tanto præcipitantius secta fato quodam pessum iret. Statuit Iudicum administratio hucusq; nouem dierum hebdomadas, cùm magistratu suo abdicare se cogerentur. Non tulit Bocoldus amplius qualemcunq; præsentẽ urbis statum, cum ad arbitrium omnia se formasse, & ex sententia successisse facile uideret: quippe homo uarius, magno elatoq; animo, neq; superiorẽ feret, animum ad excelsiora adiecit: ad Iudicum decuriam decimo Kal. Iulij refert oraculum. Erat autem id huiusmodi. Hæc dicit Dominus Deus, ô Iudices: ut olim in Israele Saulem regnare iussi: & proximum post eũ, Dauidem ab ouibus abductum in eadem gente regno præfeci, ita Monasterij Ioannem Bocoldum prophetam meum, in Sione regem constituo. Reclamatum ab omni Iudicum consessu homnis uerbis est, Prophetiam se non recipere, & consultationem amplius opus esse. Etsi, inquit Bocoldus, ad illud fastigium inuitus à Deo uocor, ut si optio detur, malim subulcum aut agasonẽ agere, quamuis restitans tamen, & quasi manu conserta ad regnum Sionis ineundum trahor. Simul Iudicibus imperat, ut depositò magistratu, se regem suscipiant ac salutent. Ad ea consentiens clamor Iudicum exortus: Non se penes esse, aliquem regẽ declarare: id iuris populo esse, penes quẽ summa potestas foret. Rem eã referri oportere ad illos, quorum suffragio ad id opus esset. Ioannes Tuiscoscurerius erat faber aurarius, Vuarendorpius: cum hoc Bocoldus rem ex composito tractat, & prophetam eum nominat. Hic Iudices adit, ijsq; mandat, ut populum frequentem in forum in concionem aduocent, habere ait se Verbum Domini, quod ad eos referat. Obtemperatur nouo prophetæ: nec mora, conuenitur in frequẽs forũ tota urbe. Ibi Tuiscoscurerius. Audi Israel. Hęc dicit Dominus Deus: Abrogabis Iudicib. magistratũ, episcopos & cõcionatores se fũctionib. suis abdicẽt, ut sufficias in locũ totidẽ alios. Duodecim simplices, q̃ nullas literas unq; didicerũt, mihi cõstitues. His p̃cipies, ut Verbũ meũ de uerbo ad uerbũ primũ populo meo recitẽt, inde spiritu meo freti, sine scriptorũ auxilio et lectione explicẽt. Infundã in eos spiritũ intelligẽtiæ & sapiẽtiæ. Inde ad Ioannẽ Bocoldũ: Et te Bocolde Pater hoc gladio donat (tradebat ei strictũ ferrũ in mortaliũ omniũ spectu) appellat te regẽ, ut primus non solum hic in Sione regnes, sed etiã uniuerso orbi terrarũ imperes. Imperiũ ꝑpages, ut quantũ hominũ usquã terrarũ sit, tuo sceptro subijcias. Inde populũ monuit, ut regio imperio pomnia obedientes se, & sine rebellione obsequentes prębeant, si uelint regnũ stabile uidere, & firmũ. Regi sub hæc imperat, ut ea conscientiæ religione regnet, qua imperij gubernationẽ Deo probaturus, proximo post se regnaturo traderet.

Ibi

Ibi ingenti plausu omnium mortalium ab omnibus eo die Rex salutatur. Deducitur inde, concionatorum frequentia, nondum armatus, stipatus (sic iusserat Tuiscofcurerius (in cœmeteriũ D. Lamberti tutelaris, regnum initurus, & inaugurandus. Ibi oratorem regium nominat Bernhardum Rotmannũ: quatuor à consilijs uiros primarios, Gerardum cõpaginatorem librarium Suollagum, Bernhardum Crechtingum, Henricũ Reckerum, & Gerardum Reningum: quorum hi ciues erant non imi subsellij. Consulem uerò Tilbeccũ, aulæ regiæ præfectum legit. Ab aureis & argenteis uasis Gerardũ Cippenbrochũ facit. Domesticis officijs ad hunc modum distributis, publica munera ita partitus est. Duodecim lictores ad corporis sui custodiã legit, quibus septus per publicum statis diebus iret. Vrbis præfectum Cniperdollingum dicit. Operę precijũ est narrare, quibus moribus, quo ornatu, ipso statim principio regni se gesserit publicè priuatimq; , antequã ad res, uario habitu gestas, transeam. Constabit, quàm animus immoderatus semper, & gloriæ appetens ab initio suis artibus regnum, quod ad ultimum fuit assequutus, affectarit. Ioannis Mathiæ nuper admodum ab hostibus cæsi, uxorẽ, ex quo etiamnum grauida erat, uiduã duxit. Hæc sola regina appellata, regiam à rege diuersam cum pedissequarum turba habebat. Regi equi erant, partim auro instrati, unus & triginta: partim auratis ephippijs insignes. Ipse autem, quo longè ante alios mortales proregia maiestate emergeret augustior, aureis & argenteis tunicis conspicuus per publicum uehebatur. Hæ autem è templorum peripetasmatis, aulæis, epomidibus & ornamentis id genus factæ erant. Neq; uerò multo minus luxuriosa uestę, auro argentoq; interstincta, equi sui magistrum, aureis etiam annulis donatum, uestierat. Eodem splendore regina, pari luxu pedissequæ incedebant. Si quando rex pro maiestate regia per publicum ad ostentationẽ obequitaret, argẽtea ephestride amictus, sublimis uehebatur. Erat hæc ea magnificentia pariter & elegantia concinnata, ut plicæ multifariam intercissæ essent: èquarum scissuris holosericum purpureum subducticium elucens, atq; ebullitens, aureis ligulis necteretur. Atq; luculentus hic ornatus, planè regius, admirabilem spectantium oculis nitorem obijciebat. Obequitanti duo iuuenes utrinq; latera claudebant, quorum sinister ensem, cuius manubrium nodis auteis, gemmis, & signis interstinctum erat: dexter, coronam regiam & bibliorũ uolumen gestabat. Horũ alter episcopi filius erat, qui in ultimo motu captus, his autem diebus regio cubiculo præfectus fuit. Corona ex puro & obrizo triplex, gemmis & signis mirandum in modum affabrè facta uisebatur. Addebat homini decus catena aurea, monilibus et nobilib. lapidib. uisẽda. Globus aureus, orbis huiꝰ simulacrũ referẽs, totus aureus, aureo argẽteoq; ense decussatim transfixus, in summo conuexo crucem & ipsam auream habebat, cum huiusmodi inscriptione. REX IVSTICIAE HVIVSMVNDI. Et in hoc regiæ magnificentiæ luxu ter singulis hebdomadis rex se populo in foro ostẽtabat. Sella ibi stabat sublimior, politè & affabrè parata. In hac sedẽti Cnipperdollingus urbis præfectus uno gradu humilior, regi sinister assistebat: interum de quatuor illi, quos à consilijs rex legerat, ordine se cum eo adiungebant. Cæterum de uxoribus, quas iam inde duxit, alio nobis loco memorabitur. Regũ exemplo statim ad res magnas gerẽdas animũ adiecit. Sedentẽ de more in publico regio habitu, & solita magnificẽtia nõ paulo augustiorẽ, accessit Tuisco Laurerius, ppheta: Rex Ioannes, inqt, rectũ est, ut Christi Euangeliũ per te renouetur. Hæc dicit Dominus Deus: Vade & dic Regi Sionis, ut cœnã meã in cœlegentũ. g uiã iustitiæ omnes mortales doceant, eosq; spiritu oris ad ouile meũ cogãt. Cœna inter hæc iussu prophetæ publicè indicitur. Ad hanc conuenere

promiscuè omnes, citra ætatis aut sexus discrimen. Censa sunt ibi capita quatuor milia & ducenta. Sunt qui huic numero octingenta adijciant, quod minor: nisi infantes illic sint omissi. Accumbẽtibus triplex missus fuit appositus: carnes fumo duratæ, inde recentes, postremò assa. Potus cereuisia erat. Mensæ inseruiuerunt Rex & Regina, cum numerosa satellitum, ministrorum, pedisequarum & ancillarũ multitudine. Postquã aũt mensa sublata fuit, rex in solio suo tunicula amictus holoserica, qua ad ministrãdũ expeditior fuerat, sublimis consedit. Hic populo partes panis triticei distribuit, identidẽ iterãs Christi uerba, Accipite & annũciate mortẽ Domini. Et, Accipite, & diuidite inter uos. Inde alijs alijs diuisere cũ Christiana exhortatione ad concordiã, & mutuã charitatẽ. In diuersum locũ post hæc duo regij ministri digressi, uinũ fuderunt, incultantes identidẽ uerba mystica, quæ in Euangelio leguntur. Mutua porrò inter ipsos hæc erat exhortatio. Quemadmodũ uinũ ex multis acinis & uuis expressum est, & è multis granis panis conficit: ita nos multi unũ corpus sumus, & animus unus. Cœna sublata, carmẽ Deo decãtarũt, Gloria in altissimis Deo. Postremi omniũ Rex, regina, ministri, & ij qui è stationibus diurnis acciti uenerãt, ad cœnam se cõposuerunt. Defunctus rex mysterio cœnæ, rogat uniuersam concionẽ, num omnes ad exequendã diuinam uoluntatẽ, hoc est, ad patiendũ, moriendũq; pro fide, propenso animo paratoq; essent? Acclamatũ est uno ore ab omnibus. Ibi tum propheta Vuarendorpius: Hæc dicit Dominus, Deli ge è populo meo, quos in quatuor mũdi plagas portis emittas, horrenda prodigia perpetraturos: qui gentib. exteris hæc mirãda inuulgẽt. Qui diuino mãdato nõ obtemperauerit, mortẽ moriatur. Simul indice è sinu prolato, nomina eorũ qui ad obeundas legationes destinati erãt, publicè recitauit: inter quos ipse quoq; Tuiscoscurerius fuit, per quẽ Bocoldus in regnũ uenerat. Ibi eos monuit, ut rebus omnib. relictis ad docendũ Euangeliũ cũ fide proficiscerentur, ne ferro, ne'ue incendio perterrefacti, uel officio deessent, aut recantarent. Viginti sex fuere, qui ad has legationes destinarentur. Hos ita partitus est pphe ta, ut septẽ Osnabrugã, sex Cœsueldiã, quinq; Vuarendorpiã, octo Susatũ peterent. Abeuntibus singulis adnumeratur uiaticũ à rege aureus numus LX aurorũ. Idibus octob. hi è quatuor urbis portis à regijs ministris, quib. id negocij datum fuerat, diuersis itineribus deducuntur. Postquam uerò hi Euangelistæ ad portas memoratarũ urbiũ peruenere, eas cum huiusmodi horribili ruditu sunt ingressi, (qui mos ei gẽti erat: (Respiscite, quoniã tempus breue est, quo Pater uestri uelit misereri. Etenim securis ad radicẽ arboris admota est. Sin pacẽ hãc repudiaueritis, breui futurum est, ut funditus Pater uos sit eradicaturus. His ruditibus cũ omniũ mortaliũ ora & mentes in se conuocassent, magni motus exorti, perculerũt ciuitates, Arripiuntur, & ad dicẽdã causam in senatum adducti, pallijs solo instratis, proiectisq; aureis numis: Missi, inquiũt, huc sumus à Patre, ut Euangeliũ uobis tradamus. Id si receperitis, omnes facultates uestras in mediũ conferre & cõmunes facere oportebit. Sin id facere recusetis, testamur hocipso pignore Deũ, uos eius pacem aspernatos fuisse. Nunc illud tempus uenit, de quo omnes prophetæ uaticinati sunt, qd Deus nihil prætermissiciam in terra requirat. Et cũ rex munus suum ita præstet, ut in terra iusticiã non uiolet, tũ Christus regnũ patri per manũ est traditurus. De omnibus quæstiones uariæ habentur: de fide suorum, uita, præsidijs urbis, proditione, cõfessio est expressa. Et doctrinã sanguine confirmare uoluerunt. Illud aũt palàm affirmarunt, à Christi & Apostolorum temporibus uerbum Dei purè nõ fuisse traditũ, nec iusticiã uiguisse. Quatuor inde extitisse prophetas: duos ueros, Ioannem & Dauidẽ Leidenses, horũ posteriorem, Delphensem multi fuisse memorant. totidẽ impios & falsos: Pontificẽ Ro. & Martinũ Lutherũ. Et si posteriorũ collatio

collatio esset facienda, Ro. Pontifice Lutherum multis partibus pestilentiorē. Damnarunt omnes Anabaptistas, extra suos. Interrogati, quarum scripturarum testimonio & fide assertiones suas & facinus tueri uellent, quòd bonos uiros fortunis suis expulissent, & illas unà cū liberis & uxoribus eorum inuasissent, cum nihil proximi appetere liceat, responderunt, Christum dixisse: Facies cœli diudicare nostis, signa aūt temporum non potestis? Item: Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. In urbe trecenta aureorum milia in uasis, præter alia supellectilia, sepositа esse: lectos in urbe esse annonæ præfectos, qui cum ethnicis negociarentur, et commercia exercerent. Vulgò uiris quinas esse uxores, pluribus senas, nonnullis septenas & octonas. His legem præscriptam, tamdiu cum singulis consuescere, dum uterū gestent. Deinde fas iusq; esse, ex omni numero aliam deligere, quamcunq; uellent. Puellas supra duodecimum ætatis annum statim amare. Nefas, uxorum aliquā sociam thori distorto uultu obtueri: capitale enim id, quemadmodum & illud, si qua adulterij traducatur, aut eo nomine infamis sit. Aniculas, & q̄ cōiugio inutiles essent, tutores legere, à quibus uitæ ac cultus necessaria suppeditarentur. Oppidanos templa & fana diuorum immortalium demoliri, quæ peculiari nomine ipsi forum Baalis, & Romanarum nundinationum emporia appellarent. Ad octo hominum milia Monasterij censeri posse. Regium iussum fuisse, ne hi XXVI Euangelistæ infortunium suū prophetis Monasterienſibus, sed Susatenorum, imputarent. Regem magnam armatorum uim indies ex Hollandia & Phrysia expectare, quorum robore instructus orbem Christianū debellaturus esset, omnem magistratum extingueret, qui iusticiam non exerceret. Monasterienses nullam prouocationem ad Cæsarem agnoscere. Asseruerunt & illud, citra ocōcessa resipiscere uoluerit. Confessio aūt eorū, qui Susatum missi, & in uincula ducti erant, hæc fuit, expressa tormentis de urbis statu. Ciues inter se extra conuenarū plebem, seditionibus agitari. Hanc autem ex Phrisijs & Hollandis conflatam esse. Templum D. Iacobi molito frumento ad cocturam cereuisiariam, plenum: multa modiorum siliginis milia in primorū urbis granarijs ad huc condita. Tantum hordei suppetere, quantum in biennium sat futurum esset. Laridi magnum numerum, sed salis parum, minus butyri, quatuordecim, aut ad summum quindecim uasa. Tres munitiones forma rotundas aduersus uim in urbe oppidanos moliri: unam ad portam Horstanam, aliam ad D. Mauritij, tertiam ad Iudefeldensem. Bis mille ducentos bellicosos uiros censos esse: secuplo plures fœminas. Noctes & dies quingētos in mœnibus excubias agi tare: uices tertio quoq; die in orbem redire. Ab hoc onere regem & regia officia libera esse. Pulueris tormentarij uasa LXX Regi stare, se memorato Phrisiorum & Hollandorum robore auctum, munitionem, quæ Coesueldiam speciat, breui expugnare, & à fundamentis euersam solo adæquare. Porrò autem lanij cuiusdā inter captiuos, cōfessio hęc fuit excepta scripto. Ex oraculo cuiusdā prophetarū, regē Sionis Monasterij breui orbi imperaturū. Bernhardū Cnipperdollingū in solio regio nuper sedisse, & clara uoce corā multitudine exclamasse, mori se uelle, ac uitæ restitui. Fore ut nunc demum cæcis oculi aperirentur. Se Osnabrugam missos, ad Euangelium concionandum: ac nisi ab iniusti ea maturè resipiscerent, fore ut ueluti olim Sodoma & Gomorra tollerentur. Et Osnabruga Heruerdā se petituros fuisse, ut & illic Euangeliū tradidissent. Regē dixisse, se huc in regē à Deo coaptatū, ut ad impietatē ferro uindicandā, etnō credētes supplicio extremo humanorū afficiēdos, orbem peragraret. Ante Kal. Nouēb. aut ad summū Kal. Maij omnia episcopi præsidia à Deo uastatū iriurbē nulla opera humana obsidione solutum iri. Huius uaticinij authorem

Ioannem

Ioannem Vuarendorpium fuisse, qui Susatum profectus erat. Omnia quæ is de obsidione urbis, de oppugnationis euentu suis denunciarat, reuera euenisse. Ieiunium tridui & supplicationes in eum diem publicè indictas fuisse. Regi quatuor uxores fuisse, & nuper admodum quintam accessisse. Interrogatus, quo habitu & cõsilio rex se aduersus Imp. & Principes in sua expeditione gereret: respondit, ijs illum passurum, qui se ad ipsius æquitatem & iustitiam accõmodarent, reliquos omnes nullo discrimine sublaturũ. Propheta urbe excedentibus interminatus fuerat, ne carceres ingressuri, aduersarum rerũ populares certiores facerent, ne angusto perculsoq; animo essent, sed rem omnẽ ad prophetas Susatenos perscriberent, cùm res secundæ forent, regem se ad expeditionem armaturũ. Hæc ferè confessio fuit Anabaptistarum, qui ad inuulgandum Euangelium in hæc oppida à rege missi fuerãt. Horum partim à magistratibus, partim ab episcopo, cui uiui in potestatem traditi erant, ferro perierunt. Vnus inter hos erat Henricus Hiluersum Goilandus, qui cũ alijs episcopo traditus fuerat. Cum hoc episcopus quædam consilia secretò transigit, & ab eo ille mox dimittitur. Erant autem hæc: ut in urbem reuersus, histrionem, hoc est, simulatorẽ dissimulatoremq; artificem insignem ageret, singula urbis, regia consilia, opportuna loca, tempora, occasiones sedulò exploraret. Cætera in occulto fuerunt. Dimissus Monasterium, auersis itineribus rursum diuertit. Ad regẽ admissus rogatur, quid rei sit, quòd amissis omnibus fratribus, unus incolumis domũ reuerteretur, quod sciret capitale esse. Non sine Deo, inquit, euasi prodigiosè. Nam ut postridiè ad cædem destinatus in custodia publica sedebam, ductu angeli inde erupi: iussusq; sum domum redire cum huiusmodi mandato, ut regi nunciarẽ, tres opulentas urbes nobis à Deo datas, Amstelredamum, Dauentriam, & Vuesaliam. Has autem sub nostrum ius breui uenturas, si eò prophetæ mittantur. Lætus rex re noua, nuncium in familiam recepit, donauitq; eum annulo aureo & uaria ueste, qualẽ domestici quinquaginta numero gerebãt. Vestis erat discolor, partim graminea, partim cinericia. Albus galerus capitibus, annulus aureus singulis in digitis erat. Hunc ornatũ regius orator ita interpretabatur, ut color cinericius mortificationem carnis et peccati, gramineus uerò nouum hominẽ ex Deo renatum signaret, qui odor gratus Deo factus esset, perinde ut herbæ odoriferæ fragrantia amabili naribus adblandiuntur: annulus charitatem aduersus proximum perpetuam & indissolubilem præ se ferret, ut ille citra principium & finem in se rediret. Rex plausibili nũcio in spem magni imperij erectus, confestim Iacobum Campensem Amstelredamum mittit, quem eius urbis episcopum esse iussit. Huic comitem adiunxit Ioannem Mathiam Middelburgensem. Paulo antè quàm hæc gererentur, Antonius Lalingus Comes Hochstratanus in Hollãdiã uenit. Hac lemiam, Leidam, & Delphos ingressus, ciuitatum conuentum habuit, ad Id. Septemb. Hic in cõsilium retulit, de tollendis Anabaptistis, & eruendo sacramentariorum genere. Simul & memoratarum urbium Coss. uiderent, ne qd detrimenti eorum Respub. caperent. Inde digressus, Kal. Octob. Amstelredamũ uenit, res ciuitatis inspecturus. Postridie ad se aduocari iubet Hermannũ Iacobũ ptorẽ, Corneliũ Benigiũ, & Albertũ, Coss. Nicolaũ Hilbrandũ, Corneliũ Dobbesẽ, Nicolaũ Heinũ, Iodocũ Buyc, tribunos. Hos 25, criminib. ppositis grauit negligẽtiæ accusauit, simul q in puniẽdo animaduertẽdoq; nimis remissi, atq; animo ociosi fuissẽt. Culpa eorũ fieri, qd malũ exortũ indies latiꝰ serperet. Ctr minũ obiectorũ partim refutarũt, de alijs se purgarũt. Quinto Nõ. cogit senatꝰ, et cõsulit de Repub. 4 Nõ. habet iterũ senatꝰ in hospitio. Comitis Hochst. Et qa ptor se ptura abdicauerat, qsitus est in frequẽti senatu alius. Proponitur, num quis in senatu hæreseos suspectus esset: nũ accuratæ excubiæ in muris & turribus

turribus haberentur: num singulis annis accepta & expensa fideliter referren
tur. Nonis Octob. à quæstore rerum capitalium duo ciues gentis Anabaptisti
cæ arrepti in carcerem ducuntur. Oritur hinc rumor constans, sed incerto au-
thore sparsus, sequenti nocte ducentos arripiendos, qui ex urbe Hagam por-
tarentur ad cædem. Hac de causa orto motu, multi mortales nocte circa palati
um se tenuerunt. Sexto Idus uigiliæ nocturnę Iodoco Buyc, et Ioanni Holeslo
et, ut ciuitatis principibus, decernũtur. Hi ex sodalitio sagittariorũ tres sibi ma
nipulos adiunxerunt: indignati tantam ciuium uim sub noctem in forum con
fluere, quib. nullæ excubiæ indictæ essent. Tenebat deliberatio, ferro ne in eos
grassarentur, et toto foro disturbarent, an quietos se continerent. Vicit Iodoci
Buyc & Ioannis Holesloti sanum consilium. Ille ascitis quatuor ex omni ma
nipulorum numero, in forum progressus, rogat quo consilio, quid ue uolẽtes,
præter morem huc se colligerent, continerentq; totam noctem? ederent cau-
sas: fore ut mos ipsis gereretur, si æqui aliquid postularent. Concursum hunc
ad magnos in urbe motus spectare magis, quam ad concordiã. Respondent se
non ad concitandos motus, aut res nouas moliendas huc cõuenisse. Sed quã-
dõ & ipsi ciues essent, ut illi ipsi, qui in stationib. nocturnis excubias agerent,
nec fraudi, nec iniuriæ sibi esse debere, quod pro cõmuni salute ipsi quoq; ex-
cubarẽt. Interim & aliã se prętexere causam, contra iudiciorũ formas noctu in-
sontes, dormiẽtes arripi nolle. Ad ea Iodocus Buyc, domũ quisq; suam cubitũ
inde discederet: interponere suam priuatim fidem, quam illi publica non mi-
norem ducebant, id non futurũ. Quod si quis in eorũ cuiusquam ædes ad iniu
riam faciendã uim meditaretur, se suamq; salutem pignori oppositurũ, cum eo
lagittariorum sodalitio, qui ea nocte sub suis auspicijs stationes circa curiam
agerent. Duodecima noctis hora erat, cũ è palatio domos quisq; suas digrede
rentur. Hoc strato nus nocturna tre pidatione ciuiũ perterrefactus, circa hospi
tiũ latellitibus ad custodiam biduũ dispositis, Hagam, nihil diutius ibi mora-
tus, inde se abripuit. Pridie Kal. Ianu. ciuis Anabaptista ferro absumptus est: ali
us, qui in senatum uocatus, fugit, in perpetuum exul factus. Fœmina item eo-
dem die demersa est. Hanc sementem id temporis in clarissima urbe fecerat Ia-
cobus Campensis, ex quo Monasterio egressus, Amstelredamũ uenit. Latuit
illehic cum suo comite menses sex, & plus eo: traxeruntq; suis sutelis & blãdo
uerborum lenocinio magnũ hominũ numerum in suam hæresim, id quod tra-
gica planè catastrophe postea arguit, cum huc eorum consilia seditiosa tende-
rent, ut urbem calamitoso tumultu, bonis omnibus cæsis, aut pulsis, in suam di
tionẽ redigerent. Inter hæc Monasterienses & Osnabrugenses episcopum Vua
rendorpũ recipiunt, quod is populus Monasterienſiũ religionẽ approbassent,
uaditis in potestatem prophetis nuper Monasterium eò profectis, cũ trib. ciui
bus, qui mox paulò ferro absumpti sunt. Iacobus Cãpensis interea non segni-
ter desudauit Amstelredami, habendo cœtus nocturnos, agitando secreta col-
loquia. Alij alios solicitare, inuicem in spem nouandarum rerum erigere, uel
obstante episcopo, ac frustra reclamante, ne ad res nouas per tumultum con-
surgerẽt. Monasterienſium res interim lubricè se habebãt. Rex Bocoldus ope-
ram uxoribus, effœminatus homo, dedit. Duxerat uiduam Ioannis Matthiæ,
cui persuaserat à Deo in Reginam uocatam. Ad hanc decem alias iuuenculas
ciues in uxores adsciuit. Quib. tres ante susceptũ ductas, adiunxit. Harũ œco-
nomiam ita cõstituit, ut una regina omnibus alijs splendore, dignitate, mũdo
muliebri lõgè antecelleret. Hęc aureã coronã gestabat, aureũ itẽ torquẽ, qui à
collo dependebat: & uestiũ mũdicies auratarũ, formã reddebat, maiestate con
spicuã. Cæteræ uxores populari cultu à ciuibus, & cõsueto ornatu antequã re-
gi nuberẽt, nihil uariabant: cũ regina in eadẽ regia, in una mẽsa cibũ capiebãt.

Ab

Ab ædibus regis seperatam regiam enim habebat. Huic suum item erat satellitium, præter pedissequas, & ancillarum turbam. Per hos dies rex concionatores, quos propheta Tuiscoscurerius se sua functione abdicare iusserat, priuino muneri restituit, opinor, ut ea beneuolentia regi obnoxij (quia ceteris plus aliquanto sapere uidebantur) multitudinem uxorum ipsi sua authoritate approbarent. Iam inde in omnem licentiam ducendi dissoluti ruere cœperunt. Plerique quinas, nonnulli senas, multi quaternas sibi adiunxerunt. Nemo unus contentus fuit: neque cuiquam, extra effœtas & uiris immaturas, continenti esse licuit. Fœmina Amstelredamensis in urbe erat, (nomen Aleidæ Lysting fuisse accepi) quæ domi marito opibus præpotenti relicto, Monasterienses res paulo ante ultimum motum fuerat sequuta: ubi Anabaptistarum sacris initiata, nullo inde patrię, nullo mariti desiderio capta fuit. Nulli hæc ad id tẽporis usque nupserat, sterilitatis prætextu, sed cum diutius hoc multitudinem ludificari non posset, ad ultimum restitans Phrisio cuidam Petro Simoni nubere coacta fuit. His ipsis diebus fama Monasterium adfertur, per Holandiam & proximam Phrisiam Anabaptistarum cohortes palantes diuagari, quæ ad ferendas suppetias regi Sionis se instruerent. Omnium animis, sed regis maximè, uno rumore ad spem secundarum rerum erectis, mittitur extemplò eò cũ magno auri pondere Ioannes Gelensis, & cum eo tres Phrisij nominis, alij. Erat Gelẽsis in re militari egregiè exercitatus, & qui in bellis ordines etiã ductarat. Hũc rex cohortibus illis ducem præfecit. Mandat identidem abeunti, ut illis, suis uerbis dicat, quo ad expeditionem lubentiores essent, Patrem per propheram Henricum Hiluersum, Regi & populo suo Sionis sub ius & imperium tres potentissimas urbes, Amstelredamum, Dauentriam & Vuesaliam promisisse se missurum. Accessum modò maturarent, & annonam quantam possent, conueherent. Vrbem habere ita munitam, ut nullius hostis quamuis potentis uim formidarent. Mandat huic sedulò, ut uelut alter Mosche eam hominum multitudinem fideliter Monasterium traducat. XII Kalendas Ianuar. urbe excesit, quo tempore commeatus & rerum omnium annona oppidanis cœpit deficere. Ob eam causam dimensum in cœnas & prandia singula pondere singulis & mensura decretum, iam tum in dies minuebatur. Ad eum usq; diẽ bis quotidie ad accumbendum publicè circa portas, ubi popinæ & triclinia instrata erant, conuenire prandiorum & cœnarum horis soliti fuerant. Nũc uerò deinceps semel adsumendum cibum potumq;, & quidem frugaliter ac sordidè, cũ ad feces peruentum esset, quotidie conueniebatur. Crescente indies magis atq; magis fame, cum perpetuum ieiunium, nõ uoluntarium mehercle, in urbe esset, duo è regia familia adolescentes erant, quibus stabat quocunq; lecto potius, quã fame confici. Nacti hi oportuna omnia, fugã capessunt. Hac cõperta, rex missis ad persequendũ satellitibus, fugitiuos, nõdum in pacatũ elaplos, à fuga in urbẽ retraxit. De ijs sũpta pœna est: ipse supplicij exactor fuit. Vxorũ regiarũ una, ciuis Monasteriẽsis, iurgiũ in regia aduersus unã aliquã thori socã mouerat, q̃d ad aliarũ ingeniũ se accõmodare noluisset. Hanc rex publicè sua manu percussit, nullo iudicio dãnatã: tyrannidẽ hoc prætextu ita palliabat, sibi esse debere populo, si Rex causam suã, & uiri cõsultores, Deo, pbare uellẽt. Expectabatur indies publico desiderio Ioannes Gelẽsis, spe soluendæ obsidionis, simul & leuãdæ famis. Sed cũ is spe diutius abesset, neq; cohortes ullę mitterent, rex se ab homine delusum, amissa etiã pecunia, ratus, aliud cepit consiliũ. Henricũ Hiluersum prophetã, quẽ fidũ sibi ob creditã fatorũ prẽscientiam arbitrabat, multo auro onerat, ut in Phrisiã & Hollandiã profectus, copias cõscribat. Addit huic comes Ioannes Nottelus. Aberant à psidio episcopi, ad cõiectũ teli, ibi Henricus deserto comite, auro onustus, iter ad episcopũ auertit,

apud

apud quem iam inde mansit. Nottelus Dauentriam uenit: ubi haud diu commoratus, Monasterium ad regem se recepit. Ad hunc admissus, casum suum, & comitis tansfugæ ludibrium exposuit. Tum demum tota ciuitas timere, spē omnem salutis abijcere, fatale exitium præuidere, cum à prophetis proderentur, & ab ijs destituerentur, quorum uaticinijs ab initio res suæ stetissent. Henricus paucis pôst diebus ex arce literas ad Monasterienses dedit, in hæc uerba. Neq; abs re, neq; à Christiano homine alienum uobis uideatur, ciues, quod per speciem conscribendi exercitus, accepta in eum usum pecunia urbe digressus, ad episcopum transfugi: uestra dementia & errore meo intellecto, oblatā à Deo fugæ occasionem, quam iamdudum meditatus fui, læto animo arripui. Etenim quis uir bonus, quis sanus & dextræ mentis, in ea republica uiuere & censeri cupiat, in qua nihil sani geratur? in qua nulla eutaxia sit? in qua quiuis subulcus & equiso, si uelit, propheta habeatur, in qua ad scurræ unius perditæ audaciæ ius, qui impijs artibus in regnum uenit, infœliciter uiuatur? ubi nebulonum somnia & inepta commenta pro uaticinijs recipiuntur? Quæ uita ibi expetenda est, ubi non humano, sed pecudum more, nulla neq; legis diuinæ regula uiuitur, neq; homines naturæ ductu regantur? sed omnia, quò te uertas, pecuinis libidinibus feruent? Si quis exoriatur, qui facta dictaq; cum scriptura pugnantia uelit refutare, arreptus ad supplicium trahitur. Manifestam impietatem, quouis paganismo fœdiorem, auersari, supplicium plusquā Phalaricum est. Mitto horrendos errores hic recensere, & hæreses sectæ abominādæ, quas nemo fanatici spiritus præstigijs effascinatus queat perspicere. At mens numine illustrata, pseudoprophetarum fucos, præstigias, malasq; artes despicit & ludit. Ioannes Matthias (cuius disciplina, quamuis uituperanda, tolerabilior tamen fuit) primùm uiam ad exitium uobis strauit: inde Bocoldus, homo stolidus, & plenus amentiæ, uidentes & scientes, ludibrijs suis fretus, pseudoprophetarum opera succenturiata, uos funditus deleuit. Sapere autem nuper cœpistis, sed ô serò, cum aliquanta bonorum pars, ad uindicandos hominis furiosi perditos conatus, de recipiendo in urbem Principe, refractis portis, occulta coniuratione teneretur. Tum autem sapuisse conuenerat, cùm simulato hominis amentis furori crederetis: cum fabri aurarij uerbis ex cōposito consutis, de eo in regem recipiendo fidem haberetis. Quando (per Deum immortalē) ipse: aut eorum aliquis, qui se afflatos iactitarunt, quid denunciarunt, quod uel fœliciter, imò quod ita euenerit? Ego equidem, fateor, cū é uinculis Monasterium, unus è uiginti sex, meis artibus à clade superstes (quippe qui pridem meliorem mentē indueram) non prodigio aliquo, uti tum uobis multo callidior, publicè persuasi, reuersus essem: libuit uel ob id intra muros cōmunes aliquandiu iam inde uersari, ut consilia, mores, disciplinæ reliquū, exitū insaniæ uestræ propius introspicerem. Et quo prudenter hoc meum cōsilium tegeretur, persuasi per omnia uerisimiliter apparitionē, uisum, & numinis oraculum, de tribus clarissimis urbibus ad uos defecturis. Vanus Bocoldus uates ab initio fuit, & impostor sceleratus, cuius omnia consilia huc cōferunt̄, ut uos occæcatos, intra muros, ut feras in cauea cōclusos teneat, socios furoris & perditi conatus sui ad suppliciū seruet: id q̄d, ô dij immortales, metuo, ne breue sit futurū. Lectis his literis, murmur ortū magis est, quā aperta præsentis calamitatis insectatio Expendebāt, q̄bus artificib. & artibus huc miseriarū emersissent: ut pphetarū uulgus, q̄duis poti9 quā entheū, capitū suorū cōmēta uana ad populū referre ausū fuisset. Huc accedebat fames, huc nulla inediȩ uel minuēdæ, uel sustolēdȩ spes, aut expectatio. Et in his animorū angustijs, tyrānide à rebus nouādis cōpescebant̄. Fit tn̄ diuersis urbis regionib. trepidatio: ciues maximē se colligere, cōglomerare capite, q̄ri, nec remediū, nisi ex im ꝓuiso De9 aliq̄s appareret,

pareret, rebus desperatis ullo cõsilio humano ꝓspicere. Rex in ipso statim motu, trepido nũcio excitus, in publicũ ꝓuolat, ac populo tumultuose tota urbe in cõcionem aduocato, ibi infit. Nunquam in animum induxissem meum, ô ciues, nouo baptismo renati, uos adeò ad omnem auram mobiles, laborum item periculorumq; impatientes futuros fuisse, qui seueritatem, & cum ea cõstantiam coniunctam, in natura communis uitæ semper estis polliciti: sed Pauli exemplum sectaturos, qui uarijs casibus iactatus, quiq; fame, nuditate, frigoris æstusq; incommodis uarie exercitatus, tandem prospexit terram, & adultimum salutis portum tenuit. Exemplum non est fabulosum, sed illius, quem post Christum sectari iubemur. Est enim Christianæ tolerantiæ exemplum, & ceu speculum obtueri debemus. Etenim qui propter iustitiam quocunq; lectho oppetere recusет, is, qui in nostra ecclesia censeatur, & nomen habeat, indignus est. Quoties consentientibus uocibus, concordibus animis acclamastis, mortem pro iusticia uelle mori? mortẽ uitæ anteponere? & si liberam patrocatum abeundi potestas concederetur, mortem uitæ anteposituros? Ecquæ hæc est inconstantia? quæ animorum leuitas? Si in priori communi mortalitia, diligens præparatio consilio fuerat adhibenda, antequam Anabaptisticã omnium, quos præ nobis impios ducimus, fermento permanere fuisset sententiam religionem susceptistis. Nunc uerò ubi nostris sacris estis initiati, quis furor mentes uestras dementat? Non, inquit Christus, me dignus est, qui iniecta manu aratro, respiciat. Vos id'ne facitis, an non, lippis & tonsoribus pronum iudicium est. At canina fames, quæ uis intolleranda est, urget, ut semel mori optabilius foret, quàm ea singulis horis strangulari. Non est, ô ciues, salus in homine ponenda, sed salutis extrema & sacra, ut dici solet, ancora in Deo figenda, qui nostrum scutum est, paratus pro nobis altum in utramuis auremsublatis perturbus, stertentibus dimicare, obsidione liberare, bulimiam temporis momento copia omniũ rerũ cõmutare. Nonne is Iudaicã gentẽ in uastis solitudinibus pane cœlesti & coturnicibus ꝓdigiose pauit? Veniat in mentẽ Samaria, subeat Betulia, memineritis Hierosolimorũ. Hæ urbes cũ & uaccina fame & arcta obsidione diu à potẽtissimis hostibus premerentur, à Deo, cuius auxiliũ in rebus infestis & angustis implorabant, liberatæ. Enimuerò, sic mihi ab initio semper ꝓsuasum habui, sed ne iã quidẽ ab ea fiducia deficio, nunquã Patrẽ cõmiserũ, ut inedia quis conficiatur. Si non fert uolucrẽ fame confici, at quãto fidelius nostri curã geret? Scio, ciues, nõ uestro consilio, sed impuri spiritus impulsu, hãc uos externationẽ adductos. Ille em, ut ex D. Petri doctrina accepistis, ut leo rugiẽs circũuagatur, ut uos hauriat. Ille discipulũ suũ Henricũ Hiluersum, malum ouum mali corui, ex propheta transfugam factum excitauit, ut uos à Christiana iusticia in paganismum retrahat. Hunc ego in familiam meam ascitum, meritò semper suspectum habui, ne aliquando uulpinam leonina pelle commutaret. Vanitas hominis, & impia scripta nihil uos terreant. Vanus propheta fuit, neq; unquam fatidico spiritu agitatus, quicquam dixit, quod euentus postea coarguerit. Habemus in Holandia, habemus in proxima Phrisia solas copias, à qbus (nisi diuina mẽs mefallit) frumẽti magno numero, & annonæ omne genus copia, expugnatis hostis munitionibus breui adiuuabimur. Hæc & his similia multa blãdimẽta dãdo, amentẽ hominẽ facilè eluisit. Per hos dies Philippus Lantgrauius Hassiæ legatũ concionatorẽ suũ Brictiũ, ad regem & populũ, statũ ciuitatis maximè inspecturũ, cum literis misit. Harum autem hic fermè tenor fuit. Laudare se populum Monasterienſem, quòd mutato uetustris religionis statu, euangelium cõcionarentur, sed cum uaria passim, eaq; uix credibilia spargerentur, cupere se doctrinæ eorum per suas legationes certiorem fieri. Se quoq; uerbũ Dei profiteri: uelle laborantibus præsidia aduersus hostes

hostes mittere, si doctrina eorum pura, sana, ac scripturæ consentanea foret. Proin scripto fidei suæ confessionem in lucem ederent, ut dijudicare de ea doctis, qui recto spiritu agerentur, candidè liceret. Rex legato nihil respondit. Mirantibus uniuersis, cur tantum Principem ne uerbo quidem dignaretur, multo magis publicè auctus est metus. Neq; uerò defuit regi, ad depellendã facti turpitudinem, ex tempore excogitatum commentũ. Consilium, inquit, Lantgrauij non est sanum, misit enim huc legationes suas, ut speciosis uerbis, explorato urbis statu, nos fallat, & urbe potiatur. Nullus inde propè fuit dies, quo in forum non prodiret, credo publicum luctum maiestatis suæ ostentatione leniturus. Sella ibi stabat (ut à nobis dictum est) in qua holosericus consedit, & coronatus, torque aureo ab humero transuersum sub axillas utrinq; porrecto, unde globus aureus, orbis huius imaginem repræsentans dependebat. In dextra sceptrum aureum erat. Adstabant utrinq; duo adolescentes impuberes, cœruleis amicti, quorum manicis orbis figura aurato filo intexta enitebat. Horum dexter, noui testamenti uolumen, sinister gladium gerebat. Mysterium populo circumfuso in spectaculi modũ regius orator interpretabatur. Euangelium tempus gratiæ signare: Resipiscere etiam num ac euangelium suscipere uolentibus, misericordiam patere: perdurãtibus in errore, fenestram ad eam præclusam, & gladium imminere. Exacto mense, gladius in dextrum latus translatus fuit: quo significare uoluit, satis diu Euangelij gloriam uiguisse: eos iam inde ferro perituros, qui illud hactenus repudiassent. Inciderunt hæc in annum trigesimum quintum, neque spes neque expectatio reditus Gelensis in urbem promitti uidebatur. Decimo Kal. Feb. Anabaptistarum per Hollandiam consultatio tenuit, ad Leidam nocte incendio uastandam, quare in ea urbe magni motus fuere exorti. Coniuratio indicio detecta, à Præfecto arcis Vvordenæ ad senatum Leidensem, ea uespera trepidè clausis iam portis transcripta fuit, cùm sequenti nocte multis simul locis incendium exoriretur. Cogitur tumultuosè per consules populus. Exploratis ædibus tota urbe, tandem oppressa domus, in quam coniurati conuenerant. Hanc obsederunt. Manè se dediderunt. Capti quindecim uirilis stirpis, quinq; fœminæ. Illi pòst paulo ferro cæduntur, hę in profluenti aqua demerguntur. Paulò post sub hæc, tertio Id. Feb. memorabile quiddam Anabaptistæ Amstelredami designarunt. In uico Salinario Ioannes Sibertus habitabat, pannicida: aberat is per hos dies procul à domo in orientalibus urbibus, ubi negociabatur. Huc septem uiri & quinq; fœminæ conuenerant: inter quos unus, cui Theodorico sartori nomen erat, se prophetam dixerat. Manè paulo post tertiam horam, in secretiori ædiũ parte pronum se in terram ad orandum propheta in conspectu omnium porrexit. Dum orat, tantus omnibus horror incessit, ut locus ipsis moueri, & omnia tremere uiderentur. Postquam precandi finem fecit, Deum, inquit cuidam, in maiestate sua uidi, & cum eo sum colloquutus, raptus fui in cœlum, inde traductus ad inferos, omnia lustraui: adest magnus extremi iudicij dies. Et tu in omne æuum maledictus es, indignus qui ad inferos descendas, in abyssum barathri demergeris. Ibi minister ille: Pater qui cœlos inhabitas, mei miserere, mihi sis propitius. Tum propheta: Pater tui misertus est, & in filiũ iam recepit, atq; admissa tibi omnia tum condonauit. Paulo pòst, eódem rursum conuenêre. Et ex quinque fœminis, aliquot relictis in thoro maritis, huc sese iterum contulerunt. Quatuor horis docendo & precando absumptis, propheta galeam capiti detractam, & thoracem ferreum exutum, ensem & alia bellica instrumenta excussa, in ignem congessit. His spoliatus, totus stetit nudus, ut non esset quo eaquę ab oculis hominum sunt remouẽda, & natura tegi haberiq; occulta uoluit, conderentur. Mandat sub hæc imperiosè sex cæteris, ut suo exemplo se to-

tos exuant. Paruerunt iussui. Inde & fœminæ uirorum exemplum secutę, adeò omnem uestitum posuerunt, ut nō esset funiculus reliquus, quo capitis comas substringerent, nulla naturali uerecundia ductæ. Sic enim censuerat propheta, uniuersum id quod è terra natum factumq́ esset, in ignem conijci oportere, holocaustum Deo id futurum arbitratus. Grauis dirusq́ fœtor uestium igne correptarum, totam iam domum ita oppleuerat, ut mulier domus hospita, quæ harum rerum ignara omnium erat, eo experrecta, lecto exiliret, focos exploratura, ecquod incendium usquam esset. In tabulatum sursum progressa, nudos undecim promiscuos ibi offendit. Cui illicò pro imperio mandat, ut & ipsa ad pręscriptum se ostenderet. Obtemperauit nulla mora, uestes in focū super acer uum aliarum cumulauit. Ita nudatis duodecim, nondum liquebat, quid rerum inceptarent. Ibi omnibus imperat propheta, ut currendo clamandoq́ se imitarentur. Mox in publicum domo egressi, horribili clamore per urbem sursum deorsum dimidiatam peruagantur. Clamor consentiens omnium hic erat: Væ uæ uæ, diuina uindicta, diuina uindicta, diuina uindicta. Nunquā in uita mortalium mugitus horrendior fuit auditus, nec existimabant horribiliorem ullo æuo exaudiri posse. Ciues armati in publicum prosiliunt, & forū inuadūt, rati ab hostibus urbem captam fuisse. Capti omnes in uincula ducuntur, extra unā mulierem. Hęc quò fuerit delapsa, inter nullos constare uideo. In curia dum nudi sedent, nulla uerecundia tacti, uestitum oblatum reiecerunt: tegi pertinaciter recusantes, se nudam ueritatem esse dictitarunt. Incendij domestici iam dirus fœtor ad uicinos peruenerat. Et fores ita clausæ erant, ut eas refringere non ualuerint. Sera ad postremum bombarda discussa, offendunt incendium stramentis pastum, uestibus, armis, duabus lancibus carnium plenis superimpositis oppressum fuisse Coguntur sagittariorum sodalitia, in forum ut adsint in armis. Explorantur multorum ædes, nonnulli capiuntur. Aliqui culpæ expertes, dimittuntur. Eo die nullæ sunt auditæ horæ. Clausa diuorum templa, clausas urbis portas tenuerunt. Bis tantum raptim apertę, ac statim rursum clausæ fuerunt. Decimo Kal. Mart. mille ex Hannonia circa nouum aggerem appulerunt, qui Anabaptistarum doctrinam tuebantur. Ad hos uenit D. Gerardus Assendelphius, & Præfectus rerum capitalium per Hollandiam: quorum prudentia & consilio effectum fuit, ut retor rursum, unde uenerant, abierint. Aliquot ibi ædes disijciuntur, quas suspectas habuerunt, ut sempiternum rei monumentum. Quinto Kal. Mart. septem uiri, quos nudos discurrisse retulimus, percutiuntur. Horum uarius in supplicio extremo humanorū clamor fuit: hic, Laudate semper dominum: ille, Vindica sanguinē tuorum: alius, Aperite oculos: quartus, Væ. Pridie Non. Martias eiusdem gentis alij nouem percutiūtur. Et tot cædibus per totam Hollandiam, plebs pertinax & obstinata nondū euicta, magis magisq́ erroribus induruerunt. Tertio Kal. Apriles, tumultuatū est in Phrisia. Ad Bolsuerdam, ad arma ab Anabaptistis concursum est, inuaserunt cœnobium, quod Vetus monasterium appellatum fuit, ad ponēda castra. Promiscua hominum turba, numero trecenti fuerunt, qui facinus incœptarūt: pulsis monachis, omnia interiora uastant. Contemptis regni principibus & magistratu, quantum rerum fuit, suæ ditionis fecerunt. Aedis sacræ omnia demoliuntur. Eucharistiam pedibus, humi per ignominiā illisam, proculcare: addere, En deum impiorum. Multas id genus blasphemias eblaterantes, sacra omnia prophanarunt. Erat ea tempestate Phrisiæ præfectus Georgius Schenkius, uir præter alias egregias uirtutes, militari gloria clarus: charus ob id, acceptusq́ Carolo Imp. Cæterū ubi hic accepit perniciosos Anabaptistarum conatus & morum, postridie celeriter ex urbibus & agris, contractis copijs, eos, priusquā colluuie noua augerētur, castris positis obsedit. Aduocatis statim in colloquium,

um, admissorum ueniam offert, si armis positis domos quisq; suas discederet. Exteris fidem publicam per Phrisiam in patriam emigrādi concessit, extra decem, quos suæ potestatis & arbitrij esse uoluit. Ad ea illi. Consilium & sententi am omnibus unam stare, unà uiuere & mori uelle. Simul tormento Præfecti sa tellitē, qui ad corporis custodiam, eius latus clauserat, traijciunt. Phrisij ea barbarie ferociores facti, cœnobium arctissima obsidione cingunt, ne quis aliquà euaderet. Admoti sunt extemplo sex grauioris generis serpentarij, & duo non paulo maiora tormenta. His cœnobium quatiunt, oppugnantq; cum omni rore. Phrisij quater non sine clade ad receptū pelluntur. Septimo Id. April. multis simul locis Schenkius tanta uirtute intra angustias clausos adoritur, ut breui momento, pulsis Anabaptistis in cellas & specus subterraneos, cum suis, omnia interiora occuparit, cellasq; penuarias refregerit. Perierunt hic omnes qui cœnobium occuparant, partim tormentorum iactibus, partim ruinis oppressi, partim cōfossi, extra sexaginta duos uiros, & fœminas septuaginta cū liberis, qui Leuerdiam missi fuere. De his aliquot quæstiones sunt habitæ. Ex Schenkianis centum sunt desiderati. De multis captiuorum sumptum paulo pòst est supplicium. Reliqui dimittuntur, quibus parùm callidis uerba data fuerāt. Per eos ipsos dies, duo Anabaptistæ gladio Dauentriæ feriuntur. Monasterienſib. interea circa Kal April. canina fames in tātum creuit, ut panis inopia, oleribus, radicibus herbarū, pampinis postea, & fructibus fruticibusq; id genus, quos tenta fido sinu effundit, uescerentur. Hac bulimia multi mortales adacti, noctu è muris in pacatum euasere. Et in hoc deplorato rerum statu nequaquam segni ter Ioannes Gelensis absens regium iussum exequebatur. Quum autem omnia lōge alio habitu offendisset, quàm Monasterio discedens acceperat, animo res nouas agitare cœpit. Nam postquam in Phrisiam aduenit, atq; inde in Hollandiam, nullas copias offendit: peruersa sedulitate effecit tamen, ut in Phrisia sit ad hunc quem dixi modum tumultuatum, & in Hollandia non minor motus se extulerit. Sedato tumultu in Phrisia, Amstelredamū fugit: diuertitq; habito mercatoris habitu apud Gulielmum Cornelium. Et ne proderetur indicio, nomen mutarat. Ex confessione enim eorum, de quibus in Phrisia uariæ quæstiones habitæ fuerant, Gelense nomē per Hollandicas urbes celebre erat. Diu hic secreta colloquia cū ijs habere, quos sibi opportunos perspexerat: per hos alios sibi adiungere: cum his seria miscere: magna de Monasterienſium regno promittere: horum uiuendi libertatem uehere. Ad postremum, animos spe nouarum rerum implet, & ad memorabile facinus audendum accendit. Nam fama Monasterienſium rerum, tantam mortalibus sacra prophanaq; diripiendi iniecerat cupiditatem per eam tempestatē, ut breui in ea urbe lues latius, quàm credibile est, proserperet. Henricus Goetbelitus erat in urbe, homo decenti statura, & corpore robusto, qui in multis bellis rem militarem sequutus, magnum nomen inter suos uirtute adeptus fuerat. His autem temporibus Anabaptista rum sacris quoq; inter alios initiatus erat. Eum Gelensis secreti consilij socium sumit. Sed nihil æquè metuebat, atq; ne indicio proderetur: nā ab aliquo agnitus, propter mutati nominis consilium, in præsens capitis periculū fuerat peruenturus. Persuasus tandem à fidis quibusdam amicis, inter quos Goetbelitus erat, tutum capit ex tempore consilium. Erat autem id huiusmodi. Curiam Brabanticam, dum res adhuc integræ essent, quamprimum peteret: ueniā admissi, quacunq; ratione, è regina Maria, Caroli Imp. sorore, quæ tum regni gubernatrix erat, exoraret: qua impetrata (erat homini grandis pecunia, quam Monasterium exiens à rege acceperat, ut memoraui) in Hollandiam regressus, Amstelredamum reuerteretur, ut periculorum securus inter ciues & mercatores, proptio rursus assumpto nomine uersaretur. Consilium non fuit frustra. Nam

amicorum ope & suis uanis promissis fretus, his conditionibus, ut aliæ mittan
tur, ueniam est consequutus, ut urbem Monasterium Carolo Imperatori qui-
buscunq; artibus traderet. Cętera inter se secretò transegerunt. His de rebus tra
duntur homini tabulę magno sigillo impressę, & addita est homini pecunia ad
conscribendas copias. Redit Amstelredamum successu exultãs, & admodum
lætus, ubi non, ut antea, in occulto uersari, sed palàm, & partę condonationis fi
ducia ultrò etiam apud quoslibet se rebaptizatum cõfiteri, nomen natiuũ ede-
re: nihil deniq; simulare, aut dissimulare. Fidem maximè ei conciliarũt apud ur
bis primores & senatum, promissa magnifica de proditione inter cæteras cõdi
tiones tabulis expressa. Mutat hospitium, migratq; in ædes quæ Hispaniarũ ti-
tulo inscribuntur. Innotuerat iam omnibus, & familiarior esse cœpit principi-
bus ciuitatis, cum ob lapsus pœnitudinẽ, & admissorũ impetratã condonatio-
nem: tum propter susceptæ prouinciæ magnitudinẽ, perpetrandæq; difficulta-
tem. In hac animorũ securitate facinus arduũ patrare aggreditur. Cõiurat cum
sua gente de inuadenda urbe, & simili Monasterienſi republica constituenda.
Omnium primũ cõsilij huius socium assumpsit Henricũ Goetbelitũ, quẽ uo-
rum signiferũ fecit. Inderes ad reliquã gentem refert, quam in ædium interiora
Petri Galæ in uico Pilano coegerat. Approbatur consilium, maximè negotij fa
cilitate à Gelensi proposita. Addidit opportuna omnia, noctis beneficiũ, pro-
pensos totius ciuitatis in se animos, extra paucos Sardanapalos, gulæ & abdo
mini addictos, præsentem numinis fauorẽ, oraculũ Henrici Hiluersum. Desti-
nantur ibi ad cædẽ hostes Anabaptistarũ: partiuntur inter se domos opulentio
rum, ante partam uictoriã. Cõstituitur patrando facinori sext. Id. Maij. Numera
tur singulis numus aureus, pignus societatis. Signũ ad concurrendũ foret, no-
læ pulsus in curia. Coniuratio, casu magis quàm uigilãtia, aut Coss. industria,
in ipso propè rei puncto detecta fuit. Veteri cõsuetudine Crucis sodalitiũ luxu
magnifico in curia obsonare consueuit. Huc cõuocari etiam mos tenebat, ma-
gistratũ omnem, & pleramq; ciuitatis opulentiam, & in multã noctem cõpota
tionem extrahere. Circa serũ diei, iam medio foro funalibus & uasis picatis in
triumphi speciem accensis, adolescens fortè ad quendam, cui nomen fuit Petro
Honicho, uenit. Huic narrat, Anabaptistas ad sexcentos tota se urbe colligere,
ut eã inuadãt. Honichus nulla mora rem ad Nicolaũ Dodesiũ & Theodoricũ
Hilbrandi filium tribunos defert. Hi tres cõsociati in forũ ad Consules prope-
rant, aperiuntq; illis rem haud sine exaggeratione, ut acceperãt. Monẽt, ut ma-
turè prospicerent, ne quid detrimenti respub. caperet. Cõsules apud se tranquil
litatem præsentẽ urbis reputantes, non satis induci ualuerunt, ut crederẽt, tan-
tam mortaliũ multitudinẽ sine indicio cogi: aut coniurationẽ tectam, ne prode
retur, habere potuisse, cùm inter duos uix ferè facinus celetur. Ad Coss. index
adducitur, quò ex eo exploratiora cognoscerent. Affirmat identidẽ & pertina-
citer ille se auscultasse. Et si indici nulla foret fides, in uincula se duci iubet, si nõ
hoc ipsum coarguatur. Signa multa, & inter ea illud argumẽto esse, tres bõbar-
das manuarias duplicis generis oneratas in supero cõclaui rhetorũ, qui uulgo
appellantur, eos inuenturos. Est autẽ illud in foro, in summo libræ tabulato, cõ
tra transuersam curiam. Cæterũ opprimitur res à Cõsulibus, perinde ut ab in-
dice acceperant. Sodales interim Crucis solito maturius è curia discedunt, quę
res ipsis saluti fuit. Tenuit aliquandiu inter Coss. cõsultatio, qua ratione silen-
tió ciues cogerentur, ut quàm minimo motu ad curiam in armis, Anabaptista-
rum aduentũ expectaturi, adessent. Alijs aliter cẽsentibus, dum sententijs ua-
riantibus tẽpus eximũt, (erat noctis prima fax) Anabaptistæ armorũ omni ge-
nere instructi è uico Pilano ex ædibus Petri Galæ magnis clamoribus præcun
tibus signis & tympano tumultuosè in forũ irrumpunt: curiam inuadũt: uigi-
les pat-

les partim cædunt, partim capiunt. Cæsus autē hic fuit uigilum præfectus Simon Puttius. Ad primos clamores, lictorū unus excitatus, qui in curia adpriuatę potus, inter sedilia & scamna humi exporrectus iacebat dormiens, in superiora tabulata se abripuit, ac funē nolæ, ne ad terrorē urbi augendū signum daretur, rerum ignarus omniū, in euentum subduxit. Aegrè euadunt Coss. & tota urbe ciues excitant, iubentq; in armis fauces uiarum circa forū obsidere, ne illorū robur ulla accessione eorū, qui nondum aderant, qua augeretur. Anabaptistæ interea, ne uasorū ardentium toto foro, luce proderētur, ligna & funalia demoliuntur. Erat in uico Pilano homunculus ex Anabaptistica cōiuratione, nanus gibbosus, & Therſites alter. Hic ad primā cōclamationem ficta trepidatione excitus, uicinū armatus rogat, ecqua turba, ecquis motus ciuitatē inuasisset: quin uisum eamus, inquit, in forum? Inde paucos passus progressus, uicinum incautum excipit. Repens tumultus totam ciuitatē peruagatus, in muros ad excubias nocturnas peruenit, captā urbem, cædem passim fieri. Atrocitatē rei, rumor, horror nocturnus, tenebræ solito nō paulò densiores, per quas nullum inter hostem & amicū discrimen dinoscere poterant, errantib. per uiarū angustias auxit. Turbabat item eosdem ipsos, in quem locū primū occupandum conuenirent. Quotquot primo statim tumultu in forum prosiliebāt ad dimicādum, sphærulis trajiciebantur. Nicolaus Aquinas, erat homo temulētus, & portor strennuus, cui cum Henrico Goetbelito multos annos familiaritas fuerat, præcipitat se hic in turbam confertam toto foro digladiantium coniuratorū, rogat sanè quid sibi uellent: consiliū ederent, ut reconciliarētur. iubet eum Goetbelitus inde domū facessere: periculosum ibi agi negotiū, quod ad ipsum nihil pertineret. Parātibus alijs in eum ferrū stringere, potor magnus hic est, inquit, & mihi familiariter notus, mittatur. Dum restitat, uolēs suo more esse ridiculus, frustra Goetbelito iniuriam prohibēte, truncatur. Obsederant iam ciues uias, quæ in forū excurrunt. Ita cōuenit inde inter Coss. ne quid ante exortū diei inceptaretur. Consul tum erat M. Petrus Colinus, homo cùm doctus, tum pius. Hic quòd in sui consulatus initio ad sæuiendū segnior fuisset, multorū in se inuidiam concitārat, quasi istorū hominum consiliorū nō ignarus, multa dissimulasset. Vt nunc in ciuium suorū cōspectu se suspicione liberaret, dux suos in forum, in ipso ardore, non rectè consilio præparato, præcedit. Anabaptistæ accepto ciuium aduentu: Consuli circa Libram, cum infestis tormentis manuarijs obuiam procedunt, ac nullo momēto eos in fugā auertunt. Multi in ipsa fuga uulnerātur: Consul fœdè trucidatur. Multi inter hęc sphærulis adulteratis per tenebras sternuntur. Gosuinus Recaluus, homo consularis, & rei militaris laudeclarus, uela uijs ad forū obtendi imperat, & aduolui saccos ingentes lupulo graues, ponè quæ ceu sub pluteis latitarent contra Anabaptistarū uim. Et quia uidebat cum ciue nihil geri posse, qui ad cōclamationē quamlibet hostiū ad arma, trepidaret, conuocat in forū piscarium circa aggerem, quo utrinq; uis fluminis cohercetur, uoluntarios, ad faciendū in eum diem stipendium menstruum sub Coss. Amstelredamensibus. Erant hi ferè militares, & qui in prælijs antea res fortiter gesserāt. Hi sacramento ita inauthorantur ut disturbatis Anabaptistis impetū in curiam facerēt primi, hos cęteri ciues sequerētur. Simul uniuersis imperat, ut reliquum noctis silentio se cōtineant. Tum Goetbelitus, ubi aduertit uias ad forū interseptas, ne copijs suorū augerentur: & altū silētium ciuium: Nimirum ô Gelenſis, hoc illud est, quod semper malè metui, ne nos nostrū incœptum cum tam parua manu in exitium adduceret. Quid nunc reliquū, nisi ut pugnando cadamus? Ad ea ille: Haud ita cadet res: ante decimā sequētis diei horam urbe potiemur, & quidem sine sanguine, si quid prophetæ credendū est. Ciuibus altum silentium agentibus, reliquum illi noctis cantu odarū Da-

uidicarum absumpserunt. Et huius facinoris authores non plures quàm quadraginta fuisse creduntur. Postquã autem sublucescẽte aurora, simulacra quædam discurrẽtiũ per umbrã apparere ciuibus cœpere, cũ iam globulis alij post alios ex insidijs ferirentur, in curiã se è publico abripuerunt. Ciues pulsos foro Anabaptistas conspicati, conclaue rhetorum non segniter occupant, ad prohibendos illos è publico opportunum. Inde per fenestras curiæ tanta ui tormentorum fulminarunt in aulã, quam ipsi uernaculo idiomate Magnam uocant, ut per totam curiam se multis sparsim cędentibus diuellere cogerẽtur. Tum Gosuinus Recaluus duos integros serpẽtarios, & aliud tormentũ maioris generis, ad aggerem fluminis admoueri imperat. Oritur ibi consentiens propè clamor, nihil referre, si una domus unà cum hostib. disturbetur: multo magnificentiorem curiã senatoriam se excitaturos. Ad ea Recaluus: sat futurũ, si disiectis foribus, fenestra in interiora aperiat̃. Simul imperat inauthoratis, ut ad iactũ globi intenti, impetum in curiam faciant. Aberrat in ostium xenodochij D. Elizabethæ, & patentem aditum facit. Adductis duobus cęteris, multo maiore ui & iactu certiore ostium & postes curiæ disijciuntur. Assiliunt inauthorati infestè, sequuntur pari ferocitate ciues, faciuntq; cum armorũ omni genere & clamore sublato impressionem. Pulsis Anabaptistis in interiorẽ curiã, quæ noua est appellata, offenduntur in primo statim limine sparsa cadauera, è cõclaui rhetorũ partim, partim maioribus bombardis cæsorũ. Nonnulli spiritũ adhuc trahentes, à ferociente ciue interficiuntur. Occuparãt Anabaptistæ interiorẽ curiã ad uigintiquinque. Hi tanta uirtute ciues aditus tentãtium à limine repulerunt, ut nemo uiam ui facere potuerit. Captatur ex tempore & loco præsens pariter & consilium necessariũ. Pars de uia fenestras scandũt, per quas hostem à lateribus adoriuntur. Hinc & illinc dum undiq; oppugnantur, multis pugnando cadentibus, inter quos Goetbelitus fuit, capiũtur duodecim. Turricula præceps est è summo curię fastigio in cœlũ educta, sub cuius summo tecto, nola ad cõuocandum senatũ, & senatusconsulta promulgãda, & alios usus Reipub. pendebat. Infra hanc galea erat: (transitũ ipsi uocant.) in hanc subducta scala, statim post captam à ciuibus curiam cõfugerat Ioannes Gelensis. Expendẽs apud se atrocitatẽ supplicij, si in potestatẽ ueniret contra forum se erexit. Erat autẽ id armatorum refertũ. Ibi bombarda manuaria traijcitur. Inde paulo pòst adhuc palpitans in subiectum forum præcipitatur. Multi noctis tenebrosæ beneficio dilapsi, quiq; ad signũ intenti steterant, in posterũ latuerunt. Atq; ad istum maximè modum urbs Amstelredamensis, nobile emporiũ, ab Anabaptistarum coniuratione uindicata fuit. Viginti octo ex Anabaptistis ea nocte occubuerũt. Inter ciues uiginti sunt desiderati. Anabaptistarũ cadauera à meridie loco supplicijs destinato, duplici iugo ad id præparato sublatis pedibus suspendũtur. Capti eodem die duo extra urbem, qui ad tormẽtorũ horribilem fragorem è propinquis pagis exciti, spe captę urbis à suis ad portas cõfluxerant. De his paulo pòst sumptũ supplicium est. Sub uesperam homuli monstrũ capitur, à quo uicinum in ipso statim tumultu interfectũ insidijs memoraui. Is cum eum diem in fuliginoso curiæ fumario sedisset, crepusculo descẽdit: ac dum auijs itineribus per pomœria errat, obuij situ & fuligine opertũ ornatũ hominis, ad omnẽ auram trepidantis, oculis prosequuntur: Nimirum, inquit quidã, unus hic ex coniuratis Anabaptistis est. Expallescentẽ, neq; omnino inficiantem, neq; sibi satis constantẽ arripiunt, tradunt in uincula prætori. Id. Maias, de cõiuratis captiuis sumptum est supplicium. Scamno lanionis exporrectis corda euulsa, in ora impingũtur. Corpora inde palpitantia adhuc in subiectũ forum deijciũtur. Mox quadrifariam dissecta, in crucẽ sustollũtur ad portas urbis, quarũ pinnis capita imposuerũt. Idus Maij, postridie quàm de illis exactũ supplicium fuit, tres percutiuntur

eutiuntur:& duæ hauriuntur profluente aqua fœminæ. Duodecimo Kalen. Iunij totidem fœminę in uico Pilano in crucem sunt in suis ipsarũ foribus actę: quòd cõiurationis cõsciæ,cõiuratos ex suis ædibus prodire passæ essent,& glo bulos tormẽtarios adulterassent. Nouẽ eiusdẽ gentis paulo antè sunt submer- sę. Vndecimo Cal. Maias,tres feriũtur. Post triduũ deprehẽsus quidã,qui quòd coniurationẽ nõ indicasset,percussus fuit. Et Kal. Iunij,ob eandẽ causam de duobus exactum est supplicium:& hera domestica,è cuius ædib. nudatorũ spe ctaculum prodierat,ad fores suas suspendio necatur. Et paulo pòst,mater unà cum filio,eodem supplicio ob simile propè delictũ perijt:quòd Iacobũ Cam- pensem,episcopũ cõtra magistratus edictum hospitio excepissent,nec indicio prodidissent:de quo in rebus Monasteriensiũ alio est nobis loco relatũ. Hic cũ post tot tantaq; promiscuorũ mortalium supplicia nusquã inuenireẽ,indici pu- blicè magnum præmium est propositum: occultanti, neq; ante solem occiduũ indicanti,ultimum supplicium,suspendium in foribus, indicio nullius, in gle- bularum aceruo oppressus,in uincula ducitur. De hoc ita supplicium est sum- ptum,ut addita sit reo ignominia. Sedenti horã loco edito ad spectaculum ante curiam,mitra bicornis in capite fuit. Et quia ore impiam doctrinã docuisset,lin guæ ei præciditur. Manu baptizárat:quare dextra trũcatur. Postremò scamno illigato,caput cultro lanionis percutitur. Corpore in foro igni corrupto,caput palo in fastigio portæ sublatum,& manus dextra. Ioannes Matthias Middel- burgensis euasit fuga. Eodem die ante curiam duę Anabaptistarũ generis sunt suspensæ. Paulo antè quàm ista tumultuosè gererentur,cõiuratũ à quatuorde- cim est,in solenni illustratione,de pomparũ ferculo,in quo panis mysticus cor- poris Dominici circũferebatur,de ponte in subiectũ flumen unà cum gestato- ribus dejiciendo. Prodita res indicio est. Apprehensi coniurati,supplicio dede- runt. In Ioannis Gelensis fœdere erant plerique Bentscopiorũ. Sunt autẽ hi, po- puli ditionis Iselsteinensis,quos australes ager Montfortius attingit. Hos ille sexto idus. Maij Amstelredamũ conuenire iusserat. Trecenti erant,quib. ad cõ- ueniendũ eò dies indictus fuerat. His præsidijs urbem munire cõstituerat. Se- gnius aliquanto, quàm iussi erant,cõuenerunt. Postquàm autem hi cladẽ suo- rum haud procul ab urbe cognouerũt, alij alijs itineribus in diuersum abiuere. Condixerat idem locũ atq; horam ad conueniendũ alijs,sed diuersis locis, qui in eodem fœdere erant. Hi statim,postquam pugnatum fuerat, duabus naui- bus ad portum clausum adhuc appulere. At audita aduersa pugna Gelensem cum coniuratis cęsum,ciuẽ uictorem,& captos multos,nihil ibi morati,fugam inde præcipitarunt,& in Angliam iter auerterunt. Nec finis inde sæuiendi fer- ro,incẽdijs,& atrocibus suppliciorũ generibus per has regiones fuit, donec ea gens uel deleta esset,uel reliquiæ occultæ à rebus nouis cõquierunt. Redeo ad res Monasterienses. Rex cladẽ Ioannis Gelensis,in quo ancorã extremã posue rat,accepta:ludibrio Henrici Hiluersum perspecto,cum uaticiniorũ impostu- ras,quibus magnã mortalium uim in errorẽ & fortunarum uitæq; naufragium traxerat,apud animũ suum expenderet,tum demũ animi amens,& præsentis consilij impos esse cœpit. Et neq; copiæ ullæ erant,& infœliciter in Phrisia cir- ca Bolsuerdam à suis coniuratũ pugnatumq; fuerat,qui hactenus animo spem simul & uultu simulauerat, nunc seriò demum hominis mens de gradu & con suetа constantia præcipitata fuit. Cum autem neq; herbæ, neq; frumentũ, nec uidices,nec olera amplius ad pellendam famem uulgò suppeterent,futura pręsentiscere occœpit. Erat ei tamen uictus copia in menses sex. Itaq; maturè cum gratia faciendũ ratus,quod paulo pòst periculosè concedere cogeretur,portas aperiri imperat,facitq; uolentibus in pacatũ exeundi potestatẽ. Migrarunt eo die ex urbe omnis ætatis mortales promiscui inermis multitudinis mille,&

plus eo, qui se fortunæ arbitrio & Principis clementiæ permiserunt. Partim ut-
rorum ab ijs qui in præsidijs erant intercepti interficiuntur, partim euaserunt.
Muliebria sexus unà cum infirma imbecillicq; ætate, ubi quatuordecim dies in-
tra urbem & præsidia probè pasti essent, & refecti, inuiolati in pacatum dimit-
tuntur. Paucis sub hæc interiectis diebus, cum famis uis indies magis ac magis
augeretur, regio edicto omnes urbe excedere iubentur, qui parũ diuina ope ni
si, uacillare uiderentur. Hos dimittit cũ huiusmodi admonitione: Qui relicta ur
be à fide desciscerent, fore, ut à Deo uicissim desererentur. Multi hac oratione
ceu oraculo uehemẽter territi, aspera & acerba omnia perpeti maluerũt, quàm
urbem relinquere: optantes fame potius intra muros strãgulari, quàm ut inco-
lumes diram cladẽ effugerent. Magna gentis pertinacia: cum haud sciam, an ul
lum sit atrocius supplicium, quàm inedia ac fame perire & cõtabescere. Res bre-
ui ad canes & equos redacta, excidiũ genti minatur. In urbe miles erat, Ioannes
Lõgoplateẽsis, qui superiori anno sub Episcopo militauerat, & ob perpetratũ
facinus, nescio quod, cum in urbẽ supplicij metu transfugisset, regio stipendio
inauthoratus, laura & tristia cum alijs ad hũc usq; diem fortiter tulerat. Postquã
autẽ sensit desperata omnia, & internecionẽ ciuitati imminere, neq; eã ulla uia
posse euadere, temerariũ facinus perpetrare cõstituit. Situm murorũ, qua parte
maximè infirmi essent, & pomœria explorat: latitudinẽ profunditatemq; fossæ
circumductæ hasta pertentat, ubi uadosa transeũtibus umbilicotenus non am-
plius esset. Obseruat uigilũ ignauiã, & stata nocte supinitatẽ in agendis statio-
nibus, aliaq; opportuna, quæ urbiũ proditoribus in primis necessaria esse con-
sueuere. Singulis ad istũ modũ diligenter intra extraq; muros exploratis, noctẽ
furtim è mœnibus per funẽ demissus, in munitiones episcopias fuga se cõijcit:
ubi ab hoste agnitus, captusq;, ad episcopũ adductus fuit. Episcopus transfu-
gę temeritatem admiratus, in quem iurè uel eo nomine animaduerti potuisset,
iubet edere, quo cõsilio Monasterio relicto, ad se rursum transfugeret, quòd si
ret sibi capitale, præterquã ob præteritũ facinus, futurum. Longoplateensis ab
episcopo uitæ incolumitatẽ pactus, ciuitatis deploratũ statũ, cæteraq;, per om-
nia, ijs quæ ab Henrico Hiluersum, & postea haud admodũ nuper ab alijs ac-
ceperat, cõsentanea exponit. Docet fossæ altitudinem se dimensum, singulaq;
murorũ explorasse: si cohors una sibi tradatur, nullo momẽto urbẽ capi posse.
Opus esse aliquanto scalarũ numero: & rem dilationẽ nõ ferre. celeritate opus
esse: priusquã in urbe ipse desideraretur, cõfici oportere. Contrahit episcopus
celeriter eadem nocte è munitionibus delectos & expertæ audaciæ uiros, cum
quibus Longoplateensis urbẽ petit. Transgressi fossam, scalis ad stãtia mœnia
illatis, quanto maximo silentio muros transcendũt. Vigiles in stationibus osci-
tantius excubias agentes, primùm trucidãtur. Inde suos alios post alios in urbẽ
recipiunt. Non cõtinuit se armorũ fragor, armatorumq; fremitus circa pomœ
ria. Clamor repens multis simul locis exoritur, captos ab hostib. muros esse, pas
sim cædem fieri: neq; impuberi, neq; sexui, neq; ulli ætati parci. Concurritur ab
oppidanis cum telis, quæ fors trepidãtibus primùm obtulit, in forum, ubi pro
pugnaculũ è quadrigis & carpentis compactũ, raptim conglomeratur. Huc se
collegerunt Episcopi, postquã muros omnes transcendêre, acie instructa in fo
rum uadunt. Pugnatur ibi acerrimè, sed tutius ab oppidanis, intra propugna-
culum conclusis. Episcopus nuncio accepto captam nullo momẽto urbem, u-
nam insuper cohortẽ suis laborãtibus auxilio mittit. illi, qui cum opidanis atro
citer & dubio marte dimicabant, ubi cohortem auxiliarẽ ad portas adesse sen-
sere (foro pulsi iam erant) suos in urbẽ, refractis portarũ seris, recipiũt, & uires
coniungunt. Tum animis consociatis undiq; in forũ irrumpunt: & propugna-
culo momento nullo capto, omnes trucidãt. Rex ad primũ tumultum lecto se

præci-

præcipitarat. Cognito, hostem undiq; occupasse urbem, tumultuosè armatus, cum aliquanta suorum parte in cœmeterium D. Lamberti ad decertandum de summa rei paratus, descēdit. Huc tota urbe episcopiorum robur acie illi occurrit. Sed perfacili momento, omnibus cæsis, uincitur rex, & in hostium potestatem uenit. Cæsi item omnes illi, qui in ipso ardore infesto hosti statim post captam urbem se obtulerāt. Episcopus acceptis rebus fœliter gestis, postridie cū mille quingentis equitibus urbē ingressus, domos explorari, & Anabaptistarū reliquias conquiri iussit. Arripiūtur multi, qui in fumarijs, & locis, specubusq; abditis se abstruserāt. Captiuos omnes percussit. Pauci noctis beneficio è multis cæde elapsi, in pacatū eruperunt. Episcopus ad istū modū urbe potitus, prędam omnem & spolia à milite magno redemit. Regem inde in arcē suam quatuor passuum milib. ab urbe cū parte equitatus misit. Et ne nō tragœdię absoluta foret catastrophe, militaris licentia rei addidit ignominiam & ludibriū. Regem caudæ æquinæ alligarunt; neq; id uerò satis: eques calcaribus aditis, equū in perpetuum cursum excitauit, ut captiuus rex eum parib. uestigijs à tergo ligatus currendo insequeretur. Bernhardus Knipperdollingus, & pars' à consijs regis, in aliam ab illa diuersam, ablegantur. Captum ad istū modum Monasterium est quarto Kal. Iul. Infirmior ætas, & imbecillis mulierū sexus, urbe exturbatur, præter exteras nōnullas matronas, quæ captæ in custodia seruatę fuerunt. Captus Bocoldus est, annos natus uiginti sex. Sed breui quàm in manus principis uenit, ignitis laminis toto corpore uariè excarnificatur: ac ferreo auia in cluſus, ut apud posteros memorabilis tragœdiæ monumentū sempiternum extaret, è summa D. Lamberti tutelaris turri suspēditur. In reliquos captiuos alijs inde atq; alijs supplicioru generib. est animaduersum. Disputationes eruditorum cum Rege & Knipperdollingo in custodia, quia ab alijs diligēter memoriæ proditæ sunt, non operæprecium est hic persequi. Octauo Kalend. Augusti quatuor feriuntur Amstelredami, inter quos Bernhardus pistor fuit Suollanus, coquus regius. Cæterum, eorū qui periculū salui euaserunt, alij alijs locis in sequentib. annis, diuersis pœnarum generibus absumpti sunt. Decimo inde anno Leidę è reliquijs gētis, aliquot captis, tormentis indicium duorū expressum est, qui Vltraiecti latitabant. Horū alter Anabaptistarū rex declaratus quidem, sed nondum regia corona donatus existimabatur, successio interim in regnum ab ea gente homini delata fuerat. Alter tribunus ærarij appellatus fuit. Arreptus uterq;, aliquot menses in custodia fuere. Inter alia huius regis designati atrocia flagitia hæc fuerunt maximè memorabilia. Vxorem suam inter uias de carpento in lucū abductam, ut stupri consuetudo cum eius filia in posterum in occulto esset, eaq; deinceps citra ullam periculi suspicionem poteretur, obtruncarat. Et in urbe Vltraiecto puellā sica, haud ita pridem, iugulauerat, ne proderetur. Penes hanc ingens uasorū argenteorū numerus, quę sacrilegijs congesta erant, repertus fuit. Multos indicio prodidit, quorum partim cultu pæ expertes dimittuntur, nonnulli sontes percussi perierūt. Rex ad postremū, cum Tribuno ærarij, incendio ambustus perijt. Nostris inde temporibus Anabaptisticum nomen in uniuersum extinctum fuit: aut si quæ obscuræ reliquiæ superstites fuerint, à nouandis rebus, spe recuperandi stabiliendiq; regni in totum abiecta deinceps, quieuerunt.

FINIS.

DE MISERABILI MONASTERIENSIVM ANABAPTISTARVM OBSIDIONE, EXCIDIO, MEMORABILIBVS REBVS TEMpore obsidionis in urbe gestis, Regis Knipperdollingi, ac Krechtingi, confessione et exitu, libellus Antonij Coruini ad Georgium Spalatinum scriptus.

DOCTISSIMO ET HVMANISSIMO VIRO GEORGIO SPALATINO, ANTONIVS CORuinus gratiam & pacem per Christum optat:

LITERAS tuas, Smalcaldię sub natalitium pueri Iesu diem scriptas, Monasterij in principis aula Hessiacus quidam tabellarius reddidit mihi Spalatine doctissime, qui, quanquam occupatum me, in describendis eis, quæ inter me, Ioannem Kymeum, & Anabaptistarum regem acta erant, offenderet, tamen dictu mirum, quam me exhilarârit. Quis enim tanti uiri, tam minimè fucatam erga se affectionem non exosculetur? Imòuerũ fatebor, non infimæ fœlicitatis meæ parte duco, abs te, & tui similib. subinde interpellari: partim quod huiusmodi literis mutuũ amorem & conseruamus, & fouemus: partim, quod ferè serium quiddam habent, quæ à doctis iuxtà, ac pijs uiris reddi tur, ita ut uel delectẽt, uel doceant, uel inquirendi res scitu necessarias occasionem prębeant, qualis fuit illa epistola tua, & humanitatis, & eruditionis plena. Principiò enim scribis rem me facturum longè omnium gratissimam tibi, si apud Vestphalos, ubi tum degebam, inuestigem, quid de sylua Herculis, acido lo Irmenseul, eruditi uel sentiant, uel certi habeant. Tibi enim uideri Irmensẽul, Harmensẽul uocandũ esse, ut sit Harmonij, uel certè Arminij, de quo uiro multa Strabo, Paterculus, & Cornelius Tacitus. An non hoc est solicitius de re & iucunda & scitu necessaria disquirendi suppeditare occasionem? Equidem feci oppidò quàm libens hac in re quod rogatus sum. Sed planè mihi hic usu uenit, quod Demiphoni isti Terentiano, qui auditis amicorum aliquot sentẽtijs, fecistis probè, inquit: Incertior sum multo quam dudum. Quãto enim diligentius ea de re percontabar, tanto incertior semper abibam. Remissus à quodam sum ad Chronica Saxonica', ut in quibus certò fiat eius idoli mentio. Remissus item sum ad Albertum Krantz, & studiosum antiquitatis, & non indiligentem Historiographum. Sed cum neque hic, neque illic esse scirem, quod maximopere ad præsentem quæstionem faceret, non fui de eis authoribus legendis admodum solicitus. Facit tamen nonnullam hisce de rebus mentionem Krantz in sua Saxonica, libro uidelicet secundo, capite undecimo, adeò in ea plerosq; sententia esse affirmat, ut Irmensẽul, Mercurij statuam interpretentur. propterea quod Hermes, Mercurius olim dictus sit. Ipse post, nescio quã conjecturam secutus, Irmensẽul, Idermansẽul, interpretatur, quasi commune, pro-

fugium

fŭglum & aſylum omnium. Sed hęc non dubito, quin iampridem tu quoq; & legeris, & expenderis diligentiſsimè. Dixit alius quidam mihi, eſſe in bibliotheca Oſnaburgenſi, uetuſtiſsima antiquitatis monumẽta, è quibus facilè quis harum rerum certitudinem expiſcari queat, ſed eam eſſe Canonicorum iſtic commorantium, & pro pietate, & pro litteraria adiuuanda ſolicitudinem, ut præterquam tineis & blattis, eorum librorum copiam faciant nemini. Id quod ego facilè inducor, ut credam: nimirum re ipſa aliquando expertus, ut erga pietatem ac bonas literas homines iſti affecti ſint. Conueni & monachum quendam uirum, ita me Deus amet, bonum, ſed uetulum, cuius colloquium, quanquam & doctum eſſet, & mirè me adficeret, tamen quod tuis uotis, uel reſponderet, uel faceret ſatis, nihil omnino in medium attulit, præterquam quòd dixit, potuiſſe apud ipſos hac de re reperiri aliquid, ni Anabaptiſtarum furor, optimos quoſque autores, quorum non contemnendum numerum habuerint, abſumpſiſſet. Vehementer tamen eidem tua coniectura placuit, in quam, ita etiam pedibus diſceſsit, ut non prius ſententiam hic ſe mutaturum diceret, quàm certius aliquid ex probatis autoribus oſtenderetur. Quocirca, cûm nihil audierim hactenus, quod uel uſui tibi, uel uoluptati eſſe poſsit: malo inſcitiam ingenuè hic fateri, idq; tamen, dum certi aliquid comperero, quàm incerta pro certis ad te perſcribere. Si quid tamen uel amici interim communicárint, uel aliunde inueſtigare dabitur, candidè hoc ipſum tibi impertiemus.

Cæterum quod ad cauſas Monaſterienſium ac regis attinet, poſſet iuſta hic hiſtoria deſcribi, ſi cui uel otium, uel dicendi uires ſuppeterent. Neque enim, ut ab hominibus nihili tragedia hæc cœpta eſt, ita pro uano, quæ deſignarunt, habenda ſunt. Porrò ſi damnum, quod & princeps eius ditionis ſenſit, & ciuitas ipſa accepit, æqua lance æſtimes, iam non inepte dixeris: Flectuictus, uictor interijt. Certè ſi me incolæ eius urbis, qui ſuperſunt, & admirandæ fœlicitatis ueſtigia non fallũt: fuit reſpublica iſtic olim florentiſsima, fuit multarum rerum copia: fuit mira incolarum & comitas, & ciuilitas. Sed eam fœlicitatem, quam fortaſsis ingrati non agnouere, non homines clari turbauere, ſed infimæ ſortis, ſi unum atque item alterum excipias, quosq; nec eruditio, nec probitas inſignes ac commendabiles facit. Seminarium horum malorum Rullius quidam fuit, homo Batauus, ad perfidiam, ad turbandas politicas rationes planè natus. Is quum ciuitate paulo ante quam obſidione cingeretur excedens, alibi perfidiæ ſuæ pœnas dediſſet, collegam habuit Rotmannum, æquè ſeditioſum, æquè malum, æquè perfidum. Hic adiutus opera Knipperdollingi: primum in clandeſtinis conuenticulis uirus Anabaptiſmi ſerere cœpit. deinde quum ſeditioſiſsimum quemque ſibi adiunxiſſet, ita, ut ſe ab aduerſariorum iniuria facilè tutum arbitraretur futurum, cœpit propalam Anabaptiſmum profiteri, adeoq; ciendis turbis ſtudere. Et diu non poteſt: quoties poſt hæc in forum concurſum ſit, quoties ad arma conclamatum, quoties ridiculæ ſeditioſorum uoces, ad pœnitentiam cohortantiũ, ni uenturum iam iam Domini diem, experiri uelint, exauditæ.

Knipperdollingum ferunt, ſæpe ueluti Enthuſiaſmo percitum, per omnes ciuitatis uicos currere ſolitum, adeoque obuium quemque adflando, his uerbis: Accipe Spiritum ſanctum, allocutum eſſe. Quibus præſtigijs, quid poſsit excogitari uel ſtultius, uel ridiculum magis? atque hæc tragedia ita proceſsit, ac progreſſa eſt, ut nec per illuſtriſsimi principis noſtri Lantgrauij legatos, (qui tamen antea turbatas res inter Epiſcopum ac ciuitatem compoſuerant) nec aliarum ciuitatum literis mitigari potuerint. Ibi tum prophe-

tæ ex-

tæ exorti, ciuitate boni eiecti, aliena bona direpta, adeoq; ea deſignata ſunt quæ ne Turcam quidem, quantumuis immitem ac barb arum, apud ſuos tolleraturum fuiſſe, credibile eſt. Quare ſublata omni reſipiſcentiæ ſpe, obſidio ſubſecuta eſt. Et quum parum fœliciter bis atq; iterum oppugnatio tentata eſſet, adeoq; ciuitas ipſa erectis caſtellis aliquot per gyrum corona cingeretur, auſi ſunt aliud tentare facinus, uſqueadeò inſolentes una atq; altera uictoria effecit. Nimirum regem creauêre, penes quem rei ſummam eſſe uoluerunt. Pleriq; à plebe creatum exiſtimant. Sed dixit ipſe mihi rex, ſe à propheta quodam, cui Deus eam rem per uiſionem patefecerit, ad id faſtigij euectum eſſe: utcunque ſit cratus, talem ſe geſsit, ut planè regio more circa ipſum admiſtrarentur omnia. Coronã ac diadema regium geſtabat, equo per urbem uectabatur, aureis calcaribus utens. Iter facientem, duo pueri præcedebant, præter aliam ſatellitum turbam: quorum alter gladium, alter uetus teſtamentum portabat. Et pœna parata erat prætergredienti non congeniculantibus. Aulam præfecturis ac officijs ita inſtituerat, ut ſi natus rex fuiſſet, prudentius non potuerit. Fuit enim in excogitandis ijs, quæ regalem pompam decebant, mirus artifex. Ad hæc in patria lingua facundus, ſubdolus, fraudulentus & uerſipellis.

Reginam pari ſecum honore habebat, cui etiam cæteras uxores, ſiue concubinas mauis, ſubiecerat, ac parêre iubebat. Vnam ex eis (erant autem numero quatuordecim) ſuapte manu, utpotè earum rerum, quæ ibi gerebantur contemptricem, adeoq; tranſitionem ad hoſtes parantem, interfecit, idq; in reginæ palatio, fortaſsis ut cæteris timor incuteretur. Quod facinus cũ ego illi poſt perinde atq; Barbarum ac Scythicũ obijcerem, reſpondit, ſe, quicquid huius fecerit, iubente atq; imperante propheta feciſſe. Pari crudelitate omnes, quotquot nefarijs eius, uel conſilijs, uel cœptis reclamare auſi ſunt, necari iuſsit. Cuius rei teſtis adhuc eſt arbor tilia, haud ita procul à Canonicorum Eccleſia, ad quam deligati, ac æneis tormentis tranfixi ſunt.

Addam ſtulticiæ quoddam ac temeritatis exemplum: mulier quædam obſidionis tempore inuenta eſt, quæ ſe Epiſcopo facturam polliceretur, quod Iudith Holoferni olim feciſſet: neque prius in urbem redituram, quàm Epiſcopi caput unà ſecum retuliſſet. Et non defuerunt, qui ſtultiſsimis promiſsis æquè ſtultè fidem haberent, adeoq; bellè ornatam ad tantum facinus peragendum emittendum cenſerent. Sed ſtatim finem inuenit tam inſignis temeritas, uel ſi mauis, inſania: deprehenſa enim crimen confeſſa, ac necata eſt. Qua de re, ita quum aliquando in rheda Horſtmariam ueheremur, ſic luſimus.

Fortè Monaſteri præſul dum cingeret urbem,
Compleſſetq; omnes obſidione uias,
In medio exurgens populi temulenta uirago,
Adſero perniciem præſulis hoſtis ait,
Iudith Holofernem uerbis deludit & arte,
Remq; malam oranti præmia digna dedit.
Ipſe Deus mihi conſilium patefecit in hoſtem,
Quem puto præſentem, propitiumq; fore.
Vrbe egreſſa igitur, caſtris ſeſe intulit audax,
Tempus diſquirens perfidiæq; locum.
Sed deprenſa aliud ſimulat, fingitq; docetq;
Donec tormentis res patefacta fuit.
Tum uerò pœnam nacta eſt pro talibus auſis
Et perijt gladio iurè necata ſuo

Quid

Quid dicam de propheta Ioanne Matthis, quí cordatum quendã ciuem, doctrinam ipſius in dubium uocantẽ, ſimili ſupplicij genere, hoc eſt, æneo tormento occidit: teſtatus interim apud populũ, cęleſtem patrẽ illud & iuſsiſſe, & impe raſſe. Tacebo hic, ut ſit ſuus honor auribus, quanta barbarie & malitia uſi ſint in puellis uitiandis, nondum aptis matrimonio, id quod mihi neque ex uano, neque uulgi ſermonibus hauſtum eſt, ſed ex ea uetula, cui cura ſic uitiatarum demandata fuit, auditum. Hæc omnia, quamquam plus æquo & mala & inaudita fuerint antehac, tamen longè peiora adhuc deſignaturi haud dubiè erant, ni tandem miſerante Deo, & penuria rerum omnium laborare cœpiſſent, & per proditionem urbs ipſa capta fuiſſet. Capta autem eſt per portam crucis, profugo quodam Epiſcopi milite interfectis aliquot cuſtodibus in urbem ducente, qua de re, quum iſtius facti ratio nobis in eo ipſo loco explicaretur, ita ſtatim luſimus nos.

Baptiſmus ſignum eſt mortis, crucis atq; doloris:
Crux Anabaptiſtis ſemper in ore fuit.
Idcirco ut propria damnati uoce perirent,
Crux fuit inſanis, diruta porta crucis.

Tum uerò tantorum ſcelerum finis fuit, & digna talibus factis pœna ſubſecuta eſt. Nam quí gladium, non iuſsi à Domino, arripuerant, miſerabiliter per continuos aliquot dies interfecti trucidatiq; ſunt, & quidem in omnes uirilis ſexus homines, atrociſsimè ſæuitum eſt. Sed tamen, ſi quis ea, quæ miſerè atrociora meritos eſſe. Rex ipſe captus eſt, adq; principem deductus. Captus eſt & Knipperdollingus unà cum Krechtingo quodam, quí à conſilijs regi fuerat.

Cæterum, direpta urbe, tum primum, quanta rerum omnium penuria laborarint, etiamſi perfugæ quoque ea de re nonnihil antea indicaſſent, compertum eſt. Prorſus intolleranda ac uehemens Sagunti fames fuit, quum à Pœnis obſidione premeretur. Fuit & Hieroſolymę ingens fames, cùm à Veſpaſiano obſiderentur: at nihilo minorem ſensêre Anabaptiſtæ Monaſterienſes. Vidi ipſe multos ibi libros, quorum detracta coria uictum miſeris ſuppeditarant, & eò inediæ poſteà uentum eſt, ut nullum corij genus tam fuerit durum, quod non eſculentum illis factum ſit. Imò ſcio pueros quoq; comeſos ibi eſſe, id quod ab ijs auditum mihi eſt, qui in reliquias quaſdam capta urbe eius rei teſtes inciderunt. Sed tamen tot, tantisq; malis adeò improbitas perditiſsimorum hominum imminuta non eſt, ut nihilominus & choreas interdum duxerint, & ſpectacula ediderint, & omnia phana, omnes ædes ſacras deſtruxerint, ac demoliti ſint. Imaginibus adeò infenſi fuêre, ut etiam pictarum in parietibus ac feneſtris facies, oculos ac ora miſerè fœdarint. Deditionis nulla unquam apud eos facta eſt mentio: prophetis nimirum obſidionis ſolutionẽ nunquam non uaniſsimè promittentibus.

Sed quid enumerandis eis, quæ lippis ferè ac tonſoribus nota nunc ſunt, fastidium tibi Spalatine pario? Ad regem reuertor, de quo certi aliquid ſignificare poſtulas. Porrò is poſt captam urbem, quum ſpectaculi uice huc atq; illuc ductus eſſet, detruſus tandem eſt in carcerem, non Monaſterij, ſed in arce quadam principis, eaq; egregiè munita, quam Beuergern uocant. Knipperdollingo ac Krechtingo Horſtmariam miſsis, inq; uincula coniectis. Verùm poſt, quo conſilio tam diu in uinculis habiti ſint antea quam mactarentur, id equidem ignoro, niſi fortè diuina bonitas pœnitentiæ ac reſipiſcentiæ tempus ijſdẽ dediſſe exiſtimãda eſt: certè multis uerbis huc uocati ſunt. Quod ad me attinet, Kymeũ, nõ ſolũ errorẽ illius factionis, è ſacris literis ob oculos illis poſuimus,

mus,uerũetiã ea modestia cõuictos in uitã reducere conati sumus, ut si germani fratres fuissent,amantius non potuerimus. Cum rege iusta disputationem ingressi sumus,ordine hos locos pertractantes.

De regno Christi.
De Magistratu.
De iustificatione.
De baptismo.
De cœna Domini.
De Humanitate Christi.
De matrimonio.

Iam de regno Christi corporali,quas,bone deus, nugas effutijt? ut Scripturam hic ad sua somnia torsit? ut uerbis curiam repleuit? Dodonæum æs dicerres. Nulli tamen scripturæ loco, æquè fidebat atq; isti,quem ex Apocalypsi de mille annis selegerat. Hũc ita iactabat,ita crepabat, ut facilè appareret perditã hanc factionem solis ac meris somnijs niti. Dictu enim mirum,quã nos, quum annos illos mille, de spirituali regno Christi, quod per uerbum administratur,interpretaremur,contempserit. Obmutuit tamen nonnihil,quũ interpretationis nostrę confirmationem,nos quoq; ex Apocalypsi mutuari audiret,mirũ ab eo,qui albo equo insidens,uerax,fidelis, & uerbũ Dei ibidem dicitur.

Eadem inscitia de magistratu garriebat,quem,tametsi ordinationem Dei esse fatebatur,tamen rebellionem,si quid secus ac Christus docet iubeat, adprobauit:fretus Petrina illa sententia:Oportet Deo magis obedire,quàm hominibus. Vbi quum nos fateremur,obedientiã quidẽ magistratui non deberi,si nos à Christi doctrina transuersos agere conetur:attamẽ hinc nõ sequi,idcirco uim ui repellere,priuatis personis licere,sed potius id faciendũ esse, quod Christus docuerit: Si uos persecuti fuerint in hac ciuitate,migrate in aliã. Respõdit quid nescio de eorum tyrannide,qui rebellandi ipsis occasionem præbuissent.

In iustificationis negocio,ita argumẽtis nostris captus est,ut pedibus in sententiam nostram descendens,ingenuè fateretur,solam fidem in Christum,non propter dignitatem,seu meritum operum,etiam eorum quæ fidem sequantur, iustificare & saluare,id quod tamen neq; pontificij, neq; alij Anabaptistæ, ut credant,induci possunt.

Baptismum paruulorum modis omnibus execrabatur, adultorũ rebaptizationem perinde atq; rem Euangelicis literis omnibus modis consentaneam adserens & comprobans. Interrogatus,quibus scripturis uel rationibus hanc in Ecclesia nouationem probaturus esset, Respondit:Christum,quum baptismum institueret,de doctrina,ad quam percipiendam,pueri parum sint idonei, prius & præcepisse,& locutum esse. Præcipuè tamen hoc nomine dixit baptismum paruulorum odisse se,quòd & nupera res sit, & in conuenticulis summorum pontificum excogitata. Ibi quum nos uicissim responderemus, fidem spiritus donum esse: Spiritui autem æquè procliuè esse in puero, atq; in adulto uim suam exerere. Pueros item æquè ad baptismum atq; olim ad circumcisionem fuerint,aptos esse. Ad hæc sacramentorum uim,non à fide uel dantis, uel percipientis, sed à uerbo ac institutione Christi pendere, sententiam se nunquam hic mutaturum dixit, ut quam sciat diuersam esse non posse à sacris literis.

De Sacramento synaxeos, inter cætera ad hunc modum dixit. Quanquam Zuinglij sententiam ea in re diu sit amplexatus, tamen aliud sibi reuelatum esse iã nũc ac antea senserit, nimirũ quod põdus cœnæ uerbis detrahi nec possit, nec debeat,id quod fiat,si non perinde atq; sonãt:Hoc est corpus meũ:Hic est calix sanguinis mei,absq; tropo accipiãtur. Attamen ea in re dissentire à nobis se,

fide, quod Iudæam quoq; corpus Chriſti manducaſſe, & ſanguinẽ ipſius bibiſſe aſſeramus. Ergo inquam, Chriſti opera non prius uim ac efficátiam habebunt, quàm fides noſtra huc accedat? An non diximus iam, ſacramentorum uim, non à noſtra, uel credulitate, uel incredulitate, ſed ex Chriſti uerbis ac inſtitutione pendere? Equidem fatemur, fidem hic requiri & adeſſe debere. Attamen Deum idcirco, ſi non adſit fides, mendacij arguere non debemus, ſed in Pauli potius ſententiã diſcedere, qui Iudęorum incredulitatem, Dei fidem non potuiſſe irritam facere, contendit. Sed agẽ, ducamus argumentum à ſimilitudine: Sol in quem uſum creatus eſt? An non ut luceat & diei præſit? Iam ſi nos uel ſolis rictitemus, uel cæci omnino ſimus, ergó ne ſolem quoque amittere fulgorem ac ſplendorem ſuum oportebit? Ea eſt & ſacramẽtorum. Hic protinus rex. Quemadmodum per me uobis liberum eſt hoc uel illud ſentire, ita patiamini meo me hic ſenſu abundare.

Humanitatem Chriſti eatenus admiſit, ut de Spiritu ſancto conceptum, ac poſt ex Maria uirgine natum fateretur: Cæterum addidit ex carne uirginis Chriſtum ſumpſiſſe aliquid, neq; ueriſimile eſſe, neq; credi debere, propterea, quod nõ aliter ex Maria natus ſit, atq; per uitrum ſol penetret, uel per canalem pluuia in terram feratur. Hunc nos errorem, & diligenter, & multis, utpote minime noxium, refutauimus. Et quanquam pertinaciſſimè rex ſententiam ſuam tueretur, tamẽ quum emphaſim eidem in hiſce ſcripturæ locis, in ſemine tuo, tuo: Item de fructu uentris tui. Item tui. Qui natus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem, ſubinde inculcaremus, dixit ſuum ipſorum commodum Lutheranos agnoſcere non poſſe. Porrò ſi ſuam hic ſententiam recipiant, nullo negocio omnia omnium Zuinglianorum argumenta in cænæ cauſa & percelli, & ſubuerti poſſe. At nobis hic, inquam, non cum Zuinglianis, ſed cum Anabaptiſtis res eſt, licq; adfecti ſumus, ut neq; in ueſtri gratiam, neq; in illorum odium ea facturi ſumus, quæ nos parum deceant.

Pluralitatem uxorum, quanquam fatebatur rem eſſe & nouam hoc ſæculo uix ferendam, tamen peccatum in re agnoſcere haud uolebat, id quod ferè ſolent, qui à populari aura pendentes, hoc ſolum agunt, populo ut ob conſtantiam placeant. Sic enim iudicant. Satius eſſe agnitum etiam errorem non fateri, quàm cum nominis per ſcelus quæſiti iactura, ſi quid deliquerunt, agnoſcere. Ac quum nos uiciſsim illi obijceremus, nihil ſtultius eſſe ac ſanctorum exempla, quæ & uerbo Dei, & præcepto non commendentur imitanda proponere, Reſpondit Deum quæ patribus permiſerit, ipſis quoque pro peccato non imputaturus.

Atq; hæc ferè earum rerum, de quibus cum rege in primo conflictu agimus, ſumma, & ueluti epitome eſt. At uerò in altera diſputatione, aliquanto mitius reſpondit. Ibi enim, quamquam regnum illud Chriſti corporale, quod mille poſt reſurrectionem annis duraturũ ſit, aliquo uſq; adhuc tueretur, tamẽ neq; ſe, neq; Rotmannum, neq; ex prophetis quendã, certi aliquid ea de re unquam uel ſenſiſſe, uel docuiſſe, fatebatur.

At uerò magiſtratum, quàm hic efferre cœpit? Magiſtratus, inquit, Dei ordinatio eſt, cui obediẽtiam debemus nos, ſiue probi ſint, qui præſunt, ſiue improbi, id quod copioſe apud Paulum uidere eſt. proinde peccatum etiam hic meum agnoſco, ut qui contra Dei mandatũ ac Cæſareas leges, gladium ac regiã in dignitatem à propheta tantum iuſſus, uſurparim: adeoq; tantum ſanguinis huius rei gratia effundi utrinq; paſſus ſim.

Iuſtificationis cauſa nihil mutauit, eam ſententiam, quam in priore conſeſſu amplexatus, adprobans.

Baptiſmum paruulorum ita adhuc reiecit, ut tamen ſi uita donaretur, omnes

Anabapti-

Anabaptistas ad silentium ac obedientiam adacturum se polliceretur. Ineni enim nunc esse sententia sese, ut satius esse ducat baptismum infantibus imperiri ex obedientia, quàm eius rei gratia sursum deorsum miscere res mortalium.

In Synaxeos & cœnæ negocio similis sui extitit, in pane quidem Christi corpus edi, in uino sanguinem ipsius sumi, confessus, sed tamẽ incredulo, eum panem nihil præterquam panem, & uinum nihil præterquam uinum esse.

Errorem de humanitate Christi uti recantaret, nullo pacto induci potuit: promisit tamen, si uita donaretur, ne uerbum quidem unquam ea de re facturum sese. Ad hæc, uti omnes Anabaptistę, conquiescant, nihilq; ulla de re quam doceant, breui effecturum.

Pluralitatem uxorum eatenus liberam esse hic dixit, quatenus unanimi magistratus consensu per totam ecclesiam admittatur. Quod si à magistratu prohibeatur, liberam esse non posse. Eoq; & se, & omnes Anabaptistas, qui aliter fecerint peccasse, plures uxores ducendo, & ob turbatum reipublicæ Christianæ statum, non immeritò in manum hostium suorum incidisse. Quid moror? Multa nobis in hoc colloquio audita sunt, quæ insignẽ miseri hominis, cum instantiam, tum malitiam arguebant.

Iam hunc conflictum, alia cum Knipperdollingo ac Krechtingo lucta excepit, qui ut neq; calliditate, neq; facundia regi pares fuêre, ita magis tædium nobis peperêre ac fastidium, Et aptior futurus Knipperdollingus ad gladiatorium munus erat, quàm ad religionis cõtrouersias tractandas. Porro si quis descriptionem eius hominis requirat, nihil de Catilina scripsit Salustius, quod nõ in hunc quadret aptissimè. Magna ui fuit & corporis & animi, sed ingenio malo prauoq;, cui etiam ab adolescentia bella intestina, cædes, rapinæ, discordia ciuilis, grata fuêre, ibiq; iuuentutem suam exercuit. Animus audax, subdolus, uarius, cuiuslibet rei simulator & dissimulator, alieni appetẽs, sui profusus, ardens in cupiditatibus, nonnihil loquentiæ, sapientiæ parum, uastus animus, immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat.

Hæc, inquam, ut uerè fortassis de Catilina scripsit Salustius, ita tum æquè rectè in Knipperdollingum dici possunt, cuius temeritatẽ ac malitiam, rex etiam ipse audientibus nobis incusauit. Nam uenisse aliquando ipsum, ac propalam uociferatum esse dicebat. Quod Iohan à Leida sit in corporalibus rebus, idem esse in spiritualibus esse debere. Et quum regem habeant corporalem, æquum esse, ut spiritualem quoq; habeant: eam esse Patris uoluntatem, id quod in corde suo testificetur spiritus. Aliâs quoq; uenisse eundem fatebatur, ac dixisse: Spiritum sanctũ in corde suo testificari, tum demum Monasterienses uerè iuxta patris uoluntatẽ uicturos, si reiectis noui pariter ac ueteris Instrumenti libris, sanctis quisq; cogitationibus, & somnijs obsequatur. Cuius stulticiam postea imitatus Phryso quispiam, pro spirituali Papa haberi uoluerit.

Nihilo melior Krechtingus erat, etiamsi is olim à literis alienus omnino nõ fuerit, quas tamen postea Anabaptismi sacris initiatus, præ nimia sanctitate cõtempsit. Certè quod ad ferociam, & seditiosum animum attinet, planè hic pari congregatur, & iuxta prouerbium: Esernius pacidiamũ nactus erat. Cum huiusmodi igitur monstris commissi, quàm, bone deus, absurda, quàm ridicula, quamq; à scripturis aliena audiuimus? Krechtingus inter cętera liberum arbitrium de nouo defendere conabatur. Negabat item uim & efficaciam peccati originis. Quid? pluralitatem uxorum in iustificationis causam immiscuit, homo non iniustus omnino, si plures uxores, & carnalis illa uoluptas iustum facit. Huiusmodi artificio, quum in toto illo conflictu uterentur, maluimus scribendo, quàm frustra altercãdo negocium hoc transigere. Quocirca in carcerem iterũ coniectis, scripsimus, & rescribentibus iterũ respondemus bre-

uibus

ubus ea, quæ perperam, ac minus rectè adseuerant, confutantes. Quæ omnia, ubi disputatio nostra cum rege habita prodierit (prodibit autem breui) copiosius, ac describi hic possunt, & uisurus & lecturus es.

Cæterum post hosce nostros conflictus, non diu in uinculis habiti, sed statim Monasterium, mactandi uidelicet ducti sunt. Altera post Agnetis dies, ei negotio destinata est. Rex pridie, quam mactaretur, interrogatus: Velletne sacerdotem ad se, cui peccata in aurem insusurraret, adduci, an secus? Respondit: Aprum biturum, si dominum Ioannem à Siberg, principis sacellanum colloquij causa adse admittant. Nihil hic petenti negatum. Protinus enim, ut haberet, in cuius ueluti sinum omnes animi æstus effunderet, is quem uolebat missus est. Qui postea ad nos reuersus, miram fuisse miseri hominis pœnitentiam renunciauit, adeo, ut etiam ingenuè confessus sit, si decies occidi possit, mortem certè decies meritum esse se. Et tamen induci non potuisse, uti errorem de baptismo ac humanitate Christi recantaret. Ante omnia hoc conquestum dicebat: Dolere sibi uehementissime, quod illustrissimi principis Lantgrauij fidelissimum consilium, toties, ac tam superbè aspernatus sit, quem nunc tandem intelligat pio zelo, socia arma cum Episcopo contra furorem tum suum, tum ciuitatis, quum omnis generis admonitiones aspernati essent, coniunxisse. Quod si præsens Lantgrauius esset, suppliciter se eius delicti ueniam oraturum, id quod nunc à Coruino ac Kymeo, quam primum in patriam redeant, fieri cupiat.

Knipperdolingus neq; consilij, neq; colloquij causa admitti quenquam ad se orabat, antea in medijs etiam tormentis gloriatus, quod nihil sibi conscius sit: sed Dei tantum gloriam, ac suam ipsius salutem, cum omnium rerum iactura quæsierit. Eadem arrogãtia nobis quoq; antea obiecerat, Lutheranos in hoc tantum esse Euangelicos, quod subinde conueniant, ac inter pocula Psalmos aliquot decantent, se uerò à rebaptizationis tempore, non cantiunculis, sed reipsa Christianismum suum ac professionem comprobasse, imo & iuxta patris sui uoluntatem semper uixisse, & in nullo reum postea factum esse. Amabò te, mi Spalatine, quid Pharisaismum uocabis, si hoc non est Pharisæum agere? Eadem fuit & in Krechtingo pertinacia.

Postero igitur die ad tribunal iudicis ordine pertracti sunt, adeoq; accusati, Regem primò egere reum, maxima flagitia ac facinora quæ inficialem statum haud quaquam admissura erant: utpote toti Germaniæ nota, eidem obijcientes, qui siue ad desperationem actus, siue mortis terroribus extra se raptus, contra magistratum quidem peccasse se, respondit, sed non contra Deum. Quasi uero non eadem ratione, & in Deum, & in Dei ordinationem peccetur. Confessus tamen & Anabaptismum, & seditionis, & læsæ maiestatis crimẽ, morti adiudicatus est. Ad quem modum & in Knipperdollingum & Krechtingum, quum ob eadem crimina accusarentur, neq; inficiari, quæ designarant, possent, lata mortis sententia est.

Rex omnium primus, quum ad supplicij locum, qui editior aliquanto à terra extructus erat, duceretur, flexis genibus ac manibus complicatis, hæc tantum effatus: Pater in manus tuas commẽdo spiritum meum, ad palum deligatus est. Post ignitis ac candentibus forcipibus aliquandiu excruciatus ac enectus magno certè sacrificorum, quorum ualde ferax semper fuit Monasterium, applausu. Quibus clam etiam ad solidum gaudium nihil defuit, præterquam quòd Lutherani quoq; eodem supplicij genere non tollerẽtur è medio. Non hic dicam, quanta fortitudine in perferendis cruciatibus istis usus sit, (neq; enim uel uoluptatem emisit, doloris testem) quod eam uirtutem Ethnici etiam præstiterint aliquando, atq; adeò certum sit, satanam ijs, quos irretitos tenet laqueis suis, ferè

robur addere ac constantiam. An non enim Socrates iamiam cicutam bibitu-
rus, etiam iocatus in Phœdonem est, admonens, ut uoto se liberans Aescula-
pio gallum persolueret? Et Photion iamiam necandus, animo adeò sublimi
mortem contempsit, ut etiam Athenienſibus, qui immeritum ad mortem rapie
bant eam felicitatem imprecatus sit, ut ne unquam Photionis meminisse
possent.

Cum animam egisset Rex, ductus ad idem supplicium est Knipperdollin-
gus, qui tamẽ ad palum deligatus, an aliq̃d locutus sit, nescio. Certẽ qui non
tam procul à supplicij loco aberant, quam nos, dixisse eundem ferunt: Deus
propitius esto mihi peccatori. Aliâs inter cruciatus perpetuum silentium fuit.
Postremò Krechtingus eodem supplicij genere perijt, quem adhibitis forcipi-
bus, bis, O pater, ô pater, exclamantem audiuimus. Multos uidere hic fuit, quis
bus spectaculo hoc nihil iucundius accidere potuisset. At nobis, ac alijs nobi
scum perpendentibus, quidquid factum huius sit, propter peccata nostra fa
ctum esse, haud ita iucũdum fuit. Equidem iure ac merito è medio sublati sunt,
istud enim quis sanę mentis non fateatur? Sed tamen interim nostra quoque
peccata agnoscere debebamus nos, quorum & enormitatẽ & magnitudinem
Deus hisce ceu flagellis ulcisci uoluit. Quod si nunc perinde atq; confecto bel
lo in utramuis aurem ocioſi dormire cœperimus, eadem insania Euangelij cur
sum remorantes, ac antea: iam uehementer timeo, ne nobis quoq; usu ueniat,
quod de Satana Christus dicit in Euangelio: Cum immundus spiritus exierit
ab homine, perambulat per arentia loca, quærens requiẽ, & non inuenit. Tunc
dicit: Reuertar in domum meam priorem, unde exiui: & cum uenerit, reperit
eam uacantem, & scopis purgatam atque ornatam: tunc abit, & adiungit sibi
septem spiritus scelératiores se, & ingressus habitat illic, & fiunt postrema ho-
minis illius peiora primis. Sic erit & generationi huic peruersæ.

Porrò, quis neget, persecutionem nusquam maiorem fuisse, atq; in inferio-
re Germania? Rursus. Quis non fateatur nusquam sectarum maiorem atq; ibi
dem esse ubertatem? Videlicet sic cõtemptum sui ulciscitur Dominus, uel Apo
stolo teste, sic enim inquit: Pro eo, quod dilectionem ueritatis non receperunt,
in hoc, ut salui fierent: propterea mittet illic Deus efficaciam illusionis, ut cre-
dant mendacio, ut iudicentur, qui non crediderunt ueritati, sed approbauerunt
iniustitiam &c.

Sed ad rem: Cum dignum de facinorosis hominibus sumptum esset suppli-
cium, inclusi tandem sunt singuli in singulas fiscellas, easq; & ferreas & cancel
latas, ita ut à longe & conspici, & agnosci possint. Ac post ad summitatem tur
ris D. Lamberti adfixi. Non solum in hoc, ut perpetua harum rerum extet me-
moria, uerumetiam ut omnibus seditiosis exemplo ac terrori sint, ne quid tale
uel tentent, uel audeant in posterum. Annum & diem, in quo acta hæc sunt,
uersibus plusquam extemporaneis, ita nos complexi sumus:

Quingentos si ter numerare fideliter annos
Pergas deinde senos addere terq; decem.
Regis habes certum tempus tunc iure necati,
Quo uix in terris nequior alter erat.
Dein diem si nosse uoles Vincentius illum
Martyrio fecit tempus in omne sacrum.

De Euangelio negotio, quod tu forsan in ea ditione procedere arbitraris, ni
hil est. Imò tanto Anabaptistis iniquior sum, quanto certius comperi, illorum
malitia ac perfidia factum esse, ut uix mutire nunc audeant, qui antea ueritati e-
rant addictissimi. Nimirum ijs, penes quos rerum summa est, semper timenti-
bus, ne illud doctrinæ genus, quod profitemur nos, ab Anabaptistarum do-
gmatis diuersum non sit; quum tamen à terra cœlum tam non distet, quam no-
bis cum turbatoribus istis, & Ecclesiarum, & rempublicarum non conueniat.

Certe

Certe Episcopus ipse uir & bonus, & comis, & humanus, & syncerus est, quem etiam ego ob insignes illas, & uerè heroicas, cum corporis, tum animi dotes, non possum non & amare, & suspicere, & reuereri ex animo. Testis harum rerum aula ipsius est, tam egregia nobilitate referta, ut nihil supra. Nobilitatem metiuntur, non arrogantia, uel titulorum, uel stemmatum, sed uirtute ipsa, quæ res ueræ nobilitatis apud priscos etiam origo fuit. Quid dicam de ijs, quos & à secretis, & àb epistolis habet? Videre in eo sodalitio est, uiros & eruditione, & pietate, & multarum rerum usu claros. Me certe ac Kymeum nostrum, ita tractarunt, eo loco habuerunt, ut si fratres Germani fuissent, amantius non potuerint. Quibus etiam rebus ita nos sibi deuinxerunt, ut nullo unquam æuo intermoritura apud nos sit illorum memoria. Et dabitur aliquando oportunitas copiosius de hisce rebus dicendi. Obijt per hosce dies apud nos Ioannes Campis, illustrissimi principis nostri Lantgrauij concionator, uir & bonus, & doctus, & de pietate optime meritus. Et cui uel in primis pietatem principis nostri, secundum Deum debemus. Certè si uotis promoueretur aliquid, optarim in locum illius æque bonum & syncerum surrogari. Neq; enim parui refert, bonos concionatores conspici apud eos, qui & capita rerum sunt hoc tempore. Sed procul dubio Deo hæc, modò precibus nostris assiduè pulsetur, curæ erunt. Pulsari autem & uult, & debet, ueluti Christus inquit: Orate Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam. Vale mi Spalatine, & me quòd facis perpetuò ama, redamantem te mirificè: Ex Vvicenhusio Cattorum, Anno M. D. XXXVI.

FINIS.

COMMENTARIVM SEV POTIVS DIARIVM, EXPEDITIONIS TVNETANAE, A' CAROLO V. IMP. semper Augusto, Anno M. D. XXXV. susceptæ,

IOANNE ETROPIO AVTORE.

NVLEASSES Tunetanus legitimus Rex, (cuius puta maiores plus septingentis annis ibi rerum potiti sunt) Barbarica crudelitate præditus, quicquid libuit, licere sibi in suos uoluit: adeò ut non solùm fortunas quorumcunque sibi uisum esset, quo iure, quaq; iniuria sibi uendicaret: uerùm etiam liberis subditorum suorum, naturæ & pudoris fractis repagulis, contra omne ius atq; phas, ad nephandam etiam Venerem abuteretur. quò factum est ut subditi eius non semel ab ipso deficere meditati sint. Quod animaduertens Hariadenus Oenobarbus, occasionem tam obuiam & opportunam non amisit. De cuius successu & incremento paucula ueluti delibare, non alienum à nostro instituto fuerit. Fratrem hic habuit maiorem natu Horucium nomine, cognomento etiam Oenobarbum: uterq; patre Græco natus fuit: Christianæ religionis illo quidem aliquando cultore, sed qui tandem Christianæ militiæ factus desertor, in castra Turcica turpiter transfugerit. Filij aliquantisper sub Corcutio Imperatoris Turcarum fratre meruerunt:

quo mortuo, natu grandior cuiusdam triremis præfectus, cùm Solimanus Tur
carum Imperator classem nauium, quæ in fratris fuerant potestate, recenseret,
metuens exauctorari, cum triremi sua fugit in montes Barrhicos, ibiq; bite-
mem unam & rostratam Syracusanam mercibus uarijs onustam, cepit: colle-
ctisq; è sinu Tunetensi aliquot piraticis myoparonibus cum fratre & sororio
suo piraticam facere occepit: magnoq; conatu regnum Bugeæ adorsus est: sed
amisso ibi brachio dextro, à ciuibus & præsidio Hispanorum fortiter repulsus
& fugatus fuit. Neque profuit illi rursus eandem belli aleam tentanti, naues
omnes igni consumere: ut scilicet socijs maiores animos adderet, omnemque
spem fugæ præcideret: nam re infecta, non sine iactura & dedecore fugere coa-
ctus fuit. Exustis igitur nauibus, ex pirata, terræ perturbator factus, Algerico
regno, quod Ferdinando Regi Catholico tributarium fuit, expugnato, Haria-
denum fratrem suum cum imperio præfecit. Deinde Circelli regnum, quod
olim Carcenna colonia fuit, aggressus, paruo negotio in potestatem suam rede
git: ubi Scandrum Raim sororium suum cum præsidio satis firmo reliquit. Pro-
inde successu rerum sublatus, maiora nec infeliciter tentauit. Per Morabitas
nanque Maurorum sacerdotes, quos tantùm non pro semideis habent, facilè
persuasit Tremisensibus, ut Regem suum (quia Christianis principibus con-
fœderatus erat) expellerent: nisi iram & uindictam Prophetæ sui Mahometi,
in se totiusq; regni perniciem & exitium prouocare uellent: non enim Maho-
meto cum Christo conuenire posse. Exacto igitur Rege, ne ipse per tyranni-
dem expulsi locum occupare uideretur, uafro quodam stratagemate (si tam sub
dola fraus stratagema dicendum est) illis imposuit. Suadebat enim ut filium
fratris Regis exacti, quem ille in carcere asseruari iusserat, ne hostile quippiam
in patruum suum moliretur, liberum dimitterent, atq; in fugati patrui locum
subrogarent. Placuit consilium Tremisensibus. Adolescens è neruis eximitur,
spe fore, ut diademate regio ornetur. Sed ó cæca & execranda regnandi ambi-
tio! Bonus ille (si dijs placet) Horucius Oenobarbus iuuenem iam regno desti-
natum, per insidias trucidat, eisdemq; artibus Tremisensium regnum occupat:
multorum eorumq; potentissimorum & auctoritate apud suos flagrantium,
cæde & sanguine uires suas firmat, omnibus se formidolosum facit. Infelix ado
lescens, quid tibi profuit è carcere educi, patrui tui sanguinolentas manus eua-
dere, cùm iam regno destinatus, in piratæ sicam incideris? Præstiterat certè squa
lore & pedore carceris computrescere, quàm à tanta spe delapsum, tam miserè,
tam immaniter, tam crudeliter mactari. Patruus adolescentis Rex quidem Tre-
misensium, sed eiectus, tam scelerati facinoris atrocitate perculsus, ad Ferdinan
dum Regem Catholicum profugit, auxiliares copias contra immanissimum
tyrannum, magna sui commiseratione apud Regem, omnesq; totius Regni
Satrapas excitata, implorat, impetrat. Diuersis in locis uario belli euentu cum
Oenobarbo confligitur. Tandem ab Hispanis, Regisq; Tremisenij exacti co-
pijs, in oppido Alcala longa obsidione cinctus, cùm rerum omnium penuria
laboraret, de fuga clandestina cogitare cœpit. Partem muri, quam qui in obsi-
dione erant, minimè obseruabant, per Christianos captiuos demoliri curat: fa-
ctaq; uia qua equitatum omnem educere posset, Christianos ad unum omnes
occidit. Quicquid uerò auri, argenti, gemmarum, & aliarum rerum magni pre
cij è templis, locisq; prophanis corradere potest, conuasat: & sub noctem silen-
tem cum centum equitibus, copioso q;, quem compilauerat multarum rerum
thesauro, fugit. Hispani, expulsiq; Regis equites, re intellecta, diluculo ad
quadraginta milia magnis itineribus, ipsum persequuntur: tandem in um-
broso quodam nemore, deprehendunt. Vtrinque instruitur acies ex solis e-
quitibus. nostri ferè quadringenti fuere: pugnatur aliquandiu atrocissimè,
aduentat

aduentat denique peditatus Hiſpanicus: uincitur Oenobarbus numero, non uirtute militum, noſtriſq́ uictoriam, ſed cruentam, relinquit. Tyranno caput abſcinditur, ac Tremiſenium deportatur, ubi magno cum Maurorum tum Hiſpanorum gaudio excipitur. Hic finis fuit Oenobarbi ſenioris, pyratæ nobilis, & tyranni truculentiſsimi. Mortuo fratre, Oenobarbus iunior, cuius cauſa hæc ſuſcepta fuit profectio, propter famam & opes quas piraticam faciendo ſibi comparauerat maximas, Turcici exercitus Imperator primarius creatus, ſexaginta triremibus & triginta biremibus, omnem Italiæ, Sardiniæ, Siciliæ, atque Hiſpaniæ oram legens, adeò ſæuis latrocinijs eam ubique ſpoliauit, ut etiam mediterraneis ciuitatibus non paruum timorem incuteret, litoraleſq́ue aliquot caperet, ciuibus earum partim cæſis, partim in perpetuam ſeruitutem adductis. Videns igitur Oenobarbus magnam & amplam occupandi regni Tunetenſis apertam ſibi eſſe feneſtram, ſimulans ſe è Thracia fratrem regis Tunetenſis iuſſu Imperatoris Turcarum adducturum, qui triginta alijs à Rege crudeliter excæcatis, & deinde interemptis, ætatis fortè beneficio, tam immani lanienæ ſubſtractus fuerat: populo, ut Rege ſuo exacto, fratrem in locum exacti ſubſtituerent, ſuadere cœpit. Quod ſiue propter odium in Regem conceptum, ſiue diuino numine ſic beluinam illam immanitatem punire uolente, facilè perſuadet: atque eiuſcemodi uſus dolo ſe Regem Tunetorum creat. Quid multa? ut tutior eſſet ab omnibus inſidijs, Tunetum primariam & principem totius regni ciuitatem, eiuſq́ propugnaculum Guletam, fortiſsimis munitionibus communire: Bonnam, Biſertam, aliaq́ue Africæ quæ nunc Barbaria dicitur loca in ſuam poteſtatem redigere: Algerijs, alijſq́ ſuæ ditionis populis, de triremibus Ducibus, præſidio, proſpicere: Hiſpaniam, Siciliam, Sardiniam, aliaſq́ regiones Cæſareæ ditioni obnoxias, latrocinijs infeſtare, in Guleta & Tuneto uires ſuas confirmare, remq́ ſuã conſtabilire, ingentẽ claſſem apparare & inſtruere, ut quãlibet parua occaſione data, Chriſtianorũ fines inuadere, impreſſionemq́ facere, cõmodius et licentius poſſet. Hæc omnia Imp. Carolus v. non ſine ſumma animi ęgritudine uidens, ſecumq́ non oſcitanter expendens, quæ & quot mala atq́ incommoda reſpub. Chriſtiana, niſi eius temerarijs auſibus obuiam iretur, accipere poſſet: quanquam nondum omnino defunctus eſſet bellis inteſtinis (Inteſtina, bella uoco, quibus Europæ principes eiſdem ſacris initiati, multos annos pro uentoſis & inanibus nonunquam titulis inter ſe digladiantur) uolens tamen prouinciam quam ſortitus eſt, non ſolùm tueri, uerumetiam adornare, Chriſtianæq́ reipub. tranquillitati & ſaluti conſulere, & cuius finibus imputiſsimum ſacriſq́ diris execrandum ac deuouendum hoſtem, cum uniuerſo exercitu, tam in Germania quàm Hungaria, exactum, in turpiſsimam fugam conuerterat: cœpit, uelut diuino admonitus oraculo, de inuadendo tam capitali inimico, nedum reſiſtendo, cogitare. Qua in expeditione, non tantùm ſuos, fortunasq́ue ſuas, ſed etiam ſemet ipſum tam ancipitis belli aleæ exponere & obiectare ſtatuit. Rebus igitur omnibus accuratè perpenſis, claſſem ſeptingentarum fermè nauium adornare, eamq́ue ſic cùm militibus, tum rebus omnibus ad bellum neceſſarijs armare, ut nequiret neq́ opportunius, neque inſtructius, certò conſtituit, ſemelq́ue decreuit. Eiusq́ rei gratia ad omnes Inſularum, portuum, arcium præfectos, ad Genuenſes quoque, eorumq́ue Ducem Andream Auriam, principem Melphiæ, literas deſcribi iuſſit, nunciariq́ue, ut omni diligentia longas naues, actuarias, onerarias, liburnicas, roſtratas, aliasq́ue nauali prælio idoneas appararent, nouasq́ue exædificarent. Eiuſdemq́ue ferè argumenti literas ad Paulum .III. Pontificem ſummum: Sacroſanctumq́ue purpuratorum patrum atque auguſtiſsimum Senatum, militesq́ue Rhodios qui nunc Melitam Inſulam tenent, dari curauit: ut

ſcilicet rebus omnibus diligenter expenſis, rationem aliquam ineirent, quibus copijs tam ſanctæ & pium, reiq; publicæ Chriſtianæ ſalubrem ac perneceſſarium conatum eius & uoluntatem adiuuare ac promouere uellent, ac poſſent. Quorum omnium per legatum ſuum Ioannem Henartum Lombechenſem Franciſcum Gallorum Regem admonendum putauit, ut ſcilicet longa nauigia ſua & actuaria ſubſidio ſibi, ad ſuſceptam expeditionem perficiendam, mitteret: non enim in ullum alium uſum, neque Deo Opt. Max. gratiorem, neque Chriſtianiſſimi protectioni utiliorem, ea mari uentisq; credere liceat. At ille excuſauit, cauſificatus inducias ſibi cum execrabili illo Oenobarbo intercedere: ſed nec alioqui conſilium, neque conſtitutum ſibi eſſe, alium inſtruere atque armare, ſeq; deſtruere & exarmare. Cùm igitur Cæſar miro quodam deſiderio expungendi notam ab impuriſſimo illo omnis religionis hoſte, nomini Chriſtianiſſimi inuſtam, iniuriamq; illatam, quanta poſſet celeritate maxima, propulſandi flagraret, ſecumq; ſtatuiſſet, quàmuis clam & ſine teſte eiuſq; propoſiti præcone, tam ſanctæ & neceſſariæ expeditionis præcipuam ſuſcipere prouinciam, atque in ea (quod aiunt) prora eſſe & puppis: ut omnia commodiore uia diſponeret & ordine, decreuit Madritio, quod antiquis Mantua Carpentana fuit Barcinonem proficiſci: qua in re ne ceſſaret, Iſabellæ Auguſtæ coniugi ſuæ, omnium regnorum ſuorum gubernacula commiſit, relictis apud eam uiris aliquot non poſtremæ nobilitatis, & cùm prudentia, tum autoritate atque exiſtimatione clariſsimis, quorum conſilijs in rebus arduis & dubijs niteretur. Ipſe uerò perpendens, quot & quàm uarijs uolubilis fortunæ inexſpectatis caſibus, uita humana ſit expoſita & obnoxia, præſertim in tam longinqua, difficili, & periculoſa profectione, cui nemo mortalis quàmlibet potens, quamlibet nobilis, quamlibet tuto ſatellitio ſeptus, committere ſe poteſt, niſi eadem opera, diſcrimini quod à quatuor elementis imminereque at (ſicut omnibus qui mare aliquando nauigarunt, perſpectum eſt) ſe & ſuos obijciat: uolens quamminimum iuris inſtabili illi heræ in ſe & ſua eſſe, priuſquam Madritio diſcederet, omnibus adhibitis (ut uocant) ſolemnitatibus, teſtamentum ſuum condidit. Quibus omnibus quamaccuratiſsimè prouiſis, relicta Madritij coniuge ſua longè chariſsima, tam tum prole fœminei ſexus grauida (quam non multò pòſt exacto parturitionis tempore, ſalua ſaluam enixa eſt) unà cum liberis ſuis & chariſsimis pignoribus, Philippo principe, eiuſq; ſorore Maria, quam infantem Hiſpani appellant: poſt mutuos, tum uxoris tum liberorum amplexus, & non multa, ſed nec ſicca oſcula, quinto nonas Martias illinc profectus eſt: nec uſquam moratus, per Auguſtam Cæſaream magnis itineribus Barcinonem peruenit: ubi nihil illi fuit deliberatius, quàm quod facere inſtituerat, ſine omni dilatione perficere. Quotquot igitur gentilitio nomine & titulo ſe uenditabant, ſatellitibus, item ſariſſophoris, doryphoris, & ijs qui â gæſis geſtandis nomen habent, cæteriſq; & Cæſarei corporis ſtodibus & familiæ adminiſtris, equi, arma, & quæcunque ad ſe protegendum, hoſtemq; inuadendum opus eſſent, edicto publico imperantur. Cui edicto omnes pro ſuo quiſque officio & munere, non grauatim obtemperabant, ſimul propter amorem, beneuolentiam, & reuerentiam, qua principem indolem & naturâ optimum, & ſuorum amantiſsimum, proſequebantur: ſimul quòd tam laudabilis conatus, & ad Dei Opt. Max. gloriam, & Chriſtianiſmi protectionem, incrementum, atque augmentationem, ſpectare uideretur. Etecce dum omnes in hoc ſunt, ut imperata faciant, Andreas Auria ex Genua cum claſſe uiginti nauium longarum rebus omnibus nauali prælio accommodis & neceſſarijs inſtructiſsimè apparatarum, Barcinonen peruenit: inter quas una erat quadriremis & mole corporis & architectura præter cæteras inſignis, nun-

quam

quam antea mare experta, utputa ipsi Imperatori uehendo destinata, & in hoc recens fabricata: qua ne Neptunus ipse quidem (de eius generis nauibus loquor) neque operosius magisq; affabrè ædificatam, neque instructius adornatam, oculis suis quamlibet tamen nitide ablutis, in regno suo uidit unquam. Cuius quadriremis aplaustria omnia uexillis Cæsareæ Maiest. insignibus summo artificio effigiatis, decorata fuerunt. In puppi uerò duo signa magnitudine & amplitudine eximia: alterum intersignio Iesu Christi crucifixi: alterum ingenti aquila, aliisq; Imperatoriæ Ma. insignibus graphicè expressa atq; depicta, uento huc illuc agitata, coruscabāt. Ex omnibus uerò nauigijs, ij qui machinis & tormentis bellicis præfuerunt, tanto impetu & strepitu globos tum æneos tum ferreos & marmoreos eiaculabantur, ut cœlum ipsum mugire & boare diceres. Erat præterea non tam audire iucundum quam uidere gratum, cum tubas, lituos, buccinas, cornua classica, tibias, timpana bellicum quiddam resonantia, tum pugnas illas umbratiles, nauium inter se concurrentium, contra mutuò sese fugitantium, & harpagonibus manibusq; ferreis se comprehendere meditantium. Quæ omnia Imperator ex feneſtra quadam palatij sui, quæ in stationem & mare longè prospectabat, non sine magno animi gaudio perspexit, quò pauco pòst tempore princeps Melphię cum honore & reuerentia debita Cæsarem salutaturus ascendit: cuius manu supplicìter deosculata, benignè & amicè est acceptus ab eo, paucisq; cum Imperatore collocutus, ad naues suas reuersus est. Erant præterea in aperto pelago in statione Barcinoñ. XXV. naues Lusitanicæ, à Rege in subsidium conceptæ & decretæ expeditionis, illuc missæ, unà cum longa quadam Celoce, Galeonem uocant, cum moleipsa & robore præ alijs conspicua, tum bellicis tormentis, omnibusq; requisitis munimentis, instructissima, quæ in stationem appulsere, & aliæ, quas diximus fuisse Principis Melphiæ, sese mutuò militariter consalutantes, eiusmodi boatu tormenta sua exonerauerunt, ut cœlum tonitru disrumpi, & fulgure coruscationibusq; ardere dixisses. Neque ita multò pòst pubes Hispanica classem ingentem omne genus nauium tam actuariarum quam onerariarum & rostratarum in portu Malacæ à latere Granatæ collectam, aptam & paratam in eandem stationem adduxit. Inter quas naues erant & hippagogæ, quæ equos, & onerariæ frumentariæ, quæ uniuersum ferè commeatum uehèrent. Cùm hęc omnia apparata, & ad futuram profectionem ordine suo digesta fuerant, legationibusq; Gallię, Britannię, Allobrogum, Venetorum, Mediolanensium, Ferrariæ, aliarumq; nationum de nauigijs, ut Cæs. Ma. comitarentur, prospectum erat edicto Cęsareo cautum est ut equites oēs, tam auxiliarij, q; legionarij quos antè recensèri & auctorari uiderat, (fuerant autem numero sesquimille: naues ascenderent, eorumq; equi cum pabulo aliisq; requisitis ab helcyarijs in hippagines ad hoc paratas attollerentur. Cui edicto summa cum diligentia obedìtum est. Die dominico, qui tertius fuit Calendas Iunij, anni triceſimiquinti, Imperator facta re diuina, posteaquam se suosq; omnes Dei Opt. Max. prouidentiæ, protectioni, conseruationiq; (nihil de eius bonitate & fauore hæsitans, sed illum unum in oculis & corde ferens) quàm potuit religione summa commisit, sub horam ferè decimam antemeridianam longam illam quadriremem seri fet, purpureis & aureis ornamentis tectam, conscendit: comitatus Ludouico cis, fratre germano Ioannis regis Portugaliæ, quem infantem appellant: qui illuc ea præcipuè de causa aduenerat, ut Imperatorem in Barbarica illa profectione individuus esset comes. In ipso uerò articulo cùm in nauim reciperentur, tam exilis nauibus quæ in altum deducebantur, quàm quæ in statione pro tuitionè siuitatis in anchoris manserant, tanto fragore, tanta concussione, tam impetuoso strepitu machinæ, & tormenta bellica emissa tonabant, mariaqûe

cœlo commiſcebant, ut montes ipſos, ſcopulos, & abruptas quæ mari impendent rupes, uelut Iouis fulmine quaſſatas terra diſcedente, in abyſſos ſeſe abdere abſorberiq́ue putares. Audiebantur etiam circumquaque tubæ, bucinæ, litui, cornua, tympana, cymbala, & alia ſemiuocalia ligna, quibus milites quid facto opus ſit admonentur, & ad prælia ineunda animantur. Marginesq́ uerò, littora, ripæ, tecta, feneſtræ, loca omnia quæ in mare proſpicientium, ſic confertim erant ſtipata, & ſtipatim conferta ac plena ſpectantium, ut ſeſe mutuò propemodum nimia compreſsione enecarent: non abſtinentium à gemitibus, ſuſpirijs, lachrymis, ſublatisq́ue ad ſydera palmis, Principi ſuo oram ſoluenti bene precantium, proſperamq́ profectionem, & meliorem non ſine glorioſa uictoria reditum, nuncupatis uotis, exoptantium. Eodem die in omnes ferè Europæ regiones ueredarij, & curſores ſumma cum celeritate excurrerunt, qui quod anteà nemini, neque priuatim, neque edicto publico, ſed ne per literas quidem ſignificatum fuerat, tum apertè nuntiarent, ſcilicet Imperatorem ipſum profectionem in Aphricam cum ingenti eademq́ue bene inſtructa claſſe ſuſcepiſſe, & præcipuum totius exercitus ducem futurum: eaq́ue gratia iam nauem cum ſuis conſcendiſſe, claſſemq́ue è portu in altum deductam eſſe. Quia uerò illo die tanta fuit maris tranquillitas & malacia, ut nulli omnino ſpirarent uenti, uiſum fuit ibi commodam nauigandi opportunitatem exſpectare: quæ ceſſatio interim profuit nonnullis ad omnia in tempore perficienda, quibus per negotia prius non fuerat integrum ſe & ſua nauibus importare. Proxima die, qui fuit pridie kalendarum Iunij circiter horam octauam, pomeridianam, cum nouilunio uentus cœpit utcunque flare: quam occaſionem non amittendam eſſe Imperatoratus, uela facit: iubetq́ue ut uniuerſa claſsis lintea explicet, pedemq́ue faciat. Qua in re ne ceſſaretur, quadriremis Imperatoria cum aliquot alijs longis nauigijs, uelut claſſem inuitans, in apertum mare ad quatuor uſque miliaria promouetur, ſequitur expaſsis uelis reliqua claſsis. Kalendarum Iunij adeò omni flatu deſtituuntur, ut nec illo die, nec quarto Nonas, plenis uelis ſit nauigatum: quin actuariæ ipſæ cogebantur tempori & tempeſtati parere, nec niſi remigum labore incitari, ne ſcilicet onerarias & alias quæ uento contrario lentius promouentur, procurrerent. Et ecce in conſpectu erant Baleares maiores, regniq́ primaria ciuitas Palma nomine, ad cuius littora propter uentorum penuriam actuariæ omnes appulſæ ſunt. Vbi uiſum fuit, onerarijs quibus altiori æquore opus eſt ut melius uentum colligant, à tergo relictis, tempeſtatem proſperam expectare, totaq́ illa nocte ad diluculum uſque tertij Nonarum Iunij ſolo remigio uſi ſunt. Prorex autem Balearium maiorum, quam nunc Maioricam appellant, admonitus Imperatorem præternauigaturum (nam in collibus & rupibus mari contiguis ſpeculatores & exploratores collocauerat, per quos de aduentu claſsis certior fieret) celocem quandam omne genus commeatu abunde prouiſam, ad quadriremem uſque Imperatoriam aduexit, qua de omni genere dulciariorum tragematum, aliarumq́ deliciarum affatim proſpecta, nonnullas etiam ex alijs actuarijs uiatico proſequutus eſt. Rogauit præterea Cæſarem, ut in portum cuiuſdam oppiduli, cui nunc nomen Alcodia eſt, naues ſuas ſubduceret, ſuaq́ue præſentia, uehemens incolarum uidendi regis ſui deſiderium ſatiaret. Idem obnixis precibus Magiſtratus & primarij eius oppidi ciues impetrare conati ſunt, & in certam ſpem, immo fiduciam adducti, id ſeſe Imperatorem exoraturos: magnum numerum equorum & mularum eo adduxerant, ut qui Imperatorem comitarentur, ſine ulla moleſtia in oppidum, quod diximus mille paſsibus diſsitum à mari, proueherent: ſciebant namque eos à mari, ſentinæ profluuio & uectatione nauſeabundos & defatigatos eſſe.

Tandem

Tandem Imperator illorum precibus uictus, nauibus in portu relictis, è sua lon
ga illa quadriremi, in terram descendit, cumq; infante Portugaliæ, aliisq; prin
cipibus, ducibus, comitibus, satrapis, suæq; familiæ gentilitio stemmate claris,
recta ad ciuitatem illam proficiscitur. Vbi summo cum plausu & bene omina
tis acclamationibus, tam prophanorum, quàm sacris initiatorum, (qui cum Ma
gistratu & Senatu ciuitatis, more & ritu supplicationes celebrantium, Impera
torem cum suis ad templum usque deduxerunt: & post nonnullam moram ibi
facta, ad suam quadriremem reduxerunt) reuerenter fuit exceptus. Multi eti
am è uulgo uectorum, cum ut animum recrearent, tum ut de recenti annona si
bi prospicerent, eòdem confluxerunt: qui intelligentes Imperatorem iam su
am quadriremem ascendisse, audientesq; cani receptui, ad naues suas se recepe
runt, & paulò pòst actuariæ omnes solutis anchoris, inuito Aeolo, remigio un
dis aduersis obniti cœperunt: totamq; noctem remigantes, tandem ad littora
Balearium minorem peruenerunt: ibi sub horam prandij à nauigando feria
tum est. nonnulli ut se reficerent, terram occuparunt; quibus in naues reuersis,
tam uelis (licet uento parum propitio) quàm remis, ad Nonas usque Iunias ut
cunque promotum est. Sub meridiem Nonarum, in portum ciuitatis, cui no
men Mago, denique peruentum est. Est autem Mago oppidum Balearium mi
norum, situ ipso & opere munitissimum: nam in rupe quadam aditu difficilli
mæ ædificatum est: portum habet amplum & insignem, nec minus fidum, actu
rum, plus quingentarum nauium capacem: quanquam interim introitus ar
ctior sit & angustior, quod ipsum & ad munitionem non parum facit. Huc lon
gæ omnes cum actuarijs minoribus receptæ sunt. Quod simul atque Prore
gi nunciatum fuit, ipse & quadringenti milites tam subsidiarij quàm ex inco
lis Magonensibus, legionarij bene armati & pulchro ordine digesti, ad crepi
dinem portus Imperatoriam Maiestatem salutaturi & humaniter accepturi, ac
currerunt. Imperator in ciuitate illa audito Sacro, ad quadriremem suam rediit
pransum. Prorex magnam copiam commeatus recentioris in quadriremem
Cæsaream, aliasq; naues importari curauit. Commoratum est in eo sinu ali
quantisper, propter onerarias & alias naues, quas quòd uentum habuerant pa
rum fauentem, longius abesse putabant, uerùm sic uisum & placitum fuit su
peris, ut illæ quoque paulò post illuc appellerent, quemadmodum ex monti
bus circumiacentibus exploratum est. Octauo Idus Iunias Imperator soluens
ex portu, cum tota classe sua, pro ratione tempestatis & flaminum, qua adeò le
niter spirabant, ut quamuis uelis uterentur & remis, semper tamen in conspe
ctu essent Baleares minores, uentis uela dedit. Interim in loca sterilia & deser
ta descendit, Sacrisq; operari iussit, confestimq; in nauem rediit, moræ
temporisq; ad eum modum deuorato fastidio, quinto Idus Iunias, spuman
tes undosi æquoris uortices superauerat. Sed quoniam mare tum flabrorum
impetuoso turbine tum fluctuum procellarum rabie plus æquo intumuerat,
non satis tutum uidebatur una facta classe alijs nauibus se coniungere. Qua
rein insula sancti Petri, quæ circiter uiginti milia à Sardinia distat, reliquas com
morabantur. Quarto uerò Idus sub horam undecimam pomeridianam, qua
triremis Imperatoria, cum alijs actuarijs in aperto mari primariæ ciuitatis to
tius Sardiniæ, nomine Calaris, consedit, quò onerariæ cum aliquot actuarijs
huius insula Diui Petri exspectatæ, prius peruenerant. Erat autem pelagus illud
ante Portum Calaritanum omne genus nauigijs nimis pulchrè uestitum, &
fugatim confertum. Aliquot namque ante diebus illuc aduenerat cum ingen
ti classe & longarum nauium, & onerariarum, & liburnicarum, quæ militem
Germanum & Italum uehebant, Alphonsus Daualus Marchio Vastij. Erant
& appulsæ naues, quas Neapolis & Sicilia tum ueterano milite Hispanensi,

tum uario genere commeatus instruxerant, ducibus Vilingerio Richensi & Friderico Neapolitani regni Petri Toletani Proregis filio. Subduxerat etiam in eundem locum nouem longas, easque ingentes, omnibus rebus ad bellum accommodis instructissimè munitas, à Paulo III. Pontifice summo missas, cùm genere clarus, tum factis strennuus, Virginius Vrsinus Anguillariæ Comes. Conuenerant eòdem à militibus Rhodijs, nunc Melitensibus missę triremes quatuor, cum oblonga una rostrata, aliaq; oneraria, omnes apparatissimè instructæ, ductore Aurelio Buticello, Ticinensis Pisaniq; templi priore. Vt interea præteream plus sexaginta onerarias, quinque quadriremes, quadraginta biremes, lembos, celoces, catascopia sexdecim ex Italiæ & Siciliæ oris, illuc aduecta. Expectauerat & illic cum quinque longis actuarijs aduentum Imperatoris Anthonius Auria, adeò ut præter longas septuaginta quatuor, trigintaque biremes & rostratas admirandæ molis & operis, uidere esset aliam classem promiscuam, onerariarum, liburnicarum, hippaginum, & eius generis plus trecentarum, in quibus erant biremes decem, plurimæq; aliæ naues, cum armis, tum militibus instructissimæ. Tertio Idus Iunias, cùm prima luce triremes illæ Marchionis Vastij remis promoueri cœperunt, & prætereuntes, signis & uexillis explicitis, quadriremem Imperatoriam, sublato quàm clarissimè clamore, resonantibus tubis & buccinis, tympanis & fistulis, demissis & inclinatis uexillis, eum summa cum reuerentia salutabant. Eodem ferè momento utrinque eruperunt tormentorum bombi & tonitrua: neque multò post subductis anchoris, quadriremis Cæsarea prouehi cœpit per medium classis militum Germanorum, Italorum, & Hispanorum, quam aliæ omnes naues comitabantur. Illi autem uidentes signa & uexilla quadriremis Cæsareæ huc illuc uento agitata & fluitantia, unà omnes eodem ferè temporis puncto, primùm minores machinas suas, deinde & ingentes illas quibus naues munitæ erant, tanto numero exonerantur, ut mare uniuersum fulgure & coruscationibus illustrari, ac deinde densissimo fumo obnubilari credidisses. Quid multa? Dixisses classem illam nauium uelis nudatarum, syluam quandam esse miræ magnitudinis, sub aduentum brumæ frondibus & folijs suis spoliatam. Actuariæ uerò littori admotæ, è fluuio quodam leni murmure in mare delabenti, de recente aqua sibi, & cunctæ classi abundè prospexerunt: in cuius margine & ripis plerique insulæ illius propolæ & institores consederant, uariamq; annonam eò adportauerant, de qua plerique per occasionem sibi prouidebant. Quadriremis Cæsarea, aliæq; triremes & biremes, cæteris nauibus in aperto mari relictis, remigum nixu & labore, in portum Calaritanum, quam diximus totius Sardiniæ primariam esse ciuitatem, pridie Idus Iunij sub horam quartam matutinam, inuectæ sunt: quibus procul perceptis, ciues uolentes etiam eminus Imperatori aduentum suum gratulari, multa & magna tormenta quibus ciuitas bene munita est, eiaculati sunt. Extra portam uerò (quæ eam partem spectabat) pons erat à muris oppidi ad mare usque longitudine quinquaginta passuum porrectus, aulæis, tapetis, & panno partim rubricoloris, partim gilui adornatus, qui sic & structura & altitudine puppi quadriremis Cæsareæ respondebat, ut commodissimus & facilimus ex ea in pontem esset transitus. Circiter horam nonam eiusdem diei ante meridiem Archiepiscopus Calaritanus cum Canonicis & uniuerso clero, ritu supplicationes statas aut indictas facientium, simul & Prorex cum Magistratu & Consulibus, primarijs q; ciuibus, pulchrè digesto ordine, ad pōtem illum usq; egressi sunt, ut Imp. quo decuit honore & reuerentia, exciperent. Qui ex sua quadriremi, unàcum sororio suo infante Lusitaniæ, alijsq; Principibus, Ducibus, Comitibus, suæq; aulę nobilibus, per pōtem illum ad portā proximum deductus est, ubi acceptis clauibus,

clauibus, confirmatis prærogatiuis, aut uerius prædecessorum suorum indultis, illis datis & concessis, præstito iuramento promisit ea se pro more consueto sartatecta seruaturum. Illinc rectà ad Basilicam cathedralem progressus est, Sacroq; perfecto in quadriremem suam pransum uenit. In platea, quà illi ad naues iter erat, erecti fuerant uarij arcus triumphales inauratis picturis, & grauibus sed non illepidis sententijs & apophthegmatibus, tum in ipsius tum in expeditionis quam susceperat honorem & gloriam adornati, affabreq; constructi: compita omnia, triuia, angiportus, domus, tecta, fenestræ, imbrices, umbracula, ueluti uestita & tecta fuerunt matronis, puellis, pueris, & innumera populi turba, qui summo desiderio principem suum spectare in uotis habebant. In coronis autem portarum ac murorum infixa fuerant ampla & oblonga uexilla, aquilis alijsq; Cæsaris & Sardiniæ insignibus graphicè expressa & depicta. Audiebantur & horrendi machinarum è munitionibus uarijs emissarum bombi & tonitrua, quibus Principi iam abeunti bene precabantur. Taceo hic nomina multorum Principum, primorum hastatorum, primipilarium, centurionum, decurionum, magistrorum cohortium, præfectorum legionum, tribunorum militum, ducum, & exercituum imperatorum, qui sua uirtute laudem & gloriam sibi parauerunt nunquam intermorituram: plurimorum item nobilium, qui domi relictis uxoribus & liberis, suis stipendijs merere, uitamq; pro laude pacisci, non dubitauerunt. Adeò ducimur, immo trahimur omnes, cum boni principis in re laude digna præeuntis amore, tum gloriæ cupiditate, eiusmodi præsertim, quæ cum honestate & Reipub. Christianæ protectione & saluti sit coniuncta. Imperator igitur ubi commeatum omnem à Prorege Calaritano procuratum, in naues inferri iussisset, singulaq; ac omnia quæ naues ipsas & milites spectabant, diligenter curasset, præcepit signo dato omnes ad suas quasque conuocari naues, actuariasq; uela explicare & in altum deduci, ut facta nauigandi opportunitate, nihil eos remorari posset. Idibus Iunij facto Sacro & prandio, ueredarios & cursores in omnes prouincias & regiones ad eos qui illis cum imperio præfuerunt, aut legatos agebant, mitti iussit, qui nunciarent Imperatorem cum tota classe sua ex portu Calaritano soluere, & rectà Tunetum petere. Quod eo fecit consilio, ut reipsa doceret, quàm meminisset suorum, & quo illos affectu prosequeretur, tum ut amantissimos sui, pleniore sibi demereretur obsequio, cùm intelligerent suum principem tam periculosam difficillimæ profectionis prouinciam, ob salutem & conseruationem Christianæ reipublicæ suscepisse: serioq; gauderent & lætarentur de tam fœlici & fausto hactenus rerum omnium successu. Postridie Iduum qui kalendarum mensis Iulij decimus octauus est, classis Cæsarea nauigationi se dedit, ut cum Deo bene uolente, Tunetum proficisceretur, eiusq; fauore & gratia quæ Christianæ reipublicæ maximè essent conducibilia, strenuè contra Oenobarbum capitalem Christianorum hostem, moliretur. Qui Oenobarbus, sicut Imperator à quibusdam Christicolis à Tuneto profugis præmonitus fuerat, Guletam, Tunetum, locaq; omnia uicina fortissimè obmunierat, actuariasq; suas partim in portu Guletano, partim in canalibus, lacubus, & paludibus, quà à Guleta ad Tunetum iter est, alijsq; locis adiacentibus distribuerat, collapsa instaurarat, integra munitionibus firmis sepserat, ut Imperatoris aduentum intrepidè summaq; cum alacritate exspectaret, eumq; aditu & expugnatione suarum munitionum arceret, ac prohiberet. Et ecce, tanta tum cœli tum tempestatis commoditas sese obtulit, ut tota classis secundis nauigaret uentis: qui adeò eam non deseruerunt, ut decimoseptimo kalendas Iulias anni tricesimiquinti antediluculum ad Carthaginis promontorium applicata sit, legentesq; oras & littora Barbarica, uiderunt plurimas turres & castella in præruptis & celsis

rupibus

rupibus more architectationis ipsius regionis constructa, è quibus Barbari in nostros tormenta eiaculabantur, sed frustra. In nonnullarum uerò arcium & rupium fastigijs & capitellis faces & ignes accenderunt, quibus alijs Barbas riæ incolis Imperatorem cum suis appulsum esse significabant. Imperator citer horam dici secundam, longas suas naues minoresque actuarias in Vlicæ portum, cui Farina nomen, quadraginta ferè passuum milibus à Guleta distantem, subduxit. Vbi in anchoris morati sunt alias naues, quas non adeò procul à tergo reliquerant: quibus post horas minimùm tres, in eundem portum appulsis, nulla facta mora simulatque naues turgentibus linteis uentum concepissent, uorticosis Aphrici maris gurgitibus superatis, non longius tribus milibus ab arce Guletana reciprocis undosi maris æstibus, fluctuabant. Velificantes igitur nunc huc, nunc illuc, semperque propius, tametsi per ambages, Guletæ accedentes milites, omnesque omnium nauigiorum nautæ, naucularij, uectores, arma & quibus se tueantur & hostes inuadant capere, secum sibi quisque pro sua functione deligere, ut si fortè ex insidijs Barbari eos adorirentur (quæ quorundam uana fuit suspicio & formido) nihil nam que tale deprehensum est) non essent imparati & inermes. Dum hæc fiunt, deprehensa sunt duo ingentia nauigia Massilienſia, à Christianissimo scilicet rege, ad Mahometicæ sectæ principem Christianæque religionis hostem plus quàm capitalem Hariadenum Oenobarbum missa: quibus ad quadriremem Cæsaream deductis, uectores eorum quæ habuissent mandata interrogati, non secus quàm ab angue aut scorpione tacti, uel ad aram Lugdunensem dicturi, primò obstupuerunt: deinde recepto spiritu, responderunt quidem, sed parum cohærentia: tandem tamen confessi sunt se ex Tuneto & arce Guletæ soluisse, Massiliamque rectà petere: quam profectionem non fuisse in rem atque usum Tunetanæ expeditionis à Cæsarianis susceptæ paratam & adornatam, nemo non intelligebat. Alterius nauigij dux, natione Francus, pro certo narrauit quendam Christianissimi Regis à secretis, cui cognomen esse dicebat Forestio, ab Oenobarbo ad Solimanum Turcarum Imperatorem, cum certis mandatis legatum fuisse, nimirum ut illum de aduentu Imperatoris, tiusque exercitus præmoneret. Venerat namque aliquot antè diebus cum legatis Solimani & Oenobarbi è Gallia in Aphricam, poterat que tum esse Constantinopoli apud Solimanum, sicut certis authoribus postea nobis nunciatum fuit. Oenobarbus autem secretarij illius hortatu, consilio & industrijs, arcem Guletanam uarijs munitionibus communierat, multisque tormentis bellicis eandem locupletauerat, quemadmodum arce à nobis capta & expugnata, facile fuit animaduertere. Quid non facit dominandi ambitio, & alienæ gloriæ crescentis inuidia? Imperator cùm uideret classem semper propius admoueri Guletæ, per celolem misit qui edicerent, ut acies ordine per cornua disponeretur: ut si fortè collatis signis depugnandum esset, omnes essent parati & accincti. Cui edicto magno omnium consensu, & summa cum alacritate obtemperatum est. Nihil enim tam ardentibus uotis desiderabant, quàm cum hoste manus conserere. Multi Aphri Mauricq; per agrum Guletanum discurrere, contos & hastas oblongas uibrare, qui Guletanos, Tunenses, aliosque Aphros & Mauros de applicatione classis Cæsareæ certiores facerent. Classis tota sicut dine militari distributa, paulatim ad duo usque à Galeta miliaria uentis ferentibus promouit, & in conspectu arcis quæ instar turris quadratæ est immensæ molis & uastitatis, sed humilis & sine capitello, quæ utique in mare prominet, consedit. Priusquam tamen propius accederent, uisum fuit actuariam unam cum profumia præmittere, ut explorarent quid hostes ferrent animo, quibusque præsidijs & munitionibus arx illa esset uallata. In cuius fluuijs & paludibus omnis

omnis classis Oenobarbi sic fuit collocata, ut difficulter à nostris tormentis uerberari: ipsi uerò nobis, quacunque ipsorum munitiones oppugnare, aut nostras tueri conaremur, multum negotij facesserc, nosq; & nostra machinis suis quassare possent: quam classem licet malis & carchesijs suis destitutam, alba tamen quædam uexilla nostris prodiderunt. exploratoribus autem nostris sesqui miliario à Guleta ab hostibus perceptis, cuestigiô machinas quasdam bellicas ex suis castellis eiaculabantur, quarum globi per mare ad morem murmurantis tonitrui reboantes, facilè indicarunt ex immanibus & magnæ molis tormentis emissos fuisse: Nostri contrà suis tormentis hostium munitiones obturbarunt. Sed audito signo quo reuocabantur (id strepitus fuit ænei tormenti ex Prætoria naui exturbati) ad suos integri & illæsi reuersi sunt. Qui cùm Imperatori quæcunque de munitionibus, præsidijs, situ ipsius arcis didicerant, & qua parte commodissimè oppugnari, & ubi minimo negotio & periculo tam equi quàm milites aliaq; ad bellum necessaria è nauibus in terram asportari possent, bona fide nuntiassent: Imperator omnes Duces, Præfectos, Tribunos & Centuriones in suam quadriremem acciri iussit, omnibusq; cum ipsis maturo consilio deliberatis, constitutum fuit, ut postridie (nam tunc appetebat uespera, quare illo die non est longius progressum) milites omnes Germani, Itali, Hispani, Burgundi, tam legionarij, quàm auxiliarij, exponerentur. Eodem die duæ turres quæ spacio miliaris unius inter se distabant, tormentis strenuè impetitæ fuerunt. Quarum defensores, machinas, sed minusculas, in nostros exonerabant. Altera tamen à suis protectoribus destituta, facilè in Christianorum uenit potestatem. Dicebatur autem turris Salis, aut Salinaria, à stagno quodam propinquo, in quod mare exundans influit, quæ aquæ postea Solis ardore in salem concrescunt, & ueluti congelantur. Decimosexto kalend. Iulij iuxta constitutum uespere diei præcedentis, biremes aliquot & celoces aliæque minores naues quæ remis promouerentur, ad actuarias, onerarias, rostratas, hippagonas, liburnicas, molis grauioris aduectæ sunt, receptosque milites in littus proximum prouexerunt. Nimis quàm iucundum spectaculum fuit uidere Hispanos, & præcipuè Germanos, cùm non procul essent à tipis, hastis suis nixos, omnisque moræ impatientes, in mare desilire, ut citius terram contingerent, non sustinentes exspectare donec humeris nautarum succollati, è nauibus in terram deferrentur: qua potiti hàc illàc circumcursare, tormenta sua minora exturbare, cum equitibus Turcis & Mauris, qui agros proximos obequitabant, nunc eminus, nunc cominus dimicare. Imperator, cuius prudentia & præsentia salus & momentum totius exercitus nitebatur, cum infante Portugalliæ alijsque Principibus & Ducibus, iam terra receptus, conscenso equo, cum suis huc illuc equitare, militem palantem in ordinem cogere, qua ratione digeri, quomodo se exercere deberet, præscribere: omnibusq; boni imperatoris, imô & strenui militis, fungi munijs: reliquum interim exercitum qui ad terram conuehebatur, commorari. Diluculo eiusdem diei, altera turrium, quarum ante meminimus, immensæ crassitudinis, figuræ quadratæ, non longè à littore maris sita, strenuè tormentis & machinis uerberabatur: fuit illi nomen Aquariæ, quòd Guletani & uicini illorum illuc uenientem aquatum: præternauigantes item illinc sibi de aqua recentiori prospicere solebant. Verùm post multam uerberationem, Mauris & Turcis qui in præsidio fuerant, quamuis nondum conclamatis uasis fugientibus, paruo negotio à nostris simul cum tormentis omnibus bellicis, capta & expugnata fuit. Eadem opera oppidula quædam & arces: uici item & castella (Romanorum destructa Carthagine reliquiæ) euersa fuerunt. Sed quia in illo rerum successu nonnulli milites subsidiarij & etiam legionarij eo deuenere licentiæ, dicã an improbitatis

probitatis & malitiæ,ut pagos,uillas, ſtrues & aceruos,tam frumenti & ordei, quam fœni & palearum,iniecto igni perderent: Imperator pœna capitali cauit,ne quiſquam exinde ſimile quiddam auderet deſignare. Iuſſit præterea,ut pedites omnes & ſubſidiarij milites, quamuis nomina dediſſent, militariq́ue ſacramento ſe obſtrinxiſſent, ſcirent tamen ſub quibus ducibus & ſignis merentur ſtipendia,teſſeramq́ue militarem in promptu haberent, nihilq́ue niſi cum ducum ſuorum conſenſu attentarent. Eos uerò qui in longis nauigijs, aliſq́ue actuarijs aliquo fungerentur officio,omnesq; milites legionarios,& qui perpetuis militant ſtipendijs, ne unguem quidem latum uoluit quóquam è triremibus diſcedere, ſine commeatu ſuorum ducum,& actuarijs præfectorum, qui ſecus facerent, capitale illis fore:ne ſcilicet per liberam illam diuagationem, ordine exercitus turbato, ſi fortè aperto Marte depugnandum eſſet, incauti & improuiſi à Mauris inſilirentur & paſsim cæderentur. Dies igitur ille & proximus,qui decimus quintus fuit kalendarum Iulij,eiuſmodi uelitationibus,edictis,& mandatis,tributi ſunt. Exercitus uerò in modum aciei inſtructæ per cornua, alas, frontem,& tergum, diſcretus,ad duos pagos non procul à ueteris Carthaginis ruinis ſitos,ubi Imperator conſederat, tentoria, papiliones,& alia quæ caſtris ponendis ſunt neceſſaria exſpectans, promouebat. Dum interim hoc ſtudio fuit, ut alios in excubijs, alios in ſtatione,nonnullos in ſpeculis explorandi gratia collocarent, & omni ex parte uigilanti diligentia ſibi cauerent:idq́ue propter ſubitas & in exſpectatas hoſtium incurſiones, quasq́ue ex inſidijs (utpote quibus compendia uiarum & loca eius regionis abdita probè fuerant explorata) Turci & Mauri tam pedites quam equites, plerunque faciunt impreſsiones. Eſt autem ager omnis à mari porrectus ſupra modum fertilis, & uitium, ficuum, olearum, aliarumq́ue arborum ferax. eratq́ue tum milio grandiuſculo ſatus, quod in pleriſque locis iam ematuruerat. erat in eodem agro ueteris Carthaginis magnus modus feniculi grandioris ad modum aniſi, dulcis & guſtu ſuauis. Decimoquarto kalendas Iulij ante crepuſculum matutinum, nauis quædam inſtitoria plenis uelis acta in portum Guletanum rectà curſum dirigebat, quæ claſſe Imperatoria percepta,uerſis uelis curſum retro agere meditabatur. ſed nonnullæ triremes Cæſareæ, ac præſertim longa illa, cuius inſigne fuit æquila, quæ Nicolaum Peretum Granuelllanum (uirum ſiue eruditionem ſpectes, ſiue in rebus agendis raram quandam prudentiam & dexteritatem, ſiue in difficilimis etiam negotijs obeundis miram induſtriam & indefatigatum laborem, omnibus omnium calculis comprobandum) cum aliquot Cæſareæ Maieſtatis Conſiliarijs & Secretarijs uehebat,omni ex parte, eo impetu & celeritate ſeſe in eam incitarunt, ut deſperato effugio,uelis & remis acta, non ſine ſummo diſcrimine & periculo, in terram impegerit, nimirum ut uectores expoſitos ſeruaret, qui per conuallia ſalutem pedibus quærere conati ſunt: uerùm nonnulli legionarij ex noſtris qui ſpectaculum hocce uiderant, ſpe prædæ illecti,per compendia montium fugitiuos illos aſſequuti, ſpoliarunt, & quidquid ferre potuerunt,abſtulerunt. Nauis uerò cum mercibus quæ ferè fuerant aromaticæ,& ab uſq; Conſtantinopoli periculo cuiuſdam Iudæi aduectæ,exactis prædatoribus iuſſu Anthonij Auriæ,in uſum Andreæ Auriæ principis Melphiæ (pernes quem ſumma imperij maritimi fuerat (fiſco eſt condemnata.cuius prædæ precium, paulò minus triginta milibus aureorum æſtimatum fuit. Plurimi Chriſtianorum ad caſtra Cæſarea transfugerũt:eodemq; plerique Turcæ & Mauri adducebantur captiui.qui interrogati quid nam certi haberent de Oenobarbo,uariarunt:alijs illum Guletæ,alijs Tuneti eſſe dicentibus. Cùm uerò Imp. partim ex Mauris Turciſq; captiuis,partim Chriſtianis, qui effractis ergaſtu-

lis

lis ad nos transfugerant, intellexissetGuletam sic esse tum munitionibus, propugnaculis, & tormentis bellicis, tum copioso & firmo præsidio communitam, ut eius expugnatio sine magna cæde & sanguine difficilis esset, atque adeò desperanda: deliberari & consultari cœptum est, præstaret ne relicta Guleta recto cursu Tunetum contendere, sed hic alius restabat scrupulus, non fore scitum consultum, sed nec tutum tam copiosum, tam bene prouisum, tam exercitum hostem à tergo relinquere, suosq; ab illis munitionibus longius abstrahere, quæ recipiendæ & suppeditandæ annonæ & commeatui, præter cætera essent idoneæ. Quare communi omnium consiliariorum decreto constitutum fuit, arcem Guletanam ante omnia oppugnare, & constituto citius Imperator omnem exercitum propius admouit, ac mille quingentis passibus à conspectu arcis castrametatus est, eademq; milites summa cum diligentia & festinatione fortiter munire, aggeres exstruere, ualla figere, fossam circumducere, castella aggeribus imponere, quo tormenta quæ grandia & multa è nauibus illuc pertracta fuerant, applicarentur: ut turris illa quadrata, quam diximus Guletæ fuisse fortissimum propugnaculum, magno conatu machinis uerberaretur, & si quà fieri posset, uastaretur. Quinque dies operi faciundo impensi sunt. Nono kalendas Iulij aggeres ad iustam altitudinem & crassitudinem exstructi fuerunt, castellaque imponi cœpta sunt, pro custodia & tuitione castrorum, tam contra tormentorum globos qui in nostros è Guleta mittebantur, quàm leuia quædam & inopinata prælia quibus Mauri Cæsarianos adoriebantur. Si Antonio Pio Consentino, qui dicit se uisa non audita scribere, fides est adhibenda: in leuibus illis uelitationibus plericq; Cæsarianorum, fraude, dolis, uafritia, & astutia Maurorum, intercepti fuerunt. Idem commemorat Italorum & Hispanorum superbiam, & genuinam quandam inter ipsos inuidiam, (est enim utraque natio supra modum laudis auida) in causa fuisse, quòd hostes sæpenumero in conflictibus superiores fuerunt: dum aut Ducum iussis non obedientes, locum assignatum deserunt, aut non contenti suas munitiones tueri iniussu præfectorum ex uallo desiliunt, atq; in aperta pericula sese coniiciunt, aut uidentes socios laborare, eis in tempore non succurrunt: quos Imperator (qui eodem autem hore, quamlibet etiam leuibus dimicationib. interfuit, nec tormentorum ictus, nec balistarum tela, nec uenenata Maurorum iacula metuens, fœlicius quàm mutius, præsentissima pericula, non sine periculo uicit) cum uerbis, tum minis acriter castigatos, eò redegit uerecundiæ, ut omnes suimetipsorum pœniteret, paratique essent potius uiui discerpi, quàm quidpiam animaduersione aut reprehensione dignum designare: quæ castigatio tantum profuit, ut in reliquis conflictationibus ac præliis, & cautius se tuerentur, & impigrius hostes inuaderent, nimirum ut sic labem ignominiæ nomini suo aspersam detergerent, nouamq; turpiter inustam inducerent atque abraderent. Et ecce, priusquam ab Imperatore castigati essent, euenit fortè ut propugnaculis aliquot erectis, uni quod longius arcem Guletanam uersus excurrebat, neque multò plus quingentis passibus ab ea aberat, Hieronymus Torauilla dux Sarnicum cohortibus aliquot Italorum præficeretur, à quo cum ipso priuilegio Diui Ioannis Baptistæ, hostem impressionem facientem, magna ui & conatu fortiter repulissent, eo facinore glorioso certè & præmiis digno non contenti, præter imperata, maiora ausi, sed infœliciter, relicto propugnaculo, cuius protegendi data illis fuit prouincia, hostes fugam simulantes, prosequuti sunt: quibus artium suarum non immemores, coniungentes se sociis suis è Guleta in subsidium ipsis progressis, in Cæsarianos cùm numero pauciores, tum ex longis excubiis operisque fatigatos conuersi, simul cum ipsis in nostras munitiones insilierunt, quos tamen iuuentus Hispanica quæ non procul aberat,

confestim

confestim ẽxturbauit & in fugam conuertit. In eo conflictu præter ducẽ ipsum Hieronymum Totauillam, Sarni principem (qui ictu tormenti ænei pro uallo percussus, multisq; uulneribus confossus fortiter cecidit) eiusq; nepotem, qui grauiter saucius à socijs suis in propugnaculum receptus fuit, non plures ꝯo Cæsariani desiderati sunt: hostium uerò plures quinquaginta, præter læsos & mutilos, male perierunt. tandemq; ex captiuis, & quodam qui ad Cæsariana castra profugerat, cognitum est, tres clari nominis magniq; pensi & momenti duces Barbaros, in illa cõflictatione cæsos fuisse, quorum corpora equites quidam Turci ad sua castra reportare conati, pedem citò retraxerunt, non audentes tam præsenti discrimini se committere neq; exponere. Mortem Ducis Sarnen sis grauius quàm credi par sit, optimus & suorum amantiss. Imperator, tulit: tum quòd uir fuerat magnæ diligentiæ, & multæ in rebus bellicis experientiæ, tum plurimis alijs dotibus clarus: sed hoc omnibus in confesso est, Martem esse communem, belliq; aleam nobilibus iuxtà atq; ignotis principibus & ĩgnominne uulgo, strenuis ac inertibus uariè cadere. Consentinus longè diuersa sentibit, & propemodum ex diametro dissidentia, quem non proposui mihi in hoc Diario per omnia sequẽdum, sed solùm quando consentanea describit. Malim credere exemplari Gallico, quod bona fide transtuli: cuius author, quæcunque scripsit uel dictauit, aut ipse suis uidit oculis, aut ab illis audiuit, qui res gestas omnes ad Imperatorem detulerunt. Scribit Consentinus transfugam quendam abiurato Christianismo, paganismum professum fuisse, uerùm cùm transfugeret, facti pœnituisse & resipuisse, ac salutem suam, omniaq; bona (attulerat namq; secum multa aureorum milia) clementiæ Maiest. Imp. commisisse. Cui Imperator remissa culpa uitam indulsit, & aurum omne quod obtulerat, in eius utilitatem asseruari iussit: ne scilicet in uita hominis, quàm auro, continentior fuisse uideretur. Pollicebatur præterea (cùm Neapolim ueniisset (fuit namque transfuga ille Neapolitanus) maiora se in ipsum collaturũ beneficia, adiecitq; imperatorium esse eiusmodi elargiri, non accipere. Sed redeamus unde digressi sumus. Septimo Calendas Iulias, hostes aliud quoddam propugnaculum adorti, magna cum suorum strage ab Hispanis, quibus reiectis Italis tum primæ partes cum hostibus congrediendi ab Imperatore datæ sunt, fortiter sunt repulsi. Multum diuq; dimicatum est ferè Andabatarum more: nam subita quædam eademq; uehemens ferentium uentorum tempestas oborta, tantum excitauit & in cœlum usq; sustulit puluerís & arenæ, ut uixdum socios ab hostibus discernere possent. Quæ tempestas, tentoria, tuguria, tabernacula & papiliones militum, uariè deiecit: quibus instaurandis & refigendis, plus credito ab omnibus sudatum est. Nono kalend. Iunij (ut illud quoque, quanquam non suo loco, inseram) Maurus quidam à Rege Tuneti missus, in castra Cæsarea peruenit, qui dicebat tesseram fidei à Rege acceptam sibi in itinere perijsse: quem Imperator postridie qui dies fuit natali D. Ioannis Baptistæ sacer, ad se adductum, per interpretem quendam Hispanum, Arabicæ linguæ callentissimum, quæ mandata ad se haberet, rogauit: ea ferè fuerant eiusmodi, Regem suũ certiorem factum Imperatorem cum exercitu numeroso omnibusq; rebus quæ bello tum nauali, tum terrestri, necessaria essent, abundè instructo, in Barbariam appulsum esse, ut maritimum illum ac terrenum prædonem ac piratam Oenobarbum, Turcicumq; exercitum, qui magnam cladem regnis, insulis, arcibus, & munitionibus Cæs. Maiestati subditis attulisset, internecioni daret. In Regem uerò qui se illi in fidem dedisset, nihil hostile cogitare: se autem ut exploraret an omnia ita se haberent, à Rege suo missum esse. Cui Imperator per eundem interpretem paucis respondit, ita rem esse, quin plerosq; Mauros utriusq; sexus promiscuæ ætatis & ordinis à suis captos, se dimisisse liberos, edictoq; publico cauisse, ne

cuiquam

cuiquam Maurorum qui regem Tunetensium dominum agnosceret, detrimenti quidpiam aut iniuriæ fieret. Quòd si Rex cum suis Numidis & confœderatis Oenobarbo resistere decreuisset, per se non staturum quin ex Barbaria cum suis militibus breui exigeretur. Atqui festinatione & reipsa opus esse, non multis uerbis & uanis promissis: non enim expedire suis rationibus ut tantæ copiæ ocio torpescerent, & ab opere feriarentur. Qui Maurus, ut illi imperatum fuerat, intra dies quatuor se responsum regis sui reportaturum pollicitus, quatuor milibus ducatorum, uestibusq; auro intertextis & sericeis ex liberalitate & munificentia Cæsareæ Maiestatis donatus, cum mandatis ipsi commissis, dimissus est. Et ecce uix illo digresso, septimo kalendas Iulias, tres equites Mauri in eadem uenerunt castra, duo subalbi, qualis ferè est color fuligineus, tertius planè ater: erant autem Maurorum ritu pellibus lauatis phæniceis coloris uestiti, humeris uerò oblonga iacula, machæras uerò suas & acinaces à summitate brachij dextri, è latere sinistro altrinsecus pendentes gestabant: læuo autem brachio pugiones habebant affixos: Hi Cæsari literas, alteras à Rege, alteras eiusdem ferè exempli à quibusdam Numidis præcipuis belli ducibus, Regiq; cognatis & consanguineis missas, obtulerunt. Quarum ex Arabica in Hispanam linguam translatarum, is fuit tenor: Laus misericordibus, Nos Filij Ceduazij exercitui Christianorum significamus, quòd non procul à uestris castris absumus. Vos contrà nunciate nobis, ubi commodissimè commentari uobiscum possimus. Qui has istuc pertulerunt literas, ingenuè uobis exponent, quis dudum fuerit & nunc sit rerum nostrarum status. Mauri ad omnes concordes sunt, & nobis beneuolunt, unaq; in re consentiunt. Qua de re coràm diffusius agemus: erant autem literæ Regis, signo ipsius signatæ, nullo impresso sigillo, neq; superscriptione inscriptæ. Negabant enim id se pro more habere, quæ uerò iussu Regis mandata afferebant, hæc erant: Mulleem Regem & dominum suum, simul atq; certior factus esset de aduentu Imperatoris, classisq; eius in Aphricam, noluisse committere, quin ilico legationem ad eius Maiestatem mitteret, ut nimirum cognosceret, ubi & quando eum adire & colloqui posset, ut eius auxilio, pulso Oenobarbo, in regnum autum aliquando reponeretur: paratum item se esse, auxiliares copias mittere, commeatumq; suppeditare: & ubicunq; Maiestati eius uisum esset, cum potentissimis & proximis sibi cûm sanguine tum affinitate Numidis, ut liberius de omnibus commentari possent, in colloquium uenire. Quod ut commodius & minori cum discrimine fiat, rogare ut Imperator triremes aliquot ad se mittat, quibus è montuosis locis, ubi delitescebat, per mare ad castra Cæsarea tutò proueheretur. Quibus intellectis. Imperator duos ex legatis multis pretiosis munusculis donatos, seruato apud se tertio, quem etiam plurimis donis cumulauit, cum eiusmodi mandatis ad Regem remisit: Placere sibi ut Rex cum aliquot suis cognatis & affinibus ad se ueniat, quò uoluntatem animiq; ipsius sensa plenius intelligat, actuariaq; à Rege postulata missurum, id quod paucis pòst diebus effecit. Nam per quendam ducem non postremi nominis neq; æstimationis, duodecim triremes apparari, & ad Regem mitti curauit. Quo responso accepto, legati ad Regem suum redierunt. Inter Tunetum & Guletam erant quædam oliueta, ficeta, locaq; alijs arboribus consita: ex latere castrorum Cæsarianorum, illic Oenobarbus tormenta non pœnitendæ magnitudinis, cohortesq; nonnullas equitum & manipulos peditum collocauerat, unde magnos & frequentes globos in nostros iaciebant: excursionibusq; factis, magnis animis & robore castra Cæsariana exturbabant. Imperator considerans hoc in fraudem & perniciem suarum legionum & cópiarum factum esse, magnoq; sibi dedecori assignatum iri, si permitteret hostes sic impunè diutius suos lu-

dificari, quanquam edicto, eoque capitali cauerat, ne quis extra ordinem in hostem incursaret, illorum puta stratagematis, imò dolis & fraudibus iam prè- bè exploratis, ut qui pedem pede, manum manu cum nostris conferere non auderent: Sed contenti crebris magis quàm uehementibus uelitationibus di- micare, leniterque per causam, in Cæsarianos insilire, sicubi nostri globo fa- cto per alas & cornua se dirigebant, ut iusto bello contenderent, nonnusquam resi- stere, subitò terga uerterent, statuit tamen eos illinc deturbare. Sexto igitur kalendas Iulias classicum cani, & equites Hispanos duce Ludouico Men- docio Marchione Monteiaris, duasque legiones peditum, alteram ex Ger- mano, alteram ex Hispano milite conscriptas, antecedere iussit: Ipse uerò cum suis equitibus & peditibus, manipuloque uno ex altero eorum, qui ex minoribus tormentis, glandes plumbeas, aliaque tela iaculabantur, sequutus est: eoque ordine ad locum ubi hostes inter arboreta, & plantaria in insidijs e- rant profecti, eo impetu, tamque ardentibus animis eos adorti sunt, ut quan- uis plus mille essent equites, pluresque pedites, tamen Cæsarianorum impres- siones non sustinerent: sed relictis machinis reliquisque impedimentis, in fugam se se conuerterent, quos Imperator longius persequi noluit: tum quod Tuneti in conspectu esset (non plus enim miliario illinc aberat) tum quòd non temerè, sed nec infœliciter, illam suscepisset expeditionem. Ceciderunt in eo conflictu ex hostibus partim equites partim pedites, quinquaginta: ex nostris uerò cum saucij tum occisi, desiderati sunt septem. Marchio Monteiaris dux ordinis e- questris, ex ictu lanceæ Turcicæ in coxendice uulnus accepit. Quod tamen non multò pòst industria chirurgorum obducta cicatrice, pulchrè curatum fuit. Dum hæc fiunt, & castra uarijs munitionibus omni ex parte muniuntur, plurima militibus & commeatu bene instructa nauigia, alia post alia appel- lebant. Aduenerant quoque ex Sicilia, Neapoli, Italia, alijsque regionibus plc- rique strenui & in re militari exercitatissimi uiri, atque inter alios Marchio Alarco, uir magnæ prudentiæ, & multæ in re bellica experientiæ, cum milleda centis uiris Martijs & gentilitio stemmate claris, ex Neapoli & Sicilia oriun- dis: qui partim lõgis actuarijs, partim onerarijs & rostratis in Aphricã aduecti sunt. appulsus est etiam eôdem pulchrè comitatus Ferdinandus Gonzaga, uir rari & prudentis consilij, & in ijs quæ ad rem militarem pertinent, oppi- dò quàm exercitatus. Tertio kalendas Iulij, Muleasses Tunetensium Rex, ex saltibus illis quò pulsus ab Oenobarbo confugerat, per mare proximum triremibus ab imperatore impetratis, quàm proximè castra Cæsarea adue- ctus est: præmissoque sororis suæ filio, qui illum appulsum esse nunciaret, cum ducentis equitibus Mauris ad castra Cæsarea contendit. Imperator il- lum aduentare præmonitus, signo dari iusso, ut turmæ aliquot equitum ordi- ne disponerentur, & Ferdinandum Toletum Albæ ducem, Ferdinandum A- larconem uallis Cicilianæ quæ in Præcutinis est Marchionem, & Antonium Pimentelium Comitem Beneuentanum, cum multis alijs nobilibus & gen- tilitio titulo insignibus, præter equites, addita una atque altera peditum pha- lange, illi obuiam misit: qui reuerenter illum (utputa regem) excíperent, at- que ad tentorium Cæsareum deducerent. Imperator cum infante Portugaliæ, alijsque tum Ducibus tum Comitibus principibusque uiris, Regem exspecta- bat: quem appropinquantem data dextera salutauit. Ille contrà summa cum reuerentia se se inclinans & demittens, obseruato tamen semper decoro re- gio, Imperatorem tantùm non adorauit, & more patrio super tapete ibi in hoc strato cum suis Numidis humi procubuit. Imperator uerò è suo solio descendit, Tum per interpretem Hispanicæ & Arabiæ linguæ iuxtà peritum, multis de rebus longum diuque collocuti sunt. Deinde ad militum statio-

nes,

nem, ut legiones suo ordine digestas, totiusq́ exercitus faciem, formam, & robur uideret (qui illo adueniente tam maiora quàm minora tormenta magno murmure, & strepitu exonerabant) deductus est, illinc ad tentorium Ludouici Pratensis, uelleris aurei Equitis, & secundi Imperatoriæ Maiestatis cubicularij peruenit: Vbi uarijs omne genus bellarijs, aquisqûe cum saccaro & cinamomo decoctis, (abstinent enim uino & carnibus nisi ritu patrio coctæ & apparatæ sint) refectus & recreatus est. Dixit autem circiter octingentos camelos commeatu & alijs rebus onustos se à tergo consequi, habereqûe se in montibus illis unde uenerat, plus sedecim equorum milia, quorum omnium ne musca quidem neque camelus, nec equus usquam comparuit. Erant autem omnnes eius milites Mauritanico more uestiti, habentes acinaces suas altrinsecus, ab humero dextro in læuum dependulas, & pugiones latos eosqûe ancipites sinistro brachio alligatos: equitatus ferè ex equabus equisqûe castratis constabat. Iacula autem quæ gestabant, longitudinis erant triginta sex aut quadraginta palmorum. Imperator autem magis miseratione & misericordia (quam cum summa clementia habet coniunctam) commotus, quàm quôd multum auxilij putabat à Rege, humanissimè acceptum, regio affecit honore. Hoc enim erat omnibus exploratissimum, Regem sine ulla spe recuperandi regni sui, fuisse ab Oenobarbo exactum. Huc accessit, Imperatoris copias quas terra mariqûe habebat, tales fuisse & tantas, ut Deo bene uolente, (à quo omnis uictoria est) non solùm sufficerent Oenobarbo cum suis opprimendo, sed etiam uniuersæ Barbariæ subiugandæ. Verum magis expediens uisum fuit regem in regnum reponere, ut tanto beneficio Maurorum animos sibi deuinciret, intelligerentq́ sanctam illam expeditionem in hoc solùm Imperatori susceptam esse, ut Oenobarbum Turcicumq́ exercitum è Tunetensium regno expelleret, tranquillitatiqûe Reipublicæ Christianæ consuleret: præterea, ut fidem regis eiusqûe successorum magno commodo & securitate Christianismi, & præsertim regionum & ditionum maritimarum Cæsareo Imperio obnoxiarum, contra uniuersam Barbariam tam immensi beneficij uinculo, in perpetuum sibi obligaret: quibus regionibus quâm fuerat opus & necessarium ut primo quoque tempore prospiceretur, nemo ne sanctè quidem deieranti credat, nisi oculorum cognitione didicisset, quemadmodum in profectione ista Sole meridiano clarius fuit uidere. Sub initium mensis Iulij in opere cœpto perficiendo, continuis aliquot diebus nemo non strenuam & accuratam adhibuit operam, ut scilicet tormentis omnibus suis locis dispositis, ad demolitionem arcis Guletanæ procederetur. Erant circum castra Cæsariana colliculi quidam, quos uisum fuit aggestis aggeribus, defixis uallis, exstructisqûe propugnaculis & castellis munire, militesqûe cum machinis ad castra ipsa legionumqûe cornua protegenda hostemqûe ab irruptionibus arcendum imponere. Quia uerò arx Guletana in planicie quadam sita erat, & ex utroque latere firmis munitionibus circumclusa, non fuit nostris integrum semel locum castris metandis deligere, sed necesse fuit subinde mutare, & paulatim proximius Guletæ admouere, quod non sine magno labore & molestia militum fieri potuit, tum quòd tentoria, papiliones, tuguria, diuersoria, sarcinæ, impedimenta omnia transportanda essent, tum quòd ab illis locis longius abstraherentur ubi plurima quotidiano usui accommoda partim repererant, partim sibi procurauerant, & præsertim puteos aquarum dulcium, quarum propter mare uicinum, mira erat illic raritas, ne dicam penuria. Nam illi, à quibus diximus turrim quandam nomen sortitam fuisse propter immodicam aquationem, partim exhausti, partim uitiati, limo è fundo excitato, fuerunt. Lacus uerò & stagna, propter uicini

æquoris exundationem aqua salsa infecta fuerunt. Huc accessit, quòd ex uas-
sis terra repletis, pellibus aliisq; munimentis coopertis, propugnacula sibi con-
struere debebant, quę opponebant tormentorum ictibus, dum nocturno tem
pore propius sensim adrepunt. Cumque ad hunc modum castra semel atque
iterum loco mouentur, proximiusq; arci admouentur, ut sic commodiore ua
expugnaretur: non raro nocte intempesta ad arma conclamatur, atque inter-
dum utrinque eruptionibus factis, dimicatur. Quarto Nonas Iulias, hostes per
exploratores edocti, turmas aliquot equitum, manipulosque peditum è ca-
stris Cæsarianis profectos esse, ut magnum numerum cum peditum tum equi-
tum ex miscellanea & promiscua, equisonum, mulionum, stabulatiorum, li-
xarum, cacularum, eiusmodique hominum colluuie, qui in uicos proximos
pabulatum & prædatum excurrerant conflatum, tuerentur & protegerent, ar-
bitrati occasionem nostras munitiones expugnandi sibi datam esse, statim
à prandio magno clamore & impetu uelut æstro quodam perciti, totis uiri-
bus in eas incubuerunt: eodemque ferè temporis puncto, turbo quidam feren-
tium & debachantium flaminum, tantum excitauit pulueris, ut conspectum
hinc castrorum, illinc hostium interceperit: hoc tamen nonnihil in tenebris di-
micantibus profuit, quòd æther crebris ignibus quanquam non sine fragore
tonitruum micuerit, pluuia subitò consequuta uentorum rabiem sedauit. Ni-
hil tamen interim tam subita cœli mutatio conflictationem remorata est:
quinimo ijs animis utrinque & uiribus certatum est, ut Cæsariani exercitus
duces, metuentes ne Turcici equites ex insidijs suo more in nouissimos du-
ctores nostri exercitus insultarent, omnibus legionibus ordine distributis, fa-
cta acie cum hoste congrediendum putarint. Sed nostri diuino freti auxilio,
magna tum præfectorum, decurionum, & centurionum, tum militum uigilan-
tia, alacritate, & diligentia, hostes à castris prohibuerunt, & terga dare coëge-
runt, quos tanta celeritate sunt consecuti, ut multis ante munitiones ipsorum
trucidatis, propugnacula & castella nonnulla occuparint, uexilla diripuerint,
& magnum timorem spectantibus incusserint: cruenta ea in concertatione fa-
cta fuit hostium strages: pauci ex nostris desiderati sunt. Nulla quies, nullum
ocium fuit militibus. Nam nulla ferè dies sine dimicatione abijt. Ex arce ue-
rò Guletana triremibusque qui in sinu Tunetensi fuerunt, quotidie ex machi-
nis ingentis magnitudinis, ferrei & ænei globi in castra Cæsarea militumque
tuguria iaciebantur, quorum nonnulli & illi quidem grandiusculi interlignio
liliorum insigniti fuerunt, ita ut non difficile esset conijcere & colligere, è quo
myropolio eiusmodi catapotia, quibus ue ex officinis tales prodierant mer-
ces. tandemq; plurima quæ antea incerto rumore sine authore passim mussita-
bantur, tum denique credi & pro certis haberi cœpta sunt. Ex altero latere
Guletæ qua Tunetum respicit, stagnum est nauigabile, per quod ex Tuneto
commeatus & quæcunque obsidione cinctis opus erant, facilè aduehebantur: quod ut nostri impedirent, constitutum fuit è naualibus nonnulla nauigia in stagnum illud pertrahere, eademque militibus, tormentis, alijsque ar-
mamentis armare. Id quod absque mora, quanuis non sine molestia factum
fuit. Verùm quia stagnum illud non erat tantæ altitudinis ut naues sic onustas
ferre posset, necesse fuit eas in mare, magno certè militum sudore, retrahere.
Sexto Idus Iulias Cæsar ex altero pede grauissimè laborauit: cuius doloris cau-
sam fuisse, medici asseuerabant, continuam & indefessam in omnibus boni im-
peratoris obeundis muneribus curam, laborem, & diligentiam. Nec defue-
runt qui putarent diuinæ id fuisse prouidentiæ & uoluntatis, ut scilicet illo
cruciatu admonitus, non tam temerè præsentissimis se obiectaret periculis,
satisque crederet suo se fungi officio, si quod in opere faciundo collocaret
operæ,

operæ, alijs exercendis & instituendis insumeret, atque plurima quæ ipse faceret, primarijs exercitus ducibus, legionum præfectis, primipilaribusque antesignanis administranda committeret. Hostium nanque incursiationes, assiduæque illæ dimicationes non fiebant sine telorum, iaculorum, balistarum ictibus, & tormentorum maiorum & minorum iactibus: quorum impetus sine discrimine nobilibus cum ignotis, summis cum infimis, si fortè contingant, æquè lethalis est & noxius. Quarto Idus Iulias, tentoria & militum tugu-tia denuò suo loco mota sunt, & propius Guletam deportata, quo tamen die propter incredibilem flabrorum tempestatem, puluerulentamque arenarum nubem ad sydera usque iactatam, non adeò promptum, neque procliue fuit ea figere. Munitionibus tamen uallis & fossis circumdatis, propugnaculis & castellis aggeribus impositis, machinisque ad iaculandum apparatis, Imperator arcem Guletanam primùm tormentis uerberare, deinde postridie, qui tertius fuit Idus Iulias, conscensis muris, expugnare, & capere constituit. Quare cautum est edicto publico, ut omnes tam duces quàm milites, ad suam quisque cui destinatus fuerat functionem, parati & accincti essent: sed quia uentorum uis & rabies fuerat uehementior, pelagusque altioribus undis efferbuerat, in diem sequentem qui pridie fuit Idus Iulias, res tota dilata & procrastinata est. Erat fortè turris quædam in uertice montis, non amplius mille passus à Cæsarianis castris dissita, quam decem stationarij milites expulsis Barbaris, occupauerant: eam facto agmine Turcæ Maurique adorsi sunt: quorum insultum decem illi Cæsariani principiò strenuè repulerunt, sed destituti subsidio, cœperunt impressionibus Barbarorum esse longè impares: quibus confestim à nostris, tum equitibus tum peditibus suppetiæ datæ sunt. Qua re ab hostibus animaduersa, non exspectato nostrorum aduentu, sese uerterunt, qui ferè Barbarorum mos est, sua namque agilitate (ferentariorum enim & uelitum more, leui utuntur armatura (equorumque uelocitate freti, frequentioribus quàm uehementioribus excursionibus, hostes suos solicitant, quòd si seriò conserendas esse manus uiderint, uersis tergis, fuga sibi salutiq; suæ consulunt. Imperator nondum commodam expugnandæ arcis Guletanæ nactus occasionem, exploratis summa cura omnibus munitionibus, ut magis hostibus incommodaret, fortiusque sua castra muniret, iussit alium aggerem cæteris astrui, quod imperato citius, summa cum diligentia factum est: ut si fortè offerret sese occasio, nihil esset quod oppugnationem remoraretur. Castris igitur sic munitis, & acie, quæ numerum triginta milium militum, eorumque selectorum excedebat, per cornua, alas, frontes, & terga, legiones, turmas, cohortes, & manipulos, instructa, (præter classem ingentem, quæ in portu Guletæ omnibus rebus ad nauale bellum necessarijs apparata, anchoris fundatis detinebatur) cunctisque & quæ ad castrorum tuitionem & hostium oppressionem spectare uidebantur, diligenti solicitudine procuratis, machinæ & tormenta suis quæque locis collocabantur. Imperatori præter cæteras hoc studio fuit, frequenter omnem exercitum lustrare, legiones omnes circumire, duces & antesignanos ut cautè sibi prospicerent, nec temerè se periculis obijcerent, admonere: omnes summa cum humanitate compellare, præmia ampla polliceri, ardentes & inflammatos laudare, dubios & meticulosos animare & confirmare, ignauos & inertes impellere, urgere, ac stimulare, ignominiosisque uerbis nonnunquam castigare: omnes hortari, breuibusque conclonibus inflammare: non dubitare se, quin qui sæpe absente ipso rem præclarè gessissent, hostesque eisdem secum sacris initiatos, captis regibus & principibus uiris, castris exuissent, uictoriamque illis ueluti è manibus tum in Italia, tum alijs regionibus non secus ac clauam é manu Herculis extorsissent,

nunc se præsente cum hoste sacro atque deuoto, fortiter & strenuè essent pugnaturi: præsertim cùm in hoc bello, Deo Opt. Max. eiusque filio Domino & Seruatori nostro militarent, se officiorum sibi præstitorum non foreimmemorem, sed unumquemque pro ratione rerum gestarum, liberaliter remuneraturum. Quibus exhortationibus, animi militum, alioqui sua sponte feruentes & incitati, sic sunt inflammati, ut ansam pugnandi sibi non præberi dolerent. Actuariæ proinde aliæque classes, quàm proximè sine certo discrimine poterant, applicabantur, malisque & antennis summotis, ne si fortè hostium tormentis concuterentur, id nauibus fraudi & detrimento esset, ad oppugnationem apparabantur. Euenit fortè, ut pridie quàm decretum esset arcem tormentis lacessere, mare sic intumuerit, ut in tentoria quæ littoribus proxima erant, exundaret, metusque esset ne iuxta constitutum arx oppugnari nequiret: sed pridie Idus Iulias tanta fuit & æquoris & statuum tranquillitas, isque superni numinis fauor, ut cum prima luce acie suo ordine instructa, omnibusque & singulis suis functionibus præscriptis, ea diligentia, industria, studio, & dexteritate, terra marique arx uerberaretur, diuexaretur, & quassaretur, ut & turres opere situque pene inexpugnabiles, & ceteræ munitiones, quas extra probibus, malis, antennis, triremium remis, emeritarumque nauium tabulis, proris, & puppibus, clauis & carinis construxerant, ac pilis, pellibus, boumque tergoribus stipauerant, multaque terra cooperuerant, diuerberationi & impetui nostrorum tormentorum cederent, collapsæque & conuulsæ, neque onus impositum sustinerent, neque Turcis satis tutum nec firmum consistendi atque resistendi locum, machinasque suas efficiendi potestatem facerent. Quin plurimæ hostium machinæ nostrorum tormentorum ictibus diruptæ, magnaque pars muri turris illius quadratæ solo æquata, nonnullæque quadriremes & triremes, aliæque naues, tam rostratæ quàm onerariæ, pertusæ & dilaceratæ fuerunt. Quę cùm hostes non sine dolore & indignatione uiderent, secumque expenderent, suas munitiones peius fuisse labefactatas, quàm ut ulla instauran- di spes superesset: considerarentque quàm potens & inuictus, & ab exercitu & omnibus bellicis maritimis iuxtà ac terrestribus munitionibus Imperator esset, in sola fuga suo more spem omnem collocauerunt. Imperator qui hactenus omnibus in rebus summa cum diligentia, cura, strenuitate & magnanimitate, uelut Hector quidam, aut monstrorum domitor Hercules, omnia boni Imperatoris, imò & militis munia obiuerat, & quæcunque facturus fuerant necessaria, admonuerat & præceperat, ne quid in ipso desideraretur, dum arx Guletana tormentis concutiebatur, in aggeribus ipsis & propugnaculis constitit, nimirum ut à uerberatione, donec magna ex parte demolita esset, non desisteretur, factaque commoda ascendendi uia, militum saluti in expugnatione eius consuleretur. Tam enim uita militum illi chara fuit, ut nollet uel unius periculo centum Barbaros obtruncari. Contrà milites eo flagrabant expugnandæ arcis ardore, dicam an furore, ut nisi prudentissimus Imperator eos remoratus fuisset, nulla sibi munita uia magno suo periculo eam oppugnassent. Id quod tamen eodem die sub horam secundam pomeridianam, ea animorum uiriumque alacritate & robore factum est, ut quanuis iter ipsum quod sibi munierant non esset satis aptum, aditusque impeditior quam ut commodè eam inuadere possent, tamen scalis muris admotis, facilè mœnia superarint: uictoresque in arce uicta triumpharint. Quadriremes uerò Oenobarbi, aliæque naues quæ in stagnis & sinu Guletano iacebant, paruo negocio in nostrorum uenerunt potestatem, unà cum machinis bellicis, quæ numero, magnitudine, & artificio erant commendabiles: inuenta etiam fuit magna globorum, pulueris tormentarij, & salnitri copia: ita ut abundè facta fuerit compensatio damni & detrimen-

detrimenti, quod nostri acceperant: quoniam nonnullæ naues ipsorum aduersariorum machinis partim depressæ, partim laceratæ, & diruptæ fuerunt. Hostes qui alioqui in defendenda arce strenuos sese, & rei militaris experientissimos exhibuerant, omni spe recuperandi ea quæ amiserant abiecta, fugæ se dederunt: quamlibet nihilominus fuerant agilles & ueloces, non tamen sic præcurrere potuerunt, quin plurimi & terra & per stagna in ipsa fuga à nostris anteuerterentur. Vbi magna cædes hostium quamuis fortiter repugnantium, facta est. Quantum doloris, indignationis, animiq; impotentiæ, atque ægritudinis impurissima illa belua ac Christianismi pestis maxima Hariadenus Oenobarbus ex strage suorum, rumoribusq; amaris & iniucundis, qui ad eum de detrimento accepto, factaq; iactura perferebantur, conceperit, facile est uniquique coniectura consequi. quin plurimi captiuorum qui in triremibus Cæsaris uincti asseruabantur, propter fugam commilitonum suorum & rem male gestam, eò deuenere furoris & desperationis, ut manus intulerint, præcisoque iugulo mortem sibi consciuerint. Dum hæc ante Guletam geruntur, Muleasses Tunetensium rex, cum aliquot Mauris cognatis suis & affinibus in castris Imperatoris regio more tractabatur: assignatis illi ministris, qui eidem inseruirent & administrarent. Decumbebat autem in tapetis humi stratis, ibidemque prandebat & cœnabat, eo corporis habitu, ut manus & pedes iuxtà mappæ essent propinquæ, atque inter agendum, alterum pedem manu tractabat. Quod nostratibus uisum fuit nouum, sed is mos est illis patrius & gentilitius. Similes erant gestus & mores Maurorum, qui circum Regem suum sine ullo discrimine iacebant semilaceri & nudi: qui nonnunquam rupto silentio clarius ipso Rege simul omnes uociferabantur. In Rege uerò maiestas quædam & seueritas, quam reuerearis, non formides, semper relucebat: Ac ne tum quidem ulla extitere indicia, Satrapas regni Tunetei eo esse animo ut regi suo ferre uellent suppetias: licet ipse interim dissimularet, diceretq; se à quibusdam Numidarum suorum accepisse literas, quibus pollicebantur se illi auxilio adfuturos, atque adeò tunc fuisse in itinere. Imperatori non uidebatur consultum eiusmodi arundineo, baculo, ficulneoq; præsidio niti: uerùm quod res erat suspicabatur, Satrapas puta & Numidas illos exspectaturos, quò oppugnatio arcis Guletanæ euaderet. Atqui ne expugnata ea quidem ullum argumentum fauoris, bonæq; uoluntatis ab illis erga Regem ostensum est. Cui regi pro miraculo quodam & ostento fuit uidere prosperum successum & gloriosam Imperatoris uictoriam. Quibus gaudijs, iubilis, acclamationibus milites Cæsariani tam insignem, tam inauditam uictoriam concelebrarint, malo unicuique suo cum animo reputandum relinquere, quàm pauca scribendo rem ipsam eleuare. Vbi tam tutus in arcem pateret accessus, uidisses plurimos agminatim illò adcurrere, tum ut arcē ipsam, tum ut munitionū ruinas & reliquias damnaq; data uiderent. Est autem arx Guletana turris quædam quadrata, admirandæ crassitudinis, altitudinis autē duarum contignationum, ambitu interiori complectens passus quadraginta, exteriori uerò & in frontispicio circiter quinquaginta. Intus est Cisterna quædam insignis, quæ totius ædificij aquas pluuias excipit: sunt & fornices quidam concamerati, in modum promptuariorum penui & annonæ conseruandæ exstructi: è quibus quicquid auferri potuit, à stipendiarijs quibusdam & legionarijs compilatum & conuolatum fuit. Erat in eadem arce magnus numerus arcuum & iaculorum (nam in dimicando ferè arcubus utebantur) è quibus iaculabantur tela oblonga ferro peracuto in extremitate armata, quod in uulnere quod fecerant extractis telis permanebat. Inuenta sunt quoque tormenta cùm minuscula, tum maiuscula, circiter quadraginta, inter quæ unum fuit prælargi orificij, quod ejicie-

bat globos ferreos amplitudinis latissimi pilei: fuerunt & ex præcipuis non pauca alia, passim liljs, alia salamandræ figura, & duplici digammate Aeoli co. ff. insignita, quibus in altero latere insculptum fuit, aut infusum, hoc elogium literis Romanis, Nutrisco & extinguo: in altero latere, alterum elogium literis Arabicis. Non arbitror neque alitis uolatu, neque sinistro cantu oscinis, neq; tripudijs solistimis opus esse, ut augureris, & diuines, unde tormenta illa eiusmodi notis & elogijs notata, allata, aut cuius iussu & impensis illic fuerint fusa. In confesso est omnibus, bellicas expeditiones, castrorum & arctum oppugnationes, militares congressus, conflictationes, incursiones, & inualiones, non fieri sine reciproca utriusque partis iactura: fereq; usu uenire, ut periculum non sine periculo uitetur, quo factum est ut ex militibus Cæsarianis multi fuerint desiderati, plerique grauiter uulnerati & saucij, alij puluere tormentario temerè accenso, alij eminus iaculis, & minorum tormentorum glandibus, alij cominus gladijs, gæsis, contis, & lanceis: nonnulli maiorum tormentorum iaculationibus partim manus, brachia, pedes & crura, partim coxas & fœmora reportabant aut planè rupta, aut saltem luxata. Nec defuerunt, quibus certæ corporis portiones fuerunt machinarum ictibus ademptæ. Inter quos Hispanus quidam (ut scribit Consentinus) humilis fortunæ, sed animo Thebano illo, tantopere multorum historijs concelebrato, non inferior: dum fortè cruribus simul cum fœmoribus globo æneo è tormento emisso, truncatur, simulq; tormentum minusculum, quo utebatur, è manibus illi excutitur, plus sollicitus de suo tormento quàm uita, undique circunspectat tristis, uisumq; (manibus reliquoq; corpore sese illuc ut potuit aduoluens) hilaris brachiorum sinu uelut deosculabundus complectitur, & quasi re salua uitam exspirat. I nunc & mirare Epaminundam illum, qui rogauit moriens, an clypeus esset saluus, & an pro patria staret uictoria. Habes Hispania, unde (quanuis alioqui satis laudis auida) gloriari, & cristas tollere queas. Plerisque certa membra sic erant concisa, ut solùm à neruo aut particula cutis dependerent, quibus industria chirurgorum id quod dependebat, nec spes erat fore ut alteri membro coalescere aut conferruminari posset, præcidebatur, reliqua parte ferro ignito ne sanguis immodicè efflueret, adusta, adeò ut miserum & iucundum esset spectaculum illorum uidere calamitates, ac audire quiritationes. Et quamuis in castris plurima essent loca recipiendis saucijs, truncis & luxatis, aut alioqui uulneratis destinata, eisq; præfecti medici, chirurgi, myropolæ & administri, tamen fieri non potuit quin plerique uitam cum morte commutarent. Fœlices sanè & fortunati, qui puta ea gratia morti sese obtulerant, ut Domino Iesu Christo Seruatori & Redemptori suo litarent, quorum corpora in glarea & arena condita & sepulta fuerunt, animæ Dei Opt. Max. misericordia uiuunt in æuum. Imperator optata potitus uictoria, Guletam præsidio sexcentorum militum legionariorum munit: cadauera hostium cæsorum quæ plurima inuenta sunt, equorum item & camelorum, in altissimis scrobibus infodi iubet: ne fortè ex fœtore corrupto & infecto aëre, lues aliqua in exercitu suboriretur. Christianorum autem qui in ea expugnatione desiderati sunt, corpora, religiosè condita fuerunt, crucibus in tumulis eorum infixis. Idibus Iulijs, qui dies proximus fuit à uictoria, Imperator conuocato concilio Ducum, antesignanorum, primipilorum, decurionum, centurionum, & eorum qui illi tam in publicis quàm priuatis negocijs à consilijs sunt, cum illis consultat & deliberat, quid potissimum facto opus sit, ut non solùm uicerit, uerumetiam uictoria uratur. Ibi sententijs uariatum est: alijs suadentibus, ut quasi re perfecta in Hispaniam redeat, alijs contrà reclamantibus, operam illi & impensas perijsse nisi Tunetum etiam capiat, & ni omnes insu-

las

las propinquas à quibus periculum immineret, in poteſtatem ſuam redigat. Vi
cit poſterior & quidem ſanior ſententia. quare ſigno dato imperatum eſt, ut o-
mnes Tunetenſium expugnationi ſeſe accingerent. Decimoſexto kalend. Au-
guſti manipuli aliquot & cohortes peditum Germanorum & Hiſpanorum,
Tunetum uerſus progredi cœperunt, trahentes ſecum duodecim tormenta bel
lica, quos Imperator cum reliquo exercitu ſequi decreuerat: ſed quia ab itine-
rum peritis poſtea illi renunciatum fuerat, uiam quę ab illo latere Tunetum du
cebat, impeditiorem magiſq; ſalebroſam eſſe, quàm ut commodè illàc exerci-
tum ſuum traducere poſſet, eandemq; inſidijs alijsq; mille periculis aptiorem
eſſe, quàm alteram: iuſsit eos qui præceſſerant reuocari, qui ſine ullo detrimẽto
machinas in caſtra retraxerunt. Decimoquinto kal. Auguſti, & die proximo,
plurima tormenta maiuſcula cũ globis & puluere tormentario alijsq; rebus ad
expugnationem arcis Guletanæ è nauibus exportata, rurſus in eaſdem expor-
tata ſunt. Cùm hæc aguntur, Imperator cum ſuis, uarijs curis angit̃, profectioq;
Tunetenſis mirè ipſum ſollicitat. Principiõ, uidet quæcũq; Muleaſſes de Numi
darum propinquorum, ſuburbanorum, atq; oppidanorum auxilijs magnificè
iactitaſſet, uana eſſe omnia & mera ſomnia, cùm nemo illorum ſigna ulla fauo-
ris ſubſidijue in illum uſq; diem erga Regem ſuum præ ſe tuliſſet, neq; pro ipſo
quamuis ſumma oblata fuiſſet opportunitas, contra Oenobarbum arma ſum-
pſiſſet. Proinde nõ oſcitanter ſecum expendens q; grauis & difficilis ſubeunda
eſſet prouincia, tum quòd longius à mari abſtractis, periculũ eſſet ne ſatis com-
modè commeatus aſportari poſſet, ac quòd in tota illa regione rari admodum
eſſent putei, à quorum aditu hoſtes ipſos facilè prohibere, aut eoſdẽ ſaltem infi-
cere poſſent & uitiare, dulcium aquarũ laborarent inopia, tum quòd machinæ
bellicæ propter iumentorum ſarcinariorum penuriam, manibus militum terre-
ſtri itinere pertrahi debuerant: contrà, cùm illi in mentem ueniret, Oenobarbo,
niſi ex Barbaria exturbaretur, maximam relinqui opportunitatẽ in fines Chri-
ſtianorum oraſq; maritimas Cæſareæ ditioni ſubiectas incurſandi, omniaq; pe
ius quàm prius (utpote qui damno accepto eſſet irritatus) perturbãdi: miſerere-
turq; fortunam Chriſtianorum, qui Tuneti pedore & ſqualore obſiti in carcere
& uinculis degebant. miſereretq; ipſum regis qui è regno exactus omnibusq;
fortunis ſuis ſpoliatus, ab unius Imperatoris penderet miſericordia & auxilio:
conſultiſsimum uiſum fuit capto Tuneto, Oenobarbum opprimere aut expel-
lere, Regemq; reſtituere, ut tanto beneficio deuinctus & obligatus Reip. Chri
ſtianæ, Imperatori, eiusq; ſucceſſoribus, ſocijs & amicis, perpetuò confœdera-
tus, neq; unquam benefactorum à Cæſarea Maj. acceptorum, obreperet illi obli
uio. His omnibus æqua lance expenſis, cõſtitutum fuit aciem ordine inſtructã,
per alterum Guletæ latus, quod illud iter magis eſſet peruium, neq; tam multis
periculis expoſitum, Tunetum uerſus deducere: principe Melphiæ cum cuncta
claſſe, Guletæ relicto, cui hoc præcipuè curæ eſſet, exercitum commeatu & an-
nona proſequi, & de recentibus aquis alijsq; requiſitis, per ſtagnum quod Tu-
netum ducebat proſpicere, omniaq; munimenta quæ pro arcis Guletanæ diuer
beratione & excidio è nauibus elata fuerant, cũ tormentis quæ in ipſa arce deui
cta, inuenta fuerant, eiſdem ut inferrentur operam dare. Decimotertio igitur
kalend. Auguſti, Imperator claſsicum cani, totumq; exercitum in formam iuſtę
aciei inſtrui iuſsit, qui per omnes ſuas partes digeſtus, progredi cœpit, ſex tor-
mentis maioribus, totidẽq; mediocribus, brachijs & robore militũ pertractis,
commeatuq; quinq; dierum ſecum allato. Imperator, cui præter cæteras res cor
diſſimi, à ſummo capite imum uſq; calcaneum armatus, per ſingulas turmas, co-
hortes, & legiones, non ſine ſummo ſpectantiũ gaudio obequitare, manipulos
cõcenturiare, phalanges cõdecuriare, omnesq; bono animo eſſe, certãq; ſibi cũ

Dei adiutorio uictoriam polliceri. Iubere deinde ad cataphractos redire, & unumquemque sui muneris & functionis admonere. In progressu autem, ipse sublimi conspiciendus in equo, uexillum primarium, quod Domini nostri IESV CHRISTI crucifixi habebat effigiem, antecedebat: quem quicunque conspicabatur, immensa perfundebatur lætitia, feruentissimoq; inflammabatur ardore & desiderio: ad extremum usque habitum pro Christianissimo, uti pro focis & aris præliandi. Cumq; eo ordine ad duo processissent miliaria, ecce Turcæ & Mauri, ex oliuetis ubi delituerant emergentes, & hac illac per uiam cursitantes, nostris sese prodiderunt. Erat non procul illinc in eodem itinere Oenobarbus cum sex milibus Turcarum, Maurorum uerò & aliorum partim equitum, partim peditum, milibus centum. Imò relatu quorundam Christianorum, qui Tuneto in Christianorum castra profugerant, cognitum fuit Oenobarbum habuisse plus centum quinquaginta milia militum, equites scilicet ad milia uiginti, reliquos pedites. Quod tantò credere procliuius fuerat, quòd ipse Oenobarbus duobus diebus proximis omnes copias suas recensuerat, & Numidas, quos nunc Arabes uocant, Maurosq; omnes militari sacramento auctorauerat, secumq; consequi coëgerat, acieq; instructa, cum Imperatore confligere, imò & castris exuere decreuerat: in eum namque finem castra sua uallis, fossis, aggeribus, & turribus munierat, machinasq; in propugnaculis collocauerat, eo loco nostros exspectans, quà illis uellent nollentiter faciendum esset. Imperator per quosdam exploratores curauit agmini suo prospici de loco ubi pernoctaret accommodo multum & apto, tum quòd ibi tutior fuisset ab hostium incursitationibus, tum quòd multos dulcium aquarum puteos illic inuenisset. Verùm hostes re animaduersa, quia nostri lentius promouebant, quòd tormenta sua robore brachiorum trahere debuerant, facilè locum illum præoccuparunt. Imperator uidens in celeritate spem uictoriæ consistere, magnis itineribus multo conatu pertractis machinis ad locum pugnæ accelerabat. quò cùm uentum est, principiò bombis & tonitru tormentorum eiaculatorum se mutuò salutarunt: deinde signo dato, magnis utrinque animis & uiribus eminus, tormentis, telis, iaculis, fundis: cominus hastis, gæsis, malleolis, sicis, & uersis gladijs, acriter pugnatum est. Quo in conflictu, tanta animorum alacritate Cæsariani rem gesserunt, ut quanquam ex continuo itinere lassi & opere fatigati, cum integris, nihilq; quod non (absit uerbo inuidia) fortissimos & strenuissimos milites facere deceret, molientibus, dimicarent: tamen ruptis ordinibus cedere, magnoq; tormentorum numero amisso, tergauertere compellerent: qui quanquam ad teli iactum abacti, sese colligerent, & uelut bellum redintegraturi, tormenta quæ reliqua habebant exonerarent, roburtamen & alacritatem animorum, disciplinamq; militarem Cæsariani exercitus considerantes, mutata sententia, fugerunt: relictisq; impedimentis, & proiectis hastis, cesserunt arenæ. Milites Cæsariani quamlibet ex itinere æstuq; intolerabili propemodum enecati, ea tamen alacritate cum hostibus congressi sunt, ut plurimos occiderint, reliquos in fugam conuerterint, multò maiorem facturi stragem, nisi præ siti & calore immodico tantùm non exanimati, ab hostibus persequendis sibi temperare, & reficiendis corporibus nonnihil sibi dare debuissent, cuius rei gratia ibi pernoctarunt. In prima illa dimicatione ex Christianis non plures octo desiderati sunt, neque ij milites, sed uiri & mulieres qui sarcinas adferebant, & à uia militari aberrauerant. Fuit autem illis in loco tanta dulcium aquarum penuria, ut exhaustis fontibus & puteis quos reperant, limum ipsum bibere sustinuerint. Imò plerique militum quibus ad puteos patebat aditus, sudariola & induviorum extrema, terræ ex aqua quæ ex situlis alijsq; uasis haustorijs aufugerat, humectatæ, impresserunt, oriq; admota suxerunt.

luxerunt, alij hauſtum aquæ frigidæ, aut citreum malum, aut ſimile quiddam, quo ſitim leuare poſſent, precio multorum aureorum redimere uolentes, uenditorem non inuenerunt. Vidiſſes animoſos milites illos qui paulò antè inuicti, copioſum illum Oenobarbi exercitum conuerterunt & profligauerunt, nunc ſiti, fame & æſtu intolerabili uictos, eò deueniſſe impotentiæ animi, ut non temperarent à conuicijs, maledictis, & miſeris complorationibus. Audiſſes eos caput regis Tunetenſis mille diris deuouere, quòd promiſſa non præſtaret, Cæſareumq; exercitum annona & commeatu non adiuuaret. O miſeram naturæ humanæ conditionem, quæ eiuſmodi neceſsitatibus ſit obnoxia, quas uicisſe Herculis cuiuſdam aut Samſonis ſit uirtus. Sed conſpecto Imperatore, abſtinuerunt à querelis, fuitq; inter tot murmurantium milia ſilentium plus quam Pythagoricum: tantum potuit unius capitis præſentia. Duodecimo kalend. Auguſti, Imperator iam cœlo albeſcente, copias ſuas eo ordine, quo die ſuperiori, Tunetum uerſus produxit, nec ſine cauſa ordinatim inceſsit. Metuebat enim ne qui profugerant, collectis uiribus, alicubi in itinere exinſidijs exiſterent, ſibiq; negocium faceſſerent. Sed nil eiuſmodi accidit: fugerant namque non redituri. cumq; non amplius miliario à Tuneto Cæſar abeſſet, à quibuſdam Chriſtianis, qui ad ipſum confugerant, certior factus eſt, Oenobarbum cum ſuis ducibus, Numidis, & militibus fugitiuis, plurimisq; equis & camelis uarijs rebus onuſtis, ueſpere diei præcedentis in montes proximos ſeſe recepiſſe, primoq; diluculo ad arcem ciuitatis reuerſum, conatum fuiſſe irrumpere, omnemq; theſaurum auferre, & multa quæ ad defenſionem arcis pertinebant, igni perdere. Sed Chriſtiani qui illic in neruis & compedibus detinebantur, plus minus uiginti milia, metuentes ne uiui comburerentur, quod Oenobarbus ſeſe facturum minitatus fuerat, præſidio diuino, in quo ſpem omnem collocauerant freti, & adiuti, fractis manicis & pedicis, occluſisq; caſtri ualuis, Oenobarbum ab ingreſſu arcis prohibuerunt, applicitisq; tormentis ſuis locis, acceptisq; armis quæ ibi inuenerant, arcem ualidè fortiterq; tutari cœperunt. Oenobarbus uidens ſe fruſtratum ſua ſpe, metuensq; ne fortè in manus illorum incideret, aut à Cæſarianis militibus opprimeretur incautus, cum primarijs ſuis ducibus Sina Smyrnæo Iudæo, & Haidino Cilice cognomento Cacadiabolo, alijsq; tum Turcis tum Mauris, aufugit quàm potuit celerrimè. Quæ omnia Imperatori per Chriſtianos bona fide renunciata ſunt: neque multo poſt Imperator, uiſo ſigno quod Chriſtiani ex editiſsimo loco oſtentabant (erat autem uexillum candidum, quo ſignificabant turum in urbem patere acceſſum) exercitum ſuum eo ordine quo diebus ſuperioribus antecedere iubet, rectaq; cum eis ciuitatem ingreditur, dataq; Chriſtianis omnibus libertate, lauſtis, gratulatorijsq; omnium acclamationibus excipitur: & turba Chriſtianorum emancipatorum tum manus eius tum pedes pro beneficio maximo ab ipſo accepto, exoſculantium tantùm non premitur. Neque iniuria: nam ſine gloriosa illa uictoria, nullam omnino ſalutem ſperabant: unica illis erat ſalus. In captiuis illis fuerunt nonnulli, qui multis aureorum milibus libertatem ab Oenobarbo redimere uoluerant, ſed nondum cum tyranno ſic redierant in gratiam, quin mallet illos ſqualore & pedore contabeſcere, quàm ullis cum eis tranſigere conditionibus, milleq; crucibus & mortibus excarnificari, quàm ſemel quamlibet crudeli morte trucidare. Inuenti ſunt inter illos Franci octoginta uiri, qui partim cum actuarijs ducis Petrondi, partim multò antè & poſt recepti fuerant: quos omnes libertati reſtitutos ad Velyum, qui tum nomine Regis apud Imperatorem legationem obibat, miſit, ut prima quaque opportunitate in patriam ablegarentur. Inter mancipia fuerunt plerique opifices & artifices Chriſtiani, quorum opera, arte & induſtria, in conſtruendis & armandis

dis nauibus, alijsq; rebus faciundis Oenobarbus utebatur. Reperta sunt in arce plurimæ machinæ bellicæ, uela item & copiosa materia ad noua conficienda, multaq; armorum genera non huius seculi cassides, manicæ, brachialia, thoraces, tibialia dicterijs & elogijs auratis insignita: arcus, tela, balistæ, iaculæ, quæ à tempore sancti Ludouici, qui in conatu expugnationis ipsius urbis dysenteria obijt, ibidem conseruata fuerant. Quæ omnia non sine stupore & admiratione Cæsariani uidebant & manibus tractabant. Post introitum Imperatoris in urbem, ecce tibi miles Hispanus, aliquotq; alij stationarij, passim in ædes magno impetu irruunt, ostia, fenestras, promptuaria, arcas, mercatorumq; officinas & tabernas effringunt, Mauros resistentes occidunt, spoliant, compilant, euerrunt omnia cum puluere. In profundissimis cauernis, penarijs, cellis, imò cisternis & puteis, scrutationem faciunt argentariam. Quid multa? ne à templis quidem & laratijs Maurorum manus abstinent. Sed libros omnes claustris aureis & argenteis nudatos, conscindunt: signa ex marmore, exiaspide subnigro exsculpta, multaque toreumata preciosa auferunt: nihil intentatum, nihil intactum (ut est natio auri auida) relinquunt: præter ædiculam quandam precibus & sacris Christianorum, qui negociationum gratia Regi uectigales erant, consecratam. Mauros item cuiuscunque ordinis, sexus, & ætatis, qui cladi supererant, ad tria in circuitu miliaria conquisitos in ciuitatem adducunt, & sicut aliam prædam parentes in conspectu liberorum, & contrà maritos seorsum ab uxoribus uendunt. Fuit autem numerus mancipiorum precio distractorum decem ferè milium. Multi stipendiariorum à Christianis de thesauris absconditis admoniti, loca subterranea diligenter perscrutantes, multum auri & argenti effoderunt. Sed nec ipsi Christiani recens libertate donati, sibi defuerunt, uerùm magnum auri modum sibi conuasarunt, sic tamen moderatè, ut ex immenso illo opum aceruo, quæ in arce repertæ sunt, præcipui aliquot duces & centuriones, ad multa milia ditati sunt. Fuit autem illa compilatio facta consensu Regis, qui sic suos ultus est, quòd fidem fefellerant, neque cùm successum Imperatoris cognouissent, contra Oenobarbum pro Rege suo arma sumpserant. Eodem die Rex ipse urbem ingressus est, multosque Mauros utriusque sexus, qui illi, dum regnaret, familiares & necessarij fuerant, curauit redimi. Conuasatio illa nil profuit Germanis, quibus solùm permissum fuit esculenta & poculenta rapere, quare malè & incommodè cum illis agebatur, quòd non inuenerant plurimas cellas generoso uino refertas: repererunt nihilominus multas cisternas aquarum dulcium, quarum copia compensare potuerunt, quam in dimicando passi fuerant inopiam. Postridie edicto capitali cautum fuit, ne quis exinde compilare auderet, sed unusquisque ad sua signa rediret, ne nimia illa quiduis audendi licentia in grauius aliquod malum exiret. Imperator quandiu commoratus est in urbe, de omnibus quæ mari, quæ terra geri conueniret, quemadmodum maximè pro loco & tempore expedire putabat, matura deliberatione decreuit & prospexit. Nec rarò Regem ad se accersi iussit, deq; eiusmodi rebus, quæ Reipublicæ Christianæ & nunc & olim utiles & salutares forent, cum eo commentatus est. Sexto kalendas Augusti, relicto Tuneto, omnes copias suas in uicum quendam nomine Ludam, duobus miliaribus à Guleta dissitum reduxit, à quo non procul labebatur riuus quidam aquarum dulcium, qui exercitui Cæsareo magno usui & solatio fuit. Eo autem consilio accelerabat ab urbe abitum, ut ciuibus, incolis & inquilinis, qui aufugerant, dispersique per agros, montes, & conualles, uelut oues sine pastore palantes, huc illuc diuagabantur, pateret reditus. Kalendis Augusti cum acie omnibus suis ordinibus & partibus egregiè instructa, in locum ubi ante Guletæ expugnationem castra fixerat, iuxta turrim

turrim flam quæ ab aquis uicinis nomen sortita est rediit. In itinere inuenta sunt plurima cadauera Maurorum à nostris occisorum, aut quòd uidebantur illis inutilia quædam esse telluris pondera, ex quibus nullum fructum spelem tolerassent, milleque mortis periculis expositi fuissent, sese ulciscerentur: atque inter illa fuerunt quædam mulierum corpora adeò pinguium, ut ubera illis ad coxendices usque propenderent, tibiæque perinde essent crassæ, atque nostræ regionis robustissimorum uirorum fœmora: res certè quæ fidem scriptori meritò abroget, nisi oculorum cognitione contestata confirmataque foret. Imperator ut ea quæ in naues importari & exportari ad Guletæ defensionem necesse esset, commodius deferrentur, iusserat dici cauponibus, cupediarijs, salsamentarijs, œnopolis, & cuiuscunque generis mercatoribus & institoribus, ut tabernis & tugurijs suis, omnes merces suas in nauigia ad hoc destinata inferrent: Verùm cùm segnius imperata facerent, tertio Nonas Augusti edicto cautum est, ut nisi ante ueſperam diei sequentis iussis obedirent, impunè omnia illis expilari & inuitis auferri possent. Qua occasione milites nonnulli insolentiores, & ad rapinam plus æquo propensi (utpote quibus hoc uehementer dolebat, quòd non licuerat ipsis, quemadmodum Hispanis, Tunetensium opes deprædari) commoti & incitati, eò peruenêre audaciæ & temeritatis, ut postridie cum prima luce, in tabernas & officinas negociatorum & popolarum irrumperent, & quicquid esset obuium conuasarent. Qua re cognita imperator illorum petulantiam indignè ferens, conscenso equo, Guletam magna cum celeritate peruenit, & malo illi, creditò citius, obuiam fuit. authores mali, ne impunitas alijs ad similia aut maiora designanda, animos adderet, ac in posterum documentum statueretur, ne quis talem imitaretur amentiam, grauissimas suæ temeritatis dederunt pœnas. Duces quoque, centuriones, decuriones, tribuni, & decani, sub quibus militabant, seueris & acribus uerbis ab Imperatore castigati fuerunt. Imperator omnibus pacatis in castra sua reuersus est. Octauo Idus Augusti, Mulealles Tunetensis Rex in castra Imperatoris uenit, ut quæ prius Tuneti cum Rege, deinde in castris Cæsareis cum aliquot Regis consiliarijs pacta acta, & transacta fuerant, iureiurando confirmaret ac corroboraret: cuius pacti hæc summa est & tenor:

Principiò Mulealles Tunetensium Rex, se ab Hariadeno Oenobarbo genere & natione Turca, regnis suis exutum, & sine ulla spe eadem recipiendi, per dum, fraudem, & tyrannicam inuasionem, ex illis exactum fuisse ingenuè fatetur, numinisque beneuolentia, ac Caroli Quinti Imperatoris semper Augusti armis, ad quem uelut ad asylum quoddam omnibus diuitijs, opibus, uiribus, præsidio, consilio destitutus, confugerat, & in cuius fidem atque tutelam se suamque dederat: quique Guletam firmissimo Turcarum, aliarumque gentium præsidio munitam, omnique apparatu bellico instructissimo armatam, belloque exscidit, impurissimumque Oenobarbum cum cuncto exercitu castris exuit, tergaque uertere compulit: deinde Tunetum cepit: in regna sua se restitutum & repositum agnoscito, tantique beneficij à Deo Opt. Max. eiusdemque fidei atque religionis propugnatore strenuissimo Imperatore semper Augusto accepti memor, orthodoxiæ assertores omnes, cuiuscunque sexus, ordinis, nationis, gratiæ, conditionis, quamlibetque enormis, ac nefandi criminis, facinoris, aut flagitij reos, quos hactenus in regnis & prouincijs suis pro seruis & mancipijs, aut usurpauit, aut uinctos seruauit, gratis sine ullo redemptionis pretio, citra omnem fraudem dolumque malum, liberos atque emancipatos dimittat, atque ut tuti ad suos se recipere possint, præsidio & uiatico eosdem prosequatur proinde, ne idem Rex, aut qui in regnum succedent, quempiam eorum,

qui

qui ditionis Imperatoris aut frâtris eius germani, Ferdinandi Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Regis, nunc sunt, aut quauis occasione in posterum erunt, aut etiam eorundem successorum uiri sint an mulieres, sacri an prophani, iuuenes an senes, exinde pro seruitijs & mancipijs abutuntur, nec in neruis & compedibus uinctos detinento. Idemq; Imperator de Regis Tunetani eiusdemq; successorum subiectis, se facturum pollicetur.

Idem Rex & quotquot post eum regno Tunetensi præerunt, quosuis Christianos in uniuerso Tunetensium regno habitare, conuersari, negociari, suo ritu & religione uiuere, templa, sacella, oratoria, siue monachorum & cœnobitarum, siue uulgi promiscui, manere intacta & inuiolata, nouaq; ædificari & dedicari in locis ubi præfati Christiani domos aut possessiones habebunt, sine ullo obstaculo aperto aut clandestino, permittunto. Nullos item Mauros Christianæ religioni initiatos, siue Valentinæ, siue Bæticæ sint regionis, siue ex alijs regnis Cæsareæ Maiestati subiectis oriundi, ad suaq; regna admittunto, neque profugos recipiunto, quin potius quocunque prætextu illuc transfugerint aut uenerint exigunto, ac tanquam hostes & capitales inimicos, quoties eos ibi aut latitantes, aut negocia & commercia exercentes deprehenderint, persequuntor: nisi forte diplomata syncera & legitima, non inducta, rasa, aut ullo modo uitiata, indulti Cæsarei aut Proregum, Vicariorum, uel Præfectorum prædictorum locorum, ostendere possint. Quia uerò ter ille execrandus Oenobarbus plurima adhuc loca Regno Tunetano & terris Cæsareæ Maiestatis, confinia, cuiusmodi sunt Aphrodisium, Hippo, Bisarta, & nonnulla alia, per uim occupat, unde paruo negocio in regnum Tunetense, & prouincias acsulas Cæsareæ Maiestati subditas, suo more incurrere, omniaq; piraticis prædationibus infestare posset, quod certè tum Imperatori, tum Regi, succulento damno esset: neque sit penes Regem propter incommoda ab Oenobarbo acceptа (qui puta thesaurum omnem tantum non expilauit, omniaq; fœde & nefariè uastauit) prædicta loca etiamnum tyrannidi Turcarum obnoxia, recipere & recuperare, rex eiusdemq; successores quicquid iuris, in ea habent, aut olim habere potuerunt, etiam nunc cùm in manu & potestate Oenobarbi sint, Imperatoriæ Maiestati eiusq; posteris Hispaniæ regibus, pro tuitione regni Tunetensis & protectione regnorum & prouinciarum Reipublicæ Christianæ danto, concedunto, & in eos transferunto. Quòd si Imperator ea loca aut bello aut alio quouis modo in suam ditionem redegerit, eundem & successores tanquam sua cum omnibus prouentibus & emolumentis sine ulla oppositione possidere sinunto, neq; aperto Marte, aut tectis & dolosis insidijs obuiam eunto atq; impediunto.

Sed quoniam res ipsa docuit, plurimum conferre, non solùm ad custodiam regni Tunetensis, uerumetiam ad pacem & tranquillitatem totius Reipublicæ Christianæ, & præsertim tutelam insularum, ciuitatumq; maritimarum imperio Cæsareæ Maiestatis subiectarum, ut Guleta firmis præsidijs & inuictis munitionibus communiatur: ne rursus detur ansa impurissimo piratæ illi Oenobarbo ea recepta & ut prius fecerat, instructissimè munita, regnum Tunetanum denuò inuadendi, locaq; omnia circumiacentia piraticis populationibus uexandi: cumqûe non sit promptum Regi propter cladem & damnum acceptum id facere, liceatqûe Imperatori eam, non sine suorum discrimine & strage ac incredibili sumptu expugnatã iure belli sibi uendicare, rex eiusq; posteri quicquid iuris in eam habent, aut olim habere se iactitare possent, abneganto: & in Cæsaream Maiestatem eiusdemq; successores iam nunc transferunto, ac bona fide cedunto: oppidulumq; ipsum simul cũ arce & agro quaqua uersus ad duo patet miliaria, unà cũ turri quæ ab aquis nomen habet, sine ulla contradictione

dictione manifesta aut clanculária habere & possidere permittunto: ea tamen lege, ut liceat Mauris uicinis & qui ruinas ueteris Carthaginis incolunt, illuc liberé uenire aquatum. Sit præterea integrum Imperatori, & quotquot futuris tetro seculis in demortui locum surrogabuntur, eadem loca prout illis libitum erit, munire. Qui uerò Guletæ in locis uicinis in præsidio erunt, liberam & ab omni uectigali ac tributo immunem, quotiescunque uolent, Tunetum & pagos adiacentes usque, nauigationem habento. Eodemq; liber illis aditus & abitus, conuersatio & negociatio, quidlibet iusto precio absque omni exactione emendi, auehendi, secumq; exportandi, sine ulla prohibitione facultas esto. Sed si præsidiarij arcis Guletanæ, & qui loca uicina habitant, merces aliquas siue Tuneti, siue in alijs regni ciuitatibus, uicis, aut arcibus uendere uoluerint, quod iure & more loci numerari receptum, & à præfecto arcis Guletanæ constitutum fuerit, sine omni dolo & fraude soluant & numerent. Quod si facere recusauerint, aut impostura aliquam in contractibus & pactis fecerint, aut alioqui facinora punitione digna designauerint, is qui tum arci Guletanæ præfectus erit, simili animaduersione qua in Mauros, regnicq; Tunetensi subiectos à Rege aut illius uicarijs animaduerteretur, in illos animaduertito, eademq; pœna mulctato. Præfectus arcis Guletanæ, se hæc omnia sartate ctaq; seruaturum pollicetor, & sacramento atque iureiurando sese obstringito. Placuit præterea Cæsareæ Maiestati, ut contractus & commercia Guletæ & in locis uicinis fieri solita, deinceps more consueto fiant: & quicquid commodi Regi illinc accedere consueuit, omne id in lucrum eiusdem & successorum eius in æuum cadat. Neque quisquam Cæsareæ Maiestati subiectorum, cuiuscunque sit dignitatis, conditionis, uel authoritatis, ausit intercedere aut impedire, quò minus prædictus Rex uectigalia omnia, tributa & portoria: pensationes item omnes, tam mari quàm terra per suos coactores fiscatorios, & æra rios cogi & recipi iubeat, quin potius eidem ut omnia exacta ei persoluantur, consilio, ope, opibus, assistant & suppetias ferant. Ex quibus pensitationibus summa duodecim millium aureorum singulis annis Præfecto arcis Guletanæ numerabitur. Sex puta millia, octauo kalendas Augusti, qui dies Diuo Iacobo sacer est: sex uerò alia, octauo kalendarum Februarij, quo die sunt feriæ conuersionis S. Pauli. Quorum prior terminus, cedet octauo kalend. Augusti anni tricesimi sexti, alter octauo kalendas Februarij anni tricesimi septimi, idq; calculo Romano, & sic deinceps in perpetuum. Publicani uerò & redemptores, quibus addicta erunt prædicta uectigalia portoria, & pensitationes: aut coactores & quæstores, quibus ea cogendi & recipiendi à Rege data erit prouincia, singulis annis, terminis assignatis, loco ad hoc destinato, his quibus eandem summam recipere & illis acceptam ferre, iniunctum fuerit, liberaliter solento. Quòd si in persoluendo cessatores aut reliquatores deprehensi fuerint, illis qui Guletæ & arci præerunt, remq; publicam ibi gubernabunt, officium publicanorum, redemptorum, ac coactorum administrandi, prædictaq; uectigalia & tributa ad plenam persolutionem prænominatæ summæ recipiendi, eosq; qui soluere debent, ad id compellendi ius & fas esto. Proinde, Maiestas Imperatoria omnem negociationem, commercium & contractum Corallionum, quæ in locis iuxta Tunetum & Guletam & alijs totius Regni uendebantur, permutabantur, aut alio quouis modo alienabantur, sibi suisq; successoribus in perpetuũ seruauit & retinuit, omneq; compendium & cõmodum quod exilla negociatione promanabit, ad suam & successorum suorum utilitatem uindicari. Quare nulli mortalium, sit Christianæ, sit Mahometanæ religionis & sectæ, commercia eiusmodi & negociationes exercendi, præter eos quibus ab Imp. Maiestate eiusq; successoribus prouincia illa tradita fuerit, facul-

tas

tas aut potestas esto. Placuit insuper Cæsareæ Maiestati, & cum Rege ea dere conuenit, ut exinde Guletæ senatus & concilium, iudexq; summæ potestatis constituatur, cui nomine Maiestatis Imperatoriæ de controuersijs omnium qui regnis & terris eiusdem Maiestatis subiecti sunt, in quacunque parte aut regione regni Tunetensis negociandi aut contrahendi causa fuerint, iudicandi, pronunciandi, atque in eosdem ob facinora admissa animaduertendi, sine omni appellatione, ac prouocatione, plenum & summum ius esto. Regi autem illiusq; successoribus quominus suo fungantur officio, neque aperte, neque dissimulanter impedire, aut quouis modo prohibere, sed neque ullos ad ipsos confugientes tueri & patrocinari liceto. Atque adeò ut Rex Tunetensis honoris gratia sæpe nuncupatus, eiusq; posteri quotquot illi in regnum succedent, non solùm animo, uerumetiam re ipsa immensa beneficia ab Imperatore accepta, agnoscant: eundemq; uelut patronum & protectorem suum regnorumq; suorum, honorent, colant, & uenerentur: Cæsareæ Maiestati eiusq; successoribus Hispaniæ regibus, singulis annis in æuum, sex equos Maurosq; exquisitissimos, ac duodecim eximios falcones in æuiternam beneficiorum ab eius Maiestate acceptorum, memoriam danto & offerunto. Quæ munera, qui Guletæ præfectus erit, annuatim octauo kalend. Augusti, ferijs Diuo Iacobo sacris, nomine Cæsareæ Maiestatis & successorum eius recipiet. Quòd si præfatus Rex, aut eius successores, dona illa dare neglexerint, quinquaginta millium aureorum mulcta damnantor: qui aurei in rem & utilitatem Imperatoris, & posterorum eius Hispaniarum regum cedent. Sin uerò ad eundem offenderint lapidem, & prædictos equos falconesq; tempore constituto dare contempserint ac refutauerint, summa centum milium aureorum mulctantor. Quòd si fortè tertiò in peruicacia sua & pertinacia obstinauerint, Imperatori eiusq; successoribus regnum Tunetense, omniaq; eius territoria, terras, insulas, & continentes, occupare & tanquam sua possidere ius fasq; esto. Præterea idem Rex, nulla fœdera, pacta, neque ullam societatem, aut sua aut successorum suorum gratia, cum ullis Regibus, Principibus aut Repub. siue Christianæ, siue Mahometanæ religionis cultores sint, in detrimentum & præiudicium Cæsareæ Maiestatis, eiusdemq; successorum, neque icturum se, neq; initurum proinitto. Sed contrà omnibus in rebus, Maiestati eius & auctoritatem comitercolito, ac obseruato, ac quæ profutura aut obfutura eidem nouerit, syncerè & bona fide Imperatori præmoneto, idemq; Imperator regi se facturum pollicetur. Proinde inter Imperatorem & Regem ex fœdere & pacto conuenit, ut inter ipsos successores, hæredesq; ipsorum, eorundemq; regna, ciuitates, prouincias, terras, tam continentes quàm insulas, perpetua indesituraq; coeat & perduret amicitia, iuraq; sint & leges uicinitatis & affinitatis, liceatq; utrisque mari & terra, quascunque merces licitas, ac non prohibitas, inuehere & euehere, importare & exportare, emere, uendere, distrahere, commutare, quauisue alia ratione alienare, & securè, citraq; omne discrimen in utriusque regnis, terris, & oppidis negociandi causa, morari, diuersari, egredi & ingredi, sine omni oppositione, obstaculo atque impedimento. Postremò Rex Tunetensis eiusq; successores, nullis piratis, neque prædonibus, qui myoparonibus prædatorijsq; nauibus mare infestare consueuerunt, nec commeatu, nec alijs quibuslibet rebus assistunto: ac ne in portum quidem, sed nec alios cuiuscunq; religionis, nationis, aut regionis fuerint, Cæs. Ma. aut sociorum confœderatorumq; eius, inimicos & hostes, qui quacunq; uia aut artibus regnis & terris, aut socijs, aut confœderatis, eidēq; subiectis, incōmodare, depopulari, uastare, aut quo quo alio modo nocere studēt, admittunto. Quin contrà, magnis utribus, totoq; conatu eos dē expellunto, & exturbanto, & malè perdunto. Quibus omnib. inter ipsos pactis,

ctis, Imp. & Rex Tunetensis iureiurando se & suos successores obstrinxerunt, fideq; regia, bonorumq; omnium tam mobilium quã immobilium oppigno tatione, ac obligatione, promiserunt, quòd omnia & singula in conuentione & pacto præscripto comprehensa, integrè, inuiolatè, infractè, in æuum firma, rata, sartatecta, sine omni fraude & dolo malo obseruarent: nihil causæ esse dicentes, quin si quispiam illorum per se, aut per alios apertè, aut tectè & clandestinè quidpiam prædictorum uiolauerit, aut uiolari & infringi conniuẽter permiserit, nomini & famæ illius, nota ignominiæ indelebilis inuratur, sacerq; & execrabilis in perpetuum habeatur. In quorum omnium fidem, robur, & testimonium, pariterqùe ut in sempiternum firma sint & rata, Imperator & Rex Tunetensis, duo exemplaria lingua Hispanica, totidemqùe idiomate Arabico descripta, suis chirographis, propriis manibus consignarunt, quibus sigillum suum uterque appendi iussit: quorum exemplarium duo, alterum Hispanica, alterum Arabica lingua scriptum, apud Cæsaream Maiestatem: altera uerò duo, illud Arabico, Hispanico sermone perscripta, penes Regem ipsum successoresqùe eius in perpetuum conseruabuntur. Acta fuerunt ista in tentorio Maiestatis Imperatoriæ octauo Idus Augusti, anno â Domino nostro Iesu Christo nato, milleſimo quingentesimo tricesimo quinto, idqùe calculo Christianorum: Maurorum uerò & Turcarum, Luna sexta mensis Casa, Anno Mahometi ipsorum Prophetæ nongentesimo quadragesimo secundo: præsentibus ibidem & pro testibus accitis & uocatis, simul & semel Nicolao Perrenoto decurione, primarij & intimi consilij Cæsareæ Maiestatis Consiliario, eiusdemqùe sigilli custode, ac libellorum primo præfecto: item Doctore Fernando Guenara, etiam consilij primarij consiliario, & Anthonio Perrenynio Cæsareæ Maiestatis secretario & præfecto: Aluaro Gomesia, & Mahometo Tunetensi, Hamete Gamaza & Abedere Hemio Maiere, clientibus & officiarijs Regis Tunetensis. Tandem denique ut sententia utriusque tum Imperatoris, tum Regis dilucidius intelligatur, conuentum & transactum est inter ipsos, quòd deinceps neque Imperatori, neque eius successoribus licebit, siue per uim, siue alio quouis modo et ratione, ullas urbes, insulas, arces, uicos, pagos, neque ulla loca regni Tunetensis, quæ nunc in manu Regis sunt, & a-ijs post eum regibus succedent, capere, expugnare, aut quauis alia uia occupare: ea tñ lege atque conditione, si Rex & eius successores omnes, & singulas clausulas præscripti pacti inuiolatè obseruauerint. Placitum etiam fuit Respectu Siciliæ sita, quam nunc Turcæ, contra omne ius & fas, præsidio & bellico apparatu bene munitam tenent, in potestatem & ditionem Regis, aut eius successorum uenerit, liberum sit Imperatori eiusqùe successoribus Hispaniæ regibus de ea statuere, quod animis ipsorum lubitum erit, adeò ut si sic expedire illius Maiestatati uisum fuerit, eandem sibi & ijs qui illi in regnis Hispaniæ sint reges aut reginæ, succedent, assignare & seruare bono iure possit.

Quo fœdere & pacto clarè coram Imperatore & Rege, ac utriusq; satrapis & consiliarijs, tam Arabica quam Hispanica lingua recitato, Rex annuit cuncta sibi placere, eductoq; nõnihil è uagina gladio, quem altrinsecus ab humero pendentem gestabat, admota manu chalybi, per Prophetam suum Mahometum, perqùe Alcoranum deierabat, se omnia bona fide & inuiolatè obseruaturum: quæ ubi interpres Imperatori declarasset, ipse deosculata dextra sua, eademqùe intersignio Crucis (quod Decurio quidam ordinis Diui Iacobi, pallio assutum attextũmue habebat) apposita, per crucem illam asseuerabat et iurabat, per se non staturum quò minus fœdus inter ipsos ictum, conditiones-qùe præscriptæ, sine fraude & omni dolo malo seruarentur. Quibus peractis,

Rex ingentes agere gratias Imperatori, pro beneficijs in se collatis, secꝫ multis nominibus eidem deuinctum esse cùm uerbis tum gestu ostendere: tandemꝫ omni cũ reuerentia & honore præfatus abeundi ueniam, Imperatori eiusque nobilibus & consiliarijs Valedicto, Tunetum reuersus est, quem omnes Satrapæ Mauriqúe, qui illum eò deduxerant, (prius tamen manũ Imperatoris reuerenter deosculata, assistentibusqũ e ualere iussis) comitati sunt & domũ reduxerunt. Post abitum Regis, Imperator nihil prius, nihil sibi duxit antiquius, quàm cũ primarijs ducibus & consiliarijs suis deliberare & decernere ea, quæ pro ratione loci, temporis, naturæqúe rerum, facienda essent, præsertim quòd ad ea quæ pro conseruatione Reipublicæ Christianæ & defensione regnorum, regionumꝫ maritimarum eius imperio subiectarum incidere possent: cõsideratáqúe gloriosa uictoria, qua, fauore, gratia, & beneficio numinis potitus erat, turpíque immanissimi tyrãni fuga, detrimentoqúe quod magno suo cum incommodo et ignominia acceperat: nihil tam habuit in uotis, quàm iacente inimico, eiusqúe fractis uiribus, regnum Algeriense, quod per tyrannidem annos iam multos occupat, bello uexare, & si qua posset in potestatem suam redigere. Sed contrà uigilanter & studiose secum expendens, quàm difficilem subiret prouinciam, partim quòd tempus appeteret cùm maria claudantur, partim quòd plærique omnes militum ex nimio æstu rerumqúe omnium penuria, alijs alijs laborarent morbis: bona uerò pars dysenteria, quam ex aquis corruptis & rore nocturno sic copioso ut in corpora militum etiam armatorum & sub pellibus agentium penetraret, contraxerant: tempori & qua prohibebatur suo satisfacere desiderio, necessitati parens, constituit ador nata classe, Sardiniam, Siciliam, Neapolim, Italiam, & loca uicina uisere, ac quæ in illis negligentia administrorum nutabant, fulcire: quæ collapsa fuerãt, erigere: omniaqúe in pristinum statum reponere. Guletæ uerò fratrem Marchionis Mõteiaris Bernhardinum Mendocium cum præsidio mille Hispanorum militum ueteranorum ad labores belli impigrorum, ad pericula fortium, ad usum & disciplinam expertorum, præfecit. adiecitqúe eximios quosdam uiros in munitionibus exstruendis peritissimos, præter alios milites legionari os, quos postea illuc missos curauit. Reliquit etiam ibi Antonium Auriam, cum decem longis triremibus bene instructis, & apparatis. Oenobarbus classem accepta, Hipponem, quam hodie Bonnam uocant, se cum suis recepit. Sed cùm nunciatum illi esset, principem Melphiæ cum quadraginta triremibus circum littora & oras illorum locorum nauigare, omnemqúe regionem illam perlustrare, non expectato illius aduentu aufugit: quò factum est ut ciuitas simul cum arce & propugnaculis sine magno conflictu & negocio, in potestatem Imperatoris uenerit. Vbi præter alia multa, rei bellicæ apta instrumenta magnum numerum tormentorum receperunt: arcí & munitionibus cæteris Imperator de duce & firmo præsidio prospexit. Cum Rege uerò Tunetensi, certis conditionibus (non obstante contractu cum eodem in castris iuxta Guletam facto) de ciuitate conuenit, arbitratus fore ut sic minore negocio ciuitas in fide permaneret, castrumqúe cum propugnaculis ab hostium incursionibus, tutiora essent. Conuentio fuit talis, ut arx & castella in potestate Imperatoris manerent, oppidum redderetur Regi: cui tamen pro conseruatione eorum, octo milia aureorum annuè persoluenda imperãtur: relíquijs annuorum prouentuum & reddituum, quæ summam sexdecim milium aureorum excedere dicebantur, eidem relictis. His omnibus absolutis, Imperator cogitare cepit de remittenda classe Lusitanica, unà cum sororio suo infante Portugaliæ, qui in expeditione & expugnatione Guletana & Tunetẽsi, egregiũ specimẽ sui ostenderat, neqꝫ unquam latum unguem ab Imperatoris latere discesserat:

cui

cui Imperator omnia humanitatis officia, non secùs atque si frater eius fuisset germanus, exhibuerat & præstiterat: uisum præterea fuit partiri exercitum, bonamq; eius partem cum tyrocinio Hispanico, leuisq; armaturæ equitatu, Duce Marchione Monteiaris in Hispaniam remittere, Guleta interim arceq; & propugnaculis Bonnæ, firmis præsidijs, tormentis, commeatu, cæterisq; rebus quibus opus esset, abundè prouisis, & diligenter communitis.

Proinde cùm Imperatori pro certo nuntiatum esset, Oenobarbum per Iudæum & Cacciadiabolum primarios suos duces & antesignanos quindecim actuarijs longis in portum Algerienſem præmisisse, ubi præter undecim alias, & duas quæ in Insula Meninge quam hodie Gelues dicunt, quiescebant in anchoris, habebat rostratas, onerarias, & celoces plurimas, quæ omnia cùm illi lubitum esset, armare, & ad excursiones, piraticamq; faciendam adornare poterat. Imperator uolens regno Tunetensi, oppidis, arcibus, & portubus conterminis, tranquillitatiq; Reipublicæ Christianæ bene prospectum esse, quindecim triremes Hispanicas, decemq; alias ex portu Guletæ, Bonnam misit. Ipse uerò, dum reliquiæ exercitus se præfectioni accingũt, classisq; longarum nauium, cui Princeps Melphiæ præfuit, quasq; Itali, Neapolitani, Siculiq; miserant, instruitur: duas illas turres, quarum alteram diximus à sale, alteram ab aquis nomen habere, à fundamentis demoliri, ueredariosq; & cursores, qui illũ parta uictoria à Tuneto redire nuncient, in omnes regiones ditioni suæ subiectas, excurrere iussit et imperauit. Decimo sexto Calendas Septembres, summo mane cuncta classis facit uela, & prospero uento in portum quẽdam, cui à croco nomen fuit, triginta millibus passuum à Guleta distantem, recto cursu defertur. Vbi iactis anchoris, ex fonte quodam uicino aquas recentes in naues omnes conuehunt, reliquasq; quas à tergo reliquerãt, cõmorantẽ. Quibus 14 Kalẽd. Septemb. appulsis, Impator ꝓfectionẽ susceptã ꝓsequit: rectaq; sicut constitutũ fuerat, ad oppidũ cui nomẽ Africa, cursũ dirigit, q̃d oppidũ lit certissimo Turcarum præsidio munitum, quia tamen regnis Siculo & Neapolitano formidolosum fuerat, eadem opera, utpotè data opportunitate, pro cõmoditate utriusque regni oppugnare, & si qua posset in potestatem suam redigere statuit. Cumq; ad duodecim millia passuum promouissent, quia uẽti contrarij in puppim feriebant, nauigare desitum est: & quanuis longæ naues, minoresq; actuariæ, remis prouehi poterant, quia tamen id alijs quibus flamine ferente & secundo opus est, negatum fuit, uisum est ea quæ adhuc à tergo erant, ibi expectare. Quibus duodecimo Kalẽd. Septembris applicitis, ad castrum quoddam Calinea nomine remigatum est. Sub uesperam uerò, turboquidam & tempestas uentorum sic impetuosorum erumpere cœpit, ut onerariæ, hippagines, frumentariæ, cæteræq; eiusdemq; generis cogerentur uel inuitæ uela uentis dare & uorticosos Siculi maris gurgites traijcere.

Imperator uidens se sine nauibus illis, quæ militem, tormenta, commeatum, reliquaq; quibus ad bellum gerendum opus est uehebant, non posse uoti compotem fieri, expassis uelis illa sequutus est: superatisq; Siculi maris contortis uorticibus, undecimo Kalend. Septembris in portum Drepani, quæ Siciliæ ciuitas est, cum cunctis longis suis nauibus, alijsq; actuarijs peruenit: ubi nonnullas onerarias & liburnicas reperit: ex reliquis, aliæ Panormum, aliæ Neapolim, tempestate uentorum detrusæ sunt. Erant à tergo & aliæ naues, quibus legiones aliquot militum uehebantur, quæ uento obtemperantes pleniore uelorum uectæ, & in apertum pelagus non procul ab oppido Aphrica depulsæ, quatuor diebus illic iacebant in anchoris, donec per celocem quãdam ea gratissam, nunciatum est illis, Imperatorem cũ reliqua classe portum Drepanij occupasse. Quò uelis factis, non multò pòst saluæ applicitæ sunt. Imperator

dum in arce Drepani cum ducibus & consiliarijs deliberat, quid præterea facto esset optimum, secumq; perpendens iam propè esse autumnum, magnoq; constiturum si tantum exercitum in hybernis continere uellet, consilio principis Melphiæ, aliorūq; ducum & consiliariorum, iubet militibus sua numerari stipendia: adiecto unicuique profectionis gratia, non pœnitendo auctario, & omnes in suam quemq;, sine rapina & concussione, redire regionem: Seruatis apud se duntaxat aliquot ueteranorum Hispanorum manipulis & cohortibus, ac duobus milibus Germanorum, sed selectissimorum. Imperator quanuis exundantis æquoris, furentiumq; uentorum intemperie & importunitate ab Aphricæ urbis oppugnatione prohibitus esset, considerans tamen situm illius ciuitatis, summamq; quoquo tempore ex ea in regna sua incursandi opportunitatem, uolens regiones illas omnes maritimas tam præsenti malo & periculo liberare, decreuit eam bello lacessere, confidensq; cùm cœli tem poris occasione, tum diuini numinis fauore, fieri posse, ut expugnari posset, Andreæ Auriæ eam tradidit prouinciam: traditis illi præter lōgas naues quibus Drepanum aduenerat (nam aliæ quas Pontifex miserat, in Italiam redierant, aliæ uerò recens ædificatæ, partim remigibus erant destitutæ, partim reficiendæ & instaurandæ) decem onerarijs, militibus, machinis, conuectis annona, alijsq; rebus ad eiusmodi expeditionem accommodis, instructis & onustis. Quibus constitutis, relicto ibi principe Melphiæ, cum Ferdinando Gonzaga, alijsq; rei militaris experientissimis exercitatissimisq; & ducibus & militibus, pridie Kalendas Septembris soluit Drepano, & octodecim millia passuum progressus, in Insula cuiusdam uici, cui nomen Innichium, pernoctauit. Inde in oppidum Alcanium. Tertio uerò Nonas Septembris, in locum quendam longe amœnissimum, Montregalem appellant, traiecit. Est autem locus ille in editiore colle situs, multisq; limpidissimi fontib. irriguus, unde facilis in ciuitatem Panormum prospectus est: adeò ut naues & quæ in portu sunt, & quæ aliunde inuehuntur, paruo negocio illinc uideri queant: licet interim Panormus ipsa sit sublimibus montibus & rupibus circummunita, multisq; uiridarijs & plantarijs ex oleis, uineis, malis citreis, alijsq; arboribus nimiquā pulchrè uestita. Sed præcipuum amœnissimi loci illius decus & ornamentum est sedes Archiepiscopalis, cuius annuus redditus est ualoris triginta millium aureorum: templum cùm ipso opere tum uetustate (nam & ætas ipsa quibusdam rebus addit precium) nobile & suspiciendum, plus nanque trecenti quinquaginta anni sunt, cùm primùm ædificatum fuit. Tota templi moles nititur columnis aliquot ablongis, nō structilibus, sed uno scopo à basi ad capitulum usque constantibus: parietes & pauimenta opere museaco & uermiculato mirè sunt depicta, columnellas uerò illas, quarum antè meminimus, emblemata iaspidibus, chrysolitis, sardonychibus, & id genus præciosis lapidibus, tum marmore uiuo & lapide Pario expressa, columnisq; sic insecta, ut natiua esse putes, eximiè & magnificè exornāt. Res utiq; magno æstimanda, & spectatu admirationeq; dignissima. Libet hîc Drepani descriptionem inserere, quòd locus sit multorum cùm poetarum, tum historiographorum, & geographorum monimentis commendatus. Ciuitas est elegantissimo portu insignis, qui in modum falcis curuatus est, unde nomen habere magis est uerisimile, quàm à Saturni falce. Nam totum illud poeticum est, aut ut illis est solēne & translatitium, physicum quiddam morale iucundo fabulæ inuolucro, ab amusorum oculis & intellectu abditum. Indigni enim sunt, qui illotis manibus tam sacra tractent mysteria. Habet p propugnaculo turrim quandā rotundam & uastæ molis non longè à portu erupe quadam immani excisa, unde ex omni parte possis quamlibet ingentes tormentorum globos in mare ejicere.

Qua

Quâ uerò terrestri itinere Panormum itur, arcem habet turribus, munitionibus, armis omne genus, tormentis, puluereq; tormentario bene munitam. Quadringentis passibus ab urbe, mons est arduus olim Eryx dictus, nunc à D. Iuliano, qui illic ædem habet, nomen sortitus est. Eodem in monte ciuitas illius cognominis, Veneris templo quondam nobilis, unde poetis Ericina, dicitur. Non procul ab eodem monte arx est, in prærupta rupe exstructa, dubium an excauata: inaccessa illa quidem nisi per ponticulum concameratum, quâ ex Drepano in eam arcem unicus ille patet aditus. Sunt qui certissimum esse putent illic habitasse Eneam. Ego potius crediderim à Troia profugum ibi ab Aceste acceptum fuisse hospitio. Ex monte illa consueuit Drepanum usq; fons quidam per aquæductus defluere: quem triginta castella, quadraginta aut ad summum quinquaginta passibus à seinuicem distantia, opere arenato & lapide cocti li cõstructa, excipiebant, ut impetus aquarũ per angustas illas fistulas ebullientium, laxis castellorum receptaculis exceptus frangeretur, & rursus per riuos & tubo euomebant. Proximè Drepanum in agro qui respicit orientem ubi mare tranquillius est, quàm ex aduersa parte, uiuntur stagna quædam altitudinis ut summum quatuor pedum, alia magnitudine unius iugeris, alia minora aut maiora, quas salinas uocant, in quæ stagna aqua marina per ductus latentes & abditos influit: qui lacubus repletis clauduntur, aqua autem ardore solis concrescit, ducitq; crustam salsam in formam cristalli, crassitudinis trium aut quatuor digitorum: quæ crustæ iussu Dominorum, quorum sunt salinæ, exscinduntur, & in terra proxima per aceruos & altos cumulos constipantur: sal ipsum obducta crusta ad quindecim annos plerũq; nec læsum nec uitiatum conseruatur. Est autem illis in locis tanta salis abundantia, ut plus illic auferas quadraginta aut quinquaginta, quàm ex Burgũdia aut aliunde ubi sal conficitur, quingentis aut sexcentis aureis. Est autem Drepani ager siue territorium, sicut & totius Siciliæ, armentis & gregibus perabundans, optimiq; frumenti feracissimum. Imperator pridie Nonas Septembris usque Monregali commoratus, eodem die magno gaudio & plausu tam sacrorum quàm prophanorum, Panormi fuit acceptus: aduentum sui principis multò sibi gratissimum & iucundissimum esse, multis argumentis, ut bonos subditos decet, ostendentium, gloriosamq; illi uictoriã ex animo gratulantium: quam nimirum toti Siciliæ, cuius Panormus ciuitas est primaria, multum utilitatis & securitatis allaturam esse probè intelligebãt. Statim ab Imperatoris ingressu, totius Siciliæ conuentus illic habiti sunt: ubi communi consensu, præter canones, oblationes, & indictiones solui solitas, Imperatori pro munere honorario, ducenta quinquaginta aureorum milia obtulerunt: & intra quadrimestre sine fœnore & usura numerauros polliciti sunt. Qua re facilè & perspicuè docuerunt, quo animo & affecti erga principem suum essent animati & affecti. Imperatori donec Panormi esset, hoc præcipuè studio fuit & curæ, ut statum totius regni, negligentia, dubii, an auaritia gubernatorum labefactatum, & propemodũ collapsum, fulciret ac restitueret. Quia uerò senserat & ipsa experientia didicerat, indulgentiam senatorũ ac magistratuum cõniuentia, eò licentiæ uentum esse, ut passim tam intra quã extra ciuitatis pomeria, grassationes, latrocinia, cædes fierent, nec nisi q; uiolenta matronis seu puellis innuptis impunè inferretur, aliaq; magis abominanda committerentur, ac designarentur, quanta potuit prudentia & moderatione malo illi occurrit: plurimosq; tum nobiles & gentiles, tum ex uulgo promiscuo ignotos & ignobiles comprehendi, ac in nonnullos eorum capitaliter animaduerti iussit. Postquam uerò Ferdinandum Gõzagam, uirum multa prudentia & rerum experientia præditum, cuius fidem, fortitudi-

nem & salutatis consilia in expugnatione illa Tunetensi expertus fuerat, Prō regem Siciliæ creasset, statuit per Messanā, pridie Idus Octob. Neapolim proficisci. Verùm ea profectio propter negocia alia super alia quotidie emergentia, in duodecimum Kalend. Nouemb. comperēdinata est. Scripsimus supra ex decreto Cæsareæ Maiestatis, principem Melphiæ cum aliis aliquot insigni bus belli ducibus, triremibus, & onerariis, militibus, machinis bellicis, comme atu instructis, Drepani relictum, ut si qua uia posset portum & oppidum Afri cam nomine, expugnaret: uerùm quia hyems instabat, & ab Imperatoris diffef su semper reflauerant uenti, neq; ulla esset statio satis fida, ne longis quidem & actuariis aliis, sed nec lintribus, celocibus, & phaselis: consultius uisum est portius illa tempestate nihil tentare quā cum dedecore & magno fortasis detrimento, operam & impensam re infecta ludere. Placuit consilium illud quoq; Cæsareæ Maiest. quare decreuit ut pedites Germani, qui ea gratia remanserāt, exauctorarentur, & numeratis illis stipendiis cum uiatico domum ablegarentur: Hispani aūt in Siciliam & Calabriam ad sua redirent præsidia, expeditioq; illa in aliud tempus differreret. Princeps Melphiæ imperatis Cæsaris, expletis, terra ad eundem, Panormum est profectus, quò etiā triremes suas curauit adiectas: eōdē Antonius. Auria sex longas naues quib. ex Guleta soluerat, traiecit. Cum quo Imperat. nonnihil collocutus, conuocato cōcilio, deliberauit quid pro conseruatione & tutela Guletę, Bonnæ, aliarumq; munitionum, quæ Barbariæ sunt conterminæ, faciundum esset. Nunciatum nanq; fuit authoribus fidetis certis, ludæū Oenobarbi ducem primarium, decem longis aliisq; nauibus, prædationibus, expilationibus, incursationib. loca illa infestare. Constituitaq; fuit ut princeps Melphiæ & Ant. Auria, cum longis suis, aliisq; actuariis & rostratis numero triginta, militibus, omniq; bellico apparatu bene instructis, à Panormo in Barbariam pergerent: ut scilicet Guletā, Bonnā, aliasq; munitiones ab hostium impressionib. arcerent, omnesq; Mauros sua præsentia in fide retinerent: Simul ut ludæum illum cum sua classe, si fortè habuerint obuium, eū suis castris piraticis exuerēt, aut maiori parte classis depressa, terga uertere cogerent. Huc accessit quòd Oenobarbus absentia Imperatoris frētus, cuius classem è Barbaria soluisse & in Siciliam traiecisse per exploratores suos didicerat, unà cum filio suo, præcipuisq; exercitus sui ducibus, Iudæo & Cacciadiabolo, in Balearibus minoribus oppidulum quoddam, cui nomē Mago, in suam redegerat potestatem: à quo tamen, cùm intellexisset in Hispaniis, Sicilia, & Calabria fieri delectum & conscribi exercitum, aufugit, relicto urbi ximus ludæo, cū triremibus suis, ut maritima loca omnia bello lacesseret. Quibus omnibus semel statutis, princeps Melphiæ, cum Antonio Auria & classe tam longarum & actuariarum, quàm onerariarum & liburnicarum, in quem libet euentum permisit uela uentis, eiusmodi accepta prouincia, ut quemadmodum maximè expedire putaret, castra & arces quæ in fide manere uellent, præsidiis firmaret, petulantiamq; & temeritatem Oenobarbi cohiberet, atque compesceret. His absolutis, Imperator per fines Politiæ, Nicosiæ, Trachynæ, Momachi, Rendachi, & Thorominæ, unde in conspectu est mons Aetna, qui superioribus seculis fauillas ardentes consueuit euomere, mons, inquam ille multorum nobilissimorum scriptorum monimentis celebratus, Messanam uenit. Vbi duodecimo Calendas Nouembres tam à sacerdotibus & clero quàm senatoribus, ciuibus, & uulgo promiscuo, summo cū gaudij & genuini affectus, principem suum indicio & argumento, exceptus fuit. Vidisses pluribus in locis exstructos insignes arcus triumphales, uarijs picturis, emblematis, & uenerandæ uetustatis signis decoratos. Inter quos unus præ cæteris imaginibus Scipionis & Hannibalis, summo artificio ad uiuum in marmore inci-

sis,spectabilis emicuit. Ad nonum Kalendas Nouembres,consules & senatores patricijq; Messani sub horam illam qua Imperator templum erat aditurus, ad palatium in quo hospitabatur accedunt,atq; intrò admissi, Maiestatē eius summa cum ueneratione salutant:expeditionemq; susceptam,partamq; victoriam,oratione Latina ei gratulātur,immortalesq; agunt gratias pro innumeris beneficijs,per eam uictoriam sibi,totiq; Siciliæ collatis. Proinde in duabus pelúibus argenteis deauratis,pro munere honorario, decem milia aureorum offerunt,oblecrantes ut boni æquiq; consuleret,neq; tam donum ipsum, modicum quidem illud & perexiguum,quàm animum & affectum clientum suorum perpenderet. Quibus tanta cum humanitate & affabilitate paucis quidem,suo more,sed efficacibus uerbis respondit, ut eos uelut uoti sui cōpotes à se dimiserit,multoq; uehementiore amore sui animos illorum inflammauerit. Dum imperator adhuc Panormi ageret,postq; eiusdem abitum,plurimi nobiles cùm Hispani,tum aliarum nationum,quorum equi onerarijs transuecti fuerāt,conscensis nauigijs eōdem proficisci constituerunt,Imperatoriam Maiestatem illic expectaturi: uerùm nauibus uixdum in altum deductis,maxima cùm undarum & procellarum,tum uentorum & nymborum oborta tempestas,eas in uarias regiones disiecit. Gubernatores,unusquisq; in ea maris regionē in quam detrusus fuerat,proximum portum capere coacti sunt: uectores, periculorū quibus dum nauigarent fuerant expositi memores, neq; satis tutum putantes denuò sese tam infido elemento credere, terreno itinere profecti,Imperatorem Messanæ inuenerunt, quem illinc Neapolim usq; comitati sunt. Imperator donec Messanæ fuit,singulis diebus conuocato concilio, hoc præsertim curæ habuit,ut quæ Panormi,quantum ad negocia Siciliæ pertinerent statuere cœperat,Messanæ absolueret: Quem Ferdinandus Gonzaga eadem causa Messanam usq; secutus fuerat, nimirum ut Imperatoris uoluntatē animiq; sensum,quoad Siciliæ administrationem plenius & liquidius cognosceret. Octauo die quàm Imperator Messanam uenerat,appulsus est illuc quidam ciuis Romanus Ioannes Petrus Cufarellus,qui à Petro Ludouico Farnesio,in mandatis habebat,ut certior fieret quònam illi ueniendū esset,aut ubi manendū,ut mādata Pontificis Maximi Pauli tertij patris sui,cuius nomine legationem susceperat,Cæsareæ Maiestati exponeret. Rumore nanq; aut thore didicerat,Imperatorem breui relicta Messana,Neapolim uenturum esse. Non abs re fuerit portum,situm,munitiones, aliasq; ciuitatis Messanæ commoditates describere,cuius descriptionis,illum cuius exemplar ferè usq; secuti sumus,authorem habemus,penes quem fidē quoq; rei esse uolumus. Est igit Messana siue Messenia ciuitas in extrema parte Siciliæ,quà Neapolim spectat, sita:ad cuius muros,suas ,pcellosas undas & furiosos æstus,mare allidit & frāgit,portum habet plus trecentarum maximarū nauium capacē. In portu ipso insulam habet lætissimis pascuis uberrimam,latitudinis fermè trecentorū passuum. In cuius crepidine qua fauces portus patent,propugnaculum est situ & opere munitissimum,cuius dorso arx quędam impendet: è quibus cùm res ita ferat,omnem in partē tormenta eiaculantur. Est aūt portus adeò fidus & tutus, ut quamlibet magnæ ingentes naues possint in eo quacunq; etiam oborta tē pestate sine discrimine naufragij,in anchoris quiescere. Est præterea tantæ altitudinis & profunditatis,ut ubiq; minus quinquaginta passib. à muris ciuitatis,quātumuis ingentia & stipatim onerata nauigia,sine ulla iactura,imò peri culo,appelli,expleri,& impleri queant. Cui non inuenias similem ne in universa quidem Europa: adeò ut non naturæ,sed diuini indulti opus esse, sit credibile. Habet quoq; Messana in editiore quadā sua regione arcē,unde machinæ & tormēta cuiusuis generis,cū in urbē ipsam,si tempus ita ferret,tum in ma

te ad portus protectionem, emitti ualeant. Non procul â sinu Messanẽsi, sunt angustiæ freti Siculi. Abest aũt Calabria ab illo freto quinq; miliaria, quod lustinus torrere scribit, nec solùm citato impetu, uerumetiam sæuo, nec experientibus modò terribile esse, uerumetiam procul uisentibus. Vndarum porrò inter se concurrentium tantã esse pugnã, ut alias uelut terga dantes uorticib. in imum decidere, alias quasi uictrices in sublime ferri uideas: nunc hic fremitum feruentis æstus, nunc illic gemitum in uoragine desidentis exaudias. Quæ omnia quia ferè concordant cũ descriptione authoris quẽ sequor, uisum fuit hic de uerbo ad uerbum inserere, neq; metuo ne plagij crimen mihi quisquam impingat, cũ nuncupatum nomen authoris citauerim. Duodecim milibus passuum â Messana occidentẽ uersus, horrendum latrat Scylla scopulus præruptus, multorum naufragio infamis, ad Orientem autem Charybdis uorago multarum nauium absorptu nobilitata. Imperator Siculum illud fretũ ad quartum Nonas Nouemb. emensus ad oppidulũ quoddam, cui nomen Flumẽ de More in celsissimo loco constructum peruenit. Postridie Monsleonẽ, quæ ciuitas arcem habet in excelsa rupe sed peramœna & fertili sitam ingressus est: â quo loco quatuor milib. passuũ Petrus Ludouicus Farnezius legatus summi Pontificis Pauli tertij, centum quinquaginta comitatus equitibus, Imperatorẽ reperit, Maiestatem eius qua decuit ueneratione salutat: prosperum & uictoriosum ex Africa reditum eidem gratulatur: tandem mandata patris exponit, eandemq; Maiestatem Imp. cum suis equitibus Neapolim usq; comitatur. Octauo Idus Nouemb. magno cum triumpho, omniumq; tam sacrorum q; profanorum summo applausu, in ciuitatem Cusaucam receptus fuit. Vbi ad quintũ Idus eiusdem mensis moratus, tria aureorum milia in pelui argẽtea deaurata, p munere honorario â senatu & primarijs ciuitatis capitibus accepit. Proinde per principatum Besignanum, in ducatum Castrouillanũ contendit. Princeps Besignanus Imperatorem, omnesq; eius satrapas, heroas, prætorios, patritios, imò & aulę cunctos administros, humanissimè acceptos, ac Pontificiali modo tractatos, uenatu, aucupio, alijsq; exercitijs quibus temporis itineris q; fastidium fallitur, recreauit. Castrouillani etiam indicto die festo & pompis uarijs magnificè apparatis & instructis, ostentarunt quã ipsis Imperatoris aduentus gratus esset & iucundus. Sita est autem Castrouilla in agro feraci & peramœno, ubi inter alia peculiaria prouenit Gossipium, uulgò Cottonum seu Bombasium appellamus. Nascitur in eodem agro exquisitissimum & pretiosissimum manna. A Messana Salernum usq; uia est impeditior, quòd nunc editissimi montes superandi, nunc in profundissimas ualles præcipitandum sit. Quam tamẽ molestiam cœli clementia & amœnitas facilè compensauit ac lenijt, ut quæ talis tunc temporis sub finem autumni fuerat, qualis alibi mensibus uernis esse consueuit. Excepit ergo Maiestatem Imperatoriam cum suo comitatu summa cum ueneratione & admiratione Salernum, decimo tertio Kalendas Decembres. Est autem Salernum ciuitas maritima, olim insigni studiorum academia nobilis & insignis. Inter cætera admiranda templum habet reliquijs D. Mathiæ celebre: è quibus distillat liquor, quem manna miraculosum uocant, plurimis morbis & languoribus præsentissimum antidotum & remedium. Septimo Calend. Decembres, Imperator Neapolim ingressus est, ubi passim fornices triumphales operosissimè exstructi cernebãtur, statuis etiam ginibus multorum Imperatorum, Regum, Principum, Satraparum, cùm ingetum marmore uiuo incisorum exornati: quæ omnia faciebant ad præclaram & nunquam intermorituram uictoriam contra Mauros & Turcas habitam. Sed qua pompa, quo apparatu, quibus cæremonijs exceptus fuerit, qua hominum frequentia sacris initiatorum, nobilitũ, ciuium, uulgiq; promiscui, eidem

acclamatum

acclamatum & congratulatum sit, ne credi quidem, adeò non scribi aut dici queat. Cùm Imperator appropinquasset Castronouo, quæ arx in margine ipso maris constructa, eius Maiestati pro hospitio destinata & præparata fuerat, auditus est spatio semihoræ horrendus bombus & tonitrus machinarum ex arce emissarum: est nanq; in eo castro magna bellicorum tormentorum copia. Longæ uerò naues, minoresq; actuariæ quæ in portu erant, horribili impetu & stridore sua tormenta eiaculabantur. Sexto Kalend. Decembres, Andreas Auria omnes longas & triremes alias q; naues ex Africa, quò, ut dictum est, Panormo fuerat profectus, in portum Neapolitanũ saluas reduxit: quin in ea expeditione Bisartam Barbariæ oppidum simul cum arce ab Oenobarbo in Regis Tunetani expulsione captam, & Turcarum præsidio munitam receperat, & in potestatem filij Regis Tunetensis traditam & relictam Cæs. Maiest. tributariam & uectigalem fecerat. Tertio Nonarum Decembrium, Cardinalis Caraciola, pridie earundem Hercules Estensis Dux Ferrariæ, Neapolim uenit: cui filius Pontificis cum Principibus aliquot, & clarissimis gentilitio stemmate uiris, obuiam se honoris causa dedit, & in arcem, ut Cæsaream Maiest. salutaret, deduxit: qui Idus Decembris ab Imperatore dimissus, Romam se recepit. Dux Ferrariæ negociorum ergò, usq; ad decimum tertium Calendas Ianuarias ibi mansit. Posteaquam uerò Modenam, Rhegium, Ruberam & Karpum mancipio ab Imperatore tanquam patrono accepisset, acceptaq́ue clientela, in fidem ipsius se contulisset, ac sacramento obligasset, iusta se obsequia Maiestati Imperatoriæ prę́stiturum atque exhibiturum, domum reuersus est.

Post cuius discessionem, quatuor legati Veneti, uiri ætate, prudentia, scientia, & seueritate quadam, quam reueritus fuisses, non reformidasses, ueneradi, cum insigni comitatu eódem appulsi sunt, gratulati uerò nomine Reipublicæ suæ, Cæsareæ Maiestati prosperum ab Africa reditum, uictoriam q; nouis dignam annalibus, domum profecti sunt. Atqui intra dies quindecim Neapolim reuersi, singuli Maiestati Imperatoriæ torquem aureum mille ducatis æstimatum, pro dono obtulerunt.

Eodem die certis authoribus diuulgatum est, Oenobarbum cum sua classe ex Algerio Constantinopolim traiecisse. Duodecimo Calend. Ianuarias Cardinalis Senensis & Cæsarinus nomine Pauli Tertij Pontificis Maximi legationem obeuntes, à prandio cælo multum pluuio, Neapolim ingressi sunt: quibus Imperator cum Cardinale Caraciola, plurimis q; ducibus, satrapis, & principibus uiris, ad portam ciuitatis obuiam processit, & in arcem Castri noui introduxit. Ferijs natalitijs Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi, Cardinalis Senensis cum magna religione & cæremoniarum iusta obseruatione, in templo ciuitatis primario, sacris operatus est: cui celebritati Imperator cum proceribus suis interfuit. Sub idem tempus Alexander Medices Dux Florentiæ Neapolim etiam appulsus est (non tam spe nuptiarum Margaretæ Austriacæ filiæ Imperatoris illegitimæ, quàm causa dissentionis & cõtrouersiæ cuiusdam, quæ illi intercesit cum Floricidis, cuius familiæ princeps Philippus Strozza) cum duobus purpurati cœtus Heroibus, Saluiato & Rodulpho, eôdem uenerat, ut Imperatore iudice & disceptatore, lis omnis aut dirimeretur, aut saltem componeretur. Adfuit etiam Dux Vrbinas, tum ut pro more Cæsareæ Maiestati reditum & uictoriam suam gratularetur, tum ut quod pro Ducatu Camerinensi controuersum fuit, transigeretur: qui usus est hospitio principis Melphiæ, nam ille terrestri itinere Genuam profectus fuerat partim ut mãdata Imperatoris illis significaret, ac q̃ opus facto essent, diligẽter curaret: partim priuatorũ suorũ negociorum causa & gratia. Octauo Idus

Ianuarias, anno milleſimo quingenteſimo triceſimo ſexto calculo Romano, Nicolaus Granuellanus (de cuius uiri tum naturæ, tũ induſtriæ dotibus, præſtat tacere quàm pauca dicere) comitatus Præſide Somarrenſi, & Iacobo Mendocio, & ſecretario Cæſareæ Maieſtatis Antonio Perrenynſio, alijſq; aliquot non obſcuri nominis uiris, Puteolos, quod oppidum à Neapoli octo milibus paſſuum abeſt, ut antiqua quædam & admiranda naturæ miracula, quæ & in ipſo itinere, & ultra Puteolos paſsim reperiri feruntur, uideret ac cognoſceret, eſt profectus. Atq; adeò duobus à Parthenope miliaribus, occurrit oculis eorum ſpecus quædam montana, ſcrobem putares eſſe charoneam, quæ exhalabat ſpiritum feruidum & ſic peſtilentem atq; mortiferum, ut ſi uiuum quidpiam, ſiue id homo eſſet, ſiue animans rationis expers, ad tres aut ſummum quatuor paſſus introgrederetur, & modico tempore illic maneret, ſtatim uitam cõ morte commutatet, niſi fortè illico retraheretur, & in lacum quendam qui paulò minus triginta paſsibus abeſt, proijceretur, ſic ſcilicet natura beneficio illius aquæ paluſtris, penſante & reſarciente damnum quod in ſcrobe illa charonea dedit. Libuit facere periculum eius rei, ſed in cane (ut aiunt) cane putadam grandiuſculo, quem reſte ligatum in ſpiraculum illud letale abegerunt, qui uixdum ingreſſus, concidit mortuo nõ abſimilis, neque tam celeriter retrahi atque in lacum illum iniici potuit, quin ab omnibus pro ſuffocato & exanimi relinqueretur. Poſtridie tamen Neapolim reuerſi, eundem canem uiuum & ſaluum in hoſpitio Granuellani (erat enim ex eius familia) repererũt. Multæq; ſimiles experientiæ ab alijs factæ ſunt, quare illud inter miracula & portenta eius loci ponendum eſt: ſtagnum cuius meminimus, nullos habet pisces, ſed ranas plurimas & anates. Paulò ulterius uiſuntur aluminaria, ubi aluminis tanta fit copia, ut princeps loci ex illa terræ ſalſugine, recipiat ſingulis annis prouentum octoginta fermè milium aureorum. Proximè Puteolos habes ſulphurariam, quæ humilis & demiſſa planicies eſt inter rupes uelut compreſſa. Eſt in plano illo hiatus in latum & rotundum quindecim patẽs paſſus, exundans aqua, perpetuò undisq; calidis ſic ebulliente, ut ſi iniecteris belluam quamlibet duro corio armatam, quantaq; libet induſtria loricatam, nequeas tam ſubito extrahere, quin planè exeat excoriata. In circuitu illius hiatus & ipſaraculi, inuenias plurima foramina, alia maiuſcula, alia minuſcula: atq; exhalãt aërem adeò calidum, quem manus quamlibet gelidæ ſuſtinere nequeãt. Illinc colligitur magna uis & modus ſulphuris, quod in diuerſas procul q; diſſitas regiones tranſmittitur, apud Puteolos à littore in mare ipſum exiſtũt reliquiæ pontis miræ uetuſtatis, in pelago ipſo fundati et exſtructi magnis certè ſumptibus, & incredibili opere atq; artificio architectationis: ad duo, tria, imò & quatuor uſq; miliaria ultra Puteolos, paſsim plurimorum ædificiorum à Romanis olim illic conſtructorum ruinæ, adhuc conſpiciuntur: quin & nonnullorũ parietes ac fundamenta, tum circa littora, tum in ipſo mari etiamnum exſtãt, à quo loco non procul in montibus & rupibus quibuſdam ædificium uiſitur ſubterraneum, uulgò admiranda & ſtupenda Sibyllæ piſcina appellatum, ſuperbis multis pilis & columnis ſtructilibus miræ altitudinis & craſſitudinis operoſè, nec minus ſumptuoſè ædificatum: ubi Sibylla quædam, quæcunque illa fuit, magnum modum dulcium aquarum, quas per æquæductus & caſtella diſtribuit nauibus, quæ in portum ſubducebantur, accuratè conſeruabat. Non longè ab illo ædificio in medio æquore aſſurgit ingens rupes, pertuſa prorſus & perforata, atque inſtar fornicis teſtudinati malleis & cœlis in hoc excauata, ut per limbos phaſelos per mediam rupem in alterum maris littus, compendioſior ſit tranſitus. Nam priuſquam aditus ille ſiue meatus eſſet patefactus, per longas circuitiones, faſtidioſa diuerticula, & moleſtos ambi-

tus,

tus, magno tædio tum nautarum proretarum ac gubernatorum, tum etiam uectorum, diutius & periculosius fuerat nauigandum. Reperias in eodem mã ri & alteram rupem altissimè excauatam, & summo artificio exsculptam, ubi antra quædam horrorem introspicientibus incutientia, uidentur. Vnde Sybillæ illa oracula consulentibus eam reddidisse dicitur. Quòd fortè triclinia, cœnationes, conclauia, quę intus expolitè excisa sunt, uidere uoles, opus est facibus & tædis ardentibus. Inter cætera quæ ibi non sine stupore uidere licet, est cœnatio quædam amplissima eademq; quadrata, magna arte in rupe illa excisa, cuius omnia latera partim preciosis emblematis opere museaco & uermicula to sunt exornata, partim opere tectorio marmorato loricata, pinde reperias in alia rupe iuxta littus maris cubicula & antra, quæ sudatoria, hypocausta, & thermas appellant, è quibus calor natiuus & genuinus aliubi intensior, aliubi remissior: ubiq; tamen sic ardens, & feruens exspirat, ut difficulter ferre & tolerari queat: quò lautum & sudatum mitti ac deduci consueuerant, qui grauioribus & ueluti deploratis morbis laborabant. In eodem itinere Putelano & lonea, cis uicinis, licet uidere plurima uenerandæ uetustatis ædificia, tum subterranea, tum subdialia nonnulla, ex solido & uiuo marmore, alia ex lapide coctili opere arenato constructa. Sunt & theatra & spectacula ampla, ubi ludi, comędiæ, & tragediæ saltabantur, & spectabantur. Templa item & alia loca ubi fiebant sacrificia, monumenta præterea, sepulchra & conditoria admodum triclinior̃ testudinatorũ camerata. In quibus uideas plurima semirotũda promptuaria exquisitè exsculpta, ubi seculi illius homines maiorum suorum cineres, quos corporibus patrio ritu combustis colligebant, in ollis fictilibus studiosè asseruabant, existunt quoq; & adhuc exstant quàm plurimarum ædium & arcium ruinæ, etiam nunc nomina ducum, principum, patrum, & consulatium Romanorum, quorum sumptibus ædificatæ fuerant, retinẽtium, ex quo facilè colligi queat, quæ fuerint olim diuitiæ, fortunæ, opes, maiestas, magnificentia, & potentia Romanorum, quãdo etiam nostro æuo, post tot reuoluta secula, eiusmodi exstent illorũ operum reliquiæ.

PAVLI

FINIS

PAVLI IOVII NO-
VOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI,
EX HISTORIARVM SVI TEMPORIS LIBRO XXXIII, fragmẽtũ: declarãs quibus artibus Hariadenus Mithylene-us cognomento Barbarussa regno Tunetano potitus, Muleassem regem legitimum exegerit.

INuadendæ uerò Africę author & cõcitator exstitit Hariadenus Mithyleneus, uetere Horucij fratris cognomẽto Barbarussa à nostris appellatus: is in Numidia, pxima Mauritaniæ Algerij regnũ à fratre antea partũ, adeò frequentibus uictorijs amplũ clarumq; reddiderat, ut nostri æquè ac finitimi Pœnorũ reguli, & uagi Numidæ, eius opes atq; audaciã magnopere timerent, & Solimanus ad fortissimi uiri famam iam publica uirtutis cõmeadatione illustrẽ, frequenter excitaret. Nõ alienũ erit ab instituto opere breuiter recensere, qbus artibus Mithylenei fratres ab una tantũ pdatoria bireme ad regiũ fastigiũ irrepserit, ut hinc quoq; in hac rerũ humanarũ uarietate colludentis Fortunæ ostẽta posteri mirentur. Igit̃ patre Græco, atq; eo Mahometis sacra secuto, in Insula Lesbo geniti, quũ inopiã domi ferre nõ possent, arrepta bireme spes suas omnes mari cõmiserũt, sese Camali archipiratæ in disciplinã tradẽtes. Sub hoc Camalé Horucius, qui uti natu maior ad se ducis nomẽ trahebat, cũ Hariadeno multa pda, multisq; seruis atq; nauigijs adauctus, ac demũ ascitis in societatẽ minorib. piratis pdabũdus in Mauritaniã puenit. Eo tẽpore Algerij regulus cũ fratre animis deimperio contẽdebat: hic quũ Numidas equites, q hodie Arabes appellant̃, pretio sibi in auxiliũ asciuisset, alter opportuno nouæ gentis aduentu magnoperè lætatus, pecunia cũ Horucio trãsegit ut se defendendũ susciperet, paucis q; diebꝫ Horucius cũ ualida manu sclopettariorũ, qbus pcipuè Numidę terrẽtur, eo impetu gessit atq; cõfecit bellũ, ut Turcarũ nomẽ cũ Numidis tum Mauribus omnib. terribile esset. His reb. gestis, uti erat ingenio ualidus, uiribus pollens, & regni maximè cupidus, quũ eo bello cõperisset Mauros per se inermes, ignaros q; militiæ, ac ingenio mobiles, nullaq; inter se stabili concordia nixos, facilè per partes opprimi & subigi posse: Numidas uerò uagos, & inter se dissidentes, uel in amicitiã trahi, uel si abnuãt nullo ppè negocio sustineri, improuisò fidẽ abrupit, repẽteq; hostis factus, qs cœptis suis aduersari putarat facilè sustulit, breuiq; post sæuitiã liberalitatẽ exercẽdo Algerij regno potit9 est. Nec multò pòst finitimũ quoq; regulũ Circello impantẽ ui dolisq; aggress9 expulit. Stat Circellũ, antiqs Carcẽna colonia uocatũ, ab Algerio, qd Iul. Cæsarea fuisse dicit̃, ad occasũ 60 passuũ milib. antiqua ad portũ mole, & opposo aqueductu, multisq; Romanę magnificẽtię uestigijs adhuc insignis. Inde & ab Algerio mare undiq; infestũ reddebat, et in mediterraneis cũ expeditis cohortib. euagabat̃, ita militiæ munera cũ fratre alterna sorte partit9, ut nihil terra mariùe pacatũ reliqueret̃. Ab eo rerũ successu ut regni fines aliquãtò latius, pferrent̃, Bugeam magno apparatu inuasit, Hispanis, q in pręsidio erãt, ad summas rerũ difficultates redactis: nec pri9 abstitit tã forti incœpto, q; ei dextra manus torquẽti ictu abrepta est: inde ferreã sibi fecit, qua cubitũ religata multis in prælijs postea feliciter est us9. Nã Algerij nõ contẽnendũ Hispanorũ exercitũ Didaco Vera duce, circũuentũ fusũq; deleuit, & aliquãtò pòst Vgonẽ Mõcatã, q ueteranos Hispanos ab Italia trãsportarat, egressũ in litt9, iniq; nostris loco cõmissa pugna compulit

cõpulit in naues, subortaq; tẽpestate copias ferè oms luctuoso naufragio fluctibus eiectas crudelissimè trucidauit, aut ad remũ trierarchis distribuit. Ad extremum immodicæ spei plenus, & rerum prouentu factus audacior, quum Tremisenñ regem, amicum sociumq; à Carolo appellatum, regno expulisset, imminereteq; Orano, Portuiq; magno, quæ Hispanorum præsidijs tenebantur, Punica simul & Christiana arma aduersum se concitauit, eo bello, uti suo loco memorauimus, superatum, & fuga in solitudines euadentem Hispani, Mauriq; equites consecuti cum paucis ex familiaribus interfecerunt. Horucij caput in Hispaniã transmissum, circumlatumq; in lancea, populis præsertimq; maritimis, insignem attulit lætitiam, quòd sublato prædonũ rege diu exoptata securitas littoribus reddita uideretur. Sed Hariadenus neque spiritu, neque bellica laude Horucio inferior, acclamantibus militibus imperium suscepit. Is non modò regni, sed uirtutis & denique artium cogitationumq; omnium quæ in fratre eximiæ fuerant, hæres factus, adoptatusq; etiã in fratris cognomen, ad imperium totius Africæ aspirare cœpit: ratus ea quæ parta essent, animo suo minora angustioraq;. Itaq; arma proferre, Mauris & Numidis terrori esse, modò cum his pace ac inducijs uti, modò bellum gerere, porrò aucta classe Hispaniæ, Sardiniæ, ac Balearium oram prædari, ascisceret sibi nouos piratas, clarus æquè ac formidolosus finitimis esse. Hæc audentem & molientem nusquam Fortuna destituit. Nam Hametem Numidam, magni agminis ducem, sibi infestum, per insidias interfecerat, & ad Cocum oppidum Benchades inter regulos Numidas londè clarissimus, multis prælijs superatus, in solitudines abscesserat, Amidamq; in finibus Tremisenñ regni, adeò frequentibus detrimentis attriuerat, ut sedes mutare, ac in interiora pfugere cogeretur. Mari quoque ea fortuna res gessit, ut Vgo Moncata supra Sardiniam nocturno prælio uictus grauiterq; uulneratus, amissis aliquot triremibus uix effugerit, & Portundus Hispanicæ classis præfectus, amissa fœdè classe, cum filio impigro iuuene fuerit interfectus. His captis triremibus quum aliquot etiam cum Siculæ, Neapolitanæq;, tum Venetæ rostratæ, uarijs interceptæ casibus accessissent, maximè ualidis atque terribilis esse cœpit, auxitq; sibi uirium atq; animi famam, ipso Andrea Auria ad Circellum repulso: quum ille oppido tã fortiter expugnato, quàm fœdè amisso, ad quingentos milites disciplinæ oblitos, nec Turcarum eruptionem sustinentes amisisset, duæq; tum onerariæ Ligusticæ, dum ad Circellum cursum haberent, onustæ armis, milite, commeatu, supra Populoniam, quod ingentem Genuæ luctum peperit, expugnatæ atq; demersæ. Postremò arcem scopulo impositam, Algerio urbi imminentem, defensamq; per aliquot annos ab Hispanis, summa ui adortus cepit atq; deleuit, ruinis profundo mersis; & iacta mole, ut per commodus regiæ urbi portus adderetur. Quum hac rerum gestarum fama floreret, Solymanus è Pannonia reuersus ad eum legatos misit, qui euocarent, summosq; honores & maris præfecturam Bizantium uenienti pollicerentur: non sustinebat enim animo Solymanus ignominiam in Peloponneso acceptam, quum præfectus classis Himerales adeò fœdè profugiens, Coronem & Patras, castellaq; item Naupactei sinus Aurianæ classi expugnanda reliquisset. Ipsi quoque purpurati Bassæ, & eorum princeps Habraimus, in consilio & ualida classe & perito streuuoque duce opus esse differebant non modo ad recipiendam Coronem, quæ tum terra mariq; segniter obsidebatur, sed etiam ad tuendam ueterem existimationem, quãdo Baiazetes ad Methonem uictor, nauali apparatu Christianorum ferè omniũ classes anteisset, & tũ fama erat Auriã, qui obsessis opẽ ferret, cũ amplissima classe in Græciã è Sicilia traiecturũ. Et certe unus ipse Hariadenus inè omnes eminebat, quẽ ætate & maritimarũ rerũ usu, uigoreq; animi,

mi,& parti propagatiq; regni gloria,Aurię parem dicerent,censerentq; unum omnino eum Christianis classibus opponendum. Ita Sinas unus ex intimis ianitoribus ad eum legatus mittitur,aduehitq; eum celeri trireme, Mangalis pirata Rhodi præfectus. Is ubi Mauritaniam peruenit, ab Haridiadeno summo cum honore susceptus est:audita legatione Hariadenus incredibili lætitia afficitur,inde haud inani spe concepta potiundæ totius Africæ,si colloquēdi cum Solymano potestas fieret,ut quinam in Africa rerum status,& quantæ Christianorum classes,qui ue animi & dissensiones eorum essent,appositè atque ordine doceretur. Itaque Agim uirum fortem, & Ramadam Celebim patruelem suum Algerio præficit:his Asanem filium duodeuiginti annos natum commendat,classemq; circiter quadraginta triremium biremiumq; instructa proficiscitur:circa uerò Tyrrheni maris oram adeptus aliquot Liguſticas naues,quæ ad coëmendum frumentum in Siciliam cursum habebant, difficili& maximè cruento prœlio eas expugnat & incendit:qua in pugna Delisulum piratam opulentum ipsius Hariadeni dolo interfectum ferunt, ut eius triremе de Venetis capta,quæ erat eximiæ celeritatis, itemq; seruis atque pecunia potiretur. Inde conuersus ad Iluam insulam, Rium in ea oppidum nocturno prælio capit,atque omnibus Riensibus in seruitutem abductis,ingenti onustus præda Byzantium peruenit. Deductus est à principibus aulæ ad Solymanum, ab eoq; lętissimo uultu est susceptus, uel ob id quòd dono dabat,quos insigni cultu produxerat, aliquot pueros decora facie,itemq; lectissimas uirgines,Eunuchosq;,& Libycas feras, leones & pardos. Porrò reliquis diebus quum de gerendo bello, & de tota ratione Punicarum Christianarumq; rerum differet,aliquantò quàm solebat rarius, & difficilius admittebatur. Suborta enim erat inuidia,crescentis dignitatis semper comes, ita ut plerique dicerent,non esse Otthomanici moris homines è piratarum ordine lapidosis infames,regiæ classi præficere: non defuisse unquam, nec defuturos ex principis aula,qui uirtute magnitudineq; animi,& deniq; optimis artibus ualerent,& ad proferendum Turcicum nomen terra mariq; fortiter atq; fœliciter operam præstarent:occupasse illum in Africa contra fas & æquum, hoc est dolis ac insidijs,aliena regna,impijsq; armis semper esse persecutũ regulos, & gentes quæ Mahometem colerent,nullos profectò ei certos Deos esse, nullam fidem,utpote qui uanissimo atque eo quidem paternæ religionis deserto re,patre Græco genitus,ab ineunte ætate prædo immanis & publicus humani generis hostis exstiterit. Quum hæc efferentur Hariadenus facilè intellexit, quàm importunè abesset Habraimis,cuius amicitiam exquisitis officijs,annuisq; muneribus colere erat solitus. Is eo tempore ad Persicum bellum profectus,in Comogena ad Alepum hyemabat, Euphratem ad prima ueris signa traiecturus. Solymanus tamen per Aiacem & Cassimum Bassas respondit, eius suscipiendi negocij summã ad Habraimi iudicium deferendam uideri, quòd eius præcipuè hortatu suasuq; è Mauritania esset euocatus. Proinde si quid impetratum uellet,ad eum in Syriam proficisceretur, ut ex eius authoritate atque sententia quæ in rem forent decerni,atque apparari possent. Eo modo in Syriam reiectus,quanquam non obscuro repulsæ nomine existimationis suæ iacturam facere uideretur,id tamen dissimulanter tulit,atque eò terrestri itinere omnino peruolandum esse iudicauit. Vir enim noui belli nouiq; imperij maximè auidus,neque ætati, neq; labori parcendum putabat,quominus Amani montis iuga,uel tum obsessa niuibus,transiret. Erat tum Alepi Habraimus: is singulari cum honore susceptum, & in colloquijs de genere atque ordine gerendi belli,occupandaq; Africa differentem, ita admiratus est,ut neminem eo peritius atque fœlicius mari gesturum bellum arbitraretur,

Solyma-

Solymanoqûe demum rescriberet, in Hariadeno ingenium uigere omni bellicæ uirtutis laude cumulatum. Propterea ipsum rectè facturum si in grauissimis consilijs ei uiro fidem adhibeat, honoris causa inter Bassas annumeret, atq; ei uniuersæ classis imperium tradat. Eo modo Hariadenus Habraimi mirifica uoluntate Solymano commendatus, Byzantium redit, susciputurqûe propensissimis animis, nã tanta erat authoritas, & gratia uel absentis Habraimi, ut õm planè uolũtates sermonesq; adulatione uel metu ad nutũ eiꝰ tãq; ad sua impia uerterẽt. Aduexerat secũ Algerio Hadriadenꝰ Roscetẽ Pœnũ, Mulealsis q Tuneti impabat regis fratrẽ, pulsũ domo aliq; antè añis, et ex calamitate ad te ꝓfugũ, uti mox dicemus: huic facilè persuaserat ut unà Byzantiũ ueniret, fore enim ut se authore duceq̃ à Solymano in paternum regnum reduceretur. Itaque hoc Roscette in occasionem Africani belli purpuratis oftentato, multisq; de suscipiendo bello disputationibus habitis, ad Solymanum introductus in hanc sententiam uerba fecit: Quod Othomannis Cæsaribus ad supplicandum ingredientibus templum, præclara uoce precari sacerdos solet, id unum & ego tibi precor, Solymane, scilicet ut memineris progenitores tuos hoc tibi imperiũ, q̃ nemini maiꝰ atq; opulẽtius diꝫ dederũt, iustitia & pietate peperisse: hac enim uia eũtes nusq; fefellit Fortuna, & tu hactenus ita institisti uestigijs, ut facilè supra eorum nomen & gloriam sis profectus, quum inter tuos iusticiam coleres, & quod ueræ pietatis est munus, aduersus religionis nostræ hostes bella continenter gerenda, æternæ spe laudis incensus arbitrareris. Itaq; captum est Taurunum, expugnata Rhodos, trucidatus in acie rex Hũgarus, bis euastata incensaq; Germania, adeò ut Carolus, quẽ tibi Christiani imperio & uirtute parem uolunt, quum ingentibus nationum ferè omniũ auxilijs niteretur, armorum tuorum strepitu terrefactus, pugnam detrectarit. Sed quoniam nulla imperia quantũuis ampla, aut ullæ uel perillustres uictoriæ, nec excelsi animi magnitudinẽ implẽt, nec gloriæ facietatẽ adferre possunt, idcirco aduersus Parthos, Persasq; uictricia signa præmisisti, ut eæ gẽtes, quæ à diuinis legibus impiè defecêre, expiatæ ueluti sacris armis, & deniq; uictorijs tuis lustratæ, ad antiquos religionis ritus reuocentur. Sed sit hoc tibi uel incepto, uel exitu maximè decorũ atq; magnificũ, modò mihi liceat in armis atq; piculis semel facto, ea cõmemorare q̃ expediant, et deniq; q̃ lõgo usu didici ad ampliorẽ augustiorẽq; tui nõis gloriã aperire: neq; à me hoc ambitioso dici fortasse interpretere: satis em̃ superq; fortuna reb. meis fauit, q̃ me domi inopia pressum, & ancipiti cum spe eius statibus uela dantem, ad multas ui gloriæ amplas q; opes, & denique ad regium nomen euexerit. Verum super hæc nihil mihi melius dare diꝫ potuerunt, quàm ut ad te uenirem, & de grauissimis rebus differendo in consilium adsciscerer. Nam id quo nihil in rebus humanis bellicisq; præsertim utilius atq; præstantius dari potest, consilium fide & rerum experientia plenissimum dabo: & quanquam senes nihil ultra adferre posse uideantur, tamen in uegeto corpore robustæ uires adhuc supersunt, ut fortem operam in omne maris terreq̃ discrimen æq̃ pollice riqueam. Huic autem uni curæ ab adolescentia dies noctesq̃ inuigilaui, Horucij fratris uiri fortissimi consilijs ac sensibus inhærens, ut nostræ religionis terminos proferrem, Christianos terra mariq̃ persequerer, & nihil mallem optarem, quàm ut tuæ classes copiæq̃ studijs atque opibus meis addarentur, & denique dux, aut certè signifer, quando melioribus parere nõpiget, auspicijs tuis efficerer. Cuius uoti si me diꝫ compotem fecerint, breui tota Africa Hispani depellentur. Mauros ad Beticæ uetus imperium Hispaniam trahiecisse audies, Pœni & Numidæ tibi parebunt: & ut Sardiniam Corsicamq̃ omittã, Sicilia nostra erit: ea occupata, Italiã fame enecabimus, & undiq; classibus

classbus aggrediemur, discordia principum laborantem, infirmam distinctis uiribus, & quantum ad eius partem Siciliæ & Macedoniæ proximam attinet, qualibet conditione seruituram, modò Hispanorum iugum excutiat. Nolite nim existimare, eas opes, eumq; in Italia esse consensum quæ fuerunt, quũ Hy drunte capta non Italis modò sed cæteris etiam populis maximum terrorem intulit proauus Mahometes. Is enim successu eius belli, ad quod sustinendum uix uniuersi Christiani principes sufficerunt, hauddubiè urbe Roma potitus foret, ut Occidentis ac Orientis imperia secundum ius & æquum, uetere sua augusta in sede iungerentur. Sed ille ab humanis repentè discessit in cælum ra ptus, scilicet ut hoc tibi sicuti fata syderaq; promittunt, consummatæ uirtutis opus relinqueret. Nec de hac iniecta spe summi inusitatiq; triumphi uel inter pello uel demoror, quominus in Orientem contendas, ueteres impiosq; ho stes, & ultima supplicia meritos armis persequare: classis enim mihi erit satis, qua tibi minimè est opus in mediterraneis regionibus bellum gerenti, ut dum tu Asiam subigis, ab alia parte ipsa Africa, quæ est tertia pars orbis in potesta tem redigatur. Ante omnia autẽ pellendus est Tuneto Muleasses, inexplebili auaritia, fœda impotentiq; libidine, immaniq; sæuitia, diis atq; hominibus in uisus, qui duodeuiginti fratribus per insidias interfectis, aut quod ipsa morte acerbius uidetur, præusto oculo crudeliter occæcatis, ita regnat solus, ut nemi nem sibi uel consanguineum uel amicum reliquerit: nam animo tam ingrato quàm perfido paternos etiam amicos, qui ipsum insigni studio ad regnum ex tulerunt, ut gratiæ merita celeriter exsolueret, ad unum omnes iugulauit: cum hac belua nobis res erit, quã cũm nemo amet, facilè omnes oderunt. Numidæ quotidianis incursionibus exagitant, quorum iniurias ita sustinet, dedecore, ignauia, & metu infamis, ut eas ferre quàm ulcisci malit: & hic semiuir Turcas uiros fortes in cathenis detinet, nec augustum nomen tuum, à quo humana di uinaq; iura undique petuntur, planè agnoscit: & quod minimè est ferendum, Hispanis ad Tripolim fauet, ut Agis & Moses strenui duces Turcæ Taiorea urbe depellantur. Hanc feram uti unguibus ac dentibus exarmatam, uel ob id facilè conficiemus, quoniam apud nos est Roscettes eius frater, Pœnorum o mnium uotis ac precibus expetitus. Huius persona uel in speciem nobis erit utendum, ut res, quum copias ad Tuneti portas ostentabimus, sine ullo omni no uulnere patrari possit. Tui demum erit arbitrij statuere, quẽ Punicis rebus præesse uelis, mihi certè satis imperij & gloriæ quæsitum erit, quum tibi debel latis hostibus è Perside redeunti maxima pars Africæ deuicta pacataq; trade tur. Ex itinere uerò, quod priuati muneris nomine me polliceri iuuat, enixè da bo operam, ut suas quoq; clades lugeant Christiani, atq; Auria si occurrat, suis maleficijs non diu exultet: hunc enim unum uti uerum propriumq; hostem, uel à cladium acceptarum memoria, uel æmulatione gloriæ persequendum mihi desumo, eo autem oppresso tibi uni maria patebunt, & mihi crede, qui ui ctor mari euadet, facilè etiã terrarum imperia tenebit. At Solymanus qui ex cellentũ principũ more, graui aure excepta ad animũ transmittere, ppendereq; inde cuncta, ac ingenti demum iudicio consilia terminare erat solitus, collau dato Hariadeni studio, concilium dimisit. Nec multò pôst in sentẽtiã Habrai mi decretũ est factũ, ut Hadriadenus trib. Bassis, qui est supmæ dignitatis ho nor, quarto adderet: esset q; ei summũ maris imperiũ, ita ut insulę, portꝰ, urbes, populiq; maritimi ei parêrent, ius ei fasq; esset, qs uellet, ubiq; uellet, remiges, nautas, milites cõscribere et in naues cõpellere. His pmulgatis Solymanꝰ ma nus postridie Idus Maij ei uexillũ, sceptrũ, gladiũq; de manu tradit, monet ut p misis insigni facinore edito fidẽ pstet, eũq; regia egressũ Aiax & Casimꝰ Bas sę, ipseq; ptorij pfectꝰ, celebri põpa platis noui honoris insignib. ad naualia de ducunt,

ducſit, octiesq; ei centena milia aureorũ nummũm in bellicos ſumptus ex æra rio depromuntur, attribuunturq; ei ex ordine prætorianorum Iannizeri circiter octingẽti. nec multos Byzantij moratur dies, claſſecq; octoginta triremium atq; aliquot biremium, armis, uiris, & comeatu abunde inſtructa, Helleſponto egreſſus in Italiam curſum intendit, relicto cum duodecim triremibus Amurate trierarcho, qui Solymanum eiusq; exercitum ad Perſicum contendentem bellum, ab Europa in Aſiam tranſportaret, iscq; demum omnibus tranſuectis, Hariadenum ad Methonem eſt conſecutus. Quum improuiſo aduentu Meſſanæ fretum tranſiret, Mamertini ad arma conclamantes urbi portuiq; magnoperè timuerunt, ſed præteruectus Hipponiatem ſinum in Brutiorum ora S. Lucidij oppidum inuaſit: id olim Tempſa dicebatur, impoſitũ rupi, qua mare deſpectat, & muro haud temerè munitum, ſed is à terra ſubeuntium Turcarum impetus fuit, ut deiectis propugnatoribus diu defendi nequiuerit, eò maiore incolarũ calamitate, quòd nemo fuga eſt elapſus, quum prætor in ea trepidatio ne auerſam ab hoſtibus portam diligentius reconditis clauibus obſeraſſet. Ingenti omnis generis rerum ac hominũ potitus præda, ad Citrarium cõtendit, ubi claſſem ædificari à captiuis dicerat, id uti uacuum incolarum fuga ſtatim eſt incẽſum, atq; eodem igne ſeptem triremes imperfectis adhuc puppib. & foris, concrematę: ubi uerò à Capreis ſupra Neapolim uniuerſa claſsis in cõſpectum eſt data, adeò terribili ſpectaculo totã eam oram conterruit, ut plericq; affirmarent, ſi hoſtis expoſitis copijs ad mœnia repentè ſucceſsiſſet, Neapolitanos in ſubito metu egrè urbem fuiſſe defenſuros. Eo curſu ad Prochitam pro uectus oppidum cepit, arcisq; exiguæ cuſtodibus ſub fide ſe dedentib. libertatem reliquit, & quum in Caietæ portum noctu inueheretur, ita ad Speluncam ſuperato promontorio curſum deflexit, ut occupandæ Caietæ occaſionem parum nauiter prætermiſiſſe crederetur: nam & præſidiũ urbi arcíq; exiguũ erat, præſertim repentino nocturnoq; in metu, & Caietana iuuentus aſſueta maritimis quæſtubus, & in prædijs occupata ab urbe per eos dies aberat. Spelunca oppidum extremis Fundanis mõtibus adiacet, qua deſinẽtes rupes plagæ matis planiciem excipiunt, ex ruina quondam antri Tiberij Cæſaris inſigni periculo in hiſtorijs Cornelij Taciti celebratũ. Speluncani inexpectato appulſu tantæ claſsis territi, uix tentata defenſione animos deſponderunt, ingreſſusq; hoſtis circiter mille & ducentos imbellis maximè ſexus & ætatis cepit. Refugerat in arcem Pelegrinus, qui inter Speluncanos diuitijs eminebat. Hunc Hariadenus monuit ut ſeſe dederet, nec uim experiretur, id ſi ex templò faceret, integra fide liberum futurum, ſi conaretur ſeſe atq; arcem tueri, breui ſtultæ pertinaciæ pœnas crudeli ſupplicio atq; incendio oppidi protinus daturum: nec ille metu exanguis diu cunctatur, quin ſpem uitæ uel in barbara fide, certi propè exitij periculo potiorem ducat: ita egreſſo in littus, & ad genua procumbenti conceſſa libertas, & quod fuit humanitatis, uxor, filius & neptis inter lachrymas præ gaudio utrinq; manantes reſtituti. Eadem quoq; nocte ad duo milia Turcarũ è claſſe per aſperos uepribusq; impeditos colles ad urbem Fundos, decem inde milib. paſſuũ, peruenerunt: uti creditur ducibus indigenis, ex eorum numero qui ſuperioribus annis mari capti, tædio præduræ ſeruitutis ad Mahometis ſacra defeciſſent. Ea uerò aduolantium & refringentium portam celeritas fuit, ut Iulia Gonzaga, Proſperi Columnæ quõdam nurus, uix ſpatium ſit nacta, quo ſeminuda iumento imponeretur, atq; inde iam cõſpectis hoſtibus ad montes ſe proriperet. Ferũt Barbaruſſam, uti ipſe poſtea minimè diffiteri eſt uſus, eam cùm admirabilis formæ, tum uirtutis fama florentẽ capere cupiuiſſet, ut Solymano dono daret. Cęterum Fundani cæduntur, atq; omnes ferè capiuntur: facit & deditionẽ Stecatius prætor imbellis, qui cum turba mulierum in turrem

confugerat, quum succensis iam foribus & barbarorum clamore, & fœminarum eiulatus interreretur. Turre in potestatem redacta Turcæ ad spoliandum fanum conuersi sepulchris Columniorum procerum ornamenta detrahunt, uexillaq; item militaria picta auro dilacerant, onustiq; præda ad classem reuertuntur, alia quoq; triremium manus Tarracinam diuertit, ibi quoque populo ad montes fuga elapso, in templa sæuitum, inualidiq; senes, & ægri aliquot in lectulis trucidati. Is terror à Priuernatibus propere Romam delatus, ita consternauit omnium animos, ut si hostis eo impetu ad Ostiam esset prouectus, tota ciuitas sese in Sabinum, Etruscumq; agrum effusura crederetur, nam neque Clemens tum grauissimo conflictatus morbo, consuli poterat, neque amplius omnino quàm cẽtum uiginti speculatorum Germanorum & quadraginta septem leuis armaturæ equitum præsidio, quo tum principis atq; prętorij custodia stetit, publica salus nitebatur: nec ullus erat cũ peregrinis & inquilinis Romanorum consensus, quum quisq; priuatis potius quàm publicis rebus studeret. Conuere tamẽ in eo periculo Cardinales, & effractis ærarij repagulis exauthoritate senatus Hippolyto Medici Cardinali pecuniam deprompsere, ut tuendæ oræ maritimæ curam susciperet. is alacriter cohortes conscripsit sed eas uti in subitario delectu accidere solet, ex pessimo & incondito hominum genere, adeò ut per summam iniuriam Priuernatibus ex itinere cæsis atq; direptis, oraq; Pyrgensi & Tarquiniensi fœdè uexata, nullo pudore in hostilem rabiem animos uertisse uiderentur. Porrò Barbarussa uetere consilio suo innixus, quũ statim in Pontias aquandi causa diuertisset, in Africam traiecit. tanta usus celeritate, ut prius eò peruenerit, quàm ab nostra ora discessisse crederetur: uoluit enim ea diuersa nauigatione fallere Mulealsem, ut imparatum opprimeret, & ipse antea famam simulanter ediderat euastandę Italiæ, Liguriæq; prętertim, & Hispaniæ, uindicandis scilicet iniurijs, quas Auria Coroneis atq; Patrensibus intulisset, ita ut nõ omnino inani coniectura, postquam Messannæ freto superato Italiæ littora legere & cuncta urere cœpisset, Liguriam ac demum Hispaniam inuasurus esse putaretur. Et Veneti quoq; Mulealsi & Pœnis aliqua ex parte timorem minuebant, quũ ualidam classem instruxissent, quinis decumis ex sacris redditibus sacerdotum ordini, uel id ægrè ferente Pontifice, impositis, ut ex ea pecunia remigibus stipendia præberentur. Quid enim petente Africã Hariadeno Venetis opus esse tanta classe? præsertim quæ tanto sumptu & tãta cum inuidia pararetur? profectò summæ prudentiæ homines, qui Turcarũ consilia Byzantij diligẽter explorare & excipere essent soliti, pro certo cognouisse, tot triremes aduersum Auriam comparari, ut pares & duplicatæ clades Christianis redderentur. Ad hæc quoq; Mulealses per speculatores didicerat Roscettem fratrem quem maximè metuebat, Byzantij in libera custodia esse relictum, ueluti aliena tum ad Africæ rebus expeditione susceptа. Neq; enim ullis armis ualidius se peti atq; inuadi posse existimabat, quã producto regni æmulo, in quem ex conscientia scelerum suorum omnes prope Pœnorum ordines & Numidas inclinaturos appareret. Sed quoniam ad hunc locum est deuentum, operæpretium erit paucis enarrare, quæ de Mulealsis imperio, moribusq; Pœnorũ didicimus. nam multa digna cognitu, quę diu solis mercatoribus comperta fuere, nobis scribentibus uictoria Cæsaris aperuit. Africam Romani euersa Carthagine sublatisq; regibus propter agrorũ ubertatem multis eò deductis colonijs excolendam atq; illustrandam susceperẽre, tenuereq; eam pro cõsulari imperio usq; ad Vandalorum aduentum, quos in contumeliam Romani nominis immani rabie sæuientes Belisarius deuicit atq; deleuit. Inde facta est prouincia Græcorum imperatorum, à quibus in eam quotannis duces & prę-lides mittebãtur. Postremò eã inualescente Mahometis secta, Saraceni è Syria, Aegypto

Aegypto, Arabiaq; inducti religionibus tanta ui inuaserunt, ut pulsis Christianis, inuectaq; & late propagata superstitione in Hispaniam usq; victores transcenderint: & cum Afri, Numidæ, Mauri, & denique omnes Pœnorum gentes noua sacra facile suscepissent, in Illiberi Bæticę regia urbe quam Granatam nostri uocant, posita est Maurorum sedes, & Cordubę gymnasium cum celebri bibliotheca constitutum, ubi Arabicarum literarum professores, iuuentutem docendo, excipiendoq; intermorientes apud Græcos optimarum scientiarũ atq; artium disciplinas, cum insigni ingeniorum gloria floruerunt. Nihilo secius & in his militare studiũ enituit, adeò ut quũ diu cum Oretanis Celtiberis, & Carpetanis esset dimicatũ, è Miramolino irrumpente penè omnis Hispania Punicis armis cesserit. Sed post sexcentos demum annos, ætate nostra Ferdinãdi regis uirtute obsessa captaq; Illiberi, omne Punicum nomẽ ab Hispania pulsum. Hac tempestate in Africa opibus ac amplitudine imperij cæteris præstant Tunetani & Fessani reges, sed Tunatanis ab longa imperij uetustate, eximiaq; stirpis claritudine authoritas maior & augustior: nam ab his sacra & iura omnia petebantur, supra Tuneta enim itinere trium dierum urbs est Caruenna, peranti quí templi religione & sanctissimorum sacerdotum collegio maximè uenerabilis, & ob id libera & immunis, in qua functi fato Maurorum & Numidarum proceres uel è longissimo terrarũ tractu tumulantur. Quoniam persuasum habent, eorum animas quorum ossa sacrosancto eo in loco sita sint, uti purius expiatas, ad impetrandam cælestis uitæ fœlicitatem illorum sacerdotum accuratiore cæremonia superis efficasimè cõmendari. Imperium Tunetanum octingentis ferè milibus passuum in ora ab Occasu ad Orientẽ extendebatur. nam Bugea & Tripolis emporio & gymnasio claræ urbes, quas Nauarrus in diuersis regni finibus bello cepit, Tunetanæ ditionis erant, quum & ea introrsus ad Aethiopum harenas usq; pertineat. Porrò Fessani in Tingitana Mauritania impositi Salæ amni, qui in Oceanũ magnarum nauium capax euoluitur, bellico apparatu & militaribus copijs antecellunt. egregiè enim sustinent Lusitanos, cum quibus cõtinenter bello exercẽtur: adeò ut triginta equitũ milia in aciem educant, paratissimisq; animis ac uiribus littora tueãtur. reliquas regiones urbesq; reguli, quos Scecos appellant, circa oram prę sertim possident. At in mediterraneis Numidæ uno nomine dicti, Arabes uagantur, cum Afris bella gerunt, uenalemq; pacem habent. his mos est belli causas excitare, alere cõtrouersias, semper armis exerceri: pecuarię, colendiq; agri ministeria per seruos obire, præsertim Aethiopes: quum se omnium gentiũ nobilissimos iactent, quòd immixti sanguinis ab antiqua Pœnorũ origine progeniem ducant. Diuisi in permultra agmina à Nilo amne introrsus ad Atlanticum Oceanum extenduntur: & quum incertas sedes habeant, certis tamen pagorũ finibus imperia præscribunt. Hyeme longius à mari ad Aethiopũ fines recedere solẽt, tepore solis & clementia aëris inuitati. Aestate uerò ad uixdum maturas segetes reuertuntur, ut alieni laboris fructum intercipiant. Nemo apud eos præter paucos sacerdotes literas addiscit. neq; enim adeò accuratè, uti Mauri, sed simplici atq; expedito cultu religionibus studet, his haud dubiè fide, integritate, uirtuteq; animi, & denicq; bello & pace meliores. Incredibile dictu est quàm tenui cõuictu & ualetudinem tueantur. nam ficu sicca, dactylis, pulticula, atq; acido lacte conuiuia finiunt: tum uerò epulãtur, quum è uenatione falconumq; aucupijs, quibus maximè gaudent, prædam retulerint. Totius patrimonij eorum census est in equo pernici, quem seminudi egentissimiq; homines immenso parãt precio: nec mirum, quandò uita & uigilia eorum omnis, si bellum desit, in latrocinijs uenationibusq; consistat. Vxores adeò humiliter uiris ancillãtur, ut equos curent, & insternant. Aestate pariter atque hyeme equites pellicea talari tunica

utuntur, quod ea peregregiè sustineat uētos, & in magnis feruoribus soles nō admittat, capiti linteum intortis à mento spiris non indecens tegumentum, desiliētes ab equis in clunes considunt, parcuntq́ pedibus, ut uix exiguis spatijs obambulent. Plicatione uerò assidua, contentioneq́ artuum, itemq́ frictionibus calorem excitant. Hac exercitatione, procul à morborum cruciatu medicinæq́ periculo ad summam perueniunt senectam: adeò ut fatalem horam minimè pręsentiant, & læti euanescente potius quàm intercepto spiritu, inter colloquia liberorum leniter exspirent. Ex hac gente fuit Lentigesia Muleassis mater, uirilis animi mulier, Doracis reguli soror: cuius ingenio uirtuteq́ Muleasses adiutus & impulsus regnum arripuit. Nam Mahometes, qui multo luxu & multa cum gloria triginta duobus annis regnauerat, quum sibi uitę finem adesse cerneret, Maimonem inter duos & uiginti filios natu maximum legitimo iure regni hæredem scripturus esse uidebatur, nisi Lentigesia corruptis pretio regijs satellitibus, maritū in supremis uitæ angustijs, fatigatum precibus, dolisq́ deceptum præuertisset, ut in filium regij nominis Fortuna transferretur. Itaq́ Maimo qui paulò antè affectati regni suspitione, ob præclaram bellicę uirtutis indolem, à patre in carcerem fuerat coniectus, eo exspirante dum è custodia ad imperium se proripere sperat, iussu Muleassis interficitur. Roscettes natu secundus, qui extra arcem cum uxoribus habitabat, compræhendi non potuit, cæteri fratres grassante Muleasse in suum sanguinem barbarico more, partim iugulantur, partim candenti ferro oculis admoto, lumine priuantur. In his fuere Barcha, & Belethes, atque Saēthis stata ætate, & in spem imperij una matrum nobilitate procreati. qui, quum Tunetū in ipsa Cęsaris uictoria caperetur, ob eam calamitatem cum graui probro atq́ inuidia reducti regis, apud nostros homines Punicæ sæuitię fidem fecerunt. Ex fuga quoque biduò pòst Laselles & Habraimus, & cum his fratres quatuor uix dum puberes, in Bagrada amne tū fortè hyemalibus aquis latè inflato trepidè uadum quærentes, Solax Numidarum dux intercepit, acceptoq́ pretio, uir æquè uenalis & sæuus, Muleassi ad suppliciū tradididit. Porrò cæteri omnium reliqui Roscettes & Abdemelech, dum supra Hadrumentum profugerent, eodē penè casu, sed non iniqua sorte, in Morhabitum inciderunt, à quo, aduoluti pedibus, & salutem suam regiæq́ stirpis sanguinem commendantes, ita seruati sunt, ut quum in Numida opulento generosi animi laus quęreretur, sæuitiæ tamen arbitrium Muleassi uenditaret. accepta enim est traditionis merces, & interim illi uti deceptis custodibus, ad Bētiesem amicum suum, ulteriorem Numidarū ducem oportunè emissi. Verùm & apud hunc, proditores passim grandi pecunia subornāte Muleasse, alijs atq́ alijs petiti insidijs, ad Biscarim urbem maximè mediterraneā recessere: Ibi Abdemelech tędio tam ancipitis Fortunæ, omni spe regni prorsus abdicata, sacrato in otio religionibus se deuouit. Roscettes uerò apud Abdalam urbis principem & mox socerum adeò sollicitè atq́ accuratè ab omnibus Muleassis dolis est custoditus, ut etiam ueneni metu, non alia temerè in conuictu quàm semesa ab se uxoreq́ esculenta genero præberentur. Eo modo Muleasses paterno potitus regno, quum nemini ex regia sobole parcēdū esse statueret, aliquot etiam pueros fratrum filios enecauit, paternosq́ amicos Manifetem & Mesuarem in primis summæ authoritatis, quorum studio atq́ ope Maimonem præoccuparat, uarijs cruciatibus diu tortos & laceratos interfecit, quòd præclari benficij gratiam exsoluere nollet, atq́ eos idem aliquando contra te tanquam ingratū facilè molituros arbitraretur. Desæuijt & in aliquot nouercas, impellente Lentigesia, atq́ etiam concubinas patris nefaria crudelitate, quum ipse præposterus & in mares procliuior, in Mahometem patrem palàm inueheretur, tanquā mulierosum ac effœminatum, qui exhausto ærario ingentes fecisset sumptus, ut ducentę

ut ducentæ simul ad libidinem fæminæ regijs in hortis alerentur, è quibus tot suscepisset liberos, qui in imperio æmuli forent, ob idq; sibi in his occidendis pergraue & plenum inuidiæ negotium reliquisset: & fuêre qui existimarent patrem in supremo morbo, quum ex subita animi defectione ad spem uitæ subleuaretur, medicata potione à parricida filio fuisse necatum: nec multô pôst Dorax, qui fauente sorore delectus erat Imperator, aduersus Meschinem regulum Numidam peculiari nomine bellum suscepit: ab eo enim aliquot antè annis uiuo Mahomete, cuius gratia plurimum ualebat, graues acceperat iniurias, & parte agri fuerat expulsus: Sed Meschines præpotenti hosti facilè cessit, uti imparatus & inualidus, scilicet ut coactis auxilijs ad propulsandam iniuriã dum hostis recederet opportunè reuerteretur. Ea contentio utrinq; uario belli euentu sæpius agitata, ad extremum regem ipsum in id bellum traxit, è dignitate sua existimantem, cœpto semel bello non deesse, ac auunculi eiusdemq; Imperatoris sui partes egregiè tueri, affirmante Lentigesia id totum regio nomini ademptum uideri, quod Dorax segniter aut cunctanter adiutus, amitteret. Itaq; Muleasse in Doraci castra cum magno equitatu & Turcarum mercenarijs peditibus profecto, res eum habuit euentum, ut Meschines profligaretur, & rex ardentius ostentato erga auunculum studio suo, iam planè maturas segetes incenderet. Ea inusitatæ ac immanis iniuriæ acerbitas quum frangere Meschinis animum nequaquam posset, adeò uehementer permouit, ut eo adeunte & tota penè Africa concitante, singulos Numidarum duces ingẽs & maximè periculosum Muleassi bellum sit cõflatum: Roscettesq; à Biscari in spem regni sit euocatus, non uno tantùm sed proximo quoque regulo Numida, equites, arma, opes, insigni studio aduersus Muleassem cõferente, quum quisq; nisi omnes in unum icto fœdere consentirent, Meschinis exemplo rebus suis timere cogeretur. Contulere cum Meschine consilia, copias, & opes, Vlethes Iacob, atque Morhabitus clarissimi Numidarum duces, Roscetteq; à Biscari eductо, & regijs insignibus adornato, castra fecere nõ longè à Bachia urbe, quę itinere unius diei à Tuneto distat. Ea aduentantium hostium fama Muleassem quanquam suopte ingenio pugnacem, sed tum solitò timidiorem factum, & ex scelerum conscientia sibi diffidentem, magnopere conterruit. Verùm is non minus astu quàm sæuitia insignis, adeò egregiè metum dissimulabat, ut compressis diligenti portarum custodia de Roscette rumoribus festa hilaritate nuptias Amidæ filij celebraret, uniuersoq; populo solemne epulum præberet, & singulis tribubus, præter id nouum munificentiæ genus, esculenta omnis generis congiarij nomine largiretur, Numidas uerò propinquos & Pœnorum optimates uarijs artibus & donis sibi conciliaret. At ubi Roscettis aduẽtus diutius occultari non potuit, uexilla, arma, tormenta, ex arce proferre per Doracẽ, Numidas quos poterat mercede conducere, ex Afris equites & pedites conscribere, obsecrare prædones Turcas ut accepto stipẽdio pro se militarent. erat enim ea tempestate ad Tunetum tantus piratarum concursus, quum ibi cunctis huiusmodi generis hominibus tutissimus esset receptus, ut ea urbs Turcarum colonia uideretur. Cum his antea Muleasses certo fœdere pepigerat, ut captiuorum prædęq; omnis pars quinta in fiscum referretur, magno quidem suo quæstu, & Tunetanorum emolumento, adeò ut sibi nullum omnino ex tot urbibus uectigal atque portoriũ uel uberius uel certius esse censeretur: sed is prouentus, uti ab hostibus humani generis iniustè atque impiè quæsitus, non multò pôst Tunetanis, uti mox dicetur, dignam sæua atque auarissima gente pepererit calamitatem. Quum Roscettes appropinquaret, qui superato Bagrada amne in profluentis ripa cum Vlethis filia epulante exercitu nuptias celebrarat, Dorax ante portam urbis, quæ ad Bardeos defert hortos, in acie cõstituit, Mu-

leasse degeneri animo arcis mœnibus se tenente: cum eo erant Solax, & duo fratres reguli congnomine Benaones, cum septem ferè millibus equitum Numidarum, magnaq; Afrorum peditum multitudo, & in quo ab uirtute & disciplina, generecq; armorum firmissimum erat præsidum, Cardinus Turca cum delecta cohorte sclopettariorum, & septem curulibus tormentis: his accesserat ala prætoriana Christianorum equitum, qui ex reliquijs ueterum expeditionum in Africa remanserant, & ob uirtutem in honore habiti uxores duxerant, & nihil intereunte sobole & disciplina, extra meridianam portam in oppido Rebbato, à quo ipsi Rebatini dicti, templa, & domos, & familias habebant, quum Tunetani reges uetere instituto salutem suam externis & Christianis tutius quem Mahometanis & Pœnis committendam existimarent.

Prouolauit antè alios Meschines propius Doracis hostis, cum quatuor millibus equitum, hunc Morhabitus cum ampliore agmine continenter est subsecutus: Vlethes ipse postremam ueluti subsidiariam progressis & pugnam ineuntibus cum Roscette aciem tenuit. Restitêre aliquandiu regij, Doracem primus impetus fortiter sustinente, sed Morhabiti uim non tulere Benaones & Solax: quum undiq; perturbati, & cum multa cæde præcipites acti in fugam uerterentur: defuit spatium Caradino ad dirigenda tormenta. nam repentini hostes obliquo alarum flexu non in frontem, sed in transuersos incurrerant, tantusq; eo tumultu excitatus erat puluis, ut in incertum tormenta emitterentur, nec planè dignosci posset, utram in partem prælij Fortuna in eo maximè turbulento & confuso certamine uictoriã inclinaret. Constat ab ea pulueris nube occupandę portę & ingrediendę urbis facultatem Meschinianis fuisse ereptam, quum rarescente sensim desidenteq; puluere, & patefacta regiorum strage, & fuga Rabatini primò equites, & demum Caradinus densata cohorte, sed amissis tormentis ad portam se recepissent, atq; eam simulatq; urbem conglobato præsidio seruauissent, Roscettes cruentiore quàm pro more gẽtis potitus uictoria, sed urbe exclusus, quum nemo ex Tunetanis se commoueret, nullusq; omnino uel à timore, uel à seditione, uti futurum putarat, in urbe tumultus oriretur, ad proximam regionem quam Martiam uocant, deflexit, ea est circa magnæ Carthaginis ruinas, omnium rerum copia & fertilitate, multisq; puteis & fontibus abundans, & pulcherrimis uillis ac ædificijs frequens. Ibi circiter uiginti moratus dies, quum frustra exspectando urbanos motus, nihil proficeret, uel populantibus cuncta Numidis in oculis Tunetanorum, ut grauiore tandem periculo damnoq;, eorum animos aduersus Muleassem concitaret, totum id oliuetum immani crudelitate succendit, quod summa pariter amœnitate atque ubertate conuestitis collibus à summa arce Carthaginis ad Tuneti usque mœnia protenditur. Ferunt nullum unquam uel obsessæ, uel bellica clade afflictæ urbi, eo acerbius ac luctuosius spectaculum extitisse: exurebatur enim continenti incendio suburbanus ager, miserias suas omni populo è muris magnis eiulatibus deplorãte. Sed conturbatis ac incensis indignitate tam immanis iniuriæ ciuibus rex aderat, consolando ac adhortando, ut eam calamitatem æquissimis animis ferrent: se enim ea detrimenta singulis præsenti pecunia liberaliter exsoluturum, & daturum operam ut comparatis maioribus auxilijs, Meschinis atque Morhabiti & Vlethis prædia ad eorum prædam effusa popu latione uastarentur. Nec multò pòst quum Tunetani supra præstitæ fidei sacramentum, & portas externo milite custoditas, efferatos iniuria animos à Roscettis studio penitus auertissent, Numidæ dilabi, quod eis post confectum prælium minimè probro datur, atque Roscettem ut longè secederet, seruaretq; se felicioribus consilijs, monere cœperunt. At ipse quum alij atque alij suspensum & nutantem in diuersa distraherent, Numidarum perfidiam, & fraternas insidias s

insidias timens, eò animum inclinauit, non improbante Vlethe socero, ut Algerium ad Barbarussam confugeret, scilicet, ut illic ulteriores spes suas ad inuadendum paternum regnum securius atq; nobilius agitaret. Eo modo apud Turcam, iam tum latè subactis finitimis regulis dominantem aspirantemq; ad imperium totius Africę, in cultu propè regio permansit usq; ad id tempus quo Byzantium, uti diximus, est deuectus. Is Punicarum rerum status erat, quum Hariadianus Pontia profectus perpetuo cursu ad Bisertam improuisus appulit classem. Bisertani & tædio Mulcassis, & sua mobilitate impulsi, audito statim Roscettis nomine, Turcas oppido recipiunt, præfectumq; repugnantem oppido expellunt: descenderant enim Hariadeni iussu aliquot Afri familiares comitesq; Roscettis, qui eum adesse, sed prodire non posse nunciabant, fatigatum scilicet nausea lacessente, atque accedente febricula mentientes. Adiacet Bisertæ piscosi stagni faucibus per quas subiectum mare statis suis æstibus irrumpit, & infusum aquæ dulci sensim exorbetur & emittitur, efficitq; portum lato alueo uel magnis nauibus commodum, ab Vtica triginta ferè passuum milibus distantem, ab antiquis à circumfluente lacu, quę olim Tritonius fuit, Hippodiaritos appellata. Collaudatis Bisertanis Hariadenus, utpote qui consilij sui summam in una maximè celeritate reponebat, classem celeriter eduxit, prætereuectusq; Vticam & Carthaginis promontorium, eius turris atque munitionis, quam Gulettam nostri uocant, in conspectum se dedit, ita ut eam displosis omnibus tormentis in lætitiæ atque amicitiæ signum de more salutaret, Gulettani custodes quum salutem redderent, amicè & grauiter responderunt, se in eius potestate statim futuros, qui Tunetanæ urbis imperio potiretur. Iam ab excelsa Tuneti arce conspecta classis, & à Biserta totisq; littoribus frequentes nuncij ingentem in urbe tumultum excitarant. Erat enim ciuitas erecta in exspectationem noui regis, cùm ipsius Roscettis amore, quod mite ac liberale ingenium prę se ferret, tum odio Mulcassis, quem auarè & crudeliter imperãtem aliquot iam annos in luctuosa seruitute pertulissent. Nec ipse adeò famæ suæ erat ignarus, ut alienatos ab se ciuium animos nequaquã intelligeret, nec prę-sentiret, quàm parum spei in populi studijs esset reponendum, quum principum ciuitatis ora atque oculos intueretur. Erant enim Tunetani uel ob id ei uehementer irati, quòd uti Roscettis bello solenni pronunciatione fuerat pollicitus, nequaquam eorum inopiam liberalitate subleuasset, qui exustis atque euastatis oliuetis & uillis, dum constanter ei studerent, miserabilem carissimarum rerum iacturam fecissent. Itaq; egressum arce, & in foro concionantem de ferruerunt: quum ea præmia si pro se arma caperent degeneri uultu polliceretur, quæ nec incolumis & uictor præstare posset. Monuere quoque restitãtem adhuc nõnulli specie amicitię, & in his Abdabar: gerebat is tum magistratum, qui Mesuar appellatur, ut cederet fortunæ, extemploq; profugeret: & tum forte de aduentu Turcarum rumor increbuerat: quæ res per se pauidum, & ex meritò insidias undique timentem, destitutumq; à ciuibus in fugam concitauit, adeò turbata mentis ratione, ut in arce aurum & gemmas, & regia ornamenta relinqueret, occultata scilicet secretoribus latebris, ut his demum hostis potiretur. Primi omnium duo Hispani abrupta sacramenti fide à Mulcasse ad Hariadenum defecerunt: Abezes ex Granata urbe, is erat in magistratu qui dicitur Monifetes, & Fetuches Tarraconensis, qui custodiæ arcis erat prępositus. Hic Roscettis uxorem liberosq; eius, qui à Mulcasse in custodia seruabantur, statim eduxit, & regio cultu ornatos in solio Mulcassis constituit, Mosesq; item & Caradinus & Agis, prædones Turcæ, detractis cathenis exsoluuntur, ut cũ aduentante rege, Hariadenoq; his dono oblatis eximium sibi gratiæ locũ paratet. Abezes autem phaleratum insignem equũ Hariadeno misit, quo in ur-

bem aduehereturitemq; alios trierarchis & ducibus distribuēdos: hortansq; est ut maturaret, egregia etenim uoluntate Tunetanos ut eum susciperent, sele obuiam adapertis portis effusuros. Nec mora Hariadenus expositis in terram copijs, conscensoq; equo cum quinq; milib. Turcarum ad eam portā peruenit, quæ stagno atq; naualibus est coniuncta, ab ea ad aduersam urbis partem, ubi amplissima & edita arx in tumulū exsurgit, lata & oblonga regio pertinet, officinis rerum uenalium frequens & mercatorū porticu conuentuq; percelebris. At Tunetani quum Hariadenum per mediam urbē ad regiam contendentem, magnis gratulationibus excepissent, & in perpetua Turcarū acclamatione nihil præter Solymani, aut ipsius Hariadeni nomen audiretur, cōmoueri uehemēter perturbariq; cœpere, incēsis scilicet dolore animis, quòd Roscettes nusquā cōpareret, diu frustra oculis requisitus, exspectatusq;, ut æger tandē lectica aut nauigio ad urbem subueheretur. Auxēre tumultū Roscettis familiares nequaquam sponte Byzātio aduecti, qui nullo metu cōtineri poterāt, quin mœsti oblatis ueterib. amicis summisse dicerēt Roscettē frustrà exspectari, qui Turcarum & Hariadeni fraude in Asia & in cathenis quidē esset relictus: ij etenim natura Punico nomini fauere cogebātur, magnoq; cum dolore perfidiæ ignominiam animo sustinebāt, quum speculatorū munera obire apud suę nationis homines & ciues, seruireq; immanib. piratis metu mortis, & patriam prodere, maximè turpe & flagitiosum putarēt. Eo modo detecta fraude Tunetani frementes ira circa forū conglobātur: concitatis ducem se præbet Mesuar, quem antea diximus, authoritate, spiritu, & eloquentia Pœnorū facilè princeps. Is dudū nobilioris gratiæ locū apud nouū regem quærens Mulealsem repentino Turcarū aduentu perturbatū, & ab amicis opem, fidem, fortemq; operā implorantē, nō modò cōtempserat, uerùm difficultates atq; pericula uerbis adaugēdo, hostili planè animo egerat, ut ille urbe atq; arce protinus excedere properaret. Tum uerò sua spe deceptus, uti erat nobili ardētiq; ingenio, reuocare Mulealsem, & Turcas in arce obsidere atq; oppugnare statuebat. Itaq; ad populū ad arma cō sternatū ab altiore porticu conuersus, magna uoce, nefaria, inquit, fraude decepti sumus fortissimi ciues. Roscettes enim quē pro legitimo rege exspectatis, in cathenis Byzantij calamitatē suam luget: nos uerò nisi pro libertate extemplo captis armis enitimur, externis prædonib. perpetuò seruiemus: expediti cōsilij & festinatæ operæ occasionē præsens negotiū uobis ostendit: proinde qui seruire & uenundari nolunt, correptis repētè armis Turcas inuadant: dux ipse uobis adero, ut publico cōsilio fraudē ulciscī, & patriā &, libertatē pro dignitate Punici nominis tueri uideamur. Nec mora, omnes ad arma cōclamant, repētino impetu Turcas inuadūt, obuios ac nihil timentes obtruncāt: attollitur undiq; clamor, magno tumultu arma proferūt. Mulealses reuocatur, qui cū Dorace ad Restabianos hortos subsistiterat, ciuiū ingenijs diffidens, sed tamē retentā te matre euentū exspectans. Erat Tunetanorū ualde ingens sed incōdita multitudo nequaquā militarib. instructa armis, quæ uix sustineri posset, nisi uecordi impetu potius & præcipiti temeritate, quā periti ducis imperio & disciplina regeretur. Itaq; cōcursu undiq; facto ad arcē contendūt, aduolantq; ad id propugnaculū quod ascensu facilius esse uidebatur, portamq; habebat, pertinentē ad oppidum suburbanū, Babasuechū ab Tunetanis appellatū. In eo Turcæ uexillum prefixerāt, ac inde fortiter ac intrepidè propugnabāt: sed scandentib. Afris, atq; omnis generis tela iaculantib. ardētesq; faces cōcremādis foribus, itidē ingerentibus, ægrè sustinere, & sese in retractiorē munitiorēq; locū recipere cœperant: quū Baëtius Hispanus, quē abiurato religionis cultu Turcæ Ramadā uocabāt, tormentū æneū in editiorē arcis speculā, expedito cōsilio ingentiq; celeritate impulsum humeris militū, atq; eductū, in cōfertissimos hostes emisit: eo ictu

ictu multorũ strages edita, & multô maximus cæteris illatus est pauor, quũ ab tota etiam muri corona à sagittarijs peterẽtur, & quod maximè terrebat, sclopetorũ glandib. sternerent. Deerat Hariadeno tẽporis spatiũ, quo cõsiliũ in re subita oportunè caperet, & quid fieri uellet, militib. imperaret. nam & hostium quos pacatos putabat, repẽtinus incursus, & situs arcis nõdũ planè oculis collustratus, & cõmeatus q uix triduo sufficeret, ex penu atq horreis renũciatus, etiã egregiè cõstanti, & in summis asperrimarũ rerũ periculis sæpe uersato perturbationẽ afferebãt. Sed hũc timorẽ cùm singularis furẽtiũ potius quã pugnãtium hostiũ imperitia, tũ suorũ militũ spectata uirtꝰ magna ex parte minuebãt: quũ & ij successu ipso & protractione prælij, magis spe atq animis confirmati perpugnarẽt: illi uerò, quòd primis ausib. fortuna defuisset, in periculoso atq irrito conatu cõspecta suorũ strage & uulnerũ fœditate, iam planè cõcepto metu frãgerent. Verùm Dorax cũ ala equitũ Numidarũ & ipse Muleasses reuersi, pro uecticq; Babasuechũ suburbanũ usq; ad portam uel nomine ipso & clamorib. oppugnationẽ iam bis intermissam atq redintegratã adiuuabãt. In ea rerũ aspe ritate Halis Leuanus, è Malacha Bæticæ urbe, qui ad Mahometis sacra defecerat, uir belli peritus, utpote q in Nauarri & Piscarij castris in Italia aliquot annis militasset, cõuersus ad Hariadenũ, eruptione, inquit, nobis est dimicãdũ, si arcẽ defendere ac omniũ salutẽ, recentẽq; nominis tui dignitatẽ tueri egregiè uolumus, si cominus enim collato pede manus cõserantur, nõ ferẽt nostrorum impetũ, qui nunqã aciem uirorũ militum uiderũt, inanisq; audaciæ protinus pœnas dabũt: quũ nec in seruitute nequissimi regis pacẽ pati, nec in ipso quietis ac otij limine authores acceptę libertatis grato animo ferre uoluerint. Quũ Halis sententiã ferè omnes laudarẽt, & in primis Moses & Agis uiri fortes, quos cum Rhodia eductos fuisse diximus, atq itẽ Haidinus Smyrnenus cui Cacciadiabolo cognomẽ fuit, inter piratas lõge fortissimus, cõprobante Hariadeno, & prælij signum dãte, duabus portis erũpunt, circũuentos ab diuerso latere trucidãt, insignis tribus in locis editur pugna, magna uis inermium Pœnorũ interficitur, & ipse Mesuar glande traiectus cadit.

Tum uerò ab impugnatione discedit unaquæq; trib. pulsa loco in suã regionem. Instante demũ præmẽteq; Turca milite, in plateis & cõpitis cruẽto maximè prælio aliquot horis est decertatũ: ad extremũ Tunetani superati, atq intra domos cõpulsi, quũ non pro rege, sed pro uxoribus & liberis certaret, inde Halis recepit suos, cæde, æstu, siti, & multo labore defatigatos. Ferunt ea die supra tria milia Tunetanorũ desiderata: uulnerata uerò ad triplũ. In eo successu Muleasses desperatis reb. ingẽti cursu se proripuit, comitãte protegẽteq; Doracis equitatu. nam persequentib. Turcis, quũ in tumultuosis. fuga ægrè sese inter hortorũ macerias explicasset, parũ abfuit quin in potestatẽ hostium deueniret. Dorax superato Bagrada amne in pacata loca suę ditionis eum perduxit nõ lõgè à Cõstantina urbe, aluitq; eum liberaliter, & summa fide protexit usq; ad Cęsaris aduentũ Cõstantinam, ut literæ saxis ad mœnia incisæ manifestò indicãt. Cyrtha Numidiæ regia olim fuit, distatq; à proximo maris littore ubi nunc tenue oppidũ stationẽ habet nomine Collũ, colonia Collu antiquitus appellatũ. Cæterũ ea nox quæ prælij & regis fugam secuta est, Tunetanis pariter & Turcis insomnis fuit: actæ nanq; summa cura utrinq; uigiliæ, dispositis in muro pariter & ad arcis exitus armatorũ cohortib. sed dies pacẽ atq otiũ utriscq; attulit. Nam Pœni inter tot funera suorũ & uulnera, utpote q satis improsperè uiriũ surũ periculũ fecissent, cęso Mesuare, pacẽ & bellũ malebãt, præsertim quũ rex ipse pro cuius imperio ac dignitate certabat, opib. atq animo in solitudines effugisset: & id & q; Hariadenus impetrare cupiebat non ignarus eã & habebat militũ multitudinẽ pertenui copia cõmeatus uix triduo in arce posse sustentari, sum-

mæq; rei spem partamq; victoriam deuocari in apertum discrimen si Tunetanorũ animi, desperatione ueniæ, aut uindictæ rabie inducti accitis undiq; Numidis & Afris, ad obsidendam arcem uerterentur. Itaq; impetratis inducijs Hariadenus, solemni dat sacramẽto pacẽ & accipit, alloquiẽ urbis primores, ostendit eo consilio se uenisse, ut ciuitatem sæuissima Muleasis tyrannide liberaret, liberatamq; quantis maximè posset beneficijs atque muneribus augeret simul ac ornaret: qua benignitate Tunetanos sub longè maximi atq; optimi principis tutela, breui sperandum foret diuites atq; beatos ex egentissimis atq; miserrimis euasuros. Proinde id se unum ab ipsis postulare, ut Solymano & sibi eius præfecto fidem seruent, & in ea libertate conquiescant, quam multo suo labore & sumptu, deorumq; præsertim immortalium beneficio, potius quàm ipsorum merito susceperint. Quòd si aliquando futurum esset, ut ipsius ac Turcarũ imperij & amicitiæ Tunetanos pœniteret, & Roscettem omnino desideraret, se minimè dubitare quin Solymanus regna uel Christianis dono dare solitus, si per legatos id peterent, eum in Africã concesso regno, & regalibus donis adauctum esset transmissurus: sed etiam atq; etiam cauerent, ne eo consilio exitialis belli potius quam tranquillæ pacis materiam quærere uiderentur. Ad ea Abilchirinus, qui postea Mesuar est effectus, respondit non debere eum Tunetanis succensere, si uti ab omni annalium memoria regibus antiqua stirpe editis adsueti, eo electo qui tyrannidem per decem annos exercuerit, alterum qui æquitatis atq; iustitiæ fama floreret, sibi regem exoptarint, præsertim quum is absp so classe aduectus & penè dono datus esse crederetur. Non mirum idcirco fuisse, si in cõtumeliæ nomen commutata beneficij fama, ipsi uti fraude, aut certè opinione decepti, adeò insanire sint uisi, ut uinci armis quàm dolo subigi maluerint, quandò ipsi atq; Muleasi multò satius fuisset occlusisse urbis portas, quum externa classis Africę littoribus appulisset, quàm incertis omnino rumoribus incautè credidisse. Proinde Tunetanos tanquam fortunæ indicio in deditionem acceptos, optimo iure paratos esse iurare in uerba Solymani atq; eò quidem æquiore animo, quòd pro egenti & in suis miserijs iniqua sorte iactato, longè amplissimum & felicissimum terrarum orbis regem nequaquam uotio, sed præter spem arridente fortuna, quòd Punico nomini benè uerteret, esfent consecuti. Compositis Tunetanis rebus, & creatis magistratibus Hariadenus ante omnia operam dedit, ut Numidarum principes sibi fœdere ac benenuolentia iungerentur: quod ubi largitione atq; muneribus apud homines egenos, & ad ineundam dissoluendamq; amicitiam ab uenali ingenio proclíues, celeriter est consecutus, Asanagam eunuchum genere Sardum, cui maximè fidebat, atq; item Halim Leuanum, cum lanizeris & tormentis aliquot curulibus ad recipiendas Africæ urbes misit. Paucisq; diebus nullo labore operientibus cunctis portas, mediterraneæ pariter atq; maritimæ urbes deditionẽ fecere: una omniũ urbs Caruenna quũ se uetusta sacrorũ religione & sacerdotũ domicilio immunem ac liberã existimaret, aliquam diu restitit: sed uicta excidij metu Turcarum armis facilè cedens præsidium accepit. Inde Hariadenus regiam nouis ædificijs exornare simulatq; munire orsus, septũ in cauedio, in quo Turcarum more pro tribunali ius diceret instituit, conatusq; est multis seruilibus operis aperire nouas fauces, ac immittere per eas id mare quod à promontorio Carthaginis lunato flexu ad stagni munitiones extenditur. In eo littore geminę sunt turres, ab aquæ salisq; nomine à nostris appellatæ, ubi olim ille insignis Carthaginensium portus uisebatur. Id opus ea ratione Hariadenus efficere cõtendebat, ut tuto, perãploq; & maximè expedito portu uteretur: nã uado se admodũ erãt angustię, quib. Guletana turris ab ortu aduersę cõtinẽti ligneo põte cõmittit, ita ut triremes ęgrè humeris seruorũ & tractorijs machinis in stagnum

gnum impellantur & educantur. Ab his faucibus Pœni leuibus tantum nauiculis, propter humilia uada, ad urbem Tunetum adnauigant: uideturq; id stagnum cētum ferè stadiorum diametro in orbem ueluti circino circunductum, & id multo cœno multaq; uligine passim uado sum. Cæterum id opus Aquilones facilè disturbarunt, inuecta scilicet aggestaq; continuis æstibus ac fluctibus arena, adeò, ut quum priscarum molium fundamenta reperissent, Hariadenus, ne ueteris portus quanquam parum commodi, iactura fieret, suadentibus piratis incœpto absisteret, quum stagnum exiguo tempore expleri penitus atque obstrui posse uideretur.

PAVLI IOVII NOVOCOMENSIS, EPISCOPI NVCERINI,

EX HISTORIARVM SVI TEMPORIS LIBRO XXXIIII, de CAROLI. V. CAESARIS AVGVSTI in Tunetum Africæ vrbem expeditione fragmentum.

EXCITATA ad pium bellum uniuersa Hispania, conuentibusq; peractis, Cæsar è Carpentanis Barchinonē uenit. Eius aduentus omnium opinione celerior, tantusq; naualium & terrestrium copiarum apparatus, haud dubiè inimicorū animos in pace continuit: adeò ut rumores qui de Gallis, Britanno q; rege, & de Heluetijs allati erant, penitus extingueren-
tur, reguliq; Italię, uti cæco metu liberati cupidius atq; liberius in id bellum officia præstarent. Soli Veneti in amicitia Solymani perseueran-
tes ex fœdere, quod ante XXX. annos cum Baiazete eius auo percussissent, neutri parti ferenda auxilia censuerunt. Interim Andreas Auria, quem Cæsar toti maritimo negotio præfecerat, cuiq; uni propter spectatam fidem rerumq; peritiam, profectionis suę atq; supremi consilij decreta communicarat, incredibili adhibita celeritate, ac diligentia multarum ingentium nauium, ac triginta rostratarum classem instruxit, in queis erat quadriremis una, quæ prætoriæ loco Cæsarem ueheret. Ea erat laqueari aurato, & cælata pictaq; introrsus puppe, contecta item umbraculo ex auro purpuraq; intertexto, remigibus serica tunica & epibatis omnibus uestitus, ac armaturæ cultu plurimum exornatis. Præterea uim ingentē nautici commeatus, instrumenta nauali noui artificij, tormētorumq; omnis generis ac telorum copiā uel maximo suffecturam bello in naues distribuerat, quibus totius Liguriæ iuuentutem, & ex nobilitate fortissimum quemque certatim cunctis nomina dantibus imposuerat. Ad eum hæc ipsa ingenti cura famaq; administrantem, ut præclaræ uirtuti suus honos haberetur, Paulus Pontifex gladium de more solemnibus cæremonijs consecratum dono misit, is erat gemmato capulo cælataq; uagina, cū baltheo aureis bullis & fibulis ualde conspicuo, & præter eū etiam uilloso è serico pileum margaritis Phrygio opere depictū. Ea sunt eximij pijq; ducis aduersus Christianæ religionis hostes depugnantis insignia, magnis regibus dono dari solita, sic ut non immerito strenuus senex, quanquā multa iam nauali gloria plenus, adpetendam noui decoris laudem accenderetur. Dū hęc Genuę ingenti Aurię atq; Ligurum omnium studio parantur, Alfonsus Vastius bellica laude illustris, ab Aenaria literis Cæsaris euocatus, ad Andream Auriā peruenit, atq; inde transgressus Apœninū in urbe Viglebano Franciscum Sfortiam & Antoniū Leuam conuenit.

conuenit. Iubebat enim Cæsar ut Vastius suo antiquo pedestris militiæ impē-
rio fungeretur, legionesq; Germanorum ac Italorum in Africam transporta-
ret: Antonius uerò Leua in Galliæ Cisalpinæ præsidio permaneret. Huic enim
Cæsar, quanquam ducem animi uirtute insignem secum adducere cuperet, om
nino parcendum putabat, quoniam esset læuissimis articulorum doloribus
conflictatus, ob idq; ad perferenda nauigationis incommoda imbecillo admo
dum corpore uideretur: & in Italia quidem opus erat constanti & impigro Du
ce, qui in utrumque suscepti belli casum intentissimè uigilaret. Huic autem prę
cipuè est iniunctum, ut seuero edicto prohiberet, ne quis è numero ueterano-
rum Hispanorum noui belli cupiditate ad mare dilaberetur. Nolebat enim so-
litis stationibus prouinciam nudari, adeò propinquam Gallis, Heluetijsq; fi-
nitimam, quorum incertæ fidei nihil omnino præsidio uacuum foret reliquen
dum. Deliguntur itaque Itali tres præfecti, qui circiter uiginti quatuor cohor-
tes conscribant. Is numerus quinque milium hominum summam efficiebat.
Hi fuere Hieronymus Tutauilla Sarnensis Comes, qui superioribus annis in
Peloponneso egregiam fortemq; operam præstiterat, & Federicus Carectus
in Epantheris Liguribus, & in ora Ingauriorum ad Finarium oppidum clien-
telis atque opibus potens, cui Auria uitricus erat: itemq; Augustinus Spinula
bello clarus. Hi statim hinc atque inde digressi, celeriter ex optimo genere mi-
litum cohortes implent, tanto ueterum nouorumq; militum concursu, ut con-
scriptis plerique uoluntarij sine stipendio miscerentur. Interim Maximilianus
Eberstteinius, dux uetus per Tridentinas Alpes octo milia Germanorū in Lu-
nensem agrum perduxit, in queis fuere plerique nobiles è stirpe regulorum si-
ne mercede Punici belli famā sequuti. Hos humaniter liberaliterq; susceptos,
simul & Italos pulcherrimis armis Mediolano aduectis instructos, aduocata
concione cohortatus est, ut patientissimè dum nauigarent maris tædia perfer-
re, ac ubi terram Africam attigissent, optimè de uictoria sperare uellent. Pugna
turos enim ipsos pro dijs immortalibus & pro Cæsare, qui nunquam pijs &
fortibus defuissent. Ita summa omnium alacritate conscensæ sunt onerariæ na
ues triginta octo, quarum præsidio Antonius Auria magnitudine animi & na
uali uirtute uni magno Auriæ secundus duas & uiginti rostratas adducebat.
Nec multò pòst Vastius è portu Veneris soluit, ita ut triremibus oram legeret,
onerariæ uerò ad conspectum in alto uelis uterentur. Sed alternantibus sæpe
uentis, & inflato nonnunquam mari, tardius quam sperarat in Traiani portum
ad Centum cellas peruenit, quo iam Pontifex ab urbe decurrerat, ut sacris prę-
cationibus Deum optimum maximum diuosq; Christiani imperij tutelares,
ad uictoriam de hoste parandam nauigantibus propitiaret. Ita ipso Pontifice
præeunte, uerba, & hymnos sacerdotum choro decantante, triremes nauesq;
onerariæ quę mira fœlicitate adæquato cursu ab alto in conspectū se dederant,
ab excelsa specula expiatæ lustratæq; sunt. Datum est item uexillum & sceptrū
Christianæ religionis in templo de manu Pontificis Virginio Vrsino: postri-
dieq; Vastius cum eo nactus idoneam tempestatem, Neapolim cursum dire-
xit. Ibi Petrus Toletanus Prorex, regulicq; peculiari studio impensaq; singulas
triremes ædificarāt. In his fuere duo Sanseuerini Salernitanus & Besennianus,
itemq; Spinellus & Carafa, Hispanusq; Alarco Neapolitanæ arcis præfectus.
Ad has septem aliæ accesserant, quas ipse Toletanus publica pecunia con-
fectas deduxerat, & noxijs nefarijsq; hominibus ad remum damnatis im-
pleuerat. Dum cuncti in eo apparatu essent occupati, Vastius in quol-
dam more militiæ animaduertit, qui pertæsi nauseam maris, & longinquæ
nauigationis incommoda reformidantes, conceptas de uictoria spes ma-
ligne extenuare, stipendij tenuitatem detestari, consternareque multitudi-
nem

rem ut signa deserererent, seditiosis sermonibus cœperant. Ad authores tantùm pœna pertinuit, adeò ut inuoluti saccis profundo mari spectante classe mergerentur. In his fuêre Michael Tarraconensis, & Molina qui apud Caueanum oppidum excitandæ seditionis initia præbuerant. Parato, & in naues omnis generis commeatu abundè congesto, impositisq; militibus, Hispanisq; præsertim ueteranis, qui à Corone redierant, oram soluit, Eum secuta est uniuersa prope totius Campaniæ iuuentus, arreptis undique nauigijs, tanta omnium cupiditate, ut nemo Neapoli relictus esse uideretur. Inuitarat enim tomitate insigni quosque opibus ætateq; florentes, ac notos sibi militiæ ueteranos, quod his atque illis pulchrum esset, uel emerita stipendia, uel tyrocinij præclaram indolem memorabili uictoria nobilitare. Profectus & unà Federicus Pro-regis filius, ingenio bellici decoris auido iuuenis, paucisq; diebus Panhormũ in Siciliam est peruentum. Hisdem quoque diebus & ipse Andreas Auria diuersa nauigatione in Hispaniam ad Cæsarem peruenit, cum uetere sua sedecim triremium classe, tribusq; celocibus quos galeones uocant. Ea sunt nauigia structura militari, formaq; ad omnem uel tormentorum uel tempestatis contumeliam egregiè sustinendam idonea, paulò minora onerarijs, humiliorag; instructa quadratis uelis atque etiam aliquot remis, ut è portubus in apertum mare ad captandos uentos facilè sit sese prouehere & promontoria superare. His fermè utuntur, qui piraticam exercent, quoniam innumerabilem tormentorum copiam ferant, quibus uel plurimas triremes, in multa malacia ad se expugnandum appropinquantes perfringere maioribus tormentis atque demergere facilè possint, quum directis ad libellam summæ aquæ per fenestellas ualidissimis colubrinis, in orbem undiq; ferreæ pilæ ad multum maris spatium emittantur: perflantibus uerò uentis reliquorum nauigiorum cursum antecedant, Cæsar delectibus habitis circiter octo milia peditum magna ex parte tyronum conscripserat, & septingentos equites ulterioris Hispaniæ regulis imperarat, ex uetere eius regni consuetudine legeq;. Nam superioribus bellis, quibus cum Mauris de Beticæ imperio dimicatum est, nemo procerum fuit, qui non certam equitum manum conferret, & contra hostes in castra perduceret, cuius impositi oneris causa magnas tulerant immunitates. Ii leuis armaturæ equites dicebantur, quòd nihil præter apertam galeam & thoracem ferreis laminis squamoso opere consertam, leueq; item ex præduro corio scutum Maurorum more & lanceam latæ cuspidis, gladiumq; habilem gestarent. His omnibus copijs præerat Mendocius, Tendilij filius, cognomento Montegius. Sed plerique illustres reguli, & ex toto nobilitatis ordine frequentes euocati, ad Cæsaris aulam conuenerant, qui grauioribus protecti armis, ac instructi generosis equis, pro censu & amplitudine ditionis, aliquot clientes liberaliter armatos trahebant, ut loco stipendij gratiam Cæsaris, & ex alacri pioq; studio ad nauandam operam certæ laudis decus promererent. Inter hos authoritate nominis eminebat Ferdinandus Toletanus Albæ regulus, non dubiam magni futuri ducis spem præbens, quum publico pietatis nomine, & priuato uoto uehementer incitatus, in Barbaros deferretur, ut Garziæ patris cædẽ uindicaret, quem ab Afris ad Girapolim, Mœnice in insula cæsum fuisse docuimus. Venerat etiam ab Oceano portuq; Gallico Ludouicus Lusitaniæ regis germanus frater, cuius soror in matrimonio Cæsaris spectabatur, cum classe uigintiquinq; nauium eius generis quas carauellas uocãt, Indicis nauigationib. assuetas, magnaq; rerũ omniũ & tormentorũ onera, & quantũlibet irati maris iniuriã facilè perferentes. In his uidere erat excelsum galeonẽ incõparabili tormentorũ apparatu permunitũ. Ea in classe duo milia peditũ descriptorum præter nautas recensebantur. Applicarãt etiã è Belgico Oceano per Gaditanũ fretum

tum supra sexaginta onerariæ naues, quæ copias passim paratas & cõmeatus singulis mediterranei maris portubus susciperẽt. His aduectus fuerat magnus damnatorũ numerus, quibus per Belgicas urbes uita ex decreto Cæsaris idcirco fuerat concessa, ut in supplementũ remigũ in triremibus operam præstarẽt. Nam eius generis hominũ ærumnoso in labore facilè deficientium inopia mo menti minimè leuis futura credebatur. Itaq; Cæsar copijs & commeatib. in naues distributis, totoq; ad edictum exercitu designata nauigia ea lege cõscen dere iusso, ut nemo scortum, aut puerũ nisi ætate militari secũ adduceret, è Barchinone oram soluit, tenuitq; cursum in Magonis portũ minoris insulæ Balearis, atq; inde turbulenta nauigatione in Sardiniam Caralim peruenit, quò nuper Alfonsus Vastius ex Sicilia cũ sua classe applicuerat. Nec multò post Cæsar, ipso Auria reliqui cõficiendi cursus rationes explicante, atq; adhortante ut omnis moræ causa præcideretur (nam Hispanica classis iam penè toto conuenerat) in Africam traiecit, & in Vticæ portũ, quem Farinam nautæ uocant, leni Coro remigum laborẽ subleuante uniuersam classem intulit. Magno autem cum su una omnium prætoria quadriremis, qua Cæsar ipse uehebatur, dum intraret fabuloso in uado hæsit. Quo animaduerso periculo Auria expedito cõsilio dimidiam partem uectorũ & remigum in aduersam spondam declinare iussit, tanta agilitate, ut ad imperium canentis fistulæ quadriremis uti pondere subleuata impulsaq; demum dextro remigio eum arenæ tumultũ euaderet, & incolumis cum plausu uniuersę classis redderetur: nequaquã leuiter cõmoto Cæsare, qui simile uitæ discrimen Philippum patrem subijsse memorabat, quũ ille in Oceano transuersa abreptus tẽpestate in arenæ cumulos periturus incidisset, nisi ingentis fluctus beneficio elata nauis atq; ultra exstãtem fabuli cumulum transportata, magno miraculo in Britannię littus euasisset. Ab Vtica mox discedens classis circunuecta promontoriũ Carthaginis, totumq; eius regionis littus quam Martiam uocant, excisæ quondã superbæ urbis ruinis, & noua regio rum hortorum amœnitate celebratũ, appulit cõtra turrẽ quam de subiecto tonte Aquariam uocant. Hæc est in ea plaga, ubi stabula elephantorũ florente Carthagine fuisse putamus. Nam & Cotũ insulam, & totius antiqui portus formã, naualiaq; quibus Romani uictores inuiderint, tanti æui uetustas mutare & abolere facilè potuit. Barbari qui ab imminentib. Vticæ collibus, alijsq; passim speculis, & ab excelsa arce antiquæ Carthaginis, quam Birsam fuisse memorãt, aduentum & cursum explicatæ classis cõspexerant, Hariadeno Barbarussæ renunciarunt, hostilẽ classem innumerabilibus omnis generis nauigijs constare. Erant enim septingentæ fermè naues, in queis duæ & octoginta rostratæ triremes frequentib. exornatæ uexillis cõspiciebantur, quæ speciem æquo maiorẽ & terribiliorem hostium oculis præbebant. Verum id Barbarussæ animum magnopere perturbauit, quòd alij atq; alij præcurrentes nunciabant in classe procerto esse Cæsarem ipsum Christianorũ maximũ imperatorem, tantasq; equitũ & peditum copias amplissimæ classi fuisse impositas, ut nemo qui arma ferre posset, in Hispania atq; Italia relictus esse uideatur. Hoc affirmari à quibusdam seruus Mahometani nominis, qui præterita nocte exutis cõpedibus ex hostili triremε in proximi littoris dumeta fœliciter enatassent. Non putarat. n. insolens Barbarus nostrarumq; uirium cõtemptor, (Cæsarẽ periculosis inexplorati marum casibus, in ignota præsertim, sterili, ac æstuosa terra dubio bello se cõmissurum: sed quod captiui à piratis Tunetũ ꝓducti dicere solerẽt, ꝓ legatos, ipsumq; præsertim Auriã, nõ Tunetũ quidẽ ipsum, uerũ ignobilia tantũ eius oręoppida tẽtaturũ. (cuius cõfirmãdę opinionis ante alios author fuerat Aloysius Præsenda honesto loco Genuæ natus, qui in itinere supra Adrimentũ captus in libera propè custodia Tuneti habebat. Ab hoc Barbarussa crebris percũctationibus, multa

multa de Italicarum rerum ſtatu moribuſq; noſtris, tanquam à perito diſertoq; homine ſpem præbens maturæ libertatis, ſibi opportuna didicerat. Hunc itaq; ira percitus, quòd falſa pro ueris de Cæſare aſtute perfidioſeq; narraſſe crederetur, ad ſe productũ, oneratumq; malignitatis cõtumelia in ueſtigio interfici iuſſit. Hac immiti inſontis hominis cæde, tanquam uaniſsimæ ſuæ crudelitatis expiato dolore, Barbaruſſa ad gerendi belli cogitationes ſe conuertit: primumq; omnium aduocatis in conſilium trierarchis, quib. propter ſpectatã uirtutẽ maximè fidebat, docuit, uiris fortibus nihil omnino de uictoria dubitandũ: quando eam ipſe hiſdẽ de cauſis iam pro certa atq; explorata perciperet, quibus Cæſarem id difficile atq; anceps bellum (ſi non omnino inſanus foret) minimè ſuſceptum credidiſſet. Quis enim, inquit, regionis non ignarus (ut hic uires noſtras non extollã) hoſtem nõ iudicet ambitioſę cupiditatis inconſultæq; audaciæ pœnas daturũ, qui iniquiſsimo anni tẽpore ſolſtitialib. diebus in loca æſtu torrida, & aquę prorſus indiga, minutiſsimiſq; obſita arenis, quas uẽtus in ora atq; oculos incedenti um uerſet, certaturus aduenerit? An hoſtiũ milites, quos audio magna ex parte eſſe tirones, grauib. onuſtos armis facilè progredi regredi'ue, aut inueſtigio, uti uarius improuiſæ pugnæ caſus depoſcat, fortiter conſtare poſſe arbitrabimur? Quum prolata & facilè cedens arena, ad ſuras uſq; pedes deuoret, nec ordines rectè cõſtitui ſinat. Qua porrò bellandi arte & peditũ Turcarum uim, & Numidarũ equitũ perpetuò laceſſentium repentinos impetus ſuſtinebunt aut eludent. Si uerò tot ſunt, quot iſti aſſerunt, qui'nam cõmeatus, ſi bellũ trahatur, tantã hominum colluuiẽ paſcent? Hoc profectò bello, uiri fortes, nouum & incõparabile trophæũ in terra Africa defigemus, quòd Carolus ſummæ opulentiæ & dignitatis hoſtiũ Imperator aut trucidatus concidet, aut opimæ futurus prædæ in noſtrã ueniet poteſtatẽ. Quod ad me attinet, enixè dabo operam, ut nihil uel armorũ, uel cõmeatus, uel auxiliorum adminiſtrã do atq; gerendo bello uobis deſit. Vetera enim armamentaria pandã, aperiam horrea, reſerabo ærarium, & ad Numidas quos iam amicitia conciliatos habemus, pecuniam in ſtipendiũ, exoptataq; genti munera confeſtim mittã. Tunetanos uerò in ſpẽ præmiorum exigua mercede in officio contineri, & hoſtibus obiici facilè poſſe ſcitis. Hoc autem unum militiæ munus à ueſtra uirtute uehementer expoſtulo, ut Guletã quæ non urbis modò, ſed totius imperij, & ſubductæ præſertim claſsis certiſsimũ eſt propugnaculũ, acerrimè & conſtantiſsimè defendatis, in eã enim hoſtis primo impetu deferetur. Vos itaq; eam mihi & Solymano imperatori inuictis animis ſeruatote, ut irrito incœpto tentata, & à uobis fortiter defenſa, hoſtis Cæſar deceptus ſua inani opinione, & tota exiſtimatione ſui nominis ſpoliatus, non iam de expugnãda urbe Tuneto, ſed de reditu ſaluteq; deſperet. Hæc quũ dixiſſet, trierarchi uno cõſenſu reſpõderunt, ſe paratiſsimis animis cũcta facturos quæ imperaret: nec cõmiſſuros ut dedecus priſtina ſua uirtute indignũ admitteretur, & id iureiurãdo ſinguli cõfirmarunt. Hos omnes Sinas Smirnæus dextro captus oculo, quẽ Turcæ Cæfutẽ (hoc eſt ludæum) uocabãt, cùm ætatis honore, tum militaris prudentię authoritate facilè anteibat. Huic proximi accedebant Haidinus Cilix, cui propter terribilem impetum Cacciadiacolo cognomen erat, & ſecũdum hos Salecus ab Ionia, & Tabacches pirata Laodicenus, & ex ordine lanizerorum Giaffer centurio, uirtute animi & corporis uirib. inſignis. Is Guletæ ſitus eſt, ut lateritia turris cum adiecta munitione his faucibus immineat, per quas Carthaginenſis ſinus mare ad auſtrale littus allidens, ſenſim in ſtagnum ſeſe inſinuat, quo paruis nauigijs ad urbem Tunetum aditus patet. Neq; enim hæc palus longior eſt, aut latior duodecim miliaribus, ſed utrinque ita humilia ſunt uada, ut niſi medio eoq; profundiore alueo pernauigari queat. Ingreſſum à mari turris prohibet,

quam

quam circum adiectæ munitiones augent, ea amplitudine, ut iustæ manus præsidium facilè capiat. Hanc Barbarussa multis tormentis instruxerat, ut suam|classem, quam intra stagnum propulerat, ab hostili iniuria tueretur. Carthaginensis autem sinus ea forma est, ut eius ingressus ab alto adnauigantibus abscondatur: quoniam Clupeæ promontorium antiquis Mercurij & Pulchri uocatum, multum in occidentem solem sese extendit, & introrsus demum se reflectens, alterum efficit promontorium olim Apollinis, hodie Zafranium à nautis appellatum. Inde uerò lunato ambitu, ad Guletæ fauces recuruatur, & ad læuam Radæ urbis calidarum aquarum salubritate celebris, regionem relinquit. Ex aduerso autem collapsæ Carthaginis situm spectat, atque item colles, oliuetaq́, & littus ipsum Aquariæ turris, qua nostra classis appulerat. Cæterum Guletæ fauces pons ligneus cum aduersa Orientali parte coniũgit, quo transirent qui ab Tuneto terrestri itinere commeabant. Huc enim atq́ illuc Turcæ iter habentes, sese diuisis per uices excubijs, permutare erant soliti. Nam rerum omnium copiæ in quotidianos usus per stagnum leuioribus lembis aduehebantur. At Cæsar tota classe ad anchoras constituta, pronũciari iussit, ut milites expediti in triremium magnarumq́ nauium scaphas desilirent, & toto littore descensiones facerent: quod usq́ adeò compositè administratum est, ut tota undiq́ littora Barbarorum agminibus nudarentur. Neq́ enim nostrorum clamorem, & scloppettorum strepitum ferre potuerũt, quin in fugam nullo contracto certamine protinus se darent. Veteranos Hispanos Itali, & hos demum Germani subsecuti sunt: cunctosq́ munitis castris Vastius constare, nec temerè uagari iussit, donec equites & reliquæ omnes copiæ, totusq́ tormentorum apparatus in terram exponeretur. Descendit & Cæsar ipse bonæ spei & certæ alacritatis plenus, qui alas hostium occupantes littora, & descensum nostrorum prohibere conantes, in fugam uersas conspexerat. Erexit autem prætorium idoneo in loco inter duas turres, quarum alteram uocari Aquariam diximus, alteram Barbari Salinariam appellant. Interim uariæ militum manus emissæ sunt, quæ proxima explorarent loca, & cisternas puteosq́ quæritarent, hostiumq́ simul casas & uicos mapalibus similes occuparẽt, usq́ ad summos colles, ubi uetusti templi ædificia uisebantur, quo in uertice duarũ cohortium Italicarum uexilla præsidij causa constituta sunt iuxta antiqui operis aquęductum, quo olim magna perennis aquę uis in urbem Carthaginem perducebatur. Afri pedites, equitesq́ præsertim Numidæ, uelox, insidiosum, & summi laboris militum genus, omnibus horis, locisq́, repentini ac infesti nostris occurrebant, locorumq́ notitia confisi, uti erant inermes & agiles, nostros sæpè incautos ac impeditos armis circumsistebant, sagittis, iaculis, atq́ lapidibus rem gerentes, tanta feritate, ut nemini uel dedito parcerent. In quibus fuit Hieronymus Spinula Ligur centurio, cui Numida eques ictu inuerſæ lanceæ postrato, ab equo desiliens priusquam subueniri posset, caput præcidit, & conscenso rursus equo celeriter asportauit. Eadem quoq́ mala sors incidit Federico Carecto regulo: is quum à Vastio exploratum duceretur, eius lateri hærens scloppetti glande traiectus est. Sed ea hostium agilitas ferociaq́ Cæsarem minimè retardabat, quin cum paucis exploratum iret, & in conspectu uolitantium undique Numidarum cuncta oculis perlustraret, ea quidem animi constantia, ut ab amicis grauioribus frustra admoneretur, ne minorum ducum munia tanto suo publicæq́ salutis periculo usurpare uellet. Iam Vastius non longè à Guleta legiones promouerat, crebris passim obliquis fossis sinuosè perductis, & constitutis munitionibus ut tutò milites commeare, in operecq́ uersari possent, & continuos tormentorum hostilium ictus pauescere desinerent. Faciebãt autem opus non serui modò remiges, sed milites ipsi omnium ordi-

rum, magno quidem cum labore, uerùm alacritate singulari : utpote quibus Cæsar præsens ac indefessus esset adhortator, & plerique duces certatim ligonibus & batilis promptas manus admouerent. Erat enim extensæ munitionis ingens spatium, nam Cæsar nequaquam properè, sed paulatim proferenda opera censuerat, ut tutò produci milites & tormenta muralia opportunè subuehi, atque inde inuadi hostes possent, qui nihil omnino apud nostros remissum, aut paulò negligentius munitum esse patiebantur. Tantos siquidem spiritus barbari prædones sibi desumpserant, ut ultrò erumpere, & nostros ad conserendas manus prouocare, accedereq; propius ad munitiones, atque eas subuerte auderent. In prima erecti aggeris fronte; præcipuum sibi locum deposcerat Sarnensis regulus, elatus spectatæ uirtutis fama, quam Peloponnesiaco (ut diximus) bello fuerat adeptus. Is rotundi ambitus aggerem muralis instar propugnaculi, sed paulò quam ex disciplina oporteret angustiorem erexerat, nam in medio tabernaculum splendidè extensum, fermè totum loci spatium occupabat. Intra hunc aggerem quanquam arctè cohortes suas contulerat. Sed uir æquo acrior, & parandæ laudis auidior, quum fortè hostes in conspectum se dedissent, quin in eos confestim erumperet, contineri non potuit: Salecus enim ausu astuq; piratico insignis, cum delecta suorum manu, ad eius munitionem excelso tabernaculo conspicuam aduolarat, magnumque & repentinum tumultum apud nostros excitarat: sic tamen ut sclopettorum glandibus repulsus, coactusque se recipere uideretur. Tum uerò Sarnensis quibusdam præfectorum suorum contumeliosè appellatis, quòd eos timidius & cunctantius egressuros & subsecuturos appareret, in hostem callidè terga uertentem, ira feruidus erupit, obuios acriter uulnerans atque prosternens: scilicet ut fato suo non inhonestam uiam aperiret. Ita Salecus nostros satis magno interuallo à cæteris disiunctos, edendæq; cædi opportunos uidens, ad suos conuersus, milites, inquit, quam exoptastis de hoste prædam indagine clausam tenetis, proinde conuertite ferrum fortiterque pugnate, ut nemo ex his audaculis tyronibus uiuus aut integer euadat. Nec mora, conglobantium sese ea fuit impressio, atque is in hostem impetus, ut nostri pauciores aduersus multos non diu resisterent, sed tumultuosissimè terga darent. Sarnensis ipse ante alios acerrimè depugnans cum Belingerio affine suo cohortis præfecto trucidatur: reliqui eandem in fuga oppressi fortunam subeunt. Cæteros intra munitionem confugientes, irretitosq; tabernaculi funibus, quò minus expedita fuga se reciperent, Turcæ audacter intrantes contrucidant, â quibus argentea suppellex ipsius Sarnensis properè direpta est: neque fuit quisquam ex proxima Hispanorum statione qui satis maturè sociis perturbatis & profligatis opem tulerit. Ferunt enim Hispanos sociorum Italorum cladem non omnino tristibus spectasse oculis, tanquam bono iure indignantes, quòd propinquæ hosti, ideoque periculosæ custodiæ locum arrogantia quadam Sarnensis desumpsisset, qui nouus propè miles, quanquam apprimè nobilis & ualdè pugnax, id ambitiosius quam deceret primi honoris causa à Vastio impetrasse diceretur: caput eius cum dextra ad Barbarussam delatum est. At nostri, barbaris ex successu eius diei lætitiam crebris tormentorum bombis celebrantibus magnoperè tristes, uix animis accepti incommodi ignominiam sustinebant, querebanturq; itidem ab Hispanis nequaquam alacriter fuisse adiutos. Sed Vastius qua multum ualebat, molli oratione afflictos est consolatus, sic ut eos non uirtute hostium, sed ipsorum & præproperi ducis temeritate contractum fuisse detrimentum ostenderet. Verùm id totum quod malè auspicatum accidisset, probè expiatum uideri ipsa ducis cæde, qui totius accepti incommodi author exititisset. Proinde confirmarent animos, & quicquid dedecoris esset

admissum,noua uirtute sarciendum existimarẽt.Hispanos autem seueris castigauit uerbis tanquam parum misericordes,quòd nequaquam amicæ erga socios uoluntatis suspicionem parandi odij plenam, leui de causa præbuissent. Sed fortũa non iniqua plerunque libidine bona pariter & mala inter mortales dispensare solita, id Hispanis non indulsit,ut ab hesterno inflicto uulnere diu que crumpens tecto,& festinato procursu Hispanorum munitiones adortus, usq; adeò uehementer stationem perturbauit,ut conscenso aggere,aliquot desides & operis labore fessos,alios reposita repetentes arma, in fossa oppressit,clamoreq; edito reliquam custodiæ manum ualde perterritam terga dare coëgerit. Atque ita Barbari momento temporis fossorijs potiti ferramentis,& rapto Francisci Sarmenti uexillo, quod erat in summo aggere defixum, interfectoque in fossa Mendesio cohortis præfecto, qui ab multo abdomine grauis fugã capessere nequiuerat,multis improuisò cæsis & uulneratis prius sereceperũt,quàm auxilia adcurrentium cohortium superuenirent. Adcurrit & ipse Cæsar armatus ad tumultum totis castris excitatum,seuerè increpitis qui commissum stationis locum trepidè deseruissent,& usq; adeò segniter & supinè custodias obissent,aduersus eũ hostẽ qui suo astu,uelocitate,atq; audacia repentinus & insolens & ferox,à peritis ipsisq; præsertim ueteranis nisi temerè contemnendus uideretur.Id insigne editum facinus pudorem Italis abundè detersit,quum dedecus Hispanis opportunè communicatum uiderẽt,& eo quidem acerbiore aduersi euentus sorte,quòd ueterani disciplinæ parũ memores, aliquanto inusitatius & turpius deprehensi cæsiq; fuissent,quàm Itali tyrones, qui committendę pugnę studio temerè progressi,& elici & conserto certamine à multis trucidari facilè potuerint.Sedato tumultu Vastius ueteres præfectos, primorumq; ordinum centuriones,in tabernaculum uocauit, conuersusq; ad eos,uiri, inquit,alioqui semper fortes,qui multas incõparabilesq; uictorias mecum Cæsari inuicta uirtute uestra peperistis,paucis omnino uerbis cohortandi uidemini, ut pristinum spectatumq; semper bellicũ uigorem ad animos reuocetis.In uobis enim(ut uideo)quod piget,pudetq;,antiquę partę laudis memoria penitus refrixit,& insolito metu obtorpuerunt manus,& noua pigritiæ corpora elanguerunt, ut non, horum inermium prædonum insolentiam uestro forti ausu frenandã uindicandamq; putetis.Irrisistis,ut nonnulli obiectant, heri sociorum inauspicatę promptitudinis coniunctam cum pœna temeritatẽ:at illi hodie uestram incuriam degeneremq; segnitiem iure optimo rident: sicut hoc cõmune dedecus uestro præsertim aliquo celebri & pulcherrimo facto abolendã esse fateamur.Censeo itaq; & seuerè iubeo,ut ad nouam parandã laudem arma atq; animos quamprimum pręparetis,& hostes,si rursus lacessant,& munitiones tentent, eruptione facta fodiendo eorũ inermia pectora, & tergadẽdo,malè mulctatos intra Gulettæ portũ compellatis. Strenuè instantibus atq; prementibus fortasse aderit Fortũa,ut immixti perturbato agmini munitiones intretis simul & occupetis,in quibus ipsorum spem omnem repositam uidemus.Quòd si hoc secus acciderit quàm sperandũ sit,saltem cùm Cęsari,tum mihi, decoriq; uestro,uel hoc uno insigni conatu abundè erit satisfactũ.Ad ea continuò Aluares Gordeus,Cisnerius,Rodericusq; Ripalta,& cũ his Sarmentus,Didacus Abyla,Frãciscusq; Ruitius,responderũt se usq; adeò præstantem operam nauaturos,ut in ipsis neq; uim neq; omnis periculi cõemptum,aut exspectatę querendę laudis ardorẽ,uiris fortib. impigrè pugnare solitis dignum desideraret.Nec Barbari aduerso nostrorum successu elati,quin eadem consuetudine audacter erumperent,plus tridui mora conquierunt:meridianoq; tempore Giaffer,cui id munus fortè contigerat,cum Ianizeris,Afrorumq; iaculatorum

torum manu, superiores munitiones inuasit, ratus se ea hora nostros cùm labore operis, tum solis feruore confectos, in statione segnes & imparatos aggressurum. Iam Barbari inopinantibus nostris, uti remissa passim eius feruentiss. horæ custodia, aggerem conscenderant, & certatim in subiectos undiq; glandes, sagittas, & lapides coniiciebant, quum extemplò ad leuem tympanorum sonitum sclopertarij nostri, sicut fuerat imperatum, duobus simul locis erupe-runt. His Vastius subsidiariam manum ex galeatis thoracatisq; militibus, qui alabardis, breuioribus hastis, aut partesanis lato ferro Italorum consuetudine rem gererent, opportunè submisit. Phalanges autẽ suo ordine cõpositas, intra munitiones constituit, ut si quid leui armaturæ durius accideret, eam referentem pedes reciperent, & ad pugnam parati simul castra tuerentur, cœptiq; certaminis euentum exspectarent. Pugnatum est utrinq; summa contentione: nam laniz eri, quanquam graui nostrorum impetu repellerentur, uti milites pro dignitate prætoriani sui ordinis nusquam terga dare soliti, non multum constantia aut uirtute animi nostris cedebãt. Sed Giaffere ipso, qui ante alios ardẽtius dimicabat, duobus simul glandibus traiecto cadẽteq;, ora cõuertere, fugamq; respicere cœperunt, & mox exspirantem ducem erigere, atq; referre conantes, redintegrata ob id acriore pugna, quum alij supra exanimem utrinque cecidissent, effuse in fugam se dare coacti sunt, nostris tanto ardore persequentibus, ut Guletani receptis primis periculum ueriti, quartam ferè suorum partem obseratis repentè portę ualuis excluserint. Verùm hi deflectentes uersus stagnum postico ferè aditu, qui nostris erat inexploratus, intra munitionem se recepe-runt. In eo tumultu, quòd Sinas totam munitionis coronam propugnatoribus egregiè muniuisset, periculosus atq; difficilis nostris receptus est datus, Didacusq; Abyla nouellariæ cohortis signifer, in hostili aggere uexillum defigere ausus, multis simul glandibus petitus, & sagittis confixus occubuit. Neque tamen uexillo potitus est hostis, quum illud proximus miles ex occupantium manibus intrepidè rapuisset. Rodericus quoque Ripalta crassioris sclopeti glande collisa uehementer galea graue uulnus accepit, multoque plures è nostris in receptu quàm in pugna desiderati sunt: quoniam è tota munitione Barbari omnis generis tela & tormenta (quod extra suorum periculum antea tanquam in permixtos fieri nequiuerat) certatim contorquebant. Eo tamen die Barbarorum audacia egregiè repressa est, & spes expugnandæ munitionis nostris non obscurè præbita, quòd ex propinquo munitionis natura consideratius explorata, certam uictoriam aggressuris promittere uidere-tur: Nam ea inter omnes enata erat opinio, aliquanto infirmiorem esse, quàm crederent Guletæ munitionem: persuasumq; habebant, eo aditu, quẽ diximus, postico & nostris incognito per stagni marginem irrumpi potuisse. Qua de causa Sinas animaduerso aggeris uitio, quòd non esset perpetuus, nec lateritio ædificio coniunctus, nouum & subitarium ex remis munimentum erexit. His enim longa serie humi defixis, & funium loricula, transuersoq; leuiorum asserum munimine confibulatis, ingressum præsepsit, ne aut intrare hostis, aut suos ex obliquo intercedente paludis parte conspectos, certis sclopettorum ictibus petere posset. At Cæsar paucis diebus in ipso rerum apparatu deliberationeq; consumptis, statuit non esse terendum tempus quin protinus Guletanis uim omnem, & uerum terrorem admoueret: multæ enim eum res ad expedienda consilia uehementer hortabantur: suorum in primis animi abundè restituti, hostium uerò nõ uano planè metu perculsi, quos nouo præsidio erigi in spem, confirmariq; nolebat. Didicerat enim uaria Numidarum agmina mercede conducta ad Tunetum appropinquare: contrà, suos aduersa tentari ualetudine: utpote qui interdiu immoderato solis feruore torrerentur: noctu uerò largissi-

mo cœli rore madefacti, astrictis, & propè gelatis àrtubus rigerent, nec aqua dulci aut planè suaui leuandæ sitis desiderium explerent, nec exoptata ægris recentis obsonij subsidia classis præberet: militari nancp industria effossi toto littore putei & Aquariæ item turris latices iniucunda salsugine redundabant, sic ut ægri pariter & incolumes compressa acriorib. pomis siti facilè contabesce rent: quanquam his malis Cæsar insigni pietatis cura liberaliter obuiam iret. & Ferdinandus Gonzaga Siciliæ præfectus, rerum propè omnium aduersus ine- diam & litim, imminentesq; morbos opportuna præsidia, onustis plurib. nauij gijs, in castra ilico subsecuturus transmisisset, & Alarco Neapolitanæ arcis cu- stos, completa ingenti naue pari studio ad Cæsarem esset profectus. Iam enim Aurianæ classis, Hispanicæq; præsertim, nauticus panis mucorem & cariem sentire cœperat. Itaq; ad Idus Iulias promotæ sunt munitiones in conspectum hostium, prolatusq; omnis tormentorum apparatus. Hæc omnia protegebat oblonga munitio ex uimineis corbibus usitata ratione confectis, & ligneis ité uinarijs dolijs, quæ arena sola complebantur, quòd Africæ solum his in locis nec; glebam nec; cespitem ad opus faciendum præberet. Auria suo usus mu- nere à mari oppugnandæ Guletæ negotium suscepit, ita totius classis diuisis ordinibus, ut rostratæ naues sibi per uices tripartitò succederent, dispositisq; tor mentis cedendo sequentibus locum darent: maiores uerò onerarieq; naues ido neis in locis ad anchoras constitutæ, ex castellis prorarum & puppium, & ab excelsis summi malicarchesiis iugiter nauarent. A terra autem tribus in locis tri partitò pariter singula munera diuisis inter se per nationes copijs Vastius par- tiebatur ut singulæ acies ex æquo attributi laboris onus, & sperata laudis fru ctum sentirent. Nunquam ab ulla hominum memoria, postquam tormenta ad excidium humani generis reperta sunt, uel acriore ui, uel maiore apparatu, exa ctioreq; diligentia munitus usquam locus est oppugnatus. Tanto enim crepi- tu, adeoq; horribili reboatu fragor ingentis terræmotus instar est editus, ut nõ quati modò & grauissimè concuti, uerùm tota passim terra hiscere, & iam iam mortales absorbere uideretur. Mare autem quod modô tranquillitatem paca- ti æquoris ostenderat, fluctuosius concitari in orbes, remotaq; etiam pelagi spa tia repentè excitata, flaueti spuma cõturbari, lateq; feruere spectarétur: quum cœlum superfusa tot excitatis ignibus fumea caligine, omnium oculis esset ere ptum. Ab aurora ad meridiem maioribus colubrinis nusquam est cessatum. Itaq; turris cum adiecto suo antemurali terebrata undique, & penitus diffracta sic concidit, ut tormẽta suis apposita fenestellis, horumq; libratores corruenti- um parietum, & prosciss; testudinis ruina contegeret, munitionesq; circùm o- mnes nudatæ propugnaculis latè passim perfossæ atq; disiectæ, non omnino difficilem nostris ascensum præberent. His ad accendendos animos cucullatus sacerdos crucifixi Christi seruatoris ligneam imaginem præferebat. Nec mora, cohortes quibus singulis senæ scalæ erant attributæ, eo ordine ut cum hostilem munitionem inuaderent, quũ signum tubarum cantu esset datum nostrorumq; tormenta cessassent, cohortante iubenteq; Cæsare procurrerunt. Neq; diu Bar bari, quanquam in subeuntes tela omnis generis, naualiq; artificio missilem ignem tenaci flamma armis adhærentem conijcerent, uim nostrorum tanquam terrefacti magnaq; introrsus obruti clade sustinere potuerunt: sed occupatam à scandentibus munitionem amissa spe defensionis deserere, præcipitesq; se in fugam dare coacti sunt. Sinas ipse cum ducibus ponte ligneo se eiecit in aduer sam continentem, leuoq; littore intento cursu Tunetum profugit, quo itinere multò maxima pars suorum sese proripiebat. Alij cæsi pulsiq; in stagnum de- trudebantur, quos enatare conantes, & dextri littoris appetentes marginem, Hispani equites, & sclopetarij præsertim uenatoria consuetudine passim op-

prime-

primebant, tanta consectandi uoluptate, ut tota palus Barbarorum cadaueribus constrata uideretur. Nostri paucis amissis omni tormentorum apparatu, totaq; iamprídem subducta (ut diximus) hostium classe sunt potiti: quo nihil iucundius Cæsari, Hariadeno uerò acerbius accidere potuit, gementibus piratis, qui maris & totius nauigationis facultatem, qua una maximè uterentur, amississe querebantur. Constabat enim Barbarussam in ancipiti deliberatione aliquandiu stetisse ambiguum, tueretúr ne regnum terrestri manu, an ipsam potius maris possessionem retineret, qua ipse ab ineunte ætate, facto sæpius fortunæ suæ periculo, duo opulenta regna, & longè clarissimam peritiæ naualis existimationem esset consecutus. Sed in superbo ambitioso q; homine uel improbantibus trierarchis prævaluisse confirmandi regni cupiditatem, tum maximè sibi aduerso Pœnorum studio, qui alienigenam & multa cruentum cæde prædonem sibi regem impositum abominati, rediturum Muleassem exspectabant, quem ueteres amici ex Tunetanis expeterent, & præcipuus inter Numidas auunculus Dorax se reducturum polliceretur. Verùm ego postea ab ipso Auria accepi, Barbarussę nihil famę de aduentu Cæsaris credenti, tempus omnino defuisse, quo classem deducere atq; instruere posset, nam quæ intra Guletæ fauces reducta, in ipsa paludis tuta statione seruabatur, nisi magno ergatarum & funium molimine, longoq; militum & seruorum remigum labore extrahi, apparariq; non poterat. Neq; enim Barbarus uir acutus ac utriusq; militiæ peritissimus, utrobique si copias diuideret, rem iustis uiribus & bona spe geri posse iudicabat. Qua de causa, sicuti superiore libro demonstrauimus, nouum intra paludem portũ efficere, mareq; apertum nouis faucibus ad occasum excauatis immittere cogitarat, & iam magna ex parte perfecerat, ut expeditam instructamqûe suis armamentis classem securo in loco, & undique tormentis permunito contineret. Sed eum pertinacissimè uacantem operi, & passim ueteribus Carthaginensis molis reliquijs occurrentem aquileges deterruerunt, affirmantes exiguo tempore futurum ut Guletæ munitio à continente abscisa, & redacta in insulæ formam, nouo terrestri præsidio (si usus poscaret) confirmari atq; defendi non posset, & allidentis maris fluctus perflante Aquilone stagnum inuectis arenis oblimarent, exaggeratisq; uadis summæ utilitatis Tunetana nauigatio tolleretur. Cæterum Barbarussa tanto accepto incommodo perturbatus & exterritus, uenientem ad se cum reliquis ludæum ita turbido infestoq; supercilio excepit, ut ignauiam cunctis, fœdumq; terrorem nimis properè conceptum exprobraret, grauiq; admissi dedecoris contumelia prosequeretur. Ad ea tamen Sinas pro omnibus respondens, Hariadene, inquit, quandiu cum hominibus armatis certandum nobis fuit, uti planè scis, nec hostes diffitentur, operam existimatione nostra & tuis auspicijs dignam edidimus: ubi uerò nobis cum diro Sathana, furijsq; eius infernalibus, qui in nos horribili cum incendio terræmotum extremi terroris atq; periculi excitarunt, repugnare necesse fuit: tibi mirum uideri non debet, si immortalium humani generis hostium inusitatam uim effugimus, ut tibi meliore Fortuna de imperij urbisq; tutela certaturo, integri seruaremur. Neque nos dispudet, tanquam iterum pugnaturos, eo periculo ereptos uideri, è quo tu, si interfuisses, summæ constantiæ uetus dux & miles, non turpe modò sed planè honestum, (si libero ore tecum loqui licet) incolumem emersisse arbitrarere. Hæc in primo congressu dicta fuisse ab his qui sermoni interfuerunt didicimus. Hariadenus compresso animi dolore, uerborum contentioni finem imponẽs, lenore oratione singulos uehementer est cohortatus, ut secum pro republica salute q; omnium aduersus hostes bellum sustinere, intentissima q; cura gerere uellent. Sperare enim se, postquam ampliora iam Afrorum peditum auxilia, &

ingentes Numidici equitatus turmę appropinquarent, hostes non diu Guleta capta lætaturos: indeq; mox ad paranda quæ opus erant omnẽ industriam studiumq; conuertit, prolata statim ex ærario ampliore pecunia, dispensataq; liberaliter inter Afros & Numidas, ut propensiorum confirmaret amicitiam, & nouo beneficio dubios obstringeret. Interea Rex Mulcasses ex ulteriore Numidia cum modico propinquorum & clientium comitatu ad Cæsarem in castra peruenit. Consederat in sella regia Cęsar medio in prætorio, in quod admissus est Mulcasses suo cultu mitratus, cui lintea fascia à mento demissa guttur protegebat, & tibias talaris adornabat uestis, è serico uiridi & cyaneo dicolor. Erat is procera statura, suffusco uultu, planeq; uirili, sed oculorũ lumine ita peruerso, ut spectantes maligne contueri uideretur. Postquam uerò exosculatus est Cæsaris dextram, tapete substrato, humi collectis cruribus more patrio sedens, per interpretem in hanc sententiam est locutus: Nullo meo, ter maxime Imperator insigni officio prouocatus, quod ita religiones quibus dissentimus tulerunt, in hanc terram armatus, & iam plane uictor aduenisti: non sine, uti reor, præclaro instinctu magni numinis, quod & nos pari pietate colimus: scilicet ulturus summæ perfidiæ & crudelitatis tyrannum & prædonem, humani generis hostem atrocissimum, de quo propè iam partã expugnata Guleta, & capta classe uictoriam ita prouideo, ut propediem eum maleficiorum omnium te uindice pœnas daturum sperem: & eò quidem meo uberiore gaudio, quòd fœlicitatis atq; uictoriæ tuæ fructus ad me sit rediturus: me quidem in paternum & auitum regnum restitues, quod à summa tua æquitate atq; uirtute supplex, & exul sperauerim. Erit enim tibi in primis utile planeq; decorũ, si me, regem antiquissima stirpe progenitum, & magnis Numidarum & Pœnorum propinquitatib. clientelisq; ualidũ, complectare. Nec recuso uel tributum pendere, uel me beneficiarij iuris nomine Christiani imperatoris clientem profiteri. Fidei uerò meæ nullus erit locupletior uades, quàm accepti beneficij memoria, quæ apud me liberosq; meos erit indelebilis, uel ob id præsertim quòd ingrati nomen abominer, & exhorream, perennisq; amicitia uestra adeò propinquis è Sicilia Sardiniaq; præsidijs confirmari mihi opes, & Punicæ gentis studia conciliari non ignarus rerũ intelligam. Cæsar ad ea respondit, se eo animi decreto in Africam traiecisse, ut multorũ temporum iniurias, quas Barbarussa cunctis regnorum suorum littoribus intulisset, armis uindicaret, maleficentissimumq; hominum genus piratas exscinderet. Huic uoto suo piè concepto Christi Dei numen secundum belli successum dare, aspiraturumq; iam proculdubio, ut Tuneto capto summa uictoria potiretur. Tum uerò se cuncta ei quæ ex usu rerũ fructuq; uictoriæ forent, benignè concessurum, modò fidem non falleret, quę sibi suspecta tanquam Punica uideri posset, nisi eam beneficij memoria regio in animo gratissimè confirmaret, aut armorum metus abundè tueretur, quando hisdem uiribus & regna benemeritis dari, & rebellibus adimi facilè possent. Mulcasses maximè grauẽ se præbuit, tanquã pristinæ Fortunæ suę nihil oblitus, quũ eum Cęsar porrecta manu humaniter complecteretur. Ita uerò comem ducibus sese ostendit, ut ad spectaculũ in equo conspici uellet, quũ hasta longa peritissimè quassata, & conuoluta in auersos & aduersos ictus admirabiliter se exerceret, & seriò præliantibus nostris admisceri cupere uideretur: per otium autem cum philosophis de natura uniuersi, & de motu cœli, potestateq; syderum exactissimè ex Auerroïs disciplina disputaret. Ei Cæsar tabernaculum tendi, & hospitalis munificentiæ munera in quotidianos usus præberi iussit. Vastius & Albanus, & secundum hos reliqui proceres omni honore adhibito susceperunt. Cupientem uerò castra conspicere, spectatum comiter deduxerunt, ut quas aggerum moles nostri celeriter extruxissent, quantus tormentorum esset apparatus,

tus, quæ custodiæ armatorum in statione pro castris excubarent, & quantam uim peritię militaris, tot legiones nō lingua modò, sed ipso oris habitu, & cultu armorum maximè diuersæ præferrent, præsens agnoscere: intuereturq; oculis an tot lectissimarum copiarum præsidia, quę Cęsar inuictus Imperator, ipsius qui iam reduceretur insigni beneficio in Africam adduxisset ad debellādos hostes satis forent. Mulea sles ante omnia numerū atq; ordinem tormentorum, & incredibilem in foro rerum uenalium omnis generis copiam, miramq; præsertim coëmentium passim militū tranquillitatem, uehementer est admiratus. Nec multò pòst duces consertis in arcano sermonib. diligenti percunctatione multa ab rege ad gerendum bellum opportuna didicêre, de Tunetanorum in primis studio & uiribus de situ item urbis natura qúe mœnium, & munitione arcis, de suburbanis puteis & cisternis, & quàm longè lateq; proxima oliueta, quæ densissimi nemoris speciem prębberent, ad ortū solis protenderentur: quales porrò Afrorum & Numidarum essent copiæ, quæ mercede conductę tyranno operam nauarent. Id postremò non inani coniectura, tanquam mox euentu minimè cariturum, constanti ore protulit: Barbarussam nequaquā mœnib. quæ tot nostrorum tormentis nō magno labore prosterni possent, esse confisurum: sed omnes sub signis, ad ostentationē eductarū copias, ut incondítæ multitudinis conspectu procursuq;, terrere nostros, & immisso Numidarum equitatu, magnisq; de more gentis sublatis clamoribus perturbare niteretur. Nec tamen Turcas pedites, quibus unis maximè fideret, & parcere uellet, in aciem esse producturum, uerùm reliquam Afrorum turbam obiecturum armato hosti: ut quid efficere posset, extra suorum periculum, Punico tantùm sanguine uir astutus & callidus experiretur. Nihil enim eum suis nationibus magis alienum magisq; miserum arbitrari, quā si collatis signis, collatoq; pede confligeret cū eo hoste, qui phalanges splendenti protectas ferro, & prælongis horrentes hastis stabili gradu promouēs, nudos iaculatores & sagittarios carpētesq; incedentia agmina inermes Numidas irrisurus esset & nullo negotio prostraturus. Nostros autem nihil omnino perpessuros aut sensuros infestius quàm ardorem solis, & obortam inde sitim, cui tamen malo facile occurri posset crebris aquę subiectionib. Etiam nanq; è propinqua classe utribus, & cupis ligneis per seruos & frequentibus nauiculis per stagnum abunde posse cōportari, dispensariq; per acies, quanquam in proximo non longè à mœnibus ueteres cisternæ satis magnā uim aquę dulcis sitientibus prębiturę crederētur, nisi eas malignus atq; atrox hostis communi incommodo uenenis inficeret. Hæc suo ordine ad Cæsarem perlata, eum in sua spe nō dubiæ uictoriæ confirmarunt, isq; totus in eam cogitationē generoso consilio incubuit, ut nihil militaris studij curæq; remittens quam primū uniuersas copias Guletæ & Tuneto admouendas decerneret. Cæterum parandis his rebus, instruendisq; militibus, & noscendis hostium consilijs quum impensè uacaret Cęsar, uaria nostri quotidie cum Numidis prælia serebant, sic ut semel iusta propè pugna cum Barbaris certaretur, quæ initiū hoc modo habuit: Barbari ęneis aliquot tormentis inter oliueta dispositis, pilas continenter in castra iaculabantur. Ea re cognita Cæsar omnibus ltaris & ueteranis compluribus Germanorum Hispanorumq; cohortibus, aggeri & castris præsidio constitutis, reliquas copias & equitatū educit, quum paulò antea Montegium equitatui Hispanico præfectum, contra hostes præmisisset, Cum Barbaris aliquandiu uario euentu certabatur: nā tametsi per aliquot sclopettarios pedites satis prosperè contra hostes nostri rem gerebant, Hispani tamen equites, uti ex clientibus procerum parum armorum usu peritis conscripti, Numidarum & Turcarum equitum uim ferre non poterant, sicut inspe cłaute Cæsare perturbati & terga dantes, ad grauis armaturæ uexilla confugerent,

rent,& ipse dux Montegius uel acerrimè pugnans solido thorace Numidica cuspide perforato grauiter sauciaretur,atq; ægrè seruaretur:& idem uitæ periculum uulnere accepto adiret Garzias Lassius non genere modò uerùm poëtica lauro perillustris. Hunc sauciatum & circumuentum Federicus Carafa nobilis Neapolitanus suo hostiliq; sanguine perfusus seruauit. Id autem pugnæ genus eiusmodi erat,ut magno impetu primò procurrerent, deinde cùm premerentur, consultò terga darent,& hostium impetum cedendo refringerent: rursus conuersi,infestis signis irruerent in hostem. Sed aliquantò iniquius Hispani,nam tametsi optimi generis equos adduxerant, minimè tamen eos huiusmodi prælijs insuefactos habebant:quoniam equestris exercitatio post depulsos Bętico imperio Mauros iampridem exoleuisset, præterquam quòd hastarum longitudine etiam Barbaris erant impares,ideoq; pauci aduersus multos ingruentes consistere non auderent. Cæsar ubi suos à Barbaris acrius premi,ac cedere paulò longius uidit,celeriter cum grauioris armaturę equitib. aduolat, cuius aduentu & acri impressione Barbari tormentis curulibus amissis, præcipites sese fugę mandarũt. In eo concursu Cęsar ipse,uti ante agmen armatus constiterat,diuum locobum,quod est Hispanorũ equitum tutelare numen pro tessera clariore uoce inuocauit,& in Barbaros ita inuectus est,ut nõ ducis modò intrepidi,sed pugnacissimi etiam militis officium pręstaret,coronæq; ciuicæ honorẽ promereretur,quum Andream Pontium equitem è Bætica nobilem equo perfosso deiectum,& grauiter in facie uulneratũ,ideoq; circumuentum ab hostibus suo interuentu seruauisset. Vni eo die è nostris pauciss imi equites Greci,duci Lazaro Coroneo,Barbaros usq; adeò mirabili feriendi atq; eludendi arte,præsentiq; audacia repellebant,ut sæpẽ dare terga cogerent. Sed Græcorum & Lazari inusitata ferocia temeritateq; fiebat,ut quũ abeuntium agmina lacessendo instandoq; intemperanter persequerentur, oborto pudore Barbari indignanter in id procax & pileatum hostium genus ora & signa conuerterent,redintegrataq; pugna refugientes effusè consectarentur,usq; ad cataphractorum alas,quas Græcorum periculo commoueri laxariq; necesse foret: id grauiter ferente Cæsare, qui abeuntium terga potius à nostris eo tempore quàm ora pugnantium spectanda iudicabat,tanquam equitatui suo ualde perterrito diffisus,sic ut Lazarum sæpè reuocatum,nec dicto audientem districto gladio persequens, nisi laxatis fortè ephippij cingulis ex equo in arenam prolapsè decidisset,percussurus esse crederetur. Per eos quoq; dies accidit,ut Barbarorum circiter triginta milia ad occupandam turrim,in editiore antiquę Carthaginis tumulo sitam,magno studio & uelocitate contenderent. In ea turre Cæsar,quòd castris immineret,paulò antè præsidium paucorum militum relinquerat. Barbarorum agmen magus quidam sacerdos Numida superstitioso ululatu edito præibat,spargens circumquaq; quasdam syngraphas,quibus Christiani nominis militib. dirum exitium imprecabatur: iamq; nostros inclusos turri, atq; igne & fumo circumuentos uehementer premebant,quum Cęsar ipse protinus promotis equitum & peditum aliquot ordinibus,Barbaros inuasit,atq; omnes celeriter mago sacerdote ante alios interfecto,terrore perculsos in fugã coniecit. Audiui ego postea à Cæsare,quum apud Neapolim mihi scripturo totius partæ uictoriæ seriem enarraret, se balistariorum equitum alam magno procul dubio usui contra inermes hostes futuram,eo die plurimum desiderasse,ut Numidæ & equi eorum præsertim, quos magno parant pretio, ideoq; secundum uitam longè habent carissimos, uerutis configerentur: instauratumq; propterea eius scorpionarij ordinis dudum intermissi,& sensim exolescentis, peculiarem alam,qua si opus foret aduersus Barbaros uteretur, sicuti ipse paulò antè inter prætorianos custodiæ corporis equites habere consueuisset.

uisset. Per hunc modum Hispanico equitatu perculso, plerique putauerunt nostros equites, si uniuerso prælio certaretur, neque numero neque genere armorum Numidæ hosti pares futuros: exploratam tamen per sclopettarios, & cæteros pedites uictoriam existimari, qui audacter effusos adoriri, & sese in oliueta insinuare conderecp ad occasionem inuadendi hostis solerent, & multa illis ex occulto detrimenta inferrent: ut tum accidit, sicuti suprà demonstratum est, quum conglobatam in proximo tumulo Afrorum manum, constitutaqûe ibi duo curulia tormenta in nostros sæpè displodantem, facto impetu depulerunt, potitique tormentis, aliquot eorum in capessenda fuga pertinacius hærentes contrucidarunt. His de causis quæ suprà commemoratæ sunt, nonnulli graues togaticp homines bello minimè imponendum finem, sed maturè recedendum ex Africa dictitabant: quòd satis profecisse Cæsar uideretur, uel ad laudem, quam iam non mediocrem Guleta capta, occupataqp hostium classe esset cõsecutus, uel ad utilitatem, totis scilicet Europæ littoribus prædonum metu liberatis, & tum maximè quum uulgò milites fœdis atque mortiferis alui profluuijs laborarent, ægrorumcp numerus indies augeretur: ex aduerso autem præpotentes Numidarum reguli ueteres Muleassis inimici ad Barbarussam peruenisse nunciarentur. Horum intempestiuas uoces Cęsar opportunè compescendas ratus, contra eos graui oratione disseruit, tanquam ineptius atque timidius quàm homines constantiæ & uirtutis opinione ab se in consilium receptos deceret, de rerum successu, futuraqp uictoria angustissimis usqueadeo animis dubitarent. Eam enim se ab ipsis tanquam inutilem & prorsus infamem studij operam non requirere, ut de salute sua potius quàm de dignitate soliciti esse uelint. Ea siquidem ante susceptum & bono euentu semiconfectum bellum, priusquàam in Africam traijceretur, commemorari debuisse: nam tutò se in Hispania bello uacuum conquiescere, atque omnes maritimæ oræ iniurias, & miserorum querelas contemnere facilè potuisse. Cæterum grauissimis (uti ipsi cirent) de causis eò esse peruentum, ubi ad retinendam cùm publicæ dignitatis, tum priuati nominis existimationem, aut opima parta uictoria, aut si id superi nollent, honesta saltem morte famæ satisfaciendum esse censeret: quandò ipse omnem uitandi dedecoris, & parandæ laudis rationem ipsa uita cariorem semper habuerit. Proinde, sibi satis impauido uel adulari, uel fortibus inauspicatum terrorem incutere desinerent, & quicquid ad belli exitum Fortuna adueheret, se duce constantibus animis in crastinum diem exspectarent. Conflicturum enim se iusto prælio: aut si hostis abnueret, admotis tormentis Tunetimœnia quassaturum, ea mente, ut Deum diuosqp omnes, quos susceptis ritè uotis propitiasset, sibi pro pietate & summæ æquitatis causa bellũ gerenti proculdubio affuturos crederet. Cæsar pręsidio Guletæ imposito, diruteq munitionis aggerẽ instaurari, captaqp tormẽta, more nostro subditis rotis reconcinari iussit, quæ magnis inserta trabibus, & nauali rudiqp artificio armillis præcincta ferreis, neqp uerti commodè, neqp aptè dirigi facilè poterant. Indeqp latè explorata regione, quæ inter oliueta & dextros stagni margines nudum & expeditum iter ad urbem ostendebat, castra promouit, ita composito agminum ordine, ut parati ad pugnam instructa acie aduersus omnes insidias, incursusqp Barbarorum iter facerent. Ad læuam Itali stagno proximi, Hispani ad dextram oliueta spectantes, mediam Germanorum phalangem suo incedentem passu utrinqp tuebantur. Iuxta hanc erant tormenta, & secundum hæc impedimenta totius exercitus. In principijs Vastius, penes quẽ concessu Cęsaris eo bello, eoqp prætur. Albanus ualido equitatu delectisqp cohortib. cõfirmatus, in postremo agmine curabat. Cęsari in medio apud uexilla locus fuerat attributus, cuius lateri

cohærebat Ludouicus Lusitaniæ regis frater. Italis peculiaris erat adhortator princeps Salernitanus, Hispanis Alarco Dux uetus, & Garmanis Maximilianus Ebersteinius: sed cunctis ordinibus adequitans armatus Cæsar aderat, alacri uultu & fiduciæ pleno, commemoratis superiorum temporum uictoriis, quas sibi inuicta uirtute peperissent. Eo autem die ab ipsis operam longè gloriosissimam exspectare, postquam aduersus Christiani nominis hostes, qui essent inermes dimicandum foret. Itaque fortibus animis armorum pondera, cedentis arenæ molestias, puluerís & solis æstum, & ipsam denique sitim tantisper ferrent, dum conspecto hoste conseri manus possent. Victoriam profectò Deum diuosq; omnes pro quibus pugnarent, haud dubiè præbituros. Ipsos autem manere opulentæ prædæ præmia, quæ ex direptione ditissimæ urbis exspectari possent. Succlamatum est à cunctis agminibus, ne his quas commemorasset difficultatibus angeretur, sed speraret suos milites cuncta incommoda æquissimis animis toleraturos, ut egregiè pugnando ueterem spectatæ uirtutis opinionem non fallerent, & ipsum non in Africa modò, sed Hierosolymis recepto Christi sepulchro supremum summæ gloriæ imperatorem constituerent. Subduxerat Vastius è dextra Hispanorum acie quæ oliueto erat coniuncta, duas sclopettariorum manus, quas manicas uocabant, quòd cornuum instar diuerso Italorum agmini eo modo erant coniunctæ, ut admixtis eorum sclopettarijs ad oliueta usq; longo tractu sese extenderent, & cum Barbaris dispersim extra ordinario pugnæ genere præliarentur, Barbariq; ad postremum usque agmen carpendo signa uerterent. Verùm eos Albanus pari ordine per sclopettarios, & institutas ad id equitũ turmas egregiè reprimebat. Iam ad cisternas quas Mulealses, & plerique alij periti regionis indicarant, erat peruentum, hisq; procul conspectis, nostri sub ardentissimo Sole pondereq; armorum, lacessente immodica siti fatiscentes, potandi desiderio abruptim ordines deserere, & ad eas citato cursu deferri cœperunt, frustra uetante, commi nanteq; Vastio, qui magno incommodo dissolui aciem, & propinquos hostes ultro ad rem benè gerendam accersiri nostrorum impatientia prouidebat. Quum ille retentando uerberandoq; nihil proficeret, eò decurrit Cęsar, ut prę senti authoritate ægrè parentes in ordine atq; acie contineret. Verum ubi ualida atq; intoleranda sitis sudantia corpora perurgeret, neque conspectus Cæsaris, neque uis imperij quicquam ualebat, quòd multi tum propè exanimes in arena procumberent: ita ut Cæsar quosdam properantius se demergentes ut potarent, hasta tragulæ percuteret. Tum quoq; Arpinas insignis Centurio, qui Tullij Ciceronis nomen ferebat, & sub Clemente Pontifice Vrbis prætori Magaloto dextram detruncarat, auidè potabundus in cisterna perijt. Per hunc modum temeritate castigata celeriter ordinis sunt restituti. Hoc autem meritò illis accidisse uidebatur, quoniam Vastius pridie totis castris pronunciari iusserat, ut quisq; miles utriculum aquæ, aut uini lagunculam sibi ab Zonam subligaret, quanquam publica diligentia per acies opportuna aduersus sitim remedia plenioribus uasis circumferrentur, qua in re Germanis largius indulgendum fuit. Nec defuere qui propemodum exanimati, à proximo commilitione aquæ semihaustum binis aureis ægrè impetrarent. Compositą igitur acie signa aduersus hostes promota sunt: Barbarussa enim magnis peditum & equitum explicatis agminibus, in quibus Barbarorum consuetudine multa ad terrorem inanemq; speciem uexilla spectabantur, ad tertium ab urbe lapidem peruenerat, productisq; aliquot curulibus tormentis nostrorũ aciem, uti prędixerat Mulealses, perturbare conabatur. Vastius, crebrò displodẽte Barbarussa, nec ullũ tamen detrimentum Christianis ordinib. afferente tormenta proferri in primam aciei frontem iussit, ut his aduersi hostes impeterentur.

Ea

Tauerò quum ægrè tardeq; adduci animaduerteret, quòd iugatis seruis & funibus traherentur, curruumq; rotas arena deuoraret, & pilæ ferreæ, sulphureiq; pulueris cadi, remigum & nautarum humeris segniter comportarentur, consilium repentè mutat. Cæsarem edocet sibi nequaquàm uideri contendendum esse tormentis, in ea occasione qua milites pugnæ desiderio incitati, summa omnium alacritate signum sibi dari uehementer expeterent, rem omnino fortissimis militum dextris, fortunæq; ipsius bono euentui semper aspirantis audacter esse committendam, ne dum (inquit) tormenta non semper magno usui repentinis in prælijs futura, serò expectantur, inutili mora, augeatur Barbaris animus, & totus hic non dubiæ uictoriæ prænuncius militum animis conceptus ardor importuna cunctatione refrigescat. Ad ea Cæsar ab erecto in spem inuictoq; animo pugnæ auidus, Dauale (inquit) si tibi hoc probatur, quod disciplinæ ratio mihi pariter ostendit, signa canere iubeto. Hoc ille extemplò faciam respondit, subiungens æquum esse, ut qui toti propè terrarum orbi imperaret, ei parère condisceret, quem graui cum onere pudoreq;, eo die tanti exercitus ducem, abdicato Imperatoris nomine, esse uoluisset. Itaque iure meo (inquit Daualus) iam utor, iubeoq;, ut hinc abscedas ad mediam aciem ubi sunt uexilla, ne fortuitò incidentis pilæ casu, uniuersa communis fortunæ salus, unius hominis periculo inexpiabile subeat discrimen. Ad id subridens Cæsar, & ne id timeret subdens, quando Augustorum Cæsarum nemo unquam tormenti uiolentia concidisset, confestim ad signa se contulit. Itaqué pugnæ signo mulcto tympanorum crepitu, & tubarum clangore edito in hostes est procursum, aliquantò pleniore ordinum gradu, impetuq́ue præsertim leuis armaturæ, quàm sol cuncta exurens deposceret, ut emissas ab hoste pilas periculi spatium emensi celeriter euitarent. Erat in prima procurrentium fronte Ferdinandus Gonzaga, cuius eo die extraordinaria opera utebatur Cæsar, quòd nullum ei esset certum in exercitu militaris imperij munus. Is concitato equo primus omnium insignem Afrorum ducem hasta transfixit, districtoq́ue gladio & repetitis ictibus ita proximos perturbauit, ut consequentibus nostris hostilem aciem facile perrumpendam fundendamq́ue præbuerit. Tanta autem extitit glandium procella, ut ante congressum trecenti amplius ex Barbaris sternerentur: ex reliquis peditibus consisteret nemo, sed agminatim desertis tormentis ad Barbarussæ aciem confugerent. Is incumbentium nostrorum neque uim neque conspectum diu tulit, sed præ dolore atque ira dentibus infrendens equum conuertit, in urbemq; cum Turcis est reuectus, postquàm suscepti consilij initia aduerso conatu minimè processerant, nequaquàm uniuerso prælio decertandum rebatur, ut qui Cæsaris copias intolerandi æstus incommoda, multarumq; rerum, & aquę præsertim inopiam non diu perferre posse crederet, speraretq; ab his hostium difficultatibus præberi sibi posse occasionem rei bene gerendæ, si tantisper defensis urbis mœnibus cunctaretur. Numidarum autem, & Afrorum agmina, quæ nostris undiq; circumfusa nihil memorabile gesserãt, ad Babasuecham atq; Restabiam suburbana tecta diuerterunt. Alij ad Bardeos usque hortos sese extendere. Reliqui in Rabatinorum ædificia urbi cõiuncta recepti sunt. Cæsar ea hostium fuga quorum centum milium numerus esse fere batur, magnoperè lætatus, eodem in loco ubi hostis constiterat castrametatus est, inito statim suscepto q́ue consilio, ut sequenti die omnem tormentorum apparatum Tunetanis mœnibus admoueret. Interim Barbarussa non obscuro perculsus metu, multisq; simul distractus curis, se ipso factus atrocior, inusitatæ crudelitatis consiliũ cepit, occidendi scilicet seruos Christiani nominis, ita circumposito & incenso tormẽtario puluere, ut ad unũ omnes in ergastulis cõcremaret, certus id exequi, nisi Iudæus Sinas execrabile facinus dissuasisset, testa-

tus

tus huiusmodi consilium uiro forti, tot uictoriis inclyto, regijsque diadematis honorem pręferenti indignum existimari, quando non multò post esset futurum, ut patrati tanti sceleris ipsum maximè pœniteret. Quid enim esse aliud quàm concepti summi timoris, & supremę desperationis indicium? quę dum res asperũ sustinenti bellũ è grauissimè nocerent, & anteactę uitę decora detur parẽt. Caueret ꝓinde, ne ex atrocissimi facti fama Solymani Imperat. inexpiabile odium aduersus se concitaret, qui omnis inhumanę feritatis expers, immania scelera detestari & uindicare consueisset. Viuere igitur sineret Christianos fatalibus suis uinctos cathenis, quàm diu sors ferret: qui diligentissimè custoditi atque inermes, non multò usui esse, nec sine certa pernicie sese commouere possent, si inauspicata libertatis cupiditate tenerentur. Ab his profectò nec it ad hęc tyrannus, concessaque miseris uita arce est egressus, & in longè maximum urbis templum concionaturus se contulit: illuc enim principes Tunetanorum euocarat, ut quę ad defensionem urbis paranda essent, perdoceret; eorum uerò animos adhortatione confirmaret, quibus iam pridem arma tanquam suspectis ademisset. Hęc agente Barbarussa, maximè lętus & fœlix miserrimis seruis dies illuxit, mox ater conuersa fortuna ualdeque funestus Barbaris rediturus. Id namque diri tyranni uotum non diu tegi celarique potuerat: certus siquidem Barbarę crudelitatis imminentisque adeò atrocis periculi rumor, per totam arcem, usque ad ergastula permanarat, misericordia quorundam libertorum, qui domini truculentiam abominati, tactique religione, animos ad ueterem ueramque pietatem reuocarant, primates seruorum sibi notos per secreta colloquia ad libertatem excitantes. In his fuere Franciscus è Medelino Hispanię oppido, & Vincentius Catareus Dalmata, defectę uirilis eunuchus: Hic Giaffer agas uocabatur: illum à puerilia educatum, & Arabicas edoctum literas, Hariadenus in delitijs habuerat, & Memim appellabat. Hi duo memorabile maximeque pium facinus ausi, patefacto carceris aditu, erectis in occasionem & audacter consurgentibus, ad abrumpendas cathenas instrumenta prębuerunt: atque ita pręclaro magni Dei miraculo circiter sex milia nudorum hominum, uarijs rebus, saxisque pręsertim dextras armantium, in Turcas erupere. Iam Ramadus è Baëtia Hispanię oppido, prefectus arcis, inexspectato atque horribili tot cathenas effringentium strepitu excitatus, cum armatis quos repentè cogere potuit, ad arcis portam decurrerat, in eius limine Siculus iuuenis ingenio manuque promptissimus, arrepta repagulj trabe, unum atque alterum custodem prostrauerat, obseratisque ferreo uectę postibus, porta fuerat potitus. Sed Ramada impetum faciente, Siculus uti erat inermis confestim interficitur, & reliqui portæ aditu depelluntur. Ipse reserata porta sibi ac suis egressum parat, & cum aliquot generosis equis & sarcinarijs iumentis, quibus carioris supellectilis partem raptim imposuerat, ad Barbarussam acerbissimi casus nuncium ferens contendit. At Christiani exutis compedibus tumultuarieq; interfectis aliquot Turcis, totam occupant arcem, armamentarium refringunt, atque omni regia gaza, commeatu, armisque potiti, ab excelsa parte arcis de sua uictoria Cæsarianis significant: partim fumo, partim flammis ab incenso sulphureo puluere excitatis, expansoque demum uexillo, quod Sarmentinæ cohorti apud aggeres ademptum fuisse docuimus. Hæc tametsi dubiæ significationis argumenta, nostri in multo spatio nequaquam præclarè perspicerent, crebris tamen Tunetanorum ad Cæsarem, Mulea assemque transfugijs adducebantur, ut grauem omnino apud hostes exortum esse tumultum crederent, & Cæsar cum expedita manu Giahenum & Buccanigrã, qui seruis opportunè rebellantibus opem ferrẽt, ad explorandum

urbi

urbi atq; arci appropinquare iuberet. Interea Hariadenus ludæo in primis, qui importunè obsistendo expeditum & salubre consilium euertisset, falsisq; irem Dijs suis crebro maledicens, ad arcem reuertitur. Obserata ianua supplex & propè lachrymans seruos orat, mœnia portamq; tenentes, ut se cunctis parcere integra fide paratum extemplò recipiant. At illi ueteris nouæq; fortunæ suæ memores, iustoq; exacerbati odio, in eum certatim lapides conijciunt, adiectisque contumelioris uocibus submouẽt: sic ut ille ira & dolore præpeditus & furens, in conspectos sua manu sagittas dirigeret, & rebus planè perditis & conclamatis, deformem in fugam uerteretur. Secuta sunt fugientem Turcarum agmina, quorum numerus septem milium summam implebat, eo consilio, ut ad urbem Hipponam, quam hodie Bonam uocant, Diui Augustini præsulatu celebratam, se conferrent. Ibi enim suas triremes cõscendere, mariq; potius quàm terra reliquos fortunæ suæ casus experiri uolebant: quoniam Hariadenus in statione iuxta urbem & arcem influente, triremes quatuordecim tanquam in statione tutissima reliquerat, ad incerta belli, si opus foret, deducendas. Armamenta autem cum remis atq; tormentis deposita erant in arce, quam suo præsidio tuebatur. Cæsar ubi hostem desperatis rebus effugere, Bardeosq; prætergressum hortos, ad Bagradam amnem, qui à Pœnis Magiordech appellatur, extentis itineribus properare certius didicit, Tuneti portis omnes copias admouit. Aduentanti præstò antè affuere ciuitatis magistratus, qui allatis portarum clauibus deditionem facerent, eiq; incruentæ uictoriæ fœlicitatem gratularentur: se autem gratissimo animo, quòd essent sæuissima Turcarum tyrannide liberati, cuncta quæ imperaret, protinus esse facturos. Id unum petere ab æquitate optimi & clementissimi imperatoris, ut milites extra urbem in castris continere, & ciuitatem cumulato obstrictam beneficio inuiolatam præstare uellet, postquam Muleassem antiquissimæ stirpis ipsorum regem, singulari benignitate reducendum adduxisset. Nihil enim milites ex urbanis rerum omnium copijs quæ suppeditari possent esse desideraturos. Pro suis quoque ciuibus deprecator aderat Muleasses uehementer de ciuitatis salute solicitus. Sed Cæsar quanquam ad id præstandum satis propenso animo esse uideretur, tamen quòd de Punica fide non temerè dubitabat, & quam Tunetani per Muleassem pecuniam se in stipendium præbituros antea promisissent, astutè & cunctanter extrahendo tempus expedirent, utpote qui de supremis Barbaruſſæ consilijs euentum exspectabant, ut id prolixè polliceretur adduci non poterat, & quò minus Pœnis quicquam certum de eorum salute promitteret, uel ob id admonebatur, quòd turbidas frementium militum uoces audiebat. Dictitabat enim se periniquè simul & ingratè tot nauigationum ac itinerum extrema perpessos incommoda, iusto uictoriæ præmio fraudari, postquam ipsos illuuie obsitos & inopes nihil iam aliud sustentaret & aleret, quàm oblatæ spes prædæ, quæ sibi lacera ueste uix pudenda tegentibus, exustisque longo labore & siti inclementer eriperetur, scilicet, ut Tunetani religionis hostes perpetuique receptatores & hospites immanium prædonum Christiana uictoria lætari possent: ipsi autem uictores eluſi undique suas ærumnas perpetuò lugerent. Suspenso adhuc Cæsare Vastius cum parua manu ad arcis portam accessit, & à seruis qui se in libertatem uendicarant, cum insigni gratulatione receptus est. Inspectanti autem Barbaricas opes & totum arcis apparatum, seruus Ligur absconditæ pecuniæ latebras indicauit. Demersetat enim Barbaruſſa in cisternam ad triginta milia nummûm aureæ monetæ, pluribus insutæ culeis. Hos expiscatus Vastius, à Cæsare prædæ donatiuique nomine, ut sibi concederentur facilè impetrauit. De se enim omnibus bellis optimè meritum, & ex natura liberalis ingenij inter principes eius ætatis

maximè

maximè largitorem, eo munere dignissimum existimabat. Verùm arce inexspectata fœlicitate in potestatem redacta, & iam diripientibus cuncta seruis, miles diutius contineri non potuit, quin agminatim intraret urbem, & per cunctas regiones ad prædam discurreret, Tunetanis nihil ferè hostile exspectantibus, & magno eiulatu edito Muleassis fidem frustra implorantibus. Paulò siquidem antè conspecto Muleasse gens æquè mobilis & infida, pronaq; in adulationem magnas inusitatæ lætitiæ significationes manuum plausu, & crebra gesticulatione corporum, secundisq; acclamationibus, omnis uirorum & mulierum ætas ediderat: scilicet, ut antiqui in nostros odij libidinem reconderent, ob idq; uictores nostri nullo eorum merito ad misericordiam flecterentur, quum ex conscientia incertæ fidei id summę calamitatis incommodum ultro sibi ipsis contraxissent. Primus inhiantium prædæ impetus, uti inuadentium & effringentium fores uarij casus tulerunt, promiscua cæde cruentus fuit. Sed Hispanis atq; Italis in auaritiam pronioribus, Germani ab insita animi feritate Mahometano cruore sitim explere properantes, ita cadaueribus cuncta compleuerunt, ut imbellem omnis sexus & ætatis turbam, ad inanium Deorum templa confugientem, sine discrimine trucidarent, & pauimenta damnatis in templis multo inermium sanguine inundarentur. In eo cadentium miserorum strepitu, lugente obtestanteq; Muleasse, Cæsar sæuitiæ modum imposuit: pronunciaricq; iussit, capitale fore, si quis Tunetanum uiolaret ciuem, aut in seruitutem abduceret. Fieri tamen nequijt quin multi, adolescentesq; præsertim, & formosiores fœminæ ad classem raperentur: nam socij nauales fama diripiendæ urbis exciti ad urbem conuolabant. Quamobrem Muleassi licuit quos nouerat emaribus eius, quæ antea inter carissimas fuisse dicebatur, binis redemptam aureis constet. Cæsar ingressus arcem, seruos, qui clarissimo facto summæ parandæ uictoriæ occasionem præbuerant, collaudauit: diuisaq; uiritim certa pecunia quasi se alerent, liberos fore dixit, pollicitus nauigia & commeatum quibus in suas terras transportarentur. Medelinum autem & Glafferem, quos Barbarussæ adulmnos, & effringendi ergastuli authores fuisse docuimus, pecunia uestecq; donauit: à quibus postea multa de Barbarussæ consilijs, arcanisq; moribus didicimus. In ea arcis direptione tria incomparabilis iacturæ detrimenta Muleasses deplorauit: Arabicorum uoluminũ in primis, quæ conturbata atq; direpta bibliotheca perierunt. Asseruabantur enim antiquissimi codices, non disciplinarum modò omnium præcepta, sed superiorum etiam regum res gestas & Mahometanæ superstitionis interpretationem continentes, quos Rex ipse postea meaudiente, se unius urbis pretio (si fieri posset) auidè redempturum dissitebat. Secundo loco fuit unguentorum odoraticq; Indici aromatis officina, in quam patris Mahometis exemplo, prodigiosi sumptus, inusitataq; luxuriæ orientis opes contulerat. Siquidem plumbeis in loculis, eburneisq; arculis tanta uis amomi quotidianos usus, & nocturnos diurnosq; cubiculorum suffitus erat recondita, ut ingentis auri ponderis pretium excederet. Quæ tamen omnia Hariadenus uictor militari duritia subagrestis, & damnarat, & effusè contemp serat. Postremò uaria maximeq; pretiosa pigmentorum genera, ab ignaris seruis atque militibus præsentis tantùm & manifesti lucri spolia quærentibus, stultè prætermissa dissipataq; sunt. Nam acerui plures cærulei transmarini, quod cyaneum efficit colorem, & à Græcis authoribus Lazurium uocatur, in armarijs reperti sunt, multiq; culei, cocco, & lacca Indica pleni, quæ purpuræ colorem æmulantur, & à pictoribus eximijs, & lanarum telæq; fericæ infectoribus magno coëmuntur pretio. Quæ omnia tum fœdè pessundata nemini prædæ futura dispe-

rierunt.

rierunt. Ingens quoque baliſtarum, & noſtri moris telorum, & armorum, thoracumq; præſertim ex laminis, & galearum apparatus eſt repertus: agnitæq; ſunt in his caſsides, ocreę, femoraliaq; Gallorum equitum, ab eo tempore quo Ludouicus Rex Galliæ Tunetum ante trecentos annos obſederat, à Pœnis de Chriſtiano hoſte parta, quæ ad eius belli memoriam cuſtodita ſeruabantur. Interea Hariadenus ad Bagradam amnem, qui Maiordech à Barbaris appellatur, iter intendit, uadoq; propter æſtatis ſiccitates facilè reperto, tranſgreſſus eſt, nequicquam perſequente uel laceſſente Numidarum ala, quam Muleaſſes ex ueteribus amicis, auunculiq; Doracis clientibus coactam, abeuntes Turcas perſequi iuſſerat. Eo namque ordine Barbaruſſa iter habebat, ut poſtremo ſuorum agmine, certis ſclopettariorum & ſagittariorum præſidijs more militiæ conſirmato, neque manus conſerere, neque appropinquare quidem auſos facilè contemneret: & Hipponam omnibus ſuis incolumibus, uti ſtatuerat, intactus euaderet. In tranſitu tamen Bagradæ amnis Haydinum Smyrnæum inclyti nominis Piratam deſiderauit: quum is in magno ſolis ardore longoq; itinere feſſus, & multo adipe prægrauis cogente ſiti ex profluente auidius potando diſruptis præcordijs in ripa exſpiraſſet. Hariadenus ubi Hipponam peruenit, primùm omnium recreandis copijs bidui quietem dat, concioneq; habita uniuerſos conſolatur, hortaturq; ut quodcunque incommodum iniqua ſors attuleriit, id nequaquam hoſtium uirtuti, ſed ſeruorum perfidiæ tribuendum exiſtimare uelint. Fortunam inuictis patientiſsimisq; animis ferendam, eamq; noua uirtute conciliandam arbitrarentur. Sibi eſſe in animo claſſem educere, atq; inde continuò Algerium proficiſci, ubi maioribus præſidijs comparatis, claſſeq; adaucta, & nouo ſuſcepto conſilio, rem ipſorum uotis parem, & ſua exiſtimatione non indignam ſit auſurus. Nunquam ulli duci ab aduerſo rerum euentu fracto ſubactoq; alacrioribus animis à militum corona ſucclamatum fuiſſe memorant, quum ultro depoſcerent, ut quæ uellet, uel grauiſsima atque aſperrima uniuerſis imperaret, nihil enim ſe recuſaturos, modò ad rem gerendam educerentur. Itaque incredibili ſtudio & promptiſsimis ſuorum uiribus fretus, triremes quatuordecim demerſas in ſtagno, ipſoq; profluentis fluminis uado admirabili celeritate educit, ſuiſq; impoſitis armamentis protinus exornat. In margine ſtagni aggerem erigit, productaq; munitione in eam tormenta confert, non inani coniectura iudicans, non multò pòſt noſtrorum claſſem affuturam, ut egreſſum impediret. In eo quoque conſilio Cæſar & Auria pari ratione uerſabantur, ut hoſtem euadere parantem præoccuparent: rati eius claſſem priuſquam deduci adornariq; poſſet, ſi pars ipſorum claſsis eò mitteretur, tormentis in ſtatione demerſuros. Ad eam rem conficiendam ab Auria deligitur Adamus centurio Genuenſis, non magnopere rei naualis peritus, ſed affinitate Auriæ & multis diuitijs æquè fidus & potẽs. Is certum triremium numerum ſocijs imperat, & ſublato uexillo cum quatuordecim tantùm roſtratis ad Hipponam prouehitur, certam facilemq; uictoriam, ingentemq; inde ſibi laudem de imparato hoſte ſe adepturum ſperans, quòd in apparatu inſtruendæ claſsis occupatum Barbaruſſam fore crederet. Sed poſtquam Biſertum præteruectus Hipponæ appropinquare cœpit, Barbaruſſam incomparabili celeritate claſſem eduxiſſe, & munitionem tormentis inſtruxiſſe certius didicit. Qua re uehementer perturbatus conſilium mutat, monentibus trierarchis, ut omnem certaminis aleam deuitaret, quòd in ſociorum triremibus, Hiſpanicis præſertim, Siculis, & Neapolitanis, rari eſſent propugnatores, ut qui ad prædæ ſpem antea iniuſſu in terram deſcendiſſent, ideoq; iniquiſsima conditione cum Barbaris numero feritateq; præſtantibus pugnaturus cenſeretur. Itaq; opportunè prudens obuerti proras iubet, & uelis remiſq; regreditur ut maiorem partem claſsis accerſat.

As

At Barbarussa, uti postea cognitum est, diu in incerto habuit, an nostrorum classem ad spem uictoriæ consequeretur, postquam pari triremium numero foret confligendum, an potius in uetere proposito petendi Algerij persisteret. In hanc sententiam inclinarunt trierarchi, ignari prorsus infrequentiæ imbecillitatisq; nostrorum: atq; ita occasione magni certiq; prouentus prætermissa, modico Turcarum præsidio arci imposito, oram soluens Algericum enauigauit. Redeunte autem Adamo rebus infectis, plericq; principes ægerrimè tulerunt, quòd incuria quorundam imperio ægrè parentium, & flagitio sociorum nauarum, qui iniussu in littus descendissent, exoptatæ uictoriæ occasio elapsa uideretur. Hoc enim unum eo bello ad summam Cæsaris fœlicitatem defuit: nam præferoci hosti si ei classis à nostris erepta aut demersa fuisset, nullus omnino tutus ad fugam locus relinquebatur: quoniam innumerabiles Numidæ Turcarum ex professo hostes, per mediterranea ærumnosum iter habentem ex nocentis saltibus inuasuri, & priusquam Algerium peruenirent omnino deleturi crederentur. Cæterum Auria grauiter indignatus sibi & suis, nec tamen desperans hostem se adipisci posse, cum tota sua peculiari classe, cæterisq; ualidioribus sociorum rostratis, Hipponam contendit. Cognito autem Barbarussæ discessu urbem cepit, murosq; diruit: arci uerò quam tormentis in potestatem redegerat, præsidium imposuit duce Aluaro Gometio, regressusq; est ad Cæsarem. Cæterum Gometius, tametsi uir erat bello fortissimus, usque adeò tamen auaritia erga hostes pariter & socios euasit infamis, ut iudicij metu manus ad turpem uitæ exitum sibi conscisceret: & Cæsaris iussu arx ipsa, quæ nisi magno sumptu defendi poterat, funditus euerteretur. Exinde consultatum est de Muleasse: Cæsarq; eum Tuneti regem maiorum suorum consuetudine regnarum constituit: binosq; tantùm falcones ad aucupium, & binos è Numidia pernices equos tributi nomine quotannis imposuit, ea conditione ut Christiani nominis amicus, Turcarum uerò gentis perpetuus hostis, Cæsaris nomen coleret, & Guletano præsidio, quod ex Hispanis amplius mille imponebatur, stipendium persolueret. Cogitatum subinde est de oppugnanda urbe Africa, quæ in Adrumentino sinu ualido Turcarum præsidio tenebatur. Hæc urbs antiquitus parua Leptis fuit, hodie à nostris Africa, & à Barbaris Mahemedia appellata. Sed aduersæ tempestates, classem superare Clupeæ promontorium (hæc hodie Calibia dicitur) & sese in sinum Adrumentinum, quem uocant Mahomettæ, inferre prohibuerunt: atq; ita classis Siciliam tenuit. Cæsar Panormi & Messanæ triumphali pompa exceptus est, donatusq; passim pecunia, Rhegium traiecit, & per Brutiorum oppida hospitaliter à Sanseuerino Besenniano regulo susceptus, Neapolim peruenit.

FINIS.

CAROLI

CAROLI V. CAESARIS AVG. EXPEDITIO IN AFRICAM AD ARGIERAM, PER NICOLAVM Villagagnonem, Equitem Rhodium.

QVum æstas anteacta me in Galliam ad domestica quædam negocia reuocasset, de reditu Cæsaris in Italiam, & transmissu exercitus eius in Africam, literis amicorum certior factus sum: qui consilio Cæsaris proposito, me ad tam nobilem expeditionem accersebant. Ego uerò & intelligebam religione me obstringi ad inimicos fidei (quantum in me fuisset) bello persequendos: & uerebar, ne corpus meum diuturna iam armorum exercitatione labori assuetum, ocio ad laborẽ remolesceret, si apud amicos diutius commorarer. Itaq; negocia in aliud tempus reiicienda mihi esse duxi, ne honori meo necessario tempore deesse existimarer. Consilium autem Cæsaris esse hoc significabant, quòd quum se ad componẽdas Germanorum de fide controuersias, in Germaniam contulisset, reperit Ferdinandum fratrem, & filium Iohannis, qui proximè regnum in Pannonia obtinuerat, ardere inter se discordijs, ac de iure regni uehementissimè contendere. Is, quòd sibi à Ferdinando metueret, Turcas in suum acciuerat auxiliũ. Quorum aduentum ut Ferdinandus anteuerteret, Budam obsidione cinxerat, ac expugnare totis uiribus adnitebatur. Quibus cognitis rebus, Cæsar prospiciens, quàm magni esset momenti, Turcas finibus nostris prohibere: ut eis ueniendi occasionem præriperet, partem copiarum fratri misit auxilio, quibus expugnationem acceleraret. Qui tamen munitionibus & præsidio ut bis impeditus, Turcarum aduentum expectare coactus est. Quamobrem Cæsar, omissis fidei disceptationibus, animum potius ad bellum adijciẽdum putauit. Et quoniam magni rem esse periculi perspexerat, bellum in ea regione duci, priusquam illic hostes inueterascerent, hoc in Turcicum solum transferre constituit, & procul finibus nostris propellere. Quapropter copijs, quas ad fratrem miserat, ei subsidio relictis, quum iam instante hyeme non ita multum temporis superesset, quo bellum commodè geri posset, Ferdinando belli curã in se interim recipiente, magnis itineribus in Italiam ad exercitum contendit. Quò simul ac peruenisset, exercitum summa diligentia cogi, & militum nouas manus conscribi iussit, magnumq; nauium numerum ✠ Ianuæ atque Neapoli instrui, quibus in Africam exercitum traduceret. Africa uerò ei necessario tentanda uidebatur, ne in Turciam proficiscens, inimicũ à tergo relinqueret, de quo metuere sibi possent Hispani, quorum opera & nummis ad bellũ Turcicum uti decreuerat. Coacto exercitu, & nauibus ad nauigandum paratis, dum res frumentaria expeditur, & in naues exercitus imponitur, Lucę sum mum Pontificem conuenit, ut cum eo consilia belli communicaret. Pontifex, quòd Africa minimè portuosa sit, hyemis nauigationem nõ esse subeundam existimabat, atq; Cæsarem à uia deterrebat. Quæ quamuis magna causa esset, ne ipse alieno anni tempore in tam periculosa loca exercitum transmitteret, maioribus tamen rationibus impellebatur, ut in sententia permaneret. Videbat enim quantopere ab hostibus nostri in Pannonia urgerentur, & quanti

✠ Genuæ

Reipublicæ Christianæ interesset, bellum illic non trahi, quod ut auferretur, & hostes in suis finibus bellum sustinere cogerentur, rem in celeritate positam esse perspiciebat. Sed quia tantum apparatum exposcit Turcarum amplitudo, ut eum non posset Cæsar citius quam ineunte æstate uniuersum cõparare, interim dum ei dat operam, Africanum bellum suscipiendum sibi esse putauit, ut Hispanos Afrorum metu liberaret, quò facilius ad Turcicam expeditionẽ incitarentur. Solebant enim quum ab eis ad eam rem nummi exigerentur, uicinum hostem opponere, suumq; metum excusare. Quibus rationibus percitus Pontifex, uehementer Cæsaris consilium probauit, eiusq; laudata animi magnitudine, eum dimittit. His ita constitutis rebus, Cæsar naues onerarias Baleares Insulas petere iubet: ac eo loco aduentum suum operiri: ipse uerò nauibus longis sex & triginta ex portu Veneris soluit, & ad Corsicam insulam contẽdit. Qui cum secundo uento in altum prouectus esset, subita coorta tempestate, classis cursum tenere non potuit, sed in diuersas partes dissecta est: at ille remis contendit, quem septem aliæ secutæ naues, eam insulæ partem cepe-
runt, quæ Italiam spectat, ubi eum uenti duos dies tenuerunt. Sedato mari,
Bonifaciũ oppidum portu memorabile. quæ aberauerant naues à cursu reuertuntur; quibus appulsis, Cæsar in Bonifacium oppidum profectus est: quod in monte tribus ex partibus circũciso, aspero & difficili est situm: ad aliam partem est aditus ab imo anfractu, qui oppido pro fossa positus est. Hoc autem nulla re alia est quàm portu memorabile. Cæsar idoneam tempestatem nactus, in Largheram nobilem Sardiniæ urbem secundis uentis appulit. Vbi res insolita contigit. Qua enim nocte eò accessimus, bos uitulum bicipitem peperit: quem mulier, cuius bos erat, uidendum Cæsari obtulit. Hæc urbs natura & opere bene satis munita est, omnibus enim
Vitulus biceps ferè partibus alluitur mari minime portuoso, & scopulis subter aquam latenti
bus refertо: aliam partem, quæ in insulam mittit, claudit murus: quem duæ turres ad utrunq; latus positæ, ab externa ui facilè tutantur, & quum in planitie hæc posita sit, nullus omnino mons, aut collis prominet, è quibus uis in eam inferri possit. Cæsar duos dies illic commoratus, soluit: & ad Baleares insulas direxit iter: qui biduò uelificatione continuata, leni uento in conspectum minoris insulæ delatus est, sed quum ei insulæ iam appropinquaret, aduersis &
Baleares insulæ flantibus uentis, parum abfuit quin in contrariam partem reiiceretur: remorũ tamen tanta contentione naues impulsæ sunt, ut tandem multa nocte ad terram promotæ sint. Inquo ita sudatum est, ut septem horis non intermisso remigrandi labore, uix totidem millia processerimus. Reliqua noctis parte quieti data, diem in ancoris expectauimus: quo tempore, quũ paruo spacio ab eo quo
Mahon portus, eius q; descriptio appulsi eramus loco, Mahon portus abesset, eò profecti sumus. Hic portus omnium quos uidere memini, est pulcherrimus & optimus, nisi hanc difficultatem haberet, tota insulæ ora maritima montibus ingentibus septa est, sed quâ est ad portum aditus, radices montium in planitiem extrahuntur, donec tam angusto interuallo ad alteram littoris partem accesserint, ut non nisi leni uento intromittantur naues: cæterum rebus alijs omnibus est facilis & opportunus. excurrit enim in quatuor ferè millium longitudinem, uarijs & frequentibus insinuationibus quæ facilè naues à maris sæuitia tegunt. Huic perpetui
Aenobarb. imperator. montes prominent, è quibus immensa ligni copia peti potest. Ad extremam eius partem in montium altitudine urbs exstructa est, quæ si opere tam esset munita quàm natura, non ita facilè ab Oenobarbo, qui uulgò Barbarossa nuncupatur, expilata fuisset. Quum duos dies tempestas classem detenuisset, summã tranquillitatem adepti, ad Maiorem insulam cursum intendimus. Quò aduectus Cæsar, comperit ab Italia naues onerarias centum & quinquaginta conuenisse, & Ferrandum Gõzagam proregem Siciliæ septem triremibus

bus aduenisse: quæ cum his, quas secum Cæsar adduxerat, coniunctæ, quinquaginta numerum expleuerunt. Præter has ab Hispania quindecim longæ, & magnus nauium onerariarum numerus desiderabantur: quas quum triduo exspectassemus, nunciauit triremis una reliquas iam Africam attigisse, & naues onerarias eôdem contendere. Quo allato nuncio, Cæsar protinus milites naues conscendere, & classem se in uiam dare iussit. Maior, Insula est & urbs nobilis: insula contra minoris insulæ naturam, habet oram maritimam planam & fertilem, montes uerò in mediterraneis regionibus altissimos & magna parte steriles: quæ quoniam meridiem propius quam Hispaniã spectat, hyeme temperatior est, & frigoribus remissioribus, omniumq; ferè fructuum copiam habet quibus abundat Africa. Vrbs autem est ampla, & pulchris ædificijs ornata, quam ferè mediam influit riuulus è montibus decurrens, qui ad lanificium plurimûm ualet. Huius incolæ Tarraconensium parent legibus, & lingua ac moribus ualde cum eis conueniunt. Ad ædificandum utuntur maximè terra calculis permixtis: qua materia muri oppidi affecti sunt, Tapiæ uulgò nominantur. Nauibus ad nauigandum rebus omnibus instructis, Cæsar ad Argieram urbem Africæ maritimam iter direxit: quò biduí nauigatione prouectus, comperit triremes, uti acceperat, aduentum suum anteuertisse, atque terram ab eo latere tenuisse, quod ad Solem occidentem pertinet, decem ferè millibus procul ab urbe. quæ ubi classem nostram cõspexere, nobis obuiam processerunt: sed eis continuò eò unde fuerant egressæ remissis ad eam littoris partem seruandam, Cæsar aliquot millia progressus, in aliam urbis partem duodecim naues præmisit exploratum, an illic tutior esset à tempestate receptus. Quibus opportuniorem esse significantibus, urbem remis præteruectus, eò contendit, & iactis ancoris naues onerarias præstolatus est. Ab eo loco urbs tota sub adspectum nostrum cadebat, secq; regio latè nostris oculis ostendebat. Postridie mari paulatim intumescente, soluimus, atque locum cepimus quem uenti minus urgerent, eum Matafuz nominant. Dum eò properatur, naues speculatoriæ duæ Turcicæ in nos incidunt, imprudentes: quæ errore cognito, conuersa uelificatione, maxima remorum contentione in altum se referunt: quas nostri persecuti, altera unius ex nauibus nostris concursu depressa est, altera ad terram euasit. Cognitum est ex captiuis eas missas fuisse, ut de aduentu & apparatu nostro aliquid percontando intelligerent. Reliquam diei partem ad ancoras exspectando triuimus dum uniuersæ naues coëunt, & quiescit mare. Interea Ferrando Gonzagæ & Iacobo Bosso uiris prudentibus, & rei militaris peritis præscripsit Cæsar, ut conscensa nauicula piscatoria littus præterlegentes percurrerent, ac renuntiarent quâ optimus esset egressus, ac commodissimè exercitus exponi posset. Hi exploratis locis omnibus, quid perspexissent reuersi indicarunt. Sequens dies maximam tranquillitatem attulit, qua Cæsar propius accessit, atque in locum omnium opportunissimum milites exposuit: idq; nullis hostibus resistentibus effecit. Summa autem exercitus hæc erat. Peditatus omnis numerum duorum & uiginti millium explebat, è quibus Hispanorũ septem millia è Sicilia atque Neapoli aduenerant, Germanorum sex millia in Germania Cæsar conscripserat, Itali qui omni ex Italia coacti fuerunt, pari numero Germanos æquabant, præterea uoluntarij, qui honoris causa Cæsarem secuti erant, trium millium numerum excedere dicebantur, præter Cæsaris domesticos: huc accedebant quadringenti promiscui generis milites, quos equites Rhodij, promiscui item generis numero centum & triginta Melita suis nauibus aduexerant. Equitum uerò Cæsareorum quadringenti naues Neapoli conscenderant, & ab Hispania septingenti euocati. Vbi primùm terrã pedites

Nauium & triremiũ numerus.

Maioris insulæ situs & descriptio.

Argierá.

Matafuz.

Ferrandus Gonzaga, Iac. Bossus

Summa exercitus impératorij.

Melita, uulgo Malta

attigerunt, (equites enim pauci eo die nauib. emiſsi ſunt) generatim ſumma coëunt alacritate, ſeſeq; expediunt ad excipiendos hoſtes, qui crebris incurſionibus copias noſtras adequitabant. Hos, ſi ſe aggregarent, & propius admouerent, bombardis noſtri repellebant, ita ut rari diſperſiq; incurrere cogerentur. Qua ratione nullum incommodum accepimus. Hoſtibus in proximos montes reiectis, ad urbem iter facit exercitus, & Hiſpanis, quos Ferrandus Gonzaga ducebat, in acie prima conſtitutis, Cæſar mediam aciem, quam Germanis crediderat, dirigebat: Italos autem, quibus immixti erãt Equites Rhodij, præibat Camillus Columna. Eo die circiter mille paſſus progreſsi, conſtitimus: atque ibi noctem penè inſomnem tranſegimus. Numidæ enim, qui montium iuga tenebant, ſe in planiciem demittebant, atque telis ea maximè parte, qua Cæſar tentoria poſuerat, nos laceſſebant: in quos dacius progredientes tardarent. Hi, noſtris impreſsionem facientibus ſe in montes referebant, & ſylueſtribus locis occultabant, atque noſtros aſcenſu prohibebant: uirtute tamen tantum noſtri potuere, ut in montes euaſerint, hoſtesq; loco pepulerint: ſed creſcente hoſtium multitudine, noſtri ſpatio pugnæ defatigati, recentes & integros non facilè ſuſtinebant. Itaq; quum à prima uigilia uſque ad primam lucem pugnam protraxiſſent, eis puluere quo ſphærulas plumbeas in hoſtes emittebant deficiente, paucis acceptis uulneribus ad agmen ſe receperunt. Tota regio quà uiam fecimus, plana eſt, ſed impedita, & dumis atque herbis ſylueſtribus cõſita: hanc ſubluit mare, ab eo promontorio, quò ſæuiente uento naues noſtras prouectas fuiſſe diximus, donec urbi mille ferè paſſus appropinquauerit, quo loco ſaxa & tumuli, mari oppoſiti planiciem interrumpunt: urbs duodecim ferè media ducta linea millibus abeſt à promontorio: ſin autem pedibus eatur propter littoris obliquitatem uiginti millia erunt facienda. Planiciem radices montium impendentium efficiunt: & quemadmodũ ora maritima ſinuoſa eſt, ita planitiei uidentur mõtes impoſiti fuiſſe, littorisq; naturã ſequi. Nam ubi littoris ſinuatio mollius inflectitur, & diffunditur latius, maiori etiam interuallo à littore mõtes intermittũtur, & effuſior planities intercedit: ubi uerò ſinus deſinit, & uelut angulo terminatẽ, littusq; iam nõ ſinuosè, ſed magis directò procedit, eodem quoq; loco è planicie colles & tumuli enaſcũtur, qui montibus cõiuncti, eam cõfundũt. quem locũ mille paſſus abeſſe ab urbe demõſtrauimus. Cæſar reductis ex mõte militibus, propius urbem mouit exercitum, cui ſuperata planitie, erant colles & tumuli, in quos mõtes deſinere ſignificauimus, ſubeundi, ac deinde ad mõtes tentandũ iter. Nam cõſtabat iuga montium im maxima longitudinem à latere exercitus protendi: quibus à tergo hoſtes relicti, rurſus aduerſus nos prouolabant, agmenq; morabãtur. Illi, ſi cõtẽtione durius quicquã accidiſſet, quoniam ad montes facilem receptum habebant, noſtros ſine ſuo magno periculo premebant: hos montes ſi noſtri tenerent, perfacilè erat hoſtes tranſitu intercludere, & liberius, minoreq; periculo in oppugnationem incũbere. Qua de re peropportunum eſt uiſum, Numidas è montib. depellere, acibi primam aciẽ collocare. Quę tametſi res erat magnæ operæ & laboris, propter mõtium altitudinẽ & aſperitatẽ, uirtute tamẽ tãtũ Hiſpani pręſtiterunt, Ferrãdo Gõzaga duce, ut expulſis hoſtib. in mõtiũ faſtigiũ euaſerint. Occupatis mõtib. ſecũda acies cõſedit in collib. q̃s mõtib. ſubeſſe diximus: & paulò infrà ſecũdũ litẽ acies tertia cõſtituta eſt. Exercitu in hũc modũ diſpoſito, urbs eũ uelut angulũ reſpiciebat. quę ab uno latere mari concluſa, ab alijs duob. obducto exercitu, triãguli ſpeciẽ effecerat: quũq; penè exercitu circũuallata eſſet nõ magnã in extremis copijs ſpẽ habebat. Quę quãuis à tergo noſtras acies è planicie adoriri

potuiſſent,

potuissent, tamen quia loco superiores eramus, facilè ueniẽtibus restitissemus. Ad hanc nostram commoditatem accedebat, quòd inter planitiem & tumulos, quos Cæsar castris delegerat, crebri anfractus intercedebãt, qui pro fossa hostibus obiecti, eorum impetum tardare potuissent. Ita compulsis in urbem hostibus, & rebus omnibus, quæ humano ingenio prouideri possunt, â Cæsare procuratis, inclinata in noctem die, uigilijs dispositis se lætitiæ dabat exercitus: quum repentina calamitas incidit, quæ uitari omnino nõ potuit. Imbrium ẽim uis uehementissima prima uigilia coorta, nullã noctis horã intermissa est: quæ quanuis iniquitate sua molesta satis esset, eam tamen longè molestiorem par uentorum uis reddiderat. Nam militibus qui sine impedimentis è nauibus educti fuerant, nec amictus erat ullus, quo pluuiæ iniuriam â se propulsarent: nec tentoria, quò profugere possent. Hinc factum est, quum ipsi imbribus toti maderent, ac uentis exagitarentur, ut uires eos atq; animi deficerent. Eodem tempore suprà quam cuiquam credibile sit, intumuerat mare, ac ita efferbuerat, ut multæ naues, quæ sæuitiam ferre non poterant, fractis funibus anchoratijs, ad terram alliderentur: aliæ uerò fluctibus completę deprimerentur: quarum naufragio magna hominum cibariorumq; iactura facta est. Quam calamitatem magno auxit cumulo diei interuentus. Tum enim uenti atq; imbres in tantam rabiem creuerant, ut uix quisquam pedibus consisteret. Hanc impugnandi nostri occasionem hostes prætermittendam non putarunt. Tum enim magno numero ac summo silentio egressi, aduentu suo nostras uigilias oppressere: quibus interfectis, ad munitiones nostras prouolant, nosq; telis lacessunt. Nos omnibus rebus subitò perterriti, imbribus & uentis aduersum os ferientibus, arma tamen expedimus: & ut quisque primùm occurrerat, ita quã maximo potuit impetu in hostes contendit. Hostes autem ad primum nostrũ impetum pedem retulerunt ut nos elicerent in insidias, quas idoneo loco dispositas erant: in quas eos persequuti incurrimus. Eramus autem numero superiores, & uirtute pares: sed ipsi & loco & armorum genere longè præstabant. Illi ẽm de loco superiore pugnabant, & balistis, arcubus, lapidibus, ac omni telorũ genere nos adscensu prohibebant: nobis uerò imbres sclopetarum usum ademerant, nullumq; omnino telum reliquum fecerãt, quo hostem impeteremus, ut hastilibus, & ipso penè corporum concursu, nobis gerenda res esset, quum interim & iniquitas loci ab ea re nos inimicorumq; uelocitas retardaret, qui nobis procurrentibus cedebant, & eminus tela & lapides conijcebãt. Genus hoc pugnę nostris erat insuetum, nam hostiũ in uniuersum ita fert cosuetudo, ut nunquam conferti manus nobiscum conserant, & summis copijs prælietur: sed rari nos equis prætercurrentes, telis & sagittis lacessunt, ut nos ab ordinibus eliciant. Qui, ubi ex ordinibus excesserimus, & impetum fecerimus, consultò cedunt, atq; se fugæ mandant, quòd si studiosius nos insequentes, ab ordinibus longius progressi fuerimus, illi conuerso cursu, plures paucos circunsistunt ac interficiunt. Eo die equites urbe egressi, totidem ferè numero pedites delegerant: qui inter eos tanta uelocitate uersabantur, ut equorum cursum adæquarent. Hoc genere pugnæ nostri eluси sunt: qui in fugam compulsos hostes arbitrati, eos temere incertis ordinibus insequuti, non prius sequendi finẽ fecerunt, quàm sub muros & portas oppidi successerint: quo tempore hostes quàm primùm in urbem se receperunt, & bombardis, telis, sagittis, ac omni tormentorum genere uno impetu emissis, nostrorum magnam stragem ediderunt, atq; ex Italis eos dederunt, in fugam, quibus non magnus esset usus militiæ. Quorum fuga Rhodij Equites soli ad portas ciuitatis restiterunt, aliquot Italis uiris fortibus adiunctis, quos uirtus à turpi fuga dehortabatur, fociisq; fugientibus, se ad signum nostrum conuerterant. Nos id quod

accidit postea, euenire posse suspicati, ut hostes nostrorum fugam conspicati, in eos irruptionem facerent, in angustum intra colles & tumulos locum, ubi pauci multos morari possent, signum nostrum retulimus. Loci autem natura hæc erat: Tota circum oppidum regio tumulis frequentibus referta est, intra quos uia posita, obliquis orbibus (ut tumulorum fert situs) ducit ad urbem: quæ ubi tumuli coeunt patet angustius: ubi uerò latiori spacio se retrahūt, illic etiam uia latius intenditur. Non fefellit nos suspicio. non enim prius in angustias peruenimus, quàm hostes ex oppido eruperunt, ac effuso cursu in nos impetum fecerunt: quumq; se propius intulissent, more suo retrocedebant, ut ab angusto nos loco in patentiorem allicerent, ac circunuentos occiderent. Ve autem se nihil proficere uiderunt, in colles et tumulos, qui nobis prominebāt, pedites immiserunt, ut inde lapides & tela iacularentur.

Loci circa Argierā descrip.

Quæ qui ex nostris, armis tecti non essent, uitare non poterāt: unde accidit, ut plures pugna excederent, & numero plurimum minueremur. Quum tamen nihil quod nobis indignum esset committeremus, hostes indignati tam paruam manū tantas suas copias destruere, comīus rem gerere constituunt, & ppius equis incitatis nos hastilibus aggrediuntur, ad quæ uitanda plurimum arma nostra ualuere. Quum uerò uideremus salutis nostræ subsidium in uirtute positum esse, potius esse duximus, uirtutis nostræ dimicando memoriam relinquere, & si moriendum esset, damnum aliquod hostibus inferre, quam turpiter in fugam uersos ab illis concidi. Hoc nostrum institutum adiuuat, quòd breui nobis Cæsarem affore subsidio sperabamus: qua spe erecti, & hostes irruentes hastilibus sustinebamus: & quum se nobis insinuarent non dato regrediendi spacio, confodiebamus: cui iniuriæ eò erant opportuniores, quòd nudi in prælio uersarentur. Qua re animaduersa, tanto illi spacio pedem retulerunt, quantum hastilia nostra paterent in longitudinem: quo ex loco tela & hastas qua parte corpus nostrum apertum erat, inīciebant, & balistis, quibus arma transfodi posse putabant, nos appetebāt. Ea quum à confertis uitari nō potuissent, & uirtuti locus relictus non esset, aliquot eorum qui in primo ordine pugnabant, grauiter uulneratis, ordines nostros perturbarunt, ac loco sum mouerunt. Quo temporis momento Cæsar cum omnibus Germanorum copijs nobis adfuit subsidio, quem hostes conspicati, parumper constiterunt, ac nobis colligendi nostri potestatem fecerunt. Cæsar, quo loco maiore interuallo tumulos intermitti demonstrauimus, agmen constituerat, quod quantum esset, hostes dijudicare non poterant ob itineris angustias, quæ inter eos & agmen erant interpositæ. Quamobrem cognoscendi causa, se propius incitarunt, at quum uiderent profici nihil posse, ueriti ne si nobiscum prælio cōtenderent, & sibi necessariò in oppidum refugiendum esset, nostri unà immixti introirent, opportuno tempore se receperunt, ac in agmen bombardas emiserunt. Ibi Cæsar non ita longè abfuit à periculo, ipse enim quum in primis ordinibus milites adhortaretur, bombardæ, aliquot eorum quibus cum uerba faciebat, extulerunt, ita tamen, ut ipse neque ullam timoris significationem ediderit, neque orationem suam interruperit, neque uultum mutauerit: sed ea fortitudine & animi præsentia substiterit, qua in maxima tranquillitate esse solet. His gestis rebus, quum id quod uolebat Cæsar esset consequutus, ut nos laborantes periculo eximeret: compulsis in oppidum hostibus, paucis Germanorum desideratis, in castra suos reduxit. Ex Equitibus uerò Rhodijs, qui uix centum numerum implebant, ad muros urbis octo bombardis extincti sunt: ex conflictu autem saucij triginta euaserunt, ex Italis qui se nobis aggregauerāt, mortuorū numerū nō teneo, neq; qt ex pugna uulnerati sint elapsi. Nā quū grauissimè saucius ereptus essē, et uehemēter ex uul-

Virtus et animi magnitudo Imperatoris Boni ac constā tis Imp. & ducis officium.

ex uulneribus laborarem, adire potui neminem qui uulneratorum aut mortuorum mihi numerum explicaret. Interea dum uenti, hostes & pluuia, terra nos duriter exagitant, mari naues longè durius afflictantur. Ita enim uis uentorum mare commouerat, ut quum naues incuteret, neque ancoræ, neq; funes obstarent, quò minus in terram eijcerentur: quòd si quę funium multitudine retinerentur, tanto impetu concutiebantur, ut stupis quibus tabularum rimæ & commissuræ impleri solent, euulsis, aqua complerẽtur & obruerentur. Rem in tam infœlicitatem proclinatam adaugebant Numidæ: qui, uiso naufragio, ad littus magno numero conuenerant, ut quos fortuna in terram exportaret, eos transfoderent, adeó ut utrùm in terram elabi, an submergi præstaret, nesciretur. His rebus permotus Cęsar, ad duo millia Hispanorum immisit, qui repulsis hostibus, nostris essent, præsidio: quorum aduentus quàm plurimis salutem attulit. Sed hoc consilium quanuis reprehẽdi non possit, euenit incommodè: nam cùm nautæ tutos se esse cognoscerent, si ad terram applicarent: minori contentione uim tempestatis ferebant, & procliuius in terram nauem impingebant, ex quo naufragium effectum est insignius. Hac tempestate centum & triginta naues desideratę sunt, è quibus triremes quatuordecim, longo maris conflictu collabefactæ, in terram eiectæ sunt. Quem casum tanta animorum consternatione & desperatione excepit exercitus, ut nulla unquam maior exstiterit. quũ enim milites in terram fuerunt expositi, quò essent ad uiam expeditiores, sine impedimentis emissi fuerant, & duorum tantùm dierum cibaria secum tulerãt, eaq; superioribus diebus consumpserant. Vnde magna nauium parte amissa, uerebantur, ne si reliquæ quoque naufragium facerent, tum esset mors oppetenda, quòd nullas haberent naues alias quibus reportari possent: nullaq; res adesset, qua inediam tolerarent, quáue se ab imbribus defenderent, quum etiam deessent tormenta & machinæ, quæ usui essent obsidendæ urbi, nec aliunde commeatus peti posset: de urbis expugnatione desperabant. Hæc perturbatio totum illum diem & sequentem noctem tenuit exercitum. Triduo pòst mare paululum de sæuitia remisit: sed quum adhuc remis arari non posset ad commeatum ex nauibus importandum, Cęsar equis, quos nauibus eduxerat, interfectis, tribus diebus milites refecit. Quæ calamitas eò incommodius obtigit, quòd unà cum nauibus magna copia frumenti, farinæ, panis biscocti, legumini, uini, olei, carnium q; sale cõditarum, ac rerum omnium ad uictum exercitus spectantium amissa est: equorum item magnus numerus interijt: quò accessere omnium generum tormenta, quæ ad nauium tutelam, & alia quæ ad urbium oppugnationem comparata fuerant, quorum magnam partem hostes tranquillitatem nacti, piscari & extrahere poterant. Denicq; tanta rei frumentariæ iactura facta est, ut angustè superfuerit ad milites reportandos. Tot incõmodis acceptis, Cæsar urbis oppugnationem in æstatem reijcere instituit, & milites reducere. Itaq; iussit eam littoris partem petere, qua naues commodè conscendi possent. Hoc uerò fuit omnium miserrimum, quòd milites inedia atque imbribus quibus triduo perpetuo maduerant, tam fracti & exhausti fuerant uiribus, ut plerique eorum, quum uiam ingrederentur, exanimati collaberentur: & terra usque eò erat cœnosa, ut nec in eam recumbi, nec commodè incedi posset: ut si uellent milites quiescere, hastili altè in terram defixo niterentur, ac eo modo se quieti darent. Tot tamen tantasq; difficultates singulari animi magnitudine præsentiaq; uicerunt milites nostri: ac tribus fluminibus uado transmissis, etsi interim solis humeris aqua exstarent, totidem diebus iter confecerunt. Eò profecti, unde naues conscendi oporteret, dum Itali & Germani imponuntur, Cæsar Hispanos, de quibus maximam uirtutis habebat opinionem, contra hostes in armis esse iussit: & operam dedit, ut quàm posset ficeler-

ri celerrimè, illi ad naues deferrentur: ne, si mare intumesceret, impediretur sca-
pharum nauigatio, quarum quoniam magnum numerum tempestas absorbu
erat, transportatio militum tardius processit, nec citius quàm bidui spatio na-
ues instrui, ac militibus compleri potuerunt. Triduo pòst quum dimidiam fere
Hispanorum partem naues accepissent, uentis paulatim crescentibus, inflato
mari ægerrimè reliqua pars ad naues transferri potuit: quod præsentientes nau
tæ, ut quæque primùm nauis onusta fuit, ita prima cursum cepit. Vnde salus
eorum secuta est, qui primùm naues conscenderant: quæ antequam egredi tẽ-
pestate prohiberentur, soluerant ac uela expanderant: reliquas uerò, quæ tar-
dius onus acceperant, tempestas morata est, ut una Rhodiarum nauium fra-
ctis funibus ancorarijs, parum abfuerit quin in scopulos torqueretur: sed tan-
tum remis contenderunt remiges, ut eam in altum paululum promouerint:
quæ ut ex scopulis erepta est, nautæ & gubernatores satius esse iudicarunt, se
mari committere, quàm fluctibus frustra reluctari. Hanc tres aliæ secutæ, in Bu
giam, eò uentis adspirantibus, euaserunt: quod non nisi magno labore & peri-
culo effectum est. Vna enim nauis amisso temone, fluctibus ferè obruta est.
Cæsar autem expectabat, ut remisso uentorum impetu, in altum naues remul-
co attraheret, ac demum cursum teneret. Quod ubi aliquãdiu frustra tentasset,
ueritus ne ingrauescente tempestate tandem ad scopulos adigeretur, quatuor
triremibus, quæ omnium tutissimum locum ceperant, cæteris nauibus auxilio
relictis, soluit, ac naues Rhodias sequutus est. Postridie quàm Bugiam ap-
pulit, triremes, ad Argieram cæteris nauibus subsidio relictæ, nunciarunt eas,
quum tempestatem ferre nõ possent, fractas fuisse, ad littus proiectas, militũ
magnum numerum fluctibus demersum, reliquos in terram eiectos, in orbem
pugnandi gratia coiuisse, ac desperatione debilitatos in deditione spem uitæ
collocasse: eos denique ad urbem properantes, à Numidis ad unum omnes in
terfectos fuisse. Hunc exitum habuit bellum Africanum. Tempus & laborum
diuturnitas nos Bugiam appulsos ad quietem uocabant, sed locus id minimè
patiebatur. Portus enim Bugiæ quum nullum terræ habeat obiectum, ad co
ercendam uim uentorum ab Europa spirantium, nostris nauibus stationẽ in-
fidam præbuit. Mare enim uentis incitatum tota ui naues quatiebat, ut non
multò minore periculo quam ad Argieram substiterint. Bona fors eò nauem
unam inuexerat, frumento reliquoq; commeatu onustam: sed eadem excepta
tempestatibus, in conspectu nostro paulò pòst depressa est. Quæ tempestates,
quamuis nulla nos alia insigniori affecerint calamitate, non ab re tamen mihi
uisum est narrare, quam nobis metus occasionem dederint. Vbi plures dies in-
tolerantius mare nos sollicitasset, nocte ineunte, maiore erupit iracundia: &
quò altius nocte tegeretur, eò se magis exasperabat, donec in tantam creuisset
insaniam, ut nos multas horas omni spe reconciliationis destituerit: quod tan-
dem adueniente die, quum iam omne ferè uirus euomuisset, suæ incontinen-
tiæ puduit, atque erubuit se tam fœdo uultu Soli inspiciendum ingerere. tanta
tamen eius fuit inciuilitas, ut etsi scirem me gratum ei minimè facturum, eam
non reticerem, Principem triremium Sicularum tanta ui in latus impulit, ut ma
lum & antennas extra nauim deiecerit. Aliam præterea ex nauibus Siculis
tanta animi offensione afflictauit, ut ipsam ingrediens nauem, remige uno ap-
prehenso, ei tibia quæ cathena reuincta fuerat, euulsa ex corpore, truncum ex-
tra nauim emiserit. Rhodijs nauibus non minus fuit iniurium: nam erepta ab
una nami scapha, dum eam præter nauim uicinam inueheret, tam altè extulit, ut
nullo ferè labore in summam triremem inciderit, ac ipso casu scamno fracto, re
miges duos eliserit. Denique ut in omnes qui ad Argieram integri relicti erãt,
suam sæuitiam experiretur, Comitem Anguilarium ab iniuria nolunt immunẽ
esse

esse, atque ita ei fuit infestum, ut interim à Sanctis non abstinuerit: tanto enim furore in puppim inuolauit, ut & ipsam puppim euerterit, & Sanctum Andream qui puppi in signum erat appositus, præcipitem egerit. A' cæteris quos ad Argieram ultus erat, manus continuit. Vna res tum nobis salutem attulit, quæ aliàs exitio esse solet. Quo loco Oceanus in mediterraneas regiones influit, Africam ab Europa ualde angusto interuallo diuidit: quibus coactus angustijs, rapidius fertur, donec locum patentiorem nactus sit, quo se liberius effundat, & quo tempore æstum patitur, quod bis in die contingit: quantóue propius angustias accurrit, eò maior est nauigantibus ineunda rapiditas, ex quo Occidentales regiones æstus iniuriæ magis patent. Præterea quò propius ad lunam plenã acceditur, eò magis redũdat Oceanus, & fiunt æstus eius maiores, incq; mare nostrum introit incitatior: qui luna decrescente similiter decrescunt, unde uentorum tempestatumq; commutationes proueniunt. Hæc ergo rapiditas, siue ut nautæ dicunt, aqua currens, æstu maris incitata, excurrit quousque terrarum obiectu retorqueatur, quod ferè usu uenit, quum Oceanus commutationem æstus patitur, & ab Europa in contrariam partem recedit. Itaq; cum Bugiæ essemus, ut dixi, erat mare turbulentissimum, tantaq; celeritate ferebatur, quanta uis uentorum impelleret. Sed quoniam luna tum plena esset, & propterea æstus Oceani maiores, currens aqua uelocius incurrebat: uis uentorum coniuncta, magnam rapiditatem addiderat, ob eamq; causam, mare quantumuis commotum longo spatio antecurrebat, atque ad terram citius perueniebat. Itaque quanto maiore impetu delata esset, eò maiore ui reflectebatur: atque in mare conuersa, eius reprimebat & tardabat impetum, ita ut minore ui mare naues incuteret. quod nisi ita euenisset, nauium firmissima quæque sex horas fluctus maris sustinere nequiuisset. Post eam tempestatem nobiscum mare mitius egit, quum se tamen innauigabile præberet, nos inediæ conficiendos tradiderat, à quo periculo non procul abfuimus. Bugia enim quamuis nostra esset, ea tamen est natura loci, ut exiguè nos iuuare posset. Est enim oppidum situm in montium altissimorum decliuitate, cuius fines tam latè patent, quantum in circuitu ipsum oppidum occupat soli. Nam Mauri quibuscum nostri continenter bellum gerunt, imperant toti finitimæ regioni: proinde quicquid nostris frumenti est, ab Hispania importatum habent. In illius oppidi propugnaculum tres turres institutæ: quas unà cum oppido ducenti milites custodiunt. Ad eos iam multo tempore naues ab Hispania non uenerant: tantaq; multitudine uno tempore eò confluximus, ut nostri iuuandi non magnam habuerint facultatem. His in angustijs Cæsar constitutus, trium dierum supplicatione decreta triduo pòst expiatis confessione peccatis panem sacrum religiosè edit, quem omnes aulici imitati, iram Dei precati sunt. Senescente luna uenti rabie sua ceciderunt, & mare paulò placidius effectum est: quo tempore ne hanc discedendi oblatam occasionem è manibus amitteremus, Dux Equitum Rhodiorum Imperatorem adijt, atque abeundi commeatum petijt: quo impetrato, proficiscente etiam Ferrando Gonzaga, unà ex eo loco soluimus, & iter Tunetum uersus tenuimus, quò quatriduo remis peruenimus. Cæsar uerò, quum Andreæ Doriæ classis præfecto non uideretur nauigationi tempus esse idoneum, eo loco commodiorem tempestatem exspectabat.

Tuneti omnibus rebus ab eius urbis rege refecta classe nostra, nacti tẽpus opportunum, Drepanum Siciliæ oppidum contendimus: ubi biduo uotis Diuæ Mariæ, quæ ab Annunciatione nomen habet, persoluendis insumpto, Panormũ deuenimus. Quo loco Siculis nauibus relictis, Rhodiæ Messanam delatæ sunt. Vnde quum me subijsset negotiorum recordatio, quæ in meum ab

Aphrica reditum distuleram, ad ea me recipere constitui, & conscensa nauiscula toria Neapolim, ac inde Romam multis tempestatibus delatus sum. Vbi quoniam uulnera difficultate & magnitudine uiarum recruduerant, iterintermittere tantisper coactus sum, dum me de uia fessum, & uulneribus afflictatũ colligerem. Interim ne omnino essem otiosus, hanc expeditionis Aphricanæ narrationem exaraui, in qua multorum illustrium uirorum casus, & rei familiaris iacturas consultò prætermisi. eas enim, quod immensæ sint, neque accuratè explicare, neque etiam omnia memoria tenere potuissem.

FINIS.

AD CAROLVM V. CAESAREM AVGVSTVM,

de Aphrodisio expugnato, quod uulgò Aphricam uocant,

GONSALVI PERESII

Epigramma.

Dum tu Germanis das leges, Maxime Cæsar,
Inq; rebellantes horrida bella paras,
Dum uel componis nunc hæc, nunc despicis illa,
Vt te destringit Relligionis amor:
Ecce arces Libyæ tibi cædunt, Africa victa est,
Subdit & imperio barbara colla tuo.
Nec mirum, si Hispana cohors discrimina tanta
Auspicijs superat Carole Diue tuis:
Sed si parua manus absenti Cæsare uincit,
Quid si acies uultus cerneret ipsa tuos?
Inuideat Latium, fileat iam Gallia pugnax,
Vincendiq; modum discat ab Hesperia.
Acceptum Hispanus ferat hoc tibi, tu tamen illi,
Quòd tulit intrepidas ad tua uota manus:

AD EVNDEM, NICOLAI Nicolaij Grudij.

Interea patrijs reuocas dum numina templis,
Numinibus reddi templaq; rapta iubes:
Desertisq; sacros aris indicis honores,
Suadet ut antiquæ relligionis amor.
Ecce procul meritis pro talibus orbe remoto
Additur imperijs Aphrica capta tuis:
Victaq; gens uersis animis pia sacra recepit,
Lustraturq; Deo flumine tincta caput.
Auspicijs pugnasse tuis tam iuuit Iberos,
Quos penes est per te gloria militiæ.
Nempe fuit Deus ipse fouet quòd uindicis arma,
Orbe tuo maius Carole nomen habes.
Id tamen ut nusquam longo obscuretur in æuo,
Aeterna illustrans dat tibi Stella face.

EIVSDEM AD STELLAM.

Solus Alexandrum depingere norat Apelles:
Dicere tu solus Cæsaris acta potes.

IOAN. CHRIST. CAL. STELLAE ad Aphrodisium.

Phaleucium.

Exi, uade Aphrodisium diserti
Illustrisq; Auilæ domum: fouebit
Blando te ille sinu: rogabit, ecquid
Noster Stella agit? Et uiam ire dices,
Et Scaldim petere, ut tuas ad ædes
Me comptum & nitidum remittat ille:
Vt terræ uideam æquorisq; tractus.
Cessas ire? times? nihil pericli est:
Nec tormenta ibi, queis quati superbæ
Et turres ualeant, tuusq; murus.
Cinctas floribus, & rosis uidebis,
Spirantes Tyrium, Indicumq; nardum
Aedes, quas Zephyri tenent secundi,
Et blandæ Charites, Puerq; nudus,
Auratisq; Cypris colit capillis.

ADOLPHI METERCHI BRVgensis, ad Carolum Quintum Cæsarem Augustum, Epigramma.

Quæ nuper capta est, urbs Africa Marte feroci
Auspice fortuna Carole Diue tua:
Longè aliud (si uera canunt oracula uatum)
Hoc maius de te uaticinatur opus.
Tempus erit, quo tota etiam tibi magna triumphos
Aphrica pars mundi tertia, victa, dabit.
Deinde quid est Asiæ reliquum, Europæq; potenti
Imperio accedet protinus omne tuo.

IOAN

IOANNES CHRISTOphorus Caluetus Stella, clarissimo VIRO LVDOVICO AVLAE STVNICAE, MILITIAE ALCANTArensis Præfecto S.

GRaue onus, longeq; maius, quàm sustinere possim, mihi imposuisti, ut ea literis mandarem, quæ Hispani in Africa superiori æstate gesserunt. Quis enim, etiam si id assequi uelit, se consecuturum speret, ut in scribendo Martiæ Hispanorum uirtuti par esse possit? aut eorum laudes, & pace ac bello præclarè gesta, quanuis eloquens, & in dicendo suauis & ornatus, ingenij culpa non eleuet? Quibus si tales rerum gestarum Scriptores, quales Græcis & Romanis, olim contigissent: non minus certè quæ fortissimè ipsi fecerunt, nota posteris essent, quàm quæ de suis illi tradiderunt. Vtcunque erit, iuuabit tamen uel periculum hac in re fecisse, tibiq; Principi uiro ac de Hispania quamoptimè merito, gessisse morem: quippe qui Caroli Quinti Cæsaris, & Hispanorum res gestas quotidie illustrare non cessas, Sed legant Hispani hæc per te, & quidem ab homine Hispano conscripta, & semper, ut sunt soliti, uincant, Inuictissimiq; Cæsaris nomine, & auspicijs signa ultra Euphratem proferant, maiorem laudem ex sua ipsorum uirtute, quàm ex ulla Scriptorum facundia sibi uendicantes

VALE.

IOANNIS CHRISTOphori Calueti Stellæ de Aphro DISIO EXPVGNATO, QVOD VVLGO APHRICAM uocant, Commentarius.

APhrodisium, quod uulgo Africam, Mauri Mahadiam appellant, in ea Africæ ora positum est, quæ in Tunetense regnum abijt: quà aditum habet à terra directa fronte inter Septẽtriones & Austrum ad ducentos passus patet, reliqua mare alluit. Eius uerò spacij pars, quæ ad aditum pertinet, duplici muro, & altissima fossa inter utrunque perducta, & turrium altitudine munita difficilem habet oppugnationem. Hinc Aphrodisium ipsum paulatim latum fit, mareq̃ue ab utroque latere, ueluti in sinum, ad eas usque turreis admittit, quæ in occasum Solis spectant. Deinde latius facẽtum rursus ad Orientem Solem contrahitur, in tenuemq̃ue cuspidem desinens linguæ speciẽ refert. A mari aũt quanquã simplici muro ne ea quidẽ crassitudine, qua à cõtinenti cingitur, tamen eò propius accedere perdifficile est, propte-

propterea quòd mare est illic uadosum, & breuibus plenũ. Murus & crassitudine, quam habet, & turrium multitudine, & quòd frequentissimis fibulis reuinctus distinetur, præcipuè à terra firmissimus est. Nam qui interior est, in latitudinem pedum trigintaquatuor, qui uerò pro fossa est, nouem patet. Porta quà ad oppidum est ingressus, altissimis turribus & operis uaritate & firmitate est sanequam admirabilis, tot sunt in ea inextricabiles anfractus, tot gyri, tot arcuati flexus, suis quisque æratis postibus utrinque muniti. Post quos testudo quædam fornicato opere, longa pedes septuaginta ingredientes excipit, adeò angusta & obscura, ut omnium mentes animosque perturbet, & quasi cum aliquo numine terreat, speciemque potius auerni specus, quàm ingressus ad oppidum præ se ferat. Quò fiebat ut Mauri maiestate oppidi, & religione adducti crederent nulla ui ipsum expugnari posse. Intus quà ad Septentriones uergit, monticulus nascitur, passus circiter à muro sexcentos: abestque, quà in Austrum spectat, à nauali & cothone centum, qui & amplitudine, & operis magnitudine longè alios antecellit. Nam præterquam quòd muro continetur, tutissimoque in loco positus, est multò capacior fieri potest: aditumque ita perangustum habet, ut singulas triremes, sublatis etiam remis, faucibus, ueluti canali quodam, intrò ægrè admittat: eoque amplius quinquaginta se recipere, ibique porta præclusa, quæ aggere & turribus est munita, tranquillè hyemare possint. Ferunt Aphricam, quod Mauri etiam in annales retulere, à Mahgdi primo Caruani Pontifice in Adrumentino sinu conditam, Mahadiamque ab ipso nominatam. Quam multis pòst annis, quum eam Christiani occupassent, Abdulmumenes Marrocchorum rex, quæ ciuitas est Mauritaniæ Tingitanæ, recuperauit. Exstant adhuc non lõgè ab Aphrica perueteris oppidi uestigia quædam, quòd Aphrodisium fuisse plerique existimant. Alij Rhuspinam, aut Leptim paruam eam esse contendunt. Tanta est in rebus, & locis ueteris memoriæ scriptorum uarietas & dissensio. Certè oppida illa longius absunt à Monasterio, & Susa, quæ olim Siagul fuit, quàm Africa.

Fuit hoc oppidum sub imperio Tunetensium, donec pulso Assa Gerbino, qui Ariadenum Oenobarbum summa necessitudine attingebat, quique pro ditione quorundam ipsum occuparat, sese in libertatem uindicauit. Quam uiribus & multitudine hominum diu retinere potuisset, nisi eam Dorgutes Turca pirata insignis, oppidanorum aliquot perfidia adiutus, eripuisset. Is à Meninge illa Lothophagorum, quam Gelues hodie uocant, soluens, quæ insula in minore Syrti ponte ad promontorium Zetham continenti coniungitur, Aphrodisium uenit præmissis eo consilio pedestribus Turcarum copijs, ut simul atque ipse à mari oppidum se uelle adoriri simularet, concurrentibus eò oppidanis, illi statim à terra ex insidijs irrrumperent, ipsumqú caperent: nec Fortuna comprobato hominis consilio euentui defuit. Capto Aphrodisio Dorgutes se Dynastam appellari iubet: Africæ, Mauritaniæque oram occupare, imperium protendere, ex Neapoli Siciliaque prædas agere animum intendit: creuissetque præter modum uiribus, nisi eodem anno, quo oppidum est, qui fuit quingentesimus quinquagesimus supra millesimum, ab Hispanis fuisset repressus.

Sed res ipsa exposcere uidetur, ut pauca de Dorgute præmittam, quo facilius percipi possit, unde Turca humili perobscuroque loco natus ad tantam dignitatem peruenerit. Qui cùm aliquandiu sub Oenobarbo tyranno Christiani nominis hoste atrocissimo meruisset, piraticam facere cœpit, nõ ea quidem fortuna ac nomine, quo Sinas Iudæus, & Haidinus Cilix, cui Caccidiabolo cognomen fuit, Halicotusque, & alij, qui sub Oenobarbi imperio fuerunt.

runt. Sed breui tantũ uirtute enituit, ut meritò ipsum Aenobarbus piratis omnib. præficeret, cũ Othomanicæ classis, quę anno trigesimo octauo coacta fuerat, summã imperij teneret. Hãc cũ ipse Cõstantinopolim reuersus dimisisset, Dorgutes tredecim nauib. lõgis in Corsicã Genuensiũ insulã renauigauit animo periniquo, & Christianis infenso. Sed hic conatus ei infeliciter cessit. Nã ad eam insulã euastatis prius, & incẽsis aliquot Christianorũ maritimis locis, cum triremium classe, quæ Cæsaris stipendijs militabat, cõfligens, amissis undecim nauib. in potestatẽ Ioannis Auriæ uenit, qui ei classi prępositus erat, & Andreæ Aurię Principi Melphitano, & rerũ gestarũ gloria, & rei naualis scientia, atq; usu lõgè clarissimo cum primis charus, maximisq; necessitudinis uinculis cũ illo cõiunctus. Captus Dorgutes nõ animũ hoc casu demisit, sed spei plenus in triremibus Auriæ multo tẽpore cathenis cõstrictus eandem fortunam, quam alios pati coẽgerat, fortissimè pertulit. De quo si more maiorũ supplicium sumptũ fuisset, non tam infestũ mare habuisset, neq; tot incommodis Christianos affecisset. Nam paruo pondere auri libertate pristina recepta, ad Meningem se cõtulit, ubi & auctoritate, qua plurimũ apud Barbaros poterat, & amicorũ ope uiginti nauiũ longarũ classe cõtracta in Italiam proficiscit, totamq; Liguriæ oram depopulatus captis aliquot nauib. onerarijs, & triremeuna Vlisscontis Cigale Genuensis, cũ ingenti captiuorũ, & merciũ numero remenso mari ad Meningẽ redijt, unde non parũ nominis & auctoritatis cùm apud alios, tum apud Turcas, quorũ opera potissimũ utebatur, est cõsecutus. Insequenti uere ex naualib. naueis producit, summa industria armat, remigiũ supplet, triremes treis adijcit, sagittarijs tormẽtisq; complet: classe sic instructa naueis ex Insula educit, orãq; Ligustici maris & Iberici percurrens, plus certè cladiũ, quàm superiore æstate intulit. Nam præter captiuorũ turbã, triremem unam Rhodiã tempestate ac uentorũ ui in Pithecusam, quæ Ischia dicitur, deiectam, qua magna uis auri & argẽti importabatur, cepit, cũ ipse prædãdi causa in eam insulã uenisset: quod herclè fortunæ nimium ei indulgenti tribui potest. Vix enim contingit Rhodias uel deprimi, uel capi: tãta est militũ illius ordinis uirtus, & rei naualis exercitatio. Id cùm Andreę Aurię maximo Cęsareę classis Præfecto nunciatũ esset, maturat ex Genuensiũ portu exire, uiginti triremium numero omnia maria lustrat, Prædonẽ quærit, ut cũ eo decertet. Quitametsi est admodũ callidus, & longo rerũ usu præditus, tamẽ cauere non potuit, quin in conspectũ Cæsareæ classis ueniret: quẽ cõspicatæ triremes nostrę in eum sese incitauerũt: sed ille eartũ impetũ metuens ex alto refugit, interuentu beneficio q; noctis euasit, & in Meningem cum omni pręda se recepit, ibiq; hyemare cõstituit. Ineunte proximo uere animũ ad maiora adpulit, Aphrodisium, ut suprà demõstratũ est, cepit: ibi aliquãdiu cõmoratus, cothonẽ expurgandũ curat, aggere & propugnaculis muniri iubet, trecẽtos Turcas oppido pręsidio relinquit: his præter oppidanos adiũgit quadringẽtos Mauros, quos ex agris coẽgerat: quibus omnib. Turcã quendã sororis suę filiũ præficit, unà cum Halete uiro strenuo, qui nomẽ cum religione mutauerat. His oppidi custodia cõmissa, omnibusq; rebus cõstitutis, nactus peridoneã ad nauigandũ tempestatem, naues Aphrodisio soluit, & in Hispaniam contendit. Erant numero quadraginta septem, partim Liburnicæ & actuariæ, partim biremes & triremes, adiũctis aliquot nauigijs speculatorijs. Nemini dubiũ erat, quin hac classe Dorgutes insignem calamitatem Christianæ Reipub. illaturus esset, his præsertim insulis, & maritimis ciuitatib. quæ Carolo Quinto Cæsari parent: quod, ne accideret, cùm Auriæ renunciatum esset, quàm celerrimè præcauendum putauit. Intelligebat enim dignitatis suæ esse, hominem ferum, & barbarum comprimere, neque ferendum esse, in conspectu penè ipsius liberos, &

coniuges

coniuges in seruitutem abduci, populationes fieri, & uicos, oppidaq; incendi naues deprimi & capi. Videbat etiam maximè periculosum Neapoli, & Siciliæ fore, piratam finitimum habere: propterea quòd id oppidum, cuius imperium ipse obtineret, contra Siciliam est, in quod, si qua uis urgeret, tanquam in tutissimum portum, se recipere posset. His rebus Auria adductus, triremes ex naualibus educi, cohortes Hispanorum, quorum opera superiore æstate usus fuerat, ex Insubria euocari, & omnes ad Spediam, quod oppidum est Liguriæ in sinu Ericis, Specia uulgò dictum, conuenire iussit. Erant hi milites, quos Didacus Ferdinandus Morerela, Rodericus Paganus, & Amadorius Nauarrus in Hispania Betica conscripserant. Quos etiam Philippus Princeps, cùm ex Hispania in Galliam Belgicam contenderet, triremibus conuexerat: eosq; ut præsidio ei tractui essent, quem Malamspinam uocant, reliquerat. Vnde militari Hispanorum more nomen illis à Malaspina inditum, qui ex præsidijs & stationibus cohortibus nomen imponere solent. Omnibus rebus ad nauigandum paratis, Auria ex Genuensium portu uiginti triremium classe Spediam delatus, milites, quos euocari iusserat, inuenit: eorum ordines hi ducebant, quos paulò ante recensui, sub Ferdinando Lupo Lusitano, militum Tribuno. His omnibus triremes conscendere iussis nouo Kalend. Maij Spedia profectus, tribusq; ad Liburnum Thusciæ portum adiunctis triremibus Cosmi Medicis Florentinorum Principis, quatuorq; Iulij III. Pontificis Max. ad Pyrgos ueteres, in quas nulli milites extra ordinem impositi fuerant, Neapolim pridie Nonas peruenit. Ibi Garsias Toletus, & Antonius Auria unà cum Neapolitana classe, quæ Cæsaris stipendijs merebat, se illi adiungunt: octingentis Hispanis, quos ex Neapolitano præsidio eduxerant, in tredecim triremes impositis. Neapoli biduum Auria moratus Panhormum septimo Idus Maij adpulit, auctóque triremium numero decem Siculis, quibus Berengarius Requesentius præfectus erat, & quatuor Rhodijs: cùm intelligeret Dorgutem re frumentaria, & commeatibus premi, statuit eò cursum dirigere, quò ratione etiam cogente ipsum recurrere erat necesse. Itáque Panhormo soluens quinquaginta quatuor triremium, instructissima classe maria circuit, nihil intactum, quò prædoni occurrat, relinquit. Sed neque in his locis, ad quę fama erat ipsum attigisse, inquirendo Auria reperire potuit. Hinc in Mauritaniam trantit, oramq; Africæ præterlegens perspecto Aphrodisij situ, in Monasterium, quod ab eo millia passuum quinque abest, renauigat: quod oppidum firmissimo Turcarum & Maurorum præsidio tenebatur. Id enim Dorgutes operam dare, ad id incumbere, totisq; uiribus contendere, ut oram illam Africæ occuparet, imperium protraheret, Aphrodisium arcem regni, caputq; constitueret. Eò cùm Cæsarea classis appulsa fuisset, & Turcæ nostros aquatione prohibuissent, Auria & Toletus expositis militibus Monasterium oppugnare cœperunt, atque strenuè se defendentibus Turcis tormenta educi, muros quati, irruptiones fieri iusserunt: acriter utrinque pugnatum est, quoad Hispanorum impetum oppidanis non ferentibus oppidum captum est, & militibus prædæ datum. Cæsi sunt ex hostibus circiter trecenti, capti mille & ducenti, ex nostris centum quinquaginta partim interfecti, partim uulnerati: in his Morerela graue uulnus accepit. Hoc detrimentum nostris illatum est, quòd à principio oppugnationẽ parui duxerant, tormentaq; expediri neglexerãt, ex quib. aliquot diruptis magnũ incõmodũ acceptũ est, nõnullęq; trirremes afflictæ, ac primaria Caroli Aragonij Terræ nouæ Marchionis depressa, nihilq; ex ea præter remiges & tormẽta reliqui factũ. Capto Monasterio Auria Aphrodisiũ oppugnare statuit: sed antequã id tẽtaret, dignũ duxit ea de re

Ioannem

Ioannem Vegam Proregem certiorem faceret: qui ex legatione, qua apud Sũmum Pontificem non minore gratia, quàm auctoritate Cæsaris nomine perfunctus fuerat, Siciliam cum imperio obtinebat: cuius singularis prudẽtia magno rerum usu perspecta, animiq; magnitudo nemini non erat cognita. Dum hæc in Africa geruntur, Dorgutes totam ferè oram Iberici maris percurrens, & oppidũ, cui nomen est Sancto Ioanni, non procul ab Alicanto, qd plerisque illicem, nonnullis Alon esse uidetur: & Culleram, quam docti Sucronem putant, in Valentinorum littore diripuerat, paruumq; hominum numerum, cùm imprudenteis, inopinanteisq; inuasisset, in seruitutem abstraxerat. Inde ad Ebusum, & Baleares insulas deflectens, cùm Polentiam maioris insulæ urbem de improuiso sub quartam uigiliam adortus esset, insulani seminudi, correptis armis, maiorum uirtutis non immemores fortissimè Turcas repulerunt: recuperataq; præda, multis etiam interfectis eos ad naueis usq; insecuti tantum cladis Dorguti intulerunt, ut reliqui piratæ, qui id temporis sub ipso prædabantur, animo cõsternati, alius aliò discedere, relictoq; eo in sua se quisque recipere decreuerint: quòd plus iacturæ quàm lucri se fecisse intelligerent. At Dorgutes nullis casibus fractus decem & septem nauibus, reliquæ enim iam abierant, Neapolim, Siciliamq; præteruectus, cùm Aphrodisium deferri non posset, propterea quòd à nostris hoc tempore obsidebatur, ex alto prospectabat, si quam ex onerarijs nauibus, quibus ex Sicilia frumentum exportabatur, impetu facto interciperet, quo eius diei detrimentum sarciret. Dum ad hæc animum intendit, conspicatus quinque triremes, quæ Aphrodisio Neapolim transibant, atq; existimans eas reliquas Cæsareæ classis anteire, in Meningem profugit. Interea Auria capto Monasterio, & Aphrodisij situ diligenter perspecto animum induxerat oppidum obsidere, ac non, nisi expugnato ipso, abire. Videbat enim malum indies ingraescere, Dorguti uires crescere, potentiam augeri, neq; è re Cæsaris, & Christianorum esse, illic Prædonem imperij sedem habere. Ob eas causas ut ad Guletam eius oræ munitissimam arcẽ classe uenit, quam Cæsar cùm primùm in Africam traiecisset, pulso fugatoq; Oenobarbo, expugnauerat, captoq; Tunete Mulæium Hazanium in regnũ restituerat, cõuocatis Præfectis, & Centurionibus, atq; in his Ludouico Perezio Varga clarissimo ac fortissimo uiro, qui arci præerat, sententiam suam exposuit, multaq; in eam dixit plena consilij & prudentiæ: qui, cùm ei plærique assentirẽt, paucis contrà sentientibus, concilium dimisit. At Garsias Toletus Petri Neapolitanorum Porregis filius, qui in Auriæ sententiam ierat, ipsum adit: hortatur, ut in sententia perstet, pollicetur se Reipub. non defuturum: quineti amsi uigintiquinq; triremes sibi attribuantur, Neapoli supplementum Hispanorum, commeatum, & omnia quæ ad oppugnationem necessaria essent, transportaturum. Propterea quòd id, de quo Auria ad omnes retulisset, non ita difficile factu esse inquirendo reperiret: ad hæc intelligeret non parui Cæsaris referre. Prædonem coerceri: neque decere mare clausum esse: ad portus & insulas aditum non patere: delendam esse Christiano populo hanc maculam totoppidis direptis atque exustis susceptam, dandam operam, ne plus detrimenti Respublica caperet: id fieri non posse, nisi Aphrodisio expugnato, ne eò Dorgutes se recipere posset. Toleti sententiam Auria probat: quod offert, libentissimè amplectitur, eumq; dignissimis, ut par erat, laudibus ornat, fidem, integritatem, animiq; magnitudinem iam usque à maioribus partam, & cum maximo rerum usu coniunctam pro concione collaudat. Ad hæc Ferdinandum Vegam Ioannis filium ornatissimum Equitem, qui unà cum Aluaro fratre insigne uirtutis specimen ad Monasterium dederat, accersiri iubet. Quid Toletus promiserit, exponit: hortatur, ut in Sicilia ad

Ioannem

Ioannem Vegam patrem literas perferat, eumq; commonefaciat, ut pro dignitate sua Reipublicæ hoc tempore deesse nolit, rem perfacilem factu esse, neq; se ambigere, si huic expeditioni ipse adsit, quin prosperum successum sit habitura. Præterea uideret, quantum Cæsaris & Christianæ Reipublicæ interesset, oppidum illud pulso prædone expugnari: quòd si ita faciendum decerneret, ea iam tum comparare inciperet, quæ ad tantam rem usui fore cognosceret: nihil dum enim comparatum esse, Vegamq;, ut huius consilij ignarum, summa apparatus omnium rerum inopia laborare Auria sciebat: propterea quòd cũ ipse classe Panhormum præterueheretur, certiorem eum fecerat, nihil magis sibi in animo esse, nihil antiquius ducere, quam eo anno Dorgutem bello persequi, atq; ei occurrere, ac cum ipso decertare. Cum his mãdatis Ferdinandum dimittit: is in Siciliam trajicit, ex literis, quid in animo Auria haberet, Vega percipit, & quid fieri oporteret, à Ferdinando filio admonetur. Quibus rebus Vega adductus Ioannem Osorium Quignonium custodiæ suæ Præfectum ad Auriam mittit, ut ex eo, quid fieri uellet, certius cognosceret. Ille ad Larunesias insulas, quas Cunicularias uocant, pusſuum uiginti millia ab Aphrodisio ipsi occurrit, quid in mandatis à Vega haberet, exponit. Auria eadem, quæ Ferdinando Vegæ dixerat, repetit. His adiungit, se quàm auidissimè aduentum eius exspectare, tantiq; facere, ut sibi persuaserit omnia, si modò ipse interfit, ex sententia successura. Postremò orare, ne tantæ rei occasionem abire sineret: futurum, ut conspectu, auctoritateq; tanti uiri omnes incitarentur, & militum animi confirmarentur. Hæc cùm in mandatis Osorio dedisset, statuit uiginti septem triremibus, quas tantummodo habebat, in Siciliam trãsmittere, ut præsens hac de re cum Vega ageret: quæ res multum incommodi nostris attulit. Nam hoc tempore onerariæ tres naues ab Alexandria usq; cum magno propugnatorum, & commeatuum numero Aphrodisium ingressæ, fecerunt, ut non tam facilè oppidum ab Hispanis expugnari posset. Auria simul atq; Drepanum applicuit, statim Marcum Centurionem cum tribus & uiginti triremibus Panhormum misit, ut & commeatus hac classe supportaret, & Ioannem Vegam, dum ipse uellet, deduceret. Qui cùm intelligeret, quanti referret, ut Aphrodisium in potestate Dorgutis esset, non amplius sibi cunctandum existimauit, quin confestim omnia ad profectionem compararet. Itaq; duabus nauibus re frumentaria, & commeatibus onustis, & Ferdinando filio Siciliæ Proprætore relicto, cui mandauit, ut magnum numerum eius panis quo nautæ uti solent ad usus diuturnitatem excocti, & pulueris tormentarij, et aliarum rerum, quas nostris usui futuras intelligeret, conficiendum curaret, ut si res urgeret, omnium copia suppeteret: triremes conscendit, & ad decimum Kal. Iulij Drepanum prouectus Auriam simul & Toletum inuenit. Qui eo die Neapoli reuersus, septem Hispanorum cohortes, præter tormenta, pulueremq;, plumbum, materiam, & id genus alia aduexerat. Erant hi milites ueterani, quorum opera & uirtus multis uarijsq; bellis Cæsari explorata erat: quibus sub Ferdinando Toleto militum Tribuno præpositi erant Ioannes Mendocia, Bernardinus Corduba, Melchior Zumarraga Segouiensis, Alphonsus Pimentellus, Belcazar, & Brizenius: his accedebant qui sub Ferdinando Lupo Tribuno stipendijs merebant. Aluarus Vega & Bernhardus Solerius duabus cohortibus præerant, quæ etiam ex Siciliæ præsidijs deductæ ad Monasterium pugnauerant: quibus adiunctæ erant aliæ duæ, quas Vega ex his militibus conscribi curauerat, qui plenis in Insubria & Neapoli cohortibus, in Sicilia, ut stipendia facerent, transierant: hos Ferdinandus Sylua & Petrus Acunia ducebant. His quindecim Hispanorum cohortibus adiecta fuerat centuria una Græcorum, quos eius gentis Centurio quidam uir fortis, permittente Vega, delectu

delectu habito conscripserat. Erant extra ordinem amplius ducenti milites ordinis Hierosolymitani, partim Germani & Hispani, partim Itali & Galli: neq; alij sunt admissi, his exceptis, qui in triremibus merere solent. Omnibus rebus ad expeditionem constitutis, nacti secundum uentum triremes conscendunt, quarum numerus erat quinquaginta trium. His nonnullæ Liburnicæ & actuariæ cum tribus onerarijs accesserant, ex quibus una uino onusta ex portu eductа fuerat. Hac classe in Aethusam, quæ nūc Fauiana appellatur, delati Aphrodisium die tertio, is fuit ad sextum Kalendas Iulij quo Drepano soluerāt, peruenerunt: conuenitq; inter omneis, ut postridie eius diei Vega milites in terram exponeret, duplicique acie instructa in oppidum contenderet, locumq; castris idoneum deligeret: Auria uerò rebus maritimis præesset, easq; administraret. Postero die Vega, qui summam imperij pedestrium copiarum tenebat, milites exponit, aciem instruit, & in oppidum contendit: dextrum cornu Toletus tenebat, id ex ueteranis erat, quos ex Neapolitano præsidio eduxerat. Sinistrum, cui Vega præerat, ex his cohortibus erat, quæ ex Insubria fuerant euocatæ, atq; ex Siciliæ præsidijs deductæ: claudebant agmen Hierosolymitani milites excellenti uirtute. Vbi paulùm processum esset, Vega aciem cōsistere, milites eum locum uallo fossaq; munire iussit, in quem frumentum, cōmeatus, & res bellicæ omnes ex classe educi, tutoq; reponi possent. Quod opus summa militum alacritate ac studio quatuor horarum interuallo perfectū est. Hic Bernardo Solerio cum una cohorte, ut ei munitioni præsidio esset, relicto, rursus acies progredi, ac monticulum, qui ex aduerso erat, petere cœpit. Interea ex oppido ingens hostium manus sese porta, de qua dictum est, ut Hispanos munitione prohiberet, effuderat. Hi cùm militibus tormentarijs, qui primum agmen præibant, occurrerent, leuia prælia cum eis facere cœperunt. Nostri nihilo secius pugnando pergere, dum in monticullum uenirēt, qui abe rat ab eo loco quo ex triremibus egressi erant, paulo minus octingentis passibus: cui cùm ad iactū manualis tormenti appropinquarēt, Vega, qui pedes simul cū Rhodiæ classis præfecto in primam aciē processerat, uidens prælio integrari, oppidanos magno cōcursu eò contendere, ipsisq; animos adaugeri, Morerelæ & Osorio imperat, ut cum ducētis tormentarijs quos ex eadē acie eduxerat, ad monticulū properè accurrerent, locumq; caperent. Quo illi nullo negotio potiti sunt, propterea quòd hostes magno impetu occurrentibus nostris, sese intra oppidū receperunt, Occupato monticulo ab his, quos Vega permiserat, sine ullo impedimento eò peruentū est: ibiq; castris positis, Toletus cum suis eā partē tenuit, quæ quàm maximè fieri potuit, oppido proxima erat: reliquū montis Vega hominib. armatis cōpleuit: id oppidani mura lib. tormentis prohibere conati, parū incōmodi nostris intulerunt. Insequenti die milites castra munire, uallo fossaq; cingere, frumentū, cōmeatus, tormentaq; & impedimenta ipsa, omnemq; bellicū apparatū ex triremib educere magno studio curant. Triduo in ea re cōsumpto, quarto die Ludouicus Perezius Vargas, qui cū ea trireme, quā Auria ad Guletam reliquerat, statim ut Cęsarea classis appulsa est, Aphrodisiū uenerat, oppidū explorare, locumq; deligere, ubi tormenta bellica collocarētur, cōstituit. Dum hæc diligenter perspicit, eruptione ab oppidanis facta, parū abfuit, quin telo missili transfigeret. Sed Vega & Toleto, qui nō longè aberāt, suppetias ferentib. incolumis in castra reuertitur, nōnullis tamē ex nostris sauciatis, in his Belcazare centurione glorioso tormētario, qui ex uulnere paucis pòst diebus interijt. Postero die Vega sub noctē bellica tormēta duplici ordine collocari iubet, altero decē & nouē ingentia in editiore loco, qui aberat à muro circiter quadringētos passus: altero octo minora, passibus paulò minus trecentis. Laudandū fuit hoc tempore

singulare militum studiũ, qui cũm perpaucos haberent calones & seruos, ipsi perinde ac uicarij succedebãt, eorumq; parteis ita suscipiebãt, ut nec interdiu, nec noctu ab opere cessarent: tãtumq; labore & industria sua efficerẽt, ut perfectis munitionib. milites non plus centũ passibus à muro cõmodè tutoq; in stationib. essent, nihilq; à manualibus tormentis, quorum magna uis in oppido erat, timerent. Dum hæc ab Hispanis fiunt, hostes ex oppido erumpunt, & ad munitiones usq; progressi cõiectis telis, perpaucos ex his qui operi erant destinati, uulnerãt secq; ad suos recipiũt: rursus breui interiecto spacio, magno concursu irruũt, sed fortissimè à nostris propulsi, multis eorũ interfectis & lau cijs, in his quodam Turca, qui & uirtutis & generis summa nobilitate cæteris præstabat, se aliquot dies oppido cõtinent. Eodem die, quod memoriæ prodere dignissimũ est uisum, miles quidã Hispanus insignẽ laudẽ retulit, qui soluto tormento, quo manu utebatur, unde milites tormẽtarios uocamus, Turcarũ insolentiam, & audaciã non ferẽs, districto gladio, sportula sinistra manu pro clypeo arrepta, ex munitionib. desiluit, atq; in eã partẽ, quæ confertiss. uisa est, irrupit, tãtoq; impetu hostes inuasit, ut terga uertere, cõpluribusq; uulneratis, ipsos regredi, quà exierãt, cõpulerit: incolumisq; altero tamẽ fœmore leuiter saucio, in castra reuersus, à Vega est collaudatus, duplicique stipẽdio, aureisq; donis amplissimè donatus. Interea dum hæc leuia certamina fierẽt, complures globi in murũ conijciebãtur, partim his tormẽtis, quæ in editiore loco, partim alijs, quę propius ab oppido dispositа erãt. Quin Hispani milites, cũm in agros excurrerent, quotidianis penè prælijs cũ Numidis, quos Arabes uocant, decertabãt, neq; ea intermiserũt, donec de ineunda societate cũ Cidiarfe agi cœptũ est. Cuius pater, cũm quędã de Machometana secta, siue potius impia fraude immutasset, nõnullaq; inuenisset, atq; in ea instituisset, regnũ in ciui tate sua occuparat, omninoq; à Tunetensibus, sub quorũ erat imperio, defecerat. At Cidiarfes, defuncto iam patre, potẽtior factus, ut sunt mortalium res, se eius ciuitatis, quę Carruanũ dicitur, Regẽ appellauit, habuitq; tunc sub signis cũm Aphrodisium obsideretur, ad quindecim Arabũ millia. Neq; parum momenti ad eam rem, ut is cum nostris fœdus percuteret, Mulæi Hazanij Tunetensium Regis aduẽtus fuit, qui ab Hamida filio effossis oculis, regno pulsus in Germaniam ad Cæsarem cõfugerat, atq; inde in Siciliam ad Vegam missus cum eo Aphrodisium uenerat. Vargas etiam Hametũ Hazaniũ Regis filium & Xarifum Maurum spectatæ inter suos fidei, & summę auctoritatis hominẽ ex Guletana arce adduxerat. Qui cum Cidiarfe ita prudenter egit, ut magno nostris emolumento fuerit. Nam octauo die, quo Cæsarea classis Aphrodisium appulsa est, circiter bis mille & quingẽti Arabes Tunetis, & Carruani Regum socij in castra uenerũt, pecoreq; & alijs cõmeatibus nostros iuuerũt, quorum præfectis Vega magnã copiam frumenti, ut inter suos distribueretur, me tiri iussit. Qui cùm id esset anni tempus, quo frumentũ conquirere, coëmereq; solent, & quòd natura leues, fideq; parũ integra sunt, decem dies in castris cõmorati, ne ulla quidẽ sui reddita ratione, discesserũt. Interim Mauri, qui erant in agris, cum nostris, quoties lignatum irent, leuibus prælijs contendebãt: sed parum, nisi nautis, & calonibus officiebãt, atq; adeò his, qui temerè castris excedebant. Fiebat autem lignatio ex uetere oliueto crebris arboribus consito, quod à castris paulò plus mille passuũ aberat. Sub idem tempus Mulæius Hazanius Tunetensium Rex in grauẽ incidens morbũ decessit: cuius corpus poscente ad sepulturã Cidiarfe Carruanum à Vega missum regia pompa elatum est, atq; in fano ex ritu patrio repositum. Quinq; etiam triremes, quas suprà cõmemoraui, Neapoli reuersæ tantùm quadringentos milites Hispanos, quibus præfectus erat Orihela Valentinus, & ea quę ad cõficiendum tormentarium

latium puluerem erant necessaria, transuexerant. Cigala uerò Genuensis, qui sub Cæsare merebat, ex Guletana arce, ad quam cum duabus triremib. missus fuerat, tormenta quatuor bellica, & magnum numerũ tormẽtarij pulueris, & globorum supportarat. His reb. effectum est, ut oppugnatio redintegraretur, longeq; maior globorum uis in murũ emitteretur. Sed nec ita res ex sentẽtia successisset, etiam si nostri cõtinuos octo dies à cõcutiendis muris nunquã destitissent, eò quòd firmiores essent, quàm ab initio oppugnationis arbitrati fuerant, ita calce ac cæmentis, aliaq; peruetere materia exstructi, ut dictu haud facile sit quàm laboriosa difficiliscq; eorũ demolitio esset. Erat magno nostris impedimẽto murus, qui altitudine duodecim pedum, quinq; & uiginti passus in longitudinẽ ab altero aberat, quẽ interiorẽ dixeramus. Hoc autẽ spacij, quod ab uno ad alterũ murũ pertinebat, diligentissimè à Turcis asseruabatur, maximeq; cõmuniebatur, perducta inter utrũq;, ut suprà demostratũ est, altissima fossa, adiectis etiam à laterib. propugnaculis: quò fiebat, ut arduus ascensus esset, neminiq; ad irrũpendũ nisi summo cũ uitæ discrimine pateret. Dum hæc utrobiq; gerũtur, ex duob. perfugis quorũ alter ex Guleta metu Vargæ profugerat, ne perfidiæ, quòd è Christiana religione defecerat, pœnas lueret, cognitum est oppidanos sedulò operã dare, totoq; animo totisq; uiribus adniti, ut murũ, qui bellicis tormẽtis discutiebat, aggeribus, fossisq; introrsus munirẽt: omnẽ ætatẽ, omnem sexũ laborare, ad id incũbere: quicquid interdiu deijcere tur de nocte expurgare, ac reficere: nullũ à labore tẽpus intermittere, quò parationes, firmioresq; in hosteis essent. Postremò centũ & quinquaginta Turcas & Mauros in ipso pomœrio, occlusa oppidi porta in armis excubare. Hoc cũ Vegæ renũciatũ esset, cõuocato cõcilio, quid ex perfugis cõperisset proponit. Nonnulli quorũ prudẽtia, reiq; bellicæ usus erat singularis, irrũpendũ nõ esse existimabãt, q̃d ea pars, qua nõnihil muri deiectũ erat, difficili arduoq; ascẽsu esset, neq; decere, nisi summa uis adigeret, milites periculis offerri, neq; eorum sanguine abuti debere, q̃ maxima cũ laude tot bella Cęsari cõfecissent: satius sẽ curiusq; esse sexcentos milites in pomœriũ irruptionẽ facere, ac si fieri posset, ad insecutionẽ excubitores cędere, scalisq; muro admotis, eã turrim, quę à latere sinistro in occidentẽ Solẽ spectat, occupare: cuius bona pars frequentib. tormentis diruta iam esset, uideretq; omnino ab oppidanis destituta, quòd nulli tormẽtarij globi ex illa, sicuti ex alijs in castra emitterẽtur, neq; ulli in ea propugnatores ut antea apparerẽt. Quòd etsi magna ex parte his assensum est, tamen nõ defuerũt, qui sentirẽt non esse hæc simul aggredienda: eos magnũ discrimen subituros, qui occisis pomœrij custodib. demolitionẽ etiam muri perspicerent: periculum esse, ne si irruptio noctu fieret, pessimẽ nostris cederet. At Vargas, qui scientia militari lõgo bellorũ usu parta clarissimus habebatur, censuit sub quartã uigiliam irruendũ esse, idq; multò tutius cõmodiusq; fore, multis magnisq; argumẽtis persuasit. In cuius sententiã, cùm ab omnib. itũ esset, Vega statuit, ut tres signiferi cũ trecentis militib. absq; signis pomœrium irrumperent, excubitoresq; iugulãdos curarẽt, & Zumarraga uir manu promptus, cum quinquaginta ex suis murũ, qui globis tormẽtarijs concussus fuerat, interrim exploraret. Pimentellus uerò cum ea cohorte, quam ducebat, simul cum illis impetu facto scalis muro admotis, eam turrim, de qua paulò ante dictum est, caperet: sed hęc res à nostris frustra tentata infelicẽ exitũ habuit. Nã ab his, qui in statione erãt, fortissimè sunt repulsi, quinq; ex nostris interfectis, in his Brizenij Cẽturionis signifero, & uno aut altero capto: lõgeq; maius incõmodum acceptum fuisset, nisi milites signo recipiendi dato, cõstitissent, seq; in castra contulissent: usq; eò fossã & propugnaculis intra pomœrium Turca communiti erant, ut nulla ui perrumpi possent. Qui abscisis hostium capitibus,

& in hastis suffixis super muro, ut è castris conspicerentur, trophæum ex eis sta
tuerunt. Posteaquam Vega murum adeò munitũ, ascensuq; perdifficilem esse
uidit, neq; oportere eò irruptionẽ facere, ac nihil earũ rerum superare, quæ ex
Neapoli Siciliaq; & Guleta ad discutienda demoliendaq; mœnia deportatæ
fuerant, constituit, ut sine mora Antonius Auria, uir & cõsilij magni & aucto-
ritatis in Siciliã cum decem triremibus traijceret, diligẽterq; operam daret, ut
ex edicto, quod ipse iam præmiserat, magnũ numerum cõmeatus, & bellica-
rum rerum ex ciuitatib. oppidis, arcibusq; munitissimis cogeret, atq; his in u-
num locum cõtractis, & in triremes impositis, quàm celerrimè Aphrodisium
renauigaret. Quod ab eo non minore cura, ac diligentia, quàm prudentia præ
stitum est. Nam præter id, quod ipsi impositum fuerat, cohortem etiam unam
Hispanorum adduxit, quam Ioannes Guzmannus ex Ferdinandi Vegę Pro-
prætoris sententia cõscripserat. Marcus etiam Centurio, cum aliijs decem trire
mibus ab Auria Genuam est missus, ut ex Insubria supplementum, puluerem
glandes tormentarias asportaret. Id cum ex Auriæ literis intellexisset Ferdinã
dus Gonzaga Princeps Molphetanus, rerum gestarũ gloria, & generis splen
dore illustris, & maximus Insubrum Præfectus, quiq; in reliqua Italia summã
imperij militaris tenebat, iussit tres Hispanorum cohortes, quibus Hierony-
mus Manricus, Solizius, & Antonius Morenus præpositi erant, triremes con
scendere, adiuncta etiam ea cohorte, quam postea Vega Caspari Guzmanno
ducendam dedit. A' Genua & Luca, itemq; Florentia ingens pulueris tormẽ
tarij, ac reliqui apparatus bellici uis aduecta est. Interim ex Sicilia cõmeatus, li
gna, & cætera materia, quarum rerum usus nostris plurimũ cõtulit cùm in mu
niendis castris, tum in machinis faciendis, solo præsertim fabuloso, nauibus o-
nerarijs supportabatur. Antonio Auria & Centurione profectis, Vega à Cidi
arse certior factus Dorgutẽ pedestribus copijs oppidanis subsidio uenire, ca-
stra contrahit, multoq; angustiora facit, uallis & aggerib. communit, campe-
stria tormenta in his disponit, perducta ab ea parte fossa, quæ sub monte in oc
cidẽtem Solem spectat, quam etiam ipse obtinebat, patebatq; in latitudinem
sexcentos passus: frons uerò, quæ è regione oppidi erat, paulò plus ducentos: To
tidem utrunq; latus, quod mare cõplectebatur, in longitudinẽ habebat. To
letus id loci, quem ipse cum suis in planicie tenebat, quiq; à frõtis uallo, ubi mi
lites in statione erant, nõ amplius quadraginta passus aberat: intra quẽ etiam
tormenta bellica, quibus globi in murum emittebantur, suis quæq; cratibus
& loricis collocata erant, tribus ex partibus uallo & fossa in spiræ speciem cir-
cunduxerat: reliqua uerò pars à mari, quæ ad Meridiẽ uergit, patebat. Erat oli
uetum, ut suprà demõstrauimus, ex quo lignatio fiebat, & magnũ usum ad e-
as munitiones cõficiendas nostris suppeditabat, nõ procul à castris, sed nihilo
minus leuia prælia inter lignandũ cõserebantur: quòd Mauri lignatione Hi-
spanos prohibere conarẽtur. Quibus undiq; cõcurrentib. & nostris ad unde-
cimum Kal. Aug. lignationẽ facientib. acrius utrinq; quàm superiorib. dieb.
pugnatum est. In eo prælio Aluarus Vega, cùm ab acie simul cũ aliquot tormẽ
tarijs militib. cupidius hostes insecutus aliquantum processisset, in summum
discrimen uenit: in quem si frequentes hostes irruissent, ne subueniri quidẽ ei
ab his, qui in primo agmine erant, nedum ab aliijs potuisset. Quòd ęgrè ferens
Vega pater, grauiterq; filio succẽsens statuit primo quoq; tẽpore unà cum mi
litib. lignatũ ire. Is dies erat Iacobo Apostolo Hispanorum præsidi sacer, quo
necesse erat aggeris petendi causa in oliuetũ ire, quo etiã die multò maior nu
merus peditatus & equitatus hostium in agris, quàm proximis diebus fuerat
uisus. Id cùm Vegæ nunciatum esset, tres cohortes ex castris producit, & quia
admodum erant diminutæ, quòd ulneribus & morbo cõplures impedirentur,
ex aliis

ex alijs supplendas sibi existimauit. Erant milites numerò circiter octingenti: his adiungit calones, & ad septuaginta Siculos, qui extra ordinẽ militabant, eos Vega conuenire iusserat, ut castris, cùm res poscceret, usui essent. His consti tutis Garsiã Toletũ cum reliquis cohortibus præsidio castris relinquit, aciẽq; instructa, & Siculis, ut calones subleuarent, sine armis subsequi iussis in oliue tum cõtendit. Claudebant aciem ab utroq; latere aliquot tormentariorũ ma nipuli. Ac cùm iam in conspectũ oliueti cohortes leniter uenirent, hostes se o stendere, sub primũ agmen succedere, nostrosq; prælio lacessere cœperũt. Ve ga milites cohortatus ut hostium impetũ fortiter sustinerẽt, pugnandoq; iter facerẽt, cõmittendi prælij signũ dedit. Mauri paulatim cedere, nostrosq; eò u bi collocati erant insidiæ, ut circũuentos aggrederent, elicere ac protrahere. Et cùm non lõgius ab oliueto, quàm quò telũ adijci posset, abessent, Vargas, qui eo die dextro cornui præerat, cupiditate Mauros insequendi ductus, cum tor mẽtarijs, qui in eo erãt latere, plus quàm oportuit, processit. Sed illi identidem in oliuetũ ad suos se recipere, & rursus in nostros impetũ facere. Cũ eò peruẽ tum esset: ingressis nostris, ac calonibus & Siculis ramos succidere, & ab ope re, ne in ipsa quidem pugna desistere à Vega iussis, subitò hostes ex ualle, quę ab oliueto centũ quinquaginta passus aberat, ubi abditi latebant, omnib. co pijs prouolarunt ad numerum quinquies mille Turcarũ & Maurorũ: ex quib. ut ex Rhuspensib. postea cõpertum est, octingenti erant tormentarij, ac sagit tarij, & equites ducenti, qui cõfertissimo agmine nostros ab utroq; latere ag gressi, cùm primũ continenti glandiũ emissione excepti fuissent, paulùm con stiterũt: deinde unà cũ equitatu aperto latere magis magisq; instare, ac cohor tes circũuenire cœperunt. Et quamuis fortissime nostri hostib. resisterẽt, impe tumq; sustinerent, tamen quòd ea pars ijs tormentarijs esset nudata, quos Var gas eduxerat, maximè premebãtur. At hi quorum uirtutis opinio erat singula ris, aduersis hostib. occurrebant, suisq; præsidio erant, ac fortissimè cadebant. Vega cùm à sinistro cornu milites esset cohortatus, ad dextrũ incredibili cele ritate decurrit. Illic enim milites urgeri, penè circũuentos teneri, cursus ac lassi tudine ferè exanimatos, uulneribusq; cõfectos, & Palomariũ Ferdinandi Lu pi Tribuni signiferũ, cum alijs septem fortissimis uiris interfectũ, remq; propè cõclamatã esse audierat. Ibi ut uidit hostes eò acrius instare, ac cõcurrere quòd quasi partã iam & exploratam uictoriã putarent, cum ea armatorũ manu, quã custodiæ causa ducebat, ita Turcarũ uim represit, ut milites sese colligere, ac pro se quisq; in conspectu ducis, redintegrato animo strenuè operam nauare, impetumq; hostiũ non solùm sustinere, sed retardare etiam, signaq; inferre cœ perint. His receptis atq; animo cõfirmatis, dextroq; in latere collocatis Vega rursus in sinistrum cum suis aduolat, id cõpluribus tormentarijs cõmunit, ho stes pellit, multisq; concisis, aggerem, quem ipsi fecerant, capit. Ibi nõnullos tormentarios disponit, ut tutius in hosteis tela conijcerent, reliquos in prima acie collocat. Ac prælio sic renouato tanta utrinq; tormentariorum, & sagitta riorum contentione pugnatum est, ut ad interuallum unius horæ ac emitten dis ultro citroq; glandibus nunquam sit cessatum. Eodem tempore Vargas, qui tormentariorum opera impetum hostium à læuo cornu represserat, pro pterea quòd nostros maximè urgebant, dum eis ad dextrum laborantibus subsidio uenire accelerant, sinistro latere tormentaria glande traiecto cecidit, receptusq; à suis, atq; in castra delatus uniuersum exercitum multo mœrore affecit, magnumq; sui desiderium reliquit. Fuit certè maximo nostris incom modo tanti uiri & quidem fortissimi ac rei militaris peritissimi amissio. Inte rim dum pugnabatur, calones & Siculi magnam materiæ copiam succiderãt: neque enim hac re ab hostibus prohiberi unquam potuerunt, tanta fuit &

ducis uirtus, utq; animi præsentia, & militum robur, ut eodem tempore simul pugnarent, & lignationē tutò fieri curarent. Interea oppidani nō eorum igna ri, quæ ad oliuetum gerebantur, ex oppido erumpunt, in castra prouolant, ad munitiones accedunt, & tela in nostros cōijciunt. Toletus milites ad arma cō currere, uallū conscendere, ac complures globos bellicis tormentis in hostes emitti iubet, qui celeriter in oppidum reiecti tantum detrimenti acceperūt, ut ab eo die nullis unquam postea copijs eruptionem in castra facere tentarint. Vega, interfecto ab hostibus Varga, qui strenuè ipsi operā nauarat, magnoq; auxilio fuerat, nulla in re deesse, omnia obire, & quid quoq; loco faciendū el set, prouidere, & ducis in cohortandis militibus & in pugnando militis officia præstare, nullū tempus intermittere, ut communi omnium saluti prospiceret: præmissisq; calonib. & Siculis cum ea materia, quæ cùm dimicaretur, succisa fuerat, acie instructa, nouissimoq; agmine tormentarijs communito, atq; pro his quib. tormētarius puluis & glandes deerant, alijs suppletis, in castra reuer ti cœpit. Hostes uerò insolētius audaciusq; cōcurrere, nostros ex nouissimo agmine premere, sublatisq; clamorib. insequi. At Vega à prælio milites conti nere, ac satis habere, Turcis Maurisq; resistere, assiduaq; glandium emissione impetū eorū ferociamq; cōprimere. Interea Toletus cùm ex calonib. & Sicu lis, qui materiā supportauerant, cognouisset quo in loco res esset, quantoq; in periculo & cohortes, & dux uersaretur, nihil ad celeritatē sibi reliqui faciendū duxit: sed cum expedita armatorū manu ad mediū iter militib. occurrens non parū eos subleuauit, eò quòd tunc ab hostibus maximè premerentur. Et quan quàm eius aduētu subsistere, ac se recipere hostes uisi sunt, nihilo tamē secius, quòd perpauci essent milites qui iam tormentis uti possent, cùm tormētarius puluis, & glandes omnino deficerēt, rursus instare, atq; eos, qui in nouissimo agmine erant, urgere, cum his decertare magnisq; uociferationib. ad uallum usq; procurrere. Sed à tormentarijs propulsi, qui præsidio castris erāt relicti, pe dem retulerunt, atq; illò unde egressi fuerant, magno cum detrimento reuer terunt. Ei prælio Dorgutē interfuisse, ac cum duob. præfectis septuaginta Tur cas, circiter ducentis uulneratis amisisse, atq; in Meningem se cōtulisse, ex his cognitum est, qui triduo quo prælium est cōmissum, Carruano uenerūt. Quæ ciuitas est in mediterraneis posita, ac totius Africæ longè maxima opulentissi maq; præter Tuneta eius prouinciæ principē, abestq; ab Aphrodisio millia fer mè passuum triginta sex. Tum etiam illi nostris nunciauerunt equū Dorgutis fuisse in pugna uulneratū, sarcinasq; & impedimenta ab ijs in itinere direpta, quos ipse à Rhūspis, quas nūc Alfaques appellant, in auxiliū euocarat. Eo die ex nostris non minus triginta sauciati, & quatuordecim occisi sunt. Vega etiā cuius singularis opera, prudentia, & excellens uirtus, itemq; rei militaris scien tia cùm in alijs, tum hoc potissimū prælio enituit, nostrisq; subsidio ac saluti fu it leue uulnus in altero pede accepit. Quo duce Hispani milites, suprà quā di ci potest, si unquam aliàs eo die depugauerunt, exiguisq; copijs ingentem ho stium numerū, nō modò fortissimè sustinuerūt, sed cōplurib. etiam cōcisis pro pulerūt, factaq; lignatione paucis ex suis desideratis incolumes in castra redie runt. Hoc prælio facto Dorgutes magnā iacturam dignitatis & honoris fecit: multū etiam de existimatione sua, quā plurimū cùm apud alios tum apud Ci diarfem Regem ualebat, deperdidit. Qui statim ut resciuit ipsum ab Hispanis fortissimè acerrimeq;, magnis allatis detrimentis, reiectū fuisse, nihil antiquius habuit, quàm ut per legatos fœdus cum eis iceret. Qua re facilè impetrata se dulò operam dedit, ut pecore atq; alijs cibarijs exercitus abundaret, atque ex uicis finitimis & agris, quibus ipse imperabat (latè enim iam illo tempore nō solùm in ciuitate sua, sed etiam in Byzacio, quam regionem tenuerunt olim Liby-

Libyphœnices, dominabatur) meleagrides, oua, caryotides, & id genus alia in castra deportarentur: quam rem Mauri summa cum celeritate exequebantur. Nam præterquam quòd ex animi sententia omnia illis dependebãtur, non nihil etiam eius panis, quo nautę utuntur, ut famẽ, qua tunc ea prouincia maximè laborabat, tolerare possent, reportabãt. Quæ res cogebat magnã Barbarorũ turbã, ut aliquid à nostris extorquerẽt, in castra cõfluere. Interea Vega dũ triremes expectat, nihil non mouet, omnia tentat, cuniculos uineasq́, ut pomœrio Turcas depellat, agi præcipit. Sed cũ Ferramolinus architectus, & machinator excellens, cuniculos iam prope pomœriũ egisset, tormẽtaria glande secundũ frontẽ ictus fecit, scaturiente etiam in aperiendis cuniculis magna aquarum ui, ne longius procederẽt. Itaq́ cum cuniculi eo interfecto minus succederent, & in cõcutiendis mœnib. à cõtinenti parũ proficerent, quòd ibi muri essent quã munitissimi, uisum est Vegæ eam rem à mari tẽtare ac periclitari. Id etiamsi Auria & Toletus probarẽt, tamen perdifficilè factu eis uidebatur, præcipuè cùm triremes ad eum locũ cõstitui non possent, unde cõmodè in murum globi emitterentur, quòd illic mare breuib. esset impeditũ: quòd si id fieri posset, tamẽ tormentũ muralib. multis incõmodi nostris illatũ iri, quorũ tantus postquam pomœriũ irruperãt, timor incesserat, ut ea studiosè diligenterq́ uitarent. Præterea in hanc sententiam omnes uenerant, ut existimarent perquam difficile, parumq́ firmum fore, murũ ex triremib. tormentis cõcuti, neq́ id posse commodũ aditum ad irruptionẽ facere. In tãta rerum difficultate Toleto ea machina in mentẽ uenit, qua olim ad Messanũ in ludicro certamine naualí usus fuerat. Itaq́ non amplius sibi cunctandum duxit, quin euestigio periculum faceret. Huius machinationis hæc fuit ratio, Duplices triremes, malis & armentis remotis, à laterib. coniungebat, & è regione muri collocabat, quas ternis q́ anchoris ex angulis, ne fluctibus mouerentur, distinebat. Eas firmo ac perualido tabulato cõtegi iubet, ut octo bellica tormenta maiora sustinere cõmodè possent. Hæc ad latus quod cõtra murũ erat, disponit, cratesq́ & pluteos à puppi ad proram inter aggeres sic addit, ut è tormẽtarijs fenestris, quas instruendo reliquerat, tutò globi tormentis ipsis conijcerentur, & triremes simul cũ machinatione facilè agi, eoq́ appropinquare quò ipse uellet, possent. Quod herclè opus nostri meritò admirati, ac summis laudib. ut par erat, prosecuti in maximã certissimamq́ oppidi capiendi spem uenerunt. Qua in re Garsias Toletus, ut in cæteris, quæ in expugnando Aphrodisio acciderunt, incredibili celeritate usus demonstrauit, quantum dexteritate & animi magnitudine, atq́ rei bellicæ scientia polleret. Per idem ferè tempus Antonius Auriæ ex Sicilia reuersus tantam commeatuum, & bellicarum rerum copiam triremib. conuexit, ut continuò Vega globos in murum tormentis mitti animum induxerit. Itaq́ omnibus rebus interuallo sex dierum, quæ ad oppugnationem usui erant, comparatis, duo & uiginti tormenta maiora circiter ducentos passus à muro, atque alia paulò longius ad deturbandos hosteis ex propugnaculis collocat. His sic dispositis Andronicum Spinosam, qui multo usu & peritia rei tormentariæ cæteris antecellebat, quem etiam ex Sicilia euocauerat, præficit: huic Franciscum Biuerum adiungit, qui quatiendis antea mœnibus operam nauarat. Ac quinto Kalen. Septemb. eam turrim, quæ à mari ad portã erat, quæq́ in occasum Solis & austrum spectat, atq́ alteram à terra huic proximam tanta tormentorum ui quati iubet, ut eo die utraq́ turris cum muro deturbari uiderentur. Sed ea firmitudine erant, ut parum his noceri potuerit, quanuis continenter undecim dies tormentis concussæ fuerint: atq́ in eam tantummodo turrim, quam ad occasum Solis & austrum positam diximus, quatuor millia, & octingenti globi emissi: in alias uerò ac mœnia, donec oppidum

pidum captum fuit,ad septies mille. Verùm ea oppidanorum cura erat,ut quũ tum nostri foris concuterent,ac deijcerent, tantum illi introrsus fulcirent & re ficerent. Quo fiebat,ut nullus irruptioni locus esset,& oppidani ex muro nostros irridere,ac cõtumelijs probrisq; uexare non desinerent. Tertio die,quo tormẽtis globi in murũ conijciebantur,Marcus Centurio cum triremib. ab Liguria reuersus maxima nostros lætitia affecit, propterea quòd Alphonsum Cueuam nobilissimũ & fortissimũ Equitẽ, qui in locũ Vargæ suffectus erat, cum mille Hispanis militib. & quidem electissimis,ac magno commeatuum, & aliarum rerũ numero quæ ad bellũ usui esse solent,supportauit. Interea à milites,dum mœnia quaterẽtur,lignationis & munitionis causa in oliuetũ ibant, crebrisq; prælijs cũ Mauris,qui erãt in agris,decertabãt. Sed nihil ad id, quòd octauo Kal. Aug. fuerat summa contentione cum Dorgute factũ. Erat inter Mauros quidam ex his præfectis,qui fines Aphrodisij contingunt, homo singularis audaciæ ac uirtutis,is equo albo,iuba & cauda uersicolore aduehebatur,eumq; triginta pedites,& octo equites sequebãtur: cum his nostros,dum in oliuetum irent,leuibus certaminibus crebrò lacessebat, nec deerat illi fortunæ successus. Accidit autem,ut Iordanus Vrsinus Florentinarum triremiũ præfectus,qui in castris apud Toletum erat,expeditus in equo,cum alijs quatuor equitibus Florentinis euntes in oliuetũ nostros subsequeretur. Hi lignatione facta in castra redeunt,& cùm paulùm ab oliueto progrederẽtur, Maurus qui in insidijs erat,Vrsinum aucupio intentũ aggreditur,lanceaq; infesta medium eius brachium magnis uiribus traijcit,idq; tanta celeritate,ut manuali tormẽto uti ille nequiret,ac priusquam sui ei opem ferrẽt, equo decideret, equumq; amitteret,quem postea Mauri suffossum reliquerunt. Hæc memoriæ prodere uisum est,ut externi homines intelligant, non cum ignaua gente bellum esse gestum: alit enim Africa uiros & quidem fortissimos. Vbi nouem diebus tãtum muri deiectum esset,quantum ad irrumpendum satis esse uideretur, Toletus triremes,quæ machinationem sustinebant, promoueri, ibiq; constituibet,unde tormentis globi quàm proximè in eam partem muri iacerentur,quę pridie eius diei à continente fuerat deturbata. Cum enim militibus eò irrumpendum esset,quà bellicis tormentis murus & turres erant aliquantum diruꝑ,necesse erat alterum alteri auxilio esse, mutuoq; inter se omnes iuuare. Postero die oppidani non nescij quantum periculi ex nauali machinatione, unde tormentis discuti muri cœperant,imminere t,uehementer contenderũt, ut eã muralibus tormentis perrumperent ac disturbarent: quod certè ex sententia succesisset,nisi Vega & Toletus quàm celerrimè triremes in breuia agi,carinasq; figi uadis curassent. Ex quo effectum est, ne eo die amplius, quatuor tormentis muri conc uterentur,reliquis ab oppidanis continenti muraliũ tormentorum coniectione deturbatis,nonnullisq; nautis occisis, ac cæteris tanto timore perculsis,ut nõ modò rem tormentariã nemo gerere, sed ne adipsa quidem tormenta propius accedere auderet: quinetiam cũcti ea deserere, atq; omnem cõcutiendi muri curã abijcere omnino uellent. Id repentino accepto incõmodo accidere cùm Vegã non fugeret, Orihelam Velentinum cum quinquaginta militibus tormentarijs eò misit,ut perterritos nautas animo cõfirmaret,ne susceptũ officiũ desererẽt. Qui ea nocte ita perrupta refici,ac bellica tormenta disponi curauit ut insequenti die quinq; maiorib. tormentis è machinatione,ac trib. ex ora maris tantum muri illi demoliti sunt,quantũ irruptioni sufficere uisum est. Cùm uerò una esset omnium sentẽtia,ut euestigio irruptio fieret,solus Vega eã in posterũ diẽ differendã censuit,cuius consiliũ postea euentus cõprobauit. Ex classe autem perquàm difficilis & incerta erat globorũ cõiectio. Nam cùm triremes lõgius propter breuia à muro constitutæ essent,tormentarij

mentarij globi oppidum transuolabant, & triremes ipsæ uehementer afflictabantur. Ex quib. una Toleti & quidē primaria, itemq; altera Cigulæ Genuen sis penè supresse, ac nonnulli ex nautis uulnerati atq; interfecti sunt. Postridie eius diei manè Auria cōuocatis triremiū Prefectis, quid fieri uellet, ostēdit, monuitq; ne quē ex classe in terrā exponi permitterēt, atq; ut dato ex triremē pretoria ligno, quā celeri motu oppidū eo die triremib. cingerent. Is dies erat ad quar. Idus Septemb. nostris lōgè gratissimus. Quo itē die Vega cohortes ex castris educit, atq; eas hoc ordine ad irrumpendū instruit. Ferdinandū Toletū Tribunum cum trib. ex Neapolitano præsidio cohortibus totidemq; ex ijs, quas Didacus Ferdinandus Morerela, Antonius Morenus, & Aluarus Vega ducebāt, in eam partē muri, quæ proximis diebus à continenti deiecta fuerat, irrumpere iubet. A mari uerò Ferdinandū Lupum Tribunū simul cum militibus ex Malaspinæ præsidio in id impetū facere, quod è nauali machinatione pridie fuerat deturbatū. His adiungit cohortes duas, quibus Solizius & Hieronymus Manricus præerāt, totidemq; euocatorū ex Neapolitano præsidio. Reliquas ex his duas, pariter & eas, quarū ordines Gaspar Guzmānus & Amadoricus ducebant, in eam turrim irruptionē facere imperat, quæ à sinistro latere ad portā erat, cuius pars quædā diruta fuerat, cum primùm Aphrodisiū bellicis tormentis quati cœpisset. Hierosolymitanis militib. permissum est, ut quò uellent, eò signum inferrent, atq; impetū facerent. Cohortes autem, quib. Ferdinandus Sylua, Rodericus Paganus, & Petrus Acunia prepositi erant, in omnes casus paratas, atq; tormētis bellicis præsidio esse uoluit: his Siculos, de quibus suprà dictū est, adiecit. Postremò Ioannē Guzmannū & Solerū cum duabus cohortib. præsidio castris reliquit, adiuncta etiam Græcorū centuria. Aluaro Vegæ præcepit, ut dispositis speculatorib, diligenter curaret, ne quid oppidanis subsidij ex agris mitteretur. Ac siqua hostiū manus aduētare, adesq; uideretur, nequa eius aduentus significatio fieret, aut ullum signum tuba dari, aut ad arma conclamari permitteret, sed per nuncios ea de re se certiorem quàm celerrimè faceret. Atq; in eo aggere, qui pro castris erat, quinquaginta tormētarios milites ex his, qui præsidio castris erāt relicti collocarent. Et ut sin gulis bellicis tormentis binos milites, qui rei tormentariæ essent periti, præponeret, ut si qui hostes irruerent, facilè ab his propellerentur. Rursus sic constitutis, atq; omnibus, quæ ad irruptionē pertinerent, administratis, cùm iam meridies appropinquare uideretur, Vega milites cohortatus hūc esse diem, quo maximè contendi conueniret, ut aliquando pro tantis laboribus fructum uictoriæ perciperent, signum tuba dari iubet. Hoc etiam ex prætoria triremē Auria facit, quo exaudito triremes simulatione inuadendi oppidi, ut hostes qui murum compleuerant, dissiparentur, sese circunfuderunt. Milites uerò ea celeritate, atq; eo impetu euolarunt, ut omnino uiderentur, murum, turres, propugnacula, & quicquid esset impedimenti, facilè superaturi. Verùm adeò difficilis & arduus ascensus utrinq; à continenti erat, & introrsus fossa, aggeribus & propugnaculis murus cōmunitus, ut neq; ascēdere, neq; desilire quis, nisi manifesto cum discrimine uitæ posset. Sed hoc tanto periculo contempto primus Ferdinādus Toletus Tribunus excellēti animo ac uirtute uir murum ascendit, inuentaq; casu trabe, qua Mauris à propugnaculis ad murum erat transmissus, in oppidum cum septem ex his militibus qui se ducem seque bantur, graui iam accepto uulnere desiluit. Gaspar etiam Guzmannus & Amadoricus cum paucis in murum, qui ad sinistram turrim erāt, irruperunt. Ibi Guzmannus alterum ferè brachium amisit, ceciditq; signifer Richelmus fortissimus uir. Alij uerò conuersis signis, quà aditus ad mare patebat, continen-
tiimpetu irruerūt, breuia, uadosumq; mare, etiam si ab aqua tantū humeris ac

summo pectore exstarent, superauerunt. Hos Hierosolymitani milites bellicosissimi uiri sequũtur. At Turcæ & Præfecti, quibus oppidi custodia à Dorgute commissa fuerat, toto se undiq; muro circunfundere, armatos disponere, nostris resistere, defessis recentes succedere contendunt. Oppidani etiam magno concursu aduolãt, complures q; milites pertinaciter ascẽdentes uulnerãt, atq; interficiunt: in His Ferdinandus Lupus Lusitanus Militum Tribunus fuit, qui ictu tormẽti transfixus, fortissimè occubuit. Hispani tametsi periculoso genere prælij, loco q; alieno premebãtur, quippe qui in fluctibus cõsisterent, neq; manualibus tormẽtis commode uti possent, quòd aquis tormẽtarius puluis corruptus esset, tamẽ omnia fortissimo animo sustinebãt. Alij alios propellere, recessum primis ultimi non dare, sed acriter incensi districtis gladijs comminus rem gerere, ac tanto impetu murũ ascendere, ut interuallo unius horæ hostes mœnib. turrib. propugnaculis q; dejicerẽt, pomœriũq; duo millia Hispanorum occuparent. Hîc rursus hostes se colligere, ac præliũ redintegrare cœperunt. Alij cum tormentariorum manipulis nudatis etiam pectorib. manus conserere: alij, cùm cætera tela deficerent, lapides conijcere, Hispani mutuò inter se cohortati hostes ex pomœrio pellũt, multos occidunt, cedentes loco insequuntur, neq; sui colligendi dant facultatẽ. Illi in foro ac locis patẽtioribus cuneatim cõsistunt, cõfertissimoq; peditũ & equitũ agmine prælium renouant. Atq; ita acriter pugnauerunt, tantamq; uirtutem præstiterunt, quanta à uiris fortibus in extrema spe salutis præstari potuit. Nam quem quisq; pugnando locum ceperat, eum non nisi cum uita relinquebat: quòd uiderent omnem spem salutis in una uirtute positã esse. At milites Hispani pristinæ uirtutis memores ferro uiam aperiunt, nullumq; cõsistendi locum hostibus relinquunt; magna fit utrinq; cædes, magno constat uictoria, nihil oppidanis ad uirtutem defuit, nemo enim nisi forti, inuictaq; manu hoste interfecto lõgius progredi poterat. Tum Cẽturio Melchior Zumarraga Segouiensis fortissime pugnãs tormentaria glande secundum aurem traiectus in ipso oppidi sinu occiditur. Interim etiam accidit, quod dignum memoria uisum prætermittendum non duxi. Centurionis Morerelæ signifer, idemq; frater, ab hostibus uulneratus cecidit: hunc iacentem ut uidit frater tertius natu minimus, qui proximè aderat, signum arripit, in hostes irruit, punctoq; temporis interficitur: cui Morerela Centurio, etiam si multis grauibusq; uulneribus penè cõfectus, succedit, strenuecq; illo munere fungitur. Neq; enim ipse inferre signũ destitit, usq; dum ea parte manipularium uirtute hostes summouerẽtur. At Morerela & signifer eius frater paucos post dies mortẽ ex uulneribus obierunt: Itaq; uexillum illud trium fratrum summi animi & uirtutis funere constitit. Hostium uerò alij magno clamore ac fremitu, qui etiam utrinq; sublatus per totum oppidum exaudiebatur, aditus platearum occupare, ibiq; fortissimè occidere. Alij repentina ruina commoti, inopinato malo turbati, oppidi direptione perterriti in aliam partem ferri. Matres familiâs flentes cum liberis deorum ira perculsæ repentè in publicum prosilire, ad cœlum manus tendere, ad Machometi fana procurrere, eò se recipere, ibiq; proiectæ uictoriam ab eo exposcere, omnibusq; precibus à suis petere, ne se, & communes liberos hostibus in perpetuam seruitutem, aut suppliciumederent. Quo fiebat, ut Turcæ & Mauri audacius subsisterent, ac nostris intrepidè occurrerent, atq; eo animo depugnarent, ut uel saluti, subsidioq; suis essent, uel fortiter occumberent. Qui etsi nulla ui nostris se obsistere sperabant, tamen eos sic inuadebant, ut quàm plurimos loco depellerẽt, nõnulosq; interficerẽt, in his Pimentelli signifer fuit unà cum alijs tribus militibus, qui inferiores ordines ducebant. Tum Alphonsus Pimẽtellus, & Orihela Centuriones, & sigiferi Aluari Vegæ & Solizij uulnerãtur.

Multi

Multi etiam de Hierosolymitanis militibus cæduntur. Quo nostri acrius incitati, præsertim cùm in cõspectu Vegę & Toleti, quinetiã Aurię, atq; adeò omnium, qui in castris & classe erant, rẽ geri, nihilq; strenuè aut ignauè factũ posse celari uiderẽt: tanta animorũ & uirtutis cõtentione in hostes impetũ fecerũt, ut ex uĩs ac forò eos pellerent, persequerentur, & cæderent: omnesq; uictorię potius quàm prædę studerẽt, nullũq; pugnandi finem facerent, quoad omni parte summotis hostib. omnes ad unũ aut capti, aut occisi essent. Pugnatum est à meridie propè ad occasum Solis, uariè acriterq;, ac tanta omnium contentione, ut nemo ferè eorũ fuerit, quin uulneraret, atq; ex his fortissimus quisq; interficeretur, inter quos fuit Hales alter Turcarum Præfectus, qui à Christiana Repub. desciuerat. Alter uerò, quem sororis Dorgutis filiũ esse dixeramus, simul & trecenti Turcæ ac Mauri continenti impetu ultimas oppidi partes peruerunt. Verùm cùm nullus esset fugæ locus, occupatis duabus turribus, uòi paulum repugnassent, se Vegæ tradiderunt. Ex quibus septuaginta ĩs militibus, qui uulnerati, & præsidio castris relicti erant, concessit: Cigalæ Genuensi Præfectum donauit, ut eo filium, qui apud Dorgutem in uinculis erat, redimeret. Reliquos prædæ nomine ĩs militibus distribuit, quorum uirtute oppidum eo die expugnatum est, nemine omnino ex his sibi retento: quòd existimaret famam uirtutis Principi uiro abundè præmium fore. Quæ res cùm Vegam omni laude dignum, tum etiam multò chariorem admirabilioremq; militibus fecit. Expugnato oppido deprehensæ sunt in cothone naues illæ, quæ Alexandria milites, frumentum, & commeatus deportauerunt. Inuenta sunt etiam quatuordecim ærea tormenta ingentia, præter alia non pauca ex ferrea materia. Ad hæc multa atq; lauta suppellex, & magnũ pondus argẽti & auri. His accedebat non parua copia frumẽti, cõmeatuũ, cæterarumq; rerum, quæ ad bellicũ usum erant congestæ. Captiuorũ numerus ad Vegã relatus fuit millium septem. Nec nostris ea uictoria incruenta fuit, amplius ducentis occisis, aliisq; quàmplurimis uulneratis, ex quib. multi postea ex uulnerib. quòd tela ueneno illita fuisse crederẽtur, interierũt: atq; in his Ferdinandus Toletus militũ Tribunus: occubuissentq; multò plures, nisi quàm primùm Vega saucios in Siciliam deportãdos curasset. Ex Hierosolymitanis militib. qui eo die, ut solent, fortissimè pugnauerunt, tum in pugna, tum etiam nõ multò pòst ex uulnerib. quæ in ea pro Christiana Repub. acceperãt, paulò plus triginta mortem oppetiuerunt. Postero die Vega primùm purgato oppido, fanũ, quod ibi erat maximũ, expiandum, dedicandumq; Deo Opt. Max. curat: inibiq; facta re diuina, occisos sepiliri præcipit, deinde oppidũ muniri, deiecta bellicis tormentis reficí, fossas expurgari, frumentum, commeatusq; in oppidũ cõportari iubet. Dum hæc Aphrodisij geruntur, captiui quidam Græci, qui ex Menin ge profugerant, Auriæ nunciant Othomanum cæcum ab altero eius insulæ Præfecto interfectum, quòd impensè Turcis studeret, omnibusq; officijs Dorgutem prosequeretur, cui etiam ipse plurimùm tribueret, seq; illi uni committeret: eoq; interfecto insulanis interdictum, ne quis Turcas exciperet, aut ulla re iuuaret. Dorgutem uerò re intellecta cum liberis & uxoribus, sarcinis atq; impedimentis se in naues recepisse, huc atque illuc deerrare, neque alium receptum habere in quo tutò hyemare possit. Hoc nuncio accepto Auria communicatis cum Vega & Toleto consilijs, inita quarta uigilia cum uiginti triremibus in Meningem proficiscitur, quem statim Vega cum reliqua classe subsequitur. Cùm iam Rhuspas præteuehérentur, paulòq; plus triginta millibus passuum à Cercina abessent, in quam insulam Pirata se contulerat, tanta subitò tẽpestas coorta est, ut nulla earũ triremiũ cursum tenere posset: sed eôdem, unde erant profectæ, referrentur, Auriaq; & Vega incœpto conatuq; desisterẽt.

Qui

Qui postea ex Mauris compererunt, Piratã ex Meninge expulsum tota illà ora uagari, nauibusq; receptaculũ quærere, ac petere, quo in hybernis tutius esset, quòd Meningitanis se cõmittere nõ auderet. Vega omnibus rebus, quas fieri iusserat, perfectis, mille & ducentos Hispanos cum magno tormentorũ, cæterarumq; rerum bellicarum, & frumenti, ac commeatuum numero, oppido præsidio relinquit. His Aluarum Vegam filium, usque dum aliud Cæsar imperaret, præficit: eiq; mandat, ut oppidum muniendum curet: caueatq;, ne quid detrimenti ex hostibus accipiat. His prudenter constitutis, omnibusq; rebus ad nauigationem comparatis, octauo Kalend. Octob. omnes cum captiuis, & præda, quæ cuique obuenerat, Aphrodisio soluunt. Verùm cùm triremes tempestate quatuor dies continenter afflictarentur, neque ulla earũ Laruntesia capere posset, coacti sunt eôdem, unde egressi erant, reuerti. Rursus paucis pòst diebus ex portu exeunt, & quanquam nonnullæ triremes grauiter afflictæ, ac uento dispersæ fuerunt, tamen omnes ad unam incolumes Drepanum peruenerunt. Ibi Ioanne Vega Prorege magno Siculorum concursu ac gaudio excepto, Andreas Auria & Garlias Toletus profecti, hic Neapolim, ille Genuam pridie Idus Nouemb. incolumis est reuersus. Hac Hispanorum uictoria nunciata magnus repentè terror uniuersam Africam inuasit, propterea quòd id oppidum, in quo omnem spem cuncti reposuerant, à nostris expugnatum uiderent: & quo amisso, totam etiam prouinciam armis subigendam crederent, ipsamq; tandem in Christianorum potestatem deuenturam constanter affirmarent. Quod ita euenturum multi Mauri, præcipuè ij, qui ipsorum lingua Alfachij, Latina Sapientes appellantur, se ex sortibus uaticinationibus prænouisse testabantur. Quo factum est, ut complures captiui à Machometo desciscerent, atque eò magis, ut id facerent, adducti sunt, quòd oppidum illud ab alijs frustra tentatum accepissent. Nam ut cæteros omittam, Alphonsus Aragonius Neapolitanorum clarissimus & fortissimus Rex, cùm Tunetensium Regem prælio ad Meningem superatum uectigalem fecisset, Aphrodisiumq; obsidere statuisset, perspecto eius situ, de expugnatione desperauit, nauibusq;, quas ibi extra Cothonem deprehenderat, incensis, ne tentata quidem re Neapolim se recepit. At Hispani milites nullis auxilijs adiuti, nullis externis militibus, præter Hierosolymitanos, Græcos & Siculos quosdam, sicuti demonstratum est, admissis, bellica uirtute Neapolim, Siciliam, Sardiniam, aliasq; maris conclusi Christianorum insulas, & ciuitates maritimas liberas à Dorgute immanissimo Prædone ferunt, auspicijsq; Caroli Quinti Cæsaris Aphrodisium expugnauerunt, quod ut olim Barbarorum, sic nunc Christianæ Reipublicæ munitissimum est propugnaculum.

CHRI

FINIS.

CHRISTOPHORI RICHERII THORIGNEI SENONIS CVBICVLARII REGII, ET CANCELLARIO FRANCIAE à secretis, De rebus Turcarum ad Franciscum Gallorum regem Christianiss.

Præfatio.

VEREOR, Christianiß. Rex, nequis me temerè fecisse existimet, quòd tibi non modò amplißimo inuictißimoq; principi, uerumetiam eloquētißimo & historiarum scientißimo Regi, nostram de Turcarum rebus historiam ausus sim quasi consecrare. Quamobrem, quibus rebus adductus id fecerim, paucis explicabo. Videbam usqueadeò te ardere amore scientiarum, ut non doctißimos solùm, quos habes apud te multos: sed etiam tenuiter eruditos, in quibus nomen profiteor meum, beneuolentia amplecterêre. Cogitabam apud me quæ præmia cōstituisses professoribus artium bonarum, & in quos honorum gradus extulisses eos, quorum uirtutem & doctrinam probasses. Animo repetebam, te authore, exarsisse studia literarum, oppressam fuisse in Gallia barbariē, prodijsse qui linguā Latinā, qui Græcā, qui Hebraicā, qui poetas, historicos, oratores, Philosophos publicè interpretarentur. Extitisse etiam qui scriptis libris politioribus augerent eorum numerū, qui nomen suum immortalitate donassent. Animaduertebam certatim omneis aliquid offerre tibi scripti: neminem esse tam humilem qui non se tuæ humanitati committeret: nullum opus esse tam paruum & tenue, quod non aliquid speraret apud te loci Putaui igitur mihi esse faciundum ne solus ingratus uiderer, & eo magis quòd in numerum Cubiculariorum tuorum me recepisses. Itaque primitias quasi frugum mearum obtuli tibi: maius aliquid allaturus, siquid agellus meus melius & præstantius tulisset. Semina mihi collegi ex Egnatio, Blondo, Platina, Riccio, Gaguino, Paulo Iouio, Andrea Cambinio, alijsq; si non eloquentiæ primæ, maximæ tamen fidei scriptoribus: ut quæ sparsa essent ac dißipata, in unum locum mitterentur, quò propius uideri possent. Parum quidem cultus est hic ager, sed rerum frequentia copiosus. Primùm quæ sit origo Turcarum: deinde quas occupauerint sedes: postea Ottomanni & posteriorum imperium usque ad Soleymannum præsentem breuiter dilucideq; naaro. Quicquid est, hoc summito iudicio tuo. Tum demum nonnihil esse existimabo, quū intelligā abs te omnino repudiatū nō fuisse.

DE ORIGINE TVRCARVM ET Ottomanni imperio Liber.

IN tradenda Turcarum origine, nobili dissidio laboratur. Ortam à Teucris eam gentem plerique docēt, haud certè absq; ratione. Nā Turcæ, etsi uniuersam propè in Asiā & Græciā effusi: hodie tamē eam præcipuè Asiæ minoris partē colūt, quam olim tenuere Teucri, & ubi quōdā Troia illa Gręcorū uirib. euersa, opū ui militiaq; claruit. Est & quod illos multò magis moueat, proxima quædā nominū utriusq; gentis affinitas: Turcos uidelicet siue Turcas pro Teucris, & Turciā pro Teucria dictā fuisse putāt. Est hoc sanè aliquid. Sed longè alia mente sunt qui annales sequuti, memoriæq; prodita monumenta, à Scythis oriundos faciunt eos populos, qui feris & incultis etiānū morib. Asiā minorem tenent, & eos in primis qui Turcę uulgò appellati, Ottomānorū legib. parent. Quos quidem Gelonis & Thyssagetis proximos, principio eam Scythiæ regionem occupasse ferūt, quæ Oceano Septentrionali exposita, in hyperboreos mōtes incūbit: ultra quos Turcas, soli sunt Arimphęi ad Riphęū pertinentes. E cuius terræ finibus,

nibus rerũ omniũ cogente penuria, egressi, Anno à salute nostra septingẽtesimo quinquagesimo quinto, Pipino in Francia regnãte, ruptis mõtiũ claustris, in Asiã expediti pueneruũt: & repẽtè inopinatis incursionib. ac rapinis insuetis, Pontum & Cappadociam, & omnem uiciniã diripuerũt. Coacti tamẽ subinde periculi metu quòd pauciores pluribus, extorres indigenis obijcerẽtur, in refugia semõtium, syluarum ac saltuũ latebras, & loca suapte natura munita, penecq; inuia abdebãt. & obseruatis sedulò prędę furtiuę occasionib. rapto uictitabãt. In qua uitæ difficultate tantisper manserũt, donec collectis uiribus & accie cõscripta, ex omni præterea numero delectis qui præessent, ausi sunt aperto Marte sęuire, atq; Colchos initio, pôst Armenios, dein Asiæ minoris populos gladio ac igne uastare. Repẽtino atq; audaci & insolito incursu fractis Asiaticorum animis, Barbari facilè uniuersam regionẽ in suam ditionem redegere. Quibus rebus gestis, ut ciuitates inuasit timor, paucis admodũ annis non Pontũ modo ac Cappadociã, sed & Asiã quoq; minorẽ, quã hodie Anatoliã seu Turciam de nomine uocãt, in potestate sua posuerunt: & lapsu tẽporis Bithyniæ, Galatiæ, Phrygiæ utriusq;, Pisidiæ, Cariæ, & Ciliciæ imperium sunt cõsequuti. Ad singula retinenda nullo Imperatore, nullo rege, nullo alio supremi magistratus titulo uti: sed delignatis tantũmodo pro factionũ prouinciarumq; uarietate certis hominib. qui res qua prudentia ualebãt, administrent, ad Ottomannũ usq;, eum qui primus tyrannidem inuasit, integri manserunt. Video nõnullos fuisse, qui cum hanc uel illam de Turcarũ origine sentẽtiam probarent, eos tamen aliter increuisse, & societatem cum alijs populis etiam Christianis inijsse, ac Reges & imperatores habuisse, multaq; interim præclarè gessisse proderent. Author est Egnatius, Turcas sub Odonis Francorũ Regis tempora, Leoni Constantinopolitano Imperatori socios factos, illi ad opprimendam Bulgariam quæ ab Imperio desciuerat, auxilio uenisse. Blondus quoq; Ierosolymam à Turcis expugnatã, Anno à salute generis humani millesimonono, & Christianũ militẽ, qui Petro Eremita duce Bosphorũ traiecerat, uicisse ac trucidasse tũ, cũ Philippus Henrici filius Franciã regeret: contrà eiusdem Philippi Anno quadragesimoprimo, Solymannũ Regẽ Turcicũ fuisse à nostris debellatũ & occisum. Triennio uerò pôst Bohemondũ Antiochiæ designatũ principẽ, à Turcis captũ memoriæ reliquit. Cæterum utriusq; aduersus alteros tantum innatũ est odij, ut Turcæ Anno à Seruatore nostro millesimo centesimo quintodecimo Saracenis se & Arabibus, quibuscum sæpius conflictati erant, in Balduinum & Tancredum nominis ac rei Christianæ defensores coniungerent. Prorepsit illa ipsa contagio (adeò in animis hominum uitia sunt concepta semel odia) ad Gazim eorũ Regem. Qui cũ superbè atq; impiè maiorũ modo fureret, à Balduino Burgio tertio Ierosolymorũ Rege natione Frãco, certamine uictus, suarũ in uinculis furiarũ pœnas dedit, Anno Ludouici Crassi Regis Franci quintodecimo. Ad cuius sextũ & uicesimũ, à Fulcone Andiũ comite cæsa sunt tria Turcarũ millia, & totidẽ in custodiam data. Alaph rex Turca, sub natalis CHRISTI milleſimũ centeſimum & quadragesimum tertium annum, Edessam Syriæ urbem cepit, & in Christianos immaniter desæuijt. Eius satrapæ intra biennium proximũ admissæ impietatis supplicijs luerũt, Ierichunte à Balduino Fulconis filio quinto Hierosolymorũ Rege fusi, & ad quinq; millium stragem interfecti. Rege apud nos sex & triginta annorum Ludouico Iuniore, Saladinus à Turcis in regnum admittitur. Is duobus annis ab accepta dignitate, Aegyptum & Syriam ditioni suæ cum adiecisset, à Balduino ad Ascalonem & Tiberiadem superatus est. Ad quem deinceps ulciscendum, Ierosolymam profectus Philippi Augusti Galli temporibus, Ierosolymitanum solum deprædatus est, Laodiceam diripuit,

dissipuit, Tiberiadem obsedit, Ascalonem ad deditionem compulit. Hæc quidem, nec plura de priscis Turcis, eorumq; regibus, ac ijs quæ ante adeptũ imperium gesserunt, literis mandata reperio. Iam uenio ad Ottomannum, qui primus paucorũ neglecta potentia, monarchiam inuasit. Rerũ ab eo gestarũ filum contexam, & gradatim in occupatæ tyrannidis successore deueniam.

OTTOMANNVS.

FVit Ottomãnus loco natus obscuriore, & tenuibus fortunis domi, sed tamen ingenio fœlici, cautus homo, diligens, ambitiosus, præfecturas semper & regna cogitans. Eius disciplina, & consilia, & magnę uirtutes tantũ excelluerunt, ut pauculis annis, nobilioribꝰ Turcis æquaretur: eaq; de causa, ueteri illum, ac in honore habere inciperent tanquam paratũ & facilem quamlibet rerum administrũ. Per id tempus accidit ut prouinciæ Asiaticæ dissidio inter se contenderẽt: utq; latentes in præfectis earum serperẽt inimicitiæ: quas cõponere extra spem erat, ambientibus primas singulis. Hos tumultus Ottomannus cum præsentisset, fortunæ melioris principia fecit: ut qui ex ista prouincialium, satraparumq; dissensione euentum nõnisi prosperũ sibi promitteret. Ergo discordias & factiones alere, modò his fauere, modò illis, debilioribus semper aduersus potentiores opitulari, singulos sibi opera ac beneficentia cõciliare. Quo ipse actu paulatim dissipata, fractaq; multorum potentia, in tantam de se existimationem illos induxit, ut uelut superioribus beneficijs uicti & obligati, (nam singulos afflictis reb. adiuuerat) primos honores nulla intercessione quasi suo iure præripientem ferrent. Qua quidẽ in re Fortuna cum eo tam benignè indulgentei; decidit, ut non ita multo interiecto tempore, salutis nostræ anno circiter milleſimo trecenteſimo, Philippi Pulchri quintodecimo, unus impunè inuitis omnib. summam imperij, quod ante partitum tenebãt factiosi magistratus, occuparit, sesequ Asiæ minoris siue Anatoliæ Imperatorẽ nominare sit aggressus. Ad hæc suscepta insignia foris nihil tẽtius imprudentiúsue agens, quàm antea domi priuatus solebat, magnã Bythyniæ partem subegit, Syuam, quæ eadem cum Sebastia est, expugnauit, & oppida ad Euxinum posita non pauca cepit. Affecta iam ætate fato cõcessit. Philippi Valesij regis anno primo, & CHRISTI Opt. Max. milleſimo trecenteſimo uicesimo octauo, cũ iam ipse octo & uiginti annos in imperio fuisset.

ORCHANES.

EIus filius Orchanes à pueris ea semper indole morumq; præstãtia fuit, ut facilè inde demortui locum cunctis populi suffragijs sufficeret. Neq; omnium quisquã noua dignitate auctũ in aliquo mutatũ sensit, tantumq; abfuit ut à patre in peius degenerasse uideretur, ut illum etiam magno uirtutum cumulo, & regendi imperij singulari disciplina longè superaret. Cuius rei certum documentũ extitit, quòd hæreditarium splendorẽ non modò integrè cõseruarit, uerumetiam spatio tẽporis eundẽ plurib. ornamẽtis illustrarit. Hunc itaq; nõnulli fuisse prædicãt qui Prusiadem, quam nomine uariato Bursiã dicunt, regum Bithyniæ sedem primariam ui cepit, accepto inter obsidendũ grauiuulnere, quo postea interijt. Eundem quoq; esse autumant, qui Palæologis fratribus de Cõstantinopolitano imperio contendentibus, alteri eorũ cum ingenti exercitu in auxilium uenit. Sunt qui filio eius Amorathi hæc concedũt: qui patri post duorum & uigintiannorum regnum mortuo successit, ad Ioannis Philippi filij primos dies, Anno à CHRISTO nato milleſimo trecenteſimo quinquageſimo.

AMORA-

AMORATHES.

AMORATHES cùm animo esset non minus industrio quàm superiores, sesecq; atq; illis dignum aliquid edere summoperè cuperet: exemplo eorum cœpit statim dignitatis suę peruigilem curam habere. Ea de causa latis, in populumq; datis certis legibus, prouinciam legit, & locum in sedem principatus: quo pronum ac facilem ad sese aditum singulis præstaret, & amantissimi suorum principis munia obiret uigilanter. Bursia in hoc perplacuit, oppidum in radicibus Olympi montis & opere & natura eximiè potens. Annos ibi nō paucos ad ueterum Bithyniæ regum æmulationem, curandis suis rebus populoq; componendo ac ærario cumulando transegit: neq; interim animo erat adeò sorte sua contento, ut non interdum de propagandis regni finibus cogitaret. Ecce interea principes Græci in maximam cum Imperatore suo discordiam labuntur. ferro partes decernendum putant. Viribus illi inferiores, Marcum Crayreuicum Bulgariæ, quæ & Mysia dicta est, principem in auxilium assumunt. Contrà, Imperator legatos ad Amorathem unà cū pecunia nō mediocri subsidium petitū mittit. Ab eo duodecim Turcarū millia impetrant: qui in Marci cæterorumq; rebellium oppressione Imperatorem alacriter iuuerunt. Eo beneficio aut etiam talium hominū usu pellectus ipse, parta uictoria, quinq; ex illis millia in supplementū præsidij Græciæ retinuit, reliquos in Asiam multis muneribus ornatos remisit. Ex quibus Amorathes ut audijt imperij Græci præstantiā, utq; ipsi Imperatori pessimè cū suis cōueniret: opis denuo adferēdæ illi specie, potiūdæ tamē Græciæ animo, ad transuehēda Turcarum millia sexaginta Genuensiū nauib. usus, Hellespontū ad Abydū superat, & exinde Græciam hostiliter uexare aggreditur. Sed cū eos impetus iuuandi Imperatoris & animaduertēdi in eius inimicos gratia fieri ementiretur: tamdiu Græcos in dissidio cōtinuit, quo ad uiribus neruoq; belli pecunia exhaustos, omni subsidio destitutos, expugnatu faciles reddidit. Nactus deinde eā fortunam, in ipsum quoq; Imperatorē inexpectatò grauē impetum facit, & Callipolim ad fauces angustiarū Hellespōti positā, quòd eā munitionib. tutā, & ad omnē euentū cōmodā esse didicisset, festināter inuasit. Cumq; agitaret animo uniuersum Græciæ imperiū, fabricatis celeriter, & collatis ibidē nauib. multis ad militē ab Asia in Europā trāsportandū, & aucto in immēsum ea ratione exercitu, in Græciā formidabilis irrumpit. In cuius expilatione cū occurrentes ubi hostes acie deleuisset, Hadrianopolim unà cum plerisq; alijs oppidis occupauit. Ex ea tum primùm uictoria Turci Rhomaniæ (quæ prouinciæ Thraciæ pars præcipua est) maiorē partem fecere suam. Verum non alienum ab instituto fuerit, hoc loco dicere, quib: Thracia olim terminis fuerit. Fuit profectò nō mediocriter fusis. Ab una parte Orientē uersus, ad usq; Pontū Euxinū & Propontidem trahebatur: à Meridie, mari Aegeo, fluuio Strimoni, & Macedoniæ coniuncta: Danubio à Septētrione: ab Occidēte, Pæoniæ montib. Pannoniæ & Sao amni confinis erat. Ea cōprehendi uolūt utranq; Mysiam, Seruios licet & Bulgaros. Post quos usq; ad Hellesponti angustias, locorū maritimorum quicquid Meridiē spectat Græcis frequēs, id omne hodie Rhomania est. Ex ea Amorathes in Seruiā ac Bulgariā delatus, Lazarum Seruię, & Marcum Bulgariæ coniuratos principes profligauit. Extinctus est cum tres & uiginti annos imperasset, Carolo quinto Francis imperante.

SOLYMANNVS ET BAIAZETHES.

HVic uixdū parētatū erat, cū superstitem patri Salymannū hęreditariæ dignitati eripuit æmulus frater Baiazethes. Is eo flagitio factus bonorum omnium

ômnium hæres, uir impiger animiq; maximi, statim ab accepto imperio rebus Asiæ constitutis, traiectisq; in Europam nouis copijs, in Bulgariam aduersus Marcum Crayreuicum proficiscitur: quo quidem prælio superato, magnã eius prouinciæ partem sibi cùm defectione, tum expugnatione subegit. Pugnam deinde aduersus Græcos maturè instaurat, in qua euentus adeò prosperos habuit, ut de Rhomania quoquouersum nihil Græco Imperatori præter Constãtinopolim reliqui faceret. Nec tanta uictoria contentus, in intima Græciæ penetrauit, & Thessaliam, Phocidem, Bœotiam, Atticam penè totam, solis incolumibus Athenis, quæ situ difficili ac muro densè in multos pedes constipato circumseptæ, sæuitiæ hostili restiterunt. Ad hæc Macedoniam unà cum Pæonia & Paphlagonia subiugauit. Agmine demum illinc in Bossynam & Seruiam deducto, infinitam hominum ac pecoris multitudinem abegit. In Rhomaniam deinde reuersus, Constantinopolim graui pressit obsidione. Neq; dubium est quin eam expugnasset, & Turcis uniuersæ principatum Græciæ adeptus esset, nisi quidam Tammerlanes Parthus obscurus quidẽ genere, sed instituti reipublicæ ac militia præclarus, repentino in Asiam minorem descensu, à proxima uictoria tam efferatum hostem auertisset. Cui reprimendo ne longius promoueret, aut potius fugandò, Baiazethes soluta obsidione & castris in Asiam motis occurrit. Nec ita multo pòst in finibus Armeniæ minoris ad Stellam montem, ubi olim Pompeius unà cum Mithridate signa contulerat, tam iniquo Marte congressi sunt, ut Baiazethes cæsis suorum ducentis millibus, coniectis in fugam reliquis, ad tantæ cladis accessionẽ equo deiectus in Tammerlanis hostis infestissimi potestatem uiuus deueniret: & cauea inclusus populis quibus imperarat, monstrandus traheretur. Memoriæ proditum est miserum Turcam infra mensam Parthi uictoris quoties hic epulabatur, ferreis catenis reuinctum locari, & ibidem ad domestici canis similitudinem ali consuesse: Tammerlani porrò in equum ascendẽti eundem humi procumbentẽ scamniloco fuisse. In quo squalore ac miseria manſit infœlix, quoad diris animi & corporis cruciatibus extenuatus, sex & uiginti annorum Imperator, dignum scelerato principio exitium finemq; imperij sustinuit. Anno à partu Virginis millesimo trecentesimo nonagesimo, Caroli sexti octauodecimo.

CYRISCELEBES.

Liberi eius, Cyriscelebes, Moses, Maomethes & Mustaphas, paternæ calamitatis exemplo admoniti, Asiaq; prorsus à Tammerlane spoliati, cũ trepidè in Græciam refugissent, excepti sunt fuga ab his Græcis qui in Hellesponto explorabant, et ad Imperatorem Constantinopolitanum pro singulari præda deducti. Quorum ipse (ut clemens & lenis erat) miserorũ fortunam non grauare, sed eos potius nullo uitę possessionumq;, quas in Grę cia pater eorum congesserat, periculo, apud se saluos custodiri, regieq; educari uoluit. Postea morte Tammerlanis audita, misericordia Imperatoris Constãtinopolitani, ac clemẽtia solutus natu maximus Cyriscelebes, in Asiam discessit. In quam subitò magna populi beneuolentia receptus, patrimonium integrè recuperauit: in suas deinde Græcas possessiones opportunè redijt. E quibus cum soluisset, arma in Hungariam traiecturus, eiq; Sigismũdus rex occurrisset cũ Franco equitatu (quem sub præfectura Ioannis Nouiodunensis eius qui Burgundionum duci patri successit, à Carolo sexto in auxilium contra Turcas obtinuerat) ad Nicopolim ijs animis utrinq; concertatum est, ut dubia primùm uictoria, deinde in Turcas numero plures inclinante, nostri ad unum turbatis ordinibus & uersis in fugam Hungaris, aut cæsi sint, aut capti.

In captiuis fuit Ioannes ipse unà cum uiris principibus non paucis: qui ad Cyriscelebem, fugiente interim Sigismũdo, pertracti, seruati sunt, & aliquãto post ducentis aureorum millibus redempti. Verùm cæteri nostri grauis acleuis aræ maturæ milites, qui periculo se belli eripuerant, immaniter confecti sunt. Victor postea Cyriscelebes capto belli in Seruiã transferendi consilio, quũ fines eius infestare ac depopulari contenderet, & eò inconsultius accederet, morbo correptus animam egit.

ORCHANES CYRISCELEBIS.

ORchanem Cyriscelebes etsi unicum imperij hæredem reliquerat, nõ tamen opulẽti patrimonij usum ac delicias attigit. Ad gubernacula enim Reipublicæ cum paucorum studio atq; opera conaretur admitti, patruus eius Moses, conciliatis sibi multorum animis, prærepto imperio, filium fratris primo quoq; tempore iugulandum curauit.

MOSES.

SEd & ipsi dignum illo parricidio exitium propè diuinitus allatum est. Nã comparatam nefariè rem ac dignitatẽ cũ fratri Mahomethes inuideret, & dulcedine imperandi uehementer caperetur, interceptum Mosem uita simul bonisq; priuauit. Hæc scelera omnia proximum à Cyriscelebis morte biennium tulit, cum ipse post Baiacethem patrem sexenio tenuisset imperium.

MAOMETES

SVnt qui Maomethem, nulla prorsus de his facta mentione, morte Baiazethis factum Imperatorem putant, & ea quæ de Cyriscelebe feruntur, huic uni attribuunt. Cæterum Vualachos Maomethes ac Culcharos ferocissimas Thraciæ gentes uarijs prælijs & cladibus afflixit. Nec prius ab ea uexatione manus continuit, quàm afflictos populos sibi magnum tributum quotannis pendere compulit. Arma deinde uertit in satrapas Asiæ, quos cum deuicisset, alios quidem pecunia multauit, nihil generis propinquitate commotus: alios ut Caramannum satrapam Ciliciæ, & Asmabecum eius Armeniæ, quam Euphrates aluit, integros atq; incolumes, fortunis quoq; nulla ex parte diminutos seruauit. Reuersus in Græciam, Hadrianopolim sedis imperatoriæ loco habuit, pulsis illinc, aut ad internecionem cæsis quotquot intus Christiano instituti nomine, ac sacra pios religione deprehendit: nec diu postea uixit. Oppetijt anno tyrannidis suæ decimoseptimo, & nostræ instaurationis millesimo quadringẽtesimo decimoquinto, Anno imperij Caroli sexti tricesimoquinto.

AMORATHES.

AMorathes ordine successionis, imperij declaratur hæres. Hunc etiam impuberem, magna rerum gerendarum fœlicitas sequuta est, & Imperator Maomethis patris non modò nomen ac gloriam præclarè gestis, uerumetiam maiorum, quotquot illum antecesserant, memoriam lõge superauit. Hic tum, cum pater excelsit, præerat Anatoliæ, ab ipso ad sustinẽdos hostiles impetus tutamq; regionis administrationem delegatus. Nuntium suæ orbitatis illic accepit citius quàm incommodæ paternæ ualetudinis. Quo casu perculsus, maturat ab Anatolia proficisci, & quàm maximis itineribus potest in Græciã cõtendit. Itaq; paucis castris ad urbem Chalcedonem peruenit. Vnde cum in Europam exire studiosè cuperet, & uelis equisq; in Græcam suam rem conuolare, ad iusta, ut palam dictitabat, paterno funeri honorificè persoluẽda, reuera quòd præsentia sua uel conseruatum iri, uel si alienatũ esset, iam recuperatũ patrimoniũ confidebat: nunciat̃ per exploratores Hellespontũ classe hostili tenere, Constantinopolitanumq; Imperatorem insidias parare, & siquando se in ui

am

am det, uiolentas manus allaturum. Nec falsus erat is nuncius. Nam Constantinopolitanus cum Mustaphæ Baiazethis filiorum quarto ad imperium suffragaretur, & illum in patris fortunis collocare summopere studeret, ad mare peruerat, ut filiũ fratris eius Amorathẽ depelleret. Ea de causa egredi in Græciam conãti tandiu obstitit, quoad collatis uiribus Turcos infensissimè cõflictatos, & Mustapham eo prælio præter opinionẽ suã confectũ, fusis profligatisq; omnibus eius copijs intelligeret. Nullo postea negocio Amorathẽ regni potẽtem fecit ea de fratre uictoria. Sed iter in Græciã faciẽs, omnẽ operã ac curã in ultionẽ iniuriarũ cõtulit. Conflata ea labe multorũ maleuolẽtia, cũ nusquã satis tutus esset, ad eas suspiciones tollendas & tuitionẽ sui, custodia sibi opus esse credidit. Ergo conscribit peditatũ qui se armatus circumeat semper ac tueatur: nec in eũ quosuis homines cõijci uult, sed eos solũ qui abnegato CHRISTO, quẽ antea profitebantur, Mahũmedeæ superstitioni se addixerant, quos Ianizaros uocat. His munitionibus in Epeirũ, quæ recentioribus Larta nuncupatur, irrũpit, ac mox in Aetolorum patriã penetrans, eas agri pellectus bonitate suas fecit. Quarũ tã illustriũ, cõmodarumq; rerũ accessione auarior factus & ambitiosior, irruptionẽ extẽplò fecit in Illyricum, q̃d hodie Sclauonia dicitur, & Dalmatiã in se, Croaciã, Istriã ac Liburniã cõplectitur. Id sæuus peruagatus est, magno incolarũ detrimento: nonnullis etiã expugnatis arcibus, & abacta hominũ et pecudũ numerosa multitudine. Turcicę porrò nationi cũ liceat plures ducere uxores, Georgij seruorũ principis filiã sibi matrimonio iunxit. Sed paulo post affinitate istiusmodi pro nihilo habita, armatis multis hominũ millibus, Mysiam, aut si quis ita appellare malit, Seruiã, impetijt. Socer milite atq; opibus inferior, pugnæ genero potestatem non fecit, sed impositio Syderonię urbi præsidio, filiorũ quidẽ unũ in ea reliquit: ipse uerò trepidus cũ uxore ac liberis & familia, in Hungariã aufugit. Amorathes fuga soceri Mysia in integrũ potitus, ad ultimum Syderoniæ castra admouet, & eã paucissimis diebus expugnat. In cuius expugnatione cũ relictus ad defensionẽ urbis uxoris frater irrumpentẽ hostẽ effugere nequijsset, tantũ abfuit ut eũ affinẽ Turca recognosceret, ut ambobus oculis orbatũ coniectũq; in uincula, nulla uel humanitate motus uel propinquitate, quacunq; ibat in contemptũ soceri, miserũ ac innocentẽ iuuenẽ secum populari ludibrio pertraheret, ipso interim socero perpetuo exilio multato. Expeditionẽ denicq; in Hungariam cogitãs, cõstituit apud se prius quàm quicquã moliretur, aut occupandã esse omnino Græciã, aut saltem ita cũ reliquijs eius agendũ, ut sibi in posterũ absenti obesse non posset. Ea tatione in Pelopõnesum, quam uulgo Moreã appellitant, deductus, superato Hexamili siue Esmiliæ muro, qui in Isthmo positus id continentis interuallũ claudit, quod Aegeum ab Ionio disterminat: fusosq; ac cæso omni eius præsidio, prouinciã, etsi æquoribus superioribus circũdatam, uniuersam in suũ ditionẽ redegit. Atticam deinde eadẽ uia bello capit, & de Athenis cũ principe earum natione Ligure pacisci tur. Cõpositis Græciæ rebus, ad oppressionẽ Hungariæ animum adijcit. Ad quod perageridũ, cũ quæ exercitui opus essent compararet, nuntiat Christianorũ in Turcas grauẽ undequaq; tumultũ excitari, Hungarosq; unà cũ ipsa uicinia iamiã euocatos in Græciã irrũpere. Quamobrem apparatũ ut potest accelerat, & designatis, ut erat casuũ prudẽs ac prospiciens, præfectis prouinciarum qui metu iniecto Pelopõnesiacorũ atq; Atticorũ conspirationes defectionesq; amolirentur, descripto etiam centũ milliũ hominũ exercitu, rectã in hostem pergit. Ocyus fama tam fœdã tempestatem infert Hũgariæ, & inexpectatò inerme regnũ tantis furijs adorit, ut nihil ei nõ cedat, omnia uiolãti sacra simul & profana. Processisset haud dubiè lõgius, sed oppressus annonæ caritate receptui canere coactus est. Nõ ab re fuerit hoc loco

meminisse hũc esse Imperatorem Turcarũ, aduersus quem Eugenius quartus Romanorũ pontifex Iulianum Cæsarinũ Cardinalẽ legatũ militi armatũ. Qui Cæsarinus cum Ioanne Vuayuoda militiæ Hungaricæ præfecto, collatis in unum copijs coniunctus, facto in Turcæ fines incursu, cũ iam satis ꝓmouisset, Sophiã castris hostilibus circũuenit, & obuios sibi, seꝯ lacessentes Turcas frequẽti cõflictu fudit. Quæ victoria decennaliũ inter eos induciarũ causa fuit. Sed armis de integro Pontif. hortatu prẽter iusiurãdũ resumptis, cõmissoꝯ ad Varnã, quondã Dionysiopolim, certamine, nostri uicissim fusi ꝓstratiꝯ sunt, uno Vuayuoda incolumi, Ladislare Polonorũ rege inter pugnãdũ occiso, Cæsarino autem inter fugiendũ miserrimẽ à fugitiuis gregarijs interfecto. Tantis totꝯ victorijs elatus Amorathes, iter Hadrianopolim releuandi animi reficiẽdarũꝯ uiriũ gratia instituit. Ibi singulari rerum omniũ trãquillitate fretus, uota quæcunqꝯ aliãs Deo immortali uouerat persoluit: Maomethem primogenitũ celebri Bassarũ procerũꝯ assensu, populi aũt insolita cõtentione, imperio prẽficit. Eundem postquã in sedem collocasset imperij, fidei ac tutelæ Callij Bassæ purpurati senis nulli sociorum atꝯ opibus secundi cõmisit. Postremò se adoptium uiteꝯ delicias capessendas in Asiam contulit: ubi nõ ita multò pòst uita functus, Prusiade cũ maiorib. æquè regiẽ atꝯ honorificẽ sepultus est, Anno imperij sui tricesimoquarto.

MAOMETHES.

MAomethes nullo maiorũ industria, cautione, gratia, nouandisꝯ rebus inferior: in ipsis primæ militiæ rudimentis lectissimũ quẽꝯ ac probatissimũ ducem patris Amorathis beneficio ac pietate quasi doctorẽ habuit. Imperiũ suscepit uixdũ in pubere ætate cõstitutus. Cuius quidem suauitate, inusitataꝯ uitæ licentia delinitos, statim ab initio facilẽ sibi persuasit nemini unquã quicquã diuinitus concessum fuisse ea dignitate atꝯ potẽtia aut splendidius, aut fœlicius, aut sanctius, aut quod pluriũ inuidiæ magis obnoxiũ sit. Quare omni tutela tanquã seruitutis iugo à se reiecta, liberũ imperij moderamẽ suscipit. Nouas leges promulgat. Quædã placita maiorũ improbat & antiquat. Ad ærarij accessionẽ uectigalia auget. Ianizarorũ ordinẽ æquitatu adhibito pleniorem facit. A Basis atꝯ alijs qui uiuo patre præfecturas obtinuerant, rationes exposcit: pleroſꝯ eorũ uita multat, pecunia non paucos. Ad hæc cũ fratrem nomine Calapinũ domi haberet, quem sibi nimis grauem ac suę incõmodum libertati, & hæreditati inhiantem suspicaretur: eumꝯ idcirco magno studio tollendũ curaret: post breueis insidias puerũ, dulces uiduæ matris delicias, immaniter extinctum, matri nihil tale à filio in matrem, à fratre grãdiore in parũulũ fratrẽ patratũ iri suspicatæ obijcit, ut ea scilicet orbitate filij, collectã demũ inde uerò ætate sensim maiorũ suorum res præclarè gestas edoctus, tantundẽ illis gloriæ inuidens, quantũ ipse audendo adæquare non posset, eleuato sepius Baiazethe, qui obsessam diu Constantinopolim cũ tenuisset, ea tamẽ potiri nunquã potuisset, eã tum primũ uictoriã in animũ suũ inducit, perpetuã exuersa Græci Imperatoris sede, nominis celebritatẽ, firmãꝯ, stabilẽ ac legitimã Græciæ monarchiã speraꝝs. Itaꝯ habito equitũ & peditũ delectu, & multarũ omnis generis nauiũ classe ordinata, diurnis nocturnisꝯ itineribus Byzantiũ proficiscit. Quò cũ peruenisset ad sextũ kal. Maias, ingẽtes copias muro admouet, & urbẽ iteratis machinarũ muraliũ ictibus ferire, ciueis crebris terrere oppugnationibus, omnia q̃ ad uictoriã cõducerẽt experiri aggreditur: perstatꝯ tãdiu in oppugnãdo, quo ad lõgissima debilitatã obsidione expugnat. Anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo quinquagesimosecũdo. Caroli septimi tricesimotertio. Ad quã calamitatẽ accessit indignissimus Constantini

Imperato-

Imperatoris exitus. Quem quidam capite truncatũm fuisse, genere eius omni no uel exilio uel morte sublato, alij in media suorum fugientium turba, cum ipse quoq; fugeret, decidisse, & certatim cursu erumpentium concussum, contritum, interemptumq; fuisse tradunt. Hæc pariter uictoria mortẽ Callio Baslæ tutori attulit: nempe Maomethes pecuniæ, quam Callius ingentem possidebat, utendæ causa, proditionis insimulatum oppressit. Eadem etiam effectum est, ut quicquid locorum ubiuis Græciæ Constantinopolitano imperio subditum erat, id omne ad Maomethem, audita Byzantij expugnatione deficeret. Supererant Albania, Peloponnesus, & Acarnania. Quæ prouinciæ nuper audita Christianorum conspiratione in Turcas, & proximo eorundem in Græciam aduentu, renunciata etiã morte Amorathis, acceptoq; filij eius Maomethis imperio præmaturè rebellauerant, alijs interim regulis morẽ gerentes. In eas paulo pòst omnẽ belli impetũ transfert, atq; Albaniam primò (quæ ea pars est Macedoniæ quæ in occidentem uergẽs, â Dyrrachio ad antiquã ciuitatem Apolloniæ pertinet) ingressus, ingruentibus undiq; malis afflictam & perditam, uectigalem facit. Mox facto in Peloponesum impetu, uniuersam prouinciam sibi subijcit. Est autem Peloponnesus Græciæ pars nobilitate & potẽtia nationum ac populorum qui in ea antiquitus habitarunt, lõgè omniũ clarissima: cuius situs solo aspectu facilè principẽ illis esse imperij sedẽ cõmonstrat. Ni mirum in ea multi sunt sinus, multa promontoria, multæ splendidæ & magnę ciuitates, faciles in omnẽ terræ plagam excursus. Ferunt eius formam esse platani folio persimilem: cuius longitudo & latitudo penè æquales sunt. A principio ad extremũ stadia sunt mille & quadringenta: quæ millia Italica centum & septuagintaquinq; faciũt. Ambitus, stadiorũ est quatuor milliũ, ut Polybio placet: uerùm huic numero Arthemidorus quadringenta adhibuit. Circundatur omnis Ionio & Aegeo, ut supâ memorauí, excepta solùm ea continẽtis parte, quæ Isthmos dicitur, ubi Corinthus ciuitas nobilis posita est. In Peloponeso sunt Achaia, Messenia, Laconia, Argolica & Arcadia. Eas omneis prouincias Maomethes peruagatus, uectigales fecit, tributo pariter Corintho deditiæ imperato. Acarnaniam deinde (quæ est Epeiro & Bœotiæ intermedia) fœlicissimè tentatam diripuit. His successibus plenior audentiorq; factus, de irruptione in Hungariam cœpit cogitare. Nec factũ cogitationẽ longè secutũ. Nã paulò pòst descriptis centum quinquaginta hominum millibus, & cõparatis ijs quę ex usu, pfectionis erãt, celeritate incredibili arduos Thraciæ mõtes exuperat. Cumq; iampridẽ statuisset hostile Christianorũ nomen, remq; funditus abolere, Belgrado) quod oppidum ad confluentem Sauí & Danubij positũ, non Hungaris modò, sed & toti Christianismo propugnaculũ erat (aciem formidabilem obiecit. Nec prius ab eius insolentissima oppugatione destitit, quã in ipsa muri quassatione suis animũ, quem diuturnitate obsidionis penè despõderant, uiriliter faciens, altissimè sub dexterã sagitta cõfigeret. Quo casu expauefactus exercitus, singuli relictis ordinibus atq; impedimentis, in fugã cõuertuntur, & transcursa diebus noctibusq; Mysia, in Rhomaniam domesticũ tumq; sibi præsidiũ perferunt. Maomethes quoq; eodem pòst suos reuehi curat: ubi tantisper mansit otiosus, dum à uulnere accepto recrearetur. Postea uerò iuri suis reddundo, cõponendis seditionibus, siquæ in eius absentia coortæ fuerãt, uenationi atq; alijs domesticis exercitationibus eo usq; incubuit, quoad præteritę fœlicitatis uictoriarumq; longa memoria, producẽdi imperij uehementem libidinem excitaret. Itaq; ubi se commeatu rebusq; nouæ expeditioni necessarijs satis affluere sensit, militum cuiusuis armaturæ nomina excipit, multaq; hominum millia conscribit. Cum quibus in Asiam proficiscitur, Baiazethi filio quem Anatoliæ præfecerat, iampridẽ Pyramethi Carmani rectoris

ctoris dominatum quaquauersum fatiganti, sed tamen aliquanto inferiori, au
xilium allaturus. Quò cũ nullo in angustijs impedimẽto trãsmississet, cepit ex
templò Ponticam Pyramethi gẽtem, deinde Ciliciã populari ac uexare. Neq;
à populatione atq; agris uastandis prius abstinuit, quã delatus in Armeniam
cũ Vsnucassano Persidis rege ad Euphratem cõflixisset prælio non satis fœlici,
amissis militum decẽ milibus, & de Balsis Asmirathe. Ob quã iacturã maiori
bus furijs cũ Trapezuntino Imperatore Vsnucassani socero congressurus ua
dit. Prohibentem occidit, & stirpe eius radicitus euulsa Imperatorẽ se substitu
it, non Trapezuntis modò, sed & Sinopes, & omniũ quæ ante hanc cladẽ ipso
in Ponto Christiani possidebant. Parta id genus uictoria, ouantẽ exercitũ in
Græciã reduxit, nec uincendi cupiditati fine imposito, classe ad Lẽnum & Les
bon prædiuites insulas adnauigat. Quibus primo impetu castris plurimis, op
pidis atq; arcibus spoliatis, Mithynen denicq; urbẽ inuicta manu circũuallat, et
in expugnatã breui intromittit. Exterminatis tot Christianis, & in omnẽ pro
pè Græciã atq; Asiã infuso Mahumedis cultu, ut reliqas quoq; exscinderet, et
nihil in posteritatẽ nõ Mahumedeum tã in insulis quã in cõtinenti superesset,
aucta ad nauium quadringentũm numerũ classe, in Eubœã (Negropontũ ho
die uocatur) citatis remis cõtendit. Vbi Chalcide urbe, infensissima obsidione
fatigata tandẽ potitus. Declinat postea in Euxinum (quẽ recẽtiores mare ma
ius uocant) & Capham, quæ supra Bosphori angustiã ipso in Euxino posita
est, Genuensibus eripit. Edomida paulo pòst Albania Venetis Scodrã, Lisson
& Dinastrũ corradit. His triumphis penè innumeris insolescens, & cõparãdo
uniuersi orbis imperio fortunæ prosperioris incitatu inhiãs, treis uno eodẽ tẽ
pore diuersas expeditiones aggredit. Vnã, Rhodum, in quã infœlicẽ Lemni,
Mitylenes, Eubœæ, Euxini, atq; Albaniæ tristitiã trãsmissurus, Mesythũ Balsã
terra mariq; prouidè armatũ dimittit. Is eò cũ peruenisset, ut suũ Imperatoris q;
animũ (id q̃d summè cupiebat) expleret, & de oppido diuitijs atq; opibus flo
rentissimo triumpharet, cohortatus suos paululũ, cepit cõtinuò urbis murum
specie castrorũ horribili cingere, oppugnationẽ deinde occipit, ad undecimũ
kal. Iulij Anno à natali CHRISTI millesimo quadringentesimo sexagesi
motertio. Quam obsidionẽ eò usq; cõtinuauit, quoad de expugnatione omni
no desperans, cedentibus in contrariũ conatibus, illæsq; urbi ridiculus cederet,
ad sextum decimũ kal. Septemb. Altera fuit expeditio in Italiam: ad quã per
agendã, Aromathẽ Basſam centũ nauiũ classi, & quindecim hominũ millibus
præficit, atq; iubet trãsfretare. Is inter nauigandũ, Leucadiã (quã nomine rece
tiore Sanctã Maurã dicunt) Cephalenia & Zacinthum cepit: & Fauellonã de
uectus, in Appuliã traijcit, atq; in peregrinũ littus inopinãtibus Appulis egre
ditur. Mox deinde orã maris transcurrit, plæraq; loca spoliat, maritima omnia
deprædatur. Postremo Hidruntem occupat. Cũ hæc à Balsis fiunt, ipse quoq;
Syriã petiturus, & Sultanũ Cayri inuasurus, secessit Callipolim. Vnde aliquã
to pòst ad Zizimũ filiũ in Asiam exijt. Quo cum & trecentis armatorum mil
libus in Sultanum proficiscens, in ipso itinere subita acerbaq; febre correptus,
nõ longè à Nicomedia Bithyniæ mortuus est, non sine ueneni suspicione, An
no suæ ætatis quinquagesimosexto, unũ & triginta, aut ut alij scriptũ reliquе
re, septem & uiginti annos post Amorathem imperio potitus.

BAIAZETHES.

BAiazethi & Gemæ, uel ut quibusdam placet, Mizimo paterna hereditas,
grauissimi belli causa fuit. Orta nimirũ in Turcis repẽtina cõtrouersia, filĩ
orum utri potius patris honores atq; insignia deferrent: in id uentũ est factio
nis, ut sanguine clariores Zizimũ Imperatorẽ, Ianizari Baiazethem exposce
rent,

tent. Accidit igitur in hac animorum discordia, ut hi inuitis nobilioribus, in absentia Baiazethis Corcuthem eius filium pusionẽ in aui sede collocarent: et absentis patris loco, Imperatorẽ paruulũ urbi talibus auspicijs salutandũ proponerẽt, inuocato insinuatoq; populariter Baiazethis nomine. Qui interim de sua orbitate parit ac collata in filiũ maiestate imperij ꝓperè admonitus, admodũ magnis diurnis atq; nocturnis itineribus Constãtinopolim aduolat. Quò cũ populo desideratissimus peruenisset, in ciuitatẽ quã fieri potuit regiè atq; honorificè acceptus cõmunibus suffragijs Imperator mente Maio salutatus est. In quo honorum opumq; fastigio constitutus, discruciari intra se cogitabundus, & multa secũ (ut ferè solẽt hi qui rerum potiunt) animo uersare incipit, imperij ꝙd susceperat magnitudinem: difficultatẽ imperãdi ijs presertim, quibus inuitis ac refragãtibus designatus creatusq; Imperator fuerat: Zizium fratrem animi nõ muliebris, neq; frigidi spiritus hominẽ in imperiũ adoptatũ fuisse ab ijs præcipuè ciuibus qui optimates erant: illorũ opera factiones in populo nasci, motus excitari, arma sumi, uim inferri, Zizimũ reuocari, cẽdi se faci le uel exigi posse. Nec dubiũ esse quin hi citò in caput principis coniurẽt, qui in eius exitio aut exilio collocatam esse patriæ libertatẽ: contrà, in uita ac præsentia seruitutẽ omniũ positã arbitrentur. In mora aũt maximũ inesse periculũ. Ideò minimè sibi his difficultatibus indormiendũ, imò potius cautè & diligenter & animosè obstandũ principio dubio ac difficili. In hac animi perturbatione, exercitũ sedulò conscribendũ curat minorẽ quidẽ initio, quippe solũ ad uitæ suæ maiorẽ inter suos cautionẽ, sed paulo pòst numerosiorẽ ex omni uetеranorũ Græciæ robore, ita ut nõ obscurè omnes intelligerẽt eas illũ copias collegisse Zizimi fratris metu nimio incitatũ. Nimirũ eũ audierat de his quæ domi acciderant, factũ certiorẽ, statim è finibus Syriæ, quò à Maomethe patre aduersus Sultanũ Aegypti missus fuerat, cũ ualida manu egressum, celeriter quas tum copias habebat, in Anatoliã traduxisse, & occupata demũ Bithynia, quasi distributo inter fratres patrimonio, & sorte delato ad ipsum imperio Asiæ, ad Baiazethẽ uerò Europæ, Prusiade consedisse, coactis undiq; ad defensionem Asiaticis gentibus. Qua re cognita, Baiazethes cõparatis ad bellum uel inferẽdum fratri, uel à fratre illatũ repellendum rebus necessarijs, ratus sibi fœliciorẽ pugnã extra Græciæ terminos fore, & longe à Constãtinopoli minori periculo obnoxiam, inaudita celeritate in Asiam aduersus fratrem proficiscit. Quò ingens agmen cum traiecisset, & paucis diebus in planiicem quæ ad Prusiadẽ est, processisset, haud procul à castris fratris castra metari cœpit. Nec conflictu in multũ tẽpus dilato, acie in aperto posita, post raras utrinq; prouocationes ferocissimè cũ fratre signa contulit: uiribus superior, magna tamen utrinq; strage accepta, Zizimũ in Syriã fugat, atq; hoc uno certamine uotorũ omniũ compos euadit. Zizimus tantæ cladis acceptæ nuncius, profugus cũ paucis cliẽtibus fidissimis Rhodũ adnauigat, & lubens insulæ prefecto se dedit. At uerò Rhodiũ illico cepit tacita quædã de fugitiuo suspicio ac diffidentia. Nec satis, ut sibi uidebatur, à Zizimo tutus, eũ in Galliã ulteriorẽ ad Carolum regẽ hoc nomine octauũ cũ certis nauibus solicitè custodiẽdũ ablegat. Romã traductũ ferunt ad Innocentiũ octauum Rom. pontificẽ: eundẽ Tarracinæ postea, dum Neapolim deduceretur, propinato ad concitandã nomini Gallico inuidiã, ueneno occubuisse. Interea Baiazethes receptis in fidẽ Asiaticis, lustratisq; Põto, Cappadocia, & cæteris Anatoliæ puincijs, Constãtinopolim regressus est magna suorum ciuium admiratione. Nec prisci continuatiq; hactenus laniza torum in se animi ac suffragij iimemor, eorum, statim à reditu, numerum auget: & eiusmodi hominum ordinẽ sibi curæ esse atq; in pretio, stipe in singulos annua conferẽda, multisq; alijs beneficijs & immunitatibus planum facit. Cæte

rum aliquanto pòst, ordinatis, ut noua imperij mutatio postulabat, Græciæ re
bus, eius animum Asiæ repetendæ cupiditas incessit. Vbi cùm meminisset esse
Caramannum hostem capitalissimum, qui nuper Ciliciam campestrem, atq;
adeò Armeniæ minoris Cappadociæq; regiones ad Taurum montem perti-
nentes sibi detraxisset, & per uim hactenus occupasset, neq; huic occupati pa
trimonij uulneri, nisi crudelissimo bello mederi posse cerneret: in eũ antè quã
discedat, instaurandum ẽ Græca militia exercitum ducit. Fit igitur euocatio,
recensetur exercitus, Asia repetitur quàm fieri potest ocyssimè. In qua cũ iam
multum promouisset, nempe transmissis Bithyniæ, Lyciæ, & Pamphiliæ fini-
bus, nihil prius habuit quâm in Ciliciam irrumpere, & secum animi Caraman
num impetu quàm posset uehementi aut cædere, aut fugare, aut saltem expa-
uefactum imbellem expugnabilemq; reddere, & ad deditionem compellere,
quo penè diuino consilio hostem fudit (uirtutum nimirum uicturo Imperato
ri necessariarum longè princeps est ineũdæ pugnæ prudens alacritas) & quæ-
cunque cis ac trans Taurum possederat, recuperauit. Hoc fœlici euentu quan
tum Baiazethi accesserit animi atq; audaciæ, susceptæ secundum hæc tempo-
ra expeditiones argumento sunt. In Sultanum Aegyptium (is Mahummethe
deæ religionis facilè princeps, ut consortibus exemplo sit Mahummedeũ non
esse aliena appetere, sorte sua contentus, Aegypto solùm ac Syrię, quasi cer
to atque unico maiorum regno imperat) ineunte uere bellum mouet. Neq;
antè ab eius regionibus infestandis abstinet, quàm se Sultano multô uiribus
inferiorem longa experientia didicisset. Siquidem is militia longè potentissi-
mus erat: utpote qui Mamaluchos homines ab ipsis cunis in gladiatorio ludo
educatos, de ea etiam populi collunie accersitos, qui à CHRISTO defece-
rant, fugitiuos post cædem Caramanni excepisset, & copias Arabum innume
rabiles ad sui tuitionem aleret. Nemini porrò census abundantia & locorum
munitione cedebat. Igitur sæpius ab eo debilitatus ac profligatus Baiaze-
thes, cum Aegyptijs pacem fœdusqúe inijt. Exinde in Græciam reuersus, rerũ
naturalium studio ac cognitioni tantisper operam nauauit, donec adiecto ad
Corcyram animo, sed patefacta Venetis conspiratione, ingentibus copijs Va-
lachiam (quæ regio est Traciæ inferior) Pontum Euxinum uersus, inuade-
ret, & sibi uectigalem faceret. Nec Moncastri moles accessu expugnatuqúe
difficilis (ut quæ ad eas fauces sita sit quibus Boristhenes amnis, quem illi Ne-
per uocant, in mare se exonerat) resistendo efficere potuit, quin ad deditionẽ
compelleretur, omni etiam maris ora, quocunque incederet, Turcicæ seruitu-
ti subdita. Hac uictoria spolijsqúe hostilibus & elatior factus & potentior, clas
sem numero nauium incredibili clam instruit. Ad hæc ingentem pedestrem
exercitum comparat ea solum ratione ut uires uniuersas in quos uelit, quoties
commodum fuerit, emittat. Nactus deinde armorum aduersus Venetos su-
mẽdorũ occasionẽ, in Pelopõnesũ tẽpestatẽ hãc impulit. Qui cũ in sinũ Patra-
rũ admissus esset, Methonẽ, q̃d nũc Modonẽ: Nepãthũ inde, q̃d olim Naupa
ctũ: mox & Dyrrachiũ Venetis ademit. Gallos tũ demũ eos q̃ Rom. pontificis
hortatu in Græciã profecti fuerãt, sæuissimo ad Mitylenẽ cõgressu fudit ac fu-
gauit. Tum aũt ætate ingrauescẽte, et morbis undequaq; ingruẽtibus, morti se
proximũ esse conspicabatur. Quapropter in reliquã ætatẽ quieti trãquillitati-
qúe imperij prospecturus, Acomathem primogenitum in locum suum ma-
gnifico suorum omnium applausu absentem substituit, eumqúe nulla mora
ad se accersit. Quod Selimo filiorum alteri cum nuntiaret, quàm iniquè graui
terq; tulerit, ista satis docent. Etenim Trapezunte cui præpositus à patre fue-
rat, properé discendens, ad patrem cucurrit, uiam fratri quasi in nullam sortem
bonorũ nato ad imperiũ prærepturus. Recipit quidẽ à sene, sed ægrè & asper-
rima

rima cũ obiurgatione, qui iniussu regis aduenisset. Remittit̃ paulò pòst in prę-
fecturã nõ satis ex sentẽtia. Quid faiat? patrine obtẽperet, an etiã aduersus pa-
rentẽ certamẽ ineat? Cessit ad extremũ pietas ambitioni, nã ea fuit filij ambiti-
osi cupiditas, ut tractis secũ factiosis nõ paucis, ultrò patri obuiã iret, & prælio
quã poterat uiolento eũ cõcuteret. Verũ cũ suis uniuersis fugatus, in Bulgariæ
latebras eousq; se abdidit, donec Ianizari per Acomathis inuidiam (nempe ijs
haud satis imperio dign9 esse uidebat̃, q; mollitia corporis effœminatus esset)
Selimum strepitu ac suffragijs cõtinuatis Imperatorem flagitarent. Ad quorũ
tumultuũ cõpositionẽ permutata sorte Selimus pro Acomathe reuocat̃, atq;
in designati locũ, patre lingua tenus cõsentiente, succedit. Id facinus cũ ægrè
ferret Baiazethes, uultu tñ ad præsens tẽpus cõsultè ac prudẽter dolorẽ orbita
tis dissimulante, impetrata à filio uenia, tanquã relegatus, Dimoticũ oppidũ,
quod ipse splendidè haud procul Hadrianopoli condiderat, ad otiũ reliquæ ui
tæ cõcessit: in qua profectione, uel ægritudine animi, uel morbo, uel potius i-
gnorãter epoto ueneno cõfectus mortuus est, Anno à partu Virginis millesi-
mo quingentesimo duodecimo, Ludouici duodecimi uicesimo secundo, im-
perij uerò eius tricesimo.

SELIMVS.

OMnium eorũ q̃uæ patri Baiazethi, q̃ Selimo fratri, quæ absenti sibi acci-
derant certior factus Acomathes, discruciari intra se anxiè cepit. Longè
se à patria, idq; sine uirib9 abesse: Sublatũ esse patrẽ: susceptaiã à fratre ornamẽ
ta fasceisq; imperij: Pecunias illi in tuto & uiros affatim, sibi fugã in magno ui
tæ discrimine relictã esse: Nec diu moraturũ Selimũ quin sibi suspectũ fratrẽ, si
detur, opprimat. Vtilius sibi fugere maturè, quã cõfidenter expectantẽ oppres
sum iri. Distractũ in has cogitationes uicit impij fratris metus. Itaq; Prusiade e-
gressus cũ fidissimis perpaucis, Anotoliã, qua Cappadocia adit̃, magna celeri
tate trãscurrit. Et necubi interciperet̃, collocatis iã ab amicis fratris in uia insi-
dijs, nusquã sibi cõquiescendũ duxit, donec in Ciliciã ad Caramãni nũper con
fecti possessiones peruenit. Quẽ locũ in uitę p̃sidiũ cũ satis tutũ natura ipsa in-
dicaret, eundẽ tñ omni belli apparatu diligenter communiuit. Selimus ediuer-
sò nihil iã nisi de fratribus internecandis, & securitate imperij cogitans, rebus
in Græcia cõpositis, in Asiã trãsijt. Quò uentũ cũ esset, Bithyniã primũ: deinde
Lycaoniã, & postremò Cappadociã ad Acomathis fratris oppressionẽ trãsgre
dit̃. Sed eũ omnis generis irritamẽtis usus cũ educere nequijsset, repẽte euesti-
giò ꝓfectionẽ in Magnesiã instituit, & Corcuthẽ fratrũ tertiũ aggredit̃ inopi-
nantẽ. Quo tã insperato impetu Corcuthes exanimatus, spe omni salutis in fu
ga collocata, Rhodõ mutato habitu ꝑgit. Sed à militib. q fratris oẽs adit9 ob
sidebãt interclusus, metu mortis ꝓximè in mõtiũ secess9 & saltuosa loca abscõ
dit̃. Ibi herbarũ radicibus ac melle syluestri uitã sustinuit, q̃usq; ꝓposito ingen
ti præmio ei q uiuũ hũc Selimo aut tucidatũ ꝓdidisset, seruos eius in ꝓditionẽ
ac necẽ domini auaritiæ insania pelliceret. E uiuis exẽpto Corcuthe Selimus
Magnesiã, minorisq; Asię loca maritima ad Syriã usq; in suã manũ redegit. Bur
sia demũ illi repetita est. Vbi cũ uictoriæ triũphiq; celebrãdi specie ꝓpinq̃s ac
necessarijs epulas apparasset, inuitatos ad eas nepotes et à cæteris cõuiuis sub
finẽ cœnę seorsũ deductos, quasi secretius aliq̃d cũ ijs cõmunicatur9, seruis tra
didit suffocãdos. Supest am̃i molestia, imperijq; eius impedimẽtũ Acomathes.
Neq; tñ satis nouit q̃bus illũ artib. ac insidijs int̃cipiat. Re infecta domũ reuer-
tit̃. Ibi uehemẽter indignatus noctes & dies secũ reputat interimẽdũ esse Aco
mathẽ, ne sibi in posterũ obesse ullo modo possit. Post multa et uaria cõsilia re
ꝑti sũt q ex cõposito apud ipsũ Acomathẽ ꝑ epist. crimina hęc in Selimũ Imp.
sererẽt: Hũc patris expulsorẽ dicerent, alieni detentorẽ imperij, fratricidã, ne-

potum ac sanguinis sui perniciem. Quibus coniuratis optimatibus si au-
sultet Acomathes, breui ad imperium exacto fratre posse reuocari. Hor-
tantur ut exercitum paret, se benevolis accommodet, se socium adiungat, &
prodeat secure ad tyranni interceptionem, pronam ad imperium uiam ingre-
diatur: uix tantillum promoturum quin se Turcarum omnium defectione re-
stitutum sentiat. His dolis irretitus Acomathes, & spe ulciscendi fratris pa-
trimonij que recuperandi cupiditate circunuentus, e uitæ propugnaculis edu
citur. In quorum propemodum exitu, præter opinionem Selimo fit obuius.
Nec longioribus utrinque consilijs usi, classicum extemplo canit, conclama-
tur, concurritur, confligitur ab utrisque atrocissime. Ipso in conflictu sceleri
atq; audaciæ fratris magna uir alacritate cum Acomathes resisteret, equo pro-
lapsus, & mole sui maiore, item pugnantium turba, nec non ipsius equi pon-
dere pressus, cum erigi non posset, fato concesit. Filios reliquit Amorathem
atque Aladinum Selimi patrui timore fugitiuos. Quorum alter ad Sophin
in Persidem confugit. A quo principio quidem humanissime acceptus est,
& muneribus ornatus amplissimis: sed ea fœlicitate mox factus insolenti-
or, trucidatur. Secessit alter in Syriam, prius subsidio uitæ à Campsone Sul-
tano una cum fide publica impetrato. Selimo in futurum stabilis ultro citroq;
imperij securo, ingens uisendæ Græciæ studium incessit, nec institutum res
morata: quippe de inimicis undequaque triumphans, paucis diebus ad By
zantium appulit, ubi post aliquot tempora de Perside otiosus cogitans, op
portune expeditionem instaurat. Eandem aggreditur prima quaque occasio
ne, copioso exercitu mari ac terrę impositio. Matureque penetratis Cappado-
cia, Lycaonia, maiore Armenia atque Euphrate amne, Persarum agros diripe
re uastareque incipit. Mouet Sophis in aduersum manu haud infirmiore, nec
longe à Tauride Persidos animis infensissimis pugnatur. In quo congressu
Sophiani machinarum ærearum insolenti murmure attoniti, hosti locum de-
dere. Atque in hunc modum superatus Sophis, fuga salutem quæsiit. Victori
interim Tauris deditionem fecit. Expugnata subinde Mascuelis est, oppidum
ad Euphratem situm. His tot ac tantis hostium manubijs prædiuites Selimi
copiæ in hiberna in Lycaoniam reuocantur: atque in Iconio, quod hodie Co-
gnyum appellant, iussu Imperatoris sistuntur. In Sophin denuo perrecturus.
ac demum de Campsone Sultano lati Persis auxilij uindictam sumpturus,
(hunc enim in se una cum Ismaele Sophi conspirasse, & iamiam Syria egres-
sum in Asiam aduentare, ac propediem Taurum montem conscensurum esse
compertum habuerat) prima æstate bellum renouat. Sed inita secum ratione
in utrum prius proficisceretur, Sultano citissime obuiam ijt. In Alepum traie-
cto exercitu, cognoscit Sultanum ad Sangarium amnem, qui ab Alepo abest
circiter decem millia, castrametatum esse. Quo nũtio excitatus, descripto agmi
ne, atq; Amano monte transmisso in hostem fertur præceps, eoq; spiritu cũ eo
conflictatur, ut ruptis cum strepitu machinarũ inaudito, tum etiam ui pugnæ
Mamaluchis atq; Arabibus, Sultano quoq; crebris ictibus deturbato et cõcul
cato, Selimus Alepũ uictoriã reportarit. Quã urbem extra omnẽ salutis aleam
Sultani interitu positam, nullo negocio in fidẽ recepit. Damascũ pterea, & Tri
polim, & Sidonẽ, & Beritũ, & Ptolemaidẽ, & cæteras Syrię ac Phœnicię ciuita
tes eadẽ misericordia prosequutus est. Ad hæc in Iudæã (q̃ eadẽ est cũ Palæstina)
uenit, & Ierosolymã & Gazã deinceps (q̃ posita ad mare ab Aegypto parũ di-
stat) deditione cepit. Cayrũ etiã expugnauit, debellatis & fugatis una cũ Tau
mõbero Sultano nup morte Cãpsonis, et Aegypti ac Syriæ discrimine creato,
Mamaluchorũ atq; Arabũ reliqis. Quos ut prosequeret et extingueret, pontẽ su
pra Nilũ fecit, & illos ex eo ita est insectat, ut socijs uel captis uel radicitus ex-
terminatis

termiatis, Taumõberus è stagno, in q̃d se ore tenus merserat, Mustaphæ Bassæ Imperatoris legato traderetur, exinde ad Selimũ, qui Cayri erat, ducẽdus: ubi victoris iussu strangulatus, Bassuelæ Cayri portæ suffixus est. Captiui Mamaluchi atq; Arabes eodem sunt supplicio affecti. Quibus ad internecionem subiatis, ditioni Turcicæ pleroscp Africæ reges Sultano fœderatos ac uectigales subdidit. Ad ultimum, constitutis, ut erat necesse, Palæstinæ, Syriæ, Damasci, et Alepi rebus, Mustaphaq; Bassa in Cilicia una cum quadraginta equitum millibus ad radices Tauri montis, ut enascentem Ismaelis Sophis audaciã reprimeret relicto, Prusiadem regressus est: & uado traiectis Hellespontiis angustijs Constantinopolim, tandem uerò Hadrianopolim peruenit. Ibi post aliquot menses in perpetuam morbi sæuitiam lapsus, sub finem Septembris, Anno à seruatis nobis millesimo quingentesimo decimonono è uiuis excessit, cum septennium solum imperasset.

SOLEYMANNVS.

IN demortui sedem ab Anatolia, cui præpositus fuerat, accitus est Soleymãnus filius Selimi unicus, anno suæ ætatis octauo & uicesimo: Francisci uerò Galliarum regis, præsentium temporum decoris quinto. Cuius ingenium initio imperij à cruore furijsq; bellicis alienum creditum est. Veruntamen specimen eius biennio post acceptam dignitatem longè ipse diuersum præbuit, qui maiorum uestigijs inhærens, arma sua in totius Christianismi euersionem, Anno regnantis Francisci septimo conuertit, & Belgradum, singulare Christianorum propugnaculum, non satis sibi constanti intus præsidio, ui cepit. Biennio proximo ad obsidionem tentatæ antea Rhodi uenit. Ad quod facinus audacius ferebatur, quòd Rhodo in potestatem suam redacta, exterminatum iri penitus ex Asia & Græcia Christianos, prospiciebat. Capta Rhodo, & pulso eius præsidio, adiecit animum ad Hungariam, in quam triennio post ad similitudinem triumphatoris processit. Impetum in Ludouicum eius regem fecit. Prælio eum uicit, & occidit. Regionem ferro ac igne uastauit. Budam magna manu ingressus diripuit. Sed & annus ab ea Hungarorum calamitate septimus, multò atrociorem turbulentioremq; procellam authore Soleymanno è Græcia atq; Asia in Austriam pepulit. Quæ quidem procella cladẽ orbi Christiano quàm insignem, quàm irreparabilem allatura erat, ni maturè furẽti iam malo occursum fuisset. Concepta sunt hinc inde intestina odia, quibus Carolus Rom. Imperator incitatus aliquanto post Tunetem in Turcarum iacturam profectus est, & Soleymannus par pari relaturus, imò potius insanabile Christianismo uulnus inflicturus, postea secundum Italiam infinita classe uagatus est. Ad quam cum uentis aduersis appelli nequiret, in Cephalenĩa & Corcyram Venetorum insulas appulsus irrupit, ac præda tantundem abegit, quantum per insulanorum infirmitatem licuit. Hocipso anno legatus eius Aenobarbus Bassa in Illyricum atque Adriaticum innumera classe inuasit. & Castellumnouum (quod oppidum est Sclauoniæ atq; Albaniæ intermedium, ad Catari sinus fauces positum) post diuturnã terra mariq; obsidionem expugnauit

AD

AD FRANCISCVM GALLORVM REGEM CHRI-STIANISSIMVM CHRISTOPHO-rus Richerius.



BSoluta qua potui fide atq; breuitate, digestaq; rerum Turcicarum historia, Rex Christianissime, decreueram prima quaque occasione illam tibi offerre. Nec ego id quidem feceram, quòd hoc opusculum nostrum dignum te esse ducerem. Me certè minore ingenio doctrinaq; esse sentio, quàm qui aliquid tam exacti iudicij Principe non indignum conficere possim, Sed uitæ & officij mei rationem tibi domino & hero meo redditam uolebam. Quum autem res omnis in quinque partes esset distributa, ut primùm de origine Turcarum & Ottomanni imperio: deinde de moribus & institutis illius gentis: postea de Tammerlanis Parthi rebus gestis: deinceps de expugnata à Maomethe Constantinopoli: tandem de Castellinoui Dalmatiæ oppidi recenti direptione diceretur, statueram singulas eo quo scripsissem ordine tibi Latinè simul & Gallicè exhibere. Verùm sic accidit, ut historiæ nostræ liber secundus expeditior, paratior, lectuq; iucundior haberetur. Quare mutata sententia, illam tibi initio fero. Accipe quæso ut soles ἐυμενῶς τὴν πρόθυμον, sicut Artaxerxes ille aquæ frigidæ poculum. Nec tam leue donum: quam donãtis animum metire. Res est exigua ac propè nulla: donator humilis & obscurus: tempus inopportunum. Ego tamen bonitate tua fretus & humanitate, id ausus sum facere quod uix summa nominis tui maiestas patiebatur.

Ἐλπίζοντα ἐπὶ Κύριον ἔλεος κυκλώσει.

DE MORIBVS ATQVE INSTITVTIS TVRCARVM, LIBER II.

QVoniam gentis nominisqûe Turcarum originem, atque Ottomãnorum imperium, qua potuimus orationis breuitate ac luce demonstrauimus: non alienum quoque esse uidetur in præsentia de eorundem moribus institutisqûe pauca dicere. Sic enim fiet, ut deinde à nobis pauciora desyderẽtur, qui id ipsum quidem quod institueramus, plenius opinione fecerimus: utqûe ijs cum aliqua etiam uoluptate satisfiat, qui haud satis ipso originis atque imperij Turcarum libello contenti, priuatam quoque & publicam eorum uitæ consuetudinem nosse cupiant. Vt uerò iam ad rem aggrediamur, & ab eo quod communis societatis conciliandæq; hominum inter se amicitiæ longe primum seminarium est, incipiamus. Turcis non unam esse linguam constat. Nam & sua hoc est Turcica eos lingua uti, & Arabicum sermonem, atq; adeò Sclauonicum ac Græcum sæpiusculè usurpare palàm est. Turcicæ uoces primum sibi locum uendicant, ut quæ ipsis cũ hominibus Turcis natæ ultro in os ueniant, & in effundenda barbarie aptiores accõmodatioresq; sint. Earum idcircò usus Imperatori, totiq; eius cohorti pfamiliaris. Sed eadẽ penê gloria est Arabicis, quas Turci à pueris ediscere solent cũ primũ sua religione imbuunt: legẽ em Arabicè cõscriptã habent, & in omnib. publicis priuatisq; rebus, Arabicis literis utunt. Hominibus uitæ quietæ, ut Constantinopolitanis ciuibus, & totius Græciæ ciuitatibus Græcè loqui & scribere, gentile genuinumqûe est. Sed latissimè omniũ patet sermo Sclauonicus, qui quòd multus in ore sit omnib. lanizaris, ea de

ea de causa unicum hunc sonat uniuersa propemodum militia. Cumq; hi ferè in castris degant, tecti castrensi tentorio munitioris expertes, parum tamen cæteris cedunt habitandi fœlicitate. Nam uniuersi humillimè habitant, & exceptis solis principum domibus, balneis ac delubris, quorum structuram, quòd lapidea sit, paulò excellentiorem putant: aut ligneum est, aut terreum eorum ædificium. Nec desunt qui rebus quietis in æstiua, spretis suis domibus, sponte discedant, quíque in Nomadum morem certis sedibus destituti, & soli pecoris curæ adnati, assiduè uagentur, ac in omnẽ greges suos regionẽ, uti temporum locorumque fert natura, circumducant. Cæterum omnes cuiuscũque sunt status conditionisque, sumpturi cibum, aut urinam reddituri, aut naturam exoneraturi, aut aliud facturi quidpiam, humi sedent: decorè tamen, nempe indumentis ad hoc affabrè comparatis & compositis. Etenim ad celandam, siqua insit, deformitatem, talaribus uestibus & laxis tam fœminæ quã uiri induuntur. Nec profectò ullum hominum genus nosse est magis uerecundum, magisque munditiæ studiosum: quippe qui ne pullos gallinaceos quidem, aut canes in suas cœnationes admittant. Quòd siquid ab his fortè animantibus uel supremis labris delibatum sit, id protinus tanquam pabulum uenenatum abijciunt. Ab omni porro morticino abstinent, quòd id putidum sit: & uino, quòd omnium turpitudinum irritamentum: & sue, quòd eo animali nullum sit immundius, suillaque carne uescentem contaminatum iri credunt. Quod si pullum sibi aut animal aliud quodpiam in epulis apponere statuant, id prius sex aut septem dies penes se uinctum tenent, & puriore interea cibario saginandum curant: mensæ postea etiam ægrè apponitur. Quæ quidem mensa ut plurimum è glabro corio est: nisi forte ceruinum sit, nam tum hirsutum esse, nec ulla ex parte depilatum, religiosum nõ est. Adde quòd post uerecundantis naturæ opus uideri à quopiam, aut cuiquam loqui nefas putant. Neque ideo prius in publicum exeunt, quàm omni ex parte lauerint: eoque nomine balneas reperire est oppidatim perquam communeis, ad quas is, quem Tschmunx uocant, lustrandus secedat. Neque est qui domum, aut locum, ubi sessurus sit, non depositis calceis ingrediatur. Nam apud eos calceatum sedere flagitium est. Vtque res commodius lepidiusque fiat, scandularum quibus Batinag nomen est, usum fœminæ præsertim nouerunt: & uulgò locum ubi consideturlaneis scyrpeisue tegetibus, uel tabulis conferti, ad coercenda soli humidi uitia præparant. Lege unicuique uiro licet duodecim legitimas uxores habere, & ancillas quotquot libuerit. Ex quibus cum liberos susceperit, licet & eadem lege uernulis tanquam liberis hæreditatem inire. Id in causa est quare potentiores, & quicũque per fortunas possunt, oppidatim singulas uxores habeãt, & ancillas & liberos. Pauci autem duas eadem in domo uxores alunt, ad iurgia potissimum deuitanda. Sed & uiris liberum est coniugum repudium. Vnde uinculum matrimonij, quod ipsi kebinu uocant, in potestate uiri non uxoris esse prædicant. Quod tametsi soluereis potest ex animi sententia, solius tamen authoritate sacerdotis necti consueuit: idque ad generandam tantum sobolem, non autem ad libidinem. Libido quàm sit in fœminis rara, pudor earum satis docet: utpote quæ simplicissimo habitu mitras capitibus imponant, tum uela superingerant: eo tantum consilio, ut mitra uelo diligenter decenterq; inuoluta, uersatilis eius extremitas in dexterum propendeat: ut si domum exire, aut domi uiro uideri contingat, (nã mulierẽ uxorẽ ore aperto in uirorũ conspectũ uenire, et domi aut foris patere, itẽ forũ adire, emere, uendere, & turpe & flagitiosum est) euestigiòs obducant, & illud dẽptis oculis uirili cõspectui subripiant. Locũ idcirco in delubris lõgè à uitis seiunctũ, atq; ita undiq; obseptum habent, ut nemo

quispiam

quíſpiam introſpicere poſsit. Nec eò fœminę omnes indiſcriminatim, ſed opti matum ſolummodo uxores conueniunt: neque aliàs unquam niſi ſacro & ſo lenni apud eos ſexto die, qui à planeta Veneris nomen habet, idq; orationis tantùm meridianæ tempore. Cæterum fœminam equo inſidere monſtrum eſt, & uirum publicè cum uxore colloqui, aut priuatim cum eadem laſciuire ri diculum. Sed ad tantam uirorum ſeueritatem accedunt Eunuchi, quos domi uiri príncipes abeuntes, in uxorum cuſtodiam relinquunt. Qui uirilis ſexus ex talibus matrimonijs naſcuntur, ij uel ad Imperatorem deduci, ut eius bene ficio edoceantur, uel à parentibus erudiri ſolent. Qui ad Imperatorem dedu cuntur (id autem ex more fit: nam quinto quoq; anno ipſe paulo minores quã uiginti annorum iuuenes, libertinorum præſertim filios, toto ſuo imperio con ſcribit) eos uelut Aulæ deſtinatos, alios alijs principibus educandos, & arma, aut artes edocendos partitur. Hoc idem de paris ætatis uenalibus (quos ha bet innumeros, quippe cum ei præda omnis decumana ſit, tum præcipuè ca ptiuorum, quorum ſuis pro decumis, quàm maximum poteſt numerum uena litijs imperat) facere conſueuit. Quos omneis, ut annum uigeſimum at tigerunt, eos ad ſeſe reuocat, & in numerum Ianizarorum, adſcribit, ad ſcriptisq; æra conſtituit. Quum autem huic genti ſculpere aut pingere im pium ſit, nemo omnium ſpretis ijs artibus, duritiæ ac labori non ſtudet, & ui tam in uenationibus ac ſtudijs rei militaris collocat. Itaq; ſiquando in ullam regni ſui partem bellum ſenſerit imminere, Imperator de habendis toto ſuo im perio delectibus non magnoperè laborat. Etenim datis ad prouinciarum ur biumq́ue præfectos literis, quibus & neceſſarius militum numerus compre hendatur, & locus ac dies qua ſiſti Imperatori oporteat deſignetur, ſinguli pro ſe publico præconio mandata faciunt, tantundemq; militum euocant, quan tum Imperatori ſatis eſt. Cum quibus uniuerſis ipſi præfecti, ſuis quisque cum oppidanis ac prouincialibus, condicto die & præſcripto loco ſiſtuntur. Quòd ſi qui accerſiti ſunt, ceſſatores ad diem non ueniant, eorum confeſtim impen ſa, quaterni aut quini ſubſtituuntur, qui cum in exercitum coaluere, Eſcheti horí nominantur. Delectus qui à príncipe habentur, equitum ſunt ac peditũ. utrorunque plura ſunt genera. Nam, ut hos primũm expediam, prætoria co hors fortiſsimorum peditum eſt, qui eorum lingua Ianizari dici ſolent. Hi initio quidem pauci fuere, ſed nunc ad quadraginta milia excreuerunt. Impe ratorem, Aga duce (ita enim eum qui eiuſmodi ordini præeſt appellant) per petuò circumeunt. In quibus ſagittarij ſunt ad quinque uel ſex milia: qui quòd ſiniſtrorſum arcus ſuos intendunt ac remittunt, Czolachar, hoc eſt ſiniſtri po pulariter dicuntur. Sunt in ijs duceni cæteris proceriores, & militari diſcipli na magis clari, qui ab equitante príncipe ne latum quidem pedem diſcedunt, ijs Solachi nomen eſt. Omnes autem Ianizari ab alijs peditibus amictũ bre uiore & mitris niueis acuminatis diſtinguuntur: item armis, quæ ſcutum ſunt & enſis, quem Cymitharram uocant, & arcus: denique officio: illi enim caſtra muniunt, atque oppugnationes moliuntur. Alterum genus eſt pedi tum, quos ſingulæ prouinciæ ac ciuitates, mandato Imperatoris ſuis ſumpti bus, nempe collata in ſingulos menſtrua ſtipe, ad bella mittunt: Aſapi nomi nantur: & quadraginta milium, & paulo plurium eorum eſt exercitus. Ia nizaris & habitu & officio diſcrepant. Mitris ſiquidem rubris enſe & ſcuto, & longiori haſta inſtruũtur: quorum quidẽ eſt hoſtileis equos incalefcẽte prę lio cõfigere. Sũt & alij q ſua ſpõte bellũ ineunt, lixæ una cũ calonibus, fabri li gnarij, et qui pugnantibus neceſſaria miniſtrant, uias aperiũt, abrupta loca ad æquant, pontes faciunt, aggeres cumulant, omnia quæ expugnationibus ac cõmoda ſunt, diligẽter curãt. Atq; hæc quidem ſunt Turcicorũ peditũ genera.

Equitum

Equitum uerò quidã Spachioglani, uel unico uocabulo Spahiglani dicunt. Hi autem omnium sunt selectissimi, & partim equitibus præfici solent, partim etiam peditibus. In his uis omnis est Turcicæ militiæ: legationes obeunt, & Sangiachatibus, hoc est prouincialibus præfecturis, atq; id genus muneribus funguntur. Hi denique filias sorores ue Imperatoris uxores ducunt, tanquam cæteris omnibus clariores, ac de Principe benemeriti. Capite quoq; ut alij mirato sunt, & aureis sericis ue indumentis uersiculoribus utuntur. Hi numero mille, quorum est exeuntem urbe principem dextra comitari. Læuam uerò mille alij equites cingunt, Solastri siue Soluphtari appellati: quorum eadem omnino est cum Spahiglanis & uitæ, & nobilitatis, & uestium, atq; armorum ratio. His adhærent alij quoq; mille equites Vlufagi, conflati partim ex Ianizaris egregio aliquo facinore nobilitatis, partim etiam ex seruis de Bassa aut Belerbio pugna aliqua benemeritis, ut qui fidelem ijs promptamq; operam periculo imminente præstiterint. Post hos Charippici, pari numero & conditione, nisi quòd hi leui sunt armatura. Ex his equitum peditumq; generibus porta Principis constat. Sed alij sunt equitum ordines sub Belerbeijs, Subasij ac Timariotes, seu Thimarcini. Ii sunt, qui pro numero uillarum, aut locorum quæ Turcæ Principis mandato possident, ab ijs agente id consuetudine aluntur, actrium Asprorum milium stipendium in singulos annos capiunt. Alij sunt Mozellini, lecti ab ijs quibus olim Turcarum Imperatores acquisitos bello agros diuiserunt. Sunt & Alcanzi, siue ut quibusdam placet, Aconizij, hoc est fatales, seu Fortunæ milites, ad triginta ferè milia. Militant nullo stipendio, sed unis semper aut binis castris reliquas copias antecedentes excurrunt prædabundi, & quintam prædæ partem ad Imperatorem manubiarum nomine deferunt. Omnes autem eiusmodi copiæ in duos exercitus diuiduntur, Europeum atque Asiaticum. His præsunt Belerbeij, hoc est, præfecti præfectorum, seu principum principes. Qui quidem numero duo sunt, quorum hic Asiæ præest, ille Europæ. Alter legatus Imperatoris in Anatolia, Cutheiæ, quæ urbs Galatiæ est, sedem habet: alter in Rhomania, Sophiæ, q̃ in Seruia est, habitat. Vterque plures sub se Sanchatus tenet, & Sangiachis, hoc est prouinciarum præfectis, qui ad eum magistratum facto aliquo eximio assumuntur, mandata dat. Sangiachi uerò Subasijs, de quibus suprà, quod lubet, præcipiunt. Basarum Visirorum aliæ sunt partes, nam Imperatori consilia suggerunt, & cum ijs ipse de negocijs belli ac pacis agere consueuit. Plures tribus aut quatuor esse non solent, & bellum quoq; ij aliquando moliuntur. Huic militiæ nullus est uexillorum usus. Verùm ipsi duces atque præfecti castrorum, quos Zumbasthos uocant, lanceam proferunt in summo appensos certi coloris pilos habentem: quod signum, qui sub eorum præfectura sunt, perpetuò sequuntur. Si quando uel coeundum sit, uel discedendum, uel in aciem prodeundum, tympano ac fistula copiæ conuocantur, concitanturq; ue. Alioqui silentij Turcæ adeò sunt studiosi, ut nemo omnium nisi in castris armetur, & captiuos noctu elabi facilè atque effugere patiantur, ne quem præter morem tumultum in persequendis rapiendisue fugitiuis excitent. Qui præfectis castrorum subsunt Centuriones, Tscheribaschi uocantur, singuli centenis Czingheris, hoc est centum equitibus aut peditibus præsunt. Nemo est omnium qui non se quasi bello natum uita ac factis comprobet.

Eaq; de causa, quando nomina referunt in album, si qui domi relicti sint, maximam sibi factam esse iniuriam putant, tantus est militiæ honos. Nulla est concio, nullus hominum consessus, nulla conuiuia, in quibus non pro ijs qui militant, preces dicantur: multò autem religiosius pro ijs deos sollicitant, qui pro salute communi mortem oppetiuerunt. Fœlices itaque apud

eos,

eos,qui fortis inter haſtas ſagittasq; hoſtium non domi inter fœminarum lachrymas occubuere. Nulla ijs acceptior præda captiuis eſt, nimirũ in ea ſunt opinione,neminem qui ſeruum poſsideat,ulla unquam inopia laboraturum. Eaq; de cauſa,bello captos ſumma diligentia conſeruant,nõ humanitatis qui dem qua moueantur,ſed utilitatis tantum gratia, ſiquam ſibi ex ſeruis factis haud mediocrem fore proſpiciunt. Nimirum iſti nationi ſeruos habere more ueteri,uendere,et emere perquàm familiare eſt. Atq; eius commercij nomine, oppidatim deſignantur uenalitij magnis cum priuilegijs, qui in eam tantum curam incumbunt,ut eiuſmodi hominum copiam comparent,uenundent,cõmutent,pignerentur,prout cuiusq; libido eſt atq; uſus,nullo interim fortũnarũ ſuarũ publiciue boni detrimento. In eã quoq; rẽ paſsim fora ſunt cõſtituta, in q̃ uenales deducti,nudi licitatorib. oſtẽdunt. Quorũ tã uirilis ſexus quã fœminini mẽbra,etiã pudẽda, cõtrectare emptorib. licet: hinc ſcilicet ut pientiãt, iuuenésne ſint an affecta iam ætate,uirgines an corrupti, ſani an ualetudinarij. Quòd ſi empti diffugiant,onus ſeruitutis duplo maius quàm antea, receptis imponitur. Tum ſi ſecundò peccent,uirgis aut ſecuri eos cædere,aut cibo ac potu interdicere ad mortem pœna eſt. Maior ijs cautio,qui pro retinendis ſeruis ſpem libertatis aliquam proponunt. Quam ſemel polliciti,dubium non eſt quin præſtent,nam tanta eſt iſtis hominibus dictorum conſtantia, tantã etiam de fide ſuorum ſecuritas,ut in conuentis nulla unquam ſyngrapha, nulla obſignatione,nullo chyrographo utantur: ſed ſolo promittentis uerbo, uel ipſa nominis eius qui paciſcitur auditione ſtent omnia. Ea autem lege ſerui à dominis manumittuntur,ne ad ſuos manumiſsi,aut ad alios exeãt, ſed in Turcæ ditione perpetuò morentur. Quod factum puto, cum ob maiorem clientelam, tum ob religionis Mahummedeæ incrementum. Cuius quàm ſeueri obſeruatores ſint,& quid ſibi nobisq; futurum credant,iam nunc dicam. Hoc uulgò ad populum concionantur, fuiſſe olim nobilem prophetam Miſſah, hoc eſt Moſem,qui primus diuinitus legem tulit,& librum Tefrit,quem Græci Pentateuchum appellant,condidit. Quo quidem diuino beneficio,ſeruas tum fuiſſe prædicant omnem eius tempeſtatis hominem. Verùm ſacrilegus hominum furor,cum eiuſmodi legem antiquaſſet,in tanti expiationem flagitij,deſignatum aſſeuerant propheten alterum Daijt,hoc eſt Dauid,qui pariter librum ſcripſit Czabur,hoc eſt Pſalterium, & legem ſimilis prærogatiuæ impoſuit. Sed eius ſanctione humano ſcelere flexu ætatis labefactata, tertius ſuccelsit prophetes leſſe, id eſt IESVS CHRISTVS, cum lege ſuperne ac cepta,& libro Vigilis,hoc eſt,cum Euangelio, in communem omnium ſalutem. Atqui diſsipata abrogataq; eius lege, denuò miſertum eſt hominum, & legatus huc miſſus Mahummedes propheta quartus, pari cum ſuperioribus priuilegio, nempe qui quartam legem cum libro Alcorano conſtituit. Qua perfidia humana perrupta,alium quoque uenturum exiſtimant. Prima Mahummedeæ legis præcepta ſunt,omnem utriuſque ſexus hominem nubili ætate matrimonium contrahere oportere,& ſingulos quinquies orare quotidie,deſignatis ad hoc quinq; temporum differentijs. Orationis primæ ſol Oriens eos admonet. Ea fit ualde ſuperſtitioſè,nempe per quatuor Erket, & duo Czalamat. Erket uocant geminatam corporis inclinationem cum totidem proſtrationibus. Czalamat uerò ipſa eſt tacita oratio, quam fundit ſupplex ſedendo poſt ſingula Erket,cum ſalutatione dextra læuaq;, & pacis impreſsione,quam deſignat ambabus manibus os obducentibus. Altera ſub meridiem celebratur per decem Erket & quinq; Czalamat. Tertia declinãte iam ſole,per octo Erket & quatuor Czalamat. Quarta ſub Occaſum ſolis,p quinque Erket & quatuor Czalamat. A cœna ultima, ea ſerò fit, per quindecim

Erket

Erket & octo Czalamat. Prima, lingua eorum Dangnanias dicitur, secunda Otlenanias, tertia Kindinanias, quarta Aschamnanias, quinta Laczinanias. Eas orationes lege coguntur singuli cum tribuli suo, in Meskita, hoc est, fano communi facere, nisi legitimè impediantur. Cùm prohibet negocium, ubiuis locorum orare licet. Et eandem tempus orandi ueniam habet, ut scilicet hora intempestiua suppleri possit, quod legitima fuerat intermissum. Religiosius orant Veneris die, apud illos reliquis celebriore. Sunt tamen professi omnes dies, nec ab opere ullo abstinetur. In singulis ciuitatibus fanum aliquod principes est, quod ipsi Euemesgit uocant: quo dicto die uniuersi conueniunt: ipse quoq; Imperator unà cum alijs cum adest, & uiri cæteri principes. Oratur meridie, ac statim orationem sequitur publica quædam concio, largitionisq; imperatoriæ liberalitas. Censores habent qui neglectæ orationis inimulatos pluribus supplicijs afficiant, eos enim per oppidum trahunt, appensa collo tabella & caudis uulpinis, ad hæc pecunia mulctant. Id autem præcipuè fieri solet, neglecta uerno ieiunio oratione. Lauari triplici modo solent antequam orent. Aut enim aqua integrum corpus perfundunt, & quicquid in eo pilorum est, excepta in uiris barba, & coma fœminis, corradunt. Præsecant etiam pedum ac manuum ungues diligentissimè, & ea fortassa ratione circunciduntur. Hęc autem lotio est post quamcunq; maculæ contractionem necessaria, & dicitur ab illis Czoagermeg. Aut secretiore loco pudēda & podicem abluunt, fitq; cum opus aliquod naturæ fecerunt, uocatur ea lotio Tachriat. Aut quinq; sensus aqua purgāt, manus ad cubitum usq;, os, nares, aures, pedes, crura & tibias, eo quo dictum est ordine. Et eam lotionis formam Auptas siue Abhas dicunt. Hanc autem facere ubiq; licitum est: nec tamen necesse est ut omnem orationem præcedat, nisi id labes aliqua uiatici corporis efflagitet. Verùm si à prima oratione ab omni uitio abstinetur, eadem die nulla repetenda lotio est. Luna annum metiuntur. Et ut lunam unam pro mēse, sic duodecim lunas pro anno numerant. Sed per lunam unam quotannis ieiunio perfunguntur. Atq; interdiu quidem, ab omni cibo & potu sibi temperant, noctu uerò perbaccari laudabile est. Absoluto ieiuniorum tempore, statam feriam, hoc est, Pascha unum in memoriam illius arietis, qui inopināti Abrahamo in uictimam loco filij obiectus est: noctis porrò eius qua Alcoranum cœlo ad se missum prædicant, celebrare consuerunt, sepulchris mortuorum in uisendis, fundendis ad ea orationibus, consumendis ibidem cibis quotquot secum attulerint. Mutuis demum datis osculis in hæc uerba prorumpunt, Baaram Glutiorzong, hoc est, sit tibi hoc Pascha faustum ac fœlix. Iterum sexagesimo postea die pari omnino supplitione feriantur. Eius alterius ferię causa est annuus peregrinorum aduentus in locum qui ab alijs Mecca, ab eis Mekite dicitur, ubi sepultum ferunt Mahumedem, trans Ierosolymam sexagenorum dierum itinere. Quo peruenīri nequit, nisi camelis in id à Sultano ad transmittendas arenas dispositis. Qui hoc iter peregerunt, uocantur uulgò Hatsihilai, & multis pręmijs exornantur. Etenim honorificè ab omnibus excipi, ac in testimonijs dicendis triū testium loco haberi solent. Haud secus pro ijs atq; pro uictoribus oratur, & eorum causa constituta sunt duo Xenodochiorum genera. Vnū cui nomen est Zeuuenezerei, ædificium ingens in solitudinibus, quò ipsi uiatores receptentur. Alterum in oppidis est Hymarath, magna templi moles ab regibus posita, & multis feracibusq; prædijs dotata, ad quotidie cibo recreandos quicunq; aduenerint, peregrinos præcipuè ac literarum studiosos. Quibus refectis, mos est animæ ædificatoris bene precari, & interim reliquum in commune distribuere: fitq; hoc prandij & cœnæ tempore. Sunt & frequentia Turcis gymnasia, in quibus placita regia, atq; edicta quę pro regno administrādo sunt, edocent. Qui

ea didicerunt, duplici gradu magistratibus præfici consueuêre. Magistratus inferiores Munetschim, superiores Muderis dicti. Qui disciplinam minus tenêt, Tausmani appellantur: quibus quidem Alcoranum, ac ceremonias quæ ad cultum legis pertinêt didicisse satis est. Ii sacerdotes sunt, qui à uulgò nihil differunt. Dant nimirum ipsi operam uxoribus, liberis, familiæ, negotiationi, usuræ, uenationi. Plurimi sunt Turcarum qui uota suscipiunt. Quidam austeram uitam uouent: & hi omni tempore nudi, celatis tantum pudendis incedunt. Alij uictus abstinentiam: qui rarissimè cibo ac potu fruuntur. Alij paupertatem sequuntur ex uoto: his in diem uiuere satis est. Alij perpetuum silentium seruant: hi nomine mutorum Czamutlar uocantur. Seorsum alij à populo ducunt dies. Quibusdam nemora & solitudines placent. Alijs hospites in suas domos, quæ Tekie dicuntur, oppidatim excipere religiosum. Quidam mendicitate continua uictitant. Alij in oppida gelidam recentemq; aquam important, petêtibus nulla mercede impartiuntur. Quòd si quid gratuitò offeratur haud recusant. Alij ad sanctuaria inhabitant tanquam uigiles, & uoluntarijs populi donis reficiuntur. Quidam sunt quibus Nefles Ogli nomen est. Eos rumor est sine uirili semine conceptos ac natos. Sacerdotes feriari sæpius solent, nunc ut uota populi reddant, nunc maiorum memoriam ut renouent, aliquando communi necessitate adducti, ad imbres impetrandos, aut serenitatem aêris precibus obtinendam. Ad has ferias conuenit omnis uicinia, & epulatur. Tum musicus sumpto incussoq; tympano modulari incipit. Cæteri sequuti sin gillatim choreas ducere. Feria illis machia dicitur, & ludus Czamach, qui fit saltatione & tripudio, & decora atq; ad motus accommodatus membrorum omnium agitatione. Ad hæc sub finem circulari motu, & uelocissima totius corporis reuolutione: in quo uis ipsa ludi consistit. Vbi uerò ludum singuli luserunt, tum uniuersi coire, & promiscuè colludere: quibusdam interim precum uocibus editis, pro salute eorum qui uota hæc nuncupauerunt, seu liberales domos ac uiatica sunt impartiti. Vtuntur & cantionibus rhythmicis: idq; uicissim efficiunt, ut scilicet quod unus dixerit, alij repetant. Habent etiam quos à morte diuos factos putent. Quorum omnium facilè princeps est Sedichasi, quem uictorem fas est interpretari. Sepulchrum eius Ottomanni ac Caraman ni finibus intermedium est, numenq; inuocari solet omni bellica expeditione. Tum Harsi petteschi, peregrinationis subsidium, peregrinis in honore est. Tertio loco est Askic passa, id est, patronus amoris, sumpto ab amore nomine, coniugio præest, partus difficultati, habendæ etiam prolis desiderio, uiri acfœminæ sedandæ discordiæ. Van passa dissidentes animos lenit. Sehech passa perturbatis & tristibus solatio est. Denique alij sunt, Gotuelmirtschin, & Bartschin passa, qui ambo pecoris custodiæ præsunt, atque conseruationi. Et Chiridelles, qui necessitate affectis uiatoribus opitulatur. Apparet is, ut rumor est, uiatori simillimus, equo glauco inequitans: inuocatus citissimè adest. Quòd si nomen ignoretur, ad Dei implorationem etiam præstò est. Sacerdotum quatuor sunt genera. Quidam uelut gubernacula tenent populi, sacrisq; dignitatibus præsunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur. Inserunt opinionem, neminem unquam nisi Mahumedis lege seruatum iri. Alij sunt quos uulgò Dernischer uocãt: hi autumant legem nihil prodesse, sed gratiam Dei tantum, qua necesse sit omnem hominem seruari, quæ sine lege & meritò satis ad salutem multa est. Eam ipsi Rachmatallach dicunt. Tertium genus est eorum qui Czofilar, id est, contemplantes appellantur, his persuasum est unumquenque debere meritò seruari: meritum ad salutem satis esse, etiam sine gratia aut lege, hanc ipsi opinionẽ Perekatallech uocant. Postremum genus est eorum qui Horise appellantur, id est, factiosi. Hi docẽt unumquenq;

quenq; lege quam teneat seruatum iri, & unicuique genti seu nationi legem latam esse à Deo qua cœlum mereri debeat: & æqualiter omneis leges utiles esse ijs qui eas seuerè, diligenter, & inuiolatè obseruarint, nec ullam alteri esse præferendam. Animaduerti in hos solet acerbissimè, ut in factiosos omnium perditissimos, compræhensi incendio tolluntur. Turcæ furtum in primis acerbè puniunt, homicidium supplicio graui expiant, in cætera negligentius animaduertunt. Commentantur fabulanturque multa de Antichristo, quem Tetschel uocant. Ad ultimum tamen Mahummedem suum uniuersos, cuiuscunque sint uel sectæ, uel religionis, post diem diuini iudicij, ab inferis reuocaturum arbitrantur.

DE TAMMERLANIS PARTHI Rebus Gestis.

TAmmerlanes Parthus natione, genere obscurus, in gladiatorium ludũ ab ineunte pubertate à parentibus missus, armis egregiè tractandis ea uigilantia incubuit, ut pauculo etiam tempore cæteris longè superatis, cognitu difficile reliquerit utro magis, corporisne uiribus, an dexteritate usu comparata, aut etiam astu atque feriendi industria ualeret. Ea exercitatio strenuo adolescenti tantam disciplinæ militaris opinionem, famam nominis ac gratiam apud omneis armorum studiosos peperit, ut infinita propè hominum omnis ætatis multitudo, ad illum tanquam ad consummatissimum gladiatoriæ artis præceptorem, cum pascendorum oculorum, tum præcipuè imitationis causa conflueret. Quorum conciliatis animis, & eorum præsertim qui militiã colebant: haud multis interiectis annis effectum est, ut ipse potentissimi equitum ac peditum ultro sequẽtium exercitus dux maneret. Sed accidit per id tempus, ut regnum Parthorum à Sarracenis occupatum, longa seruitutis patientia langueſceret: cunctis quidem ægreferentibus, talibus se dominis obnoxios esse, sed tamen nullo ijs malis uerberum metu, aut uinculorum, aut mortis, aduersum ire audente. Tammerlanes hac morum indignitate, nec non pietate erga patriam commotus, (erat hic quidem titulus conscribendi agminis, re autem uera apprehendendæ tyrannidis accendebatur occulta libidine) cœpit paulatim nouis editis uirtutibus ac liberalitate, prout facultates erant, numerum sorum adaugere. Qua ratione, cum uires suas ad Barbaros exigendos, recuperandumque regnum satis magnas esse arbitraretur: repente Sarracenos inopinãtes aggressus, exterminatis illis, dominium Parthorum in se transtulit. Hac fortunæ beneficentia cum nihilo quidem segnior, sed alioqui multò ambitiosior euasisset, bellum inferre finitimis instituit. Nec institutum res morata: quippe facto in nihil tale suspicantes impetu, eos nullo propè negotio edomuit. Ex talibus uictorijs cum semper aliquid nouarum uirium ad pristinum robur accederet, & ideo potentior ipse ad populum proximũ ijs quos subiugarat perũeniret, annis admodum paucis Asiaticos, Scytas, Iberiam, Albaniam, Persas, Assyrios, Medos, in suam potestatem redegit. Postremò subacta Mesopotania, atq; Armenia maiore superata, traiecto etiã Euphrate amne, Anno à CHRISTO nato circiter millesimo trecentesimo nonagesimo, Caroli sexti Francorum regis decimo, cum quadringentis equitum millibus & sexcentis peditum conscripta passim multitudine, in Asiam minorem terribilis irrumpit. De cuius irruptione certior factus Baiazethes, rex eius regionis, origine Turcus, ut Parthum à suo regno arceret, in tempore cum paratissimis copijs obuiam il-

li ad terminos usque Armeniæ processit. Nec terrori aut auocamento fuit, quòd se hoste suo numero militum multò esse inferiorem intelligeret: sed animosiorem eum reddebat eximia in opprimendis inimicis Turcarum uirtus ac industria, multis iandudum certaminibus explorata, & innumeros à paucioribus aliquando fusos fugatosq; meminerat: atque adeò fortunam esse bellorum deam ac dominam, quæ infirmiori frequenter potentiorem subijcit. Quare hostem nihil ueritus, cum nusquam prius sibi quiescendum esse crederet, quàm in eum militem suum impulisset, breui ad Stellam montem, qui in Ciliciæ Bithyniæq; confinio est, peruenit: & ibidem ubi olim Mithridates & Pompeius signa contulerant, aciem suam Partho opposuit. Collocatis ex aduerso Imperatoribus, Tammerlanes extemplò, ut erat acer, suos pugnam capessere iubet. Incitat & suos Baiazethes, & hortatur ut alacriter dimicent, conclamatur utrinque, concurritur animis infensissimis. Tracto in maiorem partem die prælio, cadentibus assiduè ex utrisque quamplurimis, & cæsis penè infinitis, ea nihilominus sæuitia ac constantia pugnabatur, ut neutro principum cederet alteri, quò inclinaret uictoria, iudicatu foret difficile. Ad extremum Turci resistendi lassitudine deficientes, & cæde plurimum diminuti, cum duros Parthorum impetus sustinere amplius non possent, nouis continuò Parthis in eorum locum ex abundantissimo adhuc numero succedentibus, nec haberent ipsi unde simile efficerent, dabant operam primò, ut minori uitæ periculo seruatis ordinibus pugnæ se subtraherent. Sed Tammerlanes deprehensa tergiuersatione, euestigio turmas emittit, eo furore ac uiolentia subsequentes, ut rupti ac dissipati ducentis penè millibus cæsis, concessa hostibus uictoria, Turci fugam caperent. At Baiazethes munia nunc strenui Imperatoris, nunc gerosi militis obeundo, ut qui nihil non aduersante fortuna tentandum putaret, & iam mortem, ut suam ulciscereturn non uictoriam quæreret, laboraret: cædendo sternēdoq́ue omnia, equo ad ultimum præcipitatus capitur, & uiuus ad Tammerlanem pertrahitur. Qui quidem statim captiuum in uincula principem cōijci imperat: catenatum demum, dilapsus in Asiam, ijs quibus dudum imperabat deuictis gentibus ludibrio exhibet, facinus spectaculo indignum, & Tammerlane, si hominis meminisset. Sed multò indignius est quod de eo in eiusdem immanitatis continuatione traditur. Enimuerò ferunt Baiazethē eo quo suprà habitu, ex mandato uictoris quoties epulabatur ipse, infra mensam quasi canem subligatum cibari consueuisse: & in equum ascensuro, pronum, ac ad pedes procumbentem, scamni loco fuisse. Quod feritatis exemplū, captiuus reliquum uitæ pertulit. Tammerlanes porrò subiugata, direptaq́ue ad Nilum Asia, & expugnatis Smyrna, Antiochia, Sebastia, Tripoli, Damasco, atque alijs plærisque ciuitatibus, confectis ad unum habitatoribus, eas populatus est, & populatas solo æquauit. Inuasit deinde in Aegyptum, ac fusis sæpius Sultani copijs, ipsum in fugam uersum ultra Pelusium coegit. Quo ad persequendum fugientem cum transmittere instituisset, reuocatur annonæ inopia, & per solitudines arenosaq́ue loca pascendi innumeri exercitus difficultates. Omnibus magnæ admirationi fuit ordo eius ac militaris disciplina: quippe ea illum prudentia suis præfuisse affirmant, ut ubi ubi castra posuisset, ibi nihil non omnis artificij generis esset reperire, haud secus quàm in oppido quouis munitissimo. Nam in castra metando designabat singulis, prout cuiusque ars erat, certa loca, è quibus, tanquam è penu, capi omnia poterant. Ideoq́ue affluebant illic res semper, commodante ad id Imperatoris assidua se ueritate: qui nihil perperam fieri, neminem uiolari, à nullo aliquid præter uoluntatem, ne minimum quidem olus auferri impunè permittebat. Eoq́ue consilio efficiebatur, ut uniuersa uicinia non minori in hæc castra securitate, quàm in cele-

in celebres nundinas merces suas eueheret & exponeret. Eadem Tam merla-
nis uirtus eò temperantiæ populum illum infinitum adduxit, ut inter tot capi-
ta nulla omnino seditio nasceretur, quasi omnia in uno Imperatoris capite es-
sent comprehensa. Quid quòd tot susceptis expeditionibus, tot commissis
prælijs, tentata toties fortuna uictor semper extitit? Grata in primis ea illi con
silia fuere, quorum euenta hominum iudicio dubia, & insperatæ uictoriæ fo-
rent. Cuius rei documentum, aspera illa Damasci obsidio præbuit. Etenim
expugnata Damasco, cum præsidium urbis in propugnaculum se proximum
recepisset, idque (etsi de oppressione nihil timeret, iudicantibus singulis locum
esse inexpugnabilem) fastidito tamen prælio, cum seruari alia uia posset, signũ
deditionis ederet, & accipiendam continuò idgenus conditionẽ cæteri Par-
thorum duces Imperatori suaderent, surdis ille auribus omnia prætermittens,
in propugnaculi tantum expugnationem incumbebat. Cuius situm cum dili-
genter exploraſſet, quumq; præ nimia sublimitate murus nullis scalis supera-
ri posset, & nihilo secius id quacunque industria expugnandum sibi constan-
ter proponeret, molitur extemplò nouum ẽ regione propugnaculum obsesso
multò sublimius. E quo incusis die noctuq; frequentibus in hostem machi-
nis, & occidione occisis ferè uniuersis, bona etiam parte muri deturbata, pau-
cis tandem suorum impetum sustinentibus facilè admittitur. Ad hæc admoni
tus Caphæ tum Genuensium coloniæ, sitæ in Cherroneso Taurica haud pro-
cul Bosphoro Cimmerio, immensum esse aurum ac argentum, multis eius op-
pidanis negociationem exercentibus, adiecto ad uim urbi inferẽdam animo,
reputando secum periculo belli imminente auerti thesauros, infodiq;, atque
omino insidiantiũ uotis subtrahi facilè posse: ut & muris potiretr, et pecunijs
neq; quicq; triũphatorẽ pteriret facit hãc fallaciã, euocat ex optima sui populi
parte negotiatorũ numerũ incredibilẽ, iubetq; adesse illos omi pelliũ pcios sisi
martũ genere onustos. Præcipit deinde ut Caphã mercẽ istiusmodi, alioq; rarã
& ideo maximè uendibilẽ futurã importent, & ad uendendũ, etiã pauco, ad
alliciendos incolas, & facilitatem permutandæ mercis, pecuniæq; ab illis com
parandæ exponant. Dictum ac factum est singulari utrinq; prudentia. Com-
mercio uigilanter habito, & permutatione mercium exinanitis plurimum au-
ro atque argento Caphæ habitatoribus, omni ea pecunia opulentior bellum
urbi denuntiat, & muro simul castra admouet. Qui undequaque hostibus cin
ctus, & crebra machinarum infestatione passim excussus ac labans, Tammer-
lani oppidanos unà cũ pellibus & thesaurorum reliquijs non difficulter pro-
didit. Mos eius quo in obsidionibus semper usus est, peperit admirationem
posteritati, nimirum, quocunque hostis aduenerat, mox sibi locum dedi po-
stulabat, & eo ipso die candidis in tentorijs hospitabatur. Quòd si eodem
die gens obsessa deditionem faceret, seruabatur incolumis, intactis inuiolatis-
que & hominibus & fortunis. Secunda lux continuò candida tentoria in ru-
bra mutauerat: quo aut deditionis, aut grauis afflictionis signo, si afflicti se de-
derent, singuli patresfamilias supplicio mortis affecti, hesternæ contumaciæ
pœnas luebant. Tertia mutatio in nigra erat: à qua si uictoria potiretur, truci
datis ætatis cuiuscunque ac sexus habitatoribus, & fortunis quibuslibet di-
reptis aut dissipatis, subiecto præterea ædificijs igni, locum funditus excide-
bat. Huic obsidendi formulæ exemplum non defuit. Nam accidit inter hæc
discrimina, ut & uiris & muris, & omni belli apparatu insigne oppidũ â Tam-
merlane iam biduo oppugnatum, deditionem nihilominus, confidentia uiri-
um internarum, in diem sequentem differret. Cuius oppidani cum de mu-
ris tantundem procidisse cernerent, quantum irrumpenti hosti sufficeret, &
copias hostileis in procinctu adesse, ut introirent: ea tam aduersa fortuna stu-

pefacti,& perpetrati in non dedendo criminis satis superqúe memores, rati ta men Parthum haud adeò ab humanitate esse alienum, quin aliquid de homine reliqui sibi fecisset,ad impetrandam eius misericordiam conuertuntur. Itaque precibus & lachrymis & humilitate, furias superbiamqúe uictoris mitigatum iri confidentes,ingentem fœminarum ac puerorum multitudinem albo indutam,manibus oliuarum ramos,oblata publicæ fidei sponsione, prætendentem,et ueniam fletu supplici exposcentem obuiam mittunt. Vixdum oppido exeuntes prospexerat, cùm turma ferro in uenientes agi, & eos indiscriminatim oppressos conculcare,interfecare,ac interficere iubet. Oppidum deinde post obuiorum confectionem depopulatus exusit:tam fœda & implacabili erat iracundia. Haud abs re igitur apud Ligurem negotiatorem amicum,qui in communi colloquio feram eius in uictis multandis crudelitatem temere magis ac familiariter, quàm prudenter accusabat, obuersis in eũ flammantibus turbatisqúe oculis,in hæc uerba prorupit,Si me hominem esse arbitrare,falleris:equidem ira dei sum,& ruina ac pernicies hominum. Qui uirum aliquando obseruarunt æquales,eum motu corporis & moribus Hannibali Carthaginiensi,ut à maioribus descriptus est,simillimum fecere. Oderat in primis latrocinia,& ea in singulis seueriss imè uindicabat: ob id fortè, ut ipsi qui in piraticam publicam incumbebat,nemine alio,supplicij metu,latrocinante,orbis ex animo spoliandi facultas esset. Ad postremum, cum in sola tyrannidis occupatione summam fœlicitatem iamolim collocasset, omnium à bellis cessationem sibi|uitio dabat,tempore suo se functum egregiè iudicans, quoties nouis aliquem molestijs interturbarat. Subiugatis ea uia multis regionibus,pluribus uictis satrapis,plurimis regionibus labefactatis,afflictis ad internecionem ciuitatibus innumeris,manubiarum in immensum diues domũ unà cum exercitu prædis & rapinis grauissimo regreditur. Condidit deinde apud suos Mercantem urbem,in quam familias,quas è deuictis passim nationibus captas,simul cum rebus uniuersis eò relegârat,ad habitandum deduxit. Quarum,etsi genere differrent,concordia,labore,atqꝫ industria effœtus antea locus adeò germinauit,ut breui postea lætissimè fruticesceret ac floreret: & Orienti deinceps clarissima opibus Mercãtes plurimum lucis adderet. Vita denique functus,parti imperij hæredes reliquit duos masculos:qui mutua dominandi æmulatione in discordiam lapsi, profanis odijs atque armis internecinis nomen Parthicum, quod mortum olim Tammerlanes pater in|uitam reuocarat, labascere denuo ac mori permiserunt.

DE EXPVGNATA A MAOMETHE CONSTANTINOPOLI

MAomethes singulari uir fuit ingenio ac consilio. Huic post adeptum patris Amorathis imperium, cum partę à maioribus facultates non sufficerẽt,& nouis idcirco rebus studeret,ea uia(excitata sui nobili existimatione) parentum suorum exempla non adæquaturum se modò confidens,sed etiam longè superaturum, animum continuò ad occupandam Constantinopolim adiunxit. Eius consilij hæ præsertim causæ fuerunt: Inscripturũ se temerè atque iniuria Græciæ Imperatorem perspicuè uidebat, ipsa Constantinopoli imperij sede in ipsius nondum potestate constituta. Intelligebat præterea ingentem sibi nominis gloriam apudomneis nationes conciliatum iri, magnum etiam timorem sui collectum atque expectationem,si uixdum pubertate egressus, urbem tan

tæ famæ

tæfamæ ac potentiæ expugnasset, suæq; ditioni adiecisset. Et eò certè id magis conabatur, quòd in eiusmodi expugnatione, maiores suos diligentem sæpius operam nauasse audierat, re tamen infecta singulos illinc ridiculos discessisse. Inita itaque subductaq; id genus ratione, & communicato cum perpaucis consilio: atque adeò excogitata falsa occasione quare id faceret, multam fabrorum manum incredibili celeritate conuocat, ac in fauces Bosphori Thracij haud procul Constantinopoli, in subitum nouæ arcis ædificium educit. Cui quidem operi fine maturè impositio, ualidum quoque præsidium, & tormenta, & annonã, & res denique ad custodiã eius necessarias diligenter adhibuit. Tũ sine ulla belli indictione religione inniti à maiorib. fœderis p nihilo habita, uiolato pariter datæ in stabilem pacẽ fidei sacramento, ut qui omnia sibi præ suo commodo pòst esse duceret, ad Constantinopolim citius opinione cum infestissimis copijs accessit. Et subitò populata miserè calamitoseq; uexata omni uicinia, terra non longe à muro castrametatur, mari uerò uiolenta oppugnatione urbem lacessere incipit. Subolfecerat pridem Græcus Imperator, & cæteri etiam Græciæ principes, isti Maomethis apparatus quorsum tenderent: & magno ideo metu commoti, quòd sese impotentiores scirent qui tanto impetui resisterent, maturè legatos in Europam dimiserant, qui Romanorũ Pontifici atque Imperatori, reliquis similiter Christianissimi regibus ac principibus utris, Græciæ calamitatem unà cum communi Christianorum periculo exponerent, & opportunum, si ppssent, auxilium impetrarent. Maomethes euocata hoc medio tempore ex omni suo imperio multitudine hominum incredibili, & commeatu muralibusq; tormentis in immensum comparatis, mari terraque hostes circunsepserat: atque oppositis muro machinis, fœlicem conatuũ suorum euentum expectabat. Atq; ut in ciues improuisus irrumperet, frequentes cuniculos, & non paucos subterraneos secessus in mœnia curauerat effodiendos. Vt uerò miles haud difficulter hosti se sisteret, & nihilominus in loco editiore dum confligeret moraretur, hinc q; facilius cum fors postularet, summum murum scalis admotis superaret: è continente fossa ualde profunda, & eminenti uallo urbem cinxerat. Qua autem murus Præram uersus, mari alluitur, pontem passuum circiter duorum millium singulari artificio fecerat, & plenas huic turres superimposuerat, è quibus copiæ huiusce modi industria mœnibus altiores redditæ, ciuitatem è sublimi uexarent. Cum apparatu adeò terribili Maomethes plurium dierum spacio, erepta ciuibus omni quiescendi facultate, urbem continenter affligebat. At oppidani coniurati citiùs extrema quæque passuros, quàm in impij hostis manus deueniant, animosè, alacriter & obstinatè pugnando quoduis periculum subibant. Sed tandem Maomethes, cum de muro substratum tantum crederet, quantum ad introducendum militẽ & ciueis expugnãdos sufficere arbitrabatur: & iamiam triumphum an te uictoriam caneret: per præcones denunciat expugnationem in crastinum, qui fuit Kalendarum Maij dies sextus, Anni à CHRISTO nato millesimi quadringẽtesimi quinquagesimi secundi. Caroli Francorum regis septimi, tricesimi tertij. Et ideo prestò esse singulos iubet, & urbem tanquam intra triduum in manus uenturam, omnibus in direptionem promittit. Eo propinqui conflictus præconio exhilaratus est exercitus: quisq; pro se ea quæ ad strenuè præliandum opus erant, conquirebat. Nec de tanto numero fuit qui eo die cibum caperet (homines adeò explent quæ sibi iucunda sunt) sed præparandis omnes rebus pugnæ necessarijs uigilanter incumbebant. Deinde uerò post occasum solis, ut primùm stellæ elucere incipiunt, conuersi ad epulas & pocula singuli, diuersa inter se conuiuia celebrare, alius poculis alium inuitare, & cõsanguinei conuenire ac coepulari. Tum cœna id genus in multam noctem

producta, quietem fessis corporibus impartituri, abitionem parant. In ea com plecti sese ac deosculari, & multis interim sermonibus alij ab alijs quasi nunquam posterius collocuturi discedere. Ediuerso, cognita Maomethis acerba sanctione, atque hostili prospecto apparatu, sacerdotes & quotquot intus erāt sacrificij, elatis ex adyto uirorum sanctorum reliquijs, CHRISTI quoque Opt. Max. in crucem acti, nec nō Marię uirginis sacrosanctæ productis signis, euocato adhęc omni populo, uiris, fœminis, maioribus natu ac minoribus, certatim supplicationes facere, urbem colluſtrare, ædem quamlibet oratum adire, flere suppliciter, diuinum implorare auxilium, laude, pijs cantionibus, lachrimis, uoluntaria multa, cibi præsentis abstinentia misericordiam sui prouocare. Denique, cum aduesperasceret, cœna mediocriter refecti, in assignatum sibi quisque locum defendendum concesserunt. Muri densitas eximia erat, nec quarumuis urbium muris eiusdem cedebat altitudo. De ea tamen aliquid passim uetustas corroserat, & pinnæ Græcorum negligentia propugnaculaq; uariè subruta erant. Verùm spes erat magnæ defensionis in pomœrio, quod quidem cumulatis ubique aggeribus, & murali munitione satis ad pugnandum potens apparebat. In eo pariter ut in muro aduigilabat frequens miles, ut hostem, quoties irruptionem moliretur, ualidè intrepideq; coerceret. Est Constantinopilis figura propè triangulari. Eius partes duæ, quæ mari alluuntur, mœnibus cinctæ sunt classi aduersariæ sustinendæ. Quod superest, continentem uersus, ultra murum & pomœrium fossa circundatum est profunda admodum ac patenti. Tertia noctis uigilia, Barbari manifestæ prædæ auiditate urbi antelucanò oppositi, dato signo oppugnationem aggrediuntur. Quod ubi oppidani animaduertunt, alacriter obsistere, saxa sagittasque supernè iaculari, hostem insultantem totis uiribus propellere ac submouere. Tenebræ in causa fuerunt quare utrique unde impederentur ignari, hi grauiùs mè uulnerarentur: illi magno suo detrimento è suis pluteis ad oppugnandum egressi, confertim occumberent. Cum paulò pòst diluxisset, Maomethes eò cum suis omnibus copijs accessit. Tum conuocatis ad sese legatis præfectisque militaribus, præcipit ut uno eodemque tempore, ne Græcis mutuo se auxilio iuuare liceret, in Pæram ac Constantinopolim periculum belli intendāt. Præscribit demum certam cuilibet muri portionem, quò singulis in præscripti sibi spacij expugnationem intentis, omnium uirtus, industriaque militaris qualis esset appareret: & æmulatione gloriæ ad ineundum prælium nemo non incitaretur, similis fuit nauali pugnæ descriptio. Ac cum imperasset unumquenque eadem hora in assignato sibi loco consistere, prouehendas ad murum ligneas arces curat: è quibus milites cum hostibus, operis sublimitate æquales facti, facilius atque asperius contenderent. Tum signo cupientibus dato, studet primùm superstites mœnium pinnas & speculas omneis murali machinatione prosternere, eo nempe cōsilio præreptam esse uolebat inimicis prospiciendi, quid foris ageretur, facultatem. Deinde lituis, cornibus, ac tubis toto exercitu crepantibus, suis animum facit, ac prælium instaurat. Turci facta testudine, quæ in suum corticem abdita sibi ad quamlibet ferendam iniuriam affabrè uidetur munita, scutis clypeisque suppositi, scalis muro inhærentibus, magna ui atque audacia in summum murum conscendere. Græci ex oppositio certatim saxa in conscendentes deturbare, ignem cum sulphure obtrudere, sordes affatim profundere, flammantes lanceas offerre, tela omnis generis obijcere, longurijs scalas subuertere, subeuntes præcipitare. Ad extremum, continuata è sublimi huiuscemodi propugnatione, nemine ciuium frustra laborante, Turcis cumulatè decidentibus, uulneratis, mortuis, labefactatis dissipatisq; omnium clypeis, cum Maomethe longè aliter quàm sperarat agēbatur.

agebatur. Et iam plericq; oppugnantium posito inuadendi hostis ardore pedem retrahebant. Eò Maomethes fractos suos cum animaduerteret, ocyus accurrit, & nominatim modò hunc modò illum, strenuos potissimum ac pugnaces compellando ad prælium instaurandum hortatur. Postremò efficit nobilis Imperator, ut persuasi nonnulli eius minis, alij precibus ac pollicitis, omnes resumpto animo oppugnationem redintegrarent, multò acerbiore, quàm dudum, sæuitia. Ad muri itaque superandum fastigium intenti, partim in mutua comitum dossuariorum terga insilire, & ex hastis muro affixis pendere: partim scutis operti, scalis uiam corripere: & apprehensis una manu armis hostilibus, alteram summis mœnibus applicare, ac in culmen eorum ad hostem peruadere conari. Ac quanquam â fortissimis ciuibus innumeri saxis, igne, pice feruefacta, atque hastis propulsi, in terram præcipites agerentur, in eorum tamen locum noui continuò succedebant. Ea de causa Maomethes suis perpetua nouorum subrogatione recreatis, & continuato ea disciplina impetu ne tantillũ quidẽ respirãdi spatiũ hostib. permittebat, adeò ut numero pugnãtium destitutos, uniuersis uirib. breui exhauriri, ac lãguore paulò pòst cõfectos ad internetionẽ cędi oporteret. Sed q̃d Turcas in primis deterruit, atq; ita perturbauit, ut omnẽ uincẽdi animũ expauefacti omitterẽt, hoc fuit: Ianus quidã Iustinianus è Liguria, homo apud suos nobilitate, gratia & fortunis potẽs, Cõstantinopoli fortẽ tũ fuit cũ obsideret. Hic suam fortẽ nõ meliore loco esse quã reliquorũ qui obsidebant arbitratus, sibiq; non minus ex usu esse quã cæteris, si ciuitas integra conseruaret, in defensionẽ eius unà cũ reliquis arma sumpsit. In qbus ea fortitudine se gessit atq; prudẽtia, ut ipsi seruatæ hucusq; urbis cõmunisque salutis gloriam singuli facilè deferrent. Accidit ut inter pugnandum cum irrumpenti hosti fronte aduersa obsisteret, telo suorum infœliciter in hostem misso, grauiter incautus uulneraretur. Cruoris extemplò e dorsi uulnere manantis abundantiam intuitus, nolens, ut demum prædicabat, commilitonibus perturbationi interpellationiq́ue esse, si quempiam eorum accersitum medicum dimitteret, clanculum se prælio subduxit. Cuius discessu renuntiato Constantinus Imperator in eius absentia periculum urbis collocans, & salutem in præsentia, relictis in ardentissimo conflictu sine duce stataris militibus, absentem ipsemet reuocatum concesit. Ad quem cum peruenisset, orate atque obsecrare ne prælium intermittat, instare ut redeat, ut hoc se Imperatorem exorare, sinat efflagitare. Verùm ille, cum nullis precibus flecteretur quin iter suum insisteret, eadem tamen conditione portis excesit, ut ubi primum medicatione refectus foret, in stationes properẽ reuerteretur. Obseratæ tum erãt fores, quibus pomœrio egressuris uia patebat: quòd ea præsertim ratione cautum fuerat, ut prærepta certantibus abeundi facultate, id unum sibi proponerent, ibi aut uincendum esse fortiter, aut uiriliter morien-
dum: eaq́ue de causa audacius alacriusq́ue decertarent. Exitus ut Iano patuit, ijs simul qui hostem à muro coercebant, animi cecidere. Videre erat alios sensim loco cedere ac dilabi, alios pugnæ segnius intendere, singulos debilitatione atq; abiectione animi collanguere. omneis sibi desperantes auersos in fugã præsentẽ incũbere. Ea re cognita p̃fecti Turcarũ cõfirmatis animis, iterata cohortatione suos quisq; denuo lõgè maiori quã antè audacia in murũ incitãt. Hi officij memores, & ducũ suorũ beneuolẽtiã aucupati, certatim in expugnationẽ p̃ruũt. Pars ruinis, p̃iecturisq; mœniũ, quas dura machinatio patrarat, inniten-
tes, summũ murũ inuolare: pars scalis se p̃mouẽtes fastigio insistere, in pomœ-
riũ desilire, hos inde abigere incipiũt. Irrũpẽtibus eũ in modũ Turcis, Græci ma-
gna trepidatione in fugã uersi: quà Iustinianus exiuerat, eò oẽs, salutis suę
causa erupturi, confugiũt. Sed Imp. Constãtinus ut suos fugere intuetur, sui

officij ac dignitatis oblitus,nec eius quod tantum principem decebat satis memor,esse scilicet imperatorium suis fusis pulchram uulneribus mortem oppetere:terga quoq; ipse dat,& præceps rectà in portam post suos fertur. Ob cuius angustiam,cum ipsa confertim effugientium multitudine offensus,atque indiscriminatim abeuntium impetu succussus humi procubuisset, miserrime proculcatus interijt.At in tanto propugnatorum nûmero qui nuper afflictæ urbi præsidio erant,duo solum reperti sunt,qui salute religioni ac famæ posthabita,uiriliter ad extremum pugnando,strenuorum hostium glagijs configi atq; internecari quàm fugere maluerunt.Eorum unus,Græcus erat Theophilus Palæologus:alter Ianus quidam natione Dalmata,seruus cõditione.Quidem è conflictu fugisse uiro cuilibet quantæ sit turpitudini ac dehonestamento secum reputantes,inimicã irruptionem soli tantisper sustinuerunt,dum turba innumera circumuenti,non tam uicti quã uincẽdo fatigati,cæsis sua manu permultis,ipsi denicq; promiscuè in stragem hostilem neruis deficientibus prolabentes expirarunt.Iustinianus uerò percepta hostiũ uictoria Pærã contigat:ubi aut ui uulneris,aut dolore confectus,quòd importunè prælio excesset,paucis diebus comparata primũ nominis gloria incredibili orbatus,animã egit.uno certè fœlix futurus,si in armis egregius propugnator ad muros Constantinopolitanos mori potuisset.In Turcarum concursu in patentem portam atq; introitu,profligati dissipatiq́ue sunt ex Græcis ac Latinis deuoti circiter octingenti.Superato interea muro,armati non pauci eos ciues qui prohibendæ irruptionis causa portam insistebãt,saxis ac sagittis è loco superiore impetitos propellunt. Ea uia Turcæ in urbem hostilem admissi, & de loco hominum opumq́ue plenissimo triumphantes, trucidatis immaniter quoscunque in armis repererunt,ad direptionem conuertuntur,immensus erat eorum numerus. Singuli prædæ inprimis,ac stupris libidinosè crudeliterq́ue inferendis immorantes,nulli prorsus (ut natura feri inhumaniq́ue sunt) neque ætati neque sexui parcere. Stupra cædibus,cædes stupris commiscere: imbelles ac decrepitos senes in seruitutem adigere. Adultos masculos æquè ac fœminas genere obscuriores magno ludibrio in uincula conijcere:uinctos ad pecorum similitudinem præ se cogere. Quòd si in uirginem, aut quamlibet aliam formã egregia fœminam,seu iucundum aspectu masculum incidissent,multis ad eos potiundos concurrentibus,grauis interim pugna oriebatur. Similis erat ratio prædæ splendidioris sacræ pariter ac profanæ:ad quam præoccupãdam tam conferti proruebant,ut eius nomine orta sociali dissensione, nõ pauci mutuis illatis uulneribus interciderent. Cumq́ue eiusmodi exercitus ex diuersis locis,nationibus,moribus,ac linguis conflatus Constãtinopoli triduũ in populi uexatione,fortunarumq; omnium expilatione consumpsisset, nullum tãtum magnifico Iustiniani Imperatoris operi ita cauerí potuit,ut non ornamentis,quæ ibi & aurea erant et argẽtea supra numerũ, q̃libet etiã alio splẽdore penitus spoliaret: & omni deinde spurcitia inquinatũ,ex augustissimo Sophiæ tẽplo nequissimũ mulierularũ lupanar, ex æde sanctissima uilissimũ equorũ stabulũ redderetur.Neq; adeò fanis cæteris aditisq; minor uis allata, nã raptæ ex his uirorũ sanctorũ reliquiæ,detracta quantũuis humili theca uel emblema te,in populares uias,in colluuiem,in fœdissimas cloacas abiectæ, non hominibus modò impijs,sed & mutis animalibus, & canibus & porcis dabantur conculcandæ. Et CHRISTI Optimi Maximi Seruatoris, aut sancti signa cuiuspiam, uel cœno publico immersa, uel securi alioùe id genus instrumento discissa sordebant. Ergastulis demum in equuleum deditis, ad

æraria

æraria cum publica tum priuata, quæ metus hostium in terram defoderat, ab inuitis ediscenda, dictu incredibile est quantam uim auri atq; argenti, & supellectilis artificio miræ eruerint. Quæ opes utinam in munitiones defensioni urbis necessarias collatæ fuissent, dominis fortasse ac patriæ salutem attulissent. Sed tum in confesso fuit commune auaris hominibus malum: qui suo, cum opus est, uti nesciunt: sed immensis diuitiarum cumulis inhærentes, inopia miseri distorquentur ac pereunt. Cæterum cum in tertium diem continuaretur direptio, nihil penitus urbi pridẽ fœlicissimæ atq; opulẽtissimę reliq; fuit, p̃ter indignã ciuiũ captiuorũ seruitutem. Ad quã uitæ supplicio deponendam, cum uincti in hostilia castra pertracti fuissent, Maomethes condicto primum Bassis ac præfectis suis ex more lauto cõuiuio, singulis cibo ac uino ingurgitatis, quasi qui animum quoq; eorum expleturus esset in effundendo Christianorum hominum sanguine, captiuos ad sese duci imperat, & cædi, ex mandato, ac membratim dissecari præsens intuetur. Ex ciuibus cum Rirelucas quidam qui domi inter suos primas semper apud Constantinum tenuerat, coràm ad cruentam cædem staret, iugulato in eius conspectu ex filijs eius natu maiore, uenustiore altero Maomethi ad libidinem reseruato, laqueo ipse extinguendus permittitur. Pari crudelitate cum peregrinis agi cœptum est: quibus aut mori proximum fuit, aut quamcitissimè multa pecunia uitam redimere. Minimò seruatus est Isiodorus Ruentenus Cardinalis, qui Constantinopolim multo ante obsidionem à Romano Pontifice Nicolao quinto legatus missus, in expugnatione urbis sumpto habitu uilissimo, cum in militis stipendiarij manum deuenisset, Turca sortis captiui nescius, hominem numeratis Aspris non multis, qui nummus Turcis familiaris est, liberum facit. Postremò expugnata Constantinopoli, præsidium Pæræ quod ex Liguribus erat, armis cõtinuò depositis, legatos ad Maomethem mittit, qui & locum ultro offerant, & deditionem ueniamq; exorent. Pollicetur id quidem præsentibus: sed non ita multò pòst cum omnibus copijs in Pæram hostiliter irrumpit, & statim publica fide uiolata, populari, uexare, uastare, pueros uendere, matronas abducere, senes uincere, iuuenes interficere, nulli omnino neque ętati neq; sexui parcere, fana, palatia, domos, muros, omnia solo æquare aggreditur. Pacata eum in modũ Græcia, bonam exercitus partem in certum temporis spacium exauthorat ipse cum ijs quos ad custodiam sui ac præsidium urbis retinuerat: Constantinopolim in nouam imperij sedem triumphator pacatissimus recedit.

DE CASTELLINOVI DALMATIAE OPPIDI RECENTI DIREPTIONE.

SOlemannus Turca cum grauiter et iniquo animo ferret Castellũnouum, quod oppidũ Dalmatiæ est, sibi nuper à Carolo Austrio Romanorum Imperatore ereptum fuisse, secumq; cogitaret quãti sua interesset id genus hostem in suum imperium pedem intrusisse, atq; altius figere conari: quanto porro usui honoriq; foret si iecto è suis finibus hoste, locum ipse recepisset: id unum in primis instituerat, omneis sumptus, uires, industriam, in eiusmodi expeditionem collocare. Quã obrem cum iã amplius eũ animi cruciatũ ferre nõ posset, cõuocatis ad sese suis Visiris, id illis negotium cõmunicat. Quibus cũ explicasset dolorẽ quẽ cõcepe ratualde magnũ ex illata sibi iniuria tũ, cũ Austrius eũ locũ occupasset, docuisset q; quantũ rerũ suarũ detrimentũ periculũq; sustineret amisso Castellonouo cũ in eius fundamẽta prima tantũ pecuniarũ impẽdisset in spem statuẽdi illic firmissimi ꝓpugnaculi ad ꝓhibẽdos quorũlibet impetus, & diuturnũ imperium

um longa pace retinendum: quem tamen locum, se de sua spe delecto, Ca-
rolus hostis possideret, & eum quotidie ualido collocato præsidio, aduersum
se re frumentaria generisq; omnis commeatu muniret: illi tandem eius partim
uoluntate, partim rationibus adducti, maturè habendos esse delectus, & ma-
nus terra mariq; exercitatissimas eò conducendas esse censuerunt. Fuit in his
præfectus eius maris quod obnoxium Soleymanno est, Aenobarbus. Eum i-
pse collaudatis omnium sententijs, qui classem copiasq; deduceret, legatum
constituit, qui quidem pro suo in Soleymannum officio rebus ad profectio-
nem necessarijs qua potuit diligentia comparatis, nactus idoneam ad nauigã
dum tempestatem soluit. Cæterùm secundis uentis in altum prouectus adeò
maturat, ut breui admodum intermisso tempore, agmen eius primum, quod
nauium erat circiter septem & uiginti, quibus Cifutem hominem re nauali cla
rissimum præfecerat, ad tertium Idus Quintileis Anni à CHRISTO nato
millesimi quingentesimi tricesimononi Castellonouo propinquaret. Iactis
anchoris dum Aenobarbum minoribus itineribus subsequentem opperiun-
tur, postridie eius diei magna Turcarum multitudo, nihil suspicata periculi, sca
phis aquandi causa continentem petijt, & inermis ad fontem, qui ab oppido
mille passus aberat, constitit. Ea re per exploratores cognita, quodq; Turcæ
ad fontem securius sese indiligentiusq; haberẽt, oppidani iam antè futuræ op-
pugnationis admoniti, totis copijs oppido erumpunt, hostesq; ex improuiso
tanta ferocitate adoriuntur, ut cæteris in fugam datis, circiter quadringentos
conciderent. Fuit hæc iniuria duræ oppugnationis initium. Quandoquidem
nuntio ad Aenobarbum celocibus allato, tam noua repentè animũ eius per-
turbatio, uindictæq; cupiditas inuasit, ut eodem ipse quatriduo quo Cifutes
eam cladem acceperat, cum centum & nonaginta nauium classe peueniret,
& postero die ad obsidionem toto agmine prouolaret. Cuius aduentu oppi-
dani conclamare intus omnes, concrepare armis, alij ad portas sese opponere,
alij propugnacula uallumq; conscendere, magna multitudo mœnia comple-
re, ac certis custodijs aditus obtinere: omnes sic animo parati esse, ut hostem
perrumpere conantem, ex superiore loco facilè se oppressuros non dubitarẽt.
Contrà Aenobarbus ne manipularem quidem exponebat, sed instructa tan-
tummodo classe, obnitentibus omni ex parte tormentis præliabatur. Illi edi-
uerso periculum sub murum consistẽdo effugere, machinas pariter in hostem
alacriter torquere, neque sibi ullum putare ab Aenobarbo periculum impen-
dere, si nauali solùm exercitu oppidum inuaderet. Sed & se ibidem quoq; eo-
dem ferè tempore statuerunt Ballibeches, Ollambas, & Mustaphas Sanchia-
chi, quos Byzantio discedens Aenobarbus, terrestribus copijs eò per Bossy-
nam deducendis præfecerat, & singulos quindenis Ianizarorum millibus du
ces assignarat. Ad hunc præterea numerum mandato eius accesserunt Molar
chæ & Martelotæ ad trigntaiquinque millia, quos suis ipse nauibus ad obsidi
onem deportarat. Quæ omnis aggregata multitudo çum fuisset, millium erat
armatoũ circiter octoginta. Castris igitur ad urbis murum positis, circũiectoq;
totis mœnibus exercitu, Turcæ indignantes q; tantæ multitudinis conspectũ
rari hostes ferre possent, signum prælij quotidie exposcebãt. Aenobarbus aũt
dandũ nõ putabat, qa magno detrimẽto, multorũq; uirorũ fortiũ morte neces
se esset constare hanc uictoriam. Sed utilius esse arbitratus uel dolo oppidũ in
potestatẽ redigere, uel necessitate aut pollicitis ad deditionẽ cogere, suos ratio
nib9 cõsolabat, atq; interim modũ fraudis lociq; intercipiẽdi excogitabat. Cũ
uerò nihil ea uia ꝓficeret, fecialẽ cũ his mãdatis paucissimis ad Frãciscũ Carmi-
entanũ Caroli Imperatoris legatum mittit: Si oppidum in ditionem eius de-
dat, fore ut ipse numeratis in singula capita denis aureis, oppidanos nullo ui-

tæ

tæ fortunarumq; detrimento, oppido exire permittat: sin, quod fore non arbitratur, oppidi expugnationem, exploratamq; suam uictoriam expectent, nulli se omnino neque sexui neque ætati ueniam daturum. Sarmientanus ad hæc postulata, pauca respondit, sibi suisq; auro nihil opus esse: quo si egeant, opulenti ac liberalis esse Imperatoris stipendiarios, qui omnem euestigio nummorum penuriam sua munificentia subleuet. Fide porrò obstrictum se esse, neminì unquam eius loci præsidijq; deditionem facturum, nisi Carolo Imperatori, qui illo, iure belli, potitur. Qui quidem si oppidum Soleymanno una manu, dendum mandet, se quoque ambabus idipsum protinus dediturum, omnem alioqui uim iniuriamq; pro defensione eius fortissimè laturum. Audacius ideò respondit, quòd secum fortunam belli quamlibet tentaturos sciebat Lazarum Albanum, cum qui expedito equitatui præerat, Ioannem Boschaynũ, Macchinum Monghianum, Roscium, Sanzam Frianum, Oliuerium, Burgundionẽ, Mandozam, Lodoicum Sandalium, Arianum, et Maschestam, Germanos atque Hispanos homines strenuos, magnaq; uirtute: quos Carolus probatis eorum animis peritiaq; militari, singulos singulis ueteranorum militum cohortibus præfecerat. Neque dubitabat quin facilè ipsi cum suis Hispanis ac Germanis, qui millia erãt plus minus quatuor armata, hostis prohibere, & oppidum ab expugnatione uindicare possent, tantum spei ac fiduciæ in uirtute præfectorum studijsque militum collocarat. Talibus responsis accensus Aenobarbus, repentè ipse ex naui egreditur in cõtinentem, atque extemplò mœnia circumire, & locum turribus ac Castellis constituendis, in quibus tormenta collocaret, & unde expugnationem moliret, oppidanosue ad deditionem compelleret, delígere cœpit. Sed non alienum fuerit in præsentia situm faciemque oppidi describere. Ipsum, quantũ quantum est in Catari sinus fauces incumbit. Abest ab Epidauro, quod uulgò Ragusium dicunt, passuum millia circiter quinque & uiginti, totidemque penè à Cataro. Facie uerò cùm oblongasit, ipso mari in lumbos eius primum aliquatenus influente, tum deinde in se quasi extremorum alteri cedere uelit reflexo, magna ex parte circumducitur. Quod de toto supereſt, ad uarios quoquouersum colles pertinet, & muro iustæ altitudinis, ac propugnaculo in extremi utriusque fronte sito præmunitur. Aenobarbus ijs diligenter cõfectis rebus, classe machinas murales octoginta deportari in aridum iubet. Quas omneis hunc in modum aduersus murum instruit: A diua Veneranda, longé à cõtinenti, passibus plus minus quingentis triginta duæ obnitebantur, quarum binæ quas Basilicas appellant, octonis rotis fultæ obsidebant. A propugnaculo superiore aliæ ab his uiginti urgebant, à salinis triginta aliæ. Instructa idgenus obsidione, ab omnibus oppidi partibus oppugnationem aggreditur. Ad quam ipse proposito uexillo fœlicius auspicandam ita se comparabat: de multa adhuc nocte quotidie ex nauibus egressus in castra ꝓcedebat: & nunc munitiones adire, nunc tormẽtis singulis adstare, modò in equitatu esse, modo pedestres copias inuisere, singulos appellare ac cohortari, omnibus animũ pugnandi facere, nihil q̃d ad fortissimi Imperatoris munus pertineret omittere: neq; prius illinc abire, quã pro se quenq; in conspectu suo egregiã aliquã operã nauasse uidisset. Q. Sangiachi eũ animaduerterent, haud ignari periculorũ q̃ ipse quotidie subibat, multis cũ eo precibus agebãt, ne postea tantã sui copiã hostibus faceret, orare ut se id muneris obire permitteret, meminisset quę iacturæ quam in eius cæde Soleymannus caperet: quandoquidem uno ipso sublato, nullis rationibus teneri exercitus posset, quin se præceps in fugam daret. Cæterùm non esse quòd prodeat: oppidum esse expugnatu facile, defensores intus paucos, oppugnatores foris innumeros, esse denique in manibus uictoriam. Ad quam orationem, Si, aiebat,

bat,eo|ſum fato,ut in iſta mihi obſidione cadendum ſit, num curæ eſſe debet, modò id,an ſerò contingat:gladio an tormento,humi an medio in mari interream? Quendam porro nomine Iudæum caſtello quod ab occaſu eminebat præfecerat,eximiæ uirtutis prudentiæq; hominem, qui ne machinis quidem ignem admouere,aut etiam uiliſsimi cuiuſq; calonis partes ſubire uerebatur. Dum ita ex omnibus oppidi partibus Turcæ inſtant, oppidani nihilominus forti paratoque animo reſiſtunt.Et nunc lapides ac ligna de muro in aſcendentes deijciebant,nunc faces pice ac ſulphure illitas,ardentes,in hoſtium manũ, qua confertiſsimos uidebant, eminus iaculabantur: eodemque tempore ex multis partibus eruptiones facere,atque milites in aggere apparando, ſtabiliendiſue turribus,aut in muro ſuperando ſubleuandisq; commilitonibus occupatos adoriri. Sed nimis eorum uirtuti atque animis aduerſabatur militum numerus,qui cum pauci ſemper extitiſſent,etiam quotidie partim quòd eiuſmodi eruptionibus multi interirent, partim quòd tormentorum crebris ictibus non pauci exanimarentur,rareſcebant. In his difficultatibus ecce ad nonum kalendas Sextileis onerariæ naues duæ idonea tempeſtate delatæ, Caſtellonouo appropinquant.Eas oppidani,quòd Aquilam Romani Imperatoris inſigne præferrent, ſibi à Carolo in ſubſidium miſſas, hominumq; intus aliquot eſſe millia,quæ in oppidum ſummitterentur arbitrati, crebro ad ſignificandam lætitiam machinarum ſtrepitu geſtire incipiunt. Verùm hæ Epidauricæ naues erant,quæ Turcis commeatum, materiamq; tabulatis munitionum conficiendis neceſſariam deuehebant.kalendarum Sextilium dies octauus diuo Iacobo ſacer,multò crudelioris quàm antè terra mariq; oppugnationis author fuit.Ab eo ſi quidem die ad octauum Idus Sextileis machinæ murum ferire non deſtiterunt.Atque eo quidem interuallo nouem miſsilium pilarum millia,& octingentas ab his expreſſas fuiſſe prædicant. Qua quidem ferocitate ac pertinacia commotus Sarmientanus,ſuorum etiam cum innumeris pugnantium adductus paucitate,nec non cæde multorum atque urbis dilapidatione,cum porrò ſibi ac ſocijs nihil præter mortem aut deditionem,quam & ſeram & iniquam fore intelligebat,relictam eſſe intueretur,indicto extemporali concilio, ſingulos cohortari cœpit,ac ſuadere uti primùm cum Deo Opt. Max.in gratiam redeant:deinde CHRISTI in crucem acti prolato ſigno totum oppidum luſtrent,præterea ut implorato eius auxilio, ſignoq; ipſius hoſtibus propoſito,murum confidenter tueantur.Huic orationi cum probè obtemperatum eſſe iudicaſſent,certatim omnes pro aris, & focis eo die mortem oppetituri, portis erumpunt,deq; improuiſo hoſtes adoriuntur. Ibi exiguo quidem tẽpore,ſed tanta animorũ alacritate pugnatũ eſt, ut ipſi prima eruptione pulſis perturbatisq; hoſtibus:paulatim uerò,ut quiſq; cõmodè ſibi ꝑſcripſerat,ad ſigna ſe atq; ordines accõmodantibus,peneq; iã redintegratis, cæſis tñ illorũ circiter 4 millib.recipere ſeſe,oppidoq; claudere potuerint. Iduũ ſexto, creſcentibus ſemper Turcarum conatibus,uiribus oppidanorũ ſenſim cadentibus,manipulares duo ſalutẽ defectione quæſituri,clã ad Aenobarbũ tranſfugiunt.Ex ijs quo in ſtatu oppidi res eſſent,qui nouus metus, quæ omniũ rerũ deſperatio ſingulos inuaſiſſet,cognoſcit.Præterea armatos intus pauciſsimos eſſe,cæteros aut ſuperiore pugna muralibuſue pilis,ut ex omnibus oppidi partibus aſsiduè torquebant,traiectos languere,aut omnino ijſdẽ caſibus exanimatos cõcidiſſe.Caſtelli porrò ſuperioris preſidiũ initio ſeptingentorũ decem propugnatorum fuiſſe,de eo numero triginta ſolum periculo ſupereſſe. His rebus cognitis Aenobarbus ſummo ſtudio ſuorum oppugnationem deinceps molitur,ea cœpit multa iam nocte ſub ſecundam uigiliam, atque in crastinũ uſque ad horam diei,q quartus erat Iduũ Sextilium, quartã traducta eſt.

Eo

Eo ipso tempore ad murum portas'que oppidi tanta utrinque pertinacia pugnatum est, ut oppidani plurimis hostium eorum qui primi murum ascenderant circumuentis, interfectis, de muro præcipitatis, sed occisorum in locum nouis semper succedentibus, machinarum terra marique continuo in se impetu perterriti, & iniqua numero contentione, ac spacio pugnæ defatigati, ad ultimum, cum iam recentes atq; integros non sustinerent, irruptionem loco moti hostibus permitterent. Quos cum toto undique muro circumfundi uiderent, ex uallo uniuersi desiliunt, atq; in forum perturbati coëunt. Quo in loco animus quidem erat cuneatim consistere, ut se contraeuentibus acie instructa opponerent: sed dum miseri in eam rem incumbunt, Turcæ eos ab omni latere circumuenire, aggredi, ferire. His illi paulatim cedendo resistere, hos telis remorari, hos ut cuiq; feriendi potestas fiebat, referire. Postremò tantam utrique alteris cladem inferre, ut nihil in ijs non cruentum diffluueret. Sed cum Turcæ omni ex parte prouolantes raras hostium reliquias oppressum irent. Sarmientanus ueritus ne omnino fugere non liceret, denuò receptui canit, ac deorsum in propugnaculum inferius decurrendus esse significat. Quò, cum ipse cum Lazaro & Maschessa, & Ioanne Boschayno, paucisq; superstitibus præfectis, ac manipularibus continenti impetu decurreret: pars acceptis antea uulneribus segnior, pars metu nimio quo eundum esset nescia, hostilibus gladijs excipitur. Ad extremum, ex omni eo numero qui oppugnationis initio fuit, circiter quatuor millium, solus ipse Sarmientanus cum ijs quos dixi, præfectis, oppidanis plus minus trecentis, propugnaculum incolumis occupauit. Victores interea prædæ studere, quarumlibet ædium fores frangere, penetralia quæque subire, nihil non intus euoluere: omnem hominem, si quem latentem reperissent, in seruitutem abstrahere: sacris minus quàm prophanis abstinere: nummos, stragula, signa, suppellectilẽ, munitiones, omnia quæ asportari possent diripere, cæteta incendio consumere. Sarmientanus capto direptoq; oppido, cum propter machinarum rerumq; omnium penuriam, diutius eum se locum tueri non posse cerneret, & Ianizaros instare, ac miseros ad cędem cruciatusq; poscere exaudiret, desperatis rebus Aenobarbo, apud quem aliquam esse misericordiam credebat, deditionem facit. Ianizari nihilominus & Molarchiæ cæde suorum præterita, difficultateq; expugnationis incensi, cum ne mulieribus quidem, atq; infantibus, & ætate confectis irrumpentes pepercissent, haud adhuc manibus suorum satis parentatum esse arbitrati, nisi omneis hostium copias extinxissent, dedititios quoq; ad libidinem suam sibi tradi oportere fremebant. Verùm Aenobarbos concedendum non putat. Sed quòd remigum summa inopia laboraret, uulgus dedititiorũ in triremes fame uinculisq; extruciandum dedit. Sarmientanum uerò legatum, & Lazarum expeditorum præfectum, cum paucis alijs uinctos ad Soleymannum, ut suæ uirtutis atque industriæ specimen, amandat.

DE RE-

DE ORIGINE REBVS TVRCARVM ET ORTV OTTOMANNI.



TVRCARVM natio à Scythis, quos nunc Tartaros uocamus, qui ſolitudines ultra Caſpium mare circa Volgam fluuium inhabitant, originem dubio procul ducit. Id quod ex ipſorum moribus, ex facie, ex uſu ſagittarum, ex bellandi conſuetudine, ex ſuperba denique loquendi forma Scythicæ ſimili facilè deprehenditur. Anni ſunt plus quàm ſexcenti, quòd iſ in Aſiam minorem, quam Natoliam appellamus, peruenerunt: quo in loco prædæ ac bellis continuè incumbentes, quàm plurima loca munita paulatim ſubiugarunt, adeò ut populis illis, qui non admodum exactè arma exercere nouerant, magno terrori eſſent. Neque tamen Principem aliquem unquam habuerunt, ſed ueluti Aphricæ Alarbes quos uocant diuiſi per turmas, regionem illam ampliſsimam tyrannico imperio poſſedebant. Cæterùm ſub magnifici ducis Gottifredi Bolioni aduentum, qui ut terram ſanctam acquireret, cum trecentis milibus peditum atque equitũ centum milibus tranſierat mare, uires in unum contraxerunt: ac ſub regimine Solymani cuiuſdam excellentiſsimi ducis propè ciuitatem Nicæam Chriſtianos aggreſsi, maximis noſtrorum laboribus ac pugna non incruenta, fuſi tandem fugatiq; ſunt. Poſt hunc Solymanum Turcæ per plures annos nullum ducem, cuius extet memoria, præcipuum habuêre. Verùm circa annum à CHRISTO nato M. CC C. Ottomannus quidam filius Zichi, qui tenuis conditionis homo fuit, nomen, uires, ac dignitatem inter Turcas habere cœpit. Atque is extitit, qui Turcarum Imperatoribus nimirum iſs, qui per maſculorum rectam lineam deſcendunt, nomen familiæ dedit. Is inquam magnum ingenium cum uiribus corporis coniunctum, ac fortunam mitem in modum fauentem habuit. Plurima loca munita Pontico mari adiacentia, in deditionem accepit. Sed egregias ſuas uictorias maximopere nobilitauit, debellata Siua ciuitate pulcherrima, quæ antiquitus Sebaſtia dicebatur. Regnauit annis uiginti octo: Defunctusq; eſt ſalutis noſtre Anno M. CCCXXVIII. ſub pontificatu Papæ Benedicti XI.

ORDO

ORDO AD DISCIPLINAM Turcicæ militiæ.



IS omnis Turcicæ militiæ in Porcæ militibus, quos uocant, sita est: ij uerò homines selectissimi sunt, partim peditum, partim equitum ordinibus adscripti. Spachi Oglani (sic enim eorum aliquos Turcæ appellant) digniorem obtinent locum. Nam ij ipsi in eo, cui Clausuræ nomen est, loco educati ac literarum atque armorum disciplinis instituti, ueluti Principis filij habentur. Legatorum ac commissariorum, præsertim si honorificum aliquod atque utile negotium peragendum sit, muneribus, funguntur, ac Saniacatibus atque alijs huiusmodi dignitatibus præficiuntur. His præterea Clausuræ iam dictæ mulieres, nec non filiæ ac sorores ipsius Principis nubunt. Summa hæc est, ij cæteris omnibus nobiliores ac Principi gratiores sunt. Excellentiores equos, equorum'que ornamenta pulchriora, uestes pretiosioribus suffultas pellibus, seruos robustiores elegantius'que indutos, quàm quodlibet aliud hominum genus inter Turcas habent. Vt autem tam egregiè ornati incedant, Persicæ atque Alcairienses efficiunt prædæ. Nam antea sub Mahomete, nec pretiosis pellibus, nec gemmis, nec pannis auro intertextis nec multis holosericis uestibus utebantur. Sunt uerò ij numero mille, quorum unumquenque tres aut quatuor, aut ad summum decem serui comitantur: qui quidem serui capita quibusdam, ut ipsi uocant, sarcolis limbo aureo crista'que pulcherrima exornatis obtegunt. Ipsi autem Spachi Turbantos (utendum est enim eorum uocabulis) in capite gestant, uestes'que aureas uaria textura pictas atque holosericas, uel tyrio, uel alio colore infectas induunt. Quum uerò extra urbem equitandum est, ij Principis dextrum latus claudunt. Porrò sinistrum mille item equites, quos Sulastros uocant, eiusdem cum Spachis educationis ac nobilitatis, iisdem uestibus atque armis utentes occupant. Et ijs quidem bis mille equitibus honorem exhibent omnes, quemadmodum (quod exempli causa dictum sit) ducentis nobilibus illis, quos Gallorum Rex apud se habet, exhiberi solitum est. Horum quàm plurimi armis oculis omnium expositis induuntur, paruis'que phaleris Damasceno artificio elaboratis Persarum more proprios equos ornant. Has duas equitum alas mille adhuc alij equites Vlufagi dicti subsequuntur. Ii uerò conflati sunt, partim ex Ianizaris, qui ob aliquod egredium facinus ex pedestri ad equestrem euecti sunt ordinem, partim ex seruis, qui Basis ac Balerbeijs fidelem ac fortem operam in bellis nauarunt: quos Princeps defunctis eorum dominis, relatione multorum probatos assumpsit. Atque huiusmodi tres militum classes è Christianis, qui tamen abrenunciarunt iam Christo, constant. Post has Caripici (ita enim à Turcis appellantur) millenarium & ipsi numerum explentes equitant. Ii uerò leuis armaturæ sunt equites, equorum egregij domitores ac pugnandi arcu, lancea, scuto atque ense, quem Cimitarram uocant, eousque periti, ut res supra uires humanas efficere Mamaluchorum more uideantur. Omnes autem ij Mahometani sunt ex uarijs prouincijs, nimirum ex Persia, Turcamania, Syria, Africa, Vlarbia, Scythia, atque etiam ex India usque in unum collecti: stipendium satis amplum habent, id'que priuilegij à Principe

ijs conceditur, ut quamdiu ipse Constantinopoli moratur, ubilibet hybernare atque æstiuare ualeant. Tertia quaque hebdomada die Lunæ ad Portam (sic ipsi nominant) mittunt, qui stipendium ipsis debitum accipiant, quod quidem illis illico exhibetur. Sic Turcicus Imperator quatuor millium equitum electissimorum caterua stipatus incedit, ipsorum equitum seruis minimè in hunc numerum uocatis. Nam & ij quamplurimi sunt, & uestibus, armis, equisq; tam ornati, quàm proprij domini, qui Principem comitantur. Sed loca deputata seorsum habent, necq; ordinibus iam dictis, immiscentur.

Adhæc Ianizarorum circiter duodecim millia fortissimorum sanè peditum custodia, princeps perpetuò munitur, qui quidem & ipsi ex eorum numero sunt, qui Christum abnegarunt. Eliguntur autem ij, quum paruuli adhuc sunt, ex bellicosissimis Christianorum nationibus, atque educantur, pars quidem in principis clausura, pars uerò apud Natolię Turcas: quoniam pueri omnes, siue ex tributo, siue ex bellicis excursionibus accepti, per Turcarum domos distribuuntur, atque ipsorum nomina in schedis quibusdam annotantur ut numerus tam eorum qui emergunt, quàm qui pereunt inueniri facilè possit. Et unusquisque quidem puer aliquam mechanicam artem militiæ utilem discit, ac simul se exercet, ut tractandorum armorum, & quibus eminus, & quibus cominus pugnatur, peritus euadat. Qui uerò ex ijs ad militiam seliguntur, caput operiunt pileis quibusdam ex panno albo, sed admodum rudi incaligæ similitudinem confectis, atque eos glutino usque adeò durant, ut ictum cuiusuis gladij sustinere possint. Et qua parte huiusmodi pilei supereminent fronti, aureo limbulo prætij non parui ornantur: cui inquam limbulo uaginula itidem aurea inest, quæ cristas impositas ueluti conus excipit, eos'que sic exornatos, exarcolas uocant. Ensem, quem superius cimitarram appellari diximus, & pugionem biciachum dictum, ac seruiculam à cingulo post terga pendentem continuè ferunt. Vtuntur præterea nominatis antea scopietis, & ijs quidem oblongis atque eos agillimè pertractant. Nonnulli ex ipsis dimidiatas lanceas, atque alia huiusmodi plura bellica instrumenta portant. Et ante Selymum quidem plures eius ordinis erant, nunc autem non admodum multi sunt. Sagula quædam passim ac circumquaque densissimis filis consuta, armorum loco induunt. Faciem habent miris modis effictam: etenim barbam integram non alunt, sed eam tantùm, quæ à superiore labio dependet, partem prolixè demittunt. Maior istorum pars ex Vngaris, Sclauonibus, atque Albanensibus conflatur, reliqua ex Græcis, Germanis, Polonis, Seruianis, atque Occidentalibus hominibus constat. Cæterum ex integro omnium Ianizarorum ordine circiter sex millia, qui seniores sint, seliguntur, ut non à Bellerbeijs, sed ab ipso Principe immediatè pendeant. Præterea circa decem milia iuuenum tyrocinium Ianizaricum exercentium uarijs in locis aluntur, atque ex ijs Ianizarorum duobus generibus in demortuorum loca supplentur. Porrò stipendium non omnibus æquale est, sed unicuique pro meritis augetur: neque commendatione aut fauore ad hanc rem opus est: quoniam qui egregium aliquod facinus aggreditur, plurimorum oculis expositus, aut prosperam si uicerit, aut aduersam si succubuerit, fortunam experitur. Id quod in causa est, ut in uiros fortissimos euadant, quemadmodum in uarijs conflictibus cognoscere potuimus. Etenim post Amurathis tempora, qui primus

primus Ianizarorum ordines instituit, nunquam eos acie integra pugnantes, fuisse fugatos inuenimus. Denique Ianizari præpositum unum habent, quo cum sub uno & eodem papilione uersantes, officia inter se distribuunt. Nam nonnulli coquinæ, alij uerò tendendi ac colligendi papilionis curam habent. Sunt etiam qui ipsius papilionis custodiæ præsint: sicq; summa in concordia quietissimè uiuunt. Deinde centeni quique ac milleni suis præfectis parent, quousque tandem ad Ducem unum omnium supremum ac supremæ authoritatis deueniatur, quem ipsi Agam appellant. Insuper ex omnibus Ianizaris ducenti, cæteris & corpore proceriores, & sagittandi arte peritiores eliguntur, qui tensis arcubus ac sagittis neruo aptatis equitantem Principem circundant, Solachi, ij nominantur. Sagulis aliquanto quàm reliqui Ianizari breuioribus utuntur. Pileos albos in formam pyramidalem oblongos in capite gestant, quorum summitatibus cristulas aliquas plærunque affigunt. Neque aliud omnino hic Ianizarorum ordo est, quam Macedonica phalanx, qua totum Oriente Alexander Magnus debellauit. Videnturq; iam Turcæ quemadmodum Imperij Macedonici occupatores sunt ita & militaris disciplinæ ab antiquis Macedoniæ regibus institutæ, imitatores esse: quanquam in quibusdam à Macedonibus differant. Macedones enim longis lanceis, lorica, galea, & parma ferrea utebantur, quæ quidem parma ab humeris pendebat, ut quoties ense cominus pugnandum erat, ipsam arripere facile ualerent. His igitur equitum ac peditum generibus Principis Porta concluditur, qua (ut superius dictum est) semifugatis sæpius inter pugnandum exercitibus opem ferens, nobilissimis potitur uictorijs. Omnes autem alij equitum ordines sub Bellerbeijs sunt. Bellerbeius uerò idiomate Turcico principem principum sonat: sunt'que ij numero duo totius equitatus præcipui duces. Imperant Saniacis, qui quidem prouinciarum præfecti sunt, ob eximiam aliquam uirtutem ad id muneris assumpti. Alter autem ipsorum Bellerbeiorum in Natolia moratur, atque urbem Galathiæ Cutheiam dictam inhabitat. Alter uerò in Romania uersatur, ac Sophiam Seruiæ ciuitatem incolit. Porrò uterque plurimos sub se Saniacatus continet: qui Saniacatus, licet sub Baiazete non nisi duo de quinquaginta essent, nihilominus auctus postea per Selymum ac Solymannum Imperio, etiam ipsorum numerus auctus est. Sub Saniacis Subasij ac Timariotes sunt, qui pro numero uillarum & locorum, quos possident, equites alere, ac singulis pro stipendio tria milia Asprorum (quæ summa Turcicæ monetæ, sexaginta ducatos efficit) annuatim exhibere tenentur. Si quis autem ex ipsis equitibus arma atque equum ei traditum non rectè curat, statim ex equitum numero expungitur. Cæterùm Bellerbeij, quoties Princeps iubet, sexaginta milia equitum & eo amplius paucissimis diebus congregant. Et Natoliæ quidem equites pulcherrima scuta, lanceas, arcus, secures, ac cimitarras ferunt. Romaniæ uerò lanceis & scutis more Alhanensium, sed paucissimis arcubus utuntur: atque ij sanè Natoliæ equitibus robustiores sunt, licet illi meliores & ornatiores equos habeant. Omnes autem eodem modo Turbantis siue capuchijs (ut ita eos uocem) acumi natis ex pellibus, uel ex qualibet alia materia, ut unicuique magis arridet, confectis capita tegunt.

Sunt præterea quidam alij ex Turcica natione, quibus olim ab Ottomanis Principibus agri uarijs uictorijs acquisiti, pro singulorum meri-

tis sic distributi sunt, ut unusquisque pro singulo terræ iugero quod accepit, equitum unum aut duos pedites, quoties maiora instant bella, exhibere Principi teneatur. Atque ij uocantur Mosellini, ex quibus nonnunquam plus quàm sex millia equitum, ac peditum magnus numerus in unum coit. Sed neque rei bellicæ peritia, neque uiribus admodum ualent. Habent ij quosdam ueluti censores à Principe constitutos, qui prouincias omnes Turcicas circumeuntes huiusmodi agrorum possessores agnoscant, ac seuerè iudicent.

Cæteri omnes Turcici exercitus equites, fortunæ equites sunt absque certo stipendio militantes, appellantur'que Alcanzi. Et quidem natura ipsa maximi & crudelissimi latrones sunt, pannosi incedunt, ac pileis pelliceis capita obtegunt. Militiam non nisi spe prædæ exercent. Quum aliquò eundum est, itinere unius diei aut duorum reliquum exercitum præcedunt, igni ferro'que omnia deuastantes. Nonnunquam numerum triginta milium excedunt, quibus omnibus Dux unus militari prudentia præditus præficitur. Enimuerò ex hoc ordine exstitêre ij, qui anno superiore Solymanno Viennam oppugnante, trans urbem progressi regionem Lincio adiacentem memorabili clade afflixerunt, miseris'que senibus crudeliter interfectis, ac locis igne consumptis, quàm plurimos captiuos abduxerunt. Inter hos Alcanzos plurimi Marteloßi, Valachi, & Tartari inhumanissimi alioqui homines militant.

Est adhuc aliud genus militum, qui Asapi uocantur. Sed ij pedites sunt, quos prouinciæ ac Turcicæ ciuitates iubente Principe ad bellum mittunt, ac singulis tres aureos coronatos in singulorum mensium stipendium exhibent. Sunt'que ferè omnes sagittarij. Verùm genus hoc ignauum atque inerme est, ac bellis parum aptum. Vnde etiam ipse Princeps quoties nauale bellum parat, ijs remigum loco utitur. In terrestri autem bello ipsos earum operarum uice habet, quibus (ut superius diximus) nostri exercitus in excauandis uel implendis fossis, atque alijs huiusmodi ad bellum necessarijs exequendis utuntur, quemadmodum eos Rhodi ac Viennæ habitos esse satis constat: adeo'que imperator istorum salutem parum curat, ut sæpe fossas oppidorum, quæ oppugnat, ipsorum corporibus impleat, quo facilius aditum ad loca expugnanda lanizaris paret. Ducem nihilominus bellandi peritia insignem semper habent. Cæterùm Visiri Bassæ Imperatori à consilijs sunt: cum ijs enim de negotijs omnibus, tam ad pacem, quàm ad bellum pertinentibus agit. Sunt autem numero tres, aut ad summum quatuor. Nunc ut res habent, tres tantum esse dicuntur, nimirum Habraimus, Aiax, & Cassimus, ex eorum & ipsi ordine, quibus Christus abiuratus est. Ii uerò ut summam authoritatem, sic infinitas diuitias habent. Sed huiusmodi eorum potentia inuidiæ oppugnatione non carens, multis periculis exposita est. Nam pro Principis libito sæpe etiam strangulantur: sic enim Acomathes Ghendich Baiazetis, sic Mustapha & Iunus Solymi, sic Faracates huius Solymani iussu periêre. Aliquando dignitatibus priuantur, ut Pyrrho ante hosce non ita multos annos euenit, qui nunc senio confectus, in uilla quadam Principe concedente priuatam uitam uiuit. Verùm quod ad bella attinet, expeditiones Bellerbeijs committuntur, qui sæpenumero uno & eodem tempore etiam Visiri, id est, consiliarij sunt. Sicuti Habraimus Vngarico bello contra Ludouicum

cum Regem & Bellerbeius & Vísirus erat & ídem erat Sinamus Eunuchus, qui sub Selymo in conflictu Mattareæ habito interfectus occubuit. Porrò in Principis aula uariarum linguarum usus est, quarum tamen omnium cognitionem, omnes ferè saltem aliquousque habent quemadmodum etiam in tuæ Maiestatis aula Gallicè, Hispanicè, Germanicè atque Italicè loquuntur. Enimuerò lingua Turcica, qua Imperator ipse utitur, primùm sibi uendicat locum, Arabica secundum, qua Turcarum Lex (Alcoranum uocant) conscripta est, & in uniuersum Turcæ literis seu characteribus Arabicis in scribendo utuntur. Tertium locum Sclauonica lingua occupat: qua quia latissimè patet, Ianizari loquuntur. Græca quartum locum habet: ea uerò Constantinopolitani ac totius Græciæ urbium ciues utuntur. Verumenimuerò Turcæ disciplinam militarem tanta & iustitia & seueritate exercent, ut ueteres Græcos ac Romanos facilè superent. Nulla unquam inter eos pugna exauditur, propterea quòd uel minimum etiam delictum capite uindicetur. Tribus uerò de causis Turcæ quàm milites nostri, meliores sunt. Prima est, quia promptè obediunt imperantibus: quod inter nostros ratò fit. Secunda, quia nullum quamuis manifestum uitæ discrimen in pugna subterfugiunt, temeraria quadam opinioni sibi persuadentes, unicuique quomodo & quando mori debeat, esse constitutum. Tertia, quia absque pane & absque uino diu uiuere possunt, oriza & aqua contenti. Sæpe numero etiam æquo animo carent carnibus. Quod si contingat eos orizam quoque minimè habere, salitis carnibus minutatim contritis, ac uelut in puluerem redactis utuntur. Nam eiusmodi pulueres in quibusdam sacculis secum ferunt, cum'que opus est, immixta cálida aqua, dissolutos ebibunt, atque inde nutriuntur. Præterea soliti sunt, præsertim quum nimia fame laborant, equos phlebotomare, atque illorum sanguine uitam propriam alere. Quin etiam equinis carnibus non inuiti uescuntur. Denique multo commodius omnem inopiam ferunt, quàm nostri milites, qui nunc etiam in castris plura fercula expetunt. Vnde tuæ Maiestati nihil difficilius in pertractando hoc bello se offeret, quàm ut ratio conducendorum commeatuum constet, præcipuè panis ac uini: quas tamen duas res Romani ueteres non admodum curabant, contenti uidelicet aqua & frumento contuso, atque in lebetibus cocto, quod illis ordinario iure exhibebatur. Quòd si pane uescendum erat, quasdam conficiebant placentas, quas uel sub cineribus, uel sub testis quibusdam ferreis in hoc super currus post legiones conductis, coquebant. Etenim illud nobis persuadeamus oportet, si obuiam hosti eundum erit, Turcas in itinere non permissuros ut aliquid commeatus in nostra castra deferatur. Nam equorum multitudine, maxima occupant spatia, atque iter ad castra circumquaque impediunt. Neque huic difficultati ulla alia ratione occurri potest, nisi ut unusquisque miles, quæ ad sustentandam uitam necessaria sunt secum ferat, ut puta sacculos farinæ plenos, aut panes recoctos, aut alimenta alia huiusmodi. Ad hæc illud obseruandum, ut legiones in acie dispositæ, ac leuioribus machinis æreis circundatæ, semper incedant, neque impedimentis pluribus onerentur. Enimuerò si Dominus noster IESVS CHRISTVS id gratiæ tuæ Maiestati concesserit, ut Christianos milites Ianizaris opponat, proculdubio certissimam adipiscetur uictoriam. Et fortissimæ quidem Germanorum peditum legiones primum educendæ erunt, ut sustinere;

ſtinere, ac demum etiam reiſcere Turcicos equites poſsint, quouſque tandem ad pedites penetrare liceat. Turcicus autem peditatus, quamuis fortiſsimus ſit, nunquam tamen Germanis lanceariis, præſertim Bohemis, Hiſpanis, atque Italis ſcopletariis (ut uocant) adiutis, par erit. Quòd ſi Ianizari in fugam uerterentur, iam æreis machinis, impedimentisque, atque adeò caſtrorum hoſtilium omni apparatu potiri fas eſſet. Neque admodum referret, etiam ſi omnes equites incolumes euaderent, quando experientia ipſa iam conſtat, Ianizaros Turcicarum uirium neruos eſſe. In huiuſmodi autem euentu, etiam Chriſtiani equites, licet pauci, commodè ſatis in hoſtem ferri poſſent, ſic tamen ut à noſtro peditatu non longius abirent, ne ab hoſtibus circuncludi contingeret. Nam quum tam leuis armaturæ quam cataphracti equites optimè armati ſint, ſecurè hoſtes inſequi ac ſe ſubinde ad peditatum recipere ualerent. Neque id inutilè fuerit, ſi extremi peditum ordines clypeis ac parmis utantur, quo antequàm cominus in pugnam deſcendant, ſagittas excipere abſque nocumento poſsint: tanta enim ſagittarum, ueluti grando erit, ut quamplurimi uel armorum, uel aliarum rerum tegumenta deſideraturi ſint. Nec ſanè olim M. Antonius ſagittariis Parthis aliter, quàm militum capita clypeis tegendo reſtitit. Quin & poſteriores Romani contra Gothos & Hunnos, qui omnes ferè ſagittarij erant, teſtudinem clypeis itidem conficientes, quàm citiſsimè poterant, in hoſtem concurrebant: quia cominus pugnantes facilius multo uictoriam conſequebantur. Summa eſt, ut Deum Optimum Maximum enixè precemur, ne bellum, poſteaquàm incœptum fuerit, protrahatur, ſed facultas illico confligendi nobis detur. Etenim Turcæ, ſi bellum protrahendum foret, ob equorum multitudinem ac patientiam militum, innumeras'que pecuniarum myriadas, facilè tandem ſuperiores euadere poſſent. Sed ſi ſtatim confligatur, ueriſimile eſt, peditatum noſtrum nobis uictoriam pariturum. Et quoniam ſi huiuſmodi conflictu decernendum eſſet, alea totius orbis Imperij iacereretur, neceſſarium iudicauerim, ut maximus rerum omnium militarium apparatus fieret, quemadmodum ab ijs, qui ſibi timent, fieri conſueuit contemptis nonnullorum uanis atque inutilibus uerbis, qui Turcas antequàm periculum faciant, nihili faciunt: quo, ubi bellum inceptum fuerit, adeò nobis omnia bene diſpoſita ſint, ut non tantùm uirtute armis, ordine, machinis æreis, atque alijs huius generis rebus, Turcis non cedamus, ſed ne numero quidem militum multo illis inferiores ſimus. Cæterùm nonnulli ſunt, qui exiſtiment Turcam, ſi ipſe aut Auſtriam, aut Italiam inuaderet, in fugam uerti facilius poſſe, quàm ſi Chriſtiani in Turcicas prouincias profecti, eò loci ipſum adorirentur, ubi poſt longorum itinerum labores, etiam commeatus inopiam ſuſtinere fortaſsis cogerentur. Et hæc quidem opinio forſan non aberraret à ſcopo, ſi Principes Chriſtiani adeò unanimes eſſent, ut ad primum ipſius Turcæ aduentus rumorem, ualidas ad reſiſtendum uires in unum colligerent. Sed ſperare uix poſſumus hoc futurum. Nam nullus unquem ſibi perſuadebit Turcam aduentare, quouſque tandem adeò propinquus extiterit, ut omnes ad reſiſtendum apparatus, ſerus ac fruſtraneus futurus ſit, quemadmodum in Rhodia, Belgradenſi, ac Budenſi expeditionibus contigit. Qua de cauſa qui rei bellicæ peritiores ſunt, arbitrantur certius ac ſecuriùs in inferendo hoſtibus, quàm in excipiendo ab eiſdem bello, uictoriam conſiſtere poſſe

posse, bellum enim quod nobis infertur ab alijs, ut periculosissimum est, ita Deus summopere orandus, ne huiusmodi nos inuoluat. Porrò quo tempore de suscipienda in Turcas expeditione plurimus sub leone Papa x. sermo erat, Ducum quorundam primi nominis iudicium fuit, ut ea nonnisi ualida ac triplex susciperetur, nimirum in hunc modum: ut Maximilianus Cæsar, Germaniæ, Vngariæ, Bohemiæ, ac Poloniæ uiribus comitatus, Seruiam uersus secundùm Danubium iret. Franciscus uerò Francorum Rex, ingenti exercitu ex quacunque ad bellum dispositа natione conscripto, ex Apulia in Epirum traijceret, ac fauore populorum illorum, qui Turcis alioqui infensissimi sunt, adiutus, progrederetur quò bona fortuna iter ostendisset. Rex autem Angliæ, Lusitanis, ac totius Hispaniæ uiribus, necnon Venetorum triremibus adiutus, Hellespontum uersus nauigaret, castellis'que, quos dardanellos uocant, expugnatis, rectà Constantiopolim peteret. Futurum enim arbitrabantur, si res Turcica, uel in unum tantùm istorum trium laterum debilitaretur, ut Christiani postea uictoriam integram adipisci facilè ualerent. Sed quemadmodum summæ difficultatis erat, Christianorum uires omnes, ac peculiariter ipsos etiam potentiores Principes in unum colligere: sic Dei uoluntate est actum, ut omnia tunc in nihilum redigerentur, quo huiusmodi Turcarum debellandorum occasio tranquillioribus temporibus adeoque tuæ Maiestati iam adultæ seruata, eam ad summum fastigium ueræ gloriæ, ut suis innumeris uirtutibus meretur, extolleret.

FINIS.

COMMEMORATIO

SVCCINCTA, CAVSARVM BELLI A SCHMALCALDICIS CONTRA HENRICVM BRVNSVICEN-

sem Anno XLII. suscepti, cum historiola quomodo ducatu exutus, & tandem à Schmalcaldici fœderis sociis captus sit: edita ab ijsdem.

GOslarienses & Brunsuicenses, quibus ab Henrico Duce grauabantur, eiusdem in Saxoniæ Electorem, & Hessiæ Landtgrauium inuectiuę, nouo quodam inter uiros Principes exemplo, publicè editæ, accessere, ut maiorem moderationem etiam amici ipsis requirerent. Cùm Electorem Saxoniæ in ijs hæreticum, temulentum, seditiosum, nulla nec corporis nec animi uirtute præditum nominaret, &c. nec leuioribus dictis Lantgrauium impeteret, eum leuem, impudentem, irrequietum, &c. In singulis ferè pagellis scriptorum contra ipsum editorum, uocitans. Quare, anno 1542. in mense Iulio conueniunt, ac re deliberata statuunt, cõmunis fœderis socios defendendos, ac Henrici superbiã reprimendã. Graue sub idem tempus Ferdinando Romanorum Regi cum Turcis in Hungaria bellum erat, cuius administrationi Ioachimum secundum Electorem Brandeburgicum præfecerat. Quare is hac re cognita cum cladibus ac intestinis motibus expeditionem pro salute Hungariæ susceptam interruptum iri perspiceret, conuentu Norinbergæ indicto Guilielmum de Schuuartzenberg, aliosq; ad Saxonem & Lantgrauium ablegat, & utrunque ad pacem amplectendam hortatur, cùm armis ab ipsis motis non solum Christianum, necessarium, & utile bellum contra Turcam Christiani nominis perpetuum hostem impediatur: sed & ijs maximarum seditionum, & irreconcilia bilium odiorum in imperio Germanico inter familias florentissimas, Saxonicam, Hessiacam & Brunsuicensem incendia excitentur: At illi nihil minus se uelle quam bello Turcico impedimentum inferri, respondent, ad quod sua auxilia & pecunias multò promptius, quàm alij nonnulli eorum hostes, miserint. Sed socios tot annis ab Henrico uexatos, à se citra scelus deseri, amplius non posse: ac perscripta ipsi longa factorum eius contra communitates narratione (quam deinceps pro belli moti defensione, ad omnes ordines diuulgant) in susceptæ expeditionis proposito perseuerant. Henrico literas belli denunciatorias in hanc sententiam mittentes. Non tibi ignotum, uel obscurum est, duas communitates, Goslariensem & Brunsuicensem cõmuni fœderi nostro multoties grauissimè conquestas, quod ipsis contra omnia iura, & æquitatem ac pacem publicam, ditione tua atque commerciis, ex mero liuore, & odio interdixeris, ac uijs publicis obsessis, eas ita grauiter afflixeris, ut in extremo periculo corporis & animæ sint constitutæ: hoc unicum te quærente, ut non solum corporum atque bonorũ dispendium faciant, sed & Euangelij ueram doctrinam abrũciant. Etsi uerò communis fœderis socij apud Cæsaream & Regiam Maiestates nihil eorum, quæ ad hæc componenda & tollenda pertinere possent, prætermiserint, & Cæsarea Maiestas suspensione proscriptionis Goslariensium à Camera factæ confirmata, causæq; cognitione ad se euocata, ex plenitudine potestatis statuerit & ordinarit, eam suspensionẽ uim ac pondus absolutionis habere debere, tibiq; mandarit, ut Goslariensibus decimas, census, reditus, prædia, argenti fodinas, aliqua ablata restitueres: deniq; ad te Maiestatis

tis ſuæ conſiliarios, Eberhardum de Freiberg, & Ioannem Knollerum Doctorem pro executione iniunctæ reſtitutionis miſerit, tamen dilucidis & expreſſis uerbis conteſtari non erubuiſti, te Cæſareis & Regijs mandatis neutiquam pariturum, ſed prætenſam Goslarienſium proſcriptionem totis uiribus ac opibus executurum eſſe. Quo & Cæſareæ & Regiæ ſuſpenſioni, declarationi, confirmationi & auocationi contumaciter te oppoſuiſti, indignationem Cæſareæ ac Regiæ Maieſtatum incurriſti: pacem publicam uiolaſti, & tanquam executor prætenſæ Goslarienſium proſcriptionis hoſtem eorundem te declaraſti. Cumq; non ſolum adempta ipſis hactenus non reſtitueris, ſed eò ſpectes, ut eos ſub iugum tuum redigas, quod citra extremum exitium ferre nequeant, & eius nobis, alijſq; confœderatis noſtris locupleſ, ſufficiens, fideq; dignum documentum exhibuerint, cum humillima petitione, & cohortatione diligenti, ne, cum ita ob ſtudium & profeſſionem religionis uarijs modis diuexentur, ratione communis fœderis, pacis publicæ, & Chriſtianæ dilectionis, requirentis, à magiſtratu oppreſſorum liberationem, ulterius non deeſſe uelimus. Quandoquidem itaque Goslarienſibus in tanta neceſſitate conſtitutis, uigore pacis publicæ Cæſareæ ſuſpenſionis, declarationis, confirmationis & auocationis contra tuas actiones cõmunis fœderis ſocij, re, opere & auxilio ſuccurrere conſtituerunt, niſi emanatis mandatis parueris. Ideò id tibi notum facimus, cum hac ſignificatione, quod ad laudem Omnipotentis Dei, auctoritatem Cæſareæ ſuſpenſionis, declarationis & confirmationis, conſeruationem quoque pacis publicæ: & ad hæc propter alias legitimas cauſas prędictis duabus cõmunitatibus promiſſum atque decretum auxilium, cum moderamine inculpatæ tutelæ latuti ſimus, ita ut perſonæ tuæ qualitas exigit. Etſi enim iam antea Commiſſarium noſtrum Bernhardum de Mila, prouincialem Saxoniæ præfectum ad defenſionem prędictarum communitatum cum copijs equeſtribus & pedeſtribus ablegauerimus, tamen cum nos eas tuis uiribus ad iuſtam defenſionem oppreſſorum neutiquã pares futuras perſpiciamus, eæ rationes nobis ineundæ ſunt, quæ paci publicæ parandæ, tuæq; ſuperbiæ retundendæ commodæ eſſe poterunt. Quod ſi in hac legitima defenſione uel tibi, uel tuis complicibus, uel ſubditis ullam moleſtiam, damnum atque incommodum inferri contigerit, eo caſu proteſtamur coram toto mundo, confœderatos noſtros & nos nihil maluiſſe, quam ea prætermiſſa, nobisq; ad talia ſuſcipienda abs te neceſſitatem minimè impoſitam fuiſſe, qui omnibus legitimis modis, quibus à pacis publicæ contraria perſecutione prædictarum ciuitatum abduci poſſes, quæſitis, nihil proficere, uel æqui non ſine ſummo Magiſtratus contemptu, ab te obtinere potuerimus. Quare nos, & pro nobismetipſis, & omnibus auxiliaribus atque complicibus noſtris, quantum id de iure, uel conſuetudine fieri debet, hoſtilitatem tibi tuisq; denunciamus, exceptis nobilibus, qui non ulterius, quàm ratione clientelæ tibi deuincti ſunt, nec auxilia tibi aduerſus nos, noſtroſue ſocios ferunt. Hæ literæ decimo tertio Iulij die per puerum nobilem, ut moris eſt ad ipſum Iſenaco ubi plerique fœderis ſocij conuenerant, mittuntur. Porrò quod attinet ad ſuſpenſionem proſcriptionis Goslarienſium, eius declarationem & confirmationem, res ita ſeſe habet. Proſcripti erant Goslarienſes à Cameralibus, ob dirutum quoddam extra urbem monaſterium, Matthiæ Heldi Vicecancellarij Cæſarei, ut proteſtantes affirmarunt, inſtantia. Cum uerò illi de hoc facto Cameralium grauiſſimè apud Cęſarem conquererentur, & res ad maiores motus ſpectaret, ſi ea proſcriptio executioni mandaretur. Quamob-

rem Imperator, Anno supra millesimum quingentesimum quadragesimo primo Spiram ad conuentus Ratisbonæ agendos transiens, usque ad futura Comitia eius sententiæ executionem, saluo utriusque partis iure & quò ad aliud statuatur, suspendit: & cum inter alia, quæ in Ratisbonensibus Comitijs Imperator statuisset, protestantes Goslarienſium aliorumq; quorundam proscriptionis abolitione expeterent, Imperator, quo auxilia ab ipsis contra Turcam, de cuius aduentu indies magis atque magis increbescebat, impetrarent, separatim, quid de ea suæ mẽtis esset, declarauit, ac proscriptionem publicæ quietis causa, donec aliquo concilio, uel conuentu, res cognoscatur, de nouo suspendit. Anno uerò deinceps subsequenti cum Spirę comitia à Ferdinando Romanorum Rege denuò auxilia contra Turcas petente, haberentur, nec Henricus ulla suspensionis Cæsareæ ratione habita, in perſequendis Goslarienſibus pergeret, Protestantes Henrici actionibus moti, eas Ferdinando, Cæsareisq; commissarijs exposuerunt. Qui ea cognita, Cæsareæ Maiestatis suspensionem & declarationẽ confirmarunt, ita quod Cæsarea suspensio, regiaq; prorogatio, usque ad finem controuersiæ effectum absolutionis habere, & causa proscriptionis, fractæq; pacis publicæ, quàm Henricus & Goslarienses contra se mutuò haberent, ex plenitudine potestatis in aulam Cæsaream ac regiam auocatæ esse deberent. Et hæc quidem sunt decreta Cæsarea & Regia, quæ ab Henrico Protestantes spreta fuisse conquerentur. Porrò Henricus literis belli denunciatorijs acceptis, non diu in arce Vuolfebuteli commoratus, sed ea præsidio rusticorum, ac aliquot equitum munita, ad Bauaros cum natu maximo filio Carolo Victore contendit. Saxo uerò Lantgrauius cum sociorum copijs progressi, breui tempore suam in potestatem ipsius agrum omnem redigunt, & Vuolfebutelum arcem, non procul ab urbe Brunsuico positam obsidione cingunt. Die Augusti nono obsideri cœpta est arx, in qua cum longè munitissima esset, omnem spem collocauerat. Sed ea non solum præter suam, sed & multorum expectationem, frustratus est. Nam cum præsidiarij in ea, præter equites, rustici ferè omnes essent, ac uehementissimè omnia arcis propugnacula citra intermissionem tormentis concuterentur, præsidiarijs deditionem facientibus, arx hora decima die duodecima mensis Augusti, capta est, ac omnia quæ in ea asseruabantur in Protestantium potestatem peruenêre. Inter hæc uinaloris quinque millium florenorum cereuisiæ, laridi, carniumq; copia magna, nitrati pulueris centenarij millæ quingenti, machinæ bellicæ maiores ultra triginta, frumenti abundãtia innumerabilis reperta est: Nec res uestiaria exigua fuit, quæ tamen liberis utriusque sexus illic relictis concessa est, ut & cleinodiorum pars maxima. Præter hæc uerò illic repertæ fuêre literæ, quibus deinceps Saxo & Lantgrauius demonstrarunt, quid Henricus, & cum illo alij nonnulli conati sint. A`dedita arce Vuolfebutelo, quæ reliqua erant in Henrici ditione Protestantes in suam fidem adigunt, ac intra mensis spacium tribus comitatibus, tredecim oppidis, arcibus uiginti octo, cùm pagis innumeris potiti, ducatus administrationi, Bernhardum à Mila equitum inauratũ, de quo superiùs meminimus, præficiunt, ac cæremonijs Pontificijs abrogatis in Ecclesijs, Euangelij, ministros instituunt. Henricus Ducatu exutus, posteà fœderis socios grauiter ad Cameram accusat. At illi citati, tribunal illud atque iudicium in omnibus planè causis recusant, & missis eô legatis, hoc eis denunciant & simul testificantur, non se quidem recusare legitimam aut ordinariam iurisdictionem, sed ipsos repudiare iudices, qui sint diuersę religionis, qui decretum Augustanum factum ante annum XII. laudent,

laudent, & data fidem comprobent, qui propter hoc ipſum grauiter ab ſe diſſideant, & magnum odium circumferant, qui ſe pro hæreticis habeant, neque ſibi ius communicandum eſſe putent, qui multis non oſcuris præiudicijs hoc ſuum odium ſæpe prodiderint. Henricus ergo, qui parum contra Proteſtantes in Germania proficere ſe poſſe uideret, anno quadrageſimo tertio, in Italiam profectus, grauiter eos apud Cæſarem Cremonæ accuſat. At cum ſub exitum Iulij Cæſar Spiram ueniſſet, illi qui anteà Schmalcaldiæ XXIIII. Iunij conuenerant, ac inter cætera de rebus ad agri Brunſuicenſis tutelam atque fœdus pertinentibus deliberaſſent, eò mittunt legatos Franciſcum Burcartum Procancellarium Saxonicum, Georgium Bemmelbergum, Chriſtophorum Venningerum, & Iacobum Sturmium. Admiſsi die ſecunda menſis Auguſti, cæteris expoſitis, quod ad Henricum Brunſuicenſem attineret, Senatum ſibi dari cauſam cognoſci petunt, & illum, qui prior uim feciſſet Goslarienſibus & Brunſuicenſibus iure pulſum ac profligatum eſſe, liquidò ſe demonſtraturos aiunt. Cæſar ad ea per Nauium præſentem Granuellano biduo poſt reſponſo ad alia poſtulata Proteſtantium dato, ipſis ſignificat: Henricum Brunſuicenſem uehemẽter urgere reſtitutionem. Itaq; quid in eo ſit ipſorum uoluntatis, oſtendant. Illi reſponſum hoc in literas referri, ſibiq; dari petunt, ut diligentius expendant, annuit. Cæſar, & poſtridie Spira profectus, Moguntiam contendit. Interea uerò comitijs ad ultimum Nouembris à Cæſare Spiræ indictis, Henricus ſuorum auxilia ſollicitare non negligit. Saxo itaq; & Lantgrauius ea re cognita, datis ad Cæſarem menſe Nouembri literis, ad comitia uenturos ſe dicunt, ſiquidem ipſe ueniat, & ſibi ſocijsq; publica fide caueat: Cæſar ad ea Bruxellæ Decembris die X. ſeſe uenturum, & Ianuario quidem menſe, reſpondet, ac ſimul cautionis formulam mittit. Illis uerò, qui hoſtibus ſuis fide uel pactione addicti ſint, excludit. Acut Cæſar initio mẽſis Ianuarij è Belgio profectus: ſic quoq; Saxo XVIII. Februarij iſtuc aduenit, ac biduo poſt eius aduentum, initio actionum facto, cum Imp. & Rex Ferdinandus auxilia ſtatuum contra Turcam petiſſent, ſtatim poſt hæc Saxo & Lantgrauius atque ſocij ad Cæſarem oratione conuerſa: Scis, inquiunt, Inuictiſſime Cæſar, quemadmodum inde ab initio teſtificati ſumus, uelle nos in hoc ampliſſimo conſeſſu, cauſam explicare ſuſceptæ defenſionis aduerſus Henricum Brunſuicenſem: eiuſdem nunc quoq; ſumus uoluntatis atq; conſilij, neq; dubitamus, quin audita re totà, cauſæ uobis apparebunt graues atq; iuſtæ, quamobrem & ea defenſio nobis neceſſariò ſuſcipienda fuerit, & illi non liceat intereſſe concilio Principum. Sed quia uidemus illum ingerere ſe ipſum huic conſeſſui, nobis minimè comprobantibus: quod unum poſſumus atq; licet, ne uidelicet deliberationes publicæ tradentur, aut impediantur, profitemur nos illum non habere, nec agnoſcere pro Principe Imperij, nec etiam uelle ius aliquod noſtrum, per ipſius præſentiam nobis diminui. Brunſuicenſis ad ea, mox è ueſtigio per Cancellarium, Saxo inquit, Lantgrauius atque ſocij uiolato iure, perruptis Imperij legibus, & facta fide publica, per uim prouincia mea me ſpoliarſit. Quo quidem nomine ipſos ad Cameræ tribunal accuſaui. Quod eum ita ſit, nec locum in Imperij Senatu habere poſſunt, & ſi quidem habuerunt, cum hoc admiſſo facinore iam amiſerunt, & digni ſunt, quorum conſuetudinem omnes defugiant. Si uerò res ita ferat, ut in publicis deliberationibus mihi ſit ipſis aſſidendum, profiteor me nec hunc eis locum tribuere, nec actioni meæ quicquam uelle propterea derogatum eſſe. Proteſtantes iam tum cupiebant facti ſui rationem, & rem omnem commemorare de ſcripto, ne uidelicet illius criminatio uera putaretur, aut in animis hominum de-

fixa maneret, sed per Fridericum Palatinum atq; Nauium, Cæsar petebat ab ijs, quia multus iam esset dies, ut differrent. Simul affirmabat se uelle diem i- pſis designare, quo sua proponant. Itaq; morem illi gerunt. Et quoniam in conſessu Principum, Lantgrauius tunc forte proximum habebat à Brunſui- censi locum, Iohannes Palatinus Princeps, Simmerius, uitandæ simultatis causa consurgit, & medius inter utrunq; sedet, professus antea, ne sibi suæq; familiæ fraudi sit istud, aut præiudicet. Monitu Cæsaris id feciſſe putatur. Pridie Saxo & Lantgrauius Fridericum Palatinum atq; Nauium orauerãt, efficerent per Cæsarem, ne Brunſuicensis in communem cœtum ueniret. Id autem impetrari non potuit, quum Cæsar ipsum excludi non posse diceret, nisi causis primũ explicatis. Cùm ergo petitione Saxonis & Lantgrauij de excludendo Brunſuicensi reiecta, ordines Imperij de rebus à Cæsare propo ſitis deliberant, illi Brunſuicensem Henricum Aprilis die quinta, coram Cæ ſare, Ferdinando Rege, & totius Imperij conſessu, de scripto grauissimorum criminum accusant, & ordine commemorant, etiã quid damni dederit Brun ſuico ciuitati, & Goslariæ, socijs & confœderatis, quorum salutis defenden- dæ causa, coacti sint ipsi uim illam propulsare. Postea recitant, quemadmo- dum annis nunc aliquot totus in hoc fuerit, ut bellum ipsis per occasionem inferret, idq; literarum testimonijs demonstrant, quas illo finibus eiecto, & arce primaria capta, repertas fuisse, suprà diximus. Iis in literis, quas propè o- mnes ad Moguntinum, ad Bauarum, & ad Heldum scripserat, priusquã eij- ceretur, Cæsaris aduentũ ab Hispanijs frequenter optat, & quum aliquid ef- set spei, iactat & minatur: & ubi iam Cæsar ueniſſet, & lentiùs ageret, de illius cunctatione queritur atq; mora, neq; sibi socijsq; satisfieri, & fœdus Nori- bergæ factum negligi deplorat, & in Granuellanum, omnem huius rei cul- pam confert, &c. & Cæsarem dormire, nec excitari posse, & illius nomẽ ob- ducere frequenter, ait, ad speciem solum, atq; terrorem. Hæ & id genus aliæ multæ literæ, quibus affectum & uoluntatem suam prodit, recitatæ fuerunt. In eandem ferè sententiam, & Heldus ad ipsum inuicem scripserat. Et quis Georgij Saxonis frater Henricus ad Protestantium fœdus accesserat, muta- ta religione, literis & internuncijs Cæsarem, ut illi facultates omnes adime- ret, solicitauerat Brunſuicensis. Huius quoq; rei literæ sunt recitatæ. Post hęc, pontificiam quoq; religionem, cuius defensor uideri uelit, ab eo contemni & ludificari dicunt. Ille uerò è contra accusationi Protestantium Aprilis die uicesimo tertio respondet: ac initio quidem præfatur se constituisse purga- tionem suam ab omni prorsus fuco abhorrentem, quantum fieri posset esset re modestius. Verùm cùm neq; modum, neq; quicquam pensi præter male- dicentiam, aduersarios habuisse uideat, orat Cæsarem, si pari fortè ære cum aduersarijs certauerit, hoc est, clauum (ut aiunt) clauo pepulerit, ne grauius succenseat, aut resalutationem huiusmodi rusticitati attribuat. Deinde ad re- futationem obiectorum ab aduersarijs cõuersus, quamuis ipsi: (inquit) con- sarcinatis fabulis recensuerint, se prætextu montis Rhamonis, nemorum at- que syluarum intollerabilibus damnis & iniurijs Goslariẽses affeciſſe, in ho- rum argenti fodinas, nemora, casasq; metallarias irrupisse, ibidem pleroſq; uerberasse, pleroſq; trucidasse, dolo multa feciſſe & curasse, quo inimicitiæ clancularię ipsis subornarentur, Doct. Delinghausen sua opera abductum, quosdam è ciuibus Goslarienſibus iniustè supplicio affectos, in animo ha- buisse non Goslariam modo, uerùm & Brunſuicensem urbem depopulari, ac quod potissimè suspensioni, declarationi, confirmationi, prorogationi & auocationi, quæ Cæsarea Maiestas concesserit innitantur, cõtra ea à se, Gos- lariẽses uexatos, simulq; Brunſuuicenses non parum læsos, quod denique

conſilia, ex literis repertis cognita, aperuerint: Hæc atq; eiuſdem generis à-
lia, minimè ad purgationem factorum ab ipſis ſufficere. Neq; etenim inficiari poſſe, anno ſupra ſeſquimilleſimum uigeſimo ſeptimo pridie corporis Chriſti, menſe Iunio Goslarienſes in monaſterium montis diui Georgij, quod in ſuo ducatu ſitum ſit, uiolenter irrupiſſe, muros & mœnia eius perfregiſſe, feneſtras ſaxis contudiſſe, inuenta ibi partim trucidaſſe, partim diripuiſſe. Neq; eo contentos, ſequente menſe Iulio, ipſo Mariæ Magdalenæ feſto, maxima manu, ingentiq; Bombardarum, equitum, peditumq; numero oppido egreſſos, duce Ioanne Vueidmannio conſule, dictum monaſterium rurſus obſediſſe, obſeſſum, expugnaſſe, expugnatumq; diripuiſſe. Ad hæc concubina Panthaleonis nocte eiuſdem menſis, binas ipſos, ubi metalla liquefierent, officinas, ui occupaſſe, Mercenarijs æſtuantibus fornacibus partim iniectis, partim uerberatis, ac ſemimortuis relictis. Quarum iniuriarum cum ipſos poſt multa examina, longamq; iuris altercationẽ, quę fortè annis plùs minus quatuordecim coram imperij Camera durârit, reos legitimis ſententijs peregerit, qua fronte dicere poſſint iniquè cum ijs banni fulmine actũ? Non ſe inficiari militem in monaſterio ſui territorij conſediſſe, idq; huiuſmodi præſidijs munitum fuiſſe: Id uerò factum, quia Goslarienſes menſe Maio militẽ conſcripſerint, iamq; domi habuerint: deinde menſe Iunio, ut dictum eſt, apparatu bellico in monaſterium montis Diui Georgij uiolenter irruperint, murisq; perfractis, omnia diripuerint. Falſò Goslarienſes conqueri prętextu redemptionis mõtis Rhamonis & nemorum, ſe etiam aliena attraxiſſe. Id in hunc uſq; diem minimè probatum, & contrarium euidenter perſpici in teſtimonijs utraq; parte in cauſa petitorij coram Imperiali Camera legitimè productis. Decimas montis Rhamonis, iuriſdictionemq; cum omnibus pertinentibus & commodis ab anteceſſoribus ſuis Goslarienſibus ſub pacto reluendi oppignoratas. Nunc itaq; cum ipſi mutuatam ſummam integrè receperint, ac ille redemptam iuriſdictionem exercuerit, ac ea quæ ſibi iudicialiter per eiuſmodi iuriſdictionis exercitium adiudicata ſint, uſurpare intendat, quis factum eius aut poſſit, aut uelit culpare, quum miſſus in poſſeſſionem rei auctoritate iudicis, & uigore eius ſententiæ etiam iniuſtè latę, ſeu ipſius inualidi decreti, excuſatus ſit? Quod porrò in medium adducitur, Goslarienſes in multas calamitates, ſubornatasq; inimicitias per ſuos quondam miniſtros Laurentium Kinderman, & Georgium Ziegenmaiern coniectos, Doctorem Delinſghauſen, & Theodoricum Schnel contra ſecuritatem publicam ab Imperatore ipſis datam, abductos. Ad hæc Ioachimi Ribæ & Balthaſaris à Stechauu facta commemorent Hiſce omnibus Lantgrauium neq; quenquam huiuſmodi aliquid legitimè comprobaturum: Ribam & Stechauum præſentes has iniurias illatas, & honorem ſuum, nequaquam negligere uelle. Quod ad eos ſpectet, qui in præfectura Stauffenburgenſi condemnati ſupplicioq; affecti ſint, aduerſariorum narratione rem longè ſecus ſe habere. Neq; enim alio animo, uimq; inferendi in ducatum ſuum uenijſſe, & in locum fodinarum metallicarum, qui à uallibus appelletur, irrupiſſe, eque una domo in aliam nudatis gladijs curſitantes, iam de hoc, iam de alio interrogaſſe: Compræhenſos quod Goslarienſium mandato ea fecerint, liberè confeſſos. An itaq; ipſe, ut aduerſarij ſcribant, extremam Gaslarienſibus calamitatem parturierit, quemuis ſapientem facilè intelligere poſſe. In Imperio à Saxone & Lantgrauio illatam ſibi ſuiſq; liberis & affinibus uiolentiam prætextu ſuſpenſionis, & declarationis Cæſareę, & confirmationis, prorogationisq; Regiæ neutiquam defendi poſſe, quum manifeſtè & expreſsè cautum ſit, tam iure publico, quã ſacri Imperij conſtitutionibus, quod lis pendens, aut ius acquiſitum, eiusq; executio absq; partium, quæ intereſ-

se habeant, consensu, tolli, suspendi, aut prorogari non possit. Et si quæ à Cæsare contra hæc attentata fuerint, illa ipsa nullarum esse uirium, nullius momenti, uel auctoritatis. Et ut ualida & efficax Goslariensis banni sententiæ suspensio fuerit, quæ tamen uerè esse non possit. Ratisponenses illud placitum de hac proscriptione intelligi non posse. Quum expresse causarum religionis, earumq, quæ huius occasione ad Imperij Cameram deuenerunt, fiat mẽtionem. Hanc uerò Goslariensium causam, ob quam proscripti sint, religionem ne attingere quidem, neq eius occasione inceptam, aut introductam. Se quoq ad maiorem cautelam, uersutiasq declinandas aduersus eam suspensionem, tum protestatum fuisse, eamq Protestationem in Imperij Protocollum curasse referri. Neq obstare, quod aduersarij ex plenitudine potestatis, & certa scientia Cæsareæ Maiestatis suspensionem aliquaq facta esse dictitent. Nam in causis, quæ communiter à Cæsarea Maiestate, cæteris'que ordinibus Imperij decernuntur, inq constitutionem abeant, Cęsaream Maiestatẽ iure conuentionis, & ita iure gentium, nullam habere ulteriorem mutationem, quàm uerisimiliter ea Imperij decreta uelle præsumantur, præterquam quod ipsa certa scientia in suis terminis, hoc est, in limitibus Cæsareæ Maiestatis uerificetur. Quàm honestè ergo aduersarij, hanc suspensionem aliaq urgeant, Electoribus cæterisq Imperij ordinibus relinqui. Quòd aduersus suspensionem contumaciter seditioseq processerit, Goslariensib. uias & mercimonia intercluserit, equitesq ad ea impedienda ordinârit, qui cùm ciues, tum peregrinos læserint, abegerint, denicq in uincula coniectos pro suo arbitrio pecunia mulctârint, hæc omnia se inficiari. Porrò ut nihil cõtra Goslarienses, nisi quod iura sibi permittant, egerit sic nec cõtra Brunsuicenses. Horum ciuitatem immediatè, & absq ulla contradictione in suo Ducatu sitam, Consules, Senatores, priuatos erectis digitis Dei Optimi Maximi, Sanctorumq interuentu fidelitatem & obedientiam usq ad ultimum uitæ diem, in ea forma, qua & prædecessoribus suis ultra hominũ memoriam iurasse, precipuos ibidem suos uasallos siue feudatarios esse. An ergo decuerit huiusmodi necessitudinis & iuramenti immemores, contra dominum, auctoremq beneficij cùm extraneis Protestantibus conspirationes & fœdera copulare, contra eum arma induere, honestorum iudicio se permittere. Fateri se de monasterio D. Egidij eiusq bonis, de iure patronatus, parochijs & subsidijs & seruitijs, de arrestatione, de castro Ampleben, de nemoribus, de exulantibus ciuibus, de acceptis omnibus quodq è ciuitate ad iudicium sui territorij quidam citati fuerint. Noluisse se eos, qui extra ciuitatem Brunsuicensem agerent, sacramentis aliter, quam Christiana Ecclesia communiter instituit, uti fundorum ac præditorum permutationes citra cuiusq consensum, non fuisse attentatas. Equites aliquot in suo territorio alio consilio quam ad securitatem ducatus, & uiarum tanquã custodes ordinatos & constitutos fuisse, se negare. Brunsuicenses uerberib. sæpius malè tractatos, hoc neq se fateri, neq aduersarios docturos. Ecclesiastica beneficia quæ Brunsuicenses in iurisdictione Asseburgia Lutheranis concionatoribus contulerint, semper à suis maioribus his quibus uoluerint, absq ullius contradictio ne hactenus concessa. Iam cum Brunsuicenses citra suam uoluntatem & permissionem, in ciuitatem, doctrinam Lutheranam inuexerint, se Parochialibus Ecclesijs, quæ iure patronatus suæ fuerint, monasterijs, unaq & alijs tẽplis, cẽsibus quoq redditibusq spoliarint, diuinis ministerijs, ac Catholicis cæremonijs proculcatis, non potuisse non sibi ea displicere. Brunsuicenses Principi modum uel formam Imperij præscribere non debere, neq etenim hũc illis, uerùm huic illos subiacere, Ecclesias collegiatas Sanctorum Blasij & Cyriaci ab ipsis spreto Cæsareo mãdato pœnali occlusas, ac cantu, lectionibus

nibus, cæteriſq; Eccleſiæ miniſterijs, cæremonijſq; abrogatis, inductos quoſ-
dam concionatores Lutheranos. Sic itaq; Brunſuicenſes, ea in contemptũ &
detrimentum Principis, eiuſq; affinium expleuerint. Quid ſe accuſare poſsint,
quod ad ſuſtentationem antiquæ, catholicæ ueræq; religionis in eo loco cen-
tus & bona detinuerint, cum id abſq; ullius iniuria fieri potuerit. Literarum cen
tiones poſt deditionem arcis Vuolfebuteli & occupationem, quas eatenus a-
gnoſcat, quatenus ueritas patiatur, aduerſarijs ad purgationem nihil profice-
re, cum eos antea neq; nouerint, neq; uiderint, ſed ex poſt facto emerſerint: præ
terquam quod originalia, etiamſi in promptu eſſent, ad ſuſpitionem minimè
ſufficere poſſent. Artes aduerſariorum in literis notas eſſe. Ac Cæſarem erga
ipſum obſequia grauiſſimis fortunarum iacturis, anxijſq; & uitæ & corporis
periculis comitata potius ante oculos habiturũ, quàm mutilatas & calumnio-
ſas literarum interpretationes ab aduerſarijs factas: æquo animo ſe laturum, ſi
quum è Cancellaria aduerſarij has particulas produxerint, etiam alias non oc-
cuſtaſſent, ita enim manifeſtum futurum fuiſſe, quibus ſacris Imperij ſalus ma-
gis arrideat. Aduerſarios multum de obedientia gloriari, at ſi Cæſar Cancella-
rias eorum quoq; uiſitauerit, procul dubio multo prodigioſiores conſpiratio-
nes erupturas, quam cum Vuaiuoda, cum Franciæ Rege, alijs monarchis com
munes habeant. Quæ Heldio, quæ etiam confœderatis ſuis pro qualitate cau
ſarum & grauaminum quotidie emergentium ſignificârit, ea non tantum ſe,
ut fœderis catholici affinem: uerumetiam ut Imperij principem uigore fidelita
tis & iuramenti Cæſareæ Maieſtati præſtiti ſcribere coactum, neq; in huiuſmo
di eruentum in poſterum quoque, quatenus uis atq; ingenij acumen ferat, mu-
tum futurum. Rogare ſe humillime Cæſaream ac Regiam Maieſtates, ne ob
huiuſmodi literas allegatas, inclementiores fiant, uerùm ad animum reuocent
ab aduerſarijs odio, adductas, ſe Cæſari obnixè inſeruiturum, & quoad uixe-
rit ea continuaturum, neque quicquam, quod uel ad Imperatoris ac Regis Im
perijq; ſalutem, decus ac auctoritatem pertinere uideatur, quatenus fieri poſ-
ſit, intermiſſurum. Minimè ex omnibus literarum centonibus doceri poſſe, ſe
Cæſarem in bellum acuere uoluiſſe. Quin contrarium probari ex ipſis maxi-
mè ſi integrè non particulatim proferantur. Quantum Henrici Saxoniæ Du-
cis negotium concernat, quod de illo, & Electore Lantgrauioq; in ſummum
regalium & dignitatum periculo conijciendis cogitarit. Conſtare Cæſareæ
Maieſtati, quo pacto ipſa, ſimulq; Regia Maieſtas, cum nonnullis Electorib.
Principibus ac ſtatibus Imperij ad ſuſtentationem & defenſionem ueræ catho
licæ fidei, pacis & tranquillitatis in ſacro Germanicæ nationis Imperio ante
nonnullos annos Chriſtianum quoddam fœdus percuſſerit, quo tempore Ge
orgius Dux Saxoniæ id unà cum populis ſubditis pro ſe, hæredibus, ſucceſſo
ribuſq; ſuis acceptârit, adeò, ut & teſtamento id ſeruari uelle præceperit. Cùm
autem eo defuncto Henricus frater in ducatu ſucceſſiſſet, atq; is à Cæſarea Ma
ieſtate, ſæpius requiſitus, ultimo fratris elogio parere renuiſſet, ſtatus, explora-
ta ueritate iniquum duxiſſe, atque indignum memoria, literis & teſtamento
Ducis Georgij, ad eam ſucceſſionem conniuere. Itaque de rationibus cogi-
taſſe, quibus Ducis Georgij ſubditi in uera & catholica religione conſeruaren
tur, ac in eum ſtatum, in quo antea fuerint, reuocarentur. Ad ea ſe tanquam
confœderatorum unum conſilium ſuum quatenus utilitas & honeſtas ſuaſe-
rit, quoque contuliſſe. Atque inde proficiſci ea quæ ab aduerſarijs adducta
ſint, de bonis Henrico Saxoniæ Duce auferendis. Quę tamen ſi uera eſſent:
perquam infirma ad defenſionem ſibi illata foro. Non enim inde ſequi, quod
potuerint ideò bellum inſtituere, ſe ducatu eijcere, eumq; ui & armis occupa-

re. In

re. In multis causis decisum esse, ne quem posterius in conspirationem suam Protestantes reciperent, uel pellicerent, non tamen solum id facere non desti tisse, uerum & Mulhusium & Hildensheimium ciuitates compulsas atque re ceptas. Huic Protestantes iterum respondent. Sed quum publicè in eo Cæ sar nihil amplius fieri uellet, scriptum exhibent, & postea diuulgant. Idem postea facit & Henricus Brunsuicensis. Cæsar causa utrinque cognita, ad modum urgebat, ut Schmalcaldici Brunsuicensem aut restituerent, aut ca ptam prouinciam sibi per sequestrum permitterent. Hac de re cum Saxone & Lantgrauio quum adessent, & post eorum discessum, diu multumq; cum legatis agens: tandem uerò post uariam & multam actionem, placuit, ut Cæ sari tanquam summo Magistratui permittatur omnis ager Brunsuicensis in termenlis spacium, donec uel amicè, uel iure ac legibus disceptata lis fuerit atque definita. Prouinciæ uerò administrationem Cæsar committat uel Pa latino, uel Electori Brandenburgico, item Ioanni Palatino Simerio, Mau ritio, uel Cliuensi Principi. Pœnam uiolatæ pacis publicæ luant, qui non parebunt. Henrico Brunsuicensi denunciet Cæsar, ut pareat, sin minus, le gibus in ipsum uindicet. Goslariensibus uigore suspensionis ac declaratio nis antea factæ, ius contra quoslibet experiundi saluum sit. Hisce conditio nibus à Cæsare propositis, ipse finito conuentu Spira discedit: ac Metim ad bellum contra Galliæ Regem gerendum, in quod nouo exemplo Status Im perij in hisce comitijs auxilia promiserant, proficiscitur. Anno deinceps se quenti, qui erat millesimus quingentesimus quadragesimus quintus à pace cum Galliæ Rege facta, rursus Vuormatiæ comitijs indictis, Schmalcaldici, qui istuc uenissent, propositis à Cæsare conditionibus assentiuntur, & Brun suicensem agrum omnem Cæsari permittunt. Quare ille confestim Henrico mandat, ut iure experiatur, legibus agat, ab armis abstineat. Ille uerò, qui sententia proscriptionis contra Goslarienses latæ inhæreret, nec ab incœ pto se iudicio deflectere cogitaret, de nullitate palàm, & per expressum pro testatur, ac petit, ut litis pendentia coram Camera Imperiali, iuris'que suæ quitas, suspensione, confirmatione, prorogatione, mandato, quæ per se nulla, inualida & inefficatia sint, cancellatis, atque in totum sublatis, proce dat. Cumque ei Cæsar denuò grauissimis uerbis, ac proscriptionis pœna de nunciata mandaret, uti pareret: non modo non obtemperat, uerumetiam re scribit, eius'que consiliarios Granuellanum in primis atque Nauium insecta tur. Henricus ergo qui consilia Imperatoris, suæ uoluntati minimè respondet re hoc tempore cerneret, ad alios sese conuertit, quorum auxilio amissa recu peret. Ardebat tũc bellum inter Anglos & Gallos, ob Bononiam per Anglos occupatam: resq; tam mari, quàm terra gerebatur: cumq; Fridericus Rifeber gus tunc ad Saxoniæ fines pro Rege Britanniæ copias peditũ colligeret. Hen ricus durantibus comitijs Vuormatiæ intentus in occasionem Regis Galliæ sibi deuinciendi, ad eum proficiscitur. Non deerant Henrico homines milita res, qui cupidè illi seruirent, ac omnemq; operam locarent. Inter hos cum qui dam Christophorus Vuisbergius illi officia sua militaria addixisset, accidit, ut in Hassiam ueniret. Cum uerò actiones eius Lantgrauio suspectæ essent, hic Gisenæ de ijs ex ipso inquiri curat. Ille ergo omni cum asseueratione confir mat, sibi de nulla molitione, uel expeditione bellica constare. Verùm, cum pau cis diebus post Lantgrauius, acceptis à fide dignis hominibus literis, rem ora tione Vuispergij multò seciùs habere se certò comperisset, studiosè de ipso in quisitione habita, hominem in Germania noua molientem comprehendi præ cipit ac ut se Castellis sistat. Veniens ergo illuc, sub fide publica ueritatem di

turus de rebus omnib. die circiter quintodecimo poſt Pentecoſtē. præſtito iu
ramento, ac præſentibus aliquot principibus, principum cōſiliarijs, ciuitatum
legatis, nobilib. & alijs multis ſe purgare inſtituit ſancta aſſeueratione, quod
copias pro Rege Galliæ conſcriberet, nec quicquam in proteſtantes uel Lant
grauiū moliretur. Hac addita teſtificatione, quod ſi Duci Brunſuicenſiū Hen
rico militaret, in numero honeſtorum nobilium cenſeri nollet, & Lantgrauio
pro arbitrio in ipſum ſtatuendi ius foret. Nec hiſce contentus, ulterius Lant-
grauio pollicetur, ſe ſuccedente expeditione, de ea Lantgrauio omnia ſignifi-
caturum. Dimiſſus itaq; militem conſcribere incipit, & datis ad Hermannum
Malſpurgium Lantgrauij conſiliarium, dein ad ipſum Lantgrauium, Erneſtū
Brunſuicenſem uicarium, & alios conſiliarios Vuolfebuteli tum agentes lite-
ris, promittit, ſe nec contra Electorem Saxoniæ, nec Lantgrauium, neq; ſubdi
tos illorum quidquam moliturum, uel detrimento ullo ipſos affecturum eſſe.
Inſuper & hoc infirmans, ſe Henricum exercitus Ducem nequaquam agno-
ſcere, Lātgrauius igitur ab inutilibus ſumptibus faciendis abſtineat, nec equi-
tēs & milites tranſitu prohibeat. Similiter & Herbortus à Langen Lātgrauio
ſcripſit, Vuriſpergio nihil eſſe rei cum Henrico, prout utriuſq; ſcripta demon-
ſtrant. Sed poſthabitis his omnibus, cum copias iam in agro Verdenſi coegiſ-
ſent, & Hadeliam Albis inſulam depopulati eſſent, omnes Henrico militiæ ſa
cramento ſeſe obſtrinxerunt. Quo facto, Henricus equitibus mille quingen-
tis, et ultra, peditibus ad octo millia, primum Roteburgum, agri Bremenſis op
pidum, ſpe conſequendi tormenta bellica, quæ frater Archiepiſcopus Chriſto
phorus illic habebat, contendit. Verum id Bremenſes ſuorum aliquot militū
ex urbe miſsis impediuere. Spe ſua itaq; fruſtratus Henricus, per Luneburgē-
ſem agrum, non ſine incolarum detrimento, iter facit, ac ſuam prouinciam in-
greſſus, Steinbruccum obſidione cingit, & deditione capit, deinde Vuolfebu
telum uerſus contendens Brunſuicenſium pagos & uillas deuaſtat. Vicinis
ciuitatibus, Brunſuigæ, Hannoueræ, Mindæ, Bremæ, Hamburgo, reliquiſq;
ſcribit, ut de illatis iniurijs ſibi ſatisfaciant, & à confœderatione Schmalcaldi-
ca (quam coniurationem appellabat) diſcedant: ſin minus, dira ipſis intermina
tur. Iidem & à Principe quodam Electore, nonnullis Epiſcopis, & ditionibus
uicinis pecuniam exigit: quosdam etiam, maximis additis minis, adhortatur,
ut opem ſibi ferant: prout id acta, literæq; ipſius ſatis abundè teſtantē. Interea
temporis Otto Ritbergius comes, Alhardus ab Hœrdē, Ioannes Stappele-
tus, Henrici Cancellarius, Mareſcallus eius Hall, Plato ab Helmerſſen, & cæ-
teri, iuſſu Henrici circiter octingentos equites, uel (ut quidam produnt) mille,
peditum uerò millia tria cogunt: & ea, ditione comitis Deckelnburgij, fœde-
te Proteſtantibus coniuncti, igni ferroq; deuaſtata, per Viſurgim traijciunt:
ubi quibuſdam uaſallis Langrauij, & prefecto arcis Bergenſis damno mulcta
to, ad Henricum rectà properant: qui copijs iſtis adauctus, primariam & o-
mnium munitiſsimam ſuæ ditionis arcem Vuolfebutelum obſidet, & popu-
lum in ſuam fidem paſsim iureiurando adigit. Obſeſſo Vuolfebutelo, aquam
è foſsis educere, ac pontem extruere cōſtituit, colloquium cum oppidanis ex-
petens. Sed qui arcem tenebant, fortiter ſeſe defendentes, in colloqum cū Hē-
rico uenire recuſant: & diſploſis tormentis, hoſtem repellunt, &, continuis e-
ruptionibus factis, multos partim capiunt, partim interficiunt, & aquam in
foſſas uiciſsim deriuant, ac largiſsima diuinitus cælo delapſa pluuia terram
omnē ita irrigant ut inceptum atq; conatum Henrici repreſſerit omnem. Hæc
dum geruntur, Lantgrauius Proteſtantium ſe ſummum ducem præbens, iuſſu
Saxoniæ Principis Electoris, & confœderatorum, in ſua ditione ſeptem milli-
bus ſubditorum, tribus ſignis peditum, & equitibus mille ſexcentis coactis,

& uiginti tribus tormentis, Northemum appellit. Quò etiam uenit Ernestus Brunsuicensis, Philippi filius, missus ab Electore cum equitibus mille, 2500 peditibus, et 6000 eorũ, qui per fines ipsius & agros erãt collecti, cũq; tormẽtis duodecim: & ita biduo Principes illic sua castra coniunxêre. Venit his auxilio Mauritius, Saxoniæ dux, propriis sumptibus, equitibus mille, quinque millibus peditum, & aliquot tormentis: hicq; prope Raldhusiam, dominorum de Pless oppidum, castra metantur. Ea re cognita, Henricus Vuolfebuteli obsidione, quam præsidiarij milites fortiter defendebant, relicta, Bocklemiũ deflectit, ibicq; coacta, quam subditis impositerat, pecunia, eam militi, iam dilabẽti soluit: ac inde progressus, castra locat prope Calfeldũ: qui uicus unius miliaris spacio distabat à castris Landgrauij. In hoc rerum statu, Ericus Brunsuicensis, Erici defuncti filius, eiusq; mater uidua, Ioannes Marchio Brandeburgicus, Regicus, comites Herciniæ syluæ, Stolbergicus nimirũ, Schuuartzburgicus, Regenstеinensis, & alij, de pace apud Lantgrauium intercedũt. At Lantgrauius cũ Saxonicis consiliarijs, hac intercessione repudiata, non penes se, sed socios & confœderatos de pace statuendi, facultatem esse respondent. Interea Mauricius cum suis copijs progressus, ad fossam inter Viennam & Northemum subsistit: hinc, aliquot equitibus stipatus, in castra Lantgrauij uenit: &, cœpto sermone, quid Ericus Brunsuicensis affinis suus, eiusq; mater uidua, quid Ioannes Marchio, quid alij complures de bello componendo secum egissent, exponit, tractationemq; sibi permitti petit. At Lantgrauius & legati Saxonici id denegant: ut id responsa data commonstrant.

Facta sunt autem hæc partim die Veneris, XVI. Octob. partim uerò die sequenti: quo nonnullæ Henrici equitum turmæ cum aliquot peditibus, monte ad Northemum superato, cum Lantgrauianis ad hortos urbi leue prælium inchoant: sed mox tormentis repulsi, terga uertunt. In hoc motu Mauritius suas copias in castra Lantgrauij accersitum mittit: ubi uerò est animaduersum, hostes in fugam se iam dedisse, ad sua tentoria repentè remeârunt. Sub uesperam eius diei Mauritius iterum urget & instat apud Lantgrauium, actionem sibi permitti: sed Lantgrauius planè denegat. In ea igitur sententia cum constimatam Lantgrauij mẽtem Mauritius perspicit, cupit, ut quia suam operam et omne studium Ioanni Marchioni, Erico Brunsuicensi, eiusq; matri uiduæ, Hérico item nihil non tentandi per literas promiserit, certæ conditiones pacis si ubi proponantur, quas si recipere Henricus renuat, ipse commodè possit promissis liberari. Gerit itaq; frequenter interpellanti & instanti morem Lantgrauius, illicq; conditiones quasdam proponendi facultatem concedit. Quas ille accepta, huiusmodi quas Henricum facilè aspernaturũ nemo dubitabat, per suorum consiliariorum quosdam ad ipsum perferri curat. Quo facto, die Solis primo diluculo nunciatur, Henricum omnibus cum suis copijs flumen Leynum traijcere, & appropinquare, ut montẽ uicinũ, & ad impugnanda Lãtgrauij castra peropportunum, simul cum monasterio non procul inde distãte, occupet. Sed ubi, quid machinaretur Brunsuicensis, Lantgrauius & qui secum erant Saxones persentiscunt, circiter quingentos ablegãt sclopetarios, qui monasterium præsidijs intercluſum teneant. Mauritius autem & ipse uidens Hérici conatum, exarsit iracundia, ac in hæc uerba prorupit: Nunquid hæc boni uiri molitio est? Et subitò suis militibus præcipit, ut & ipsi fluuium sibi propinquum Leynum traijciant. Lantgrauius & Ernestus priores ad montem peruenium: & tribus equitum cohortibus, & aliquot signis peditum ex agris Saxonis collectorum defensioni castrorum relictis, reliquum exercitum omnem eõ deducunt. Verum Lantgrauio, Mauritio, Ernesto cum suis copijs in monte consistentibus, leuibus prælijs utrinq; certari cœptum est: &, ut in eiusmodi prælijs

prelijs fieri cõſueuit, mox hi mox illi ſuperiores fuerunt. Sed ad rẽ melius gerẽ dam obfuit fluuius inter utraq; caſtra duobus tantummodo uadis peruius, cuius opportunitate neutra pars cedere uoluit: ſed, omnis generis tormentis cõtinenter emiſsis, inuicem ita fulminarunt, ut utrinq; tam equi, quàm homines multi ſaucij, læſiq; conciderint. Dum hæc geruntur, Chriſtophorus Eblebus, & Doctor Komerſtadius legati Mauritij reuertentes ab Henrico reſponſum afferunt. Eo Mauritius audito confeſtim ad Langrauium properat, orans, conſiliarios audiri ſuos. Is Electoris Saxoniæ cõſiliarios, & ſuos cõuocat: neq; enim tum temporis ad hoc bellũ ab alijs Schmalcaldici fœderis ſocijs adhuc miſſi legati fuerant. Ii ergo cum omnes conueniſſent, Komerſtadius orſus eſt dicere, quã liberaliter Hẽricus, omnia ſe præſtiturũ promiſerit: quòd ſe, ſuaq; omnia Mauritij poteſtati permiſerit: quòd pollicitus fuerit, ſe nunquam Euangelij doctrinam oppugaturum: hocq; ſe firmum ac ſanctum ſeruaturum trecentis nobilibus præſentibus fidem dediſſe, prout id retulerit Adrianus de Steinberg, cum prolixa commemoratione, quàm pernicioſa ſit ſanguinis eſtuſio communi patriæ Germaniæ. Qua Henrici querimonia motus Mauritius, Lantgrauium rogat, ut hæc animo benè perpendat, ſe mitem & placabilẽ in Henricum exhibeat, & hoc bellum bona gratia componat. Lantgrauius & Saxonici legati ad hæc reſpondent: Non eſſe ſuæ poteſtatis, quidquam in hoc grauiſsimo negocio pro ſua auctoritate ſtatuere, nedum omnem controuerſiam dirimere.

Sed neq; tunc Mauritius & eius Conſiliarij ab interceſsione pro Henricò deſiſtunt: quare conceditur tandem, ut Mauritius conditiones pacis ipſi proponat has: De religione non impugnanda (prout antè promiſerit) caueat: in Mauritij ſe poteſtatem dedat, illiq; ſe Dreſdæ præfixo tempore ſiſtat: prouinciam ſuam omnem ipſi tradat: & quidquid is de belli ſumptibus, de dato damno, deq; controuerſia Goslarienſi et Brũſuicenſi pnunciet, id ratũh abeat. Has conditiones ut ipſe uelut interceſſor proponat, Mauritio Lantgrauius concedit: et ſi quidem eas ille recipiat, communicato prius cum Electore, conſiliarijs fœderis, & dictis duabus ciuitatibus conſilio, decernendum ait. Cum his mandatis Mauritius legatos ad Henricum mittit. Qui reuerſi dicunt, optimam eſſe ſpem, conditiones has ab Henrico receptum iri: uerùm in tanto militari ſtrepitu, dum utrinq; gladijs res geratur, nihil rectè, commodeq; tranſigi poſſe, idcirco inducijs ad eam actionem opus eſſe: inſuper & noctem iam imminere. Igitur, permittente Lantgrauio, fiunt inducię in diei uſq; ſubſequentis ueſperam. Sed præter hæc Henricus à Lantgrauio poſtulauit, ne Lantgrauius, pactis his inducijs, exercitum ſuum augeret. Verùm in id Langrauius & Saxonici legati conſentire noluerunt, reſpondẽtes, ſe pro ſuo arbitrio copias habituros & aucturos, idem & ei liberum fore. Tandem poſt multam diſceptationẽ concluſum, ut Henricus ad ſua ſe reciperet caſtra, uno ab eo, quo prius uelitatio facta erat, loco milliari diſtantia: Lantgrauius, cuius ab eo loco ad iactum Bombardæ caſtra erant fixa, uenientem ad ſe militem à caſtris id integrum militare, durantibus inducijs, conſidere mandaret: id quod probatum, & ut inducię durarent, modo quo prius diximus.

Die deinceps Lunæ XIX. Octob. Mauritius & Hẽricus in monaſterio Bibershuſenſi conueniunt. Ibi Henricus æquiſsimis ac iuſtiſsimis illis, & renouandæ paci maximè ſeruientibus conditionibus planè reiectis, alias à prioribus, quas lubens receperat, diuerſiſsimas ad Lantgrauium perferendas Mauritio tradit: quibusdam Mauritij conſiliarijs, Intra tertiam, dicens, horam apparebit, utrum Lantgrauius, an ego ſim orbis futurus dominus, ut Hanniba lem Scipioni dixiſſe proditum eſt.

Verùm & pactas inducias Henricus diolauit, facto impetu in pabulãtes Lantgrauianos à Iacobo Schulẽburgio: qui, trucidatis aliquot colonis, equos eorum nonnullos præter omnem æquitatem abductos, nunquàm ad ueros & legittimos dominos remisit.

Lantgrauius autem ubi de absurdis ab Henrico propositis conditionibus cognoscit, scitu atq; consilio Ernesti Brunsuicensis, ac cæterorum Saxonicorum consiliariorum dicta, die Lunæ omnem pacis tractationem respuit, & Mauritio pro maximis laboribus intercessionis susceptæ gratias agit. Postero die Martis, qui erat xx Octobris, Henricus ipsemet ad Mauritium in hanc sententiam scribit: Quòd, cum eius de pacis tractatione literæ, nimis sint perplexæ atq; obscuræ, certior fieri cupiet, utrùm rem omnem uel per literas, uel legationem consiliariorum clarius propenere uelit. Elapsa uix hora, Alhardus ab Hœrden, Eberhardus Reckius, Ioannes Stappelerus & Ioachimus Ribat literis ad Mauritij consiliarios missis significant, ad expeditiorem inter Mauritium & suum Principem habiti colloquij promotionem ualde profuturum, si denuò conueniant, & de rebus omnibus necessariam collocutionem instituant. Sed Lantgrauius pariter cum socijs tractationem omnem iustissimis ac grauissimis de causis repudiat.

Et Mauritius considerans, quòd fidele suum studium, & ueræ beneuolentiæ conatus omnis successus expers fuisset, datis ad Henricum literis, ipse bellum ei indicit. Intempesta deinde nocte Lãtgrauius, extructo prius super præterlabentem fluuium Rum dictum ponte, octo cohortes equitum milia circiter duodecim cum tormentis, Conrado Hanstæno ductore, præmittit: ipse cum reliquis copijs, cum Mauritio & Ernesto subsequitur. Illucescente die, primum agmen ad fossam editiori loco sitam, non longè ab Hẽrici castris peruenit, ubi circiter mille Bombardarios in præsidijs collocat, ipse post montem cum aliquot equitibus considet, equitatum post se relictum opperiens. Vbi ergo lustratum iturus Henricus animaduertit, fossam & montem iam esse obsessum, equitum tria signa, nonnullosq; pedites, spe fossæ potiundæ, mittit. Conspicatus hoc Lantgrauius, tres item q; Lantgrauij inde pellendi, mittit. Conspicatus hoc Lantgrauius, tres equitum cohortes ablegat, ut Brunsuicensibus obuient: sed cum prior cohors fossam transijsset, Brunsuicenses tanta celeritate adfuere, ut uix dimidia eius pars transitu potita sit: quare pugnatum hîc est acriter: & cum aditus ob loci eius angustiam obstructus esset omnis, & una tãtum parte transiri per fossam posset, anceps aliquandiu fuit dimicatio. Nam ex utraq; parte & permulti uiri fortes, & equi uulnerati, cæsiq; occubuere. Euestigio uerò, hoc prælio durãte, Lantgrauius aduolans, laborantibus succurrit: &, emissis tormentis, hostẽ repellit. Pòst, collustratis hostium copijs, req; deliberata, cum iam multis in locis per dictam fossam uia complanata esset atq; strata, Lantgrauius & socij bonam exercitus partem cum maioribus tormentis traducunt, & in hostem ualidè eiaculantur. Quo facto, Brunsuicensis copiæ turbatæ celeriter iter arripiunt, Lantgrauianis terga obuertunt, & in montem syluæ uicinum sese recipiunt. Vt itaq; uidit Henricus, tormenta in suos emissa, Lantgrauium q; cum suis, sociorum copijs fossam ferè transgressum esse, sic animum repentè demisit, sic q; cohorruit, ut continuò cum tubicine quendam, qui nomen Friderici Spethi sibi usurpat, cum Hilmaro Munchhusio miserit, qui certis de rebus colloquium cum Mauritij consiliarijs expeterent. Quod ubi Mauritius resciuit, quibusdam suis consiliarijs, ipsos audiendi, mandatum dedit: coram quibus illi tum retulerunt, quòd omne negocium secundum conditiones à Mauritio in monasterio Bibershusensi propositas transigi cuperent. Mauritius, ijs auditis, Langrauium accedit, & utrum ipse coràm eos audire debeat, scisci-

tur,

ter. Cui Lantgrauius, ſuo ſe id arbitrio permittere, reſpondit. Poſtquàm autem & præſens, audito Munchuſio, cognouit, nihil Henrico magis in uotis eſſe, quàm ut Lantgrauius negocium bona gratia tranſigere dignaretur, hoc illi relatum rediit. Sed in reſpoſo dando Lantgrauius Mauritium aliquantiſper remoratus fuit, donec exercitum omnem per foſſam traductum eſſe uidit: tum, inſtructis ordinibus, ex omnibus partibus in hoſtem tormenta emiſit. Interim & ipſe Hilmarus Munchhuſius, & Fridericus Spethus ſub fide publica Lantgrauium adeunt. Ad quos ille, non eſt, inquit, ulli alteri tractationi locus relictus, quàm ut Henricus, eiuſq; filius in meam ſeſe poteſtatem tradant. Quod ſi faciant, benè habet: ſin minus, rem ſeriò aggrediar. Hoc illi renunciate, cauſamq; paucis decernite. Illi, hoc quantumuis incommodo accepto responſo, diſcedunt. Rediens tum ſtatim & Mauritius, Lantgrauio, exercitus, dicit, eſt traductus omnis, ſed quid bonæ ſpei de pace? Tum ille, uolo, inquit, ut Henricus & filius eius natu maximus meæ ſe poteſtati dedant: ſi recuſent, prælio decernam. Cum itaq; penitus animo Lantgrauij fixum eſſe uideret Mauritius, pacis tractationem prorſus nullam aliam admittere equo proficiſcitur ad Henricum, & colloquitur. Lantgrauius autem nihiloſecius bellum adminiſtrans, hoſtem propiùs accedit: &, emiſſis tormentis, circiter quingentos ab eo paſſus conſiſtit: Mauritio uerò per Conradum Hanſtæ-tium ſignificat, non ſe poſſe quieſcere, quòd metuat, ne per occaſionem colloquij Henricus euadat. Sed Mauritius neceſſariò ſibi expectandum dicit, uſquequo cum illo ſit colloquutus. Lantgrauius igitur adhuc propius ad hoſtem promouit, & uſq; adeò magna ui & uehementi impreſsione in impetendo hoſtem uſus, & de tormentis ac machinis crebros globos eiaculatus fuit, ut Mauritius aliquantulum commotus ad eum miſerit poſtulatum, ut impetum belli reprimeret quòd Henricus ſe pariter cum filio dedere uellet. Ad quos Mauritij legatos Lãtgrauius, Nolo quidem, ait, prælio cum ipſo certare, uerùm nolo meis ê manibus ipſum dimittere. Paulò poſtredit & Mauritius, nuncians, Henricum, magna ui lachrimarum profuſa, calamitatem ſuam deplorare, ſeq; cum filio tradere Lantgrauio uelle, ſubmiſsè orans, ne uel dictis uel factis in eam ſit aſperior. Ad quæ Lantgrauius, liberaliter, ait, & uti Principe dignum eſt, eum tractabo.

Ad hunc modum loquutus Lantgrauius. ecce Henricus cum filio Carolo Victore pedetẽtim ad eum pergit. Venientem autem Henricum Lantgrauius ſic affatur: quòd ſi tu palmam obtinuiſſes, & eam quam in te habeo poteſtatem nactus fuiſſes, non diu mihi lucis uſuram conceſsiſſes, ſcio: uerùm ego tecum, atq; meritus es, benignius agam. Sed, obſecro, quid illo tibi uoluiſti, quidúe tibi in mentem uenit, quòd Cæſari non obediuiſti, repudiata ſequeſtratione? Quòd ſi paruiſſes, nimirum tibi, tuiſq; rectius conſuluiſſes, & multos bonos multis oneribus & moleſtijs leuaſſes. His ad hunc modum geſtis, ui rinonnulli nobiles à Lantgrauio deſignati fuerunt, qui ducem Henricum cũ filio ſeruarent.

Sed interim propè manus cõſerebat exercitus Lantgrauij cum hoſte: & niſi Lantgrauius ipſe magna cum celeritate interueniſſet, ingens & cruenta fuiſſet edita ſtrages. Quare Henricus cum primis Deo, poſteà uerò Mauritio Saxoniæ duci gratias agat: Etenim aliàs maxima pars cæſa, trucidataq́ue fuiſſet.

Decreuerant itidem coniuncto exercitu diſcedere, ſed quia periculũ erat, ne quid rurſus per occaſionem molirentur, Lantgrauius eos conſequitur, & in quadam planicie deprehenſos cogit, ut direptis ſignis, & iuramento præſtito, nihil ſe noui molituros, nec intra tertium menſem uel in ipſum, uel con-

fœderatos socios arma capturos, polliceantur. Sed quantumuis hi in Lan-
graui uerba iurarint: tamen paulo post in ipsum (ignari suæ præsentiæ) pau-
cis equitibus comitatum irruerant. Quorum, cum eius copiæ turmatim, &
quidem ex insperato conuenissent, multos cepit, & in uincula coniecit: mul-
tos ad diem Martini subsequentem Cassellis cõparere iussit, ut fractæ fidei
causam ex illis cognosceret: in quorũ numero fuit & Alhardus ab Hœrden,
& complures alij nobiles. Quibus sic expeditis, machinas bellicas omnes
ipsis adimit, & progressus, arcem Steinbruccum recuperat: deinde populum
in suam fidem rursus adigit, actisque Deo pro uictoria gratijs, Ioannem Scha
naburgium, Ottonem Ritbergium comites, quòd ipsum subministrandis
Henrico tormentis bellicis & auxilijs grauiter offendissent, nec constitutioni-
bus & mandatis tam Cæsareę quàm Regiæ Maiestatis paruissent, mulctati
&, copijs dimissis, domum ad suos ipse redit. Cæterum Henrico, modo
quo diximus capto, atque Castellas cum filio Carolo Victore abducto, erant,
qui Mauritio Saxoniæ Duci pro pacifica sollicitudine, & fideli labore, calum-
nias & contumelioſas obtrectationes, quasi minus syncera fide cum Henri-
co egisset, sycophantico & nefario ausu rependerent. Mauritius itaque
qui ad diminuendam tam aliorum, quàm suam existimationem istos rumo-
res audacissimè confictos animaduerteret, integram narrationem quomo-
do Henricus cum Carolo Victore filio captus fuerit, publico
scripto edi, quam, cum ad historiam huius belli, &
ad cõprobationẽ fidei rerũ in eo gesta-
rum pertineat, hic quasi colo-
phonis uice subijce
relibuit.

NARRATIO MAV-
RITII DVCIS SA-
XONIAE

NOn arbitramur opus esse, ut quenquam admoneamus sta-
tus rerum & coditionis temporum horum, quippe cum eius-
modi difficultates & pericula in medio sint, ut nemini non
appareat, ante omnia diuino implorato auxilio, cum respe-
ctum rerum præsentium habendum esse, quo & externorum
hostium impetus reprimantur, & intestinis bellis, in sacro
Romano imperio, inq; primis Germanica natione occurratur.

Quæ autem sit in hac iuueníli ætate propensio nostra, ad hanc maximè
Christianitati necessariam curam suscipiendam, relinquimus testandum or-
dinariæ potestati, cui nos subiectos esse fatemur, nec non alijs consiliorum &
factorum nostrorum conscijs.

Ac cùm tempora hæc eiusmodi sint, ut diligente attentione ubique opus
esse uideatur, & concurrentes milites, & uel neminem cui conscribantur, uel
fictum ad speciem nomen profitentes, in suspicionem meritò uocentur: an-
no uerò superiore M. D. XLV. in regione Hadelensi constaret mercena-
rias copias tam pedestres quàm equestres congregari, quæ primum occulta-
rent atq; dissimularent conductoris nomen, mox Regem Franciæ indicarent,
scripsit tum nobis Lantgrauius Hassię, & quid ad se de illis militibus delatum
esset, significauit. Etsi autem de istis copijs uariæ suspiciones poterant tum
concipi

concipi, tandem tamen innotuit, ad ducem has Henricum Brunſuicenſem pertinere, & ut in uerba ipſius iurarent, militari conſuetudine ſuffragijs multitudinis perfectum, & illius ſtipendijs conductos eſſe: quamuis Chriſtophorus Briſpergius Ductor primarius, & alij hoc dudum ſumopere negauiſſent.

Quia uero nemini perſuadebatur, tam pecunioſum illo tempore eſſe Ducē Henricum, ut ſtipendia tot ac talibus militibus perſoluere poſſet, facilè potuit, exiſtimari, uel habere eum ſubminiſtratorem ſumptuū illorum, uel aliquid alio pacto mouere ac conari, ad turbandam Germaniæ quietem. Id quo nimirum non modò ad detrimentum uertere principis Saxoniæ Electoris, & Lãtgrauij Haſsiæ, propinquorum noſtrorum, ſed nobis etiam ipſis dãni aliquid dare poſſet, præſertim ac maximè, cum ſciremus, ab Inuictiſſ. Imperatoris Caroli benigniſsimi Domini noſtri Cæſarea Maieſtate, pacem Duci Henrico mãdatam, & benigniſsimè eam, in hoc propenſam fuiſſe, ut æquis cõditionibus, ditionem ipſius ad ſeſe reciperet.

Cum autem propinqui noſtri, quos memorauimus Elector princeps Saxoniæ, & Lantgrauius Haſsiæ, peterent à nobis auxilia contra uim imminẽtem ditionibus ac terris ſuis: Nosq; cum illis, quemadmodum & maiores noſtri, ea neceſsitudine deuincti ſimus, ut tali ipſorum tempore, deſeri à nobis nõ debere uiderentur, etſi cum alia impedimenta nobis obijciebantur, tum ualetudo aduerſa erat, tamen cum peditum cohortibus & equitum turmis aliquot, ad propinquorum noſtrorum defenſionem profectionem ſumus ingreſsi.

Nihil uero nobis fuit optatius, quàm Dux Henricus, ut poſt Cæſareę Maieſtatis benigniſsimè oblatam uoluntatem, hũc tumultum nõ excitaſſet, aut ab hoc incepto ut reuocari potuiſſet, id quod de literis noſtris intelligi poterit, quas hoc de negocio ad Regiam Maieſtatem ſcripſimus,

Atq; commota expeditione, cum ueniſſemus in oppidum noſtrum Pegauium, allatæ nobis literæ fuêre à Margrauio Ioanne, quibus quærebatur, utrũ nos unà cum ipſo pacificationem tentare, &, ut partes diſsidentes in concordiam redigerentur, utq; controuerſiæ illæ cum bona gratia componerentur, operam dare uellemus. His literis lectis, etſi multa nobis contra hæc in mentẽ ueniebant, tamen ſtatuimus, ſi ambæ partes admitterẽt diſceptationem & tractationem à nobis, nos ſtudio ipſis noſtro non eſſe defuturos. Idq; literis & Margrauio & Lantgrauio ſignificauimus.

Poſt hæc ſimiliter & quidam Comites noſtri, & affinis noſter Ericus Dux Brunſuicenſis, & uidua mater ipſius, nobiſcum de hac tractatione ſuſcipienda egerunt. Cum autem pergentes, ad oppidum Doringiæ Mulhuſium ueniſſemus, accepimus literas à Duce Henrico Brunſuicenſi ad nos ſcriptas, quibus poſtulabatur indicatio uoluntatis & animi erga ipſum noſtri. Ad quas illi reſpondimus: eius ditionẽ nihil morari nos, quod ſi pati nõ uellet interponi tractationem noſtram, aut æquitatis admonitus in refragando perſeueraret, tum uero nos propinquis noſtris auxilium conſiliumq; ſubtrahere non poſſe. Id quod intelligere licet ex utriuſq; noſtrũm literis, quarum exempla ad finẽ huius ſcripti adijci curauimus, illius litera A, noſtrarum B, notatum.

Poſthæc & aliæ literæ ultro citroq; miſſæ fuerunt, interq; has & eæ, quibus Dux Henricus tractationem beneuolentiæ & pacis nobis permiſit. Tum nos per literas illi oſtendimus, quòd conſiliarios noſtros ad diem XVII. Menſis Octobris ad ipſum ablegare uellemus. Et ipſe literas commeatus, ac promiſſę conſiliarijs noſtris fidei ſuæ, nobis tranſmiſit. Verum Dux Henricus aduentũ illorum non expectauit, ſed cum parte copiarum hoc ipſo die propius caſtra Lantgrauij acceſsit, eo propoſito, ut fortunam belli per occaſionem experiretur. Quod quidem factum eiuſmodi eſt, ut ſatis cauſæ deinceps habituri fuerimus, tractationem illam prorſus relinquendi, & præſtandi auxilium atque

cõsiliũ propinq; nostris, quemadmodũ ad eũ Mulhusio perscripserãmus: sed nos cõsideraũimus animo nostro, q̃ pericula ab ímanissimo hoste Turca impẽderẽt, & q̃ multi in utroq; exercitu essẽt uiri fortes, q̃s aduers9 Turcas duci æquius, & melius esset, q̃ mutuis uulneribus aut etiã cædibus affligi. Ideoq; rursũ literas ad Ducẽ Henricũ misimus, q̃ cuiusmodi fuerint, exemplũ illarũ fideliter expressũ, & in fine huius scripti exaratũ cũ nota literæ C, demõstrabit. Quãq; aũt Dux Hẽricus respõdit tũ nobis, & literas cõmeatus renouauit (quarũ & ipsarũ exẽplũ in fine additũ est notatũ litera D,) tñ nostros ita tũc q̃q; expectare iussit, ut sequẽte die XVIII. mẽsis Octob. ad castra Lãtgrauij, quẽadmodũ instituerat, peditatũ & equitatũ omnẽ suũ adducere, & fortunã belli tẽtare inciperet. Nos tñ nihilominus ad eum pergere consiliarios nostros uoluimus, & cofecimus inducias diei unius, ut cum ipso corãm colloqui possemus.

Has inducias quanto cum labore & quàm difficulter à Lantgrauio obtinuerimus, & quantopere cum Lãtgrauius tum alij complures tractationẽ bene uolentiæ ac pacis recusarint, & quàm ægrè ut admitterẽt, passi fuerint sibi persuaderi: Id & ipse Lantgrauius, & alij qui affuerunt ac norunt, planè poterunt commemorare, atque nos etiam ipsi comperimus atq; scimus.

In tractatione autem ipsa ita nos gessimus, ut summam fidem ac diligentiam adhiberemus, ut q̃ honesti & Christiani principis personam præstaremus. Vtriq; parti inprimis multiplicia pericula ob oculos posuimus, & ante omnia præsens discrimen bellorum Turcicorũ, & cohortati illos fuimus, ut odia cõcepta deponerent, & litem transigi paterentur.

Atq; ad hanc transactionem eiusmodi conditiones propositæ â nobis fuerunt, quibus si uti uoluissent, pristina beneuolentia ac concordia sarciri, & pax ac quies instaurari, & præsens damnum ac clades auerti potuisset.

Atq; ipse Dux Henricus, itidemq; omnes qui in deliberatione affuerũt die XIX. cum conuenissemus in monasterio Bibershusensi, confiteri cogẽtur, quã fideliter ipsum admonuerimus dubij & periculosi status publici, & quod proposuerimus eas conditiones, per quas nõ ille modo ad sua omnia rursum peruenire, sed amicitia & mutua uolũtas quoque inter propinquos nostros acipsum conflari denuo posset: quemadmodum illarum ipsarum conditionum capita, scripto compræhensa & ei oblata, planè loquuntur.

Quæ uerò causæ mouerint eum, ut repudiaret conditiones propositas, præsertim æquissimas illas atq; iustissimas, & paci atq; beneuolentiæ renouandæ seruientes: non decernere nos quidem, hoc autem uerè affirmare possumus, si felicis memoriæ principem parentem nostrum, adhuc uiuum, si fratrem Germanum, denicq; si nos ipsos talia forte (quod Deus propitius omen auertat) negocia implicarent, qualibus tum Dux Henricus inuolutus fuit, nequaquam nos similia cõsilia ac pares cõditiones improbaturos ac dissuasuros esse. Vsq; adeo erga utranq; partem summam beneuolentiam ac fidem usurpauimus. Ita enim fuimus animati, ut undiq; pace ac quiete cõseruata, optaremus, & inditionem, quam repetebat, Ducem Hẽricum restitui, & inter propinquos nostros ac ipsum gratiam atq; necessitudinẽ ueterem instaurari: parati diligentia operæ ac studij nostri, hoc ipsum, quoad cõcederet, promouere & adiuuare.

Quod uero minus succesit hic conatus, ferendum scilicet est. Si quis autẽ forte reperiatur, qui in deteriorem partem fidelissimum laborem nostrum interpretari ausit, quasi insidiosè & callidè, aut nescio quo consilio Ducem Hericum eludere, & opportunitatem rei gerendæ præcidere uoluerimus, is quicunq; fuerit (nemini eñ hic parcendũ ducimus) oblitus omnis ueritatis, & honestatis, scelerato mẽdacio impetit innocentiã nostrã, & suã uanitatẽ calliniosa maledicẽtia prodit. Sed cũ (ut dictũ est) fidele studiũ & ueræ beneuolẽtię eo natus noster, die illo XIX. in Monasterio, expers succesus fuisset, nõ sane nullũ ex

ex ea fruſtratione dolorē cepimus. Etſi aūt antea literis Mulhuſio ad Ducē Hē
ricū miſsis, animū illi noſtrū liq̄dò oſtēderam⁹, q̄ in hūc ipſū euentū ꝓpinquis
noſtris auxiliū ac cōſiliū ſubtrahere nō poſſemus: nihilo tñ ſecius nos tūc unà
cū cariſsimo fratre noſtro Auguſto Duce Saxoniæ &c. denūciationē iuſtorū
armorū (ut more maiorū in bellis legitimis fieri cōſueuit) cōſcribi, & cū tubici-
ne Duci Hērico trāſmitti curauim⁹. Id factū eſt x x. die mēſis Octob. quo die
cū exercitu in caſtra Lātgrauij fuimus ꝓfecti. Eodē die miſſę fuerūt à cōſiliarijs
Ducis Hērici literæ ad cōſiliarios noſtros, & uiciſsim ab his ad illos, quarū exē
pla ſubiecta notā p̄ferūt literæ E. Atq̄ eſt reſponſio conſiliariorū noſtrorū eiuſ
modi, ut apertè ſignificet, Lātgrauiū & alios, nō potuiſſe adduci, ut tractatio-
nē amplius pacis admitterēt. Ipſi etiā Duci Hērico haud obſcurè per alterā no
ſtrorum armorum denūciationē, oſtēſum fuit, q̄d in aio nobis nō eſſet, tracta-
tionē deinceps aliquā ſuſcipere. Poſtea cū Lātgrauio & toto exercitu ſublatis
ſignis cōtra Ducis Hērici caſtra profecti ſumus. Cūq̄ uterq̄ exercit⁹ alterū in
cōſpectu haberet, & res geri atq̄ manus cōſeri inciperent, aduenit quidā q̄ no
mē ſibi uſurpat Frid. Speth, cū tubicine ad ordines noſtros, petijt q̄ à nobis
per tubicinē, ut noſtros cōſiliarios ad ipſū ablegaremus, cū quib. certis de reb.
colloq̄ poſſet, cū hoc affuit & Hilmar de Mōchhauſē, ut nos de ſua re cōpella-
ret, q̄d eū ob cōductā operā ipſius à ſignis Brūſuicēſis auocaſſemus. Ibi nos q̄-
buſdā cōſiliarijs noſtris mādatū ipſos audiēdi dedim⁹. Corā q̄bus tū retulerūt,
q̄d cuperent negociū trāſigi, ſecūdū cōditiones à nobis in Monaſterio propo-
ſitas. Et petierūt ut cōſiliarij noſtri añiti & ipſi uellēt, quo caueret, ne tantū ſan
guinis Chriſtiani profūderet. Quę cōſiliarij noſtri hoc ad nos modo retulerūt.
His auditis, nos, ut is princeps, q̄ tū q̄q̄ cuperet progreſsiones malorū, ob ea q̄
paulò antè memorauim⁹, p̄ſertim cū hoc à nobis flagitaret, cōpeſcere, ſtatū ad
Lātgrauiū, eq̄ profecti, q̄d aduerſarij peterēt narrauimus. Atq̄ Lātgraui⁹ in eo
ſermone aliquāti ſper nos fuit remoratus. Et mox ipſe ad Fridericū Spethen et
Hilmarē de Monchhauſen expectātes reſpōſū aduectus: Dixit illis: niſi Dux
Hēricus unà cū filio traderet ſe in poteſtatē Lātgrauij, non eſſe ulli tractationi
locū. Id iuſsit referre Duci ipſos ſuo. Hīc illi inſtare & orare nos, ut adiumento
ſibi eſſemus ad cōmodius reſpōſum auferendū. Tum nos illis ita reſpōdimus.
Audiuiſtis reſponſum q̄d Lātgrauius uobis dedit. Quod ſi intereſt Ducis Hē
rici ut nobiſcū colloquat, nunc etiā nō grauabimur ad ipſū ultra foſsā iſtā acce
dere, ut inter nos uerba fiāt. Hoc illi receperunt ad Ducē Hēricū referendum.
Poſtquā igit̄ inter Ducē Hēricū & nos cōuenit de tuto cōgreſſu, tū nos uecti
equo obuiā ultra foſsā proceſsimus equeſtri & illi. Cū fuiſſemus cōgreſsi, neu
ter ordiri orationē aliquādiu uoluit. Tandē nos his eū uerbis fuim⁹ affati. Do-
mine, q̄d facturos uos eſſe cōſtituitis? Nā nō dubitabam⁹ q̄n Speth & Mōch
huſius expoſuiſſent poſtulatum Lātgrauij Dūci ſuo, nēpe ipſe ſeſe ut unà cū
filio, in poteſtatē Lātgrauij traderet. Ad hāc interrogationē Dux Hēricus re-
ſpōdit his uerbis: ego cōſtituī me facturū oīa q̄ mihi nō fuerit inhoneſta. No
bis aūt, quidnā ergo cōſtitutū haberet, amplius q̄rentibus: ego, inquit ille, uti
cōditionib. ijs, q̄ ſūt à ueſtra beneuolētia nudiustertius latę in Monaſterio, &
ſecūdū has admittere tranſactionē uellē. Ad q̄ nos ſtatim reſpōdimus: de his à
nobis nihil agi tractariue poſſe, q̄d animaduertiſſemus Lātgrauiū in aliā nul-
lam cōditionē eſſe cōſenſurū, niſi ut in illius poteſtatē ipſe cū filio ſeſe traderet.
Neque eum illo die commodiorem explicationē negocij facilè eſſe reperturū.
Nos etiam pro re nata, quid aliud cōſuleremus, nō habuimus. Neq̄ em ipſe
profectò inficias ibit, ſe paulò antè, fortaſſe q̄ ſtipendia nō ſoluerent, à Briſper
gio in quodā monaſterio inuitū detētū fuiſſe. Ideoq̄ nihil habuit melioris ſpei
à quibuſdā, ut maxime tū diſcedere & ſeſe recipere uoluiſſet. Ipſe etiā Dux Hē-
ricus & in exercitu p̄cipui, optimè norunt, q̄d ad uerſperam ſuperioris diei ac-

ciderit, & fuerintne discordiæ inter ipsos ortę, ita ut alteri álteros sese dimittere dicerent. Hoc nos uidimus, q̃d peditatus ipsius celeriter iter arripuerit, & nostris ac cæteris ordinibus terga obuerterit. Ipseq; postea questus fuit, Brispergensem erga se iniustiorẽ & improbiorẽ fuisse, quã erga Lantgrauiũ, præterea cõsternationẽ animi ipsius, ad lachrimas usq; etiã profusas uidimus. Cũ illi, sine dubio, uariæ ac multiplices cogitationes circũstantiã periculorũ, (quæ nũc enumeranda nõ sunt) in primis uerò in animo hoc fuit, q̃d oculis etiã cerneret, se ac suos illo die nullã bonã de uictoria spem cõcipere posse: Q̃d quidẽ ad colloquiũ nostri locũ attinet, multò ille tutiore hoc fuit, quã nos. Inter exercitꝰ eñ fossã intercedebat, per quã nos ad eũ, nõ ipse ad nos trãsuectus fuit. Cũ postremò ostẽdisset, q; uellet se & filium suũ tradere in potestatẽ Lãtgrauij, prouecti nos fuimus ad Lantgrauiũ, ut hoc illi indicaremꝰ, et ex eo cognouimꝰ, q̃d Ducẽ Henricũ ita tractare uellet, ut Principe dignũ esset. Interea tẽporis Dux Hẽricus substitit ultra fossam, loco tuto & periculi experte, fuitq; ei integrũ pro arbitrio, quocunq; libuisset, discedere, & deliberare atq; statuere quid sibi faciendũ esse uideret. Atq; cõspectus fuit tũ cũ quibusdã ex suis, qui comitati ipsum fuerant, huc illuc equo uehi, & sermones cõferre. Postea nos unũ de cõsiliarijs nostris ad eũ misimus, qui ei significaret, si constituisset se ea esse facturũ, q̃ponostris ad eũ misimus, qui ei significaret, si constituisset se ea esse facturũ, q̃ postremò ostendisset, & quibus auditis, nos ab eo discessissemus, posse eũ accedere. Itaq; ille sua spõte fossam equo transijt, et ad nos ac Lãtgrauiũ appropinquare cepit. Cũ, nisi uoluntas ac propositũ esset dedendi se, tuto & nemine prohibente, se ad suos recipere posset. Verũ, dũ ultra fossam cũ eo colloqueremur, magna ui & uehementi impressione in impetendo hostẽ Lantgrauius usus, et de tormẽtis ac machinis crebros globos horribiliter eiaculatꝰ fuit. Vsq; adeo ut nos aliquantulũ cõmoti ad eũ miserimus postulatũ, ut impetũ belli reprimeret: q̃d considerandũ esset, cũ Dux Henricus & nos ita cõuenire uoluissemus, ut tuta esset sine omni dolo accessio & digressio, si inter hæc uis ei aliqua afferret, ne contrariũ hoc significationib. illis tuti accessus & recessus esse uideret. Et constat postea Lantgrauiũ repressisse impetũ belli, neq; quicq; uiolẽtiæ aut periculi Duci Hẽrico oblatũ fuisse. Cũ aũt (quemadmodũ retulimus) Dux Hẽricus post nostrã recessionẽ, cũ uno ex consiliarijs nostris, (quẽ post primã statim cũ Lantgrauio collocutionẽ ad ipsum miseramus) sua sponte absq; ulla coactione, necessitate ac ui, fossã transijsset tẽdens ad nostrũ exercitũ, ibi tũ nos aliq̃ spacio itineris illi ut ætate grandiori, obuiã honoris causa, pdijmus, & cũ eo ad Lantgrauiũ perreximus. Postquã cõuenerũt Dux Henricus cũ filio, Lãtgrauius, & nos, fuere sermones inter Ducẽ Henricũ & Lantgrauiũ habiti ijs, q̃tũ utercq; recordari et meminisse sciet ac poterit. Eorũ aũt sermonũ hîc fuit finis, ut diceret Lantgrauius: uult igiẽ Dux Hẽricus & filius ipsius in meã sese potestatẽ tradere. Ad q̃ nos pariter ac Dux Hẽricus tacuimus. Neq; habemus certi qcquã affirmare, utrũ hęc à Duce Hẽrico exaudita fuerint, an nõ. Tũ Lãtgrauius eadẽ uerba repetẽs, iterũ interrogauit, an tradere se Dux Hẽricus & filius ipsius Lãtgrauio uellet. Respõditq; Dux Hẽricus libere, absq; ulla instigatione ac ui: Ita, inquit, uolo tradere me unà cũ filio meo in potestatẽ tuã. Quo quidẽ etiã ipso tempore nequaquã cõtrariũ nobis accidisset, ille aliter esset animatus atq; sẽtiret, neq; deditionẽ faciẽdã esse putaret, ut hoc uel nobis uel Lãtgrauio indicaret. Ita eñ pfectò ad suos tuto illi reuertẽdi potestas fieri debuisset.

His ad hunc modum gestis, designati fuerunt à Lantgrauio ex nobilitate quidam qui seruarent Ducem Henricum. Quorum bona pars tum audiuit querelas ipsius, quibus apud nos usus fuit, de scelere & perfidia Brispergij.

Ex his omnibus fideliter & uerè expositis planum fit, & potest unusquilibet intelligere, quod ad postulata & preces eorum, qui tum opera sua inseruerunt et addicti fuere Duci Henrico, ita nos gesserimus atque tenuerimus, ut decuit

decuit constantem Principem & ueracem, nec non honestatis & inprimis quietis ac pacis Germaniæ amantem, & cupidum auertendi clades & calamitates incitatas & fortasse latius uagaturas in sacro Imperio, & prohibere gentem cruentam cædem hominum Christiani nominis. Qui Ducem Henricum ne uerbo quidem circumuenimus aut induximus, aut insidiosum illi captiosumue ac malitiosum consilium dedimus. Ac contrà, summa potius animi affectione agendum negocium suscepimus, & diligenter ac fideliter administrauimus, & nihil fecimus aliter quàm dignum esset Principe pio ac honesto. Atque ferre ac pati possemus, si omnino aliqui consilia & actiones nostras culpare uellent, ne illo die XXI. mensis Octobris, interpellata res fuisset per eos qui ad nos Duce Henrico uenerunt, & ea petierunt ac locuti fuerunt, quæ suprà retulimus: utq; omnia, quemadmodum ante oculos eo die habuimus, sic abirent atque perficerentur. Etsi nos nequaquam delectaret hic euentus, propter partis aduersæ multos fortes & bonos uiros, qui studio nostro, eo, quod boni & cõstãtis & Christiani principis esse debuit, & pia solicitudine perpensa, grati erga nos fortasse reperiuntur.

Ac nos tum quoque ea mente ac uoluntate fuimus, moti quidem miseri cordia Ducis Henrici Principis afflicti ac mœsti, & aliorum, ut nos annisuros, negocij aliquem finem reperire, & tractationum atque transactionum laborem susceпturos esse etiam tunc cogitaremus. Id quod per consiliarios nostros Zigenhainum & Castella missos, Duci Henrico & filio huius humanissima indicatione significauimus. Quibus etiam ille maximas gratias egit, & insuper petijt ne grauaremur operã in hoc nauare, ut felicẽ exitum res sortiret.

Post quæ nihil diligentiæ à nobis omissum fuit. Neque ad Lantgrauium modò his de rebus literas, sed nostrum etiam intimum scribam sæpius, ac deinde consiliarios nostros cum accuratè scriptis literis, mandatis ac precibus, misimus. Cum autem Lantgrauius negocium à se ad ordines fœderis reijceret, nos tum destinare quendam é nostris qui proficisceretur Francofurtũ ad Mœnum, ad ordinum illorum Legatos, non intermisimus, parati eodem & ipsi uenire, si intelligere potuissemus, fore ut illo tempore ac loco tractatio suscipere tur, nobisq; copia negocij agendi daretur.

Sed multiplicibus literis ac legationibus hactenus quidem aliud nihil perfectum à nobis fuit, neq; aliud responsum potuit obtineri; quàm responsum ut differretur, nobisq; diceretur, postmodo illud petere nos debere. A quo certè neq; suptus neq; molestias itineri, si nobis etiam aliq; pficiscendũ fortè fuerit, passuri sumus nos deterrere, modò hæc ut meta sit studij ac laboris nostri.

Verum enimuero comperimus, fideles & beneuolentiæ plenas rationes, et sincerum consilium, & honestissimas actiones nostras, à quibusdam culpari, quasi captiosas & insidiosas, qui nostra dicta & facta, omnia ad honestatem et communem utilitatem directa, improbè deprauare et cauillari audeãt. Ac miramur, neq; excogitare possumus, quid illi obtrectatores uanissimi, similitudini saltem ueri prætexere soleant, ne crimen hoc falsò in nos conferre uideantur. Nam ea est et dignitas (Deo laus) generis ac stirpis, et honestas uoluntatis nostræ, ut neq; ortus neq; ingenij nostri cõsideratio, cõmouere tales suspiciones debuerit. Nõ etiã pfectò arbitrabit aliquis, cupiditate pecuniæ (quã ibi expendendi occasio fuit) aut spe nescio cuius lucri (illic loci neutiquam sperandi) aliquid nos callidè ac uersutè cogitasse atque fecisse. Multò minus fauore motos propinquorũ hoc nos facere ausos. Nec illi em̃ quicq; tale postularẽt. Etsi postularent (quod nunquam Principes illi laudatissimi facerent) nos ad postulata respueremus, & refutaremus postulatores, neque in his sanguinis propinquitatisq; aut beneuolentiæ coniunctionem agnosceremus. Neq; hoc dici

dici poteſt, odio nos impulſos, aut inuidia extimulatos, ad huiuiſmodi fraudu lẽtas actiones deflecti potuiſſe. Nam ea fuit illo die occaſio, ut ſatisfieri hoſtili etiam crudelitati, & aduerſarij proteri aperto Marte poſſe uiderentur. Quamuis autem iſta opportunitas non fuiſſet, nos tamen aleam belli experiri, & diſcrimen euentus ſubire, quàm aliquam turpitudinis ac doli tractationem ſuſcipere maluiſſemus.

Poſtquam uerò exiſtunt quidam, qui pro hac noſtra pacifica ſolicitudine & pia diligentia, & fideli labore, maledicta confictasq; calumnias, & contumelioſas obtrectationes, ſycophantico & nefario auſu, nobis rependunt, ideo ne ceſſe eſt, ut ueritati nixi, defendamus innocentiam noſtram. Non horum quidem hominũ nihili reſpectu, qui potius ſilentio ſpreti ac deſpecti â nobis prætereundi fuerunt, ſed aliorum quorundam gratia, ad quos fama mendaciorũ & maledictorum illorum permanare fortè poſſet.

Ante omnia autem uolumus hac diſtinctione nos uſos planè eſſe exiſtimari, quod ſine dubio in exercitu Ducis Henrici multi fuerint uiri fortes ac boni, & in grauibus bellis cum laude uerſati, quos ueritate magis affici, quã figmentis & mendacijs capi, & gratiam debitam nobis habere atque agere, pro ſtudio erga ſe noſtro, confidimus. Ad quos hanc defenſionem noſtram, illum in euentum pertinere, exiſtimari non uolumus. Ac illis benignè potius cupimus, amanterq; erga eos ſumus affecti.

Præterea, ſanè credimus, Ducem Henricum & filium ipſius, Principes eſſe mœſtos, & fortaſſe fouere ſpem aliquam, poſſe ſe ſtudio noſtro urgere liberationem ſuam. Qui quidem niſi cupiditate liberationis ſuæ, ueram & fidelem narrationem hanc noſtram, in aliam partem fuerint interpretati, quemadmodum nec ulla firma interpretatio alia reperietur: nos ita ſumus animati, ut cupitam ditionem ſuam, nunc etiam reſtitui eis optemus: et in hoc, quantum ordine & recte, & pace ubiq; ſalua fieri poterit, diligentiæ, ſtudij ac operæ parcere, non uelimus. Vſque adeò ut profectiones etiam & itinera huius rei cauſa nos ipſi non grauatim ſuſcepturi ſimus. Hoc ſi non fecerint, ac in deteriorẽ hæc partem acceperint, tum nos in ſequẽte defenſione noſtra et ipſos incluſos neque uſpiam exceptos eſſe uolumus.

Ac dicimus proinde, ſi quis de nobis ſentit, loquitur, canit, aut ſcribendo euulgat, quod nos captioſè, aut in Ducis Henrici fraudem, non fideliter, neque tranquillitatis publicæ, non ipſius etiam Ducis Henrici reſpectu, pacificationem inſtituerimus, & rem cum bona gratia tranſigi ſtuduerimus: Siue quod aliter quicquam, hac in re, & hoc concordiæ ac quietis inter utraſq; partes, conatu, conſuluerimus aut egerimus, quàm Principem honeſtum decuerit & facere oportuerit, quanq; ſecuti ueſtigia parentum ac maiorum noſtrorum, lautiſſimorum Principum, facere debuerimus: ſiue quòd cõſiliarij noſtri ſupplices antè Ducem Henricum procubuerint: ſiue quòd nos accerſitis ad nos Duce Hẽrico & filio ipſius, in cauſa fuerimꝰ ut caperent: ſiue q̃ die mẽſis Octobris XXI. pmiſerimus, curaturos nos eſſe, ut negocium ſecũdum propoſitas in Monaſterio Bibershuſenſi conditiones, trãſigeretur, & hac ſpe fretum Ducem Henricum nobiſcum ad Lantgrauium peruenijſſe: Siue quòd illo die, aut alio quouis tempore uitæ noſtræ, cum Duce Henrico filioúe ipſius, per nos aut noſtros, quicquam aduerſus officium boni & honeſti Principis tractauerimus: Siue quòd in hoc bello, ſcientes, uolentes, in fraudem & detrimentũ, interpoſita pacifica perſona, agendo, ſuadendo, colloquendo, ipſum impuleri mus: Siue quòd inter nos & ipſum, ullius unquam iurisiurandi mentio facta fuerit: Is igitur iniuriam petulanter nobis facit, & in nos hæc manifeſto, impro bo, ſcelerato mendacio compoſito, malitioſè & doloſè cum extrema impudẽtia

ſia comminiſcitur atq; confingit, contra omnem dignitatẽ, nobilitatem, honeſtatem, ueritatem, & boni ac integri uiri officium. Nemine prorſus in hac mentione (cuiuſcunque loci ac ordinis fuerit) excepto. Et nos (fauente Deo) hoc perficiemus, ut hæreditariam principatus noſtri laudem ac decus, aduerſus iſtos nequiſsimos & futiliſsimos obtrectatores, & horum cõplices, quemadmodum principem par, & rectum eſt, defendamus atque tueamur omnibus uiribus & modis, ad ultimum uſque diem uitæ noſtræ.

Nam hoc poſſumus (gratia Deo) uerè perſcribere, illo die in propinquis noſtris & nobis, noſtrarumq́ue partium copijs, tantum uirilis animi ac ſanguinis fuiſſe, & ſeſe oſtendiſſe atque protuliſſe: ut nihil prorſus eſſet cauſæ, cur uel minima occaſio iſtis mendacibus, ad talia cõminiſcenda, daretur. Id quod nihilo magis factum à nobis fuiſſet, etiamſi ſoli cum exercitu noſtro, in cãpo et acie ſtaremus, quòd multò citius fortunam periclitaturi, & omnem caſum belli ſubituri fuerimus.

Quo uerò certius ac manifeſtius iſtorũ falſiloquorum & mendacium nebulonum uanitas, ob oculos ponatur, non poterit profectò, neque Achim Riba, neque alij qui tum affuerunt, inficiari: quòd poſt factam deditionem Ducis Henrici & filij ipſius, cum inciperent illi aliquid odioſius loqui, Lantgrauius tum dixerit: Quandò tam feroces eſſent, etiam tunc ipſos poſſe ſecum abducere Ducem ſuum, atq; omnes uires exerere in illo protegendo, & robur ſuum declarando. Ad hæc par fuerat, ut ſecum abducerent Ducem Henricum, ſi tam animoſi ipſi, & Martia proles iſta ſunt, quã ſeſe eſſe iactitãt. Aut ſi quid animaduerterunt ſecus fieri quàm oporteret, quamq́ue nos factum eſſe commemorauimus, refragari certè debuerunt.

Sed nos uaniſsimorum hominũ falliſsimas criminationes, & inaniſsimas calumnias, & cõficta probra quæ de nobis ad uulgus comminiſcuntur, credere cogimur eò tendere, ut hoc pacto ſuam ignauiam, & erga Ducem perfidiã illius diei, tegant quærentes quòd quaſi pallium obducãt deſertioni ſuæ & trepidationi. De quo & ſtatim, & poſtea ipſe conqueſtus fuit. Et quod illi, qui iã eſſent uarijs flagitijs ac ſceleribus infames, & nonnulli, decocto patrimonio, paupertate oppreſsi, ſperauerint propelli illam quaſi rotam concinnatam poſſe ulterius, neq; finem hunc machinationum ſeſe facturos, quãuis Ducis Henrici negocium componeretur (niſi ipſe deditionem feciſſet) ſed experturos omnia, ut amplius in Germania turbarent, & longius quaſi aleam iacerent, nimirum ſpe acquirendi opinionẽ gloriolæ alicuius, & pariendi rem armis. Vnde quod in diſcrimen res Germana uenire potuerit, quis non uidet? Et hoc etiam euentu, tamẽ cautione profectò in iſtis obſeruandis opus eſſe magnopere uidetur. Atq; utinam ex iſtis leuiſsimis hominibus, quoquo modo ueritas tam de conſilijs atq; actionibus noſtris, quã de ipſorũ propoſito ac ſpe, extorqueri poſſet. Ita certè, cum palàm fieret, quid deliberatum eis fuiſſet, aduerſus Magdepurgenſem & Halberſtadenſem ditionẽ, atq; alias etiã fortaſſe, conari uelle, quidq; cogitaſſent omnino poſtea moliri, tũ intelligi ipſis daretur, quomodo Maieſtatem Cæſaream ac Regem & ordines imperij erga ipſos affici neceſſe fuerit, & quam mercedem obedientiæ atq; laudis expectare eos oportuerit. Atque hæc non de innocentibus ſed nocentibus accipi uolumus. Proinde à Cæſarea & Regia Maieſtate, ab Electoribus & reliquis principibus ac ordinibus ſacri imperij, maxima ſummiſsione & familiariter, nec non beneuolè atque benignè petimus & poſtulamus: Si quid fortè horum nihili hominum hac de re ſermonum, poematum aut ſcriptorum, ad ipſorum Maieſtatem, beneuolentiam, & alios delatum ſit aut deferatur, ut neq; locum neque fidem his apud ſe relinquãt, neq; aures aſſenſionemũ

nemúe præbeant. Neue apud se aut in suis territorijs sedem eis esse sinãt: Neu cõmeatu adiuuent tutosq; præstent: aut ulla ratione protegant ac foueãt. Sed ut tanquam atrocium iniuriarum autores, seditionumq; & conspirationũ artifices ac uentilatores, comprehendi atq; custodiri iubeant, secundum legitimi iuris præscriptionem: ut nobis copia detur ius erga illos nostrum persequẽdi: utq; proferatur in lucem omnibusq; innotescat, quales sint, & quæ animo cõcepta ac meditata habuerint: Et qua temeritate, falsitate, ꝓcacitate, qbusq; mẽdacijs honorem & existimationẽ Principis innocentis impetiuerint & lædere conati fuerint. Nam nos (quod absq; iactantia dicatur) et hac in expeditione & bello isto, & tota uita nostra (gratia Deo) ita nos gessimus, ut bonum & honestum ac constantem Principẽ decet. Et similiter, fulti ope diuina, deinceps quoq; nos geremus, ut cognoscatur atq; declaretur, nullius rei in terris respectu & emolumenti spe, cõmittere nos uelle, ut qcquam faciamus, qd existimationi ac dignitati boni Principis, aut parẽtum, maiorumúe nostrorũ laudatiss. Principum nomini & famę cõtrarium esse, quodúe minus Cæsareæ & Regiæ Maiestati, & uniuersis procerib. ac ordinib. sacri imp. probari, aut apud ullos mortales meritã ac iustam repræhensionem incurrere posse uideatur. Ob hoc memoriam erga Cæsaream Regiamq; Maiestatem, Electores & reliquos Principes ac ordines Imperij, ita ut æquum dignumq; fuerit, in summissione maxima, & summa benevolentia ac benignitate, ac clementia, præstare omni tempore ac loco studebimus. Neq; ullam occasionem, qua debitæ atq; congruentis gratiæ referendæ cupidissimos nos esse declaremus, sumus prætermissuri. Perscripta hæc fuere in urbe nostra Lipsia, quinto die mensis Aprilis. Anno à salutifero Iesu Christi partu M D XLVI.

LITERAE DVCIS HENRICI
MANV IPSIVS, VT SOLET, subscriptæ.

Post consuetum initium & præmissam salutationem.

QVo pacto nos contra diuinum & humanum ius, contraq; omnẽ honestatem, sacri Rom. Imperij constitutiones, & pacem publicam, nulla à nobis occasione aut causa data, per uiolentiam expulsi simus solo & ditione nostra, de hoc non est opus admonitione apud benevolentiã uestram, ut manifesto facto & renotoria. Quanquam autem in spe fueramus aduersarios nostros deberi nobis legitimam restitutionem tandem confessuros, & nos omni ex parte restituturos fuisse: Quoniam hoc illi post multas habitas tractationes non fecerunt, neq; facere uolunt: Ideo nos ad auertẽdam â nobis & liberis nostris perpetuã inopiam, coacti fuimus suscipere & sumere in manus præsentem hanc defensionẽ nostri, solummodo ad recuperandum. ereptum nobis, ut significauimus, solũ & ditionem nostram, simulq; ut reponantur nobis factæ impensæ & accepta damna & quantum nostra interest. Sed nos rescíscimus, Vestram benevolentiam, unà cum alijs, in magno esse apparatu, ad impediendum nos, in hac legitima nostra, & pmissa nobis pace publica defensione, ac recuperatione nostrorum. Quia uerò huic rei nos benevolentiæ uestræ causam in uita nostra nullam unquam dedimus: neque scimus inimicitias aliquas inter nos esse, neque nobis aliud aut præterea quicquam in animo est, quàm recuperandi memoratum solum patrium nostrum, cum impensarum, damnorum & eius quod

quod noſtra intereſt, repenſione, propterea huic indicationi fidē adhibere non poſſumus. Eaq; de cauſa de ueſtra beneuolentia nobis perſuadere uolumus. Quod illa ſeſe contra nos commoueri non paſſura, ac potius ac multō magis nobis adiumento & auxilio futura ſit, ſicut Princeps obediens Imperij, ſecundum conuentiones huius, ad ſtabiliendam pacem publicam in Imperio. Etſi autem de his nihil nos ambiguitatis facere uobis uolumus, petimus tamen â ueſtra beneuolentia, ut ad hæc illa nobis explicatam & ſcriptam reſponſionē, per hunc noſtrum tranſmittat, Quid in hoc caſu â ueſtra beneuolentia, debeamus nobis polliceri, & quid non. Pro hoc ad officia mutui amoris ſumus appenſi. Datę in caſtris noſtris ad Vulfēbuttel die V. Octob. Anno &c. XLV.

Ad Mauricium Ducem Saxoniæ &c.

RESPONSIO MAVRICII DVCIS SAXONIAE ETC. AD SVPERIORES LIteras Brunſuicenſis.

Poſt conſuetūm exordium & præſcriptam ſalutationem.

VEſtræ beneuolentiæ literæ datæ V. huius menſis die, hīc Mulhuſij nobis hodie redditæ fuerunt, quibus nobis ſignificatur â beneuolentia ueſtra, de apparatu belli â ſe hoc tempore ſuſcepto: Quid etiam illa reſciuerit de noſtra expeditione, unâ cum addita petitione, remittendæ, quid ueſtra beneuolentia debeat ſibi polliceri de nobis, & quid non, in hoc caſu. Has ueſtræ beneuolentiæ literas per omnia quæ complectuntur perlegimus. Et nolumus cælare beneuolentiam ueſtram, quōd hac ipſa hora qua nobis literæ illæ redditæ fuerunt, ſcriptum quoddam ad ueſtram beneuolentiam curaueramus confici. Quod ſimul nunc per tubicinem noſtrum illi tranſmittimus, de quo noſtrum animum omni ex parte ueſtra beneuolentia cognoſcet. Sumuſqûe ad officia amoris erga beneuolentiam ueſtram omni uoluntate parati. Datæ Mulhuſij die XII Octobris, Anno &c. XLV.

Ad Ducem Henricūm Brunſuicenſem.

EXEMPLVM LITERARVM AD DVCEM HENRICVM A MAVritio Duce Saxoniæ &c. primō miſſarum de uoluntate ſua.

Poſt uſitatum principium & ſalutationem &c.

DElatum ad nos per fide dignos fuit, Veſtram beneuolentiam hoc tempore copias quaſdam tam pedeſtres quām equeſtres coegiſſe, & harum opera bellum gerere inſtituiſſe. Nos autem in ea fuimus opinione, quōd illuſtriſsimi Principes, Ioannes Fridericus Dux Saxoniæ, Princeps Elector &c. Et Philippus Lantgraui9 Haſsiæ &c. Noſtri cariſs. & dilecti, pater et cōpater: nec nō alij cū ipſorū beneuolētia cōfœderati, apud Cęſ. Maieſt. dominū noſtrū benigniſs. in hoc conceſsiſſe

conceſsiſſent, ut illus Maieſtati, beneuolẽtia ipſorũ principatũ Brunſuicẽſem, iure ſequeſtro, offerret ac traderet: Et deinde Cæſarea Maieſtas, ſub pœna ab ipſius Maieſtate promulgatæ pacis publicæ, ueſtræ beneuolentiæ mandauiſſet: nequid ueſtra beneuolentia, contra memoratã in mandato cõuentionẽ ea capita, agere: neue ante bonæ gratiæ aut iuris obtẽtã deciſionẽ huius cauſæ, per ſe ipſam aut alios facto, & per inimicitiã, clã palamũe, ulla ratione aut uia, aduerſꝰ ſuprà nominatos propinquos noſtros et alios, aduerſusq; horũ terras ac ditiones: itemq; aduerſus poſſeſſores & incolas, quicquam moueret, ſed ut bonæ gratiæ compoſitionem, aut iuris executionẽ, ita expectaret. In ea igitur nos opinione fuimus, ꝙd ueſtra beneuolentia, his acquietura, & poſt hæc nullis turbis cauſam datura eſſet: Nam Cæſarea Maieſtas, ſine dubio non fuerat neglectura deciſionẽ bonæ gratiæ uel iuris. His aũt omnib. incõſideratis, etiã Cæſ. Maieſt. mãdato ita ſepoſito cũ ueſtra beneuolẽtia, tãtã uiolẽtiã, uſurpare inſtituiſſet, à noſtris tũ ꝓpinq; auxiliũ et cõſiliũ noſtrũ fuit req̃ſitũ. Ac nos ꝓpter copias quaſdã, pẽlis uarijs negocij circũſtantijs atq; rationib. collegimus. Quoniã aũt gratiſsima nobis accideret cognitio pacis, & auerſio maioris diſſidij. Ideo, ſi ueſtra beneuolẽtia intra hunc & proximũ Veneris diem, nobis per literas ſignificaret, quod noſtrã interpoſitã tractationẽ, & æquitatis admonitionẽ, pati uelit: non abhorreret animus noſter à conatu tranſactionis amicę, per nos ſolos uel etiam cum alijs adiuuandæ, de quo tum & ſentẽtias propinquorum noſtrorũ cognoſcere ſtudebimus, neq; diligentiæ operæ noſtræ parcemus. Quod ſi beneuolẽtia ueſtra detrectauerit nobis copiã facere amicæ tractationis, & admonitionẽ æquitatis ſequi noluerit, cum nos illis propinquis noſtris, non modo ſanguine, ſed etiã hæreditario, à Romanis Cęſaribus ac Regibus confirmato, & à noſtris maiorib. iurato fœdere, deuincti ſimus: tum igitur ueſtra beneuolentia poteſt intelligere, quod committere nequeamus, illorum beneuolentiæ ut auxilium & conſilium noſtrũ ſubtrahamus. Etſi, extra hoc, & quod ad noſtram perſonam attinet, adhuc quidem nullum inimicitiarum cum ueſtra beneuolentia negocium habemus, Neq; ueſtræ beneuolentiæ ditionem quicquam nos moramur. Atq; hoc ueſtram beneuolentiam, bono affectu cælare noluimus propenſi, extra hunc caſum, ad officia erga illam amoris mutui. Datæ Mulhuſij die XII. Octobris Anno. &c. XLV.

LITERAE MAVRITII DVCIS SAXONIAE, ETC.

Poſt ſolitum initium, & ſalutationem præſcriptam.

SIcut ſcripſimus ad beneuolentiam hodie ueſtram, uelle ad huius diei ueſperam, noſtros conſiliarios, ad beneuolentiam ueſtram mittere, ita fuimus ad hoc exequendum propenſi. Poſtquam uerò reſciuimus quod ueſtra beneuolentia aliquot turmas equitum, ad caſtra cariſs. & dilecti patrui patris & compatris noſtri Lantgrauij Haſsiæ &c. hodierno die miſerit, ex eo in ablegandis conſiliarijs noſtris cunctantes deliberationem ſuſcepimus. Si tamen beneuolentia ueſtra, nunc etiam ſimiliter animata eſt, & hoc pati uult, nos auxiliante Deo, & intercedente renouatione commeatus ac fidei promiſſæ conſiliarijs noſtris, ad ueſtram illos beneuolentiã craſtino die cũ prima luce ſumus ablegaturi. Petimus itaq;, ut ueſtra beneuolentia, de uoluntate ſua, & quid ſibi placeat, nos reddat certiores. Ob quod nos ad gratiam ueſtræ beneuolentię referendam ſumus propenſi. Datæ in caſtris ad Northemiũ, die XVII. Octobris, Anno &c. XLV.

Ad Ducem Henricum &c. RESPON-

RESPONSIO DVCIS BRVNSVICENSIS.

Post consuetum exordium & præscriptam salutationem.

NEstræ beneuolentiæ literas, quòd illa suos consiliarios hodie cum prima luce ad nos ablegare uelit, per omnia quæ in illis comprehenduntur, amicè intelleximus. Iam non opus est aliqua de prioribus literis nostris erga uestram beneuolentiam admonitione: quibus adhuc quoque acquieſcimus. Et quod semel à nobis perscriptum est, id firmiter seruare sumus propensi. Possumus itaq; bene pati ut uestræ beneuolentiæ consiliarij aduenìant, illisq; prius à nobis datam commeatus fidem simul nunc quoq;, ad oblatum colloquium in hodiernum diem renouatam & productam esse uolumus. Hoc amici responsi loco, uestram beneuolentiam celare noluimus. Datæ in castris nostris ad Calueldium, die XVIII. Octobris, Anno &c. XLV.

Ad Mauricium Ducem Saxoniæ &c.

LITERAE CONSILIARIORVM DVCIS HENRICI BRVNSUICENSIS.

Post salutis præscriptionem, & compellationem usitatam.

NOs inter nos perpendimus, ualde profuturum, ad expeditiorem promotionem hesterno die habiti colloquij & susceptæ tractationis, si uos & nos conueniremus, & ita de omnibus necessariam collocutionem instituereмus. Quod si idem pariter & uobis placuerit, petimus à uobis familiariter, ut quàm primum ad monasterium, in quo hesterno die ambo principes, benigni Domini nostri congressi fuerunt, uos conferatis. Sumus nos propensi eôdem & ipsi ad uos aduenire, & ad perficiendam rem, hoc agere cum Illustriss. principis nostri copijs, ut extra omne periculum uos sitis, confidimusq; similiter uos idem apud aduersarios, & horum copias acturos atq; curaturos esse. Hoc uos, quibus familiariter inseruire sumus parati, cœlare non potuimus. Datæ in castris ad Calueldium, die XX. Octobris, Anno XLV.

Ad consiliarios Ducis Mauricij Saxoniæ. &c.

LITERAE CONSILIARIORVM MAVRICII DVCIS SAXONIÆ etc.

Post initium solitum & salutationem præscriptam

NEstras literas ad nos scriptas perlegimus. Quibus significatis, uos esse arbitratos hesterno die habito colloquio & tractationi profuturum, ut nos uobiscum in Monasterio, in quo ambo principes congressi fuerunt, conueniremus, ibiq; de omnibus necessariam inter nos collocutionem instituereмus. Iam manifestè res eo loci est, quẽ

madmodum & quidam ueſtrùm ipſi perſpexerunt, quod illuſtriſſ. princeps noſter Dux Mauricius, & nos, omnem quam potuimus operam nauauimus, ut huius belli certamen cum bona gratia tranſigeretur, atq; remoueretur. Quod ſi princeps ueſter, conditiones ab illuſtriſſ. principe noſtro, heri propoſitas accipere uoluiſſet, tum nihil prorſus dubitaremus, quin hæc bonæ gratiæ tractatio apud Lantgrauium & alios coniunctos, locum habitura, & accepta aut admiſſa fuiſſet. Cum uerò hoc factum non ſit, neq; ſuccedere uoluerit, non potuit illuſtriſſ. princeps noſter, neq; nos potuimus, poſt omnibus uiribus operam, ueſtris literis lectis, nauatam, ullam amplius amicam tractationem à Lantgrauio obtinere. Ac noluit omnino Lantgrauius ullam poſt hac nobis bonæ gratiæ tractationem permittere. Hoc uos uicißim reſponſi loco, cælare non uoluimus. Datæ in caſtris ad Northemium xx. die Octobris. Anno XLV.

Ad conſiliarios Ducis Henrici Brunſuicenſis.

FINIS.

PAVLVS IOVIVS DE BELLO IVLIACENSI.

1543 CAeſar ab Italia Pontificeq; diſcedens, ad Belgicum profectus bellum, ad Bonnam Vbiorum oppidum iuxta Coloniam Agrippinam, copias cõegit atq; recenſuit. In his fuêre Germanorum peditum quatuordecim millia mercede conducta, atq; item ſingula quaterna millia Italorum & Hiſpanorum. His præerant duo tribuni, Aluarus Sandæus, & Ludouicus Pretius: illis uerò Camillus Columna, & Antonius Auria, qui illos ex ſibi notis ueteribusq; militibus in Italia conſcripſerãt. Ad hos quoque Aurantius regulus Belgarum, peditum duodecim, equitum uerò armatorum duo millia ad Cęſarem perduxit. Aderant autem partim Germanici & partim Sequanici nominis galeatorũ equitum quatuor millia, & Italici Epirotici quę generis leuis armaturæ equites ſexcenti. Cæſar diuiſis muneribus Stephanum Columnam, auctoritate militari uirum inſignem, ut eo bello operam nauaret à Coſmo Medice ſibi traditum, caſtrorum magiſtrum effecerat. Tormentis autem præfecerat Iacobum Medicem, quem bellicæ uirtutis meritò iam pridem dignitate Marchionem appellarat. Totius uerò equeſtris leuis armaturæ tribuerat Franciſco Ateſtino, qui erat Ferrarienſis principis Germanus frater. His tamen omnibus uices Cęſaris implens, imperabat Ferdinandus Gonzaga, cuius uirtuti Cæſar plurimũ tribuere erat ſolitus. Quibus inſpectis ordinatisq; copijs Cæſar cunctis agminibus ſeſe armatum, auratáq; purpura paludatum oſtendens, adhortansq;, ut ad prædam & laudem ire pergerent, ad Duram oppidum tertijs caſtris peruenit. Id erat primum in Eburonum finibus, quod tanquam eximię munitionis aduentanti Cęſari obiectum, Guilermus opſone ſua uti mox apparuit, inexpugnabile rebatur. Id lateritio muro & foſſa duplici ita erat præcinctum ut inter exteriorem interioremq; foſſam perpetuus agger ea altitudine eſſet erectus, qua totius fere muri ambitus, uſq; ad ſummam coronam protegeretur, appareretq; murum nequaquam commodè tormentis poſſe quati, niſi prius tanti aggeris deiecta atq; proſciſſa munitio tormentorum globis uiam aperiret. Ea uerò neq; facilè diruí poterat neq; ſine certa inuadentium pernicie conſcendi, intercedente præſertim priore foſſa, quoniam toto aggere opportunis in locis propugnacula eminebant, in omnes aſpectus ad uſum tormentorum aptiſsimè feneſtrata, quæ Durenſes tormentis inſtruxerant. Vir quoque Menapius nomine Flates, præſidij præfectus, qui ualidas cohortes

tes in oppidum adduxerat, & Durensium iuuentutem armauerat, se omnium salutem, & antiquum Sicambrorum decus aduersus Cęsaris iniuriam constantissimè defensurum profitebatur. Neq; enim deerant ueteris historiæ regionisque periti, qui non longè à Dura, sub Titurio Sabino, & Caio Cotta, Iulij Cæsaris cohortes olim concisas fuisse memorarent, nec eius gentis milites, tanquam astutos maximeq; pugnaces, Cæsariani contemnebant. Nam biduo antè leuis armaturæ equitum alam exploratum pręmissam, hostes egregia ineundæ pugnæ & mox fugæ simulatione in insidias pertractam, subitò prouolantes è syluis, & more Germanorum per equites sclopettarios rem gerentes, insigni illato detrimento perturbarant, quum ante alios ex præfectis Vbertum nobilem Mantuanum, & Marcum Buluanum, illustris nominis Epirotam, occidissent, Ioanne etiam Zucero uetere Græcorum duce intercepto. Cæsar ex propinquo, nec sine periculo loci situm contemplatus, ut repentinum hosti metum inferret, primis conatibus celeritatem adhibendam iudicauit, extemploq; confici & promoueri uineas, & tormẽta produci iussit. Expugnandi autem, inuadendiq; oppidi negocium, pari conditione Hispani atq; Itali tanquam agilitate corporis, ac ingeniorum expedita ui promptiores, primaq; pericula contemnere soliti, desumpsêre, quum in proximo Germani, gemina phalange constituta, quadratisq; totidem equitum agminibus instructis constitissent, ut oppugnationis successum aduentumq; exteriorum hostium, parati ad prælium, expectarent. Nam rumor increbuerat non longe abesse Martinum Roshemium, cum ualidissimis Menapiorum & Sicambrorum copijs, qui Cæsarianos in oppugnatione oppidi occupatos adoriretur. Is Belgarum populis superiore anno, Antuerpiensibusq; præsertim (ut diximus) profligato Aurantio, graue detrimentum, & multo maximum terrorẽ intulerat. Sed eos rumores de Rosheimij aduentu, nequaquam importunè excitatos, uictoria Cæsaris paucissimis horis extinxit: Nanq; oppugnatio quadraginta maioribus tormentis ante auroram cœpta, neque per totam ferè diem unquam intermissa, eum habuit euentum, ut delectis ex corona defensoribus, & perfossis undiq; lateq; disruptis editioribus propugnaculis, milites Itali Hispaniq; pariter æmulatione laudis, iniussu, nulloq; accepto signo certatim procurrere, prioremq; fossam, non superante umbilicum aqua transire, & in aggerem conicendere minimè dubitarent, grauiter primò id ferente Gonzaga, sed mox eorum audaciam, quam imperio reprimere non poterat, bono euentui commendante. Erat enim atrox spectaculum, quũ ij qui aggerẽ occuparant, expositi ad hostiles ictus, è muro assidua glandium procella, & maioribus pilis sternerentur, necessarioq; aut in exteriorem, aut in secundam fossam deturbati procciderent. Verùm qui audaciæ & temeritatis pœnas dabant, ne inulti caderent, incredibili animorũ fortitudine in prærltam fossam sese gregatim intulerunt, hastis & plicatilibus usi scalis, quas ad murum deferebant, & acri tumultuosoq; impetu ad conscendenda mœnia transnatarunt, quãquam multi grauati armorũ pondere, pressiq; ab alijs incumbentibus absorberentur, atque itidem in transitu ab iminente paratoq; hoste uulnerarentur. Erat muro coniuncta excelsior domus, in qua Flattes cũ delecta suorũ manu uersabatur, magnaq; inde hostiũ strages edebat: nam & aggerem & fossam hostiũ cadaueribus cõpleuerat: quo animaduerso detrimento magistri tormẽto rũ demonstrante iubenteq; Cæsare, maiores aliquot in eam domũ globos statim coniecerunt, prefractisq; tectorũ cõtignationib. & Flattẽ & reliquos oms ingenti ruina oppresserunt. At Flatte cum promptioribus miserabiliter interfecto, Durensibus usq; adeò comminuti sunt animi, ut iam languidius sese defenderent, atq; ita eorum pristinus ardor remitteretur, ut Cæsariani sese subleuantes, reptantesq; per ruinas, in murum uexilla efferrent, cõtemptisq; ignibus in

anium circuſorum ex reſina & pice ardentium, uaſorumqûe huiuſmodi fictili-
um, quæ prouoluebat hoſtis, muro atq; urbe incredibili celeritate potirent ur-
Durenſes ad unum omnes, & præſidij milites, ſæuiente uictore trucidati ſunt
eo acerbius, quòd ex Italis ac Hiſpanis ſexcenti ferè aut in promurali aggere oc
cupando, aut in ſuperanda foſſa perijſſent. Ex his longè promptiſsimos centu-
riones Facium Piſanum, & Sanſeuerinum Neapolitanum, qui ceciderant, ſpe-
ctator pugnæ Cæſar, uirtutis nomine publicè laudauit. Quum uerò muralis co
ronæ decus præmiumq; duo ante alios ſigniferi peterent, alter Randolazus, na-
tione Cantaber, & alter Ligur, cui Gregorio nomen fuit, & uterq; teſtes ſuos
produceret, accenſis utriuſq; gentis ad fauendum ſtudijs, res ad iudicium Cæſa
ris delata eſt, qui graui conſilio ſuſpenſa ſententia, ut neutrum offenderet, am-
borum ſpes longiſsimè extraxit, ne ex ea contentione augerentur odia iampri
dem multis de cauſis ab utriſque concepta, quę non ſemel aliâs in cruentam ſe-
ditionem exarſiſſent. Eo modo Sicambrorum urbs Dura, ad ſeptimum kalen-
das Septembris tam fortiter capta, quàm ſæuè trucidatis ciuibus direpta, ſub-
ditis facibus aut ſponte exortis incendijs tota conflagrauit, ſic ut templum cum
ſacra turre, inſigni faſtigio conſpicua, penitus cremaretur. Exiſtimabat enim Cę
ſar eam cladem meritò rebellibus incidiſſe, utpote qui Durenſium accerbiſsi-
mo exemplo reliqua hoſtium oppida perterreri uellet. Nec eum opinio fefel-
lit: nam proximæ urbes Ruremonda & Vantholdium, quæ Guilermi præſidijs
duce Cortopia tenebantur, admouenti iam caſtra Cæſari continuò portas ape
ruerunt. Nec multò poſt ipſe Guilermus Durenſium clade perculſus, uſque
adeò animum deſpondit, ut ſalutis & fortunarum ſuarum reliquas ſpes omnes
in Cæſaris clementia collocandas arbitraretur, in caſtraqûe deductus à Brun-
ſuico atq; Aurantio deprecatoribus ſupplex à Cæſare ueniam petijt, eaq; condi
tione in gratiam eſt receptus, ut in poſterum principis nomine abſtineret, præ-
fectusq; tantùm auctoritate Cæſaris Gheldrenſis appellaretur, eiusq; nomine
Gheldrenſibus imperaret, & Gallicæ amicitiæ penitus obliuiſceretur. Ei Cęſar
ad genua prouoluto, dedentiq; ſe nihil arriſit, quum infenſi ſeuericq; oris habi-
tum cum dignitate retineret, quanquam poſtea ei Ferdinandi fratris filiam nu-
ptui dederit, quandò ille iampridem ſponſalia diſſoluiſſet, quæ cum Henrici
Nauarræ regis filia ſuo loco celebrata fuiſſe docuimus. His pactionis legibus
cognitis Guilermi mater uirilis animi mulier concepto animi dolore indigna-
bunda exceſsit è uita. Cæſar quoque Martino Roſſenio clementer ignouit, ac
eum cum ſua legione, tanquam rei bellicæ peritum acerrimumqûe ducem, mi-
litiæ ſuæ adſcripſit, & aduerſus Gallos cum ingentibus copijs eſt profectus, int
to per eos dies fœdere cum Henrico Britanniæ rege, ut ex compoſito duobus
exercitibus Galliæ fines inuaderent. Quum plerique mirarentur, quòd Gulier-
mus adeò propere abiectis belli conſilijs, uel pudendam pacem non indecoro
dubij belli periculo prætuliſſet (quando ei cùm frequentes tum exercitatæ fi-
dorum militum copiæ, peritiq; duces Longualles, atq; Roſſenius ſupereſſent,
quibus nuper Areſcotum Belgarum ducem caſtris atq; tormentis exuiſſet, & a-
liquotquoque oppida caſtellaqûe ad ſuſtinendam uim hoſtium mirificè muni-
ta dicerentur, nonnulliqûe item amicorum Franciſci regis auxilia intra pau-
cos dies ſuperuentura diſſererent) reperiebamus duas commutati repente ani-
mi cauſas fuiſſe, quarum altera ferebatur, quòd à quibuſdam eius primatibus,
qui Reipublicæ potius, quàm priuatæ Guilermi dignitati ſtuderent, populares
inductos affirmabant, qui ingruentis belli incommoda formidantes, arma de-
precari & pacem expetere liberis uocibus auderent, quod parum neceſſaria i-
pſis incolis, & ualde importuna Gallorum amicitia putaretur, propter quam
princeps grauiter offenſo Cæſare, ad excidium totius prouinciæ bellum lon-
gę

gè grauissimum inueheret alteram porrò fuisse Gallici auxilij irritam spem, Francisco rege scilicet in continendis in fide Leucorum oppidis, quæ ceperat, occuparo. Neque enim rex iustas copias, uti Sicambrorum pericula flagitabant, celeriter cogere atque summittere potuit, quum minus expedita ipsius consilia uis ardens Cæsaris, miraq; celeritas anteisset. Galli per uernum æstiuumque tempus superioris anni Carolo Aureliano in Leucis prospere bellum gerente, & Vandomio inferiores Belgarum fines peruastante, grauia detrimenta Cæsarianis intulerant, Landresiumque oppidum, id metu deserentibus incolis occuparant, propinquum Cameraco, quod est urbs libera & immunis, mediusque inter Gallos & Belgas, utpote quæ pari studio Belgarum principum & Galliæ regum amicitiam colat. Cameracum antiquitus Samarobrinam, Iulij Cæsaris hybernis celebrem fuisse nonnulli existimant. Nos eam hodie sancti Quintini oppidum potius esse credimus, quod Sommæ fluuio adiaceat, & Samarobrinæ cùm oppidi tum præterlabentis amnis nomen fuisse locorum peritis uideri possit. Landresium itaque, quod ad inuadendos hostium fines magnã opportunitatẽ esset habiturũ, rex Franciscus ingenti studio ita muniendũ existimauit, ut suis inde frequẽter erupturis, & facilis egressus & tutissimus receptus daretur. Regis studiũ proceres æmulãtur, suoq; sumptu singula propugnacula, conductis undique operis erigenda suscipiunt, usque adeò feruidis singulorum ingenijs, ut intra paucissimos dies perpetuam munitionem extruxerint, & sibi quisque totius impensi sumptus absolutiq; operis nomen, honestissimæ laudi cessurum duceret. Perfectis aggeribus, oppidoque egregiè undique permunito, Landa præficitur, uir apprimè fortis & strenuus, cui collega & adiutor additur Deceius cum expeditis equitum turmis. Landresio per hunc modum in oculis Belgarum iustis Gallorum præsidijs confirmato, proximi Cæsarianæ ditionis incolæ, utpote qui quotidianis Gallorum iniurijs se expositos prouidebant, magnis precibus à Cæsare postularunt, ut ante omnia Landresium ex hostium manibus eripere, regionemque graui incommodo atq; periculo liberare uellet prius quàm in anteriora Galliæ peruaderet. Hocidem uehementer expetebat Arescotus peculiari incensus dolore, quòd Landresium eius ditionis fuisset. Indulsit facilè Cæsar æquissimis suorum precibus, quòd erepta uindicare suæ dignitatis esse statuebat, coactoque exercitu per Cameracensium fines ad Guisam, non longè à Landresio, profectus est. Subijcitur Guisa oppidum, antiquissima turre insigne, his à tergo collibus, è quibus Scaldis fluuij fontes erumpere dicuntur. Non longè autem ab oppido Gonzaga, positis ad Marollam castris consedit. Hæc opulenti permunitiq; cœnobij uicus est, unde Guisam, si ex cõmodo fieri posset, adoriri cogitabat. Sed iam eum imminentem noui præsidij aduentus, & Francisci Atestini casus facilè auertèrunt. Petrus enim Strozza lectissimos sclopettarios numero ferè quingentos, qui ad conficiendum iter, ut integris uiribus rem gererent, singulis equis uehebantur, peropportunè in oppidum introduxit: quum fortè Atestinus exploratum incautius procurrisse, conspectoque hoste & concidente equo ferè inermis & pedes esset interceptus. Amisso leuis armaturæ equitum præfecto, nihilque tentata Guisa, Ferdinandus ad Landresium se conuertit: ad id enim oppidum Arescotus, & Hadrianus Beurenus è Croia familia summi Belgarum proceres, Mariaque reginæ copiarum duces, multis antè diebus castra posuerant. Apud eos fuêre, preter Belgarum copias, quatuor millia Germanorum, & Hispanorum tria millia peditum, quę ab Hispania per Oceanũ aduecta fuerant à Petro Toletano, cui Nocturno cognomen fuit. Iuxta eos, Britannorum exercitus, qui ex fœdere paulò ante in continentem traiecisset, duce Galoppo, uallatis castris constiterat. Britannorũ copiæ ex sagittarijs magna ex parte constabant, quum

uix quarta pars haſtis non multi roboris, aut alabardis uteretur. Equites leuis erant armaturæ, ſemiermes, exili lancea, aut leuibus iaculis pugnantes, quiſeorſum à Belgis ſua caſtra, connexis inter ſe curribus interpoſitisque tormentis, claudebant. In ipſo autem caſtrorum umbilico paruam munitionem erexerant, in quam tormentarij pulueris copiam omnem procul ab omni incendiorum periculo contulerant. Inter eorum tormenta uiſebantur patuli oris mortaria, quibus interiora hoſtium ædificia, more iampridem apud noſtros exoleto, decidentibus è ſublimi lapideis globis, diruerent. Gonzaga iuſſu Cæſaris, qui ualetudinis cauſa Canouo in oppido ſubſederat, uniuerſum exercitum Landrecio admouit, ab ea parte caſtrametatus, qua decurrens amniculus ſua caſtra à Belgicis atque Britannicis dirimebat, ſic ut inde tres exercitus aquarentur, & à triplici loco certatim admotis tormentis Landreſiana propugnacula uerberarent, maximeque unam omnes lateritiam turrem, quæ muro prope coniuncta altius eminebat, diruere conarentur. Sed ueteris ſtructuræ tanta erat firmitas, ut quum media turris non caua & inanis, uerùm ſolida terreno que repleta eſſet, omnem uim tormentorum facilè perferret, eliſaque tantùm incruſtatione indomita perſiſteret. Qua in re peragenda Britanni ſimul & Belgæ pertinacius hærentes irrito conatu magnam uim tormentarij pulueris & pilarum, acerrimè ſeſe tuentibus Gallis conſumpſerunt, & Gonzaga ſtudium operamque omnem ab oppugnatione ad obſidionem, ſcalpendas que ſubtus aggerum radices, uertendam cenſebat: quòd Landa uir indefeſſus & acer, rerum inopia potius, & auxiliorum deſperatione, quàm ui tormentorum ſubigi poſſe uideretur. Sæpius enim eruperat, noctuque ſemel egreſſus, graue tormentum ſopitis Belgis & nequicquam demum experectis ademerat, & impunè per foſſam uel profunda aqua redundantem ergatarum funibus extraxerat. Neque Deceiani equites unquam ceſſârant, quin erumpendo pabulatores & lixas hoſtium intercipere niterentur. Per hunc modum, quum Belgæ, Britanique in ea oppugnatione multos dies contriuiſſent, & qui ab imo fundamenta operum ſubtrahere conati fuerât, uti crebrò tormentis icti, nihil proficerent, Gonzaga fit certior Franciſcum regem, ut Landæ opem ferat, aduentare, uiſaque eſt Cæſarianis ſe offerri occaſio (ut maximè cuperent) conſerendi manus. Itaque pugnæ auidus Areſcotum, & Beurenum, atque ipſum Galoppum opportunè admonet, hortaturque ut motis caſtris, ſuperatoque flumine ſibi ſe coniungant, quoniam Gallis aduentantibus is amniculus minimè erat ſuperandus, & ipſe ad excipiendum regis impetum futurus eſſet infirmior, niſi ad ſe in una caſtra copias traducerent, quando diſiunctæ ſingulorum uires nihil ad uictoriam parandam prodeſſe poſſent. Sed uiri ingenio pertinaces inanibus inducti argumentis, neque animos ad ſalubre conſilium admouere, neque ulla ratione adduci potuerunt, ne in ſuis uetcribus caſtris permanerent: ſic ut Gonzaga ſpe ſua deceptus imperitis & obſtinatis parêre mallet, quàm ſolus in dubiæ pugnæ diſcrimen deuenire, atque ita ſe ſperni, amittique pugnæ atque uictoriæ occaſionem quærens, ultra fluuiolum ad eos caſtra ſua traduxit. Interea Franciſcus ſibi indecorum fore iudicans, ſi Landæ de ſe bene meriti ſalutem negligeret, ſineretque amitti oppidum tanto ſumptu, tantisque laboribus permunitum, generoſo conſilio totius fortunæ uirtutisque ſuæ ſupremum periculum facere conſtituit, nihil reformidata pugnæ alea, quam proculdubio ſubiturus eſſe crederetur. Prouidebat enim ſummi diſcriminis eſſe rem, quando Cæſar omnium fere gentium auxilijs confirmatus, numeroſas & ex recenti uictoria præferoces copias, in aciem eſſet producturus. Sed antiquum Galliæ decus tot aduerſis amiſſum prælijs, ut aliquando reciperetur, magnanimum & ad arma promptiſsimum regem plurimum accendebat, eique non incertam uictoriæ ſpem faciebant Heluetiæ,

lix legiones, quæ Germanis disciplina pares, & æquato numero, quibusdam etiam rebus superiores forent: quando his lectissimæ etiam cohortes Italorum & Vasconum accessissent, & præter has noua legio Gallicæ iuuentutis ex ordine nobilium sponte gratuitoq; nomina dantium, decora armis plenaq; ingenuæ alacritatis insignem spectanti regi operam præstare percuperet. Equitatus quoq; ex omni Galliæ prouinciæ nominatim euocatus, se domum non nisi victorem rediturum profitebatur, cui neq; animi uirtute, neq; equorum robore, neq; armorum peritia Cæsariani equites comparari posse uiderentur. Ab hoc animi decreto Franciscus, uti erat egregiè pius sacris instauratis, religiosa lustratione sese & liberos ab omni criminum labe puriter expiat, & à Guisa oppido explicatis uexillis descendit, confectoq; decem miliarium spatio, acie instructa ita Landresio appropinquat, ut in conspectum hostium atque obsessorum daretur. Primo agmini præerat Henricus Delphinus, secundo rex ipse duplici subsidiaria acie circumseptus, subsequebantur carri complures & sarcinaria iumenta, quibus magna uis commeatus obsessis importabatur, claudebat agmen Hanebaldus dignitate Ammiras. Quum rex appropinquaret, atq; hostes coniuncti in unum, instructisqûe ordinibus parati ad pugnam nihil se commouerent, leuem armaturam equestrem, Brisaco atque Decarso impigris ducibus, emisit, qui excitatis diuerso in loco leuibus prælijs, hostes distinerent, uniuersæq; pugnæ spem & speciem præberent. Non defuêre Cæsariani, qui pari pugnæ studio incitati procurrentibus Gallis occurrerent, intercursuq; expeditorum peditum contracto tumultuosissimo certamine præliarentur. Interim Franciscus dextro cornu latè extento, præmissa q; peditum atq; equitum ualida manu, quos aduexerat, commeatus in oppidum intromisit, præsidium q; labore atq; uigilijs confectum recenti milite renouauit, ægroqûe & multùm defesso Landæ Varminium suffecit, summa in his conficiendis rebus usus tranquillitate, quum Ferdinandus nisi lacesseretur, nequaquam sibi uniuerso prælio decertandum existimaret, quôd æquiorem situm, quem ultra flumen paulò ante tenuerat culpa sociorum amisisset, nec absente Cæsare collatis pedestribus copijs dimicare uellet, quem Martini Rossenij, & Mauritij Saxonis copias expectare intelligebat. Franciscus totum id quod propositi sui fuerat egregio ausu consecutus, ad Cambrasinum uicum, inde centum ferè stadijs distantem castra uertit, moratusq; ibi integros dies duos, Cæsarianis committendæ pugnæ potestatem fecit: quandoquidem Cæsar è Canouo oppido ad exercitum peruenerat, auctus his quas diximus Rossenij & Saxonis auxilijs, usq; adeò auidus inundi prælij, & in eam occasionem intentus, ut intra minoris tormenti iactum, castra castris hostium conferret, ipseq; prodiens cum imperatorijs insignibus equestrem hastam experiundo corriperet, & uti mox concursurus eam ad femur alacriter coaptaret. Pugnabatur enim continenter omnibus horis & locis ab leui armatura, cui sclopetariorum dispersæ manus miscebantur. Nonnulli cadebant, multi uulnerabantur, prælium q; atrox & uarium alternante euentu passim edebatur, sic ut neutri, aut uindictæ cupiditate, aut nimia spe uictoriæ accensi, instante nocte facilè dirimi, reduciq; possent, & legiones ex propinquo in acie constitutæ spectantesq; modò sociorum ægrè sustinentium, modò hostium gnauiter urgentium alternos impetus, non diu quin gradum inferrent pugnamq; capesserent, contineri posse uiderentur. Et tum animaduersa fuerat à quibusdam ducibus non iniqua occasio inuadendi regis, si proximos collium uertices undique hostibus circumiectos promotis occuparent, quod fieri non poterat nisi copiæ omnes amniculum, quem diximus, traducerentur, qui propter abruptas & cœnosas ripas nequaquam commodè, transiri posset, ob id præsertim, quòd inita eius consilij ratio celeritatem exigeret. Non deerat

tamen Castalius, in locum discedentis Stephani Columnæ castrorum magister effectus, qui se nauiculis subitariaq; materia pluribus simul in locis angusti eius amnis ripas coniuncturũ, & maturè copias omnes constrato ponte transmissurum polliceretur. Cæterum Cæsar, quòd diei serum esset, & uti hybernis & caliginosis diebus tum accidit, parum lucis supereset, in posterum diem eius consilij rem differendam censuit, ob id quoq; libentius, quòd equos leuis armaturæ, sclopetrariosq; præsertim pedites, longo fessos prælio, si uniuersæ pugnæ casus poscceret, nimio labore fatigatos nollet, per quos illustres sæpe victorias esset consecutus. Multi enim utrinque consauciati fuerant: in partibus scilicet Gallorum Andouinus, Delphini gratia clarus eques, glande traiectus occubuit, apud Cæsarianos uerò Hieronymus Pacecus, Hispanorum tyronum, qui nuper ab Oceano ad Belgicam oram uenerant, præfectus. At Franciscus qui se eo consilio uenisse meminerat, ut Landresium obsidione liberaret, abunde dignitati suæ satisfactum esse ratus, quòd hostes pugnam detrectasse uideri possent, de secunda uigilia castra mouit, nonnulla impedimenta, & uarij commeatus uasa, ignesq; de industria relinquens, ut præsentis exercitus speciem hosti præberet, nec prius quàm dilucescere, de eius discessu hostis certius cognouit. Accidit autem, quod minimè prætermittendum uidetur, ut Salazarius uetus alioqui & astutus miles, dubia sub luce speculatum missus, renunciaret hostium castra eodem loco, quo interdiu fuerant, Heluetiasq; legiones in statione conspici, & maiora aliquot tormenta obuersa spectari. Verùm non multò post eius errorem certior dies detexit: nam eas quas putârat hostium copias Germanorum esse, & quæ tormenta apparuissent, arborum truncos fuisse compertum est, sic ut is diu apud Cæsarem ridiculus & infamis extiterit. Perspecto itaque hostium discessu, Cæsar serius quàm oporteret leuem armaturam & expeditos pedites postremum abeuntium agmen insequi iussit. Verùm Franciscus ad Guisam iter extendens, Delphinum tueri terga, & idoneo in loco inter syluas consistere iusserat, ut hostes si persequi auderent, auideq; & festinanter more suo tanquam ad paratam prædam longius â castris proueherentur, ex insidijs inuaderet, atq; reprimeret. Nec inanis consilij res fuit, nam uti Franciscus præsenserat, quum plures hostium disiunctę manus insequerentur, ex improuiso in Delphini turmas inciderunt, à quibus repentè facto impetu facilè cæsæ pulsæq; sunt; iniquiore sorte Germanorum equitum, qui ex ala Brunsuici reguli fuerant: nam in eos ardentissimè res gesta est, à Græcis præsertim equitibus, quos summæ peritiæ atq; uirtutis dux eorum Theodorus Bedenius Spartanus, ex insidijs in perterritos emiserat, eo pugnę euentu, ut nonnullis interfectis & captis, reliqui ferè omnes in facie fœda uulnera susciperent, mira Græcorum agilitate, qui in apertas subducta buccula galeas transuersim graues gladios adigebant. Delphinus re bene gesta patrem est consecutus, qui iam totum iter quietissimè confecerat. Huius strenuè initi consilij, feliciterq; susceptæ expeditionis euentum ita plericq; rerum periti laudabant, ut non immeritò inter præclara fortiaq; regis facta numerarent, quanquam hostes pleniorem ei laudem inde obuenturam fuisse dicerent, si se patrato negotio maturius explicasset, quando nequaquam cauti boniq; imperatoris fuerit, sese ex bidui mora, ad maximè periculosi certaminis discrimen ferocissimis & inuictis gentibus obiecisse. Quid porrò alienius à disciplina, quâm propter inane ostentationis decus, nõ necessarium cum sæpe uictoribus æquato etiam uirium numero, pugnæ casum subijsse? Cæsar uerò, quòd hyems iam suberat, & lethales morbi ex uentris profluuio uulgari inter corpora militum cœpissent, itineraq; maximè essent lutulenta, & cœlum pluuia niueq; turgidum uideretur, nihil ultra sibi tentandum decernens, exercitum ferè totum dimisit, & â Cambresio ad Cameracum profectus est: ubi aliquandiu

quandiu peculiares aulæ suæ copias in hybernis continuit, quòd ea ciuitas erga Gallos æquo propẽsior uisa esset, utpote quæ se toto eo bello grauia detrimenta à Cęsarianis copijs perpeti quereretur. Sed primores senatus aduentanti continuò portas aperuerunt, ab hisq; factus est intempestiuæ consternationis author, & reus urbis antistes, cui quòd esset ex Croia familia, facilè Cæsar ignouit, sic tamen ut leuis populi, qui nouum & inane neutralis (ut aiunt) studij nomen arroganter desumpserat, ceruicibus munitam arcem imponeret, qua se non dubiũ, sed Cæsariani iuris esse in posterum faterentur.

FINIS.

IOANNIS MARTINI STELLAE LL. DOCT.

DE TVRCARVM IN REGNO HVNGARIAE, Anni 1543, & 44. successibus, ad fratres Gulielmum & Michaelem Martinum Stellam. Epistola.

EXISTIMAVI etiam me hoc uobis debere, ne quicquam eorum quæ hic uel geruntur, uel pro certis à fide dignis dicuntur, ignoraretis. Principiò nemo opinor Christianorum est, qui nõ uideat, in quo periculo uniuersi simus: nos tamẽ quo propiores, & quo minus in longinquis spei & subsidij uidemus, tanto sanè animis sumus, aut, ut in rebus propè deploratis, consternatiores: aut quod in extremis fieri solet, ex despe ratione pertinaciores, eoq; ipso fortassis fortiores. Ab eo igitur tempore, quo per anni tempestatem Turcæ bellum gerere potuerunt, arcem Vualpo, quæ in confinibus Bosniæ, Croatiæ & Hungariæ sita est, ferè tres totos menses frustra obsederunt: neq; audire quicquam potui, quod à nostris pro illorum subsidio aut alleuiatione sit gestum, præter castrorum inquietationes. Cum autem ipse Solymanus expeditionem contra nos totis uiribus moliretur, sentiens quanti interfit, nihil à tergo malè pacati relinquere, maiores eò copias destinauit, per se extrema tentaturus, nisi obsessi aut expugnari, aut ad deditionem cogi possent. Deditio igitur facta est: sed perfidia militum, qui suum præfectum omnia potius experiri, quàm sese dedere uolentem, comprehendere, Turcisq; tradidere. In quem Turca non solùm non immanis, sed etiam munificus fuit, & benignus. Cæterùm milites omnes, quanquam deditiţ, fœdè interfecti. Non quidem ipsius Turcæ, uti audio, imperio, aut studio gloriæ, exemplo'ue in proditores memorando: sed auaritia & spe prædę, quam apud illos inueniri posse rebantur. Interea pontes supra Sauum & Drauum instituti, per quos copias & exercitum traijceret. Erant iam proximi Quinqueclesienses, qui superioribus bellis steterant inconcussi, & hoc anno uisi fuerant non malè animati, ex legatione, qua hinc publicè bombardas, puluerem, ac globos, & petierunt, & impetrarunt. Verùm tantum pauoris illi & amissum Vualpo, & magnitudo exercitus Turcici incussit, ut Episcopus & reliqui optima-

tes, plus præsidij in fuga, quàm in urbis munitionibus putarint: reliqua plebs quæ aut circumuenta ab antecursoribus Turcicis, aut propter inopiam fugere nequiuerat, missis legatis deditionem fecere, quibus quæ fides seruata sit, cer-
tè ignoro: hoc unum tamen hic constanti fama relatum est, neminem Turcarum toto triduo urbem ingredi ausum fuisse. Proxima fuit (de locis loquor, in quorum munimentis ulla spes fuit resistendi) Socolosia: oppidulum primo impetu captum, direptum & incensum fuit. Qui uerò in arcem confugerant, principio obsidionis pacti sunt inducias quatuordecim dierum intra quos dispicerent, quid sperare deberent subsidij, aut quibus conditionibus sese dederent. Termino elapso, confisi munitionibus (sita enim est loco, natura & opere munitissimo) uim repellere sunt conati. Ac primis aliquot diebus se ualde strenuos gesserunt, præsertim cùm se à cuniculis Turcarum, quos XII milibus fossorum aggere instituerant, tutos & satis firmos esse intelligerent. Postquam tamen adductæ machinæ, ac ex contiguis arci ædificiorum prius exustorum ruinis, multam murorum partem humi prostratam uiderunt, diffisi se posse ulterius tam uiolento hosti resistere, etiam ipsi deditionem fecerunt: ea conditione, ut liberа corpora & res suas secum saluas auferre liceret: quæ res pauperibus saluti, ditioribus omnibus exitio fuit: tenuioribus enim omissis, reliqui ob suspicionem prædæ & diuitiarum interfecti, pœnas ignauiæ soluerunt. Nam si in animum induxissent, sola uictoria, nec pactione pacem pariendam esse, & locum & uitam & res suas procul dubio conseruassent. Fuerunt tracę reliquis omnibus exemplo, quantum sidei Turcarum promissis aut pactis sit adhibendum. Vt enim nec Rhodios nec Taurinum referam, taceam etiam Budensium & Pesthensium magistratus eo prætextu interfectos, quòd cum Christianis commercia habuissent, ac boues ad nos adduci passi essent: item quod alijs, si qui reliqui in patria permansserint, non ut mancipijs interdicto armorum usu, sed ut uespilionibus, ad sepelienda extra urbem cadauera, plateas & cloacas aliaęq; curanda, quanquam de illis optimè meriti sint, abutantur: nemo posset sine summo mœrore referre, quod secundo abhinc anno, cum nostri cladem apud Budam accepissent, in duas cohortes, quæ uiuæ in potestatem hostium uenerunt, est patratum. Quibus quasi uitam dono concessurus edixit, ut depositio squalore, arma ac uestitum solitum reciperent, ac se in aciem & ordinem, uti Christiani solent, redigerẽt. Quod cùm alacriter, nihil suspicantes mali, nostri facitassent, ipseq; ordines aliquandiu obequitasset & eit cum lustrasset: tandẽ iussit ruri sus arma abijcere, ordinibus tamen seruatis, selegit ex numero aliquot præstantissimos uiribus & corpore: reliquos omnes à tergo circumuentos, gladijs à suis iussit concîdi. eorum uerò quos selegerat, alios iaculatoribus oppositio pro scopo, alios duob. filijs suis proposuit, in quibus sese suasq; uires, uter profundiora uulnera, formosioresq; & conspectiores plagas ederet, plusq; sanguinis è corporibus Caurorum (sic appellant Christianos) hauriret, ostentarent. Illud uerò quod superioribus diebus gestum esse, cõstantissima hic fama est, multum interesse puto, ne quis Christianorum ignoret. Nam si qui tam uecordes sunt, qui cum eo ad paciscendum descendunt: illi hoc spectare uidentur, quod quamlem cunq; uitam, etiam si turpem, tamen cum uiuere liceat, charioremillam existiment, quàm si pro patria certantes, gloriosam & honestam mortem oppetirent, qui si considerarent illam ipsam ignominiosam uitam, quam honestissimæ morti præferunt, sibi ne concedi quidem: sed quoniam non utri imperent, sed utri sint, nobiscum bellum geritur, pariter & uictos & deditos eodem loco haberi: potius compararent se ut strenuè bellando occumberent, quàm dum animos spe longiores uitæ demittunt, deditionem paciscuntur. Cum & illam ipsam conditionem quam prius habebant, honestè scilicet pro patria

morien-

moriendi, amplius non sint habituri: quando illi qui paulò antè propter abiecta arma salutem sperabant, nunc instar pecudum iugulantur, mactanturq;. Cum igitur alterutro de duobus, aut per ignauiam, aut uti fortes decet, prorsus mori necesse sit, certè ut est exoptabilius, & cum minori sensu iniuriæ: sic gloriosius & laudabilius, hoc modo miserijs calamitatibusq; defungi: cui hoc accedit: ut sæpe sit minus periculi, cùm & ipsa desperatio salutis, imbelles armare, & timidos excitare soleat. Dum igitur arcem Soclosiam obsidet, dediderũt se loca uicina: ac uti imperatum erat, omne genus commeatuum in castra detulerunt. Principiò, iubet omnes iudices pagorum sibi præstò adesse, statim paretur: obedientibus deinde imperat, ut postridie singuli, cum sibi subditis, rursus adsint: cùm & hoc pro imperio sedulò factitatum esset, ille nescio sanè quam opinionem de se relinquere uolens, iussit inspiciente exercitu ad unum omnes trucidari. hoc facto, puto nobis plus roboris ex eius immanitate & inclementia, quàm illis bonæ famæ aut potentiæ accessisse. Ex hoc loco castra mouit, ac Budam ingressus ex, XI. Cal Augusti. Hinc uarij sparsi rumores, in quam partem primùm ducturus esset: & quo nos incertiores consiliorum redderet, tripartito uisus est instituisse. Pars nanque incendijs & ruinis omnia uastabat circa lacum Balathonium, quâ iter est in Steiriam, & prouinciam Vandalicam. Alij, quò scilicet nobis omnẽ suspicionem de Strigonio adimerent, cuncta usque ad portas Albæ Regalis sunt depopulati, quod nobis non mediocrem metum incusserat. Præsidia enim quæ submittebantur, adhuc Taurini consederant: & uix beneficio noctis effectum est, ut intra urbem M. D. pedites partim Itali, partim Germani reciperentur. Eram ego tunc Altemburgi, & in uicinis locis, cum bombardæ, quas itineri committere ausi non erant, retro in arcem, uti tutiorem locum, reducerentur. Postremò paululum infra Budam pontem supra Danubium facere instituit: quæ res mihi magnam sollicitudinem adfert, ne in ciuitatulas montanas, ac in uniuersum patrimonium Sereniss. Reginæ Mariæ irruat, quod fama est, pro magnitudine periculi non satis firmo præsidio custoditum esse. quam rem certè mihi non uidetur neglecturus: nam neque sui interea, dum Strigonium obsidetur, pontis curam abiecerunt. Situm est autem Strigonium quinto milliario supra Budam, e regione ubi in Danubium influit fluuius Granus, à montibus Carpathijs, & oppidulis quas nunc montanas appellamus. Atq; adeò uetus illi nomen erat Istrogranum, quasi circa confluentia Istri & Grani situm. Cœpit igitur Strigonium obsideri IX Kal. Aug. non sine magna nostrum omnium perculsione, quòd nullos adhuc milites præter consuetum præsidium eò submisissemus: neque ulla potestas succurrendi uidebatur, quòd Turcæ omnem Danubium profligata nostra classe in potestate sua habere crederentur. Duo tamen adhuc restabant, in quibus aliquantulum spei reliquum erat: quòd Vuilzigradum (est hoc medium inter Strigonium & Budam, quà se Danubius à recto itinere terrestri nonnihil sinuat) uidebatur interdiu facilè prohibiturum, ne commeatus, aut etiam bombardę aduerso flumine castris subueherentur: quæ spes non fefellit. nam plus minus duodecim naues, inter quas duæ puluere & bombardis onustæ erant, à nostris submersæ. Deinde quòd trans Danubium omnia adhuc nostra, id est, Christianorum essent. Archiepiscopus igitur Strigoniensis per Bartholemæum Croacum, statim ducentos boues sub ipsa arce obsessis transmisit: & nostris Comaroni indicat, tam arctè obsessam nõ esse, quin facilè eadẽ uia aut etiam secundo flumine subsidium submitti posset. Redierat per eos dies uexillifer cohortis præsidiariæ, & Hispanus quidã Sancius Cotta, qui ad Regem pro stipendio missi erãt. hi intelligentes obsidionem, Viennæ pecuniam publicam reliquerũt: ac si ullo modo se ad suas recipere possent, tentauerunt. ipsi quidẽ serius uenerũt: sunt tamẽ milites

propè

propè sexcenti, & cum his annona & puluis tormentarius in arcem recepti: qui cum retulissent qua causa stipendium deuectum non fuisset, militum animis sa tisfecerunt, ut ad rem fortiter gerendam nihilominus animati essent. Refcri- pserunt igitur ducibus Regijs, se de fide & liberalitate Regia nihil dubitare, neq; stipendium aut pecuniam eo tempore contra hostes, sed milites, quos ad semissos gaudebant, fortius posse pugnare. His contrà à Senatoribus Regijs ita responsum est, ne quicquam de stipendijs dubitarent, omnia illis satisfa- ctum iri: & si quis interea casus ullos iactaret, hæredibus ea omnia integra & salua, quæ uiuis debita fuissent permansura: quæ responsio (uti huc relatum est) mirum quantum animi obsessis addiderit ad pericula contemnenda. Dum iam classis nostra, quæ subsidium subuexerat, reuertitur, uisa est sibi occasio- nem rei feliciter gerendæ nacta esse. Cùm enim (uti ibi fit, ubi nullus hostis for- midatur) Turcæ liberius castrametati essent, nostri circa extrema castra quæ in ripa erant, irruentes, subito tumultu omnia turbarunt, & quinquaginta ferè in- terfecerũt, ac inter hos unũ ex principibus: ut ex signo galeæ, quo nullis nisi ex familia Otthomanica prognatis uti conceditur, est deprehensum. Principio obsidionis Turcæ Martinum Lascanum, natione etiam Hispanum, præfectum præsidij, ad colloquium super deditione inuitarunt. Est ea regione arcis alius col liculus eiusdem ferè altitudinis. Hinc Turcæ bombardas, interea dum collo- quuntur, contra nostros erexerunt: pluteis & multa materia muniuerunt, dissi- mulante id præfecto, ac suos clam admonente. Cùm Turcæ se nemine prohi- bente, omnia quæ eò pertinebant, procurare tutò credunt: nostri repentè omni bus machinis in eam partem collatis, munimenta & custodias deturbauerunt, ac magnum incommodum fractis bombardis, siue comminutis rotis, intule- runt. quare etiam nunc à iaculatione dicuntur cessare, creduntur q; hoc conari, ut eam cuniculis subuertant: quę res quem euentum habitura sit non possumus diuinare. unum speramus, quòd propter assiduas ab hoc nouilunio pluuias, is conatus non nimis fœliciter sit cessurus. Præterquã quòd à longinquo, & mul- tis in locis per rupes sit instituendus. Contra etiam huiusmodi casus, præfe- ctus arcis, iam ad aliquot menses, plus minus quinquaginta milites aluit, exer- citos in aurifodinis: ita ut spes sit, uel irritum fore hunc conatum: uel obuiam iri & hostem in cuniculis obrui, non difficulter posse. Reliquum nostri exercitus, quod post distributa undiquaq; præsidia supererat, ducibus Ioanne Vngnad, Otthone à Discha, & Comite Philippo Torniellio, subsedit Comaroni. Sita est hæc arx in insula Danubij, quam Germani Schutte uocant. Insula hæc totius Danubij propè nobilissima est. incipit sub Posonio, bipartito fluente Danu- bio: ac desinit decimo deinde miliari, fluuio rursus coeunte. posteaquam à lę- ua & septentrione, Polonia scilicet & montibus Carpathijs, flumen Vagam in se accepit. Colonorum habet supra duodecim millia, ac fuit superioribus bellis semper intacta. In fine huius insulæ. ubi rursus Danubius in unum coit, est uetu- sta arx Comaron, quam nostri nunc opere & aggere terreo circumdederunt: & ne hostes possent aduerso flumine nauigare, utrumq; fluminis alueum tribus ordinibus trabium obsepiuerunt, tanto interuallo distantibus, ut nulla nauis, ni si sub arce, ubi spacium relictum est, pertransiret. hoc loco nostræ copiæ, quæ sa nè quàm exiguę adhuc sunt, consederunt: quid autem accessurum sit, malo uos ex re ipsa aliquando, quàm ex nostra spe cognoscere. Viennæ tamen omnia præparantur, quæ ad obsidionem tolerandam opportuna ducuntur. uallum, fossæ, turres reficiuntur. præter alia iampridẽ cogitata munimenta, ante portã quę in Carinthiam ducit, & altera qua in Hungariam itur quę omnium hostiũ ictibus apertè patebant, propugnacula ex trabibus, lignis, & terra figura trian- gulari suscitantur. Ciues uxoribus & liberis quoquò uersus ablegatis, quàm multi

multi è ſuo corpore arma ferrent, numerum inſuerunt. Conſcripſerunt ad hæc unum uexillum militum, qui nunc unà cum ipſis pro portis & turribus excubant. Mauritij Saxonis ducis, Reipublicæ Nurẽbergenſis, & Antonij Fuggeri cohortes ſingulæ, in ſuburbijs collocatæ ſunt. præter has, tres aliæ paulò ſuperius, in ripa Danubij, unde ſtatim in urbem recipi poſſint: aliorum ſociorum auxilia indies expectantur. Item Italorum adhuc quatuor millia. Poſtridie Kal. Auguſti, equites quingenti luſtrati ſunt, qui neſcio an urbi præſidio manſuri, an ad reliquum exercitum exituri ſunt. Maiores naues hîc inſtruuntur decem: ſex ſunt biremes, reliquæ myoparones. Sunt Camaroni minores nauiculæ, ſiue celoces, numero XL. Hic eſt apparatus noſter naualis, contrà triplo maiores copias hoſtiles: reliquæ naues quæ non exiguo numero hic uel in nauali, uel in Danubio ſunt, niſi inſtruantur, aut ſubmergendæ erunt, aut igne conſumendæ. In ſumma, omnia hic feruẽt. uideas tota urbe arma expediri, feſtinari, ingentes trabes, quæ de ſolutis ratibus in ripa Danubij iacent (unde etiam, ſi neceſsitas poſtularet, uel quantum totius muri ambitus continet, rurſus uallum conſepiri poſſet) conuehi: ligna item & faſces in pluteos, frumenta, farinam, & aliam annonam, denicq; nihil non intra urbem & mœnia deportari, quemqûe pro ſe ſedulò niti. inæqualia & foſſas, quæ olim ſuburbbs circundatæ erant, adæquari & complanari. Ex alia parte, ruſticis iam præſcriptum eſt, quò quiſque debeat aut fugere, aut ad reſiſtendum conuenire. In agris duntaxat meſſem triturant, uel ſerunt rurſus, ne poſt hoſtium diſceſſum inopia laboretur. reliqua quæ in loca munita conuecta non erunt, à noſtris corrumpentur. ſic ſunt quidem in agris ruſtici, ſed ſine ullo inſtrumento, quod non ſit neceſſarium uſui quotidiano. ſigna ſtaque & ignes è ſpeculis & montibus obſeruant, ad quæ, uti edictum eſt, in tutiora fugere, & ſeſe ſeruare poſsint. Dicitur Turca ducenta uiginti millia in armis habere: in quibus etiam Tartarorum XXIIII millia, homines truces & ferè: nulli tamen generi pugnæ, niſi ad uaſtandum agros, idonei. horum noſtri, qui Albæ in præſidio ſunt, mille, dum incautius prædantur, interfecerunt. Rex uerò Ferdinandus iam cœpit ex Bohemia uerſus Dirnauiam mouere. eſt id apud Vagam fluuium, poſt Morauiam primum oppidum Hungariæ: diciturq; magnum exercitum trahere. Certè ſi Turcę (quod nunc creditur) ſegnius oppugnent (fama enim eſt, eos peſte, dyſenteria & fame, quoniam omnia circa Strigonium & Budam uaſtata, deſerta & inculta ſint, laborare) neq; huc ueniant, noſtri obuiam prodibunt. Quæ tamen omnia ex euentu pendent. pàrua enim momenta, etiam maxima conſilia in bellis mutare ſolent. Miſsi erant centum foſſores aurifodinarum, ut Strigonium nauigarent. His nunc alij ducenti acceſſerunt: uerùm cum ſerius ueniſſent, neq; Strigonium tenere poſſent, hîc retenti loco huius urbis ſuſpectiſsimo, poſt monaſterium fratrum Minorum, ab interiori parte fodere cœperunt. hoc opus uel ad deſcenſum in imam foſſam, uel ad erigendum propugnaculum, uel quod magis credo, ad cuniculum eiaciendo igni, inſtituitur: ut ſcilicet tota illa pars, qua maximè de oppugnatione dubitatur, extra muros in aggere, cuniculo ſit ſuffoſſa, unde oppugnaturi, ignibus, malè mulctati â mœnibus deturbentur. Hæc hactenus. quæ uerò ſequentur, ſi non tam fama conſtabunt, quàm oculis uidebuntur, non committam ut minus curioſe ad uos perferantur. Valete. Vienne. Nonis Auguſti. Anno 1553.

IOAN. MARTINVS STELLA GVLIELMO *& Michaeli fratribus* S.

ETſi ſciam non iucundiſsimum nuncium me uobis eſſe allaturum, tamen cum fortuna, quam nemo effugere poteſt: & ſuperi, qui cuncta præuident, in omnibus dominantur: uiſum eſt, quoquo modo iſta ſeſe haberent, eorum

rum,uos quàm uerisimè possem,certiores reddere. Audistis igitur ex superioribus literis meis,non solùm obsidionem,sed & oppugnationē Strigonij:nunc uerò (tanto miserius & indignius, quanto minus timebatur) uel expugnationem,uel deditionem,uel etiam si uultis,desertionem audietis. Quid enim aliud dicam? aut quid conquerar? aut quem incusem? Sed malo ut uos culpam diiudiceris:ego quæ hic dicuntur,& quæ acta sunt,ut potero describam. Principiò cum cœptum esset obsideri Strigonium, nunciabatur non solùm in uulgus,sed mandato regiminis,senatusq; Regij,etiam in concione dicebat Episcopus Fridericus Nausea, uir & pius & eloquens, quàm fortiter, quàm strenuè, quàm uiriliter se gererent obsessi:non tolum primā illā oppugnationem, in qua nostrorum soli decem obierant, de qua prius,illam concionem secutus, scripsi:sed præter illam,tres alias uiolentissimè repulissent multa millia Turcarum,duos etiam Bassas occidissent,de reliquis benè sperarent:obsidionem ab hostibus desperatione obtinendi loci, uel nunc deseri, uel mox desertum iri: bombardas iam secundo flumine(ut alia taceam)remitti. Hæc inquam in concione die Dominico,qui erat pridie Iduum Augusti,prædicabātur:preces, laudes,hymni & cantus,ac modò non triumphus agebatur. Iam ciuium uxores & liberi reuertebantur, à multis quotidie quo quo uersus literæ rei feliciter gestæ scribebantur. Quin etiam instituta iam opera segnius administrari,rustici in agros cum instrumentis & supellectile reuerti cœperunt. In summa,omni metu ac hostium pauore amoto, pristina urbis facies reddita, decorq; & splendor restitutus uidebatur. Sed ecce,uix erat dimissa concio,primum mœstum silentium totam urbem inuaserat:murmur deinde ac rumor incerto authore, postremò aperta fama ac deploratio perditi amissiq; Strigonij. Et quod miserrimum erat,neq; quo modo nostri perijssent,neque quid hostis ageret,quàm mox nos oppugnaturus esset,aut quem modum uictoriæ statueret,sciebatur. Et cùm die Mercurij,qui erat quinto Idus Augusti,deditio facta esset,nos hic die Dominico sequente, Te Deum laudamus pro lo triumphe cantabamus. Mirum si hoc primores ignorabant,in tanta uicinitate loci: solum enim absumus xxv milliaribus Hungaricis,ac potest totum hoc iter uehiculo cisio intra xx horas confici. Si sciebant, nescio quo consilio populum uana alacritatete & spe falsa erigebant. At quid dixi ignorabant? cum acrem illam oppugnationem in diem lo uis conferrent, quo die nostri armis exuti,& sub iugum missi erant. Reliqua erant multo atrociora,cum alij præfectos proditionis, alij primores urbis malæ conscientiæ,plurimi magistratus ignauiæ,uelut causam omnium malorum, accusarent: neq; mihi quicquam à seditione, præter auctores,abesse uidebatur. toto deinde triduò,ita incertis rumoribus,tota urbe atrocissima & dicta & credita sunt,ut etiam referre mihi ipsi sit molestum. Cæterū quod ad amissionem ipsam pertinet, ego pro eo atq; in talibus sum curiosus, à Germanis & Hispanis,qui ad nos reuersi sunt, diligenter & sedulò edoctus,rem omnem ita sese habere credo. Cum iam Turcas Budam appulisse constaret,omnes ciues Strigonienses deserto oppidulo,alij aliò aufugere,equites trecenti trans flumen in pacata abiere. Itali uerò,qui sub Francisco Salmanca Hispano militabant, numero quidem sexcenti,sed inter quos uix quingenti,ætatem & animum haberent militarem, difficulter tandem persuasi,in arcem sunt ingressi: quæ res non mediocriter animos Turcarum auxit,cum neq; oppidulum sine bombardis,quæ adhuc retro erant,uti aliqui putabant obtineri,neq; sine illo arx obsideri potuisset:deinde si illinc aliquandiu uim repulissent,potuissent interea nostris secundo flumine plura auxilia submitti,neq; classis nostra quę ibi portum & firmam stationem habebat,Turcis concessisset. per hanc enim semper potuissent, præsidio obiacentis insulæ,sese in arcem tutò recipere. nostri ergo oppidulum,cuius

bus nullam ſpem retinendi habebant, exuſſerunt & diruerunt. Turcæ aduen-
tantes, in ruinis & uicinis locis, intra iactum unius bombardæ tendebant, nul-
lo noſtrorum impediente: ne ſi ulla ſubſidia in itinere eſſent, bombardarum ſo-
nitu percellerentur, auerterenturq; Hoc enim Iuliano Salazario pro teſſera de-
derant, ſe maioribus machinis ante aduentum claſsis Turcicæ non uſuros. Con
grediebantur nihilominus quotidie leuibus prælijs, cum equitibus & lixis: qui,
cùm noſtri ociosè ſeſe obſideri paterẽtur, incautius liberiusq; caſtra metaban-
tur. Tertio demum die, circiter trecenti milites Germani, duabus onerarijs na-
uibus, unâ cum puluere, & reliquis ad obſidionem neceſſarijs ſunt recepti. Id
Turcæ obſeruantes, etiam fluminis ripas, ne auxilia ſubmitterentur, obſede-
runt. Erant igitur noſtri iam omnes in unum coacti, paulo plus minus mille tre
centi, qui ne pro paucitate ſua pluribus quàm opus erat, locis diſtinerentur, quę
dam uelut arcis ſuburbia, exuſſerunt. Erant etiam cum noſtris ferè quadraginta
Heydones (ſic appellant Hungari ſuos bubulcos, hominũ genus ferox, rapinis
& latrocinijs aſſuetum: qui quòd ſemper ſub dio, niuibus & imbribus poſt ar-
menta aſſueuerunt, optimi milites exiſtimantur) hos præfectus arcis, paulò an-
te obſidionem trans flumen uſq; Maruſium, quod è regione Vuizigradi eſt, mi
ſerat. Vnde per notos tramites recurrerent, ac aduentum claſsis Turcicæ nun-
ciarent: ne, ſi auxilia à noſtris in itinere eſſent, errore teſſeræ ab hoſtibus inter-
ciperentur. Verum illi, neſcitur ſanè dolone an timore, aliò ſunt auerſi. Noſtri
cum iam nihil ſubſidij amplius ſperarent, omnia extrema experiri ſtatuerunt.
Principiò Turcas, qui liberius, uti dixi, caſtra metati erant, bombardis & ſclo-
pis tanta iactura affecêre, ut tentoria & prius occupata loca, deſerere ac retro ce
dere fuerint coacti. Quare ex longinquo uineas agere, aggeres & moles iacere
operaq; quæ ad bombardas neceſſaria, præparare, ac totum illum tractum ori-
entalem, à mole ſiue caſtello aquæductuum uſque ad colliculum, quadraginta
magnis bombardis æneis, ac munitioribus ferè trecentis, quatere cœperunt: &
ne ullum noſtris tempus reſpirandi daretur, ita ſibi inuicem per uices ſuccede
bant, ut quæ modicè ſparſim & crebris ictibus, à minoribus labefactabantur, ea
maiores uno eodem tempore emiſſæ, funditùs conuellerent. Habebant etiam
aliquot bombardas, quas à ſimilitudine mortaria appellant: his multam ędifici-
orum ruinam & ſtragem ediderunt. Templum, quod etiam pro munimento
erat, ita cõminutum, ut fornix & tota moles corrueret: ac aream arcis, cui obia-
cebat, ita denudaret, ut eam planè ſub conſpectum hoſtium, è colliculo proxi-
mo, quem diui Thomæ appellabant, daret. Alias præterea partes continuis die
bus & noctibus ita concuſſerunt, ut non ſolum propugnacula ſolo æquarent,
illorumq; ruina foſſam propè implerent, uerùm etiam murum interiorem ita
complanarent, ut nemo ſe ex ulla parte auderet oſtendere: ſed quo ſe ab icti-
bus tutarentur in uicinis locis, pars humi proſtrati, pars ſub tabulatis quæ in mu
ris hærebant, hoſtis aſcenſum expectabant. Interea dum nemo noſtrorũm in
muris ab illa parte conſpicitur, Zenitzari (quod genus militum Turcarum ſele
ctiſs. maximamq; uirtutis opinionem habet) tranſuerſis tramitibus contra
montem, aut uineas agebant, aut ſibi iter ad oppugnationem per foſſas, quas
trabibus & tabulatis, inſtratis ſtorijs, contra ſaxa & ignes noſtrorum cooperie-
bantur, præparabant, quo ad muris & penitus ſub ipſa munimenta ſubierunt.
Hinc contis, marthis & roncis, noſtrorum pluteos, & iam recens in locum diru
ti muri extructa opera reuellebant, terramq; uelut ſubter furabantur. Cum hoc
modo per dies aliquot, hoſtes ſe & ea quæ ad oppugnationem neceſſaria præ-
parâſſent, octauo Idus Auguſti ante exortum ſolis, ſignum oppugnaturis da-
tur, concurritur undiquaq; alij per anfractus & ſecretò extructos tramites: alij,
quia noſtros multitudine opprimere poſſe ſperabant, etiam apertis uijs & ple-
nis

nis campis, magno (qui mos est gentis) ululatu & truci clamore omnia complentes, accurrerunt, summisq; uiribus quisque pro se primus inuadere nitebatur. Adsunt spectatores & hortatores duces, quibus quisque suam uirtutem quàm testatissimam uolebat esse. nostri contrà se omni genere telorum defendere, neq; ullum in tanta multitudine, etiam temerè iactum, irritum cadere, scopis iaculari, hastis, contis de loco protrudere. Erat nostris præparata magna uis globorum, ex pice, sulphure & puluere tormentario, quem ignem artificialem milites appellant: hoc genere teli immensa uis hostium interfecta & consumpta est. quicquid enim uel solo attactu corripuerit, ad uiuum planè amburit: ac si quis à se decutiat, ipsa agitatione magis accensam pestem in proximum reiçit, contagioneq; corrumpit. & est hoc malum Turcis multo formidabilius quàm alijs, quòd pauci galeis, plerique lineis in capite tegminibus utantur. Mulieres etiam & pueri, pro defensione malleis & uectibus saxa sepulchrorum reuellere, ac trans murũ in hostes, ex superiori loco deorsum per decliuia montis proijcere: hi pro salute, illi pro uictoria cuncta conari. Hoc pacto summo ardore, octo totas horas, cum interea ab hostibus septies fessis recentes submitterentur contra nostros, qui pro paucitate sua, corona & in orbem propè pugnabant, certabatur. tandem hostes, ut conatum suum irritum esse uident, suos cum maximo damno à muris receperunt: nostri uerò uictoria recreati, ut ex captiuis rescirent, quantæ copiæ, & an ne ipse Solymannus in castris esset, per castellum aquæductuum eruperunt. hoc loco ipsa nouitate audaciæ hosti terrorem iucutientes, alios ad naues, alios aliò fugarunt: reliqui deinde de muris, bombardis sclopis & saxis insecuti, per decliuia montis in præcipitia deturbarunt: creduntq; in sola ea fuga propè quingenti periisse. præter hæc copiarum naualium, quæ eôdem pars oppugnatum uenerant, pars bombardas in insulam detulerant, multi cæsi, & XIII celoces submersę: neq; magni negotij fuisset, earum pluribus potiri, si nostri pro paucitate sua longius insequi fuissent ausi. ita tamen hoc die uarijs in locis pugnatum est, ut tria millia hostium occubuisse crederentur, præter sauciorum infinitam multitudinem: quos noctu in castra, cum nostri pugnam extra munimenta committere non audebant, camelis & equis reuexè re. nostrorum uerò tam ex pugna quàm incendio, propè ducenti uel uulnerati, uel occisi. in medio nanq; feruore pugnæ, nescitur dolo an casu ab hostibus iecto igne, conflagrauit turris una, ubi multum pulueris, picis & aliarum rerum uelut condo reposuerant. Sed neq; hoc labefactabat eorum animos, quin posteaquam iam paululum laxamenti ad respirandum, corporaq; curanda datum esset, intus collapsa repararent, instaurarentq;: tacita tamen quædam indignatio, mixta suspicione & metu, animos occupârat, quòd paucis antè diebus adolescens quidam, qui iam primùm arma gestare incipiebat, ex Taurinis, non adeò magnæ experientiæ in re militari: post hunc uerò Italus quidam senex, cui inter milites nomen erat Presbyter, Italicè elmisser, natione Calaber, uir spectatæ fortudinis, & de cuius fide nemo unquam dubitasset, transfugerunt. senis huius consilio milites credere, priores cuniculos institutos, & turrim illam insecensam fuisse. erat tamen omnibus una sententia, extrema experiundi. Sub noctem huius diei, ac postridiè quo pugnatum fuit, Turcæ rursus uelut de nouo iaculari: ea omnia quæ inter oppugnandum obstetisse uisa erant, petere, ex insula etiam molem illam siue castellum aquæductuum, summis uiribus oppugnabant: idq; adeò erat, quod fama ad nos retulerat, bombardas secundo flumine rursus ablegari. nostri illo die castellum fortiter defenderunt, ita tamen ut mandatum esset, quòd ægri, infirmi, & mulieres se in superiorem arcem reciperent: ne, si rursus pari pertinacia oppugnatum hostes uenirent, aliquid periculi ex illorum tarditate acciperetur. Tertio deinde ab hac oppugnatione die, quæ erat,

erat, uti antè dixi, quinto Idus Auguſti, cùm undiquaq; iaculationes fierẽt, hoſtes iam ſub ipſo muro tutò ſtarent (quòd nullis propugnaculis collateralibus arx extructa eſſet) neq; iam quicquam auxilij ſperarent, multum de animi fortitudine ferociaq; priſtina remiſerunt, omnibus tamen propoſitũ erat, pugnãdo potius mori, quã indignis conditionibus locũ deſerere. Cũ hoc ſtatu rei ũ caſtellum aquæ ductuum acerrimè oppugnaretur, alijs uel magnitudine periculi torpentibus, uel deſperatione rerum omnium mortem pro alleuiatione expectantibus, Italus quidam Ciſenas agri Romani, quem ſui commilitones presbyterum à Maſſa appellabãt, uexillifer cohortis quę ſub Ioanne Baptiſta Marſo ſtipendia faciebat: cum uideret ſuos in tam arctum cogi, ut munimenta contis ſubtraherentur, & ſentiret omnia undiquaq; cuniculis peti, ratus totam arcem ſuffoſſam eſſe, commilitionibus ſuis, neſcio ſanè an fraude, an quia aliter noſtris conſuli poſſe non putabat, edixit, ut à iaculatione ceſſarent, ipſe duobus comitatus, de muro ſe in caſtra hoſtium demiſit, perductus ad proximum Baſſam, petijt ut deditionem omnium nomine, ſaluis rebus & armis facere, decq; ea publica fide paciſci liceret. Qua conditione data & accepta, duobus Turcis comitatus, in arcem redit: & Franciſco Salamancæ ſuo præfecto, Turcæ mandata, & quæ cum illo egiſſet, exponit. Quæ omnia quanquã perfidè fortaſsis ab ipſo uexillifero acta non ſint, ſed cum locum retineri poſſe diffideret, atq; tot fortium uirorum interitũ abſq; ulla utilitate, uidere nollet, ſua ſponte prodijſſet, idq; egiſſet, quod neceſsitas cogebat: tamen cum ea inconſultis reliquis tractaſſet, non deſunt qui Salamancam reprehendunt, cur non ſtatim, quod nemo iniuſſu ducis de præſidio exire, neq; de priuata, aut cõmuni ſalute, niſi imperio ducis aut conſenſu omnium ſtatui debeat, ad ſtabilendam diſciplinam militarem, exempla in eum ediderit. Dum iam cum duobus Turcis agitur, interea per totos muros torpor quidam mixtus pauore omnium mentes inuaſerat. Laſcanus (quem iam poſt hoc infortunium calumniatur nomen familiæ, quam ex matre ſolum attingit, aſſumpſiſſe, ex domo Moritarum aliàs prognatus) tametſi ſaucius, alia tamen alijs in locis procurabat: & cum ueteranis, quos uarijs locis diſpertiuerat, colloqui ſtudebat, ut cum ſciret omnibus mortem chariorem, quàm ulla cõditione locum deſerere, cui diu aſſueuerant, & ubi fortunas omnes habebant (multi nanq; erant, qui hanc alteram Turcarum obſidionem pertulerant) per illos poſſet alios animatiores reddere, ſed cum plericq; militum animos deiecíſſent, neq; ipſe neq; Salamanca quidquam ſalubrio monere potuerũt, metuebant enim, ne ſi quicquam in uexilliferum ſtatuiſſent, reliquos omnes Italos in ſe concitarent: præſertim tùm neſcirent, quàm latè hoc malum ſerperet, & ſalutem ſingulorum: in concordia uniuerſorum poſitam uiderent. Nihilo tamen minus, ex altera parte Turcæ ab oppugnatione inferioris caſtelli ceſſabant. Accurrit igitur eõ neſcio quis, qui & noſtris & Turcis, ſilentio facto, ceſſationem ab armis indicit: clamitans, illa eſſe contra iam pactas cõditiones, & datam fidem. Noſtri, qui adhuc incolumes ſuperant, ſe in ſuperiorem arcem, uti iuſsi erãt, recipiebant. Turcæ, nulla pacta curantes, quaſi uictis noſtris, caſtellum inuadũt. Quæ res obſeſſis nõ multo arctiorem obſidionem, ſed deſperationẽ auxiliorũ, ſubſidiorumq; adferebat, diſtento tamen hic hoſte, Salamanca de conſenſu aliorum, de præſidio egreſſus, ad Turcam eſt adductus, ubi quid aliud actum ſit, neq; ſciebãt noſtri milites, qui reuerſi ſunt, neq; aliud fama ferebat. Cæterum cùm prohibitus ab hoſtibus in arcem redire, apud eos in caſtris pernoctaſſet, poſtridie, qui erat dies Iouis, quarto Idus Auguſti, miſit diploma Turcicum, quo pacta illa ſuperiora, ac obſeſsis liber abitus, cum rebus omnibus & armis, permittebatur. Iuſſus eſt etiã Laſcanus, ad Turcam claues arcis ferre, cõcurritur itaq;, ac

custodijs muris q; relictis, dispicit unusquisq; quid potissimũ inter multa impedimenta secum auferret. Erant præterea multa illic à mercatoribus, exercitus nostros superioribus annis in Hungariam secutis, deposita: quæ primum nostris, deinde Turcis, in prædam concessere. Dum igitur omnia per arcem conuasantur, ac sese agmen uelut ad profectionem cõponit, Turcæ undequaque ad diripiendum, munitiones superantes, nostros circumstetêre. qui mœsti in terram demisso uultu, sibi mutuò ualedicebant, modò arma, quæ mox tradi tuti erant, modò loca quæ relicturi, extremùm aspiciebant: neq; amplius ullã uitæ suæ, aut honestæ mortis conditionem expectabant, occurrebant animis exempla Socosiæ & Vualpo, quantum pactis huiusmodi credere deberent. Sperabant tamen adhuc, neq; diffidebant, quin cum primi in eos non irruissent, etiam in reliquis fides seruaretur. Vbi uerò adsunt, qui iubent scalopos, hastas & bipennes, in proximam fossam, qua nostri contrarium cuniculum instituerãt, abijcere: omnium uultus non aliter, quàm ad præsentem mortem mutabantur. Cùm uerò portam egressis alij adsunt, qui gladios adimunt: postremò ubi in uicum peruẽtum est, cætera illis arma, galeas, calsides, thoraces, & quod supererat detrahunt: nullum uulgare genus mortis, sed exquisitæ cuiusdam crudelitatis expectabãt. Attamen tandem cum diu secum Solymãnus deliberasset, præter omnium opinionem, ac suam consuetudinem, ut scilicet fama clementiæ alijs præsidijs pari modo potiretur, uitam illis in columem seruare decreuit: sed priusquam dimitteret, ad ludibrium nominis Christiani, omnium iniurijs contumelijsq; expositos, postridie nudos & inermes turmatim, rursus in arcem, additis Turcis, qui fustibus latera detunderent, imbelliãque exprobrarent, ad cadauera sepelienda, fossas rursus curandas, ruderaque mœnibus decussa, in arcem referenda, deniq; omnia purganda, duxit & reduxit. Postremò, per interpretẽ interrogauit, ecqui secũ militare, præmia, equos, & arma accipere uellent: quam conditionem non pauci acceperunt, metu fortasis mortis non aliter euadendæ: alij ne minis quidẽ ad hoc, neq; terrore mortis adduci poterunt, quorum nõnulli, dum pertinacius renuũt, interfecti: parum sine noua iniuria, trans flumen uecti, horum alijs uxores abductæ, alijs coram per uim stuperatæ: alijs, qui uim uiolentius ferebant, in fluuium abiectæ & submersæ, pueruli etiam, quorum ætas iniuriæ adhuc obnoxia nõ erat, neq; aliàs idonea ut inter Zenizaros tyrones describerentur, in flumẽ præcipitati. Vidi ego hic unam mulierem, cui cum tricis etiam crines euulserunt, dum se in Danubium deiecit, ac singulari in maritum fide & amore ad nauem adnatauit. Postquam traiecisset miserabile & inerme agmen Germani, Hispani & Itali permixti, laboribus, fame, uigilijs, itinere & suspirijs consumpti, Schindam proficiscebantur. Vbi autem res hæc uti gesta erat, clarius Viennæ rescita est, indignatio & metus simul omnium corda cogitationesq; occupauere, alij negabant tectis aut mœnibus recipiendos tam imbelles, siue infidos socios: alij etiam laudabant, quòd se melioribus temporibus, cùm suam mortem nulli uti lem fore cognoscerent, conseruassent, præsertim cùm tam pauci, tam amplo Castello tutando, contra tam potentem hostem impares fuissent. Vt ut sit, ipsi Duces, cùm reliquias semilaceri exercitus Posonium usq; deduxissent, in uinacula, facti sui rationem reddituri, sunt coniecti. Turca hac uictoria lætus, ad Comaronem usq; processit: ac Castellum Thata, quod eregionè est, in suam potestatem etiam deditione redegit. Dicebatur quidem hic facta proditio: cumq; Cancellarius regius mihi dixisset, se rem omnem uti gesta erat, narraturũ, quia eadem nocte eius uxor obijt, nolui ad mœrorem molestias addere. Cæterùm Turca eam demolitus, retrò iter Albam regalem flexit: quòd sibi ad nos, propter paludes circa Altemburgum, esset iter minus expeditum. Illa etiam fama

indies

indies magis magísq; cõfirmatur, quòd parte copiarum Albam, reliquo exercitu nos ſit oppugnaturus: quæ qualia erunt, ſi ante obſidionem alias literas mittere potero, curabo ne ignoretis. Rex iam ex Bohemia uerſus Moraviam mouet: quanto autem exercitu, & quibus copijs, adhuc ignoramus. Nos hic ſeduló urbem munimus: in quo Leonardus à Felz Regius legatus, omnem operam induſtriamq; diligenter nauat. Valete, Viennæ: octauo Kalend. ſeptembris.

IOAN. MARTINVS STELLA GVILELMO ET *Michaeli fratribus.*

VVlgò dicunt, mala nuncia ſemper ſatis maturè nunciari: adeò ut non debeam uereri, ne uobis uidear tardior aut negligentior, dum curioſè ſtudeo, ut quæcunq; hic aguntur uel dicuntur, quàm ueriſsimè referre: præſertim cum nihil tale nunciare poſsim, ubi debeam metuere, ne uos alius gaudio præoccuper. Ego tamen in alia ſum atq; uulgus opinione, qui qualiacunq; ſint, quàm primũ cupiam reſcire: ut ſi bona, tanto gaudeã diutius: ſin mala, poſsim maturius proſpicere, meq; aduerſus ea præmunire. Vt igitur intelligatis, quã nulla hic ſit à malis reſpiratio, alleuiatioq; miſeriarum, ſtatui uobis ea ſcribere, quæ hactenus poſt fœdam illam Strigonij amiſsionem ſucceſſere. Inter deden dum itaq; & tradenda arma, cũ noſtrorũ militũ ſclopi in locũ unũ cõijcerent, temerè factũ eſt, ut funes fomentarij, quibus ignem ſeruant, & lagenulæ ſclopetariorũ eôdẽ congererent. ſic malè extinctus ignis, in cõminutam fortè ipſo caſu thecã incidens, omnẽ uicinam ſulphureã materiã corripuit: ut ea res Turcis multis exitio, noſtris ſummo pauori fuerit. Cùm igit pars noſtrorũ portis emiſſa, pars adhuc incõpoſito ſtaret agmine: plurimi, metu ne caſus huiuſmodi aſsignaret illorum culpæ, quò præſentẽ mortẽ euaderent, inter tumultuandũ alius aliô per arcem diffugere. Horũ nõnulli his dieb. poſtliminio reuerſi, unà cum Hiſpanis aliquot, qui quarto abhinc anno in ſinu Patrenſi apud Præuiſam, uti dicebant, fuerãt intercepti: inter ꝗs erat nobilis quidã filius N. Figaroæ, qui tã liberaliter ſeruierat, ut patrem, cum quo captus fuerat, ſingulari pietatis exemplo, ſeruitio liberârit. Ex his ſanè intellectũ eſt, quanta peritia eſſet rei militaris apud hoſtes, & ꝗ longè nos & ſcientia & patientia, laborumq; tolerantia, ſuperarent. Ne eã referã, quib. artibus, & qua fortitudine arcẽ munitiſsimã, intra XVIII dies, quã noſtri uix intra annũ expugnari poſſe ſperabãt, obtinuerint, cuniculisq; in loca arcis etiã noſtris incognita peruenerint, ea ſolum quæ ſubſecuta ſunt, deſcribam. Cùm igit ſpe ſua & omniũ opinione celerius, loco munitiſsimo potiti eſſent, nõ ceſſandũ rati, ſed uictoria pro inſtrumẽto ad debellationem uicinorum uſi, ad Tatha & loca circa Comaronem exercitũ duxere. Erat Tathę præſidium noſtrorũ ſatis firmum, partim Germanorũ, partim Italorum. Italis præerat Annibal Taſſo Bononienſis, ductor cohortis, quæ ſub nobili adoleſcente M. Goniadino, equite Bononienſe militabat. Cui Philippus Torniellius hunc honorem tribuerat, propter egregiũ uirtutis ſpecimen, editum ſuperiori anno in oppugnatione Peſthi. Erat autem Annibal cæterã quidẽ uir multæ experientiæ in rebus bellicis, ſed uitæ corruptiſsimæ, & in Deum ac diuos omnes blaſphemus maximus. Ne illa tamen dicam, noſtri non expectata oppugnatione, hoſtibus arcẽ tradidere: qua fide, quibuſue conditionibus, nondum potui intelligere, quã tamẽ fortiter, hinc ſcirè poteſt, quòd eũ Torniellius ſupplicio capitis affecerit. Turcæ demoliti arcẽ, retrò iter flectentes, Albã obſederũt: q̃ ideo cognomẽ regalis habet, ꝗ ibi Reges Hũgariæ inaugurari & ſepulchris condi ſolent. Ego Albæ nunq; fui, eius tñ ſitus mihi talis deſcribitur. Vrbecula ipſa exigua, unde quaque cincta altiſsima & latiſsima palude, prętęr unam atq; alteram, aut ad ſummũ tres uias: quę per emi

nentiores uel natura uel opere excitatos aggeres, in oppidũ ducebãt, per has solas facultas dabat oppugnandi: & erant hæ uiæ quàm ipsa urbs, ædificijs frequentiores, nostri, quæ sibi obfutura opinati erant, prius fuerant demoliti, unum suburbium operibus, de ipso oppidulo parũ sollíciti, fossis & uallo uallidissimè muniuerant. Erat adhæc eo loco manasteriũ quoddã, cuius templũ & turrim pro arce in ipsis munimentis constituerant: unde hostib. multa incõmoda, magnamq; cladẽ intulerunt. Principio obsidionis simulabant se extra has munitiones ædiculam quandã sacrã, uelut frontẽ retinere uelle, eã Turcę non ignari quantũ sibi allatura esset utilitatis, summis uiribus oppugnabãt, nostri quasi inuiti locũ deserẽtes, diu restitere: et tandẽ tanquã frustra repugnassent, se ad suos recepere. Hunc hostes uelut cuneũ habituri, contra nostros etiã munire, & Bombardas eò adducere cœperunt. Interim ignis sub materia acalijs uelut temerè desertis, subitò accẽsus, & ędẽ illã sacrã discussit, et hostes multa clade male mulctauit. Nostri in hanc occasionẽ intenti erumpentes, omnia longè lateq; turbauere: & post multa damna illata, uictores in oppidũ rediere, ceciderunt in pugna illa tumultuaria multi nobiles ex Turcis, ac inter eos maximæ existimationis Bassa quidam eunuchus, captus etiã est unus ex bombardijs, ut uerbo militari utar, quos Galliæ illi trãsmisisse dicebatur. Verùm hostes nihil eo animis remissiores, omnia quæ ad obtinendũ locum opportuna putabant administrare: contra illud monasterium, quod dixi, etiam ipsi altam molẽ, lignis & terra cõgerere: pontonibus & tabulatis, per paludes iter instituere. Erat uicinũ nemus quoddã: hinc sexcẽtis quotidie curribꝰ, tantũ cæsę materiæ conuehere, ut paludẽ, quã nostri hactenus nisi hyemis rigore duratã, inuiã & insuperabilem putauerũt, minori spacio cꝫ XII dierũ, plurimis locis sibi peruiam effecerint. Hinc effossis transuersim semitis, ad fossas sub ipsum uallũ accesserunt, cũq; iniecta terra & materia, sibi ad nostras munitiones iter strauissent, quater conati sunt, si per uim irrũpere & locũ expugnare possent, uerũ & opportunitate operũ, & nostris fortissimè contrà resistẽtibus, cum conatus suos supra uires esse uiderẽt, intermisere. Erat enim inter alios cũ nostris Octauianus Scruzatus Mediolanensis, uir ualde industrius, qui breui tempore ex terra, & lignis, cõmodissima à lateribus propugnacula, quibus hostium adscẽsus impediretur, excitârat. Turca uolebat excitata alia in cõtrarium mole, multo quàm nostræ erant altiori, istas defensiones nostris adimere: sed neq; sic efficere potuit, ut munitiones defererentur. Talis erat rerum status usq; ad kalẽdas Septembris. Postridie uerò cum dies sereno & claro sole illuxisset, repentè excitata (ut hic uulgus fert, arte magica, ut mihi uerò uidetur, naturalis, utpote loco palustri, & ubi magna hominum pecudumq; multitudo in angustum coacta erat (nebula & densa caligo, omnia circa urbem occupauerat, cũ alijs locis mira serenitate sol fulgeret, hostes hanc occasionem non negligentes, quàm occultissimè possunt, per uineas & opera sua, ad nostras munitiones accedunt: ac propè prius quàm ad arma conclamaretur, in propugnaculum quod milites Germani seruabant, euadunt, oritur, ut re inopinata & perdita, miserrimus clamor: cõcurritur undiquaq;, crudissima pugna, qualis in extremis fieri solet, committitur: hi pro obtinendo loco, in quo omnem uictoriæ spem: illi pro defendendo, in quo suam uitam & incolumitatem positam uidebant, omnibus & extremis uiribus contendebãt. Sed superatis nostris, & multitudine & uirtute hostium impetum diutius sustinere nequiuerũt, alij etiam, qui longius ab ipso periculo aberant, minus pertinaciter (uti fit, ubi adhuc alia refugia superesse putantur) succurrebant, & quomodo se in interiorem urbem reciperent, dispiciebant. Ab his igitur fugę initio facto, etiam reliquos secum traxerunt, & hostibus faciliorem expugnationem, uictoriamq; minus cruentam

ruentam præbuerunt. Erat ingreſſus in urbem anguſto inter paludes aggere, in quo oſtium ex clathris inſtar raſtri, modico ante portã interuallo, pro obiceobiectũ, & tunc neſcio an alicuius imperio, an temerè occluſum erat. Noſtri igitur ex utraq; aggeris parte ſe in aquã deiecere, quorũ multi alto cœno & aquis, ſeſe mutuò demergentes, abſorpti: multi, in hac turba & anguſtijs, ab hoſtibus à tergo, cùm nemo ad reſiſtendum uel uires uel animũ haberet, conciſi, pauci uado aut natando in urbẽ recepti. Neq; tamẽ ibi ſeſe res aut melius aut ſanius habebant, occupatis nanq; præſenti periculo & terrore omniũ animis, nihil uideri uel audiri potuit, quod in mediũ pro cõmuni ſalute conſuleret. Amiſsis em̃ ducibus, qui omnes, ac fortiſsimus quiſq;, ceciderãt: è Germanis Eraſmus Vuitzenberger, iuuenis omnibus liberalibus artibus ornatiſsimè inſtitutus, & de quo magna ſpes uirtutis habebatur, ab Italis: Scruzatus, Ioannes Dominicus Torniellius, Carolus Secius Mediolanẽſes, & Oſcaſallus Cremonenſis: his inquã occiſis, nemo erat qui uel multitudini imperare, uel alteri cõmode parêre ſciret, nihil tñ æquè ciues deiecit, atq; mors ipſius præfecti Georgij Barchoth, uiri integerrimi, & qui regiæ corporis cuſtodiæ multis annis fidelisſimè præfuiſſet. In hunc Turcæ etiã mortuũ, ſuum odiũ & ſæuitiã exercuere: amputatũ caput, & dextrũ brachium, in fortunæ contumeliã, pro ſpectaculo circuntulerunt. Varij igitur intra urbem motus animorum: alijs ſeſe dedere, alijs potius omnia tentare, ac uim ulterius repellere uolentibus, tandem magiſtratus ciuium, ut quorũ poſt hanc cladẽ maior pro ualdubio, quã militum, & numerus & auctoritas erat, maluerunt paciſcendo clementiam uictoris, quã irati hoſtis immanitatem experiri. Iudex igitur eodem die ad hoſtes egreſſus, deditionem omnium nomine, retenta rerum ſuarum uniuſcuiuſq; cum libertate priſtina poſſeſsione, paciſcitur, milites etiam quocunq; uellent, liberè profecturi, ex oppido ademptis armis dimittuntur: qui ex quatuor uexillis nominis Italici, & mille Germanis, (Heydones enim, quorum ab initio numerus ſupra millenarium fuerat, peritia locorum freti, alij alió, nullius expectato impetio, ſibi per paludes conſuluerunt) ad trecentos redacti, ex equitatu ſatis copioſo uix ducenti ſupererant, his ex itinere Tartari, ſpe prædæ inſidiati, totum agmen turbauere: ita ut quiſq; quà ſibi commodiſsimè poterat, fuga per paludes & ſyluas, ſalutem quærere cogeret̃: qui ignari locorũ & uiæ, uel inedia in ſolitudine, uel ab ipſis Hungaris interfecti, pleriq; periere: pauci ad nos nudi, inermes, tetri, ſqualidi, umbræ potius quàm homines, ac ſolum non confecti fame, rediere. Turca principiò uelut clementer, cum deditis acturus, in urbẽ admiſſus, ſepulchra regum uiſitauit, proponit deinde edictũ, ne quid durius de ſe timeatur, non enim Hungaros debellatum, ſed à ſeruitute Germanorum uenisſe liberatum, quo poſſet regnum uero regi, legitimoq; hæredi, Stephano ſcilicet filio regis Ioannis, pacatum & integrũ reſtituere. Tribus deinde uel quatuor interiectis diebus principes ciues, uelut ſolenne ab ijs fidei iuramentũ accepturus, in campum non procul ab oppido, quò corpora damnatorum deferri ſolent, euocauit. Quò cum omnes, quam poterant ornatiſsimè, uelut ad ſolenne feſtum inſtructi, conueniſſent: Turca nullius pacti aut cõuentionis religione motus, ad unum omnes interfecit. Hunc exitum habuit præclara illa & nobiliſsima totius regni ciuitas, omnisq; Germaniæ uelut alumna, & uilla peculiaria: certè multo minoribus impenſis potuiſſet ſeruari, quàm unquam poterit recuperari, niſi à nobis omnia adhuc imparatiora fuiſſent. Interea uerò tẽporis dum adhuc circa obſidionem hærebat, quo uicinorum animos ab omni cogitatione ſubſidij mittendi auerteret, equitatum Tartarorum, cuius alias inter obſidendum modicus uſus erat, ad populandũ proxima loca dimittit, hi ſtudio rapiendi incautius uagantes, ab Hungaris circumuenti, amiſsis

ſuorũ plus minus tribus millib. malè mulctati, in caſtra rediere, fuit inſignis in hoc certamine, opera comitis Nicolai Yzrinij Croaci, qui cum principibus aliquot Hungarię, Nicolao ſcilicet Kadouuith, duobus Bartholemæis Horuath, Emerico Vuerbecio, & Andrea Bathori, uiris olim ſummæ inter Hungaros potentiæ & nobilitatis, pro patriæ recuperatione, omnes fortunę caſus ſubeundi, fœdus percuſſerat. Cæterũ uulnus ipſius Nicolai obſtetiſſe dicitur, quo minus nobilem de ſe uictoriam Tartari præberent. Conuertit hoc loco omniũ oculos in ſe, captiui unius tetra & immanis barbaries, cui in pera annotina dimidia pars infantis bimuli, adhuc de obſonio, nõdum commeſta ſuperat. Alio loco æquè infeliciter Franciſcus Capolnaij, dum hoſtium excurſiones, agrorumq; uaſtationes, ſeptingentis equitibus prohibere conatur, cũ plurũ, propter egregiã uirtutẽ, mœrore eſt interfectus. Turcæ hac uictoria læti, caſtra uerſus Comaronem mouiſſe creduntur, eſt in itinere arx quædã Pappa, ubi noſter equitatus ſe antea continebat: hanc, nunc uel expugnarunt, uel certè oppugnabũt. Ego ſuperioribus literis meis uobis ſitũ Camaronis deſcripſi. Nos ibi in præſidio habemus reliquias Italorũ, quos Philippus Torniellius adduxerat: qui interea nihil omiſit quod ad loci munitionẽ, ulla ratione facere poſſet. Miſimus etiã ſuppetias, reliquias ſcilicet Germanorũ, qui à clade Strigonienſi in unum colligi potuerunt. Nam Italos exauthoratos, uti intellexiſti, & ſtipendio fruſtratos, niſi quod ſingulis aureum pro uiatico numerarint, quò uelint, abire permiſerunt. Illos uerò eo meliores milites fore ſumus arbitrati, quo minus clementiæ ab hoſte, contra quem iam ſecundò arma ferunt, ſperare poſſunt. Hæc ferè hactenus in Hungaria geſta ſunt: contra quæ â nobis nelcio ſanè quã ſalutaria, certè ſera præſidia cõparantur. Rex nondum exercitũ in unũ locum contraxit: neq; quando huc ſit uenturus, certò ſcimus. Circa hanc urbẽ habemus militum Germanorum ferè ſeptẽ milia, Italorũ quatuor: quos Pont. Max. ductu Ioannis Baptiſtæ Sabelli, nobis ſubſidio miſit. Et quanquã ſit uir ille ſumma integritate & iuſticia, ut qui unum è ſuis militibus propter furtum duorum panum, unà cũ ipſis panibus, ad exemplũ, ſuſpenderit: tamen neſcio quo modo illis & noſtris adeò malè conueniat. Alij Strigonij proditionẽ, alij illis cum Turcis omnia conuenire, criminantur. Hoc ſanè hic pro certo rumoribus relatum eſt, cum Caradinus Aenobarbus, ſiue Barbaroſſa, obſeſſurus Niceam, Maſſilienſium Hoſtiam præternauigaret, quòd neq; pontificios læſerit, neq; ſuos rurſus ab illis aut læſos aut malè habitos, ſed commeatu adiutos fuiſſe. Verũ enimuero quoquo modo iſta ſint: Pontificij ſibi pacẽ, cum eſſent adreſiſtendum imparatiores, redemerint: mihi tamen nõdum de Pontifice ſuſpicio incidere potuit tãta, ut eum de repub. Chriſtiana malè ſentire credã. Extãt etiam uetera exempla, tã Periclis apud Athenienſes, quã Fabij Maximi apud Rom. quorum agri ab hoſtibus intacti, quo illis apud ſuos ſuſpicionẽ crearẽt, relinquebantur. Quid enim aliud credam, quã hæc hoſtium cõſilio geſta eſſe, quo maioremin ter nos ſeditionẽ concitarent? Principum tamen cõſilio & authoritate temperatur, ne odium in apertã ſeditionẽ erumpat. Quòd haud ſcio an difficillimũ ſit, eorũ quæ toto hoc bello uidere potui: nam reliqua fortaſsis, æquioribus animis Germani paterentur. Illud uerò indignè eos ac ſanè malè habet, q; nullius pudicitiam ab illorũ libidine ſatis tutã arbitrantẽ. Ecce enim, quid nudius quartus hic ſit actũ. Redibat fortè ciuis q dã ex uicina uilla: ſequebatur famula caniſtro portans nuces, ſocij aliquot nauales, quorum ferè trecẽtis in illo ſuburbio, hoſpicia aſsignata ſunt, ſatis laſciuẽ à puella nuces extorſerunt, ea ad uim inclamabat herum: qui credens uirginis pudicitiam attentari, ciuibus ſuis & militibus, qui ad portam in ſtatione erant, ad uim arcendã acclamat.

mat. Adſunt & Itali, ac ſuis è propinquo ſubueniunt. Quid dicam? multis hinc atq; inde concurrentibus, atrox prælium committitur, ſaxis, haſtis, gladijs & ſclopis res geritur, multi utrinq; uulnerantur, tandem ſocij nauales multitudine ſuperati, (ex tota enim urbe eò accurrebatur) tribus aut quatuor occiſis, plurimis ulneratis, retroceſſere: neq; fuiſſet dies illa ſine magna tranſacta calamitate, niſi nox pugnam diremiſſet. Iam enim Itali ſuos trãs flumen, intra unum miliare caſtra metatos, ad opem ferendam accerſebant. Hinc uides, quo ſtatu & conditione rerum hic uiuatur, ſanè ni ſuperi nos reſpiciant, metuo quem exitũ tam multæ calamitates ſint habituræ. Spero tamen, quod in nos benigniores erunt, quã ipſi promereamur. Vale, Viennę: ſexto Idus Septemb. M. D. XLIII.

IOAN. MARTINVS STELLA, GVILIELMO *& Michaeli fratribus* S.

ETſi uos mihi fratres credere certò ſciam, inter has moleſtias peregrinationis, nihil mihi grauius accidere potuiſſe, quàm quòd uos mei uidendi deſiderio ualde angi ſcriberetis: tamẽ in maximo amore & pietate erga uos, alia omnia tolerabiliora fuerunt: hoc certè tenerius tuli, quòd ſuperioribus menſibus, tunc cum maximè cuperem, propter cauſam captiuorum Laſcani & Salamancæ, quorum (ne indicta cauſa captiui detinerentur, condamnarenturúe) etiam ego patrocinium mandato regio ſuſcipere cogebar, uenire nõ poſſem. Quare etiam nunc, cum in cauſa ita à nobis pro illorum innocẽtia laboratũ ſit, ut procuratores fiſci, quartum iam menſem nihil porrò agant, neq; contra nos (uti loquimur) triplicent, impetrato publicè commeatu, ut uos uiderem, itineri me accinxi. Veni itaq; Speiram pridie Nonas Maij. Vbi certè cùm ab omnib. ſuiſſem humaniſsimè exceptus, tum meam ipſius expectationẽ ſuperauit humanitas patroni, domini Granuellani, & filij eius Epiſcopi Atrebatenſis. De literis uerò, non eſt quòd ſitis ſolliciti, ſaluæ ſunt apud me omnes. Et quanquã cuncta à me uobis commodius coràm narrari quàm ſcribi potuerant, tamen cum neſcirem, quando hi me dimiſſuri eſſent, nolui tempus hoc ſine ſcriptione aliqua ad uos, tranſigere. Mitto igitur expugnationem Albæ regalis, quam requirebatis. De reliquis uerò anni illius geſtis, in hũc uſq; diem, breuiter ita habete. Dum Turcæ Albam expugnant, iam noſtrę copiæ circa Poſonium conuenerunt, erant eæ peditum Germanorum VIII millium: Italorũ quatuor, qui circa Viennam retenti fuerant, ut ſubitò in urbem, ſi hoſtis eam tentare uoluiſſet, reciperentur. Bohemorum & Morauorum erant circiter XX millia, quiq; accedebat ordinarius equitatus Hungarorum, cum Auſtriacis: quorum ego numerum uix puto octo millia exceſsiſſe. Cũ his copijs Rex Poſonij ex utraq; parte Danubij caſtra metatus, triduum in conſtruendo trans fluuiũ ponte cõſumpſit. Erat illius pontis eadẽ ratio, atq; ſecũdo ſuprà proximo anno, ad obſidionem Peſthi, uſi fueramus. Vehebantur ſingulis carris, ſingulæ ſcaphæ, cũ binis pontonibus ex trabib. & tabulatis. Principio ergo, ſcaphæ in aquã demittebantẽ. Hęc anchoris et rudentibus ex ſuperiori loco, contra uim fluminis reuinctæ, & inter ſe arctiſsimis uinculis colligatæ, pontonibus inſternebantẽ. Qd opus certè ualde ſolidũ erat, & ſatis latũ, qua pedites quini, equites terni, ſine offenſione pertranſirent: adeò ut tãtus fluuius à maximo exercitu, intra unum diẽ trajici potuerit. Cũ ita inſtructa & parata omnia eſſent à parte noſtra, neq; difficile pleriſq; uideretur, qn eodẽ anno, non ſolũ Alba, ſed etiã Strigonium recuperari potuiſſent: inſuper etiã pro certo ad nos allatũ eſſet, Solymanum dimiſſo exercitu retroceſiſſe: ſciremusq; exercitũ hoſtium ſemel ſolutũ, quoniam non uoluntarijs, ſed pleriſq; coactis conſtaret, difficulter ad officiũ reuocari potuiſſe: uide quæ malignitas tempeſtatis & aurę fuerit, adeò ut ipſi ſuperi noſtrum progreſſum impediuiſſe uideri poſſent, tanti imbres continuis

diebus de cœlo lapsi sunt, aut uix locus editior metandis castris ibidem reperi ri potuerit, fuit ea uentorum & procellarum uis, ut nec tabernacula erigi, nec ignes in castris potuerint excitari. Hæc sanè causam præbuerunt, ut Bohemi, qui se solum suos fines tutari uelle dixerant, difficulter mouerentur, metuebāt enim, ne si semel pontē transissent, illo interrupto, quo nollent, inuiti ducerentur. Populariter ergo Regem adeunt: orant ne summa hyeme, inuitis superis, in hostem pergat ducere: sese primo uere omnes præstò adfuturos, quocunq; etiam mouere uellet. Rex itaq; partim illorum uoluntatem, partim necessitatē secutus, quòd uideret sub dio & pellibus militem contineri non posse, exercitum dimisit. Et cum tam ingentia fuissent frigora, ut multi nostrorum militum, dum auscultatorias siue sentinellas, siue ut Germani eas uocāt, scutarias uigilias obeunt, frigoribus obriguerint: tanta tamen post solutū exercitū secuta est ad aliquot hebdomadas aeris temperies, ut omnibus res admirationi fuerit. Rex igitur Viennam reuersus, omni consilio in curā sequentis anni, quibus artibus & uiribus bellū geri posset, intendere cœpit. Conuentus regni Hūgariæ, alios Bohemiæ habere instituit. Ab Hungaris qui adhuc in officia erant, multa sedulò promissa. Quin & frater Georgius Episcopus Vuaradinensis, q̄ nomine pueruli Stephani, filiæ Regis Ioannis, Proregem in Trāsiluania agit, pro magno habuit Gasparem Horuuath, de concordia, & nescio qua ratione, qua non partibus, sed ipsi regno consuleretur, conuenire. Gaspar etiā, quanq̄ esset ualetudine propè desperata, tamen omnia pro nihilo duxit, dū per intensissima frigora, magnis itineris, ad regem Pragam usq; contendit, ut inclinanti fortunæ aliquid opis adferre posset. Quæ tamen omnia, qualia futura sint, magis ex euentis, quā consilijs iudicabunt. Fuit hæc hyems satis quieta, nisi, Turcæ per concretum frigoribus fluuium traijcientes, nostris plus terroris quā periculi creassent. Erat præter hæc oppidulum quoddā Hūgariæ, Regibus nihil tributi aut uectigalis pendere solitum, nisi quod ianitores aulę regiæ suis stipē dijs esse cogerentur. Isti sese frequenter Turcis dediderant, etiam superioribus annis. Accolæ aūt & uicini, ut uiderunt illis ad hanc diem fidē seruatam, multi ad illos in tantis periculis comigrarunt, ita ut ex minimo oppidulo, urbs fieret & frequens & populosa. Hos Turcæ ab omni suspicione remotos, circunueni entes, partim occiderunt, partim captiuos abduxerunt. Vnde statim ad dubia etiamnum signa ueris, circum omnia uagari, & cū à nostris nullos obuios haberent, retro conuersi à Vuizigrado, quod ex superioribus literis inter Strigoniū & Budam esse intellexistis, initiū belli gerendi facere cœperunt. Arx hæc etiā duplex est, altera ad ripam Danubij, altera in editissima & inaccessa rupe: ita tamen ut superior, nisi siti premerent obsessi, inferioris nihil indigeret. Hāc Turcæ iam aliquot dies, priusquā ego Vienna exirē, obsederant. A nostris hęc contrà præparabant. Viennā per otiū munire uolebant, in quo pleraq; eorum quæ ego de illius munitione scripsi, obseruare decreuerant. Fossas anno superiore ita dilatare cœperant, ut in imo fundo spaciū patēret perticarū decē. Nūc duobus angulis, uno scilicet post monasterium Dominicanorum, altero post Franciscanorū, non procul à porta quæ extra arcē ducit: duo ualidissima propugnacula instituunt. Alio loco Leonardus à Felíz equitatū nostrū ex p̄lidijs colligebat, ad obsidionē impediendā. De cuius conatu, uti huc rumoribus & literis est perlatū, fortuna ita indicauit. Turcæ multos dies Vuizigradum obsederant, ita tamen ut obsessis parū fuerit timendum propter loci naturā, priusq; tamen succurri posset, sic sunt ad extrema omnia redacti, ut constet uniuersum præsidiū totos quatuor dies non bibisse: tandē itaq; siti coacti, sese dedidere, solū uitam & liberam abitionem pacti. Porrò Turcæ nullis pactis stātes, ad unū omnes, præter Petrū Amandū p̄sidij præfectū, interfecere. Bassa em̄ qui obsederant,

derat,eũ ſua manu multitudini ſubduxerat.Erat Petrus Amandus uir magno ingenio,& ſingularibus moribus,natura abſtemius:quod illi cauſam excolendi ingenij,inter corruptos aliorum mores,fuiſſe credendum eſt.Hoſtes hac arce potiti,ſeſe accingere dicuntur,ut duorum Baſſarum exercitibus,quæ quinquaginta millia hominum excedunt,priuſquã nos parati ſimus,Comaronem oppugnatum ueniant.Tormenta & bombardas Budæ ea gratia in naues impoſuerunt.Comaronem ego alijs meis literis deſcripſi,ſita enim eſt,ubi Danubius turſus coit,cum in ſe fluuium Vagam accepit.Hãc noſtri toto biẽnio muniuerunt,& foſſas ita duxerunt,ut eam à continenti abſciderint.Propugnacula ex terra & lignis opportuniſsima duxerũt,quibus ueterem arcem uelut incluſerunt.Cumq; munitiones has extrinſecus muro circundare uellent atq; ad id operis fabros & qui lateres coquerent,ex ſuperiori Auſtria coegiſſent,quia ſemel ad arma conclamatum fuerat,homines inſolentes talium turbarũ,in officio retineri nequiuerunt:ita opera illa adhuc ſolum terrea ſunt:circunda ta tamen,uti audiuiſtis,duobus fluuijs latiſsimis et altiſsimis,& foſſa manu ducta:loco tam opportuno & commodo,ut niſi illa retineri à noſtris potuerit,nihil uideam in illis regionibus munitionũ,quod tam potẽti hoſti obijci poſsit. Deus opt.max. à populo ſuo timorẽ auferat:& contra hoſtes nominis ſui,fortudinem tribuat,& uirtutem.Valete,Speiræ,ſexto Idus Maij.M. D. XLIIII.

DESCRIPTIO ET MVNITIONES ALTEMBVRGI, ARCIS DOTALIS SERENISSIMAE REGINAE MARIAE, &c.

Per Ioannem Martinum Stellam,miſſa ad ampliſsimos uiros. N. N. &c.

Congratularer mihi pro eo ſanè atq; deberẽ,ampliſsimi uiri: q tãtum in me iudicij cõtuliſtis,ut credereti mea induſtria atq; ingenio,aliquid roboris,ad munimenta ueteris arcis,quã Germani Altemburg,Hungari Ouuuar appellant,poſſe accedere: niſi ex altera parte me ſollicitudo maxima,difficultasq; torqueret,opinionem,quã(utinam ne fallacibus argumentis)de me concepiſtis,in tanta iudiciorũ diuerſitate,ſuſtinendi.Cum tn cogitẽ,neminẽ ad ea q̃ præſtari nequeunt,cogi poſſe:confiſus de ueſtra beneuolentia & humanitate,conatũ meum in meliorẽ partẽ acceptũ iri,ut potero deſcribã,quę mihi ad munitionẽ arcis et uici pertinere uidentur.Altemburgũ igit,ſiue Vetus arx,uti omnes nouiſtis,ſita eſt ad ripam ramuli cuiuſdã ex Danubio,ut illa à Septentrione,inter alueũ fluminis & foſſam arcis media,aggerẽ efficiat:è diuerſa parte,ſcilicet meridiona li,ita eã fluuius Litha hinc atq; illinc propè alluit,ut inſulã cõſtituat,circunda ta præter fluuios iſtos foſſa lata & tam profunda,ut fluuiorũ altitudinẽ ſuperet:ita ut nullũ periculũ ſit,ne aquæ deriuari ac foſſæ exſiccari poſsint.Loco p̃terea tã neceſſario & opportuno,ut nulla alia per regiones illas uia,ex Hũgaria in Germaniam,niſi ſub arcis conſpectu,imò adeò ſub ipſis portis,pateat: ſi quod iam à prefecto Stãpa inſtitutũ eſt,uia per paludes,ſolis incolis & ruſticis nota,præpediat,cuius rei uariæ rationes ab illo ſunt excogitatæ.Principiò p̃fodit ſolitas uias,ac pontes inſtituit,quos cũ neceſſe erit deijciet,& tabulas ſecunda aqua apud arcem excipiet.Deinde ſperat reſtagnatione fluminis Lithę efficere,ut palus illa adeò inundet,ut nuſquã uia pateat.q̃d & mihi uidetur,ſi certis locis illa ipſa uia crebris foſsis incidat.Nã de reſtagnatione quod dictũ eſt,non tantã habet uim,q hoſtes,ſi loca aliàs plana & dura eſſent,multũ im-

pedirẽt. Fluuiꝰ em̃ Litha, poſtquã in plana illa eregionẽ Altẽb. fluere cœpit, planè tardus efficit, & uelut dormitabũdus incedit. Hinc uaſtæ illę paludes, et dubiꝰ curſus, q̃ ſe potiſsimũ loco Danubio inſinuare uelit. Scindit ſe igit̃ nõ p̃ cul ab ipſa arce, primũ in duos alueos: unus ad arcẽ, etiã bipartito fluens, eã, uti ſuprà dixi, in inſula cõſtituit. Alter ille, uix ſcias an fluat, an ſim̃obilis in paludẽ ſit cõuerſus. In ſum̃a, lõge lateq̃ expanſus, tandẽ cũ Rhabitza cõiunctus, etiã Danubio ſub laurino miſcet̃, neq̃ per eã partẽ temerè eſt uiã ullã inuenire, niſi illã, quã ſuprà dixi, ſub conſpectu huius arcis. Qđ ſi iã alueũ hunc, quo ad arcẽ bipartitò fluit, quiſpiã reſtagnauerit, ſuperficies eius ſpaciũ, q̃d mediũ eſt à prima diuiſione fluminis, poterit reſtagnatione exæquari, cuius tñ altitudo tres pedes nõ excedet, cũ nec terræ ſuperficies ibidẽ multo editior uideat̃: q̃d ipſũ tñ exiguũ exiſtimãdũ nõ eſt. Foſſæ em̃ et loca alia iã decliuia, et natura ſua paluſtria, præter ſolitũ aquis aucta, nulla neq̃ arte neq̃ labore poterunt uadari. Siquidẽ natantibus præter latitudinẽ, obſtabunt etiã cannæ & herbæ: euntes impedient foſſę & lacunę. Qua aũt arte iſta reſtagnanda ſint, iã diſpiciamus. Tres aluei, ex hac palude, ſiue fluuio in Danubiũ patẽt. Primus eſt poſt ipſum uicũ, uerſus Hungariã in orientẽ: ſecũdũ propugnaculũ q̃ddã terreũ, ibidẽ olim excitatũ. Exitus iſte, nunc trabibus & lignis obſtruit̃, atq̃ ad reliquæ ibidẽ regionis altitudinẽ terra & ſimo exaggerat̃. Alter eſt alueus Lithæ, uerſus Ratzendorff ſpectans, inter ſeptentrionẽ & occaſum, qui ſimili opere etiã erit obſtruẽdus. Medius inter arcem & uicũ, molas ante portã arcis ſubigit. Hoc loco, quẽ propter uicinitatẽ ſemp̃ in poteſtate habere poſſumus, ſolitis inſtrumẽtis, quibus molitores aquã ſiſtũt, aqua uel augẽda uel im̃inuẽda erit, neq̃ duob. aliꝭ locis quicq̃ p̃terea neceſſariũ uideꝫ, quã ut obiecta mole, illac nullꝰ aq exitus in Danubiũ detur, niſi fortè in alueo illo altero Lithę uelis oſtiũ reliquere, quo, ſi maior uis aquæ incubuerit, ea emittat̃, aut etiã curſus ille antiquus aquæ retineatur: ne ſi reſtagnata cõtra naturã ſuã aqua, id pati nolit, & uis fluminis aliò, ſcilicet Rhabitzã uerſus, auertat̃. Oſtiorũ uerò huiuſmodi nõ eſt ubiq̃ eadẽ ratio: unã ſuprà retulimus cõmunẽ & molitorib. uſitatã, aliã habẽt Gandẽſes. Hi oblõgas trabes, p̃ trãſuerſũ cõtra poſtes hic atq̃ illinc diſpoſitos, leui negocio, ſecũda aqua demittũt, q̃ ad æquabilitatẽ dolatæ, uelut obices uim fluminis retardãt. In Italia aliud ſolitũ eſt: ibi em̃ ex una parte aluei, ſuſpenduntꝫ de firmis cardinibus, ingentes ualuæ, q̃ ſine ullo labore, impetu ruentis aquę & ſecundi fluminis, claudunt̃ cõtra poſtes, ex altera parte aluei obiectos, aperiunt̃ uerò catenis & uinculis retrorſum retractæ. Gandẽſiũ aũt & molitorũ rationes, mihi inutiles uident̃, in locis q̃ non ſemper in poteſtate habere poſsis. Quod uerò ad ipſam arcẽ pertinet, aut ad uicũ (ſine quo, uti noſtra iplorũ uictoria teſtimonio eſt) arcis difficilis eſſet retentio, alia mihi uidetur eſſe conſultandi ratio, ubi facultas eſt, eorum quæ conſulta ſunt, maturè exequẽdi: alia, ubi tenuitas ærarij cõſilia interturbat. Ego tamẽ ut potero, me tẽporibus accõmodabo. Ac primũ de uico, ſi quis munire uelit, neceſſe habet, ut eius ambitũ faciat minorẽ, redigatq̃ in formã propè triangularẽ, frontẽ igit̃ ſibi cõſtituat, eã molẽ terreã, ſiue p̃pugnaculũ illud rotũdũ, uerſus oriẽtẽ, apud q̃d ſuprà dixim⁹ aquã cœptã eſſe reſtagnari. Hinc rectis lineis ducat ad dexterã, qua Danubiꝰ alluit, uſq̃ ad illũ locũ ubi Lithæ cõiungit̃: à ſiniſtra uerò, itẽ recta linea, p̃ſcindat atq̃ amputet totũ illũ tractũ, ubi eſt p̃ſtructa & occluſa porta, q̃ p̃pt̃ orbicularẽ formã & inutilis defẽſioni, et in operib. eſt deformis. Vbi hoc loco ad pũctũ puenerit, unde rurſus recta linea ad arcẽ, ſine magna demolitione, aut iactura domum duci poteſt, tametſi alibi p̃ſentẽ foſsã trãſgrediat̃, recta foſsã cauet, terrã intꝰ in uallũ ſatis amplũ & altũ exaggeret. Sic uicũ, p̃pt̃ latitudinẽ duarũ foſsarum ab oriẽte (à qua parte ſola aut oppugnari aut obſideri copijs terreſtrib. poteſt) à meridie

à meridie propter foſſam & paludem: inter ſeptentrionem & orientẽ, propter Danubium, qui contra naues raris trabibus & catenis obſtruetur, ualde firmũ conſtituet: ſi uerò addantur & propugnacula qualia conuenit, etiam inexpugnabilem. Duo enim propugnacula, aut ad ſummũ tria his angulis (nam circa confluentem Danubij & Lithæ tertiũ non eſſet inutile, imò propè neceſſariũ, contra impetus nauales) & arx, omnia latera ipſius uici tutarentur. Porta aũt ſiue ingreſſus in ipſum uicum, eodem loco, pro ratione tamen lineæ ſuperius ductæ, ubi & nunc eſt, mihi uidetur relinquẽdus, ſed alio inſtitutus modo. Mola illa quæ ante arcem eſt, utilius aliò transferetur. Danubius enim frequenter auctior, impedit caſum aquæ. Quod ſi hæc mola, item porta uici, noua ad hoc ædificata domo, extruerentur, unis impenſis duabus difficultatibus conſulere tur. Diximus adhæc ſuprà multa de reſtagnatione, quæ hoc loco cõmodiſsimè inſtituerentẽ. Vellem ego præterea hanc portã prorſus à uallo uici ſeiunctã, ex illo aggere pendere, qui nũc medius eſt inter Litham & foſſam ipſius arcis, quæ duplici oſtio intrinſecus & extrinſecus cõmunita, tota in poteſtate arcis eſſet. Huc adde, quod eadem opera ita extrui poſſet, ut etiam pro ingreſſu in ipſam arcem ſeruiret: uſq; adeò, ut alio ſupra Litham ponte non eſſet opus. Verùm ut eſſet hæc ſtructura ualde utilis, ita omnino nollem illam inchoari, niſi animus eſſet etiam reliqua opera perficiendi, ne magnæ impenſæ fierent, in rẽ quam deſerere, ſi hoſtes ingruerẽt, oporteret. Quòd ſi uicũ ad eum modũ quo nunc eſt reliqueris, propter rotunditatem, nunquã exactè munies, etiam ſi plura propugnacula erigãtur, terram deinde in uallum, aliũde maiori impenſa cõgerere oportebit: quæ nunc, adaucta foſſa, ſuperabit. Si in præſentia opus illud adgredi non placeret, prouidentiæ tamen eſſet, totũ illum locũ qui futuris mœnibus directis lineis deputaretur, proximis menſibus arboribus conſeri, quæ tempeſtiuè ſuccreſcentes, latenter futuris munimentis incomparabile robur præpararent. De arce hoc unũ habeo dicere, me ualde mirari, cur, cùm ipſa uetus ſtructura quadrata ſit, eandẽ nõ obſeruarint, qui uallum extrinſecus & foſſam circundederunt. nunc ſanè neq; orbicularis, neq; quadrata, neq; trigonalis, neq; ulla elegans forma eſt obſeruata, ſed informis quędam in circuitu congeſta terra, neq; turres inſtitutæ, quæ conantem hoſtem aſcendere, à latere deturbent, ſed omnes hoſtium conatus, à fronte excipiendi ſunt, & repellendi: q̃ res quanti laboris & periculi ſit, non ego uos debeo docere. Si quis eam & propè dignitate nominis, & loci utilitate inſtaurare uellet, is eam ad quadratam formã redigeret: ita ut duo illi à fronte anguli, qui quà porta eſt, apparent, lõgius excurrerent: ſed ita, ut recta linea uallũ exaggeraretur, ab altera parte poſt facellum, ubi nunc orbicularis eſt, præſcinderet: ſic hoc loco foſſa, quæ nũc anguſti or eſt, dilataretur, alijs uerò angulis, cum terra foris adijceretẽ, robur duplicare tur, imum uallum, muro pedum ſenũm: ſupra hunc dumo ex uiua ſpina circũdaretur, denicq; propugnacula adijcerentur, quæ & à latere & à tergo aſcendẽtem hoſtem impedirent. Nunc ſanè nihil eſt q̃d in altitudine aquæ multum fiduciæ collocetur: ſiccioribus nanq; æſtatibus, ſi non uniuerſa, tamen ita deriuaretur, ut etiam uadari non difficulter poſsit, præſertim cum fundum habeat arenoſum & firmũ. Quod uerò pro præſenti neceſsitate, & tẽporis anguſtia dici poteſt: laudo ipſius p̃fecti opus, q̃ ſub uallũ, extrinſecus aggerẽ humiliorẽ, quã ſit terra quæ arci circumiacet, egerit: quò primus aſcenſus, ſi fortè aqua deriuaretur, excipi & impediri poſſet, in hoc aggere etiã propugnacula, pro operis magnitudine relinquit, quæ à lateribus hoſtem moleſtent, ſi tñ fieri poſſet, uellem hæc opera, quæ ex materia inſtituta ſunt, limo induci, incruſtariq;, ne ignem tam facilè ſuſciperent, propugnacula etiam à frõte altius ſuſcitari, ut ibi defenſores uel oppugnati, tutò permanere, & latera defẽſare poſſent, pluteos

adhęc

adhæc,qui in ſummo uallo,aut iam exaruerunt,aut putruerunt,ſimili materia & foris & intus circundarem,ac firmius terra conſolidarem:tandē hæc limo paſtinarem,quo etiam ab igne tutiora redderentur. Vallum ſuperius certis in locis,ita alia adiecta terra reficerem,ne in ſuperficie,una totius ambitus facies uideretur.Sed aliam partem ab alia operibus diſtinguerem, ne ſi forte partē aliquā ab hoſtib. capi contingeret,opera eadē uniuerſo uallo potirent:ſed ſa cilius & ab operibus illis quæ dico,& arce interiori,iaculis & ſagittis, loco de turbarentur.Ne aūt inopia rei pecuniariæ opera hæc negligerētur, poſſet à co lonis impetrari,ut cum ſcirent iſta omnia ad illorum tutelam inſtituta eſſe,non grauatim ipſi per uices,labores & partem impenſarum ſubirent,ſi itaq; octin gentis colonis,qui ad arcem hanc pertinent,hæc opera ex æquis partibus im ponerentur,laborantibus ſolum uictus ex ærario publico,& præmia diligen tius operam nauantibus proponerentur,crederem fieri poſſe,ut intra breue tē pus neq; impenſarū neq; induſtriq; quenquā pœniteret. Cum hæc,Ampliſsimi uiri,ueſtra inductus authoritate ſcriberem,uenit mihi in mentem,quā ſcitè eti am in me dicere poſſetis,id quod Annibal Rhodi in philoſophum de re mili tari diſſerentem dixit.Quapropter cum mihi conſcius,quā parum conuenien ter profeſsioni meæ,aliquando militiam ſecutus ſim,& nunc de re militari diſ ſeram,metuam in quam partem meum hoc iudiciū accipiatur: uos etiam atq; etiam orare cogor,ut quid oneris non affectanti ipſi impoſueritis, cōſideretis. Et ſi in hoc,ſutorem aliquid ſupra crepidam conatū, iudicio lapſum eſſe mirū non ſit,ſanè non diffido,quin,quoniam ueſtra uoluntate impulſus id feci, mi hi etiam condonaturi ſitis. Valete,ex ipſa Arce ueteri,ſiue Altemburgo, VIII. Calend.Auguſt. M. D. XLIII.

DESCRIPTIO ET MVNITIO VRBIS

Viennæ:per Ioannem Martinum Stellam.

CVm heſterno die decretum Ampliſsimi ord.ueſtri expectarē, ani maduerti ex ijs,quæ cum ſcriba quodam loquebaris,tibi etiam cu ram huius urbis muniendæ incumbere. Qua in re tameſi ſciam neq; conſiliū ciuitati,neq; tibi prudentiam deeſſe:tamen exiſtima ui in meliorem partem accipi oportere,tanquam beneuolentiæ ar gumentū,ſi quis pro ſua uirili parte cuperet prodeſſe. Neq; enim omnibus Di ogenes ille placuit,qui in bene merita ciuitate,dum conſilio prodeſſe poterat, ſuū dūtaxat doliū uerſabat. Ac cū mihi ipſi abūde in eo q̄d ſuggerere uolebā, ratio meæ cōſiderationis cōſtaret,ut qui ſtudioſè omnes Italiq;,Hiſpaniq;,Gal liæ,utriuſq; Germaniæ,nonnullas Hungariæ munitiones ipſe uidiſsē, & cū à peritioribus,tū à me ipſo rationem uel munimentorū,uel cur locus aliquis pa rū munitus diceret,exegiſſem:adhæc ſæpe diſputationibus eorū interfuiſſem, quos Galli & Itali capitaneos ingeniariorios uocant:ſperaui, ut ſi aliud nihil, tñ tibi ſtudiū meum non ingratum fore,cū beneuolentiā meā erga ciuitatē hāc teſtatam eſſe conarer:aut ſi q̄d nō inutiliter admonuiſſem,id faceres q̄d Epho ri Lacedęmoniorū feciſſe dicuntur,cū ſordibus quidā utiliſsimā Reipub.ſentē tiam dixiſſet,metuerentq; ne parum ponderis propter hominis uilitatē habe ret,aliū grauē & ornatum uirum,qui eandē ſententiā diceret,induxerunt. Ta metſi hoc me ualde ſollicitum haberet,q̄d huiuſmodi rationes non tam com modè explanari,quàm intelligi poſſent. Veruntamen cùm conſiderarem, quod mihi ingenio deeſſet,id tuam humanitatem ſuppleturam: uiſum eſt, ut quantum eius aſſequi poſſem,tibi,q̄ cogitarē,oſtēdere conarer. Animaduerti igiť loca alia natura,alia opere,nōnulla utroq; modo munita appellari. Vienā uerō ex ea parte qua eā Danubius alluit, uidēť propter flumē ab hoſtib. ſic ſa tis tuta eſſe. In reliqua parte,quia cōpluſculo operis indiget,uos uideo plus la borare.

borare. Quæ mihi multo munitissima, paruulo admodum opere, sic reddi posse uidetur. Torrens ille, quem urbis nomine Viennã incolę appellant, duobus pontibus superatur, locis sic satis angustis. Ego, si quæ uis hostiũ ingrueret, põtes hos obicibus firmarẽ: aut ita saxis & terra exaggerarem, ut aqua sisteretur, uias hinc inde ducentes, ad pontium altitudinẽ exæquarẽ: hoc modò fieret, ut restagnata aqua, omnẽ eũ tractũ qui in medio est, inundaret: neq; urbs oppugnari nisi ab arce regia, ad portam quã Scotorũ uocant, posset. Nemo enim hostium tã stolidè temerarius foret, qui cõmitteret, ut intra stagnũ & fossas cõspiceretur. Atqui hoc stagnum non posset ab hostibus, nisi cũ difficultate deriuari, etiam nemine repugnante. Deinde posset sine magno negocio illorũ conatus impediri, extructis ad exitum pontiũ duobus castellis ligneis, qualia Germani Catzen uocant. Aut si id periculosum defensoribus uideretur, præsertim in superiori ponte, quia longius à muris abest, posset põs ille atq; agger, sine castello negligi, neq; enim id eo loco tantopere desideraretur, in inferiori tamen ponte, hoc omnino necessarium esset, ut ex uicino, si hostes conarentur perfodere, fossores impedirentur, sine ullo periculo defensorũ, propter uicinitatem murorũ, & aliarum munitionũ. Denicq; si uniuersa uis hostiũ eò incumberet, ut castellũ illud expugnarent, posset eo modo extrui, ut momẽto temporis incendio consumeretur, ipsis defensoribus intra urbem receptis, ac hostibus igne necatis: uti Hispani Gallos ludificati sunt, ante años ni fallor x x. cũ omnibus opibus arcem Salsarũ (est ea apud Perpinianũ in Comitatu Rusinonis, opus Comitis Petri Nauarræ) oppugnarẽt, ac iã unũ ex propugnaculis, uti putabãt, expugnassent. Interea tamẽ, etiã si hostes stagnũ hoc deriuare contingeret, nõ illud sine multis & difficultatibus et ludificationibus efficere possent. In lucro aũt ponendũ est, ubicunq; hosti, sine tuo damno incõmodare potes. In summa, ego putarẽ huiusmodi restagnatione, siue torrentis, siue cuiuslibet parui riuuli, hostibus omnia, etiã ad castra metandũ, angustiora reddenda esse. Quale etiã hoc esset, si quis riuulũ Alsam, incisis aquæductibus sua sponte fineret uagari, qui cum decliuia inibi inundasset, deinde se cum alteri riuulo, apud arcem confingeret, posset cõmodè etiã & ibi restagnari, excitato aggere, per quem uia extra urbem in agros duceret: usq; adeò, ut omnis potestas hostibus adimeretur, siccis pedibus urbem oppugnandi, etiã si nulla in fossis aqua cõtineretur. Hic tamen cogitandũ esset, si quis noxius halitus ex huiusmodi restagnatione generaretur, ciuibus' ne pestilens futurus esset, an solis hostibus, ut qui sub dio & extra umbras agere cogantur. Dominus enim à Lautrech cum obsideret Neapolim, ac putaret se ciues ruptis aquæductibus, siti ad deditionem coacturũ, ex graui intra ualles restagnatæ aquæ fœtore, & se & exercitũ pestilentia perdidit, & res Gallorũ misere afflixit. Nunc ad urbẽ & ad ipsas fossas propius accedamus, hic in primis laudo, quod fossæ dilatentur, & profundius effodiantur, uerũm terra illa q̃ egeritur, cũ neq; recta linea ducat', (quod tñ esset utilissimũ) neq; placeat intra urbẽ pro uallo deferri, posset utilius, uti mihi uidetur, ac ijsdẽ impẽsis alio modo collocari. Habes in memoria Magnifice & amplissime uir, cũ prima obsidione Turcarũ, aliquot cohortes eruptionẽ infeliciter tẽtassent, nec sese possent omnes ordinatim recipere, quã multi se in fossas præcipites dimiserint, quel casu ipso obruti sunt, uel in ipsas sociorũ cuspides inciderũt, cõtra huiusmodi casũ, primũ in arce illa Mediolanẽsi ꝓspectũ obseruaui. Hoc imitati sunt postmodũ Galli in Turinis, & Morini. Veneti deinde in Niort (locus est inẽ Brixiã & Cremã) Postremò etiã ipsi Duc. Bauarię, in munitionib. Ingolstadij, quanq; ratione nõnihil diuersa, uerũ nõ est admodũ difficile, aliorũ inuẽtis addere. Fossæ igit' harũ urbiũ, quas suprà dixi, uestris similes sunt, nisi q̃d recę sint, & agger exterior muro distineat'. Neq; stati ex agris aut cãpis urbi circumiectis,

cũiectis,in ipsas fossas præcipitium est:sed relictum est nonnihil spacij, uelut gradus quidam,altitudine pedum senum uel octonũ:ita ut si quis recta accurrat,& hostem uitet,demittat se in illũ quem dixi gradũ,ubi uel tutò stare,uel se ad portas sine incõmodo possit recipere.In locis illis prædictis, hæc ita extructa sunt,ut etiam duo equites cõmodè uagari possint.Habent præterea as cõmoditates huiusmodi fossæ.Principio si leui prælio est erumpendũ, non semper iter secundũ ipsas portas instituendũ est,q̃d eas hostes ut plurimũ intẽtius obseruant.Deinde si ex aliqua parte fossæ ab hostibus impleantur,sine incõmodo hac uia mederi,& rursus curari possunt.Quinetiam sine magno discrimine,si qui oppugnabunt,hinc â lateribus molestabunt̃,denicq; tota urbs etiam extra munimenta,inuitis hostibus, uel obequitari potest. Et est hęc fossarum ratio,uobis adhuc tota integra.Præterea animaduerti,alia adhuc propugnacula præparari.Vnum,uti intelligo,in eo angulo erit,qui est post monasterium Dominicanorum,loco ualde opportuno,sed ego cùm res adhuc integra sit,propugnaculum illud sic institui posse puto,ut in se habeat aliquot molas,q̃ semper etiã in obsidione farinã præberent. Quòd si una sola institueret̃, uideo postquã altius effossæ erunt fossæ,satis fontiũ fore,ut ex eatũ scaturigine mola subigat̃,sin plures,dixi suprà,ad altitudinẽ pontiũ uias esse exaggerãdas:potest in illo aggere talis ex Vienna aquæductus relinqui,qui etiã pro cuniculo seruiat,ac ducat in Castellũ illud ligneũ,quod ad exitũ pontis superius collocaui.Qui aquæductus siue cuniculus,etiã tertiã utilitatẽ adferet:cùm eñ perforatis basibus quæ pontiũ fornices sustinent, instituet̃: erit cõmoditas,si propter magnũ aliquod stratagema,pons igni deijciẽdus esset, illius adimplẽdi.Hoc tñ cauendũ,in quo ciues etiã nunc uideo peccare,ne cũ aqua turbida eã intra fossas recipere̅t,ne limo aut arena replerent̃ .Est ad hæc in eodẽ angulo,murus ille altus chori diruti,exiguo spacio à mœnibus distans:contra hũc murũ sensim collis,siue agger terreus fimo & lignis cõpactus,in multã altitudinẽ excitari posset:in cuius sum̃o uertice,duæ aut tres Bõbardæ,possẽt omnẽ uicinũ agrũ,insulas etiã Danubij tutari,quæ res quantã utilitatẽ allatura esset, nemo opinor ignorat.Cæterè huiusmodi collibus natura Massiliã muniuit:operè uerò,Ferraria in Italia,Aurelia in Gallia sunt instructæ.Ex huiusmodi munimẽto Cæsareani obsessi,Iacobum Cabanneũ ,admiraldũ Galliæ,ut uocãt,illiusq; exercitũ,ita infestarunt,ut obsidionẽ soluere fuerint coacti. Huiusmodi cuniculi cõplures intra mœnia excitari possent, locis tñ opportunioribus,uti mihi uideť,hisce:in cœnobio Augustinensiũ,q angulus est inter Regiã,et portã,quæ ducit in Carinthiã,medio itẽ angulo inter eandẽ Regiã, ex alio latere, & uicinũ illud propugnaculũ,q̃d est in fundamẽtis uiciosum . Postremò si qs uellet aliũ post Scotorũ monasteriũ exitare,multũ urbi prospiceret,uel in hoc, q; hostibus magna ex parte adimeret facultatẽ, ex anfractibus illis uiarũ, q̃ superiorib. locis ad subiecta pascua ducũt,subsidia & auxilia, q̃ secũdo flumine submitti possent,impediendi,uexãdiue.Sed his omnib.locis perquã necessariũ est,ut propugnacula aut reficiant̃,aut de nouo instituant̃ . Illud uerò q̃d uitio fundamentorũ ex parte subsedit,nec inutiliter etiã sic relinqui posset, & muro solũ extrinsecus uelut camisia,ut Galli & Itali loquũt̃, uestiri. Quo modo castigaret̃ et alterũ uitiũ.Angustius eñ esse uideť,quã ut duas bõbardas utrinq; eiaculantes cõmodè possit cõtinere.Sic Cæs.Fontẽ rapidũ,& sanctũ Sebastianũ muniuit: q̃ loca sunt omniũ q̃ ego uidi munitissima,sita in Pyrenęis mõtibus cõtra,Vascones & Aquitanos .Sic item Veneti Veronã in expugnabilem reddiderũt,dum ueteres munitiones, ubi id ratio operum patiebatur, circundederunt nouis muris,magis ijs instar fulcimenti cuiusdã accliuis, quã ad perpendiculum directis.Quod fortasis etiam necessarium in illo propugnaculo,

gnaculo, quod Regiæ obiectum est, uideretur, si quis hoc omnino à cuniculis tutum reddere studeret: nam intelligo non nimis altè fundamenta iacta esse: præterquam quòd ea multis in locis terræ natura uideatur, ut etiam si in superficie aquam fossæ habeant, tamen nisi ad altitudinem scaturiginum fontiũ depressæ fuerint, possit urbi incommodari: non aliter quàm Petrus ille Nauarra, ex continenti in insulam subter mare cuniculo acto, arcem Neapolitanorũ subuertit. Huic igitur incommodo sic obuiam iretur, aut si temporis angustia impensæq; id in præsentia non paterentur, saltem crebris trabibus circunsepiri conueniret: quæ fistulis tam altè sub terram adigerentur, ut neq; subter, neque per eas, uia patêret fundamenti tentandi: aut loco motæ, id statim prodèrent. Excogitatum est & aliud: in illo foris adiecto, siue fulcimento siue muro: ut in imo fundamento, quoquò uersus uia opere camerario relinquatur, quâ commodè cuniculis obuiam eatur: aut excipiantur, & hostes fumo suffocentur. Noua autem propugnacula quæ erigenda sunt locis non aquosis, cuiusmodi est quod regiam tuetur, munitum illud quidem, ut apparet, & firmum, & qualia sanè optanda essent alijs in locis: uerùm putarem adhuc utilius ea cõstrui posse. Primùm Veneti & Genuenses, fenestras illas collaterales, Germani Streichfuuer uocant, per quas in fossas Bombardæ iaculantur, duplici ordine extruxerunt, subdiuales omnes, propter fumum: frontem uerò illam trigonalem ita ordinauerunt, ut duo laterales anguli sic ante fenestras obijcerentur, ne in illas sagittæ immitti possent. Cæsareani nunc Albæ, Astæ & Vercellis, ad illa superiora aliud adiecerũt, multo ingeniosius, in angulis enim illis lateralibus, quos dixi fenestris prætensos & obiectos esse, fecerunt gradũ & descensum quendam auersum, neq; ulli qui extrà urbem est cõspicuum, per quẽ in imas ipsas fossas descenditur, ad multa quæ obsessis procuranda sunt ualde necessarium, siue uelis in ipsis fossis manum conserere, siue fossam etiam duram obsidione profundius aut latius excauare, siue etiam pecus uelut in stabulis continere, ut faciunt præsidiarij in arce Salsarum: præsertim dũ nõ semper tanta necessitas urget, ut sit necessarium aquas in fossis habere. Ea enim ut superioribus locis utilis est, ad cuniculos impediendum: ita sanè inutilis, si materiam ab hostibus in fossas iniectam comburere oporteret, & est huius urbis situs talis, ut cum uoles aquas inducere & deducere, nõ difficulter possis. Quæ uerò reliqua iam instituta sunt opera, scilicet murus ille qui in imis fossis ex utroq; latere terram distinet, qualis apud Regiam cœptus est: itẽ alter ille, qui intus aggerem sustinet, quanquam in his spiracula, quibus colantur aquæ pluuiæ, deesse uideantur, multum roboris adderent urbi, si ad finem perducta essent. Verùm non miror eam esse ærarij angustiam, in Republica præsertim iã diu bellis & calamitatibus afflicta, ut difficulter neruos & sumptus suppedita re queat. Huic tamen rei quo commodius mederi possit, narrabo quid in duobus Frisiæ oppidulis factum sit, quæ ante annos XII, Dux Geldriæ per prodi-tionẽ occupata, solo æquarat: cũ iã ciues rursus in unũ conuenissent, ac de recuperanda patria consiliũ inijssent, primũ locũ quem futuris muris & mœnibus destinabãt, quãtus multitudinis capax esset, fossa exigua & humili ex publico circunderũt. Ex hoc aggere, tantum singulis ciuibus attribuerũt, quantũ unusquisq; cõmodè tueri posse uidebat, cũ iã in mœnibus omnes constituti essent, magistratus edixit, ita illum sibi attributum locum munirent, uti putarent sufficere ad uitam libertatemq; defendendam, quod tam strenuè factitatum est, ut nullis postea neq; copijs neq; opibus, uti in sæpe tentatũ est, expugnari potuerint. Cum igitur ergo uideam hic publicè egestatem, priuatim magnas esse diuitias, non iniquum putarem, si hoc pacto priuatorum fortunis Respublica sustineretur: ac cum unusquisq; sciret quo in loco aut cum patria uicturus

cturus, aut cum eadem moriturus esset, uideretq; ubi suam ipsius uitam, coniugis, liberorum, causam religionis, ac fortunas omnes collocatas habiturus esset, eum locum ita muniret, ut sibi illa chara conseruãdaq; putaret. Hæc sunt magnifice & amplissime Domine, quæ ex re ipsa in mentem mihi uenerunt, ut tibi scriberem: non ignarus, quàm parum prudenter faciam, apud eum cui ista supersunt. Tamẽ cum humanitatem tuam apud me cogitarem, uisum est, qualitercunq; ista sese haberent, perscribere: neq; ad alias excusationes aut deprecationes confugere, quàm ut te orarem, ut si præ magnitudine studij, animi mei declarandi, nimis impudenter, tua humanitate abusus, aut nimis stulte mei ipsius oblitus essem, id benignè, ut soles, ignosceres, meq; tibi commendatum esse uelles. Vale, XV. Caled. Iunias: M. D. XLIII.

LAMBERTI HORTENSII MONTFORTII HISTORICI IN LIBROS HISTORIARVM DE BELlo Germanico, ad amplissimum ordinem Senatorium Reipublicæ Daventriensis,

PRAEFATIO.

IN principio Operis nostri, de bello Germanico, in uniuersum prædandum duxi, id me maximè omnium memorabile, quod in Germania unquam intestinum gestum fuit, scripturum: quod ducibus Ioanne Frederico Electore Septemuiro, & Philippo Hessorum Lantgrauio, Confœderatæ ciuitates & Principes Germaniæ cum Carolo Q. Cæsare gessere. Nam ut nunquam Germaniæ pars maiores ualidioresq; copias in unum contulit: ita Cæsar, qui uicit ad ultimum, periculo propior, diu ancipiti Martis alea fatigatus fuit. Sed dissimiles belli artes erant. Nam cùm Cæsar initio belli, per menses aliquot cunctando, operiendoq; Belgicas copias, quæ tardius aderant, castris se contineret, neq; dubiæ fortunæ euentum pugnæ uellet committere, hostibus pecunia in stipendium præsens deficere cœpit. Contrà, Principes gentium Confœderatarum, quibus Cæsaris artes haudquaquam ignotæ erant, maioribus uiribus in oppugnatione castrorum sine effectu occupari, quàm animis, summam pugnæ in euentum ancipitis fortunæ conferre ausi non fuere: haud dubiè superiores futuri, si in imparatum statim, & expositum ad cladem, omnes uires conuertissent. Sed duo potissimùm uidentur mihi his uictoriam læua mente præditam è manibus extorsisse. Vnum, quòd cùm duo pari potestate, æquato imperij iure, essent, in gerendis rebus, in consultando, deliberandoque, in diuersum ferè sententijs rapiebantur. His curis in eodore accessit Scherteli Augustani authoritas, hominis sub Germanici belli recentis initium apud populares suos supra magistratum existimatione nominis ob rei militaris peritiam celebris, qui belli ducibus præeundo plura penè quàm illi facinora perpetrabat: ut appareret, maiora eum, si per omnia sui imperij belli negocium fuisset, animo agitasse. Sed (ut plerunq; fit) deterior sententia meliorem sæpe uicit. Alterum, fatum nescio quod, quo res mortalium, & consilia humana quamuis callida & reguntur, & miscẽtur. Etenim uarijs curis anxio Cæsare, sub aduentum Maximiliani Burani, qui non sat maturè accedebat, quo ceu anchora sacra nitebatur, modicis præsidijs septus, omnem armorum terrorem ac uim in illum per hosticum, & infesta uiarum omnia ductantem, conferre potuissent. Hac occasione neglecta, neq; Cæsarem adoriebantur, neq; Burano uiam intercludebant, quo minus illius potentia huius accessione augeretur: cùm antea haud dubia spe sedentis, expectantisq; in dies copiæ debellari potuissent, quod coniun-

his copijs factu difficile postea fuit. Auctus iam Cæsar ijs quæ Buranus adduxerat, Belgicis armis, plura consilio quàm ui, cunctando, trahendoq; bellum, & ad postremùm conciliando clemẽtia ciuitates in amicitiam & pacem, geisit. Alij contrà, tumultuosè omnia gerere, missilibus assiduò tonitruare, hostium castra quatere, aggeres & ualla continua globorum grãdine uulnerare, castra sæpe mutare, nihil operæprecij facere: denique non conferre (id quod Cęsar optabat) uires illius ualidiores in prælium, etiam tum, ubi accessione ac supplemento Buranici roboris creuit. Erat is uir belli artibus clarus, uirtute singulari, animo intrepidus: quod satis, flumen Rhenum transgressus, cùm hostium abeuntium cedentiumq; retro uestigijs insisteret, declarabat: & authoritate, propter seueram in re militari disciplinam, pollens Primus in hostes, quibus formidabilior erat quàm crederet est, inuehi, eorum obequitare castris imperterritus, stationes ingenti tumultu turbare, modò frontem agminis uadentis in hostem protegere, modò tergum suorum ne carperentur claudere. Hinc Cæsari non solum charus, ut nulli regulorum Italorum, Hispanorum ue, quorum castra plena erant, plus fideretur: uerumetiam perfecto bello, ab eo amplissimis præmijs ornatus fuit. In comparandis prouincijs, Transisselana cum Groningensi & Phrisia, beneficio Cæsaris illi obuenit: quòd eæ maximæ omnium, ac durissimæ uirum acrem ac impigrum postularent. Has iurisdictiones tanta prudentia & authoritate, moderationeq; administrauit, ut in amicitia & fide, consilio magis quàm ui retineret: efficeretq; ut in togata ea gubernatione, non minus quàm in bello, clarus haberetur. Si quod stipendium inusitatum illis gentibus uisum fuisset imperari, illiq; sua patria iura pertinaciùs tuerentur: ipse Buranus omnia in bonam partem apud Principem uerteret: suis, quod poterat, patrocinari: in ocio denique & in magno flore prouinciarum suarum res continere. Pacis belliq; artibus omnibus prioribus præfectis par. posterioribus uerò solicitando alias, retinendoq; acceptas sub imperio gentes. Sed ut nulla præclara, nescio quo fato, sunt diuturna, sed festinata maturitate occidunt: ita hic uir breui pòst, quàm è bello Germanico in Belgium reuersus esset, publico ferè omnium, sed maximè populi Transisselani luctu, rebus humanis subtractus fuit: longiori uita dignus, qui principi suo in insequutis postea bellis utilis aduersus hostes esse potuisset. Vitum fuit igitur amplissimo ordini Senatorio claræ Reipub. DAVENTRIENSIS, hos libros nunc uiderent legentibus eos, memoria fortissimi & omnem laudem supergressi uiri subeatq; hunc unum fuisse, à quo Cæsaris salus in hoc bello, ut humano iudicio loquar, ceu altero Theseo pependit, passim omnibus constet.

LAMBERTI HORTENSII MONTFORTII HISTORICI DE BELLO GERMANICO liber Primus.



NTequã ad principium belli Germanici, quod Carolus Quintus Cæsar, cum Germaniæ potentissimis principibus & populis confœderatis, haud perinde longum, atq; graue & periculi plenum gesit, perueniam, eius originem, & quibus de caussis, & per quos fuerit concitatum, tum necessarium, tum utile duxi, quanta poterit fieri breuitate, altius repetere. Nam etsi uno & eodem anno cœptum confectumq; fuit, Gallico tamen magnitudine peditum, armorum multitudine, claritate ducum, & opibus florentissimarum ciuitatum propè æquari potuit. Res memorabilis cũ primis est: nam cùm propter Imperij amplitudinem foris nullum hostem, nullumq; externum bellum haberet, ipsa suis grauida uiribus per intestinum bellum graui uulnere afflicta fuit. Primùm omnium satis constat, quantis motibus & procellis Ecclesia à paruis primùm initijs, paulatim in Germania per doctrinam Lutheri quassari cœpit. Caussa negotij diu diuersis locis, & uarijs concilijs agitata, eò tandẽ pro-

serpsit,ut cum plausu multarum ciuitatum,& Principum qui eam tuerentur fauore,frustra obnitente Cæsare,exciperetur.Cæsar sperans ignem maturè, priusquam in uastum incendium erumperet,à se opprimi posse,conuentum habendum Vuormaciæ Ordinibus Imperij edicit:huc & Lutherum ad causſam dicendam data publica fide,conuocat.Sed cùm hic de sententia sua Treuirensis episcopi & quorundam aliorum principum precibus deduci non posset,à Cæsare paulo pòst proscriptus fuit.Ille promulgata proscriptione,cessit quidem, idq; è consilio Frederici Electoris,in locum solum,ne quod colloquium illi,aut communicatio consilij cum ullo mortalium esset:uerùm in eo secessu & otio,libros ad amicos & dynastas indies edere non desijt:sed eos maximè, quorum promptos & pronos ad nouanda rerum ecclesiasticarum omnia animos cognouerat.Interea dũ proscriptus latet, Vuittembergæ nonnulla in ecclesia,per quosdam homines nouarum rerum cupidos,conniuente Electore mutantur. Cœptum iam tum fuit in Heluetijs,propter religionem & doctrinam, tumultuari. Hoc dissidium ut componeretur,senatus Tigurinus,omnibus ditionis suę concionatoribus ad conueniendum in urbem Tigurum diem indixit,ut ibi controuersia de religione disceptaretur.Disceptationem hanc tumultuaria rerum mutatio ibi statim sequuta fuit.Consimilis motus paulo pòst Argentorati, frustra obstante Episcopo,concitatur.Nec iam Tigurini se intra nouæ doctrinæ septa continebant,sed diuorum simulachra in templis debellare aggressi sunt. Videbant enim, rusticos in agris ueterem religionem obstinatos animis pertinaciter uindicare.Habetur Ordinum senatus Norimbergæ,mox Spirę.Refertur ab Episcopis de noua doctrina ex hominum animis eruenda,deq; ueteri religione asserenda.Diuersa ab alijs magno certamine sententia defenditur.Ferdinandus Rex conspicatus nihil æqui obtineri posse,Ratisbonam cum legato Campegio,& plerisque episcopis,ad habenda separatim comitia discedunt.Ibi decernitur,ut Cæsaris edictum,& Leonis pontificis,de ueteribus Ecclesiæ institutis & cęremonijs seruandis, & antiquandis nouis, ratum sit.Cæsar per id tempus in Hispania,ad motus ibi exortos sedandos,erat.Is ubi accepit quàm turbulentæ Germanorum res essent,& indies tristiora enasci:literas ad Ordines Imperij dedit,quibus haud obscurè ostendit,quàm acerbè ferret,quod ea quæ in comitijs Vuormacien sibus decreta fuissent,segnius exequerentur. Præterea,quòd præter suum consilium,synodum à Pontifice per legatum in Germania habendam postularint:cum suum esset,id ab eo petere,& obtinere.Neque uerò debere totam Germaniam,multo minus totum orbem Christianum,ob unius hominis prodigiosa paradoxa,tot retro seculis damnata, de integro in concilium conuocari.Se superstite haud futurum,ut ea labes totam Germaniam inficeret. Ac nisi decretum Vuormacien se sine intercessione omnibus modis tuerentur, armis se id aliquando asserturum.In eandem sententiam eodem tempore literę à Cæsare ad ciuitates primi nominis allatæ sunt.Motus inter ista rusticorum,& defectio à suo magistratu,nouam religionem illorum insigni inuidia onerauit. Tumultus hæc causſa prætexta fuit.Quòd iam multos annos intolerandis uectigalibus à principibus & magistratibus grauarentur.Hac procella exiguo admodum momento sedata,alia in Sueuia,& propinqua Germaniæ parte ad Danubium rusticorum tempestas est exorta. Duas hi seditionis causſas obtendebant:unam, quòd obstinauerant religionem nouam nuper introductam armis tueri:alteram, quòd oneribus uectigalium & tributorum à principibus leuari, & in libertatem uindicari uolebant.Creuit ista hominum turba paucis diebus, affluente undiq; indies sceleratorum sentina,in copias innumerabiles. Pugnatur cum his uario marte,diuersis locis. Faciunt inducias ciuitates: agitur & de pace,ut ab armis discedant:exhibentur postulata.Hac rusticorum multitudine dilapsa,

dilapsa, alia mox colluuio, non paulo illa maior, circa Franconiam confluxit. Hi breui non modò agros, sed oppida etiam, suæ ditionis fecere. Capiunt oppidum Vuinspergum ui: ac nobilitate partim cæsa, partim capta, Comitem Ludouicum Helfesteinum, qui Maximiliani Cæsaris filiam notham uxorem habebat, horrendo supplicio, duobus hastatorum ordinibus medium trucidarunt. Bifariam inde partiuntur copias, inopia annonæ: partim in agrũ Vuirtẽb. partũ in Franconiã discesserunt. At ijs qui in Vuirtenbergensem agrũ populabũdi irruperãt, à Sueuici fœderis Duce breui deletis, de percussoribus Comitis Ludouici atrox sumptũ est supplicium. Vastatur incendio, quod ceperant, oppidũ Vinspergum. Reliquę copiæ, quę Franconiam infestè peruagabãtur, quãtum castellorum & monasteriorum obuiam erat, captis incensisqúe etiam urbibus, euerterunt. Extinctis his rusticorum copijs à Trucesio, fœderis Sueuici duce: alia excetra in Lotharingia subitò apparuit. Multitudo hæc ex Alsaticis & Lotharingis conflata erat. Hac quoque mira celeritate fusa, alia, diuersa à superioribus, quæ fauces uallis Vuileræ insederat, ad internecionem magno prælio superata fuit. Potuissent tot clades acceptæ alijs documento fuisse, nisi uana spe libertatis lactati, prudentes ac uolentes in uoluntarium exitium læua mente ruissent. Ad Petersheimium in agro Vuormaciensi alia colluuies se collegerat: ad eam affluxerant, qui ob æs alienum domo agrisqúe cesserant, homicidæ, exules, & fex hominum id genus. In hos Palatini, Lotharingi & Treuirensis equites immissi, cædunt, fugantqúe, ac palantes in fuga passim interficiunt. Hæ seditiones armatæ non iam se continebant in agris, sed in urbibus quibusdam ad arma aduersus religionem & magistratum quoque concursum fuit. Inciderunt hi motus in annum uigesimumquintum. Eodem tempore Tigurinus senatus, inter eos motus, facto senatusconsulto, multa ueteris religionis & cæremoniarum, authore Zuinglio abrogauit. Simul'que inter hos turbines exortus fuit Thomas Muncerus, homo confidens, audax & nefarius, & horrendæ doctrinæ author. Collegam is habebat Phiferum quendam, effrontem, & ad quæuis audenda paratum. Hi contracta agrestium manu, armis omnem nobilitatem è Germania expellere conantur. Is tumultus quoniam ad omnium regnorum uastitatem spectabat, Ioannes Elector Saxo, qui fratri Frederico morte postea subtracto successit in septemuiratum, Georgius eius patruelis, Lantgrauius Hessiæ, Henricus Brunsuicensis, & Albertus Comes Mansfeltius, consociatis armis, procella equitum immissa, uniuersas eas copias ad Franchusium fundunt. Capiuntur & tumultus capita, Muncerus & Phiferus, inter reliquos captiuos: in quos gladio animaduersum fuit. Literæ per eos dies à Cæsare ex Hispania opportunè medijs his turbis superuenere, quibus dies habendorum comitiorum de arduis Imperij negotijs Augustam indictus fuit. Sed illa tempestas haud quieuit in Ecclesia. nam paulatim alij homines opici post alios oriuntur, qui somnia pro oraculis edere, seqúe afflatos dicere ausi fuere. Et Carolstadio tum temporis, propter dogma nouum, aqua & igni à septemuiro Saxone interdictum. Hoc ipso anno mutata fuit Prussorum reipub. forma & religio, cum Germania passim seditionibus quateretur. Alia comitia à Cæsare per literas ex Hispania Spiram edicuntur. Ferdinandum fratrem, ut legatum, ei conuentui præfecit. Dies seruatus anno insequenti, qui fuit uigesimus sextus. Recitantur ibi literæ Cæsaris, quarum summa erat hæc: Vt religio Ecclesiæ uetus, à maioribus accepta, integra apud omnes haberetur: nouata omnia abolerentur. Si qui contrà irent, iuxta decretum Vuormaciense multarentur. Principes inter se, quos dixi Protestantes appellatos, rem in deliberationem uocarunt: permiseruntqúe rerum summam Lantgrauio, Sturmio, & Cresso Norimbergen: quod inter eos conueniret,

ueniret, id ratum postea, cùm in consilium referrent, se habituros. Conuocantur rursus paulo pòst, à Cæsaris legatis, quorum princeps erat Rex, circa principium mensis Augusti. Ibi rex se audiuisse queritur, inter aduersarios esse, quorum permissum esset iudicio, quid ratum firmumqúe habituri essent. Præcauerent hi, ne communicando priuata consilia, & intercedendo decreto Vuormacienſi, Cæsaris animum irritarent. Leguntur ibi rursum literæ à Cæsare allatæ. His uetabatur, ne quid cæremoniarum, ne quáue religio se absente mutaretur, externáue assumeretur. Se Romã ad Pontificẽ iturũ, ut cũ eo de synodo cogenda agat, ut in ea omnis controuersia disceptetur. Ad ea principes aduersarij, & ciuitatũ legati, uelle se obedienter, in omnib. Cęsaris uoluntati permittere: sed cùm controuersia de negotio religionis indies magis ac magis augeatur, id quod illic edictũ decretúm ue esset, hucusq; propter periculosos motus, qui inter ea exorti fuissent, seruari non potuisse. Quod uerò Cæsar de synodo promittat, nihil esse: cùm fama constans, neque omnino uana esset, Pontificem cum Gallo & Venetis arma fœdere consociasse, & bellum Cæsari moliri. Proinde rectè ac ordine fore, ut Cæsar certior de statu & periculosis motibus Germaniæ fieret. E re Imperij esse, si concilium in Germania indicatur: quemadmodum in Norimbergensi comitio placuit. Postridie de monachis mendicis quędam relata fuerunt, sed sine effectu. Diuulsis hic animis in duas partes, tandem è consensu omnium huiusmodi fit decretum: Intra annum uertentem synodum Germaniæ, uel (si ita uideretur) totius orbis cogendam: & Cæsarem ex Hispania in Germaniam turbarum componendarum causa reuocandum. Interea ecclesiarum status, ut nunc se habent, in sua cuiusque ditione integri manerent: utqúe eos Deo ac Cæsari probaturi essent. In hoc comitio prima belli scintilla emicuit, quod pòst in magnum incendium erupit. Saxo cùm uideret tot comitijs habendis nihil promoueri, & Episcoporum partes potentiores esse, quàm quibus ipse par esse posset, si ad uim res tandem spectaret: Hessum secretò conuenit de fœdere sanciendo. Adsciscunt legatos Argentoratensium, Norimbergensium, & Augustanorum, cum quibus hoc consilium communicant. Monentqúe simul, ut maturè suis rebus consulerent. Non esse obscurum, quid Episcopi parturirent. Fœderis ineundi formulam huiusmodi conceptã proposuerunt. Si religionis causa aliquis omnium in periculum deduceretur, uim iniuriám ue acciperet, auxilijs mittendis inuicem adiuuarent. Neque illud dubium esse, quin Francfortienses, Vlmenses qúe idem essent facturi. Ad ea legati ciuitatum responderunt, eius nihil in mandatis se habere, sed uelle referre. Hæc comitia inde, defectio à ueteri religione in Allobrogum finibus sequuta est. Quorum uestigia Basilienses, Argentoratenses qúe ingressi, omnia propè sacra mutarunt. Spiræ inde habita sunt comitia ad Idus Martias, anno uigesimonono, in quibus cùm Cæsaris legati de quibusdam obstinatis, qui nouos ritus in Ecclesiam inueherent, cum querela retulissent, tandem ad hunc modum decernitur: Qui ueterem religionem adhuc tuerentur, constantes in ea usque ad proximam synodum, de qua bonam spem conceperit Cæsar, perseuerarent. Rursum, qui à noua semel suscepta sine graui rerum publicarum suarum detrimento ac motu declinare non possent, in ea moderatè se gererent, nihil nouarent insuper. Anabaptistas nuper exortos, qui sua pertinaciter defenderent, ferro & igni persequerentur. Vtrinque ab omni iniuria, & dando damno religionis causa, abstineretur: neminem conuicijs lacesserent: transfugas neutri hospitio domóue exciperent: contra decretum hoc qui molirentur, in proscriptorum album referrentur. Huic decreto intercedunt Saxo & Hessus: & præter hos, Brandeburgenses, Luneburgenses duces, & Comes Anhaldius. Hi suam intercessionem, ut rectè atque ordine factam, tuentur. Et communicato

hu hicato consilio cum ciuitatum legatis, societatem iungunt. Ciuitates autem erant hæ: Argentoratum, Vlma, Constantia, Norimberga, Meminga, Vuinsemium, Rutelinga, Campedonium, Hailbruna, Lindauia, Isna, Vuissenburgum, Norlinga. Per eos dies inter Heluetios ciuili bello tumultuatum fuit: ac nisi Argentoratenses opera ac studio suo intercessissent medij, iam duæ acies armatæ infestis signis concurrissent. Mittuntur à principibus & ciuitatibus, quas modò memoraui, legati extemplò ad Cæsarem, quem tum ex Hispania in Italiam reditum parare acceperant, ut præsentes rationem decreti repudiati ante triennium, ei exponerent. His cùm nihil pacatè ac benignè responderetur, domos quisque suas unde uenerant reuersi, ad Principes & Senatus rem omnem detulerunt. Norimbergenses, qui omnium primi literas à suo legato Cadeno ex Italia acceperant, cognito responso, & Cæsaris uoluntate, celeriter rem omnem Saxoni, Hesso, & socijs ciuitatibus per literas denunciant. Tum demum illi nihil amplius cunctandum arbitrati, (imminens enim infortunium prospiciebant) conuentui diem Smalcaldiam sub finem Nouembris indicunt. Ad eum diem conuenerunt frequentes paulo antè memoratarum ciuitatum legati. Principes quoque, Saxo cum filio, Hessus, Ernestus & Franciscus Lunenburgenses fratres: & legationes Georgij Brandenburgensis. Vlmenses tamen, & Argentoratenses, de fœdere ineundo nihil in mandatis se habere responderunt. Vnum enim hoc superiori conuentu in deliberationem missum fuisse, de auxilijs mittendis, si quis propter religionem periclitaretur, licet clàm non esset, quid Cæsar, quid Ferdinandus, & alij occultè molirentur. Proinde tectum uideri, ut quisque ad suum Senatum de fœdere sanciendo referret, ut decerneretur quid fieri placeret. Variantibus sententijs, cùm de fœdere inter eos non satis conueniret, tandem aliarum ciuitatum legationes acciri placuit. Posse fœdus aliquod concipi, & iniri, si doctrina, si religio eadem per omnia probaretur omnibus. Rebus infectis hac lege discessum est, ut qui eandem & doctrinam & religionem uellent suscipere, in octauum Idus Ianuarias anni sequentis Norimbergam conuenirent, interim Argentoratenses cum uicinis Heluetiorum ciuitatibus, eandem ferè religionem tutantibus, fœdus ineunt. Norimbergam ubi conuenere, nihil egere: quòd Cæsar, qui tum temporis à Pontifice in Imperium inaugurabatur, sub uernum tempus comitia habiturus crederetur. Interea quisque maturè deliberaret, quid in illis proponere placeret. Breui pòst Principes, & ciuitatum legati frequentes Augustam conuenerunt, ad Cæsarem ex Italia post inaugurationem reducem excipiendum. In his comitijs multa à Cæsaris legato de Turcica calamitate, uastatione regni Hungarici, populatione agri Viennensis, de bello faciendo Turcis, ubi de scripto dicta fuissent: ad ultimum de discordia, propter religionis negotium, de motibus nuper exortis, & de contemptu decreti Vuormacienſis grauiter uerba fecit: iussitque singulos, quæ uiderentur, proponere. Ibi principes, de quibus paulo antè dictum est, omisso responso de mittendo auxilio aduersus Turcam, Cæsarem orarunt, ut suam confessionem, quam scripto complexi fuerant, benignè audire uellet. Accepit Cæsar postridie, & in frequenti senatu uaria de religione disceptata sunt. Conuocantur ad Cæsarem ciuitatum legati, aguntur ijs gratiæ, qui à fide decreti non discessissent. Deinde reliquis causam dicere iussit, quamobrem decreto Vuormacienſi non paruissent. Illi deliberandi spacio impetrato, causam quidem dicunt, sed qua Cæsari haud quaquam fuit satisfactum. Simul Cæsar consilio cum legato Pontificis communicato, ad scriptum Saxonis & Hessi responsum decreuit: ut, qui irent contrà, intercedere ue conarentur, & non parerent, in proscriptorum album referrentur. Refutatur eorum confessio (quæ postea Augustana appellata fuit) à Theologis quibusdam.

Elector Saxo nulla mora refutationis exemplum à Cæsare sibi tradi postulat. Haud recusauit id Cæsar quidem se facturum: at ea lege, ne euulgaretur typis excusum, ut fenestra nouis digladiationibus præcluderetur. Negare illi, se ea lege accepturos. Eò tandem res deducta fuit, ut septem utrinque deligerentur, qui ad controuersias reconciliandas uiam aliquam, si fieri posset, inuenirent. Hinc à Cæsare & Pontifice lecti sunt, episcopus Augustanus, Henricus Brunsuicensis, duo iurisconsulti, tres theologi, Vuimpinus, Eccius, & Cochlæus: inde, Georgius Brandeburgensis, Ioannis Fredericus Saxo, totidem iurisconsulti, & totidem theologi, Melanchton, Brentius, & Schnepfius. Ex his septenis (credo ut minus turbarum esset) terni lecti sunt. Sed cùm nusquam fer mè inter eos conueniret, tentatis arte separatim, sed frustra, Ducum animis, ut à suscepta religione desciscerent: ita decreuit Cæsar, ut usque ad decimum se optimum Calendas Maias anni sequentis, sua ipsis sacra manerent integra omnia: at interea nihil nouarent amplius: nihil nouorum librorum in lucem ederetur de religione: nullos pellicerent in doctrinæ suæ societatem: in Anabaptistas animaduerterent. At Saxo, qui facilè princeps ab ea parte erat, decretum hoc non approbauit, neque socij eiusdem confessionis receperunt. Tum Cæsar: Nisi, inquit, parueritis decreto, infortunium estis habituri. Ita post longam dimicationem, nulla re memorabili perfecta, haud quaquam pacatè discessum fuit. At Hessus cùm uideret quid Cæsar moliretur, celeriter cum Tigurinis, Basilienſibus & Argentoratensibus amicitiam & societatem ita adiungit, ut si quod infortunium aut aduersi quidpiam propter religionem alcui concitaretur, inuicem pecunia in stipendium militum, uel peditum equitumq; auxilijs mittendis iuuarent. Vocatur inter hæc per literas Coloniam à Cæsare Saxo, ob dubia quædam Imperij negotia. Ille suspicatus eo prætextu aliud parari, extemplò in omnes partes ad Principes & socias ciuitates literas dat, quibus diem XXII Decembris ad conueniendum Smalcaldiam fœderis icendi causa edixit, priusquam impræmeditati & imparati occuparentur. Seruatur ab omnibus dies: conceptumq; est fœdus hic, quod postea à loco Smalcaldicum fuit appellatum, ipsiq; confœderati Smalcaldici dicti in historia fuere. In hoc fœdere, præter Saxonem Electorem & Hessum, erant Gebartus & Albertus Mantsfeltij, Magdeburgum, & Brema. Cæterarum ciuitatum legati ita fœdus comprobarunt, uti prius, quid fieri placeret, referrent. Qui uerò ita censuissent, intra sextam hebdomadā rursum illò conuenirent, ut in fœdus adscriberentur. Visum quoque tum fuit, Georgium Brandeburgensem, & Norimbergenses ad fœderis societatem solicitare. Ad hæc placuit, & Danorum regem, Pomeranum, Megelburgensem, Hamburgenses, Embecenses, Northemenses, Francfordienses, Brunsuicenses, Gotingenses, Mindenses, Hannobrigenses, Hildesemenses, & alias pleraſque ciuitates in septentrionalis Oceani littora uergentes, huc quoque per literas inuitare. Placuit item, ut ad Galliarum & Angliæ reges scriberentur literæ, in quibus aduersus calumnias de professione religionis suæ sparsas se purgarent, & doctrinæ rationem redderent: simul orarent, ut Cæsarem ad synodum in Germania cogendam per literas hortaretur: nihil interea duri in Principes & ciuitates Imperij ob religionem decerneret. In hanc sententiam scribunt non solum Principes, sed & ciuitates nonnullæ. Rursum Saxo confœderatos Smalcaldiam conuocat, ad in eundam rationem defendendi se, si qua uis oboriretur. In hoc conuentu referuntur responsa Danorum regis, & ciuitatum maritimarum, de quibus in fœderis societatem pellicíendis superiori conuentu Smalcaldico actū fuerat. Rex ita per literas respondit, ut diceret, sibi non esse integrum per regni sui concilium, fœdus cum quoquam inire. Megelburgensis in excusationem adduxit, legatos suos decreto

decreto Augustano admodum nuper subscripsisse: contra eam rem se haud quaquam facere posse. Vtcunq; tamen rerum alea caderet, nihil se hostile contra eos paraturum. Dux Pomeranorum, gubernationem ditionis adhuc esse penes fratrem grandiorem natu: quo uiuo nihil se posse statuere: alioqui in fœdus discessurum. Lubecenses, graues sumptus in bellum factos excusabant, augeri ad hæc ipsis metum, ne Christiernus rex regno pulsus, rursum bellum faceret. Quod si eueniret, uelle scire, quid auxilij flagrante bello à fœdere expectarent. Luneburgenses, id se facturos pollicebantur, quod Principi suo placuisset. Inde de ratione belli, de conferenda pecunia in stipendium, de ducibus ad bellum legendis, de auxilijs, & alijs quibusdam consultatum fuit. Desciuerunt hic à fœdere, Hailprunum, Campedunum, & Norimberga. In hoc rerum statu, Vimenses ecclesias suas per Bucerum noua religione instituunt. Respondetur hæc confœderatis à Rege Galliarum benignè: Se non solum concordiam & liberam disceptationem controuersiarum in synodo optare, sed etiam liberum accessum & fugam in regnum suum tutam illis aperire, si quid aduersi accideret. Superuenerunt literæ à rege Angliæ, quibus pari humanitate illis responsum fuit. Mox Francfurti in conuentu relatum fuit, de Heluetijs in fœdus recipiendis. Verùm quòd illi diuersum in parte aliqua dogma tuerentur, repudiati fuere. Adferuntur simul literæ Saxonis & Hessi in concilium, quæ recitatæ sunt, in hanc sententiam: Si uideretur è re fœderis esse, Moguntinum & Ludouicum Palatinum uelle apud Cæsarem de pace disceptare. Responsum per literas fuit; Rectè censere se: sed pacem non placere ullam, nisi fisci actionem prius aboleret Cæsar. Haud abnuit Cæsar. Quare ad Idus Septembris Spiræ adesse omnes iussit. Interim, paulo ante eorum comitiorum diem, mittit ad Saxonem, Gulielmum Nassouium, & Nuenarium. Hi secretò cum eo de pace acturi, quin quæ maximè proposuerunt: si pax placeret, illa reciperet. Saxo, ubi è re sua ea admittere uisum, non esset, ad ultimum adiecit, neq; se Spiræ in comitijs adfuturum, neq; filium eò missurum: nisi publica fide sibi caueretur. Augustæ nuper, ac multo antè quædam præter comitiorum rationem sibi accidisse, ob quæ Cæsari parum fideret. Paulò pòst legati à Moguntino & Palatino Smalcaldiam ueniunt, qui ciuitatum legatis proponunt, ut, si uideretur, ea de quibus Augustæ non conuenissent, de integro referrentur. Multis hic ultro citroq; ictatis, postremò in hunc modum placuit. Vbi de uoluntate Saxonis & Hessi, quorum erat summa inter eos authoritas, facti essent certiores, si ipsi ita censerent, placere diem conueniendi Spiram præfigi. Haud ita multo pòst, Saxo & Hessus Moguntino & Palatino respondent ad ea quæ nuper ut disceptatores proposuerant, in hanc sententiam. Sperare, Cæsarem concilium in Germania cogacturum, ut promiserat. In hoc, ut doctrinam de religione uberius explicaturi essent: interim se orare, ut à Cæsare deprecando impetrent, ne interea quid infestè in eos qui eandem doctrinam profiteantur per iram, aut è consilio aliorum impotenter moliretur. Sin omnino ille in præsenti de pace agi postularet, publica fide cautis ex æquo omnibus, diem ad conueniendum præstitueret: uiros se eruditos secum adducturos, qui confessionem Augustanam copiosius explicarent, & dictis obscurius aliquid lucis essent addituri. Cùm autem inter ista de comitijs Spirensibus, propter Turcæ apparatum ad bellum Viennense, nihil fieret, diem conueniendi Ratisbonam in Ianuarium mensem anni insequentis produxit. Eodem tempore Tigurinorum cum Quinq; Pagis dissidium, iam aliquot annos oppressum, multo quàm antè infestius efferbuit, Tigurini duobus prælijs magna accepta clade à Paganis deuicti, in quorum altero Zuinglius cecidit, his legibus pacem fecere: ut ipsi fœdus cum Lantgrauio, Basilienſibus, Bernatibus, & Argentoratensibus nuper ictum abiurarent: Pagani

à pacto cum Ferdinando rege inito desciscerent. Neq; ita uerò multo pòst in conuentu Francfordiensi, in fœdus Goslariensis, Embecensis, ut paulo antè Eslingensis, adscripti fuere. Tandem uerò, cùm Turca in Austriam cum innumerabilibus propè armatorum equitum peditumq; copijs irrumperet, Cæsar propter regnorum propinquitatem, metu ne ea procella in hoc dissidio in Germaniam effunderetur, Schuinfurti pacem ad proximũ usq; synodi tempus Germanis dedit: ne quis religionis causa cui conuicium diceret, damũm ue daret. In eos qui contrà facerent, decreta pœna fuit. Illic uicissim parta pace, obedientiam & officium, præterea auxilia aduersus Turcam Cæsari ac Regi pollicentur. Morte subtrahitur rebus humanis inter ista Elector Saxo: in cuius locum succedit filius Ioannes Fredericus, cùm Cæsar classe in Hispaniam proficisceretur. Per eos dies Pontifex in Germaniam legatum, cui Cæsar & suum adiunxerat, ad Saxonem Electorem, cum mandatis de ratione indicendæ synodi mittit. Legatus ubi multa diserte de utilitate ac necessitate Concilij intra sextum mensem denunciandi, & anno pòst inchoandi disseruisset, unum scrupum urgere, inquit, de loco, in quem cogeretur. Nullum Pontifici uisum fuisse magis commodum, propter copiam annonæ, & rerum aliarum exuberantiam, quàm uel Bononiam, uel Placentiam, uel Mantuam. Vnam earũ deligendam uideri. Sumit Saxo & deliberandi & respondendi spacium, dum fœderis socios (erant autem in eo fœdere ciuitates XXIIII, & Principes tum septem) Smalcaldiam conuocet. Non enim posse se alijs inconsultis, quòd ea res suo unius arbitrio libero permissa nõ esset, priuatim communi omnium nomine respondere. Breui conuenitur frequenter Smalcaldiam. Decernuntur literæ ad legatos. His responderunt: Pontificis Romani postulatum pugnare cum decreto Imperij Senatus: in quo placuerat, ut in Germania locus concilij haberi deligeretur: idq; cùm ob alia, tum ut illud liberum foret: alioqui non futurum, si extra Germaniam ediceretur. Hanc legationem biennio fermè pòst, Cæsare iam ab expeditione Aphricana in Hispaniam reuerso, denunciatio concilij excepit. Legationis princeps in Germaniam missus, in primis ad Saxonem Electorem, erat Petrus Paulus Vergerius, anno trigesimo quinto, Pontifici Romano ob raram eruditionem tum charus adhuc. Quo tempore Ioannes episcopus Roffensis in Anglia, & regni cancellarius Thomas Morus, securi à rege percussi erant. Vergerius, postquam ad Saxonem legatus uenit, indicat uerbis Pontificis, tempus illud nunc tandem uenisse, quo concilium tantopere expectatũ indicatur: neq; uerò solũ expectatũ, sed orbi propter dissidia in Ecclesia necessarium. Locum designari Mantuam, Germaniæ, quòd Imperij sit, commodam: & inter primas Italiæ urbes, ex Alpibus descendentibus obuiam. Huc neq; Cæsaris neq; Ferdinandi operam defuturam. Quod si ipse nunc causas quærat, ut impediat, aut recuset uenire, orbem tum demum intellecturum, nihil ei placere ad pacem. Saxo rem cum fœdere se communicaturum ait: petitq; simul, ut mandatũ Pontificis scripto tradat. Addidit inde legatus, alias legationes ad alios reges huius concilij edicendi causa missos, se uerò in Germaniam Cæsari ac Regi locum placere: & Electori quoq; placiturum, spem bonam se habere. Iam quia fœderis socios cõsulere opus est, orat, ut primo quoq; tempore eam rẽ maturet. Quod ad publicam fidem, qua aliàs sibi ac suis caueri postulârat, eam nõ solum libenter dari: sed Pontificem obsides etiam daturũ, ut minori metu conueniant. De ratione & forma disputandi conuenturum in concilio. Confœderati re cognita, Vergerio per literas breui respondent: Iam antea suam uoluntatẽ & sententiam Cæsari ac Pontifici declarasse: legitimum ac liberũ concilium, quale hoc fortasse esset futurum, se uelle. Dolere tamen unum, rabie non humana in se & suos sęuiri. Vitia, quę ubiq; ecclesias inundassent, prius esse è medio submouẽ-

da,

da. Quòd uerò Mantua concilij locus placuerit, mirum uideri: cùm Cęsar ab ijs non esset discessurus, quæ in frequenti ordinum Senatu semel placuissent: Decretum fuisse tum factum, ut in Germania synodo locus deligeretur. Et in hanc sententiam pluribus legato responsum fuit. Vnde haud obscurè coarguebant, se è Germania exciri nolle. Superuenere eodem tempore Smalcaldico conuentui legati Regis Galliarum. Hi excusarunt supplicium de quibusdam in Gallia ob nouam religionem sumptam. Nihil illud ad iniuriam Germanorum, aut eius doctrinę quam ipsi tutarentur, quicquam pertinere. Non negare se quidem, mortalium incuria & oscitantia temporibus superstitiones aliquas in Ecclesiam irrepsisse: sed cæremoniarum nonnullas non esse inutiles omnino. Quocirca, omnes non esse explodendas. Si Germanis in rusticos sæuire, quorum tumultus armis oppresserant: si in Anabaptistas seuerè, quòd magistratui non pareant, animaduertere licet, cur idem Regi in suo regno, in nefarios non liceret? Neq; uerò necessum esse in præsentia commemorare, quas ob noxas anquisitũ sit. Post hęc multa benevolè de utriusq; gentis cognatione, origine, & animorũ coniunctione perorauit. Regẽ legatos suos ad ipsos ire uoluisse, ut quæ uellet, nõ per literas, sed per legatos coràm ageret. De concilio idẽ se cũ Germanis sentire. Et ea tempora nõ pati nisi extra Italiam liberũ concilium. Rectũ sibi uideri, ut misso Pontifice, concordiam & pacem ipsi inter se ineant. id quod procliue factu esset, si animis quorundã præter ferociam insitam remissis, nihil obstinatè gereretur. Gratiæ actæ sunt regi à concione, quod bene de religione sua sensisset: de utriusq; populi necessitudine, deq; benevolo erga Germanos animo, ad ultimũ, de iudicio de synodi denunciatæ à Pontifice ratione, & quid is parturiret. Et quemmadmodum Rex contra consociatos fœdere nulla auxilia Cęsari esset missurus: uicissim ne se quidẽ Cæsarẽ in rebus quę ad Imperium nihil pertinerent, aduersus Regem, armis aut opibus adiuturos. Secundùm ista, legati à rege Angliæ uenerunt: qui in concionem admissi, Regem in regno suo uetere religionem aboleuisse exposuerunt. Hortari Germanorũ nationem, ut secum pergant nouam religionẽ pari studio uindicare. Pontificẽ Romanũ simulare tantũ synodum, sed re diuersum cogitare. Regi gratiæ eadẽ humanitate, qua Gallo, actæ sunt. Reuocatur hic firmaturq; societas, & fœdus principum & ciuitatum in annos decem: simul plures adscribuntur, inter quos Anglię rex fuit. Ab huius legatis in fœdere hæc quoq; expressa fuerunt, ne alium concilij locũ sibi à Pontifice præscribi paterentur, quàm ipsi Vergerio indicassent. Sin pergeret Põtifex, ut denunciari iussit, eius cõsilio intercederẽt. Vt socius fœderis esset, ita se defensorem ipsi fore. Si bellũ religionis causa ipsis inferretur, rex uim facienti nulla auxilia mitteret, sed in fœderis defensionẽ centena aureorũ millia cõferret. Reliquos sumptus ipsi facerẽt. Sed si bellũ diutius traheretur, quàm ut ferendis oneribus sufficerent, rex ducẽta aureorũ millia penderet. Se uerò nõ tantũ armis sancitum fœdus, sed sanguine & uita etiam tutaturos. Hoc fœdus inter regẽ & Protestãtes paulo pòst arctius per literas coiuit. Pontifex interea, cognito Cęsaris ex Hispania reditu Neapolim, Vergerium legatũ trepidè è Germania missis literis in Italiam reuocat. Quib. is lectis nihil amplius cõmoratus, quãta potuit celeritate Romam rediit, & ad Pontificem confœderatorum responsa retulit: quid postulauerint, & quid in Senatu Imperij Cæsar ipsis seratur pollicitus. De Lutheri & aliorum reditu ad saniorem mentem, nihil esse quod expectaretur, nisi ui armata compellantur. Auditis his Pontifex, extemplò Vergerio mandat, ut pari celeritate Neapolim contendat ad Cæsarem, eiq́ue, ut quæque acta essent, exponeret. Haud diu ibi cunctatus tum Cæsar, breui Romam uenit. Vbi de bello Turcico & Imperij rebus pleraque ipse & Pontifex contulissent, de concilio indicendo ita inter eos conuenit, ut di-

plomate conscripto, quod è dignitate Pontificis esset, Cæsar efficeret, ut potior Germaniæ pars in Italiam se ad concilium sequeretur. Conuenitur à confœderatis secundum hæc Francfortum. Hic recepto in societatem Vuirtenbergensi, deinde Pomeranorum ducibus, Georgio & Ioanne Anhaldis, Augusta, Francforto, Campoduno, Hamburgo, & Hannobrio, legationes ad Angliæ regem decernuntur. Verùm priusquam legati proficiscerentur, nuncio adtere batur, Annam reginam adulterij incestusq; prætextu à rege securi percussam fuisse. Quamobrem à legatis mittendis in totum desiterunt. Prodijt his diebus diploma Pontificium, de edicto concilio. Protestantes Smalcaldiæ ad medium Februarij adesse iubentur. Huc quoq; conuenere primi nominis Theologi, quòd Heldus Cæsaris orator cum mandatis eò uenturus diceretur. Adfuit breui, atq; Principibus legatisq; ciuitatum in concionem aduocatis, legationem suam exposuit. Erat commemoratio offensæ & indignationis Cæsaris, quòd se absente pluribus in locis, quàm cùm discederet, status religionis tota Germania mutatus contra edictum esset: qua in re ludibrio se habitum existimare. Gratum tamen unum illud esse, quòd de fœdere Gallico & Britannico se perpurgassent. Gallorum regem in se moliri bellum, & Turcam armare in Germaniam, ut dissidio diuulsos opprimat. Cæsarem uelle ab ipsis pactas inducias seruari: præcipuè quôd proximo concilio, quod instaret, omnes controuersię religionis disceptarentur. Omnes scire, quanto ardore, ut concilium cogeretur, absens præsens institisset. Quod ut aliquãdo inchoaretur, & bonis auspicijs finiretur, reditũ ab expeditione Aphricana in Hispaniã maturasse, ut primo uere traijceret in Italiam, quò præsens concilio interesset, nisi bello impeditus ab eo auerteretur: & tamen nullum suum studium à se absente desideratum iri. Sperare autem, quoniam ipsi semper concilium dari uoluerunt, quin omnium consilia & rationes huc inclinatæ essent, ut non solum quantum dissidiorũ in Ecclesia esset, tolleretur: sed etiam uitia & labes, quibus deformata esset, submouerentur. Cupere Cæsarem de uoluntate eorum esse certiorem. Nam si nunc restitent, & uenire detrectent, occasionem oblatam prætermissuri: aut si qua excipere uelint, aut differre sententia esset, omnes gentes humanas haudquaquam dextram existimationem de ipsis concepturas, ut qui turbas quàm tranquillitatem mallent, bellumqûe ocio præoptarent. Orare Cæsarem, ut hic paratos se omnes lubentesqûe præbeant, quò ipse uicissim studium ac propensam suam uoluntatem erga eos declarare posset. Postquã legatus in hanc sententiam multa peroraſſet, dimissa concione, Saxonem secretò conuenit, oratq;, ut Cæsaris amicitiam quorundam assentationibus potiorem ducat, eiqûe hac in re morem gerat. Cæsarem beneuolentiam ei aliquam sæpe uoluisse quidem, sed ob religionis diuersæ negotium declarare non potuisse: quam tamen composito dissidio effusam pariter, & cumulatam experturus esset. Sin ipse uenire recuset, neque legationes mittat, reputet apud se, quantum mali ea irritatio ipsi in posterum allatura sit. Præterea admonuit, ut quemadmodum in comitijs Ratisbonensibus placuisset, auxilia aduersus Turcam, qui iam tum in Germaniam irrumpere parabat, mitteret. Quod si is à bello desisteret, arma cum alijs in Gallum, qui Allobrogum ditionem ad Imperium spectantem inuasisset, indueret. Adiecit & alia quædam de sumptibus magnis, quos Cæsar in iudicium Imperiale fecerat, communiter tolerandis. Saxo ista referre uelle, respondit: quòd haud perindè ad se, atque socios, pertinerent. Postquam in concilium uentum est, multa aduersus singula uehementi oratione dicta sunt. Postremo de concilio in Italiam à Pontifice indicto, pugnare cum Cæsaris & Imperij decretis. Neque ipsis satis liquere, num eum locũ alij principes & reges extra Germaniam probent. Causſas esse iustas, quam

obrem

obtem eò recusent uenire: periculum ex æquo omnibus commune: insidias, quas Pontifex per clientes suos ipsis struere posset. Ad hæc, cum negotium hoc sit omnium maximè arduum, quod ad communem omnium mortalium salutem spectet, magnitudinem rei postulare, ut ea non per legatos transigatur, sed uiris ingenio & eruditione excelsis permittatur, quorum aliquis numerus in Italiam mittendus esset. Molestum admodum fore limites Imperij transcendere, & interea Germaniam præsidijs nudatum iri, & ecclesias aliquot ministrorum uacuas futuras. Ad ea Heldus: Mantuam propterea delectam concilio, quod cœli salubritate, & rerum omnium commodis nulli loco esset inferior: tum autem conuehendis commeatibus opportuna. Nihil esse, quod de insidijs & periculo fingerent. Cæsarem curaturum, ut ipsis publica fide, datis insuper obsidibus, caueatur. Poposcit per hæc legatus catalogum eorum, qui post pacationem Norimbergensem in fœdus uenissent. Ad hæc, quale, & quorum consilio ictum esset fœdus istud. Dum ista geruntur, superuenit fortè legatus Pontificius ad Saxonem primùm, ut ei concilium denunciaret. Sed cùm uideret suam legationem non magni apud eum fieri, Hessi colloquium petiuit. Is per ministrum legato responderi contemptim iussit, non esse uacuum audiendis legationibus. Inde ad inuisendum iter auertit: is tum fortè grauiter ex calculo laborabat. Cæterùm quarto inde die pòst, Heldo à confœderatis responsum fuit: Pontificiorum conatum huc spectare, ut Cæsarem contra fœdus concitent. Initum autem id esse, non ad iniuriam inferendam, sed ad uim depellendam spectare. Quod ut disturbetur, illos enixè operam dare. Diploma Pontificis longè aliud sentire, quàm uoluntas Cæsaris esset. Illud argumento esse, quòd nouam ille religionem ante diem concilij condemnaturus esset. Id uerò haudquaquam uoluisse Cæsarem tot comitijs ordinum Imperij. Quod uerò ad locum, quo orbi Christiano non esse commodiorem diceret, diuersum re ipsa aparere: nullum Germania ad conueniendum undiq; aptiorem. Alios reges ac principes per legatos sua munera obire posse: se uerò cum suis theologis ipsos conuenire oportere. Bellum super hæc in Italia flagrare. Ducem Mantuanum doctrinæ suæ infestum hostem esse: fratrem habere Cardinalem non in postremis. Ciuitates in Germania esse haud minus claras, quàm sit Mantua: neq; minus iustitia & æquitate celebres, id quod Cæsarem nõ lateret: cuius unus hic semper fuit scopus, ut uitia & errores, quę temporibus in Ecclesiam irrepserunt, extirparentur, eius rei ne mentionem quidem semel factam à Pontifice in diplomate. Iam ut maximè Cęsar adsit in concilio, si reges, quantum eis concederetur à Pontifice & Cardinalibus? Proinde se Cæsarem orare, ne indignè ferat, si eum locum, ut suspectum, & ad insidias paratum, prudenter declinent. Naturam non tantum hominibus, sed brutis etiam id inseuisse, ut sibi à periculis & insidijs caueant. Reputandũ esse, quid in Constantiensi concilio Sigismundo Cæsari à Patribus de publica fide data responsum fuerit. Exempla docere posteros, quatenus hominibus sit credendũ. Cũ hoc responso dimissus Heldus, ad Cæsarem redit. Cogitur concilium interea. Sed cùm bellum Turcicum hinc, Gallicum illinc arderet, nihil memorabile actum fuit. Conuenitur in Germania Brunsuicã à Ducibus, & ciuitatũ legatis. Huc quoq; Daniæ rex uenit: & quorũ gratia adfuit, corãm egit. Nouauerat is nuper in regno suo, exemplo Germanorum, religionem: & ad imbuendas ecclesias noua doctrina, è Vuittemberga Pomeranũ exciuerat. In fœdus & rex hic adscriptus fuit Fœderis societatẽ petiuit Prussiæ Dux: sed quia in proscriptorũ tabulã à Cæsare relatus erat, dare societatẽ illi recusarunt. Saxo Mauritium, quòd pater eius in confœderatorum numero esset, sibi adiunxit. Heldus animaduertens, confœderatorũ opes & potentiam in dies magis atq; magis augeri, Cæsari author

fuit,

fuit noui fœderis faciendi cum alijs diuersæ religionis assertoribus Principibus. In eo scripti fuerunt, Cæsar, Ferdinandus rex, episcopus Moguntinus, Salsburgensis, Gulielmus & Ludouicus Bauari, Georgius Saxo, Ericus, & Henricus Brunsuicensis. Et huius fœderis causa fuit, ut, si ab alijs quauis aut iniuria uetere religioni fieret, ad eam armis uindicandam statim prælens auxilium adesset. Ictum in annos undecim, Sanctumq; fœdus appellatum fuit. Mittuntur legati à confœderatis ad Cæsarem, qui post honorificam gratulationem reditus ex Hispania, de iniurijs aduersariorum, præcipuè Henrici Brunsuicensis, à quo magnis calumnijs, quasi bellum aduersus Cæsarem molirentur, traducerentur quotidie, questi fuere. Eius scribam à Lantgrauio circa Casellum, ad Principes quosdam missum cum literis, interceptum fuisse: è quibus, ut iudico, eorum consilium detectum fuit. Conatum illum contra Lantgrauium, eiusq; socios, Cæsarem & alios plerosque Principes, ut literæ indicabant palàm, concitare. Illos conquisisse milites: quorum exemplo se quoque copias comparasse, ut si arma inferrentur, uim illatam propulsarent. Mittitur & secunda legatio ad Gallorum regem, oratum, ne quem doctrinæ & religionis Germanorum causa infestè persequeretur. Paucis inde diebus pòst, literas Cæsar ad Saxonem & Hessum dedit. In his ostendit, dissidium religionis necessariò componendum esse: quo diutius cessaretur, hoc grauius discrimen reipublicæ imminere. Comitia habere Spiræ constituisse cum fratre, in postridie Non. Iunias, ut maturè euersioni occurreretur. Aut si pestis ibi sæuire pergat, aliò, quò fratri uideretur, indicenda esse. Quò igitur periculorum securi adessent, publicam se dare fidem. Quod si per ualetudinem non liceret, legationes illi suas mitterent. Eandem pacem permitti omnibus, quæ Norimbergæ data fuisset. Ad ea illi per literas: Gratum esse, Cæsarem pacem & concordiam uelle conciliare: sed scire se, Regi hanc concordiæ uiam tot habitis comitijs placuisse, ut legitimo concilio in Germania negotium discepraretur. Id non posse angusto temporis spacio fieri. Et Francfurti de ratione colloquij mentionem iniectam fuisse. Quod ibi placuerit, id optimum sibi uideri. Nec se posse eò uenire, nisi approbantibus socijs. Ad hæc, angustius esse tempus, quàm ut ad indictum diem, re prius communicata, adesse possint. Missuros tamen se legatos, quod Rex illuc se conuenturum dixisset. De publica autem fide rectum esse. Sed cùm res sit religionis, petere simul, ut eadem & Theologis, quorum disputationibus finienda sit ea controuersia, concedatur. Conuentum breui est Hagonoam, quòd pestis Spiræ non remitteret, septimo Calendas Iulias. Præter Principes, & Principum ac ciuitatum legatos, Theologi conuenere multi. Aduersarij ab his postulant doctrinæ capita, quæ in controuersiam traherentur. Responsum à Theologis, ea Augustæ exhibita fuisse, & quidem ante annos decem. Ad ea defendenda huc iam se adesse, quo hac uia aliquando ad colloquium peruenireturr. Exhibetur liber ijs, qui mediij disceptatores essent. Ab his paucis post diebus respondetur, quædam reconciliata esse, aliqua nondum. Postremò post altercationem leuiusculam decernitur ad hunc modum: Vt dies Vuormaciam, si Cæsari ita uideretur, aliis indiceretur, in quo confessio Augustana ab undenis, adhibitis scribis fidis pari numero (qui fideliter & raptim non argumenta solum, sed uerba ipsa etiam excepta chartis traderent) discutereretur. Interea loci utrinque ab iniuria abstineretur. Eò Septemuiri Electores suas legationes unà mitterent: & cum his Magdeburgensis, Salisburgensis, Argẽtoratensisq; episcopi: Gulielmus item Dux Cliuensis, & Gulielmus ac Ludouicus Bauari. Approbatur à Cæsare decretum. Datur publica fide omnibus ultro citroq; ad conuentũ Vuormaciensem commeandi potestas, etiam eorum Theologis. Cæsar legatum Granuellanum ad

ad dictum diem eôdem mittit. Adfuit & Pontificis legatus Thomas Campegius. Hic adhibentur notarij, & scribæ bini. Sed cùm illi, qui à ueteri religione stabant, legatos à consilijs Brandeburgensis, Palatini & Cliuensis in confœderatorum partes plus æquo propensos aduerterent, metu ne suffragiorum numero, in his, de quibus altercatio erat, superarentur, tempus studio extraxere, si interea diuersi aliquid à Cæsare nunciaretur. Conuenerat iam utcunque de colloquij forma, de qua inter ipsos uariatum fuerat: & diem unum colloquendo consumpserant, cum literæ à Cæsare ad Granuellanum legatum allatæ, colloquium disturbarent. Eæ recitatæ in frequenti concione sunt. In his continebatur: Velle actionem in comitia Ratisbonensia differri: huc omnes conuenirent, eadem fide, qua Vuormaciam conuenissent. Se quoque colloquio interesse uelle. Granuellanus lectis literis, domum reditum retro maturaret. Venit Cæsar mense Martio Ratisbonam, & Principum nonnulli. In exitu Martij expectatus diu uenit & Lantgrauius. Saxo ipse non adfuit quidem, sed Legationes misit, ac Theologos primarios, inter quos erat Melanchton. Pontifex legatum Casparem Contarenum, uirum summæ authoritatis in collegio Cardinalium, eò legauit. Terni hic ad colloquendum à Cæsare leguntur: Iulius Phlugius, Ioannes Gropperus, & Ioannes Eccius: rursus Philippus Melanchton, Bucerus, & Ioannes Pistorius. His mandatum fuit, ut capita controuersa sine acerba contentione excuterent: & ad Cæsarem ac Principes conciliata referrent. Præsidere colloquio iussit Granuellanum: cui adiunxit Principes quosdam, & raræ eruditionis uiros, rerum actarum testes. Inchoatur colloquium sub exitum mensis Aprilis, anno quadragesimo primo. Hic postquam de communi omnium colloquutorũ iudicio ac consensu (negauit id postea, quod ad se, Eccius) in eo uolumine quod Cæsari exhibebatur, nonnulla conciliata fuissent, de præcipuis inter ipsos conuenire non poterat. Castigatum uolumen traditur Cæsari. Laudat hic eorum diligentiam ac studium: hortaturq; eos, ut ita pari cura cætera, quod fieri posset, conciliare pergant. At Episcopi, quorum magnus hic erat numerus, & colloquium, & librum Cæsari oblatum reijcere conabantur. Instare contrà Electores, ut rem, secundum decretum Hagenoicum, cum Pontificio legato conferret: in primis ea capita, quæ ostendimus à Theologis conciliata fuisse. Si qua obscurius essent explicata, ea illustrarentur amplius. Sin illud obtineri non posset, ad concilium reijceretur. Cæsar, uelle cum legato rem communicare, & de eius consilio statuere, respondit. Contrà Theologi, qui Protestantes dicti fuere, contendere: Cæsari aliud scriptum offerre, in quo quid rectè ac ordine uideretur fieri, exponebant. Consulitur à Cæsare legatus: cui ita uisum fuit, ut quæ acta essent, ipse ad Pontificem referret. Non esse ullam spem in illis, ut ad sanam doctrinam redirent, quòd pertinaciter ab Ecclesiæ concordia in tam multis discederent. Respondetur à Theologis Contareno: longè aliam spem se de ipso ab initio concepisse, quàm qui nunc occultè Principes & Episcopos ad tyrannidem extimularet. Clamat legatus ad Ordines Imperij nunquam se assensurum, ut capita conciliata usque ad synodum ita deserentur: uerùm in uniuersum omnia ad Pontificem relaturum. Electores censere contrà, ut conciliata tam diu tolerarentur: reliqua in comitijs proximis posse conciliari. Orare Cæsarem, ut ipse, ad cogendum concilium in Germaniam primo quoq; tempore, Pontificem inducat: eoq; legatum mittat, si ipse uenire non posset. Instare etiam eorum Theologi, ut Cæsar doctrinam conciliatam do certi ita iubeat, fore ut ea ratione uia ad corruptos mores in Ecclesia castigandos sterneretur. Episcopi, Bauari fratres, & Henricus Brunsuicensis sententias rogati, censuere, ut Contarenus Pontificem, ad edicendum in Germaniam concilium, uel orbis Christiani, uel nationis ut minimum, impellat: ut errores

&

& sectæ, quæ indies Germaniam inundarent, extirparentur: aut comitia Ordi
num Imperij habenda. Interea ab Augustano decreto non discedendum. Quæ
à Theologis uerò conciliata fuissent, non magni admodum esse momenti.
Cum autem de præcipuis, in quibus cardo rerum uersaretur, controuersia es-
set integra relicta, ut nulla concordia, nisi illis conciliatis, expectaretur: è repu-
blica Christiana uideri, ut omnia ad concilium proximum referrentur. Sen-
tentijs omnium Cæsar auditis, eam approbauit, quæ ad concilium omnia tra-
henda censuit. Priusquam conuentum dimisit, cum pontifice de concilio actu-
rum se promisit. Monuitque simul, ne quid se absente nouaretur: bonam spem
concipiens, fore ut in ea synodo uitia, quibus Ecclesia deformata esset, è medio
tollerentur. Inde perfectis comitijs in Italiam profectus, Lucam contendit. Hic
interim, dum consilia cum pontifice de bello Turcico de concilio, alijsque ar-
duis negotijs confert: copias, cum quibus in Aphricam traiecturus erat ad bel-
lum (ex Algiera capta barbari quotidie Hispaniæ agros, oramque maritimam,
& interiectas insulas, ipsumque mare mediterraneum populationibus ac præ-
dationibus infestum faciebant) in naues imponendas curauit. Conuentus per
hæc Spiræ habetur: legatum eò mittit Pontifex Ioannem Moronum, cùm bel-
li Turcici causa, tum ob ea quæ inter eum & Cæsarem nuper de concilij ra-
tione Lucæ acta fuissent. Excusauit hic Pontificis grandiorem ætatem, per
quam & itineris difficilis magnitudinem, & cœli mutationem, in Germaniam
uenire non posset. Velle eum tamen præsentem concilio interesse. Quare si
neq; Ferraria, neq; Bononia neq;, Mantua, neq; Placentia arrideret, Tridenti,
ditionis Ferdinandi, cardines Germaniæ, displicere nō posse. Episcopis ac Prin
cipib. qui Cæsaris erāt, ea urbs cōmoda satis uisa fuit. Reclamatur ab alijs, neq
locus recipitur, Legatus, perfectis ijs quæ Spiræ ipsi agenda fuerāt, Romā reuer
sus fuit. Moritur per eos dies Henricus Misniæ dux, cui succedit Mauricius fili-
us. Inter quem, & Electorem Saxonem, patre uix humato, leui de causa gra-
uis simultas statim orta fuit. Vterque oppidi cuiusdam ius certatim sibi uin-
dicabant. Aliam causam discordiæ fuisse inter eos accepi. Cum in aleæ ludo
Mauricius, omni pecunia amissa, petruelem ad continuandum lusum, depos-
to oppidulo, improbius paulo ursisset, illo amisso, acerbius eum ab Electore
increpitum fuisse, ut adolescens in posterum modum in ludendo seruaret.
Tum acerbitatem reprehensionis tam grauiter accepisse Mauricium, ut in-
de digressus, paucis diebus pòst Electori bellum denunciaret. Vterque con-
quisitionem militum iam habere cœperat, quò ad uim armatam concurrere-
tur, cùm per Lantgrauium disceptatorem in gratiam reconciliarentur. Pergit
nihilo constantius Pontifex Romanus Tridenti ad Calendas Nouembris fru-
stra ardente bello Gallico, concilium edicere, conuocat huc suos per Italiam,
& in primis in Germania Episcopos, quibus maximè impulsoribus coactum
fuerat. Proximis comitijs, Cæsare profecturo in Aphricam, decretum fuerat, ne
quid se absente in Imperio nouaretur: & utrinque ab iniuria abstineretur. Spre
to edicto, Henricus Brunsuicensis Goslariorum Brunsuicorumq; agros, quod
ex ciuitates Smalcaldico fœderi adiunctæ essent, indies populationibus infe-
stos reddebat, Saxo & Hessus uim à socijs è iure fœderis prohibituri, contra-
ctis celeriter equitum peditumque non contemnendis copijs, arcem situ &
opera munitam Vuolfebutelum obsidere cum omni apparatu primùm,
& deinde oppugnare parabant. Sed præsidijs despondentibus animos ar-
cem diutius defendere posse, deditio facta est. Ipse dux paulo antè cognito
hostium aduentu, in Bauariam ad consilij sui socios coniuratos, cum Ca-
rolo Victore filio maximo natu ex arce fuga dilapsus abierat. Repertæ ibi
fuerunt Bauarorum literæ fratrum, Moguntini, & Heldi, è quibus omnia
quæ

quæ occultè molirentur, detecta fuerunt. Rex Romanus in itinere, cùm Norimbergam comitia peteret, cognito bello Brunsuicensi, literas extemplò ad Saxonem & Hessum dedit, quibus eos ab armis discedere iussit: metu ne fama belli intestini excitus Turca, in Germaniam perrumperet. Ad regias literas responsum fuit à Ducibus è castris: & belli suscepti causſæ commemorantur. Necessitate se, ad defendendos socios armis contra uim illatam, coactos. Brunsuicensem spreto decreto Imperij, sociorum agros populatum, abacta opima hominum pecorumq; præda, fuisse. Vni illi illatum bellum. Iam se in Turcam auxilia misisse: præsentesq; copias confecto bello eôdē omnes transmissuros. Optare solum, ut reliqui Principes idem facerent. Brunsuicensis breui pòst Saxoni & Hesso diem ad iudicium Imperiale dicit, & de grauibus criminibus eos accusat. Illi recusant forū, cùm ob alia, tum quòd à iudicibus ante dictā causam præiudicio, ac odio singulari pro hæreticis condemnati essent: cuius rei causas paulo pòst in comitijs Norimbergensibus plenius reddiderunt. Inter hæc Cæsar ex Hispania in Italiam post bellum Aphricanum reuersus, Spiram, quò conueniendi diem per literas ordinibus Imperij indixerat, contendit. Mittunt legatos suos confœderati Duces & populi, per quos publicam fidem ad conueniendum petunt: ut uitia iudicij Imperialis castigentur: ut æqualis in conferendo ad bellum Turcicum proportionis ratio haberetur: ad ultimum, ut dato senatui ipsis, iusta se arma in Brunsuicensem sumpsisse ostendere liceret. Ad ea Cæsar: Satis illis alijs comitijs cautum: iudices Imperiales non posse indicta causa loco moueri: collationem pecuniarum in Turcam è communi consilio ordinum Imperij fieri debere. Interrogati inde legati, quid de restituendo Brunsuicensi, id quod ipse urgeret, ipsi censerent: nihil de eo se in mandatis habere, paulo pòst responderunt. Tum Cæsar: quod ad cauendum, secus fieri non posse: ac nisi Brunsuicensis in ditionem suam restitueretur, se uiam inuenturum, qua is amissa recuperaret. Conueniunt confœderati inde Francfurtum, ad consultandum amplius iam maturè de ijs quæ Spiræ in comitijs proximis agerentur. E Francfurto Saxo & Hessus literas dant ad Cæsarem, qui tum Bruxellæ erat, quibus significabant se ad comitia uenturos, si ipse Cæsar adesset, & sibi socijsq; publica fide caueretur. Formulam publicæ fidei transmisit Cæsar, & sese mense Ianuario Spiræ adfuturum scripsit. Postquam eò peruentum est, Cæsar commemorare orditur, quam obrem relicta Hispania transisset in Germaniam. Turcicum bellum à Gallorum rege concitatum: ipsumq; Gallicum, quod adhuc integrum haberet. Et nunc, quòd Turca in Hungariam cum innumerabilibus copijs inuasisset, eiusq; regni arces aliquot & claras urbes cepisset, moliretur ui armata in Germaniam perrumpere. Deliberandum hic de auxilijs contra communem hostem mittendis. Ad hæc, liquere omnibus suum studium, ad dissidium religionis componendum. Ad id omnibus comitijs se laborasse. Quod ut aliquando tolleretur, authorem se Pontifici ad indicendum concilium fuisse: cui ipse interesse cuperet, nisi Gallico bello adhuc ardente præpediretur. Sub ista, ubi Rex item de calamitate Turcica uerba fecisset, Saxo & Hessus multa in Brunsuicensem acerba dixerunt: eumque hoc concilio Imperij indignum, neq; in senatum admitti ob perpetrata flagitia debere. Ille recriminari eos: Se contra publicam & fidem, & pacem imperatam, summa iniuria sua ditione exutum, pulsum patria, queri: & exilio, nullo suo in eos merito, multatum. Cæsar, quia in multum diei consilia extracta fuerant, diem produxit, quo earum causas cognosceret. Is ubi uenit, de scripto Saxo & Hessus multas criminationes in Brunsuicensem pro se quisque congesserunt. Eum nihil diuini aut humani iuris, præ impotenti animi ferocia, sanctum seruare. Cladibus alijs super alias, contemptis decretis Imperij, Brunsuicam, Goslariam miserè diuexasse,

uexasse. Precibus harum ciuitatum, & lachrymis se perpulsos, fretos eorũ præsidijs uim ac tyrannidem hominis cohercuisse: non bellum priores intulisse. Recitant inde literas prolatas, quas in capta arce repererant, ad Bauaros, Heldum & Moguntinum scriptas, in quibus scommata in Cæsarem absentem obliquè, & Granuellanum multa infestè etiam iecerat: Cessatorem esse Cæsarem, & nimium cunctari, Norimbergense fœdus non tueri. In culpa præcipuè Granuellanum esse, qui à confœderatis & populis & Principibus accepta pecunia corrumpatur, dignumq; ob id qui infœliciter periret. Cæsarem interim altùm in utramuis aurem stertere, nec expergisci posse. Nomen Cæsaris inane ad terrorem tantum faciendum spectare, & sine ulla re memorabili prætexi: perinde ut aucupes simulacra quædam accipitrum, & aquilarum formulas ad perterrefaciendas alias aues sub dio exponunt. In eandem sententiam Heldi & aliorum literq; recitatæ sunt. Refertur in eodem concilio (aberat ipse Brunuicensis) turpe tanto Principi flagitium, de amica Eua Trotina, ex qua, superstite coniuge, sed insscia, septem proles susceptisset: cuius uiuentis funus, ligneo simulacro capitis pectoris ac ceruicis humanæ, facto, reliquisq; corporis partibus ex linteo cineribus suffarcinato suffultoq;, in theca ita, ueluti integro mortuæ puellæ linteamine inuoluto corpore, impositio, honorificè efferri curasset: cęremonias funebres & iusta omnia persoluisset mortuæ Euæ. Aliaq; id genus fœda auditu in eum cumularunt. Brunsuicensis, ubi primum inde Senatus datus esset, multa uicissim conuiciorum plaustra in Saxonem & Hessum, ne à dicacitate quidem abstinens, congesit, modò coniuratos raptores, modò Turcici fœderis socios eos appellare: interdum minari bellum, denicq; mare cœlo miscere uelle. Illi pugare se intrepidè contra impudentes & calumniarum refertas criminationes. In hoc concilio decernuntur subsidia, Cæsari primùm in bellum Gallicum: deinde Ferdinando, in Turcicum: & pax, ad id usq; temporis, cùm proximum esset concilium, Ne quod interea conuicium cui, aut uis fieret: turbæ nullæ religionis causa excitarentur: iniuriarum esset obliuio: & pleraq; alia, quæ ad tranquillitatem Imperij, durante bello Gallico, seruandã conducerẽt. Deditione Brunsuicensi, ponendo sequestro, ita uisum fuit Cæsari: ut agros, arces, urbes, & quicquid ditionis Brunsuicensis esset, utrinq; sequestro Cæsari permitterent: qui eius gubernationẽ committeret, cui uideretur, donec causa disceptata esset. Velle in eum iure suo animaduertere, qui non pareret. Fama euentus, & rerum acta rum in comitijs breui Romam allata, literas ad Cæsarem Pontifex dedit, stomachi plenas: quòd religionis negotium in Imperij conuentu disceptasset, cum id suo concilio committi deberet. Adduxit exemplorum congeriem, Regum & Imperatorum, quos tragicus exitus fuisset sequutus, quod sedem Pontificiam læsissent. Rursus, eos triumphis in uita cum magno fortunarum successu & accessione decoratos, qui eam opibus, sanguine suo, & armis uindicassent. Cæsarem, rebellibus quæ permisisset, se uelle rescindere: eaq; facere, quæ ex eius maiestate essent. Quæ nisi perficeret, se suo officio in eum non defuturum. His literis cùm Cęsarem palàm in Principes Populosq; confœderatos bello petendos extimularet, is occasionem aliam expectandam arbitratus, in præsenti consilium dissimulauitt. Iam post aliquot menses Pontifex, cùm Vuormaciæ concilium Imperij esse audiuisset, Cardinalem Farnesium eò misit. Creditus fuit huc missus, ut uerbis Pontificis Cæsarem ad arma contra confœderatos urgeret. Illud interim in confesso erat, Cæsarem iam tum animum totum ad bellum Turcicum adiecisse: sed religionis controuersiam, & classicum Pontificium illud fuisse remoratum. Simul è Roma literæ ad diuersos perferebantur, Pontificem, etsi concilium Tridentinum ad exitum producere statuisset, belli tamen aduersus Lutheranos (hoc quoque nomine confœderati uulgò tum appelabantur)

gerendi

gerendi tanto ardore flagrasse, ut duodecim millia peditum, equites quingentos ad id promiserit. Et belli duces, centurionesq; iam scripserat. Fuit è Germania renunciatum Romam, præsens tempus ad eam rem adhuc esse immaturũ: in in sequentẽ annum eum terrorem extrahendum esse. Agit interea Cæsar per suos cum confœderatis, de auferenda discordia religionis per concilium Tridentinum. Illi constanter negare legitimum esse concilium, cui præsideret Pontifex, aut eius legatus: neq; libere, neq; fortiter haberi posse, quòd tot antè præiudicijs ipsi condemnati essent. Superuenerunt, quasi ex composito, legati Gallorum, qui Cæsarem orarunt, ut ad disidium religionis in Germania tam grans, per concilium tollendum anniteretur. Facit per hæc inducias cum Turca Cæsar. Eodem tempore Archiepiscopus Colonienſis ab Academia, & pleraq; religione grauiter apud Cæsarem accusatur, de conatu emendandæ suæ religionis: quodq; Lutheranos Verbi doctores per diœcesin ecclesijs præfecisset. Vocatur intra trigesimum diem ad causam dicendam: aut legatum mitteret, qui obiecta refelleret, aut ut rectè facta tueretur. Videret, ne quid interea temporis amplius in ditione sua nouaret. Idem imperatum fuit ciuitatibus, in quibus per exteros concionatores doctrina mutari cœperat. Vocãtur & Romam per eosdem dies, & cum eo primariæ basilicæ Colonienſis illustres heroës Cononici aliquot, qui Archiepiscopi studium approbabant. Brunsuicenſis Dux, cùm ager eius decreto concilij facto sequestro Cæsari datus esset, nihil eius minis perterrefactus, ne quas res nouas inceptaret, pecunia à Gallo, sed in alium usum accepta, instructus, conscripto quàm poterat occultissimè exercitu, amissa recuperare constituit. Equites paucis diebus mille quingentos, peditum ad octo millia confecerat. Cum his copijs suam ditionem populabũdus ingressus, Stenbruccum arcem per deditionem in potestatem recepit. Minatur uastationem uicinis populis, qui Smalcaldico fœderi illigati erant, ni damnum datum sarciant, ac à fœdere discedant. Receptis iam passim aliquot oppidulis & castellis in suis finibus, extemplò omnem armorum terrorem in arcẽ Vuolfebutelum transtulit. Hessus sociorum precibus fatigatus, in finibus suis tumultuariò septem millia peditum contrahit, & equites mille sexcentos. Ad Northeimum, equites mille, & tria millia peditum. his copijs se coniungebant, quos Saxo Elector subsidio miserat: præterea sexcẽtos uolũtarios, quos in agris suis collegerat. Ad hos accedebat Hessi gener Mauritius cum mille equitibus, & peditũ millibus quinq;. Cum his copijs Hessus Brũsuicenſi obuiam processit. Ille hostis aduentu accepto, omissa obsidione arcis Vuolfebutelj, collecta undiq; pecunia militibus, qui iam dilabi cœperant, stipendium poscentibus persoluit. Inde profectus ad Calfeldum, mille passus à castris Lantgrauij, castra communiuit: cùm dux Ericus, eiusq; mater, & Ioannes Brandeburgensis superuenirent, ad dirimendas acies, & pacem faciendam. Sed Hessus, qui prælium tantum spectabat, & præsentem uictoriam sibi pollicebatur, id non suæ potestatis, sed sociorum uoluntatis esse respondit. Spe pacis abiecta, Brunsuicenſis propius Northeimum cum turmis aliquot equitum progreditur. Conseritur hic pugna: sed Brunsuicenſis tormentorum ui loco motus, receptum in castra habuit. Rursum acrius urget Mauritius pacem apud Lantgrauium, ut scriberet ipse quas uellet conditiones: fortasis eam pacem iustam bonamq; sibi cum illo fore. Scribit Hessus pacis leges, sed quas crederet eum non accepturum. Interim dum per Eblebum & Comerstatum transmittũtur, nunciatur, Brunsuicenſem cum omni exercitu ad montem qui castris Lantgrauij imminebat, occupandum aduentare. Hessus extemplò dato signo, cũ omnibus copijs, præsidio castris modico relicto, montem inuadit, & hostem operitur. Redeunt interim legati, ac renunciant, Brunsuicenſem benignè re-

 spondisse,

ſpondiſſe, ſe permittere Mauritio, neq; uelle amplius armis cum religione de-
certare. Deſcenditur in colloquium: obtinet inducias Mauritius, ad deliberan
dum de pacis conditionibus: quæ ita duræ erant, ut in euentum pugnæ rem
committendam potius arbitraretur. Concurritur utrinq; cũ omnibus copijs
marte diu ancipiti: ſed ænearum machinarum, quibus Heſſus ſuperabat, ia-
ctibus in fugam pulſus fuit Brunſuicenſis. Euocatur rurſum in colloquium
Mauritius, & eędem conditiones repetuntur: alioqui non coituram pacẽ. Tã-
dem uictus extrema neceſsitate Brunſuicenſis, effusè lacrimans cum filio Ca-
rolo Victore ad Heſſum ultro uenit, & in eius poteſtatem ſe permiſit, ijs qui-
bus pactum fuerat conditionibus. Heſſus hoc ſatis fœlici expeditione bello
perpetrato, de Brunſuicenſis rebus ad Cęſarem literas dedit, maximè de literis
in caſtris inuentis: in quibus, quæ moliretur contra Ferdinandum Regem, o-
mnia detecta fuiſſe. Lectis literis, uiciſsim legatum ad Heſſum ille mittit, per
quem eum monuit, ut moderatè uictoria ſua uteretur: & Brunſuicenſem, ut Prin
cipe uiro dignum eſſet, haberet. Permitteret negocium diſceptandũ: & ſe fa-
cturum, quod æquum dignumq; uideretur. Copias dimitteret, ac turbata pa-
caret. Si quam iniuriæ actionem aduerſus aliquem, ob lata ſubſidia Brunſuicẽ
ſi, prætenderet, cum eo legibus ageret. Sequenti anno, qui quadrageſimus-
ſextus erat, concilium cõfederatis Francfurti fuit, in quo Heſſus de rebus pro-
ſperè geſtis retulit: de Archiepiſopo Colonienſi non deſerendo: ut pax religio-
ni à Cæſare exoraretur. Iiſdem turbis cùm concilium Tridentinum ab iſtis repu
diatũ eſſet, & religio paſsim cõtra decretũ Imperij inſpectãte Cæſ. nouaret,
rumor increbuit, Cæſ. in confœderatos bellũ apparare. Hoc motꝰ Heſſus, ad
Granuell. literas dedit, ut qd rei eſſet cognoſceret. Rumores, qq; ex Italia pcer
tos ſpargi, Cæſ. & Pontificẽ cõſociatis armis fœderi bellũ facturos: Pont. me
morata auxilia miſſurũ. Præterea iſta à ducibus copiarũ nuſquam non iactari,
ut accepta pecunia in ſtipendiũ milites cõquirant. Cæſ. conſcripſiſſe modicas
copias, à quibus Ratisbonam deducatur. Ex ſignis id ueriſimile apparere, in-
ducias factas cum Turca, & pacem cum Gallo. Quare cùm nullũ habeat bel-
lum foris, nec domi hoſtem, quorſum attineret exercitum conſcribere? Neq; ſe
tamen induci poſſe, licet illa rem coarguerent, ut id crederet: quod pax primũ
Norimbergæ, inde Ratisbonæ, poſtea Spiræ religioni conceſſa eſſet. Ad hæc,
omnes principes & populos certatim pecuniam imperatam, & auxilia, Cæſa-
ri & Ferdinando liberaliter ſubmiſiſſe in Turcam & Gallum. Petere ſibi reſpõ
deri: & ut ipſe, qui Cæſari ſemper ad pacem conſultor fuiſſet, eundem nunc eò
inclinaret. Ad ea cùm reſponderet Granuella, non inficiatus quidem fuit, de-
lectum aliquem militum haberi: ſed id in præſentem neceſsitatem tranſtulit.
Cùm enim duo potentiſsimi reges uicini inter ſe belligerentur, non debere re-
prehendi, quòd fines ſuos, alioqui nudatos præſidijs, muniret. Et ſatis conſta-
re, quantum Gallo reconciliato fidendum eſſet. Quod uerò attineret ad decẽ
peditum millia, quos Cæſar ferretur ſecum ad comitia Ratibonam tracturus,
uanum omnino eum eſſe rumorem. Vt maximè nil haberet falſi: qui minus
nunc liceret, quàm ſuperioribus annis, cùm Auguſtam cum tanta, aut etiam
numeroſiori manu ueniret? præcipuè quod indies uaria è Germania nuncijs
adferrẽtur. Vel illud coarguere, Cęſarem nil occultè moliri, quòd Archiepiſco
pum Colonienſem à ſe humaniter habitum domum dimiſiſſet. Quamuis Grã
uellanus id, quod paturiebant Cæſar & Pontifex, diſsimulabat: confœderati
tamen illi non credere, ſed inuicem quotidie per literas certiores facere, de ijs
quæ è Belgio allata diſpargerentur. Ne igitur imparati opprimerentur, Heſſus
& Palatinus Elector in exitu Ianuarij ad deliberandum Francfurtũ conuene-
runt. Sed conuentus huius præcipua cauſa erat, ut Auguſtani de ijs quæ cõ-
perta

perta ex Italia accepissent, illos per Sebastianum Schertelum, hominem acrē & militarem, qui aliâs sub Cæsare ordines ductârat, corâm edocerent. Non latuit Cæsarem hic conuentus, in quo aduersus se coniuratum fuisse, à quibusdā assentatoribus etiam persuasus erat. Mittit extemplò Nauium ad inspiciēdas res Germaniæ. Primùm is Archiepiscopum Colonienſem cum mandatis conuenit: inde uenit ad Palatinum. Fortè ita tum accidit, ut in itinere in Reinardū Comitem Solmensem incideret. Ex hoc ille propius singula cognouit: qui rumores detecto Cæsaris conatu Germaniam turbassent. Nauius contrà negare constanter: imò Cæsarem semper pacis amantem, eo consilio Ratisbonam breui uenturum, ut illam firmaret magis. Quin benignè etiam Lantgrauium excepturum, si eò conueniat. Et si consultè uellet agere, ipse quoq; eôdem cōueniret, ad se socios q; expurgandos: eam expurgationem Cæsari gratam fore. His à Solmensi Comite Hessus paulo pòst acceptis, ad Nauiū literas dedit, in quibus causam conuentus Francfordiensis ita exposuit, ut is intelligeret, hoc concilium ad Cæsarem nihil attinere. Repetiuit inde crebros rumores, de occulto in se & suos belli apparatu. Ad hæc, Marchioni Brandenburgensi negocium datum, ad mille equites conquirendos. Sed quia ista Nauius Solmensi Comiti, & Granuellanus ad se per literas falsa esse affirmarunt, se illis iam habere fidem. Sperare interim se à Spirensi decreto Cæsarem non deflexurum. Porrò autem, quod ad colloquium cum Cæsare, ubi uenerit Ratisbonam, nō grauatè se id facturum. Rursum ad indictum colloquium à doctis, ad excutiendam confessionem Augustanam, conuenitur Ratisbonam. Sed cùm ad extremum de forma exhibendi, supprimendiq; inter se uariarent, paucis diebus discesserunt, nulla re memorabili transacta. Venerat Cęsar Spiram, Ratisbonam iter facturus. Ad eum Hessus, ut à Granuellano & Nauio consultum fuerat, publica accepta fide, contendit. Conuenit huc & Palatinus Elector, ac legatus Ducis Vuirtenbergensis. Postquam Hessus ad Cæsarem fuit admissus, primùm aduentus sui causam paucis reddidit: deinde ostēdit, undiq; rumoribus nunciari, eum impulsore Pont. Romano in confessionis Augustanæ socios animum parum propitium induisse. Gallum, per factam pacem ipsi auxilium ad multandos confœderatos laturum. Turcicas inducias huc spectare, ut secum Germaniam uastaret bello. Multaq; præterea, quæ congruerent, nusquam non prædicari. Maturari indictum Tridenti concilium à Pontifice, ut facto decreto pro libidine ad exequendum grassaretur. Quid enim aliud sibi uelle illud, quod contra Colonienſem utrinq; lis mota esset? Ista sanè Germaniā non esse meritam, si reputaret, quàm effusa benignitate auxilia Spiræ non contra Gallum solum & Turcam fuerint pollicita, sed liberaliter etiam contulissent: et quidem pleniora, quàm unquam maiores conferre consueuissent: plura etiam præstaturos, si res dubiæ postulassent. Vt ut ista haberent, sperare se, Cæsarem controuersiam religionis per concilium Germaniæ dirempturum, antè quàm è terminis Imperij pedem moueret. Nauius tum: uicissim rumores allatos ad Cæsarem commemorat, quibus tamen fides habita non esset. De Gallo, fabulam esse. De inducijs Turcicis, Cæsarem interpellatum fuisse: querelas passim in Germania de intollerandis sumptibus, quibus exhaurirētur, audiri. Quam obrem compendium optimum istud uisum, ut Turcicum bellum in aliud tempus extraheretur. Sed de hac re se conuenturum fratrem. Concilium uerò iam multos annos expetitum, iam coactum esse: & Colonienſem nuper à se summa cum humanitate exceptum, in quem grauiter statuere potuisset. Quod uerò ad conquisitionem militum, id re ipsa uanum coargui: cùm ob oculos interfamiliares, nullum adesse uoluntarium militem conscriptum, qui se comitet, esset uidere. Iam ad Cæsarem, cur ipse esset euocatus, hanc esse causam, ut eius

consilium audiret, quæ uia potissimum ingredienda esset, ad tranquillandum religionem. Quicquid enim progrederetur, indies in uastiorem altitudinem inuehi. Ad ea Hessus: absq; sociis, quæ in rem essent, se consulere nō posse. Sed Francfurti nulla aduersus Cæsarem inita esse consilia: nisi ut pacē tueri, & uim propulsare possent, non ut priores inferrent. Omnes petere concilium quidē, sed in Germania, sed pium & liberum. Quamobrem autem Tridentinum concilium eius generis non haberent, aliàs Vuormaciæ diserte expositum fuisse. Iam eò in Germania rem deductā, ut si uellent maximè, religio mutari non posset. Porrò colloquium Ratisbonense per improbos quosdam & importunos diuulsum fuisse, qui capita aliàs reconciliata, rursum in controuersiam raperent. Quod ad Colonienſem, quem bonum uirum iudicabat, & extra aleam positum, quæ is egisset, ex Archiepiscopi munere egisse: sed & iuxta decretum Ratisbonense, quo ecclesiarum reformationes imperatæ fuissent. Librum eū ex ueterum doctorum institutis & doctrina consarcinatum. Hesso ad hunc modum, non paulò etiam plura loquuto, tum Cæsar: De Francfordiensi conuentu iam abundè sibi satisfactum. De concilio Tridentino ita se semper stauisse, non statim, quicquid à patribus ibi decerneretur, assertoribus confessionis Augustanæ uim fieri. Et Ratisbonense decretum habere quidem, ut Episcopi ecclesias suas reformarent: at non ut exoticam religionem, ut ipse fecisset, & fidem diuersam inueherent. Ipsum submouisse ueteres ministros, & surrogasse nouos aliunde accitos. Præterea, querelas ad se allatas, eum Canonicorum accidere prouentus: se imploratum, ut eam iniuriam prohiberet. Hic Hessus Cæsaris uerba excepit, ac pauca de officio & beneuolentia Germanorum in Cæsarem, deq; commodis quæ inde in regna eius promanarent, si eos beneuolos habuerit, præfatus: Colonienſi Archiepiscopo ita rursum incœpit patrocinari, ut diceret, eum bono pastore digum egisse: quòd imperitis ecclesiarum ministris repudiatis, pios ac doctos suffecisset. Formam reformationis initio Gropperum alios q; complures, qui nunc aduersarentur, probasse. Ibi Cæsar interpellans, Archiepiscopi insciti am obiecit, qui uix latinæ linguæ rudimenta calleret. Ad ea Hessus pauca, quæ ad Archiepiscopi defensionem momentum aliquod adferrent, subiecit. Cæsar uicissim reformationis uocem explicat. Hessus contrà demonstrat naturam ueteris religionis: at Archiepiscopum Canonicis grauem fuisse imponendis oneribus, id ita interpretatus fuit. Cùm enim grandem pecuniam Cæsari in bella memorata decretam constaret è consuetudine Imperij esse, ut magistratus & Episcopi ad promissam summam conflandam pro facultatum copia suis collationem imperent: in qua, cuiuscunq; nominis sit, neminem excipi oportere. Quare id si fecerit Archiepiscopus, haudquaquam esse reprehendendum: cum ipse Cæsar sciret, eam pecuniæ collationem difficilem toto imperio fuisse. Ad istum modum multis uerbis commutatis, discessum fuit. Postridie Hessus iterum Cæsarem, propè ad colloquium euocatus, conuenit. Ibi Nauius ait, Cæsarem colloquium Ratisbonæ redeintegrare constituisse: ac contendere, ut ipse quoq; eôdem conueniat, quòd omnes eum & Palatinum pacis amantes esse cognoscerent. Excusat Hessus (non fefellere insidiæ) quo minus adesse posset, grauues sumptus in bellum Brunsuicense factos: nuptias filiæ recentes: disceptatorem se inter Saxoniæ Duces, ad conciliandos eos, sumptum: ueniendum cum uniuerso equitatu: se absente, finibus suis præsidio nudatis: à Brunsuicensis sociis populationem imminere. Vrget Cæsar ad conueniendum, periculum se prohibiturum promittens. Excusat ea ipsa identidem Hessus: Legationes tamen, quibus permitteret, se missurum pollicetur, qui si per omnia eius uoluntati non assentirētur, ne grauatè acciperet, neue obstinaciam aliquam inter-

interpretaretur. Instat Cæsar, sicut antè, ut adsit: futurum, ut socij ipso consulto re, aliquid æqui essent concessuri, si eum totum ad pacem inclinatum spectarent. Tum Hessus, cùm tantopere se urgeri uideret, quod dissimulauerat hactenus, effudit. Quam materiam suscipiendi belli Brunsuicensis dedisset: deinde, quî in manus uenisset, exposuit: quantam iniuriam ac contumeliam ipse ac Mauritius accepissent ab eo, & eius socijs, quorum ingenijs furori hominis materia præbita fuisset. Homines eos esse inconstantes, uarios, & ad omnem auram mobiles, & ad motus serendos natos: & inter eos esse hunc Spediũ, à quo pridie sibi nunciatum esset, si non grauaretur audire, uelle se illi quædam secreta, callida, nimisq; uersuta, quæ laterent, & uerterentur consilia, detegere. Se uerò renunciari iussisse, quòd homini uano ac futili fidem non haberet: nõ uacuum nunc esse cum eo colloqui: sed quicquid esset rei, scripto significaret. Ad hunc modũ Lantgrauius multa familiariter cum Cæsare ultro citroq; colloquutus, benigna cum salutatione dimittitur. Quo digresso, Cæsar grauiter Spedio succensuit, quòd ea quæ occultè agitabantur, homo futilis indicare uoluisset. Quam fuisse præcipuam causam Cæsar facilè intellexisset, quamobrem adid concilium Hessus uenire abnuisset. Illo iam domum reuerso, cæteri confœderati Vuormaciam ad consultandum confluunt: & acceperant, quàm obuia humanitate Lantgrauius à Cæsare exceptus fuisset: quæ res nonnihil metum mitigauit. In hoc conuentu Rauesburgenses in societatem adscribuntur. Per hos dies Archiepiscopus Colonienſis à Pontifice è Roma fulmine icitur: & Episcope illi abrogatur, quòd contra doctrinam Apostolicam, ut diploma habebat, institutos Ecclesiæ ritus, cęremonias, & alia quædam, quæ longum esset narrare, admisisset. Cæsar Ratisbonam ingressus, ubi de colloquij ratione & dissidio cognouit, grauiter in primis tulit Theologorum, infecta re, ante suum aduẽtum, discessum. Illico missis per totam Germaniam literis, Principes ad conuentum adesse iussit. Conuenerant plericq; confœderatorum populorum legati & Episcopi. cumq; his, Ericus, Mauritius, & Ioannes Albertusq; Brandeburgenses. Paulò pòst & Rex Ferdinandus uenit. Cæsar pro concione aduocata, quamobrem conuentum hunc indixisset prolixè memorat. Nulli obscurum esse arbitror, inquit, superiori concilio Vuormacienſi, arduas Imperij causas, quòd multi in eo desiderarentur, transigi nõ potuisse, quare in hũc conuentum, quem statuta die futurum indixi, eas distuli. Quod uerò ad Non. Ianuarias, ad quem diem conuenire placuerat, non adfuerim, ualetudo, cui illigatus fui, præpediuit: & colloquium expectatione segnius inchoatum, aliquam moram attulit. Quin & præter hybernum tempus frigoribus asperum, quod me detinuit, uos inutilibus sumptibus onerare studiò nolui. Et licet domi abundè negociorum sit, quibus distinerer: pacandæ tamen religionis gratia molestum iter ingressus sum. Atq; utinam reliqui omnes meo exemplo, priuatis curis reipub. commoda anteponerent, qui nondum conuenere: quos tamen breui adfuturos arbitror, eosq; legationes suas missuros, quibus per ualetudinem adesse non licet. Colloquium doctorum, quod indixeram, cœptũ quidem uideo: sed abruptum, & quidem sine ullo momento memoria digno: quos coniunctos, & in hoc totos adhuc nos offensuros sperabã, ut quid operæ precij ab ijs actum esset, omnes cognouissemus. Nunc ipsi corâm cernitis, illos seuulsos, domos quemq; suas discessisse. Cupio ex animo, compositò negocio religionis tranquillare Germaniam: uos in medium consulite, quid ultrà faciendum censetis. Vestra consilia audire uolo, ut ex singulorum sententijs aliquid decernere, quid utile & bonum Imperio sit futurum, liceat. Quin summum forum Imperij restitui necesse est: & qua uia id facere conueniat, sæpe antea demonstrauimus. Etenim haud decet, ubi summum orbis terræ Im-

perium est, ibi sine legibus & iudicijs, dissoluta omnia sursum deorsum agi ferriq;. Ad hæc, quid de bello Turcæ, qui tam infestè ceruicibus nostris quotidie imminet, faciendo censetis, in consultationem mittite. Eius enim rei deliberatio in ista comitia dilata fuit. Gallorum rex, quando superiori anno petenti pacem dedi, inducíarum spem cum illo affulgere dixit: & ad eas impetrandas suam operam mihi pollicitus est. Iam Ordines Imperij, præter auxilia, etiam diuitem annonam mihi decreuerunt: ea à quibusdam subministrata nõ fuit. Propterea nobis ita uisum est, ut aliquandiu respirans oneribus subleuetur, dum recollecto sanguine & uiribus, sumptus ferre queat. Atq; ob id, adiutore rege Gallorum, in annum inducias cum Turca pactus sum. Eæ exibunt circa finẽ Octobris, modò integras sanctasq; iure gentium seruet. In hanc sententiam Cæsar uerba fecit. Vetus consuetudo tenuerat, ut in comitijs Septemuiri Electores ad conferenda consilia coniungerentur. Hic primùm dissidium religionis eos disiunxit: nam Treuerẽses Moguntinensesq; legati, à Colonienſibus, Saxonicis, Palatinis, & Brandeburgensibus, seperatim consilia contulerunt. Illi in Tridentinum concilium pedibus discedunt: ac Cæsarem, ut eôdem reliquos etiamnum restitantes conserta manu pertrahat, hortantur. Contrà hi ut gere, ut pacem Germaniæ firmet: & religionem conuentus Germanici cognitioni: & doctorum hominum disputationibus permittat: Tridentinum non esse id concilium, quod à frequenti senatu Ordinum Imperij decretum esset: neq; illud quod semel statutum fuit, paucorum intercessione mutari debere. Nec quicquã in his comitijs, quæ ex composito indicta fuerant, ob rerum quæ occultè parabantur maturitatẽ, amplius actum fuit

LAMBERTI HORTENSII MONTFORTII HISTORICI DE BELLO GERMANICO LIB. II.

AB his fontibus & orsis, quæ ea qua potui breuitate prosequutus sum, bellum Germanicum, bello Gallico composito, inducijsq; cũ Turca perpetratis, & pax pacta ac composita per Pontificem turbari cœpit. In his comitijs Rex Ferdinandus dat nuptum Annam natu maximam Alberto Bauarorum Duci: & Guilielmo Cliuẽsium principi Mariam minusculam. Celebratæ nuptiæ regio luxu, & magnifico huiusmodi apparatu, qui summus orbis Monarchas decebat. Mandauerat Cæsar Maximiliano Burano iam antea, ut in Belgica equestres pedestresq; maximas copias conquireret. Iussit & Alberto & Ioanni Brandeburgensi equitatũ cõparare, quãuis uterq; à religione stabat. Sed quia persuasum illis erat, à Cæsare non aduersus religionem, sed rebelles quosdam Imperio apparari bellũ, haud grauatè in ea re fidelẽ illi operã nauarunt. Et Ordinis Germanici Magister, quantũ equitum poterat, celeriter contrahit. Ro. à Cæsare celeriter ad Pont. mittitur Cardinalis Tridentinus, ut eũ moneret, iam maturũ tẽpus præstandi promissa aduenisse, ut memor eorũ, primo quoq; tẽpore milites per Italiam conquirat, & in Germaniam transmittat. Confœderati (hoc nomine eos deinceps, quos alij Protestantes, aut Smalcaldicos nominãt, appellabo) his rumoribus alijs super alios allatis, trepidè & ipsi tota Germania delectum equitum peditumq; habere statuunt. Leguntur Duces ad bellum pari potestate, Elector Saxo & Philippus Lantgrauius Hessiæ: his cura gerendi bellum demandata fuit. His & ciuitates legatos suos adiunxerunt, è quorum consilio aliquantũ momenti administrandi belli pẽderet. Ciuitates & Principes Smalcaldici fœderis superiori libro memorauimus: præter humiliũ oppidorũ magnũ numerũ, quæ recensere

tenſere & longum nimis, & tædioſum foret. Daniæ rex, etſi in fœdus adſcriptus eſſet, nulla tamen auxilia contra Cæſarem miſit. Quæ uerò in medio ſtabant, Smalcaldici fœderis exortes ciuitates, erant fermè hæ illuſtriores: Rotemburgum, Norimberga, Norlinga, ſed quæ tamen communem cum alijs religionem tuebantur. Et inter hæc belli procœmia Palatinus quoq; in amicitiam locieratemq; Smalcaldicam uenit. Occultè inter ea Cæſar centuriones ſuos, tribunos, ducesqúe, quorum fidem aliàs, & uirtutem diuerſis bellis expertus fuerat, per literas Ratisbonam aduocat: cumqúe his ea quæ ad belli neceſsitatem opus eſſent, ſecretò tranſigit, ut accepta pecunia, diuerſis locis copias contrahant: ſed in quem uſum, diſsimularent. Confœderati, depræhenſo quod diſsimulanter à Cæſare gerebatur, Ordines Imperij ſolicitant per legatos, ut belli auertendi cauſa ſecum ad Cæſarem eant. Recuſant Moguntini & Treuirenſes: Heſſus per literas crebras, quas Ratisbonam dabat, quæ inquirendo perueſtigare poterat, ſuis ſubinde indicabat: ſimulq;, quæ è diuerſis locis ad ſe deferebantur, diligenter tranſcribebat. Mandat ſocijs, ut præter equeſtres pedeſtresq; copias conquiſitas ob belli futuri ſuſpicionem, nouæ aliæ in euentum rei conſcriberentur. Cæterùm cùm è copijs Hiſpanorum in Germaniam deſcendentium, & Italico delectu uerum eſſe Germanici belli rumorem coargueretur, legati ciuitatum extemplò ad Cæſarem, adſcito Ioanne Brandeburgenſi, Henricij Brunſuicenſis genero, contendunt. Cum his ſe coniunxerant Colonienſes, Palatinicq; legati. Admiſsis ad Cæſarem, dicendi facta fuit poteſtas. Cauſam legationis exponunt. Cùm enim omnia armorum terrore per Germaniam quatiantur, num ipſius imperio id fieret, rogant. Nam ex quo proximis comitijs diſceſſum eſſet, multis in locis copiæ, ſed ſine nomine, conſcribi cœpere. Fama quoq; adferri, in Belgis delectum haberi: neque compertum adhuc, aduerſus quos hæc arma comparentur. Proximo conuentu, cùm uaria propoſuiſſet, bellí inferendi nullam ab eo factam mentionem. Sed neq; bellum cuiquam legitimo more indictũ, ne hoſtis ille, quicunq; eſſet, imparatus opprimeretur. Quæres cùm ſubito metu omnium mortalium animos ſuſpenſos habeat, cupere ſcire, in ſẽne, an contra extermum hoſtem tantam belli molem appararet. Et conſtare tamen, pacem cum Gallo, inducias cũ Turca in annum factas. Si in communẽ hoſtẽ bellũ ſuſcipiendũ ſit, armis & opibus ipſum adiuuare uelle. Sin in ſe, obedientes imperata omnes uelle facere. Sæpe in dubijs rebus Cęſarẽ ipſorũ fidẽ exploraſſe: cuius damnũ, quàm aliarum rerũ, grauius Germania duceret: Tũ Cæſar: Neceſsitas me, inquit, ad arma, & ea quidẽ iuſta induenda urget: cuius quãta uis ſit, neminẽ fugere arbitror. Sed id non quæritur: at, quib. bellũ faciam. Rebellioni quorundam, qui turbarum & diſsidiorum inter Ordines ducęs ſunt, mihi occurrendum eſt. Qua charitate iam inde à ſuſcepto Imperio in Germaniam fuerim, & qua beneuolentia Ordines complexus ſim, tenetis omnes. Et nunc ut mihi eadem eſt uoluntas, idemq; animus in eos qui obedientes pacis ſunt, & tranquillitatis amatores: ita acerbè odi quietis graues perturbatores. Proinde ſi ferro eos uindicem, qui turbis omnia permiſcent: quis durius id, quàm pro ipſorum meritis, ſtatutum eſſe, indignari, conqueriúe poſsit? Vt rectè factum contrà omnes ſunt dicturi, quòd ſumma beneuolentia eos in poſterum demerebor, qui mihi ferent opem. Reſponſo legati hoc accepto, diſceſſere. Omnia lentius Bauarorum Dux, quibus ad bellum opus erat, apparabat: menſisq; fermè exemptus fuit cunctatione Ferdinandi Regis, cũ quo conſilia in perplexa re agitanda erant. Adferebant & alia quædam, quæ parui uulgò habentur, grauia incommoda: futilitas eorum quibus arcana conſilia credita erant, rumores uani ultro citroq; iactati. Cæſar quò terrorem aliquantũ per Germaniam mitigaret, literas ad Vlmenſes, Auguſtanos, Argentoratenſes &

Norinbergenſes dat,in hanc ſententiam:Scire illos, quàm charam ſemper habuerit Germaniam:& ob id,cum magnis regnorum ſuorum oneribus, ingentes ſumptus feciſſe: maximè ut religionis diſſidio compoſito, firma pace omnes fruerentur. Tot decreta teſtari id:licet eſſent,qui diuerſum ſpargerent.In ſua gubernatione id unum ſemper ſe ſpectaſſe,ut ciuitates togatæ opibus florerent quàm maximè, ne quorundam artibus per captatam occaſionem ipſorum libertas opprimeretur,& uectigales ſtipendiariíq; fierent ipſi cuiuſmodi multorum incommodo,adeoq; ſuo ſæpe tentata fuiſſent. Tuliſſe ſe quidem ea hactenus,qua eſſet lenitate,quòd ſine magnis motibus prohiberi non potuerint:tum autem ea ſpe,ut aliquod emolumentum ſuæ clementiæ,reipub. utile conſequeretur. Futurum id certè fuiſſe, niſi quidam conciliationi ſingulari arte ſubinde interceſsiſſent. Prætexuiſſe eos pietatem,ſed eo fuco ad Ordines reliquos opprimendos graſſatos fuiſſe:eorumq; bona ut diriperent,ceu prædam expoſitam. Eò rerum redactum ab his eſſe,ut legibus obliteratis,& iudicijs ſublatis,nihil metuerent. Adde,Imperatoriam etiam maieſtatem imminuere auſos:idq; ſpe redigendi ciuitates ſub ſuam poteſtatem,ſiue ui,ſiue inſidijs. Iſta coarguere eorum dicta,quæ indies nunciarentur. Parum iſta,niſi inſuper minarentur arma. Nemini non id notum,uel ex infamibus tabulis,alijſq; ſcriptis famoſis,ſparſis ad motus ciendos. Proinde cum nulla ſpes ſuperſit, ut clementia uincantur,aut certè poſita obſtinatia meliores reddantur:ſe maturitatem expectaſſe remedium adhibendi,priuſquam ſua tyrannide Germaniam in poteſtatem redigant,& libertate cœptis artibus exuant. Authores turbarum ad officium reducere ſtatutum eſſe:ut imminens periculum ab ipſorum ceruicibus prohibeatur:ius, & leges, & iudicia in integrum reſtitui,& in priſtinam ſedem reuocari poſsint. Atque iſta quidem ſe ob id illis ſignificare:ut cùm rumores aliquos ſeri audirent de conſilij ſui ratione,ijs fidem non haberent. Nec aliud ſe ſpectare, teſtibus ſuperis:quare confidere, eorum operam ſibi non negatum iri: quòd eorum iam tot annis,prauis conſilijs confirmata audacia, aliquando retundenda ſit,& ciuitatum priſtina dignitas ac gloria recuperanda. Beneuolentiam uiciſsim omnem à ſe in poſterùm ijs promittere,& maiora ſe præſtaturum ipſis,ſi ſuas partes nunc,cùm fortuna ita oblata ſit,ut amici tuerentur:amplius ſe expoſiturum,ſi legationes ſuas ad ſe mitterent. In eandē ſententiam ad Ducem Vuirtembergenſem ſunt literæ datæ. Erant per eos dies adhuc ciuitatum quas memorauí legati in comitijs, quos Granuellanus & Nauius iuſſu Cæſaris alios poſt alios ſegregatim accitos eadem docent,ne rumoribus ſuſcipiendi belli perterrefacti arma aduerſus ſuas ciuitates à Cęſare comparari exiſtimarent:ſed contra rebellantes ſemper Imperio,pacis ac concordiæ turbatores,maieſtatis etiam reos direptores alienarum opum, quiq; oblata leuiter occaſione ne ciuitatibus quidem parſuri eſſent. In fide & amicitia Cæſaris permanerent;nec amicitiam,nec ſocietatem cum hoſtibus ſuis coniungerent,nec auxilia mitterent,ne indignationis materiam in ſe præberent:pro merito cuiq; erga Cæſarem poſtea fortunam fore. Hæc ad ſuos quàm primùm perſcriberent maturè,monerentq;, ut obedientes officium faciant,ne præcipitati raptim conſilij,quod neq; reuocari, neq; in integrum poſtea reſtitui poſſet, aliquando eos pœniteret. Argentoratenſes acceptis recitatisq; in ſenatu literis,in hanc fermè ſententiam Cæſari per literas reſpondere, Vehementer gratum ſenatui,populoq̃ Argentoratenſi eſſe,eum animum ſemper erga Germaniam geſsiſſe:& precari, ut ea uoluntas ſit perpetua, néue ad bellum ciuile cuiuſquam claſsico ſe incitari committat. Illud autem non ſine animorum omnium ægritudine lectum,eſſe in Germania, qui neq; obedientiam præſtent, neq; officium faciant: quod ut uerum fuerit, ſperare tamen,è ſuæ religionis hominibus nullum eſſe

tam

malè feriatum, in quem crimen illud inciderit. Per ipsos nunquam stetisse, quo minus negotium religionis fuisset conciliatum, id quod prolixis rationibus, simul tot decretis factis docuerunt, & culpam dissidij in Pontificios transtulerunt. Quotidie supplicationes fieri in ipsorum templis, & preces ad Deum fundi pro concordia. Perstrinxerunt inde aduersariorum in Ratisbonensi conuentu, iniquitatem, qui cùm nullam actionem admitterent, ad concilium totam disputationem constanter reiecissent. Neq; potuisse se Pontifici eam causam permittere. Iniuriam ipsis fieri, quòd culpa non positi dissidij in ipsos uertatur. Deinde, quamobrem facultates Ecclesiasticorũ quorundam in alios usus conuertissent, ipsum Cæsarem, ex multorum annorum actionibus satis demonstratum nouisse. Vt iam essent huius religionis aliqui, qui fortasse non sint, qui bona ecclesiastica occupata haud perinde sanctè, ac deberent, & utiliter dispensarent: sed id cum ijs quæ tot seculis ab alijs admissa fuissent, componendum nusquam esse. Proinde remedio opus esse, ut iuxta sacras literas, & decreta Ecclesiæ piè distribuerentur. Deinde ipsum Cæsarem nuper in comitijs Ratisbonensibus & Spiræ, quopacto eæ ipsæ facultates collocandæ essent pacis seruandæ causa decreuisse. Si sint qui decreto non paruerint, sistendos esse. Cæsarem emendationem iudicij Imper. promisisse, ut ab Ordinibus postulatum fuisset: sed promissa nulla apparuisse. In conuentu Vuormacienſi formulam censoriam eum inuenisse, & inuentam proposuisse, cui lubentes uellent parere: quam quidem aduersarij non recepissent. Si secundum illo decreta iudicium restauraretur, non esse cur quis ad conquerendas ipsorum iniurias, aut rebellionem, ansam capesseret. Se nolle beneuolentia eum prosequi, qui iudicio ad illum modum constituto nollet parere. Quod uerò ad affectationem Imperij, nondum se nouisse in sua religione unum, qui id unquam affectarit: quiue libertatem opprimere suam pararet. Verùm ista à Pontifice, & Pontificis clientibus falsò ubiq; iactari. Cæsarem ipsorum animos & studia in gubernatione togata, & bellis cum exteris hostibus, satis perspexisse. Se optare, ut is qui Cæsarem aduersus ipsos concitaret, eodem semper in eum fuisset, quo ipsi, animo, ac re ipsa declararunt. Super ista, quomodo aduersus eum se gesserint in opprimendis bellis, & seditionibus obruendis, quæ in eius Imperio in Germania orta fuissent, nosse ipsum Cæsarem. At in primis ut locupletiora subsidia contra Turcam & Gallum, quàm aduersarij, sed maximè ad Austriaca regna tutanda, contulerint. Proinde haud habitare se quin si ad defensionem sisterentur, suam innocentiam contra obiecta crimina & sycophantias quorundam facilè tuerentur. Orare se igitur Cæsarem, ut Patriæ Patrem, ut bellum, quod appararet, mitteret: & reos actos, superiorum Imperatorum more, in ius ad cognoscendã causam uocaret. Quod si perficeret Cæsar, tum demum futurũ, ut fidem ipsorum erga se, & illatam illis iniuriam intelligeret. Inde commemorarunt deprecando bellum, magnam omnium rerum caritatem, crudelem hostem Turcam, & beneficia quæ præsentium Ordinũ parentes in eius maiores, quæ in Ferdinandum fratrem contulerint, dum liberalius reliquis, & cumulatius auxilia contra ipsorũ infestissimum hostem indies mittunt. Reputaret apud animum suum Cæsar, miserabilem huius belli faciem, uastitatẽ Germaniæ, calamitatis omne genus plenam, malorum excetram in omnem ætatem sexumq́ue pullulaturam. Ne pateretur, hortatu illorum qui per bellum aduersarij suam potentiam confirmabunt, se huc transuersum rapi, ut exhausta opibus & uiribus fracta Germania, infirmior reddatur, quàm quæ Turcicum impetum & uim sustinere amplius possit. In hanc sententiam Argentoratenses Cæsari ad literas missas, suo in primis & suorum nomine respondérunt. Legatum ad Heluetios quoque misit, qui in eandem sententiam in concilio uerba fecit.

Legatus erat Ioannes Muſchetus, ſuperioris Burgundię Quæſtor. Hic ubi cau
ſas ſuſcepti à Cæſare belli contra ſeditioſos quoſdam commemoraſſet, orauit,
ut (quoniam Cæſar uim armis à capite ſuo prohibere cogebatur) ne diuerſa ſi-
bi ab aduerſarijs, à quibus in illum multa acerbè iacerẽtur, perſuaderi ſinerent:
neu lenocinijs uerborum illi inducti, quicquã incœptent: neq; in Heluetia qua
eos moliri patiantur, quibus Cæſaris conſilia uel prępediri, uel ſegnius promo
ueri poſſent. Nam hoc bellum huc ſuſceptum, ut ad Germaniæ ſalutem, haud
leue momentum eſſet allaturum. Proinde ad hoc incumberent, ut in amicitia
& fide ueteri, è fœderis inter ipſos iure conſtantes manerẽt. Vicißim nihil ſe in
eos moturum: nec commiſſurum, ut ſui quid moliantur: ſed fidem & amicitia
am declaraturum. Nec ſe pacem ullam cum quoquam facturũ, in qua ipſi non
continerentur. Ciuitates, & Vuirtenbergenſis Dux, Cæſaris conſilio cognito,
cætera diligenter per exploratores inquirũt. Germani enim milites ſegnius ad
ſigna aderant: tardius Hiſpani conueniebant: in Italia delectus militum, quos
Pontifex miſſurus erat, lentius habebatur. Primi Auguſtani ad Kalend. Iunias,
quatuor millia armatorũ conſcribũt, totidemq; Vlmenſes: nihil tam inimicum
bello, quàm tarditatẽ eſſe, rati. Hi, & Vuirtembergenſis, literis ad Saxonẽ Ele-
ctorem & Heſſum, duces belli lectos, datis, ut in armis ſint, monent: ut Cæſaris
conquiſitæ copiæ lentius conueniunt, ipſi quantũ cohortium cõſcripſerint pri
mi in armis, certiores faciunt. Sed Auguſtani ut ſuſpicionẽ patrandi belli auer-
terent, has copias à ſe conſcriptas dictabant, ut præſidio urbi impoſitæ, contra
omnem uim muros & portas tutarentur. Veriſimile id reddebant, quòd omni
bus mortalibus patefactis portis, neminem urbe excluderẽt, Cęſariani in urbẽ
ultro citroq; ad arma & tela paranda, uel cibaria & poculenta mercanda, com-
meare, aut ad magnificentiam & ſplendorem urbis uiſendã confluere. Ad eas
cohortes fama erat, duo Heluetiorum millia acceſsiſſe. Erat Cæſar Ratisbonę
duodecim milliaribus ab Auguſta. Vuirtembergenſis, & ciuitates Sueuię, bifa
riam copias ſuas partiebantur: uiginti quatuor peditum ſigna, cum pleraq; no-
bilitate, ſub auſpicijs Vdalrici Ducis erant: alterum agmẽ ſtipendijs ciuitatum
inauthoratum fuerat. Poſtquàm omnes hæ copiæ Vlmã peruenerunt, una no-
cte quieti conceſſa, poſtridie Gunſpergũ proficiſcuntur. Ibi bipartitò in concio-
nes aduocati milites, ſacramento inauthorantur. Duces cohortibus præfecti
fuerant, Sebaſtianus Schertelus, Ioãnes Heddecus, Balthaſar Gultlingus, Se-
baſtianus Baſſererus, Matthæus Langemantelus, Ioannes Harderus, Iodocus
Roſebergus. Copiæ ciuitatib. inauthoratæ Schertelo iurant, illius imperio obe
dientes fore, dum Saxo & Heſſus exercitus imperatores in caſtra conuenirent.
Eidem ſacramento illigantur deinde Vuirtenbergenſes milites. His dux datus
fuit Heddecus. Balthaſar Gultlingus, uir in primis eloquẽs & nobilis, & Ducis
Vuirtembergenſis à conſilijs, militibus Principis ſui in concionẽ conuocatis,
in hunc modum uerba feciſſe dicitur. Pontifex Ro. milites, nouum incendium
in rebus pacatis nobis excitare conatur, quo Germaniam, patriam cõmunem,
quæ nos genuit, & à primis uitæ rudimentis ubere ſuo aluit, mox ardeat, & à
fundamentis excindatur. Crudele odium eum huc urget, quò uos & ueſtrã re-
ligionem perditum eat: ſimul ut remetiatur cladem, quam ante aliquot annos
Duce Borbonio accepit, cùm Roma uirtute Germanorum maximè capta, ca-
pto Pontifice, atq; in Hiſpaniam miſſo, diriperetur. Eam ob cauſam Carolum
Cæſarem aduerſus nos, ut Principibus & Ordinibus Imperij confœderatis bel-
lum faciat, identidem obtundendo incitauit: ratus hac uia futurum, ut ad ipſi-
us religionẽ ui uolentes nolentes attrahamur. Inſuper is nunciatur equitũ pe-
peditumq; haud ſpernendas copias in Italia conſcribere, quas Cęſari auxilio in
Germaniam mittat. Nec fama de Hiſpanorũ aduentu omnino uana eſt. Quan
tum

tũm calamitatis, milites, quantum miseriarum ab externo milite, & uastitatis patriæ immineat, omnes, opinor, præuidetis. Cũm igit̃ ista Principes & Ordines Imperij reputent, suum esse ducunt, non tantum uim & impetus hostiũ à popularibus suis armis prohibere: sed etiam cauere, ne externa, ne uetus religio uobis obtrudatur, uos mactè uirtute este. Itaq; stat bellum hoc inopinatũ, ac præter spem nobis motum, Deo auspice armis uindicare. Quare cùm scirẽt animos uestros ad huius militiæ aleam promptos, suis stipendijs, qua id fieri potuit celeritate inauthorarunt, ne imparati opprimerentur. Iam quoniam fœderis duces adhuc desiderantur, quos breui in castra adfuturos compertũ habeo: quo interea in castris cuncta ordine ac rectè gerantur, & fenestra hostibus contra uim præcludatur, Princeps Vdalrichus uobis uirum fortem, & cui ad summam nobilitatem nulla authoritas deest, præfecit: cui, ut sibi, uos obedire per omnia in disciplina militari iusit, & egregium illud nomen tueri, quod maiores nostri sua uirtute, uarijs bellis cũ exteris gentibus, multo sanguine nobis pepererunt. Neq; uerò satis est, commilitones, ab ea gloria non solum non degenerare: uerum etiam, ut uestra præclara facinora ad posteros propagata, illis stimulum & calcar ad uirtutem militarem addat. Cætera Deo curæ erunt, qui ei uictoriam secundum fas iusq; dabit, qui pia ac iusta arma sumpserit. Sic Balthasar Gulthingus. Interea Cæsar, ne hostium celeritate occupatus cingeret̃, cohortes, quas tota Germania, diuersis locis, sub quatuor maximè ducibus habebat, conuocari iussit. Duces erãt, Hilprandus Madrucius, Cardinalis Tridentini germanus: Georgius Regensburgius: Schamburgius, qui Burano transito Rheno postea se coniunxit: & Marignanus. Ab his quaterna peditum millia conscripta fuerant. Decem cohortes nothus Bauarus collegerat. Duo millia Hispanorum, & octingentos paucis pòst diebus Aluatus à Sanda adduxit. Gallia cisalpina tria millia armauerat, quibus præerat Arzius. Conquirebat interim, ut mandatum fuerat, Maximilianus Buranus, uir militaris, quanta poterat celeritate, è Batauis, Sicambris, Menapijs, Iuliacẽsibus & Belgis, equitũ peditumq; imperatas copias, & aliquantam leuis armaturæ equitum manum, quos ab atro armorum colore Atratos uulgò appellãt. Decreuerat Cæsar non prius cum hoste dimicare, quàm cũ suis Buranus adesset. Datum fuerat negocium Electori, ad comparanda duo millia equitum & quingentos: Alberto Marchioni, sexcentos equites: Crucigerorum Magistro, mille: Maximiliano Hungaro, mille: Erico Brunsuicensi, quingentos. Confœderati hoc armorum terrore nihil perturbati, literis ad Venetos datis, conquerũtur pontificis iniurias, orantq́ue ut eius copias transitũ per suos fines prohiberent. Ad hæc monent, ut superiorum temporum recordatio subiret: si uires ille suas confirmaret, quantum mali ipsis & alijs Italiæ populis expectandum esset. Præterea pleramque Germaniæ nobilitatem monent, ne militem castra sua petentem ad merendum, transitu intercluderent. Tirolensibus & Rhœteis ad Italicarum cohortium aduentum trepidantibus, animos addere per literas conantur, ut illis transitum negent: ad quod etiam subsidia pollicentur. Petentibus à Norimbergensibus auxilia ad bellum, responsum fuit, suas uires atque opes propijs agris tuendis uix sufficere. Mandatur interim Schertelo, ut cum ijs quas habebat cohortibus, ad radices Alpium confluentes copias disturbaret: simul mittuntur centuriones in Heluetiorũ agrũ, ad cõquisitionẽ militũ. Agebat̃ anni tẽpus, q̃ segetes maturescerẽt, cũ legatus Tridẽtinus Ro. missus, auxiliorũ causa fœdus inẽ Cæs. & Pont. sanciret. Fœderis forma hæc erat: Cõciliũ Tridẽtinũ indictũ fuisse, ut errores iã multos ãos in Germania exorti, & indies pserpẽtes, opprimerent̃: & q illud à cõfœderatis repudiaret̃. Quamobrẽ p. reipub. Christ. & Germanorũ salute, societa-

ſocietatem Pontificem & Cæſarem ita coniunxiſſe,ut Cæſar primo quoq; tẽpore contracto exercitu, paratisq; omnibus ad bellum neceſſarijs, arma aduerſus eos indueret,qui obſtinantes animis concilium non agnoſcerent:acui eos ad ueterem religionem,quando aliter rẽuocari non poſſent,cogeret. Sed omnia prius periclitaretẽ,num obedientes Pontificem Ro. uellent agnoſcere. Nullam pacem cum ea gente eccleſiæ Rom. inutilem, uel aduerſam faceret. Pontificem præter centum aureorum millia, totidem apud Venetos depoſiturum:eaq; pecunia in nullum alium,quàm uſum belli uerteretur. Hac duodecim peditum Italicorum millia alerentur, & quingenti leuis armaturæ equites per menſes ſex.Si interea bellum conficeretur, Cæſaris id commodo futurum. Fuit ad hæc in fœdere expreſſum, Pontificem Cæſari permittere,ut dimidium prouentuum eccleſiaſticorum in hoc bellum per Hiſpanias conuertat:ac tantum agrorum religionis diuendat, unde quingenta aureorum millia redigantur:& quidem in uſum neceſſarium huius belli, ea lege, ut Cæſar de ſuo pro totidem millibus uiciſsim oppignoret. Qui alterutri reſiſteret, in hunc utercq; conſociatis armis,totis uiribus incumberet. In hoc fœdus ſe natus Cardinalium diſcederet. Dum iſta Romæ perficiuntur, interea Cæſar quantum frumenti in agris circa Ratisbonam erat, ne equitum peditumq; licentia corrumperetur, in urbem conuehi iuſsit, & in uſum neceſſarium condi:tum autem,ne ſi bellum traheretur, aut annus inſequens cœli aliquo uitio ſterilior eſſet,rei frumentariæ inopia laboraret exercitus. Conducti fabrili bus globi ferrei,puluisq; tormentarius conderentur, incumberent. Ad hæc gnarij,qui quatuordecim continuos dies uaſis oblongis conficiendis, in quinuſitata ſpecie inſtrumenta bellica apparantur. Ad nouem millia ſaccorum, qui frumento quod in uſum militi ſatis eſſet,onuſti, cum trecentis piſtoribus caſtra ſequerentur.Sed in contrahenda ex agris ruſticorum quater milliũ multitudine,quorum opera cum inſtrumentis foſſorijs uteretur Cæſar, nonnihil laboratum fuit. Norimbergenſes in hoc belli apparatu,quoniam in fœdere non erant,ut Cæſari beneuolentiam ſuam probarent,ad arma telaq;, & bellica inſtrumenta comparanda,patentibus ſemper portis eum inuitarunt. Cogebat interim Pontifex copias, ut dictum eſt, in Italia,quas Cæſari erat ſtatuto tempore tranſmiſſurus:cùm literas ille ad Heluetios daret, quibus fanatiſmũ quorundam,qui à religione Romana defeciſſent,conqueſtus fuit. Laudare ſe in Heluetijs adhuc quoſdam eſſe,qui ueterem religionem pertinaces uindicarent:quorum exemplo alios ad ſanam mentem reuerſuros aliquando,bonam expectationem eſſe.Ex eo religionis diſsidio quàm graues motus exorti fuiſſent,ipſos ſcire:& ſe ad eos componendos ab initio ſtatim pontificatu nullum non remedium quæſiuiſſe.Tandem ad extremam ancoram confugiſſe: Tridentum indixiſſe concilium,quò ſine periculo uenire liceret, ut ibi ſuam doctrinã, ąad poſſent,tuerentẽ.Exiſtimaſſe,neminem eſſe tam improbum, nefarium & barbarum,qui ſenatum illum ampliſsimum Epiſcoporum, quem Imperatores & Reges reuererentur, ut ſpiritu diuino afflatum, impiè luderet,eiusq́ue authoritati non parêret,& fanatica doctrina poſita, illius iudicio non acquieſceret. Sed hanc ſe de Heluetijs exiſtimationem cepiſſe, ut hi qui in fide permanſiſſent,concilij authoritatem ſequerentur. Reliquos uerò, qui ſpecioſis aliorum rebellantium illecebris creduli nimium in errorem pellecti fuiſſent,monere,ut in concilium prodeant.Super hæc, ægerrimè ſe habere, in Germania Principes eſſe,qui concilium ſuperbè repudiarent, ac tantum non conuicijs inſectarentur,negarentq; eius decretis obedientes ſe futuros.Quãobrem armis uelle eos,quoniam aliter fieri non poſſet,breui experiri. Ac forte ita accidiſſe,ut Cæſar idem cogitaret:ſtatueretq;, expectata temporis maturitate,

tate, armis religionē defendere. Se ꝓpterea eius uoluntatē piā & iustā, ꝓ opib. ecclesiæ Ro. adiuuare statuisse. Sin ille secus ageret, iacturā tot mortali, ꝑfidia hæreticorū indies pereūtiū, Deū ab eo exacturū. Heluet. multa memorabilia et laudata facinora extare: sed nullū laudatius fore, quàm si societatē & amicitiam secum colere pergant: ut id facerent, se obtestari. Super has literas Pontificis, legati Fœderis uenere ad Heluetios. Hi postulabant, ne externo militi iter per fines suos aperirent. Ad se uerò, & sua castra transire uolentibus, potestatem permitterent, cùm necessitas postularet. Inter hæc principia belli, Vuolfebutelum arx à Brunsuicensibus & alijs ciuitatibus, à quibus tenebatur, deductis præsidijs, solo æquata fuit. Palatinus hunc tantum belli apparatum à Cæsare fieri miratus, eum per Vuolffium Abstemium interrogat, in quos id pararetur. & quæ esset eius causa. Si quid ipse posset, uelle reconciliationi incumbere, Cæsar ei per Granuellanum & Nauium responderi iussit, quæ suprà à nobis ab eo prætexta fuisse memorata sunt. Rebelles Imperio, & motuum authores nulla alia uia ad officium trahi posse, armis compellendos eos esse. Palatinus re deprehensa, extemplò Hessum, Saxonem, & Vuirtembergensem certiores facit: simulq́ꝫ, quantum uastitatis ab externo milite Germaniæ instaret. Quamobrem potius quàm ut in apertum res Martem erumperet, si non in totum parêrent, aliquid donarent, mònet. Nec dubiam habere spem, quin si in parte Cęsari morigerentur, non parùm ad reconciliationem profuturum. Cæsarem placabilem esse, & quantum intellexisset, si ignosci sibi peterent, quod admissum esset, eum placatum, quicquid esset offensionis depositurum. Super hæc, si quid ab alijs insuper peccatum esset, id clementer corrigeretur. Si quid per iniuriam alijs esset ademptum, id Cæsari, uel æquis uiris disceptandum permitteretur. Saxo his acceptis, & ipse ingentes copias contrahit, easq́ꝫ cum aliorum copijs coniūgit: hortaturque ad perseuerandum in fœdere semel icto, ac subinde postea renouato. Conueniunt et ipsi celeriter, ac re in deliberationem proposita, literas ad Cæsarem dant Saxo & Hessus. Earum hic erat tenor. E' nostris lagatis Ratisbona domum reuersis, Cæsar clementissime, cognouimus, te bellum nobis, & fœderis socijs magno apparatu facere: cùm ab ipsis rogatus esses, id ut operam dares, ne quid detrimenti Germania acciperet. Tum ita abs te responsum fuit, ut inde nihil suscipionis subesset, nos bello abs te peti: q̃d ad ea comitia legatos misimus, quibus permisimus deliberationem earum rerum quas proponeres, maturā. Cōsilium suum liberè, non aduertentes ne tātulum quidem in te offensionis, aperuerunt. Vnum hoc de rebus futuris addebas, uelle te rempub: constituere: eosq́ꝫ, qui imperio non parêrent ut æquum iusq́ꝫ esset, multare. Quis interim nostrùm cogitasset, te bellum in nos moliri, priusquam imperata proposuisses? Postquā uerò ex aliorum Principum literis, præcipuè ex Granuellani & Nauij responso certiores facti sumus, rebelles te multare uelle, rumor inualuit, nos bello abs te peti. Quam rem, quàm acerbè tulerimus, superi norūt. Quare his literis apud te nos expurgare placuit. Id uerò ne ipse quidem inficiaberis, nos & fœderis socios onera tulisse Imperij, immunibus alijs, quæ imponi potuerint. Auxilia, proximo conuentu Spirensi postulata libentes misimus, plusq́ꝫ adeò quā impositū erat cōtulimus, ne q̃d fraudi ab inimicis nobis uerteretur. Cū igit̃ post ista amplissima in te merita nos rebellionis rei agimur, profectò non solum dolet, uerumetiam triste est & acerbum auditu. Illud autem ius ratūq́ꝫ potius fuisset, prius nos accusatos, ad causā dicēdā admitti: quā hoc pacto, bello nondū indicto peti, atq́ꝫ ita apud omnes mortales immeritò traduci. Hac ratione & nostram innocentiam tueri, & sycophantias inimicorū, qui te in nos concitarunt, refutare licuisset. Ipse Cæsar nosti, quā benignè & amicè

nobiscum

nobiſcum ante quintum annũm, & nuper Spiræ egeris: ut non eſſet, cur quis nobis uel obſtinatiam, uel ullum crimen obiiceret. Omittimus, nos tibi peten ti agrum Brunſuicenſem lubentes ſequeſtro permiſiſſe. Et ob iſta nos in peri culum omnium bonorum incidimus. Iam illud te non fugit, Francfurti Cæſa rem te factum, nihil niſi è conſuetudine & legibus Imperij incœptaturum, reli gioſè iuraſſe. Superis igitur hoc relinquimus, quod indicta cauſa bellũ nobis facias: ac de quibus criminibus nos traducis, edito ſcripto publicè reſponde bimus, ut qua iniuria opprimimur, omnes mortales intelligant, teq; Ro. Pon tificis claſsico, ob Tridentinum à nobis reiectum concilium, ad iuſcipienda in nos arma excitatum.

Cæſar lectis his confœderatorum literis, ad Archiepiſcopum Colonienſem quoq; ſcribit: cui, reddita eadem belli cauſa, imperat, ut edicto promulgato ca ueat, ne quis in ditione Colonienſi, niſi ſub ſe ſtipendium faciat miles: eosq; qui in hoſtium caſtra iam tranſiſſent, publicè graui propoſita mulcta, domum reuocet. Facit Archiepiſcopus mandatum illicò, & promulgat edictum. Saxo & Heſſus ſcripto emiſſo paucis pòſt diebũs in hanc fermè ſententiam, con tra ſparſam à Cæſare famam, quam ob cauſam ad arma concitatus fuiſſet, lucu lenter ſe expurgarunt. Cæſarem propter negocium religionis bellum moue re, ut fœdus diſturbet, & quidem falſa ſpecie rebellionis adumbrata, ac poſtea alios poſt alios deleat. Quæ uerbis Ferdinandi, Granuellani, Nauij, & aliorũ priuatis colloquijs Ratiſbonæ temerè effuſis, confirmarunt. Belli cauſam nul lam aliam fuiſſe, quàm quod concordes concilium Tridentinum recuſaſſent. Cæſarem Rauesburgenſibus nuper miſſo cum literis nuncio, niſi ab inſtituta religione deſciſcerent, uaſtationem agri & urbis excidium denunciaſſe. Pon tificem ob eandem religionem Archiepiſcopo Colonienſi epiſcopen abrogaſ ſe. Atq; hæc eadem cùm Cæſar minetur, ſatis cauſam belli apparere. Iam rumo ribus iactari, Cardinalem Auguſtanum, choragum huius tragediæ, huc incũ bere, ut illi ſucceſſor in Archiepiſcopen detur: ſimulq; occultè agitari, ut per mi litem tota Germania diſtributum decreta concilij de religione Cæſar exequa tur. Accipere præterea, Toletanum, & plerosq; Hiſpaniarum purpuratos huc grandem uim pecuniarum conferre: quòd haudquaquam eſſet futurum, ſi bel li cauſa actio ciuilis foret. Cæſarem palàm olim Auguſtæ dixiſſe, hanc doctri nam atq; hæreſim ſe ferre non poſſe: & ad eam delẽdam, animisq; omniũ mor talium eximendam, non ſolum opes cum ſuis, ſed uires etiam cum uita & ſan guine ſe aliquando impenſurum. Si uicti armis ipſi nunc exuantur, tum demũ palàm fore, utrum religioni eſſent parſuri, ac monaſticum ordinem, uiolatis ſu is uxoribus, trucidatisq; liberis, ac miniſtris, religionis ſuæ occiſis, in integrũ ef ſent reſtituturi. Cætera huius apologetici ſcripti, uel quia prolixiora ſunt quã ut perſequi libeat, uel quòd ab aliis perſcripta ſint, ſtudiò prætermitto. Mittun tur ſimul & ad Ioannem Brandeburgenſem literæ, ut fœderis icti memor, in ipſos nihil moliatur. Ille, Cæſarem ſequi ſe reſpondit, à quo ſibi religioſe ar ma contra religionem non moueri, cautum eſſet. Fœderi Smalcaldico ſe il ligatum quidem, uerùm Auguſtanæ confeſsionis eſſe. In priuato uerò fœ dere, Cæſarem exceptum fuiſſe. Hinc liquidò conſtare, nihil à ſe contra fidem & fœderis leges perpetrari. Contrà illi ſcripto emiſſo refutare, quod de Augu ſtana confeſsione is adduxerat: adferre ipſius in medium literas, quibus i pſum ad auxilia ferenda ſibi ac ſuis deuinctũ cõuicêre. Hinc per literas cẽturio nes ac tribunos monent, ne homini perfido in hoc bellum ſuã operã præſtẽt. Collegerat iam Heſſus omnes ſuas copias, quas priuſq; in Cæſ. duceret, Guili elmũ maximũ natu filiũ, nondũ decimũ ſextum ætatis annũ egreſſum, Argen toratum, tutam ac egregiè munitam urbem, abs ſe ablegauit. Henricus Brun ſuicenſis,

ſuicenſis,quem Lantgrauius in cuſtodiam condiderat, abiturum ad bellũ ad ſe uocari iuſsit,uelle illi detegere occulta Cæſaris conſilia,& quando per quos homines conſuta fuiſſent,ad faciendum bellum. Sed ille fraudem ſubeſſe ratus,uel ad leniendum ferocem animum,& offenſam:uel ut expeditionem moraretur,uel ut tali beneficio in pacatum dimitteretur, eius colloquium recuſauit,hoſtium infida eſſe conſilia reputans. Nondum Cæſarianæ cohortes conuenerant,nondum Madrucius aderat,nec Georgius à Regensburgo:Hiſpani & Huſſari,per longas uiarum ambages ſparſi,ab hoſtibus mediis interclusi impediebantur. Auguſtani,Vlmenſes, & Vuirtenbergenſes, accepto Pontificiarum copiarum aduentu (ne ſedentes debellarentur, tum ut tranſitu in Germaniam eas prohiberent) octo & uiginti æneis machinis inſtructi ad Fieſſam (oppidum id ditionis epiſcopi Auguſtani eſt ad, Læchum amnem) caſtra ponunt,contra caſtra Marquani & Madrucij. Hi uiribus ſuis diffiſi, quòd hoſtibus neque equitum neque peditum numero dimidia parte pares eſſent,retrò Tirolam conceſſerunt. Capta per deditionem Fieſſa, ac ualido præſidio impoſito munita,ad Alpium fauces ad Cluſam occupandam cõtendit Schertelus,iuſſu legatorum Fœderis, qui paulo antè Vlmam uenerãt. Ex Italia petentibus Germaniam iter eſt per Tridentum,Oenopontem.Hinc duobus itineribus in Bauariam peruijs deſcenditur:aut ſecundo Oeno amne per oppidum Copſtænum,quod Schertelus tenebat, niſi quis læuorſum iter per Alpes medias auertere malit.In extrema ora Alpium, quâ ad earum radices decurritur,arx Erebergum loco & excelſo & præcipiti occurrit. Has angustias qui occupat,parua manu ingentes copias deſcenſu prohibere poteſt. Præſidia Cluſina hoſtium inopinato aduentu perculſa,trepidè arcem pro tempore, ac raptim uallo cingunt.Sed quoniam in recenti opere nihil firmi ualidiq; moliri poterant,quin leui momento machinis diſijceretur:& longam obſidionem poſſe ſuſtinere diffidebant:deditione facta,in poteſtatem uenerunt. Per eos dies duo Hiſpanorum millia,cum aliquot leuis armaturæ Hungaris, qui à pace Sueſsionenſi ex hybernis,è Lotharingia in Pannoniam trãſierant, per longinquos itinerum circuitus,Ingolſtadium peruenerunt. Summæ rerũ præfectus fuit à Cæſare Dux Albanus.Is cũ his copijs,& alijs cohortibus,quę ad Ratisbonam in caſtris erant, Tirolam ducit,& cum Madrucianis,Marignanicq; copijs ſe coniungit,ut Cluſam amiſſam reciperet.Sed loci natura perſpecta,in apertum diſcrimen ſuos adducere nõ auſus fuit. Cæſar ſeruarat Ratisbonæ ad corporis cuſtodiam partem peditatus Madruciani,ad quem & ipſe Madrucius hoſtium inſidias ueritus ſe recepit.Erat Georgius à Regẽsburgo tum circa Vlmam,is ne temerè cunctando & ipſe circumueniretur, cũ ſuis copijs Ratisbonã quoq; contendit.Superuenerunt his ijſdem diebus è Neapoli mille quinquaginta Itali,& nouem millia Hiſpanorum.Per eoſdẽ dies Cæſar è Ratisbona pulueris tormentarij magnum numerum,& commeatus Ingolſtadium præmiſit:ubi exercitum,ſimulatq; omnes undiq; copiæ conueniſſent,recenſere ſtatuit. Diſtat Ingolſtadium à Ratisbona nouem millia interuallo, ut dictum eſt.Ad hos acceſsit Albertus Marchio cũ quadringentis equitibus.Capta Cluſa Schertelus ad Oenopontẽ ꝓficiſcit:quã ſi in poteſtatẽ redigere potuiſſet,ualido ꝓſidio impoſito,ꝓ biuiũ illud,per ꝙd in Germaniã ex Italia expeditis iter eſt,trãſitũ claudere potuiſſet. At Ferdinãdus captę Cluſæ nũcio acceptо,per agrũ Tridentinũ et fines Tirolenſes duodecim millia peditum contraxit,quorũ partẽ oppido præſidio impoſuit,partẽ duce Caſtelalto aditus maturè occupare iuſsit.Schertelus ſpe potiũdæ Oenopõtis delapſus, ad Cluſinã arcẽ retro ceſsit.Inde Erebergũ ac Fieſsã,ubi ꝓſidijs ualidioribus muniuiſſet,moram ibi parũ tutam ob diminutas copias arbitratus, cum reliquis cohortibus

ad

ad exercitum, qui ſtatiua circa Danubium habebat, redijt, direptis paſsim in itinere cœnobijs obuijs. Schertelo ex Alpibus digreſſo, Hiſpani Copſtænum cum inſigni clade oppidanorum recipiunt. Heddecus, qui Vuirtenbergenſibus copijs præerat, Dillingam oppidum & arcem, ditionis epiſcopi Auguſtani, deditione capit. Hoc terrore perturbatus epiſcopus Eiſtetenſis, per legatos duces belli orat, ut ſe pacatum relinquant, ſuis parcant: polliceturq; ſimul commeatum, & liberum tranſitum per agros ſuos. Schertelus copias ad Danuuertū ſimul admouet. Oppidani ſuſtinuerūt per aliquot dies, ſed paucos, obſidionem: ſed cùm tardius auxilia adeſſent, pacti ab hoſte deliberandi ſpaciū, occultè de ſubmittendis auxilijs ad Cæſarem mittunt: uelle ſe in illius poteſtatē permittere. Hoſtis animaduerſo, fraude ad cōſultandū pactos dies, oppugnationē parauit: admotisq; ad muros ſcalis, cū ſegnius ab oppidanis defēderētur, inuadunt, Parſum hic ciuibus fuit, direptis cœnobijs. Diſtat à Ratiſbona quatuordecim paſſuum millibus. Ludouicus ab Abila ſcribit, oppidum initio Smalcaldico fœderi illigatum fuiſſe: & Schertelum haudquaquam infeſtè intromiſſum, ſtatuiſſe Saxonem & Heſſum illic operiri, ut ſe cum illis conſiungeret. Oppidum commodum, quò per Danubium & Lycum amnes ſecūdo agmine commeatus deueheretur. Danubius, qui & Iſter, è monte Abnobæ, ſiue Abnobo oritur: ita ſuo exortu propinquus Rheno, qui è Rheticis Alpibus labitur, ut inter huius ripas, et ſuam ſcaturiginem, uix agros duorum milliarium habeat: ac per innumeras gentes immenſo aquarum actu longè in orientem euagatus, & ſexaginta amnibus in ipſo curſu ampliatus, ſex uaſtis flumínibus in Pontum effunditur. Quo in loco primum erumpit, Rhetiæ primæ finem, atq; Germaniæ initium facit. Oſtiorum nomina ſunt ad mare Ponticum, Peuces, Narcuſtoma, Caloſtoma, Pſeudoſtoma, Boreoſtoma, et Spireoſtoma, Lycus uerò amnis, qui Sueuiam à Bauaria diuidit, Auguſtam præterlapſus, quatuor indè milliaribus ad Danouertum Danubio miſcetur. Sex inde à Danouerto ad ortum milliaribus Ingolſtadiū in ripa Danubij ſitum eſt. Scheretelus oppido potitus, caſtra ibi metatur. Saxo interim, & Heſſus, iā tum ſuis, ubi Vuirciburgenſis epiſcopus locupletem commeatum omnium rerum ultrò obtuliſſet, ut agri ſui in pacatis haberentur, ſocia caſtra petiuerunt. Sequebantur ducum caſtra, Electoris Brandeburgenſis & Mauritij legati, ſolicitantes, ut ipſis negocium conciliandi pacem permitteretur. Verùm cùm Saxo & Heſſus id ad ſociorum arbitrium reijcerent, infecta re è caſtris domos diſceſſerunt. E Bohemia aliquanta nobilitatis pars cum equeſtribus auxilijs, & duobus millibus peditum, ad Cæſaris copias tum acceſſerunt. Maturauerant iam ſegetes, quas, priuſquam ab hoſte infeſta populatione diſsiparentur, ſeptimo Kalend. Auguſti Cæſar omnes puellas, fœminasq; innuptas edicto demetere iuſsit Ratisbonæ: his merces diurna perſoluta ab ijs fuit, quorum agri priuati illi erant. Pari cura frumentum molendum, & molitum penes ſodalitium Franciſcanorum condendum curauit, in belli uſum neceſſarium. Et quia uno die q; copioſa annona, ob grandiora rerum precia in caſtra ex urbibus & agris conuehebatur, cariora omnia Ratisbonæ eſſe cœperunt. Piſtores noctibus dies pinſendis panibus nauticis æquarunt: quorum famuli, qui continui labo ris tædio in militiam ab heris fugerant, exauthoritati capitis ſupplicio redire, & operam ſuam locare coacti ſunt. Fabris perpetuus labor in bellicis machinis fabricandis auctus fuit. Dum iſta Ratisbonæ à Cæſare præparantur, Auguſtæ aliquantum turbæ oritur. Erāt ibi quidam inſigniter homines locupletes, (uulgò Germanica lingua Fuccheros uocat) qui paulò antè ad primam belli famam urbe, omnibus rebus collectis, & in quadrigas coniectis, ceſſerāt.

Rumor

Rumor eorum fugam statim sequutus, quia pecuniarum affatim diuites erant, quasi Cæsari, quantum auria, rgenti esset, facti infectiq, mutuò in fœnus tradidissent. Legati, qui tum fortè Vlmæ adhuc hærebant, eam rem indignè, quod hic Cæsaris potentiam confirmassent, non taciti tulere. Mittunt cum literis ad Senatum nuncium, docentq id haudquaquam ferendum his temporibus. Monent iuxtà, ut id deinceps prohibeatur. Responsum inuicem à Senatu: sub initium belli, cùm ne leuis quidem eius adhuc esset suspicio, pecuniam, ne ociosa ac sine fœnore iaceret, datam fuisse. Neminem autem nunc esse, cui id in mentem ueniret. Sin fieret, non impunè eum habiturum, si palàm foret. Diripiuntur per eos dies à Vuirtembergensis cohortibus delubra passim diuorum in agris. Dum Schertelus ad Danouertũ moratur, Saxo & Hessus quarto Kalendas Augusti, ijs copijs, quas ducebant, illi se coniunxerunt. Quorum exercitus accessione militum Germanorũ, qui in Gallia nuper militarant, ducibus Bichlingo Comite, & Georgio Recrodo Lantgrauij cliente, auctus erat. His Cæsar acceptis, Saxonem & Hessum extemplò proscripsit. Proscriptionis forma erat fermè huiusmodi. In exordio altius magnos suos conatus, quos ad Germaniam pacandam ad ea usq tempora hauserat, grauiter narrat. Commemorat indeuaria decreta, quibus, ne cui uis ullo prætextu inferretur, cautum esset: sed ut reaclegibus arbitrandum esse, si quid controuersiæ nasceretur. Sub hæc, quibus de caussis ipsi obnoxij essent, quamq fidem & obedientiam præstare suæ maiestati tenerentur Ordines Imperij. Et cùm his pacis artibus semper quieti incubuisset, Electorem tamen Saxonem, & Philippum Lantgrauium Hassiæ, pro se quemq temerè nunquam non suis conatibus ac decretis obstrepuisse, & rebelles imperium abnuisse. Et istis, inquit, non satfuit se mihi reluctatos fuisse, nisi coniuratione inita reliquos Ordines in rebellionis societatem in me solicitassent. Lantgrauius ante aliquot annos bellum quibusdam summi loci Principibus, quæsita causa facere conatus, in eorum agros populabundus irrupit: & pecuniam, quantam uoluit, expressit. Inde alium quendam à Principibus Imperij bello lacessitum, ambo cõsociatis uiribus, regnoq pulsum, omnibus fortunis exuerunt. Accedit ad hæc, quòd Episcopas, ditionesq quasdam tam religiosi quàm ciuilis iuris, quarum possessores è ueteri consuetudine sunt Imperij, & eius onera cum alijs ex æquo ferunt, & in amplissimo senatu honestum locum simul tenent, inuaserint. Et illos quidem, qui iam toties fidem meam in comitijs implorarunt, ut ab ea tyrannide ipsos liberarem, misera illa seruitute premunt. Nonnullos suis annuis prouentibus per uim priuarunt: alios, ditionis alterius, in suam clientelam attraxerunt. Neque uerò diu est, quòd apud quosdam huius Imperij Ordines institerint, ne uocati ad comitia conuenirent: hoc consilio, ut actionibus intercederent, & in contemptum mei illis stimulos adderent. Eoq ista liberius designant, quo minus summum magistratum fastu tumentes metuunt. Nam quod summum Imperij iudicium sit extinctum, horum culpa id factum est, his debetur. Iusticium perpetuum per hos est, dormiunt leges: iam diu est quod nullum ius sit dictum, non solum cum memorabili multorum mortalium iactura & malo, sed etiam detestabili & turpi exemplo. Palliunt ista speciosa religionis titulo, si superis placet, libertatis & pacis. His uerbis pro pallijs & uelamentis, quibus sua facinora inuoluant, artifices utuntur: cum quiduis potius quàm Germaniæ tranquillitatem, pacem religionis, & libertatẽ Imperij uenentur. Nullo scripturæ testimonio certè demonstrare possunt, ius fasq esse summo magistratui resistere: cùm contrà, ex historiarum monumentis, tũ sacris tũ prophanis, illustria & exẽpla & testimonia reperiantur. Etenim ueteres Christianæ doctrinæ assertores, qui suam professionẽ non inani uerborũ strepitũ, sed factis, sed sanguine cõfirmarunt, ethnicis Imperatoribus

bus obedientes se præstiterunt. Multo ergo minus his concessum est, mihi offi
cium recusare suum, & quidē religionis prætextu. Id autem cùm abnuant, quid
aliud præ se ferunt, quàm quod, ut de Imperij fastigio me deijciant, solum mo
liantur: & ipsi suscipiant sceptrum, quò sacris omnibus ac prophanis comixtis
religionem, leges, iura, & publicam libertatem opprimant: utq; summis hono
ribus cumulatè aucti, amplissimisq; opibus locupletati, omnes sub suam ipso
rum tyrannidem conferta trahant manu. Id non obscurè eorum dicta ferocita
tis & spirituum plena, id libelli tot famosi, id picturæ infames ac detestabiles
nusquam non distractæ ludibrio maiestatis Cęsareæ, & odio in me coarguunt.
Iam non tantum fœdus iniuerunt uarijs conuentibus contra me, uerumetiam
reges per legationes & literas in me irritare conati sunt: eosq; subsidijs occul
tè, ac consilijs adiuuere. Et extant arbitri earum rerum, quas incœptare conati
sunt: qui affirment, Turcam eos in Germaniam euocare studuisse. Quod uel
hinc uerisimile est, quòd ea res ipsorum consilijs uehementer esset opportuna.
Itaq; his rebus, quas memoraui, fidem, qua mihi sunt obnoxij, uiolant, & maie
statem nostram imminuunt, & omnia decreta euertunt: quæ quidem perinde
habent, ac si alijs ius repellendi uim sit ademptū, ipsis uicissim faciendi sit con
cessum. Quare in crimen maiestatis, & pœnā, qua id punitur legibus, lapsi sunt.
Proinde nihil est, quamobrem eorum delicta commemorentur, quòd omnibus
comperta sint. Iam uerò, etsi pro meo iure licuisset antè multo in eos, ut meriti
sunt animaduertere, non modica illis donaui, ad prohibendos motus, & con
seruandam pacem. Et plura etiam nonnunquam tribui, quàm fas æquumq; fu
it, repugnante conscientia: cur factum, quod mea authoritas sic imminuta ui
luerit, & alijs obfuerim. Hoc pacto ante annos quinq; cū Lantgratuio Ratisbo
næ egi, & Spiræ cū Saxone Electore summa clementia multa tractaui, eo con
silio ac spe, quòd hac mea mansuetudine superatos tandem aliquando à prauè
consultis eos discessuros rebar: nec opus fore unquā, acerbius remedium quę
rere. Verùm ubi hac uia nequicquam esset desudatū, & à me prorsus nihil per
ficeretur, sed uerbis in speciem aliquid pollentibus me ludibrio insuper haberi
ac decipi aduerterim, (contempserunt tum mea, tū Imperij decreta, & fœdera
uiolarunt) eosq; adhuc animis obstinare, & imperandi libidine ad alienas opes
diripiendas pertinaciter grassari, neq; legibus coërceri posse, aut uelle: uerum
hūc tantum spectare, ut, ni refrenentur, Imperij statum euertant (non enim tan
tum religio non rectè constituit, sed ne Imperij membra quidē ullo curari reme
dio possunt) contra eos meo iure uti compellor. Quoniam autem ex his abun
dè liquet eos rebellionis conuictos, ut ne ipsi quidem iuerint, si maximè uelint,
inficias: adhæc, ui grassari, neq; legibus, neq; iudicijs uelle teneri ullis, eos ut du
ces rebellionis, maiestatis & perfidiæ reos, simul & ut quietis publicæ perturba
tores, condemno, & proscribo. In hos, ut digni sunt, grauiter animaduertere stat
sententia: quò liberum mihi sit, pro meo arbitrio rempublicam constituere, &
quod mihi incumbit perficere. Proinde, ne quis illis ulla ratione auxilia mittat,
interminor: nèue consilia cum eorum caussis communicanda conferat, iuxtà e
dicto. Qui contrà iuerit, pari lege & fortunis multabitur, & in ultimum huma
norum supplicium trahetur. Tum autem illi, qui eorum iam sunt castra secuti,
primo quoq; tempore ab illis desciscāt: & mihi auxilia suppeditent. Nemo fœ
dere aut pactione ulla illigari se sinat. Ista enim ego rescindo. Quin & eorum
nobilitatem, & populū, ea, qua ipsis tenentur parēre, fide ac iureiurando libe
ro. Qui si paruerint, publicam do fidem. Qui uerò meum imperium abnuerint,
pari cum suis principibus pœna multabuntur. Huius proscriptionis exemplar
in Saxoniam ad nobilitatem, & Saxones missum fuit. Erat interim Cæsar uehe
menter solicitus, quo pacto dispersas copias sine dimicatione Ratisbonā per
hostium

hostium agros reciperet. Per literas alias indies super alias certior erat factus, in itinere quidem esse, sed transitum diuersis locis per obstantia castra impediri. Nondũ ex Austria uastiora tormenta, quæ solicite expectabat, subuecta erant. Raina oppidum ad Lycum amnem est, ditionis Bauaricę, duobus à Danouerto miliaribus. Huic unam cohortem Germanorum militum nuper præsidio imposuerat Cæsar. Hessus & Saxo hanc obsidione cingunt primũ, deinde oppugnare parant. Sed oppidani cùm uim experiri nollent, conditiones pacti uoluntate in deditionem uenerunt. Hic una cohorte relicta præsidio, ad Neoburgum processerũt, tribus à Raina fermè milliaribus, haud procul ab Ingolstadio interluente Danubio, qui eo loco ponte iungitur. Paret Othoni Henrico è Bauarorum familia, qui & ipse fœderi nomen dederat. Hic si hostes trãsito ponte Ratisbonam ire perrexissent, positis ad muros & portas castris, Cæsarẽ numero armatorũ freti opprimere potuissent. Sed iacent consilia humana, omnesq; eæres irritæ sunt, quas in duce exercitus inesse oportere uolunt, rei militaris peritia, uirtus, authoritas, & fœlicitas, si aduersante numine fatum dominetur. Cę sar inter hæc Bohemis militibus, in castris ad urbem licentius uiuentibus, militares leges dedit. Et quia equitũ numerus indies augebatur, pabuli inopia nonnihil laborari cœptũ fuit. Intra muros aliquot ędificia è cœlo tacta iam tertiùm, conflagrarunt. Suspicione de proditione urbis orta, portæ clausæ sunt, & diligentius custoditę. Ferdinandus rex Romanorũ è Ratisbona paulo antè in Bohemiam digressus, postquã Pragam uenit, Mauritium, ad quem Cæsar nuper proscriptionis exemplum mitti iusserat, ad se datis literis euocat. Vbi cũ rege in colloquium uenit, ab eo, ut nuper Ratisbonæ à Cęsare, secretò monitus fuit, ut à societate coniuratorũ abstineret: fratris fidẽ ac amicitiam sequeretur. Ab alijs nihil bonæ rei, utcunq; caderet belli alea, spetũndum. A Cæsare opima stipendia, & omnia amplissima expectanda: ditia præmia, & ea quidẽ maiora quàm auderet optare, proposita. Primùm, Septemuiralem dignitatẽ illi paratam: deinde, iuxta proscriptionis tenorem & additam tabulam, illi imperatũ à Cæsare esse, (licet agnationis iure sibi patruelis & soceri agros & urbes uindicare posset) ut sibi auxilium in inuadendis eorum possessionibus ferat: hucq; omnibus copijs nitatur, ut statim utriusq; prouinciam inuadat, & in suam potestatẽ redigat. Quod ni faceret, fore ut omnia illorum bona prædæ in medio exposita, eius essent, qui bello occuparet. Neque ipsi ius agnationis aut affinitatis postea profuturum, si uellet iudicio contendere. Postremò, ut ad eum scripserat Cęsar ni hac in re pareret: eodem loco cum alijs eum habitũ iri, parq; manere supplicium. Contrà, si hic fidelem operam nauaret, omnem splendorem illi ultrò uenturum. Non surdis auribus ista dicta fuerunt: id quod confecto bello paucis post annis aduersus Cæsarem declarauit. Sed harum rerũ præsens exordium, & calamitosus eius postea interitus, iuxtà fuerunt. Vt ut est, is postposita societate patruelis ac soceri, in Cæsaris amicitiam, ut ad firmiorem parietẽ, & ualidiores opes declinauit. Perpulit hominem præterea ad deserendũ fœdus, ueteris iniuriæ ac doloris recrudescentis iam recordatio: ratum nũc adesse tempus, quo se ulciscereturr, & Saxoniam in medio prædæ datam regno suo adijceret. Literas, quas Cæsar ad Mauritium dederat, Augusto fratri cõmunicare quoq; iusserat, ut cui eadem imperarentur. In castris Ratisbonensibus circa hos dies inter Hispanos orta seditione tumultuatum fuit. Cæsar ad primum rumorem motus castrensis excitus, cum Ioanne & Alberto Marchionibus, ad coércendam seditionem (stabant enim equites peditesq; in acie, ad concurrendum infestis signis) celeriter aduolauit, & utrunq; ab armis discedere iussit. Solicitabantur per hos dies Nurenbergenses rursus ab Hesso & Saxone in belli societatẽ, sed eorum irrita fuit solicitatio. Tulere eam rem indignè duces: quare si res cœpta fœliciter ca-

ter caderet, agrorum uastitatem minabantur. Habebant sua castra confœderati ad Danubium, ut modò dictũ est: cùm Cæsar per exploratores Landishutum ab hoste tentatũ cognosceret, quod relicta Ratisbona petere ipse statuerat. Medium ad Isaram amnem Lantishutum est, inter Oenopontem & Ratisbonam, quà unum tantum iter ex Italia & sylua Martiana ad Cæsarem patebat. Hoc oppidum si hostes cepissent, iam illi castra Ratisbonæ munienda, & obsidio manenda erat: & transitus Italis Hispanisq; cohortibus intercluſus fuisset. Atq; ita futurum erat, ut in angustijs, quas sua negligentia dedisset, concluderetur. Itaque hostium consilium occupandum ratus, relicto Ratisbonæ Pyrrho Columna, ut si quid mouerent hostes, is cum quatuor Germanorum millibus, ac trecentis Hispanis, & inermi multitudine in præsidio esset: celeriter cum reliquis copijs, tormentis, impedimentis, & omni commeatu secundis castris Landishutum uenit. Egressus portam Ratisbonensem, circumegit equum: & reiecto in dorsum pallio, contra urbem primùm, inde ad uadentem exercitum designata cruce dextra: Quod fœlix, inquit, & auspicatũ sit. Castris ad Landishuti muros positis, etsi nondũ satis omnibus, quas expectabat, copijs instructus esset, belli aleam, & hostium aduentum, & Italicas cohortes tamen operiri ibi cõstituit. Abest Landishutum à Ratisbona sex fermè millium interuallo, decem ab Ingolstadio: quod firmo præsidio tenebatur à Petro Guzmanno, docto ac nobili homine, & è familia regulorũ Hispaniæ orto, qui postea à Rege Ferdinando claris honoribus ornatus fuit. Saxo & Hessus maturum tempus ad res gerendas arbitrati, tertio Idus Augusti è Danouerto bellũ Cæsari per fœcialem, adolescentem nobilem, & tubicinem missis literis more maiorũ indicunt. Directa eius denũciatio fuit huiusmodi: Mense Iulio Carole Cæsar per literas nos apud te satis expurgauimus, de omnib. his criminibus, de quibus accusamur. Et quãuis rectum uideri posset, ut uel hunc armorum strepitum omitteres, uel causam suscepti belli redderes: & causa nostra uicissim audita, è consuetudine Imperij, tum demũ è fide, abs te interposito iureiurando data, quod è re uisum esset, egisses. Veruntamen quia in incœpto negotio cõstanter perseueras, necessitas & nos ad arma induenda compulit, & quidem iusta, ut hanc uim tuam, te indignam, à nobis legitimè propulsemus, non ut priores tibi bellum faciamus. Cæterum quod hoc tuo conatu & doctrinam Euangelicam, & libertatẽ Imperij inuadere studes, id ex multis superiorũ annorum tuis actis liquidò constat, & probari potest. Etenim ipse nosti, qualia consilia, & quàm multa continentibus aliquot annis cum Pont. Max. cum Regibus & Principibus exteris contuleris: quod colloquium, quæq; harum rerum communicatio fuit, quo uel cum illis societatẽ coniungeres, uel aduersus nos eos concitares. Præterea absq; Ordinum consilio inducias cum Turca pepigisti: quod contra tua illa promissa perpetratum fuit. Iam cum ante biennium Ordines Imperij, & principes tibi aduersus Gallorum regem auxilia non decernerent solum, sed liberaliter etiam submiterent: affirmabas, eo bello confecto, uelle te cũ exercitu in Turcam mouere. Nunc uerò cum eo inducias fecisti, ut nobis bellum inferres: quod multo antè constitutum, & hucusq; extractũ, quæsita temporis mora fuit. Hanc rem nuper comitijs Ratisbonensibus nouo quodã fuco tegere conatus, cùm multa de tuo animo erga Germaniam, ut communẽ patriam disseruisses, in contumaciam quorundam acerbè inuehebaris: idq; eo consilio, ut nos religionis causa fœdere coniunctos distraheres: Non potes ullam notam neglecti officij nobis impingere, aut etiam probare. Atq; ob id, cùm causæ tuæ non bonæ parũ fideres, non uocasti nos ad dicendam causam, ut ij quos reos ageres, illius cognitionẽ ad ordines Imperij referrent: quod maius est, ne nominatim quidem eos coràm perstrinxisti. Et tamen callidè prætexebas, literis sparsim ad Principes & ciuitates

ciuitates missis, bellũ abs te non religioni, sed rebellibus quibusdam coercendis comparari. Religionem te inuadere uelle, uel hinc liquet, quòd P. M. ad eiusmodi concilij author fueris, in quo nemo præter iuratos illos, sententiæ dictionem haberet. Extiterũt, ut rumor haud quaquam uanus erat, in eo concilio nonnulli, quorum orationes liberiores erant. Illicò uia excogitata fuit, qua illis submotis alij sufficerentur, improbiores paulò. Et quid à senatu Tridentino illo patrum decretum sit, nemo ferè est qui ignoret. Proindè hæc non est ea synodus tam sæpe nobis in comitijs ostentata, quemadmodũ superiori anno Vuormaciæ tibi satis declarauimus. Tum quæ à nobis demonstrata fuerunt, eadem nunc iterare placuit. Quòd uerò nos ad istud concilium approbandum armis cogere decreueris, id literis Pontificis ad Heluetios haud ita pridem datis conuincere licet. In his ille obstinatiam Germanorum quorundã, qui synodi dignitatem repudiant, grauiter conqueritur eamq; unam esse rationẽ, quamobrem bello rem periclitari uelit. Hanc eandem ob causam, quia & tu quoq; arma sumere decreuisses, opportunè uehementer tibi eã occasionẽ nunc datam. Velle ob id se huc suas priuatas opes, omnesq; ecclesiæ Romanæ thesauros cõferre. Postquàm igitur ille tuũ consilium, quod alio fuco clàm habere studueras, detexit, nulli dubium est, arma abs te religioni moueri. Quod uerò ad nos, nihil nobis conscij sumus, ut palàm etiam, quicquid sit, uel agnoscere nõ erubeamus uel excusare. At tuũ fuerat, nos si qua iniuria fuisset, ueterũ exẽplo Senatui & Ordinibus sistere ad dicendum causam, non autẽ aperta ui debellare. Nonne omisso Turca, omnem belli molem in nos ducere, perinde est, ac si nos Turcis longè nequiores existimes? Spes interim est futurum, ut factum hoc indignum Deus prohibeat, & iniecta mora extrahat. Verumenimuero, controuersia omnis, & iniuria, si qua fuit, inter te, Ferdinandum, & nos, Cadami, Viennę, Ratisbonæ, & Spiræ composita est. Proinde, pinge & adorna ut lubet: hoc tamen compertũ habemus, id te moliri, ut doctrina nostra extincta, Germania in dubium de libertate sua ueniat. Ad alios atq; alios literas das, quib. te Euangelij doctrinã uelle propagari testaris: eiusq; rei fidẽ facere niteris. Sed Louanienſiũ Theologorũ decreta abs te comprobata, tot mortaliũ cædes per tua regna, & istud cũ Pontifice Romano fœdus, abundè coarguunt tuũ consilium: nimirum ut Pontificiam dignitatem, oppressa nostra doctrina Augustana, stabilias. Hæc cum ita se habeant, eoq; nos fœdus iniuimus, ut religionem nostram tueamur, & consociatis animis mordicus teneamus: hanc ob causam ad defendendum nos arma induimus necessaria, quæ lex naturæ & ius diuinum nobis permittunt. Iam, quamuis nulla in re, ob hoc tuũ consilium, tibi deuincti sumus: neq; opus esset, ut tibi nostrorum consiliorũ rationes denunciaremus: tamẽ ut abunde tibi fiat satis, officium nostrũ, & fidem, quibus tibi sumus obnoxij, renunciamus. Non ob id quidẽ, quasi augusta Imperij iura labefactare consilium sit, sed ut conseruemus. Id uerò omnes gentes humanas scire uolumus, hoc cõsilio à ceruicibus nostris bellũ auertere, stare sententiam. Nam in causa tã iusta, nullũ non periculum forti animo subeundum duximus. Hęc fuit denunciatio, acerbior paulo quàm par fuit. Hanc epistolam summæ sagittæ cuspidi filo præligatam ferentes, ubi in castra uenerunt, in tabernaculum Ducis Albani deducuntur: eiq; exponunt, quid à Principibus suis in mandatis haberent. Albanus rem ad Cæsarem defert. Is non solum epistolam nõ resignauit, uerumetiam insuper capitali supplicio ipsis imperauit, ut eam suis Principibus redderent. Præterea, quicunq; postea ab illis ad se missi uenirent, pro torque aureo, laqueũ, & arborem infœlicem eos dono habituros. Priusquam hęc epistola à ducibus ad Cęsarem adferretur, in castris aliquandiu disputatum erat, quo nomine & titulo ille appellaretur. Saxo, Cæsarea appellatione non esse utendum censebat, quòd in

Cæsarem arma sumere non liceret. Inde Hessus interrogatus sententiam, secus censuit. Vterq; habebat suos suffragatores. Tandem in hanc ab omnibus itum fuit sententiam, & ut hic titulus ei tribueretur placuit: Carolo, qui se Cæsarem iactet. Voluit Cęsar oppido Landishuto maiora præsidia imponere, ad eas quę in præsidio erant cohortes: quòd oppidanorum fidem suspectã haberet. Nam cùm in fide Cæsaris essent, & pro munimento ducentos sclopetarios imponi permisissent, hostibus tamen per agrum suum sine ui transeundi potestatẽ fecerant. Inter duces ad Danubium interim! deliberatio tenebat, quò mouerent. Aliqui purpuratorum Landishutum, ubi Cæsar castra habebat, ductandũ censebant. Sed cùm quidam earum regionum haud ignari dicerent, medias paludes esse longas, & inuias, præterquam quod per unum callem angustum singulis peditum & equitum periculosè peruiæ essent, irritum id consilium fuit. Placuit igitur, Ratisbonam, ubi Cæsar impedimenta, & in præsidio cohortes reliquerat, contendendum esse. Locum enim castris circa muros delegendum, ut si Cęsar obsidione presis auxilio adesse uellet, fieri posse ut tũ de summa rei prę lio decerneretur. Cæsar hostes castra promouere, per uectarios postquam accepit, per nuncios Italicas copias, ad maturandum iter, quod possent, hortatur. Ipse interea loco æquissimo castra munit. Confœderati duces lentius Ratisbonam petunt. Tentatum eo tempore Ratisbonæ ad id cœnobium, ubi Cęsar frumentum, aliamq; annonam condiderat, incendium. Indicium fuit stramentorum fœtor, in quibus nondum concepta flamma ignis fumum fundens nutriebatur, qui à uigilibus nocte oppressus fuit: incẽdium nullo dato damno restinctum. Alius eadem nocte deprehenditur in summo sacello, in quo ingens pulueris tormentarij uis condita fuerat: penes hunc ignis artificiosè factus, dũ exploratur, inuentus fuit: qui arreptus in carcerem ducitur. Quęstionibus aliquot de incendiario habitis, res ipsa expressa fuit. Vlmensem se esse dixit. Cætera, quanti, & à quibus conductus esset, & quid perpetrare statuisset, in occulto esse placuit. Biduò pòst rursum circa sodalium. Franciscanorum cœnobium ignis ad incendium paratus reperitur. Explorantur à magistratu domus, de quibus læua erat suspicio, ac tota urbe secretiora loca, & scortorum lustra. Arrepti non nulli, è quibus tormentis multa expressa sunt. Factum inde senatusconsultum, edictumq; est, ut ciues aduersus incendiariorum insidias domos suas scalis, aqua, & aquarijs instruerent. Eodem die militibus edictum, ut ad conclamatum incendium cum telo armati in muros ad suas quisq; stationes adessent. Landishutum his diebus Italicæ cohortes uenerunt: quæ tanto celerius progressæ fuerant, quanto in maiore discrimine Cæsaris res esse ex literis missis acceperant. Decem millia peditum erant, equites leuis armaturæ quingenti. Quidam ducentos addunt, & insigni armorum specie eos fuisse. His Octauium Farnesium Pontifex, auus nepotem ex filio, ducem dederat. Sub eo militabant clari ui ri, Alexander Vitellius, Ioannes Baptista Sabellus, Sforția Palauicinus, Ioannes Maria Paduanus, Nicolaus Plumbinus, Hieronymus Pisanus, Nicolaus Petilianus, Fredericus Sabellus, Paulus Vitelius, Alexius Lascaris, Iulius Vrsinus. Præter hos, Dux Florentinus Cosmas Medices ducentos equites auxilio misit: & Hercules Ferrariensium Dux centum: quibus fratrem suum nothum Alfonsum præfecerat. Pontifex priusquam abs se copias dimitteret, Octauio fratrem Alexandrum Farnesium Cardinalem simul Comitem dederat, non tam ut parem in eas copias potestatem haberet, quàm ut præsens consilio rum Cæsaris arbiter & instigator, ac clasicum ei ad perficiendum bellum esset. Farnesius cùm ex Italia discederet, fertur iactitasse, tantam cladem in Germania hoc bello se editurum, uti in Lutheranorum sanguine equus suus natare ret. Superuenerũt his Pontificijs copijs è Neapoli & Insubria Hispanorum ad

millia, veterani roboris, et qui sub armis iam penè cõsenuerant. Hos ducebant Philippus Lanoius, princeps Sulmonẽsis, Aluarus Sandæus, Iacobus Arzius, & Alfonsus Viues. Cæsar legatũ suũ fecerat Ferdinandũ Toletanũ, & Albanũ copiarũ ducẽ. Primus ab Albano erat Baptista Castaldus. Præfectũ annonæ dixerat Cæsar paulo antè Cardinalem Augustanum. Castra Cæsaris sequebantur Maximilianus Austriacus, Emanuel Philibertus Allobrogum Ducis filius, filius Henrici Brunsuicensis, captiui, Ericus Brunsuicensis, Georgius Megelburgensis, Georgius Brunsuicensis, Henrici Brunsuicensis frater, Fredericus Furstembergus, Rainardus Solmensis. Apud confœderatos militabant, Ioannes Fredericus Electoris filius, Ioannes Ernestus frater Electoris: Philippus dux Brunsuicensis cum quatuor filijs, Ernesto, Alberto, Ioanne, Vuolfango: Franciscus dux Luneburgensis, Vuolfangus Anhaldus, Christophorus Hennebergius, Georgius Vuirtembergensis, Albertus Mansfeltius cum duobus filijs Volrato & Ioanne, Ludouicus Oetingensis cũ filio, Gulielmus Furstenbergensis, Christophorus Oldenburgensis, Hubertus Bichlingus, Recrodus, Hedecus, Ripẽburgus: ac præter hos, magnus regulorum tota Germania numerus: & Heluetiorum octo cohortes ad hos accesserunt. His copijs, quas memorauit, Cæsar confirmatus, Ratisbonam accelerauit, ut hostes lentius procedentes occuparet. Eo accepto duces illicò arbitrati, Cæsarẽ in Saxoniam irrupturum, pontibus aliquot iunctum Danubium omnes copias traduxerunt. Progressis iam plus mille passus, cum haud procul à Norgouia abessent, Cæsarem relicta Ratisbona Ingolstadium iter auertere nunciatum fuit. Cæsar Ratisbonæ ex armamentario uiginti muralibus, & triginta sex sumptis campestribus machinis tribus cohortibus præsidio urbi relictis, Ingolstadiũ petebat. Postridie ad Neostadium in ripa Danubij castra locauit. Ibi flumen duobus pontibus admirabili celeritate iungit. Ex nauibus enim & ratibus consertis, quarum magnum numerum plaustris & uehiculis inter alia impedimenta secum trahebat, pontes faciebat: nam alter, quo semper amnis iunctus fuerat, ab hostibus tenebatur. Dum Cæsar huc incumbit, ut opera cœpta absoluantur, per exploratores fit certior, hostium duces consilio mutato Ratisbonam iter per æqua & iniqua uertere, ne ipse Neoburgum & Danouertum caperet: & inde in agrum Vuirtembergensem ualde opportunum transito Danubio populabundus excurreret. Imposuerat iam Cæsar Ingolstadio præmissam partem exercitus. Duces Nassefelsum progressi, paulisper substiterunt. Hessus inde cum modicis copijs, ad Ingolstadium, & situm regionis explorandum proficiscitur, Cæsarẽ ibi ualida præsidia imposuisse ignarus. Nam de cohortibus aliquot Hispanorum peditum, & exiguo tantum equitatu cognouerat, quos ad dimicandum simul prouocare statuerat. Aberat haud procul ab urbe, cùm principis Sulmonensis turmæ aliquot Hesso occurrunt. Confligitur acrius, quàm pro numero. Cecidere utrinq; pauci: uulnerati plures, capti nonnulli sunt: è quibus Hessus, Cæsarem eo die ad urbem castra locaturum, didicit. Ferunt Saxonem hanc temeritatem confligendi cum hoste acerbè accepisse: atq; affirmasse, si deinceps extra ordinem sine suo consilio pugnaret, cũ suis copijs in Saxoniam se discessurum. Ad primum nuncium huius dimicationis omnes in aciem, quasi de summa rei dimicaturi, eduxerant, sed cùm utrinq; ancipiti pugna discederetur, milites in castra reduxerunt. Nocte, quæ hanc dimicationem sequuta fuit, duas Germanorum cohortes, Hispanosq; equites leuis armaturæ quadringentos sclopis instructos ad Ratisbonam occupandam mittit Cæsar, ut aduersus uim quæ urbi imminueret, maturato itinere auxilio adessent. Hispani, dum silenti nocte iter accelerant, prima uigilia castra Hedecci, quibus Saxo præerat, perrumpunt: ac centum circiter cæsis, cum aliquanta suorum iactura sub lucem Ratisbo-

nam uenerunt, Cohortes, quas ibi præsidij causa reliquerat Cæsar, quoniam ciuium fidem parum integram experti fuerant, tum propter sępe tentatum incendium, tum quòd nocte illi uigiliarum stationibus in muris, & ad portas temerè se permiscerent, motusq; indies periculosos in foro & mœnibus conciuissent. Cautum inde à senatu edicto fuit, ut ciues, & qui nō facerent stipendium, à nocturnis stationibus se continerent: ne repens tumultus ciuitatum in discrimen adduceret: ne quis nocte in publicum é domo prodiret, ne si ad arma quidem conclamaretur, aut exortus tumultus aliquis inter præsidiarios fuisset: nisi tubę cantu ad incendium restinguendum excirentur. Per eos dies Schertelus Raynam facta deditione in potestatem accepit. Postridie quàm Hispani emissi essent, hostium duces centuriones aliquot cum expeditis ad speculanda castra Cæsarianorum mittunt. Itali illorum itinere per exploratores cognito, uenientibus occurrunt. Cęsisq; utrinq; multis, & re imperfecta in castra cōpulsi fuere. Hessus sequenti die cum modico equitatu, sed delecto, ut de ratione castrorum hostilium aliquid comperti haberet, castris egressus, per præmissos qui pertentabant uadum, quod nullum esse quidam affirmabant, tandē inuenit. Regressus ad Saxonem, ei exercitum traduci sine ponte posse nunciat, uadosum reperiri esse locum: ac progrediendum iam censere prima luce, atq; eum occupandum castris locum esse in conspecto maximè tumulo, ubi quondam Ingolstadienses speculū habuissent. Inde machinis in subiecta castra hostium fulminandum, ut hac ratione Cæsar ad pugnam traheretur. Saxo, qui multos ignes multa iam nocte in Cæsarianis castris quasi relictos procul fumare conspexerat, semel atq; iterum Lantgrauio nunciari iussit, uideri Cæsarem ex eo loco mouisse. Lantgrauius nō persuasus, quinq; cohortes, quas ductabat Schachtus, præmittit, ut factis pontibus tormenta traduceret. Ipse paulo pòst reliquo sequutus agmine, & cum machinis relictis, ad amnem, quod potuit, maturauit. Sed ubi ad uadum peruenit, ex Schachto cognoscit, Cæsarem castra non mouisse. Id simulatq; Saxo pręter spem accepit, extemplò cum suis copijs præcedentes secutus fuit. Hessus tumulum, de quo memorauimus, occupat: ibiq; partem machinarum, hinc illinc partitus suas copias, disponit. Saxo & ipse, ubi eò peruentum fuit, suos eodem loco ad eundem modum collocauit. Ludouicus ab Abila tradit, confœderatos, ubi nunciatum esset, Ratisbonam ualidioribus præsidijs, accessione nouarum copiarum firmatam, rationem itineris & belli in diuersum mutauisse: si eò ductare perrexissent, à Cæsare, qui iter medium insederat, omnem commeatum, qui à cōfœderatis à tergo suppeditaretur, intercipi potuisse. Super hęc per locorum imperitiam eos in regionem iniquam se coactos uidisse: è qua Cæsare quieto, ac nō obsistente, per uepreta & uliginosas ualles, quibus impedirentur, ęgrè euasissent. Quamobrem castra Ingolstadiana repetere per syluas & uiarum anfractus statuisse. Nondum his regressis, in castra deserta Cæsarem, per regionis illius exactè peritos, eius intellecta natura serius Hispanorum copias, & leuis armaturæ equites ad fauces interscipiendas misisse. Sed quia iam in passam planiciem euaserant, & syluarum implicatarumq; uallium uias euicerant, cùm Hispanorum copiæ cœptum iter impedire nequirent, abeuntium terga carpta ab his tantum fuisse. Reuersos in castra Hispanos Cæsari renunciasse, hostem Ingolstadium reflectere iter. Biduò statim transportando exercitu laboratum à Cæsare fuisse, atq; duobus ab Ingolstadio milliaribus in colle excelso, unde terminare subiectos campos oculis poterant, humili sggere castra eum muniuisse. Refecto hic milite bidui quiete, cùm Cæsar suorum animos tentare uellet, rumore per castra de hostium aduentu fictè sparso, ad arma cōclamare iussisse. Concursum totis castris in aciem, haud secus quàm si hostis in propinquo ad dimicandum in acie paratus stetisset. Poposcisse e magno

clamore

clamore pugnæ copiam milites: uelle hosti ire obuiam, ubicunq; esset. Dum ista geruntur, postquam Cæsar hostes præter spem in excelso in conspectu loco supra Ingolstadium consedisse cognouit, ne urbs prædæ starent, sublatis castris, ad eam omnes copias traduxit, atq; ibi usq; ad Danubium fermè explicatis castris consedit. Inter hostium & Cæsaris castra modicus admodum riuulus, qui in Danubium haud procul ab urbe influit, medius interluebat.

LAMBERTI HORTENSII MONTFORTII HISTORICI DE BELLO GERMANICO LIB. III.

CAesar sub initium belli equitum & peditum præsidia Ingolstadio imposuerat, ut superioribus libris dictum est. Accersuntur è Ratisbona frumẽtatores in castra Cęsaris, propter annonę inopiam. Inter hæc, Maximilianus Buranus Comes omnes copias, quas in Belgis diuersis locis conscriptas habebat, Aquisgranum conuenire iussit. Hic sacramento inauthoratos milites iter magnum, & periculorũ plenum docet: hortaturq; ad tolerandos secum forti animo labores: futurũ ut Cæsar fortissimum quenq; amplissimis stipendijs decoraret. Partitus inde munera militaria, corpora reficere præcipiti die mãdauit, & noctem interquiescere. Postridie copias omnes recensuit: peditum decem millia, & quatuor equitum millia, hastatorum fermè omnium. Pabulo equis, & frumento uiris prospecto, ab Aquisgrano mouit: & continenti agmine Andernacum uenit, in ripa Rheni situm. Hic exercitus accessione Hispanorum, Italorumq;, qui sub Anglorum rege contra Gallum militauerant, auctus fuit. Sex millia fuisse accepi. Nihil hic morati, quòd Cæsaris res angustæ ad Ingolstadium celeritatẽ poscerent, Confluentiam contenderunt. Hic Rheno omisso, ne per hostis agros euntes in insidias inciderẽt, Mosellã transeunt: & ad Tubingiam itinere faciendo defatigati, sub exortum solis Rhenũ, frustra obstante hoste, transeunt: & circa proximum oppidum, ad reficienda quiete & cibo corpora castra locant. In traiectu Rheni nonihil laboratũ fuit. Perterrebat eum fama, hostes, quorũ duces erant Ripenburgus, & Christophorus Oldenburgus, ulteriorẽ ripam tenere. Quos ut declinaret Buranus, prima noctis uigilia decẽ cohortes duodecim circiter millia passuum supra eam stationẽ præmittit, ut transeuntes ibi Rhenum, hostem fallerẽt. Ipse silenti agmine cũ reliquo robore exercitus paulo pòst illos sequutus, lintribus & pontonibus ad id paratis, aptatisq;, omnes impetuosum amnem traduxit. Hic per literas à Cæsare monetur, ne hosti pugnandi copiam faceret: sed per reliquum itineris ductaret circũspectè. Nunciatur ibi Burano, Ripenburgum, accepto eum Rhenum superasse, processisse, ut uias insideret, & transitũ ad Cæsarem intercluderet. Fama erat, hostium numerum uiginti millia peditum excessisse. Alij tradunt, octodecim millia, equites mille ducentos. Buranus hac fama nihil perterritus, cõposito agmine Moguntiam petit: ubi Comes Schamburgius, & Comes Suartzeburgius, cum suis quas habebant copijs illi coniunguntur. Ripenburgus accepto, uadum Rheni Buranum superasse, cedendo paulatim Francfortum iter auertit, & inter ramenta ac fruticeta terminalia suos in insidijs locat, ut Buranum sequentem, ut parum cautum, uel interciperet, uel iter ei præpediret. Aberat à Francfurto ad mille passus, cùm nunciatur per speculatores sparsim missos, Ripenburgum ad eius loci cardines in insidijs, uectibus & arbustis humilibus septos latere. Disponi imperauit

extemplò campestria tormenta in fonte aciei, ac equitatu peditatuq; subsistere iusso extra missilium iactum, eminus utrinq; dimicatur acriter. Prælio dirempto, reliquum iter etsi infestum, quòd ciuitates in fœdere essent, nullis tamẽ hostilibus acceptis, ire perrexit: & ad Miltemburgum prono in occasum sole locatis castris, corpora suis curare mandauit. Oppidani portis patentibus omnia pacata præ se ferentes, benignè cibaria & poculenta uendiderunt. Hic Buranus annonę suę prę fectum, quòd cibaria militibus pluris quàm imperatum fuisset, uenderet, strangulasset, nisi magnis clamoribus militum ueniam obtinuisset. Vna tantum nocte ad reficiendos animos militibus concessa, castra postridie mouerunt: & Linxam progressis, portæ ab oppidanis clausę fuerunt: à quibus tamen nulla hostilia sunt illata. Fame continenti propè enecti, Norimbergam ire pergunt. Castra hic in proxima sylua locant. Necessaria omnia à Norimbergensibus ære uenalia extruduntur obedienter. Vici populationis metu esculenta non negare audebant: quamobrem uicissim nulla hostilia in uinetis & segetibus corrumpẽdis illata sunt. Prætergressi Nouum inde forum, unum milliare, castra rursum figunt. Interea uariè Cæsaris res circa Danubium & Ratisbonam erat. Confœderati per hos dies Bauarorum ducẽ in belli societatem sollicitare: minari per literas populationes agrorum, si Cęsarem commeatu iuuaret. Deducuntur cohortes è Ratisbona, quę in præsidio erant: & castra extra muros, ad hostem inde arcendum, prohibendamq; populationem, uallo circumducto cingunt. Imperatum ciuibus, ut thoraces suos ferreos in curiam conferrent: Cæsarem uelle eos in usum necessariam iusto precio redimere, & inermibus militibus tradere utendos. Ciuibus hac arte exarmatis (quia eorum fides suspecta Cæsari erat) quinq; Germanorum cohortes diuersa porta intromissæ sunt in urbem. Horum singuli singulis thoracibus donati. Vis ingens tormentorum inde in castra Ingolstadiana deducta est, ut armamentarium eius propè spoliatum omnibus armis ac telis rerum dubiarum obtẽtu relinqueretur. Et ex antè conuecto, quia frumenti copia non magna erat, è Ratisbona in castra conuehi maiorem numerum iussit, ut si hostes per tumultum frustra obtinente magistratu urbem cepissent, eam frumenti & armorum uacuam offendissent. Hispani Italiq; iam inde Ingolstadium moturi, fœni frumentiq; reliquias, ut paulo antè ad Landishutũ fecerãt, iniecto igne corruperũt, oppidanis propter cõfessionẽ infesti. Neq; ita tamẽ urbẽ nudauerat, ut quantũ farinę ipsis satis esset, & pulueris tormentarij, in omnẽ hostiũ assultũ reliquerit: præterea duodecim ingentis molis tormenta muralia regis Ferdinandi, quibus postea in obsidionibus uti statuerat. Monitus Cæsar à Pontifice per literas fuit, ut, si ad pugnam res peueniret, in tutum aliquò ipse se reciperet, dum appareret, utrò uictoria inclinaret. Sæcus Cæsar constituit: & è re sua esse duxit, pugnæ interesse. Duces confœderatos, à Venetis, rege Gallorum, & Norimbergensibus pecuniam mutuò ad alendum bellum per eos dies petiuisse, urbibus pignori oppositis, & eam negatam fuisse, haudquaquam uanus rumor erat. Ad Ingolstadium interim crebræ indies uelitationes, sed parùm memorabiles fuere. Per hos fermè dies Pontificius legatus Cardinalis Ferneſius, de quo suprà memorauimus, uenit in castra. Et ab Hispanis è castris hostium ingens præda pecorum abacta fuit. Creuit indies hostium exercitus, inermium hominum exagris colluuie, & lixarum: quibus freti, ut Cæsarem ad pugnam elicerent, è loco, quem memoraui, excelso missilibus grandinare cœperunt. Cùm autem Cæsar tormentorum fulminibus lacessitus in castris se contineret, Lantgrauius in Saxonis tentorio belli ducum concilium habuit. Ibi ad hunc modum eum locutum fuisse, sententiam de expugnatione castrorum rogatum, accepi. Si mihi summum Imperium huius belli gerendi, sine superiore aut æquata potesta-

potestate esset, ut tum erat, cùm ducem Vuirtembergensem in regnum suum reducerem (memoria recens eius rei est) non esset cur diu Cæsar in conspectu nostro castra haberet. Quid agerem? roget quis. Equidem cum legionibus duabus in castra, obiectis fossoribus ad euertendos aggeres, obruendasq; fossas, irrumperem. Deinde cum omnibus copijs statim insequens, summa ui irruerem, sternerem, funderem, quantum equestrium pedestriumq; copiarum obuium esset: aut in Danubium præcipites agerem, nec sine effectu tempus hic tererem. Erant qui in eam sententiam discederent; sed quia ab Ingolstadio, quod omni genere tormentorum abundabat, quibus Cæsarem è muris & turribus oppidani tutari poterant, magnum periculum immineret, ea reiecta fuit. Vbi aliquandiu ea consultatio tenuisset, alijs aliud censentibus, utilique consilio spreto, nihil decretum fuit. Si sententia ea Lantgrauij uicisset in concilio, uictoria in manu fuisset. Superiores erant ipsi duces equitũ numero: & Cæsaris castra fossa haud admodum alta, & aggere humilimo circundata erant. Itaque ea dissensio Cæsari fuit prima ad insequutã uictoriam fenestra. Expectabantur indies Belgicæ ductore Burano copiæ, sine quibus prælio cum hostibus decernere nolebat: & nullo momento parua fossorum manu agger dirui, & fossa obrui potuisset. Hac occasione fretus Cæsar, aliquot secundis sed leuibus dimicationibus per Italos & Hispanos sæpe superior fuit: in quibus capti multi, & in castra ducti fuere. In uelitationibus cecidit Christophorus à Steenberga: quem Cæsar ui uum in potestatem uenisse, si ex armorum insignijs dinosci potuisset, optabat. Credebatur à nonnullis, quum equus uiri cruore conspersus captus esset, eum multis acceptis uulneribus, abiectisq; armis, ab equo dilapsum, & fuga in castra ablatum fuisse. Captus ex Italis uicissim fuit quidam purpuratorum, germanus illius qui per id tempus Pontifici â cubiculis erat. Rumor ad Cæsarem per manarat, Italos, Hispanosq; captiuos ab Hesso strangulari: de ea re aliquot quæstiones à Cæsare ex captiuis habitæ sunt. Quod ubi uanum deprehensum fuit, citra ignominiam militari more quoq; multati, dimissiq; fuere. Sparsum inde eum fuisse rumorem credebant, quòd cùm belli initio Germanus quidam à Cæsare capitis anquisitus ferretur, uicissim à Saxone in Hispanum captum pari pœna animaduersum fuisse. In hoc statu bellũ erat ad Ingolstadium. Cæsar ubi accepit, Basilienses, Tigurinos, Bernates, & Schafhusianos legato suo respondisse, (nam Cæsaris atq; Pontificis literæ in causa suscepti belli uariabant) rẽ in conciliũ referri oportere: ac certiores prius esse uelle, religióne, quã Pontifex extirpare se conari scripserat, bello peteretur: & integram promitteret se relicturum, an non: ad eos literas dedit è castris, quarum hęc fermè sententia fuit. Mirari se uehementer, quamobrẽ in eandẽ cũ alijs Heluetijs sententiam nõ responderint: sed suspicari se, id hostium suorũ fraude & consilio factũ. Eos in concilio, quod Badenę nuper habitum fuit, ipsis persuadere aggressos, bellum hoc à senõ contra principes turbatores cõcordiæ, acrebelles, sed ciuitates quasdam lacessitum fuisse, ut Pontificis auxilio adiutus & libertatem ipsorum & doctrinam opprimeret. Accipere se præterea, illos non solum auxilia aduersus se, sed etiam fœdus ab ipsis & amicitiam petiuisse: & earum rerũ spem etiam affulgere. Causam uerò belli, & publicè editis scriptis, & priuatim ad ipsos literis suis satis apparere, ut nihil necesse esset eandem identidem repetere. Illud uerò probari non posse, se propter religionem ulli mortalium grauem fuisse, aut ad rebellionem fenestram patefeciisse. Sub belli initium se cum quibusdam benignius, quàm uel suæ personæ decorum esset, uel ipsi digni fuissent, egisse. Eos uerò non posse de obiecto crimine se expurgare, quòd obedienter officium fecissent: neque se defendere, propterea quòd auxilia à Pontifice sibi transmissa essent; cùm multi principum illustrium Germanorum, etiam confessionis

Augusta-

Augustanæ, sub se militarent: haud quaquam id facturi, si uerũ id, quod obtenderent, foret, constare omnibus palàm, ipsorũ studia & conatus huc semper spectauisse, ut religionis prætextu, oppressa libertate Germanorum, euersaq; religione omnes ordines Imperij sub suam tyrannidem cogant, & ex libertis, mancipia faciant. Id liquere satis ex multis eorum actis, ut nõ sit cur id uel exemplis, uel argumentis ostẽdatur. Eos specioso religionis nomine & lenocinio, clarissimas Germaniæ ciuitates in fœdus suũ attraxisse: quarũ opibus freti, alienas possessiones inuasissent, bona diripuissent, possessores ipsos fundis agrisq; expulissent. Et nunc rem ipsam coarguere, qui alieni regni ac ditionis mortales ui in suas partes uolentes nolentes trahant, suam religionem restitantes suscipere cogant, alios in uincula duci iubeant, qui minitentur humanorum omnium extrema, fana diuorum diripiant. Atq; has uidelicet ob tam pias causas eos Heluetios in societatem & fœdus suũ inuitare, ut id quod parturiunt, hac uia aliquando pariant. Ipsos ista, se opinari, satis perspicere, quò spectent: & quid emolumenti aut damni ex illorũ fœdere sit expectandum. Quare bonam spẽ se concipere, (nam eos nunc tum suum consilium, studium & uoluntatem, tum causas belli satis cognoscere) quin illorum fœdus & societatẽ suę amicitię essent posthabituri: militem nullum sub illis stipendium facere paterentur. Illorum stipendijs inauthoratos reuocarent, denunciata mulcta non parentibus imperio. Secum fœdus uetus & amicitiam seruarent: id quod ipsorum commodo ac bono futurum esset. In hanc sententiam Cæsar è castris Ingolstadianis ad memoratas Heluetiorum ciuitates. Ab his in eadẽ uerba quib. antea legato, Cęsari responsum fuit. Orantq; simul, ne spacium ad deliberandum sumptum ab ipsis fuisse, ægrè accipiat. Gratum esse Heluetiorum genti, quòd bellũ neq; religioni, neq; libertati Germaniæ fieri affirmaret, uicissim se id quod deceret facturos. Porro si qui uoluntarij è sua gente ad bellum essent profecti, publico id cõsilio non fuisse factum, sed priuato, & quidem clam magistratu: id quod sępe antea alijs bellis factum esset. Iam patrium gentis morem non esse, militẽ ad bellum se inscijs suoq; iniussu, contráue imperium profectũ, uelut signo dato in patriam reuocare: sed è militia domũ reuersos multandi ius magistratui esse. Tentati ab Hesso & Saxone ad eundem modum & Bohemi sunt in belli societatem. Hi perinde responderunt, ut satis cõstaret, iamdudũ eorũ animos à Rege alienatos fuisse. Intellecta igitur eorũ uoluntate, è castris literas ad eos dederũt, quibus bellum hoc ex composito à Cæsare contra religionẽ susceptũ demonstrarunt. Id quo procliuius persuaderent, libellos, quos ipsi paucis antè diebus in lucẽ emiserãt, de ea re, una mittunt: orantq; simul ne aduersus se uel arma induant, aut auxilia Cæsari summittant. Ex ijsdem castris Cæsari ad proscriptionis tabulas postridie Kalend. Septemb. prolixo scripto responderunt: quod quia apud alios scriptores extat, siue quod longius sit quàm ut hic referatur, omittendũ esse duxi. Sedebat Cæsar ad Ingolstadiũ nullo propè munimento uallorũ tectus, & qui dem animo constanti ac forti. Ingolstadium campestri planicie situm est ad amnem Danubium. Hic latus læuum castrorum, & cum eo loca palustria, quæ ab amne inundante perfunduntur, claudebant. Oppidum à tergo tanquam munimentum omnia tuebatur. A fronte dextraq; panditur planicies, quæ paulatim assurgit in mediocriter excelsum collem accliuis. In hac usq; ad urbis propè muros ita locauerat castra Cæsar, ut ea oculis circumlustrare potuerit. Hostes editiora hæc à fronte iuga super caput occupabat. Castra humilis agger cũ fossa, & modicus riuus, qui non procul ab Ingolstadio Danubio miscetur, (ut superiori libro dictum est) diuidebat. Erat ita quamuis Cæsar hostium missilibus in subiecta collibus planicie expositus, intrepido animo impetum tamen eorum sustinuit, ut suos ipse magis ad uirtutem animaret, quàm à suis animaretur.

retur. Quamuis Hessus & Saxo numero copiarum longè superiores erant, cur promissis ingentibus socias ciuitates onerarent, fore ut tertio mense bellũ confectum darent, perficerentq; ut Cæsar uel è Germania ejiceretur, uel in potesta te esset: fefellit tamen consilium Fatum & numen, quod in omni re dominatur. Perfecit tamen Hessus ea feroci iactatione, & promissis inanibus, ut stipendium liberalius à socijs mitteretur: commeatusq;, & quæ ad bellum necessaria erant, copiosius suppeditarentur. Recensa ferunt equitum decẽ millia, & octuaginta millia peditum, extra lixas & inermem multitudinem, imbellemqúe turbam quæ castra sequebatur. Fluctuatus Cęsar aliquandiu animo fuit, utrùm castrorum locum mutaret, an in ijsdem permaneret: quòd Italorum communis querela & indignatio esset, loco uliginoso ac palustri propè se locatos. Inclinauit sententia, propter opportuna multa, ac commoda, ibi hærendum esse. Aliquot inde diebus continuis Italicæ aliquot cohortes, & Hispanorum, cum leuis armaturæ equitibus è castris euagati, cum hostibus excitis multa leuia prælia fecere. Quibus in insidias, dũ incautius callidè fugientes cedentesq; sequuntur, tractis, multi cæsi sunt, pauci euaserunt. Centurio Asculanus, & ex Comitibus Italis quidam capti sunt. Lantgrauius spoliatis cæsis, corpora in castra auferri, & sepeliri permisit. Itali, Hispaniq;, propter loci incommoditatem quingentos passus propius hostem castra sua promouerunt. Allatum fama fuit ad Cæsarem, Kalend. Septemb. hostium exercitum accessione septem millium Heluetiorum, & equitibus trecentis auctum fuisse. His uiribus Hessus nixus, paulò propius castra Cæsaris accessit, quasi ea expugnare uoluisset: consediteq; in summo iugo, unde per subiectam accliuem planiciem, in qua castra in conspectu erant, prospectus sparsim lateq; mitteretur. Riuus ille de quo dictum est, castra utrinq; diuidebat. In huius ripa castellum erat, quod ab ea parte ipsos modico imposito præsidio, munimenti loco tutari paterat. A tergo pleraq; uestiebat frequens sylua, densis arbustis præpedita. Ad læuã collis placidè accliuis, in subiectam planiciem usq; ad riuulum decurrebat. In summo uertice omnes machinas in castra Cæsaris disponunt, extra campestres, centum & triginta uastæ molis. Hunc locũ initio Cæsar castris occupare statuerat: uerùm disuasum id fuit cùm ab alijs, tum ab Albano, qui eò usq; hostem haudquaquam ausum fuisse appropinquare rati fuerant: simul quòd clausi à tergo Danubio, omnia opportuna ad hostes mora & diuturnitate belli frangendos habituri essent. Cæsar id ubi accepit, gregarios & leuis armaturæ equites Italicos exploratum situm castrorum, & ad lacessendum prælium emisit. Hi rursum ab hoste excepti uelitando aliquandiu, inde cedendo, mox fugiendo sine respectu, retro in castra compelluntur. Cæsar accepto hostem fugientibus magno agmine instare, conclamari ad arma, & raptim in aciem suos educi iussit. Dimicatur eminus missilibus magna ui totum fermè diem, maiore tamen clade Cæsarianorum quàm hostium. Hi enim receptu in castra habito, intra uallum subsistere. Cæsariani uerò dum in patenti nudaq; planicie in acie nullo munimento protecti hostes operiuntur, ab imminenti iugo missilibus obruuntur. Id Cæsar aduertens, ut minus iactibus globorum expositi essent, suos pronos in solum se sternere, dispositis iuxtâ paratisq; armis, edicit. Attulit ea res haud leue momentum aduersus globorum uim & impetum. In hac totius diei grandine, præter cæsos, fauci multi, mutilis truncisqúe corporibus in urbem portati perierunt. Prono in occasum die, Italorum & Hispanorum expeditæ aliquot cohortes in tumulum, in quo impedimenta tormentaqúe sine stationibus ad custodiendum relicta animaduertebantur, ire pergunt. Ab his nouem serpentarij intercipi potuerunt, si equitatus pars subsequuta fuisset. Horum auxilio nudati, cum hostium leuis armaturæ equites subsistentibus in tumulo circa tormenta

menta infestè superuenirent, effusè in fugam acti, in castra receptum habuerunt. Cæsar in ea castrorum suorum pertinaci oppugnatione, cùm extra missilium iactum propè inter equites consisteret, eius tabernaculum globis, alijs super alios traiectum, diuulsumq; fuit. Circa Cæsarem in acie eques globo traiectus cecidit. In hac missilium grandinetam densa usq; adeò obfirmatus erat animo, ut nullis lacrymis suorum principum, obtestantium ut ex acie in urbem se subduceret, induci uluerit: Ec quem Cæsarem, inquit, unquam in acie perijsse audistis? Fredericus Comes à Furstenburgo ponè haud procul à Cesare insidebat equo. Huius equus globo leuiter tactus fuit. Et ante Cæsaris pedes globi lapsus, sine effectu, in facta scrobe fractis uiribus se condidit. Inter Cæsaris æneas machinas una æquo iustius onerata dissilijt: puluis tormentarius casu igne tactus, multos circà milites absumpsit, & ambusit. Hessus pulsis Italis & Hispanis, extemplò castellum in interlabentis amnis ripa (alij uillam fuisse scribunt) positum, impetu occupat, & ex tempore uallo fossaq; munit. In huius summum subuectis tormentis, castra Cæsaris acrius oppugnare constituit. Haud procul à Danubio uicum incendio crepusculo diei uastat. Ea nocte in utrisque castris intentius excubiæ actæ sunt, & dispositæ stationes. Cæsar pe-ticuli superioris diei memor, castra extendi raptim aliquantum imperat, uallumq; tumultuario, & munitiones aduersus hostium super caput imminentium uim excitari leuiter: neu multitudine freti, rupto aggere in castra impetum facerent, fossa latiori circumduci. Ad præcipitandum ea nocte opus, non solum fossores & lixæ admoti, sed milites etiam, qui ab ea parte proximè hostibus obiecti erant, operam nauare coacti fuerunt: ibi maximè ad campestris tormenti coniectum castra extenderunt. Intra hoc spacium tumulum, unde hostem pellere & se defendere poterant, complexi sunt. Hoc opere nocte ea mirabili celeritate perfecto, additis etiam propugnaculis, postridie Cæsari omnia secunda fuere, uentus item & imber in hostes obuersi. Sæuiri rursum missilibus cœptum è tumulo, sed minus infestè quàm pridiè. Vbi lentius omnia agi sensit Cæsar, tabernaculum suum sarciri, & militibus tentoria communire iussit: ipse subinde locum tabernaculo, ad fallendam hostium industriam, mutat. Sed aquila, in quam diligenter notatam missilia frequentia conijciebantur, eos non fefellit. Neque exploratores desiderabantur, per quos, in quam partem transferretur, cognoscerent. Vt miles quietius, ac sine periculo communiendis raptim tentorijs incumberet, & hostem à cura & studio oppugnandi castra euerteret, Hispanos Italosque, quorum castra uergebant ad meridiem in Danubium, inter humiliora arbusta, continuis excursionibus & leuibus prælijs ad eos lacessendos extrusit. His additæ fuerunt turmæ aliquot equitum. Occurrit Hessus Cæsarianis: dimicaturque eminus magis missilibus, quàm cominus collatis pedibus, sed sine clade memorabili. Nox superueniens, certamen diremit. Muniuerat Hessus continuis operibus imminens castellum, ut Cæsarianos ab ea parte premeret. Id Cæsar animaduertens (quia spes nulla propè expugnandi castra hosti relicta uidebatur) omnia consilia huc contulit intentius, ut eum uel ui uel repentino terrore inde proturbaret. Subduxerat Hessus in summum castelli, quod trabibus in omnes partes mobilibus instratum erat, machinas serpentarios, quibus infestius propiusque Cæsaris castra oppugnaret. Quibus obiecit Cæsar uiginti grauis molis tormenta, quibus infestius opera hostium, quàm sua castra pridie adorti fuissent, discutiebat. Dimicatum missilibus multum temporis utrinque fuit, sed perexigua Cæsarianorum clade: quod omnis globorum grando, uel in Cæsaris tabernaculum, uel in muros Ingolstadienses uerteretur, sed sine ulla urbis memorabili clade. Turris erat alta in urbe: in hanc serpentarium,

partem,ad disturbandum simul è munitione hostẽ,iussu Cæsaris subuexerant oppidani. Immittit in hoc ardore,Italorum Hispanorumq; cohortes ad inuadẽdum castellum per aggeres fossasq; summa ui unà cum scalis,quas loco ad capiendum opportuno erigerent. Qui in præsidio erant,primò magna ui restiterunt,quantum aggerẽ uallosq; tueri poterant. Partiuntur Itali Hispaniq; bifariam copias,adiunctis post principia equitibus,qui laborantibus,si qua procella maior è castris ingrueret,adessent,cùm uim non sustinerent. Intra uallum interim Cæsar suos in aciem collocat,ut si quis impetus maior totis castris superueniret repentinus,ad confligendũ defendendaq; castra paratus foret. Ipse rubra holoserica amictus tunica, modò eques,modò pedes in prima acie consistere, interdũ post principia obequitare,nũc inter medios uersari,suis addere animũ, ne hostiũ multitudine & inani sine effectu impetu consternarẽtur. Ibi dissonus fremitus omniũ,confususq; tot diuersarũ nationum clamor exoriri,extra uallum in prœlium educi postulare,eo die uictoriam in manu se habituros. Interea continua oppugnatio non remissa, pertinaciam hostium, qui in præsidio erant,uicit. Capiunt castellum,& trucidantur oppressi. Capti castelli ira hostes accensi,cum pluribus cohortibus castrorum uallum & munitiones inuadunt, oppugnantq; incredibili tormentorum ui: sed impetus eorum incassum fuit,& defendentium pertinacia munitiones hostes cum aliquanta clade retro in castra compulit. Pars ualli circa munitiones disiecta fuerat: hanc raptim sarciri iussit Cæsar,donariq; fossores uicenos sestertios nummos. Hessus & ipse aggerẽ tegi mandat,ratus Cæsarem erupturum. Ille spe destitutus,quod eum in summam dimicationem elicere nulla arte posset,cùm eius animum in eo uerti crederet,si ex eo loco discederet,ut abeuntem sequeretur,incendio tentoriis iniecto castra mouit pridie nonas Septemb. Clarus ignis diluculo primo in cœlum assurgens inter atrum fumum,discessum prodidit. Tria fermè millia inde, colle edito castra communiuit. Ingolstadio discedens fugienti similis,ita quadrato agmine processit,ut equitatus latera & terga cum tormentis campestribus clauderet. Hostium fuga nunciata, Cæsar partem equitatus ad carpenda terga,laceſſendumq; submisit: sed agmen,ut iussum fuerat,quò cœperat,immotum ire perrexit. Castellum,unde hostes proturbati erant,impositio Hispanorum præsidio,fossis, aggeribus ualidius Cæsar circumduci mandauit: & pontem supra Danubium sterni, non solum ad præsidia per occasiones submittenda, si ab hoste rursum tentaretur,sed etiam ad pabulum ac commeatus terra è ditione Palatini transuehendum in castra. Ipse cum Albano præmissos hostium iter exploratum equites subsequutus fuit. Illi accepto Burani aduentu, ut transitu eum prohiberent, aliquantum processere. Castra Cæsar,unde hostes discesserant,propter opportuna multa,subsecutus occupauit. Inde Aluarum à Sanda & Arzium, tribunos militum,uiros impigros,cum duabus Hispanorum cohortibus,additis locorum gnaris ducibus,nocte mittit,qui quãto maximè possent silentio,maturatè hostem subsequantur: & iter,consiliaq;, quòd possent, explorent. Hi per syluas compendiò noctis silentio freti,primas stationes excipiunt. His cæsis,& secundas intercipiunt. Repens terror è fremitu per silentium noctis accepto, in castra peruasit,ac pauorem trepidationemq; fecit: raptis,Cęsarem cum uniuerso exercitu subsequutum adesse,raptim totis castris ad arma,signis canere iussis,concurritur. Superueniente hostium multitudine, Hispani in castra retro cessere. Hac securitate hostium motus Octauius Franciscus,suorumq; Italorum alacritate animatus, similem occasionem bene gerendæ rei sibi dari optabat. Permittente Cæsare cum parte peditũ & equitum, quos Sabellius & Vitellius ductabãt,& ipse ea loca quæ ab hostibus insidebantur,speculatum proficiscitur. Vbi sensit omnem eam regionẽ syluosam,esse & insidijs

insidijs opportunam, partem copiarum in sylua abdit, ut hostes inordinatè effu-
sęq; pabulatum frumentatumq; egressos, & per subiectam planiciem decur-
tes, de improuiso adoriretur. Non latuerunt Hessum insidiæ, per exploratores
cognitæ. Italos quosdam pabulandi gratia in proximos pagos incautius effu-
sos, undiq; coorti inuadunt. Itali intrepidè arma expediunt, & hostibus occur-
runt: sed in fugam inclinarant, nisi uelites in campum emersissent. Cæsis utrin-
que ad postremùm multis, lassitudo utrosq; in castra cõpulit. Et quia Hessus
in hac dimicatione superior esse uidebatur, literis ad ciuitates socias datis spar-
sit, Cæsarem duplici clade à se affectum fuisse: una ad Ingolstadium, circa op-
pugnationem castrorum: altera, prope hanc syluam, ubi Octauius Farnesius
fusus, fugatusq; fuisset. Sub Lantgrauij discessum paulo antè fossores transire
Danubium iusserat Cæsar: ibiq; propter castrorum angustias, dum reuocaren-
tur ad labores castrenses, hærere. Eos tum reuocauit, ut castra, unde Hessus ces-
serat, ualidius communirent. Ad ea tutanda Bohemos, & Germanorum pedi
tum cohortes reliquit: & aliam circa pontem ad prohibendum transitu Itali-
cas copias, quas diuturniori militia grauari senserat, spe opimæ prædæ, ex dire
ptione urbis alicuius opulentæ, ui capiendæ, in Germaniam excitas. Inter ista
ad Cæsarem adfertur, dissidium inter duces de belli ratione ortum: Hessum, ex
ercitum diuelli non pati: Saxonem contendere contrà, bipartitò copias distri-
buendas: quando Cęsar ad pugnam euocari non posset, ut cum earum parte in
Saxoniam ad sua tutanda aduersus Ferdinandi regis incursionem rediret. Ide-
nim præstare, quàm diutius procul à Saxonia abesse, & militem in castris ocio-
sum ignauia corrumpi. Tempus iam propediem postulare, ut exercitus in hy-
berna deduceretur. Impedimenta per autumnalem pluuiam salebrosis ujs ne-
que in Saxoniam, neq; in Hassiam traduci posse. Cæterùm uicit Hessi consiliũ:
& transito riuo, atq; uniuerso exercitu in duodecim turmas diuiso, secundis ca
stris Neoburgum, quod nuper firmo præsidio impositio munuerant, peruene-
runt. Reliquerant in huius suburbio tria Heluetiorum millia, missis aliquot
cohortibus Rainam, & Danouertum præsidijs uacuum. Per hos dies Ingol-
stadium fama perlatum fuit, Bohemos à Rege in Saxonum agros populatum
missos, uicos incendio opima præda armentorum abacta uastasse, ac proscri-
ptionis iure oppida aliquot ignobilia cepisse: & Mauritium Misniæ Ducẽ sua
quoq;, quæ ab Electore Saxone sibi adempta fuissent, summa ui recuperare cõ
nixum. Saxo & Hessus biduò non plus ad Neoburgum morati, transmisso Da
nubio, relictisq; tribus tantum cohortibus, Danouertum repetiuerit, & castra
ad Vendingam locarunt. Iam mille passuum à Nouo Foro Buranus castra po-
suerat, ut in principio huius libri dixi, cùm per literas à Cæsare fieret certior, ho
stem Vendingam iter auertisse, ut ei cum omnibus armatis copijs occurreret:
caueret, ne faciendo itinere defatigato exercitu, in certamẽ cum tanta hostium
multitudine descenderet. Septem millia ab Ingolstadio aberat. Triduo hic mi-
litibus ad curanda corpora & animos dato, priusquam ad reliquum iter accin
gerentur, Schamburgius concione aduocata talem orationem habuit: Locus
postulat, milites, ut de reliquo itinere uerba apud uos nunc faciam, & uos peri-
culorum securos moneam: quo alacriores, cautioresque ad eos ipsos labores,
qui pauci adhuc supersunt, tolerandos sitis. Quanquam ita uos promptos, pa
ratosq; ad grauia uiarum tædia perferenda hactenus expertus sum, ut nullo uo
cis meæ classico nunc opus esset: duo tamen monuisse uos uelim, quorum unũ
licet spem, alterum metum sit facturum, utrunq; tamen calcar uobis ad cætera
pericula deuoranda addet. Dies unus insequẽs, & nox una diei continuata nos
ad Ingolstadium sistent. Nulli amnes aut montes obstabunt, qui lassitudinem
aliquam sint allaturi. Quanquam montes uel in cœlum assurgentes, spõte cur-

rentibus,

rentibus,& uiam uorantibus,uerrucæ uideri possunt: contrà ignauis, loca etiam campestria grauia:cuiusmodi tamen inter uos nullos esse arbitror: aut, si sint,sanè perpaucos. Deinde,quoniam Lantgrauius cum triplice agminè nobis occurrere per speculatores,& Cęsaris literas(Vendingam enim auertit iter) nunciatur,ut animos periculis imminentibus æquatos habeatis,edico. Arma in expedito habete,animis strenui,manibusq; ad pugnandum prompti. Nullum uobis terrorem,nullam trepidationẽ faciat,quòd multitudine illi uos superent. Reputate apud animos uestros, quo genere hominum exercitus eorũ sit conflatus: ex incondita hominum colluuie, & imbelli inermiq; turba, ex agris taptim contracta. Contrà,uestrum exercitum militibus spectatæ uirtutis,et ueteranis,qui uarijs & magnis iuxtà bellis exercitati sunt, constare: raros admodum esse,qui nulla stipendia antehac fecerint,nouos milites. Si hostes uerò senserit,uos intrepidos,refectis corporibus,& ad confligendum paratos procedere:ipsi illis eritis,magis quàm illi uobis,terribiles,milites. Hac existimatione cum trepidatione repulsi,retrocedent,refugientq;:nos ferratas equorum in fugam inclinantium soleas legemus. Quamobrem in omnem gerendæ rei casum animos parate,memores uos uestra uirtute uobis gloriam, Cæsari uerò salutem in rebus angustis parturos. Et iter cùm fugæ præcisum sit à tergo,uia per hostes,si nos operiantur,armis patefacienda est. Quoniam igitur hinc necessitas,inde gloria proposita est,arma parate:ut ubi tertium signum datum fuerit,bonis auspicijs castra moueamus. Postquam in hæc uerba Schamburgius perorauit, iterari sacramentum iussit,ac sumpto cibo paulisper interquieścere. Inde conticinio noctis silentio ad colligẽda uasa conclamato, iter ingressi sunt. Sequenti die bis hostium pecuniam in stipendium missam, à Burano interceptam fuisse ferebatur. Nocte quæ diem illum insequuta fuit,composito agmine procedentes,cùm haud longè ab Ingolstadio abessent, in ea sylua quæ urbi in conspectu obiacet,quia faciendo itinere non solùm lassi erant, uerumetiam fame ac siti propè conficiebantur,nusquam hoste uiso, castra posuerunt. Burano ad tertium milliare pleraq; nobilitas gratulabundi, cognito eius aduentu, occurrerat. Manè omnem exercitum composito agmine è sylua eductum,trifariam partitus fuit:ut seorsim Hispanos in aciem cogeret, reliquas uerò copias Germanorum militum bifariam diuideret. Equitatum omnem ex æquo distributũ,pari numero pedestribus copijs adiunxit. Huc Cæsar cum principibus honorificè ei obuiam processit,atq; hilari amplexu excepit. Ibi inter gratulandum salutandumq; omnia muralia tormenta, & alia opera bellica, ut imperatum fuerat,cum horrendo cœli fragore emittuntur. Contrà,statim è castris simili tonitruo applausum fuit. Ferunt Burano postea Cæsarem percontato, ex qua gente,si cum hoste acie decertandum foret,uelitares, qui pugnam lacesserent,ante robur exercitus præmissos deligi placeret,(hos Germanorum loquẽdi consuetudine deploratas & perditas copias is appellabat) Non deploratas Burane,non uictas,sed uictrices copias, uictores uelites habere uolumus, respondisse. Quod dictum à circumstantibus Principibus in omen arreptum, certissimam uictoriæ fiduciam fecit. Ad hunc modum Buranus Norimberga digressus,à Cæsare de hostium occursu & insidijs factus certior,flexa uia Ratisbonam,ne obuius fieret,decimo quinto,kal. Octobres in castra Ingolstadiana peruenit. Quòd segnius,quàm expectasset Cæsar,adesset,tardius quæsitam pecuniam in stipendium se accepisse,in excusationem adduxit:non autem hostium,quos semper retro fugientes esset sequutus,metu retardatum. Ex quo è statiuis mouisset, non plus quatuordecim diebus tam impeditos saltus, & longos uiarum anfractus,inuias paludes,& collium difficultates cum exercitu armis graui, cum tormentis, machinis, alijsq; operibus superasse. Castra inde

quingentos passus à Cæsare, à quo affatim commeatus illi missum fuit, locat.
Paucis diebus ibi statiuis habitis, quies militibus ad reficienda squalida itine-
ris tanti incommodis, ac propè efferata corpora, est concessa. Hostes castra ad
Vendingam, oppidum quod Oetingico Comiti paret, posuerant. Inde tertio
die, dilapso præter expectationem Burano, Danouertum præsidio satis firma
tum repetiuere. Nunciatur Cæsari, huc Christophorum Oldenburgium, Fre-
dericumq; Ripenburgium cum duabus legionibus, & Comitem à Bichlia cũ
quinq; peditum cohortibus, cum Hesso se coniunxisse. Cæsar sublatis castris,
Neoburgum, ubi tres cohortes præsidio ab Hesso relictæ fuerant, contendit.
Non diu hic cunctatus, cùm uideret oppidanos animis obstinantes, nec ad de-
ditionem inclinari, omnis generis tormenta & machinas ad sternendos muros
expediri iussit. Oppidani posteaquam Hessum, quem in tempore adfuturum
crediderãt, si sustinerent uel unum diem obsidionem, segnius ad ferenda auxi
lia adesse senserunt: & ipsi, & qui in præsidio erant milites, oratores ad Cæsarẽ
ueniam, fidemq; eius petitum miserunt. Facta deditione, hac lege præsidiarijs
ignouit, ne postea in se arma inderent. Recensuit Cæsar Germanorum equi-
tum, peditumq; copias: quibus soluto stipendio, præsidia ex Ingolstadio dedu
xit. Diem non amplius ad Neoburgum moratus, circa serum diei in castra re-
uertitur. Duobus pontibus iunctus Danubius erat: tertium tanto exercitui tra
iiciendo, ab ea parte ubi insulam facit, raptim ita fecit, ut partem eius ex hostiũ
ratibus coniunctis ab insula ulteriori ripæ pluribus retinaculis religatam, ita
pontis in modum sterneret, ut adactæ fistucis in flumen trabes aduersi impetũ
amnis superiorem sustinerent, ne rates fluitando loco mouerentur. Sic eques
pedesq;, uelut per solidam terram, Danubium transibant. Alteram uerò partẽ
pontis, quæ à citeriori alueo in insulam porrigebatur, de suis scaphis, ac lintri-
bus coriaceis leuiter uinculis pontonum in modum annexis ita parârat, ut trã-
seuntibus agminibus continentem uelut pontem immobilem præberent. Sed
priusquam captum à Cæsare Neoburgum esset, Lantgrauius Laugingam fru-
mentatum (Bauaricæ ditionis oppidum est) profectus à Danouerto fuerat, ut
quidam produnt. Oppidani ubi aliquandiu deditionem detrectassent, ad ulti-
mum magnificis libertatis patriæ seruandæ promissis illecti, in deditionem ue
nerunt. Haud diu hic moratus, collecto undiq; magno frumenti exagris nu
mero, castra repetiuit. Per eos ipsos dies ab Hesso literæ ad confœderatas ciui-
tates datæ sunt: quarum ego hunc tenorem fuisse accepi. Res magnas se gere-
re, & quidem prosperè: easq; se indies meliores futuras sperare. Sed ad eas præ-
standas tempore opus esse. Cæsaris castra in arctum ad Ingolstadium coacta,
quatuor oppugnationibus grauiter afflicta fuisse, ut plura hostiũ millia, quã
si acie decertatum fuisset, occidissent. Captam à se pleramq; Italorum Hispano
rumq; nobilitatem, cæsos plures. Superesse Cæsarem cum Albano ac Bura-
nio, qui bellum tantum & tempus traherent. Et debellatum iam fuisse: nisi Co-
mes Buranus cum recentibus è Belgis copijs iam superuenisset. Cæterùm,
quòd promissis euentus non responderet, ut iam uel captus esset, uel è Germa-
nia pulsus cum extorri agmine exularet Cæsar, in causa fuisse, quòd ille pugnã
detrectaret. Post quatuor oppugnationes castrorum, se Danouertum eo con-
silio mouisse castra, ut illum in prælium eliceret fugienti similis. Denicq;, quo
propior belli conficiendi spes esset, hoc magis exercitum omni ope iuuandũ
esse. Se procul à domo bellum gerere: magnum exercitum, magnam frumen-
ti, pecunięq; uim cõsumere. Mittendam pecuniam in stipendium, ne in rebus
auspicatis militi ad oppugnandum parato materia ad restitandum, aut ad se-
ditionẽ præberetur. Huiusmodi iactationibus plenas literas, sparsas ab Hesso
ad socias ciuitates fuisse, fama constans tenebat. Impleuit nimis luxuriantil æ-

titia

litia suorum ante perfectum bellum animos, cùm uiuo Cęsare tantum hostium supereſſet, quantum initio ſuſcepti belli. Cumq; amnis Danubius ſuprà infraq; ferme Cæſaris eſſet, nec tranſitus prohiberi, nec commeatus intercludi poterat: contrà, Lantgrauius cedendo ſemper, propter tantam hominum multitudinem inopia omnium rerum neceſſariarum, ac penuria premebatur. Tum Cæſarem tradunt conſilium de inſequendo hoſte refugiente, & Neoburgo capiendo, quod tum obſitum, tum propter omnium rerum exuberantem copiam ſibi oportuniſsimum uideret, cum Burano cepiſſe. Abeſt ab Ingolſtadio mille quingentos paſſus, agro campeſtri mirè feraci frugum, ac pecorum abundanti. Poſtridie quàm eius oppidi ſitum (ut paulo antè memoraui) pedes cum Albano perluſtraſſet, manè ſub exortum ſolis ab Ingolſtadio mouit, & traducendo exercitu trans tres pontes in conſpectu Ingolſtadienſium totus dies conſumptus fuit. Relicto Burano in eo loco ubi metârat, quòd nondum ſatis refecti à factatione milites eſſent, ipſe octingentos paſſus à Danubio latiſsimè ſua caſtra, propter diuerſarum gentium diſſonas uoces, contra Neoburgum, extentiſsima planicie porrexit. Traductis copijs conſtituit Cæſar, deinceps triplici agmine ita incedere, ut unumquodq; duplici acie moueretur: Buranus & Albertus Pruſſus, uices ita inter ſe partirentur, ut uiciſsim fronte & terga interuallum protegerent, clauderentq;. Si hoſtis quâ obuius fortè eſſet, Hiſpanis Italiſq; in medio tectis, ipſi primum impetum, & uim cum Belgarum robore, quibus maximè fidebat Cęſar, exciperent. Aliquot cohortes in ſtatiuis ad urbẽ Ingolſtadium circa impedimenta & opera bellica, quæ nondum tranſportata erant, cuſtodię reliquerat. Vetuerat inde diſcedens, ne ſubſequuturi caſtra igne iniecto corrumperent. Licentia tamen militari factum, quòd ardentibus aliquot tentorijs flamma per tota caſtra proſerpſit. Poſtridie Cæſar propius Neoburgum promouit caſtra, atq; urbem undiq; obſedit. Quæ res ſpeciem præbebat, quaſi multis ſimul locis muros operibus diruturꝰ eſſet, & per ruinas & ſemirutas muri partes eam inuaderet, ſi obſtinatos uidiſſet. Tum demum tradũt oppidanos territos, ne aditu armatis in urbem patefacto inuaderentur, Coſſ. ad petendam pacem & ueniam miſiſſe: ac defectionem deprecatos, omnia imperata ſe facturos promiſiſſe. Cæſar oppidanis uitam, fortunas, libertatemq; integram conceſsit. Milites, qui in præſidio erant, in eam inſulam, quam Danubius contra arcem facit, traijciuntur: ibi conſidere iuſsi, donec inde reuocarentur. Vrbi aliquot Italorum militum cohortes impoſitæ præſidio. Et ne quis oppido dilaberetur, equitibus armatis muros cinxit, ſtationibus ad portas oppoſitis. Ipſe propius paulò urbem caſtra mouit. Huc dediticios ex inſula acciri imperat Cęſar, & arma tradere. In quos cum ferro animaduertere ſuo iure potuiſſet, quòd in ſe arma ſumpſiſſent, liberos ſine mulcta ſtipendij menſtrui in capita tamen dimiſit: infortunium habituros, ſi cum telo aduerſus ſe in poſterũ deprehenderentur. Simili lenitate in tribunos & centuriones eorum uſus fuit, cũ quorundam fraude in eum errorem pellectos fuiſſe ſe excuſarent. Sequutus Cęſarem tum fuit Buranus, ac traiectis copijs cum eo ad Neoburgum caſtra coniunxit. Hiſpanos, quos ſecum adduxerat, in caſtra Hiſpanorum, quòd neq; lingua neq; moribus cum Germanis ſatis conuenirent, traduxit. Ibi demum poſtam impediti ac difficilis itineris labores, inedia inter Belgas, propter inopiam coctæ ceruiſiæ, cui ea gens aſſueuit, primùm laboratum fuit. Itali, quos oppido cuſtodiæ dederat Cæſ. & ab iniuria omni abſtinere iuſſerat, repẽtè ad uim aperſam conuerſi, omnia hoſtilia patrare, ædes priuatas & diuorum delubra diripere, in primis arcem, in quam primores quãtum precioſarum rerum erat, ſub aduentum Cæſaris, tanquam in tutum aſylum congeſſerant. Deiecta uetuſta monumenta ſunt & regiæ magnificentiæ donaria: ſigna, aliaq; ornamenta eius

generis multa uel sublata, uel deiecta, in quæ Otho Henricus princeps omnes propè suas facultates cum memorabili naufragio fortunarum profuderat. Cæsar Italorum scelere, sed serius, accepto, Marignano mandauit, ut suorum licentiam coherceret, & ex arce deduceret. Oppidum, ex quo in deditionem uenit, non prędę ipsis, nec arcem rapinæ, sed tutandam datam. Cætera Duci Albano ita commisit, ut curaret, ne oppidani militari licentia uexarentur. Præsentem rerum statum non hostilia in dedititios, sed pacem & clementiam postulare. Pari atrocitate ab Italis in rusticorum miserum uulgus sæuitum fuit. Violatæ initiatę uirgines, earũq; penetralia, â quibus hostis abstinuerat, fœdè direpta sunt. Ita qui maximè tutatum religionem uenisse se in Germaniam uideri uolebant, maximè eam debellabant. Sed in authores scelerum ultimo humanorum supplicio animaduersum fuit. Sequenti triduo recensuit Cæsar equestres pedestresq; omnes copias. Nouem millia equitum fuêre, peditum quadraginta quinq;, præter auxilia Belgica. Tradunt scriptores, quos sequimur, aliquanto exercitum maiorem fuisse: sed multos morbis aut calamitate haustos, partim clandibus absumptos interijsse. Per hos dies Martinus Gutzmannus, uir primę nobilitatis inter regulos Hispaniarum, literarum elegantiorum apprimè doctus, & humanus doctorum hominum Mœcenas, à cubiculis Ferdinandi Regis, recensenti exercitum Cæsari superuenit legatus missus: qui nunciauit, Bohemos in Saxoniam populabundos effusuos, quantum Saxonici agri sub Electoris ditione esset, uastare: captare arces, & oppida infirmiora nõnulla, & ignobilia, quæ uel haud multum morę, uel nullam in oppugnando præbuissent: & ante kalend. Octobris ad Vuittembergam, caput gentis, castra habituros. Saxo, ubi ex literis suorum & ipse accepit Bohemorum irruptionem, quatuordecim cohortes peditum, ac tria equitum millia præsidium ad Saxoniam tutandam è castris misit. Capto Neoburgo, cùm segnius omnia ab Hesso & Schertelo gererẽtur, ciuitates de belli negocio desperare cœperunt: sed neminem magis quàm Schertelum, qui belli initio uictorias, cędes, fugamq; Cæsaris spirârat, incusare. Hessus deditionis Neoburganæ ignarus, per idem ferè tempus ad decuriones oppidi literas dedit: quæ interceptę à Cęsarianis, & lectæ, in hanc sententiam fuere: Se à speculatoribus cognouisse, Cæsarem iter eò uertere. Velle, adeoq; ipsis ut fidis socijs mandare, ut uenientem, ut dignus esset, excipereẽt. Radiantes terrore armorum rebus suis diffisi, legationes ad Cæsarem de pace pertenda miserunt, se suaq; omnia illius clementiæ permittentes: hostium potentia, terroreq; magis, quã sponte in potestatem uenisse. Præsidiarios, direpto oppido spolijs onustos excessisse. Cæsar legatorum flebilibus questibus motus, supplicibus pacem dedit, missis aliquot Hispanorum cohortibus aduersus impetum hostium præsidio. Recensuit inde ad Neoburgum Belgica auxilia, neq; inde nisi persoluto stipendio abscedere statuit. Mox deductis è Neoburgo Italicis præsidijs, duas Germanorum cohortes submisit in oppidum: ac reuocatis è Raina in castra Hispanis, de Albani sententia, Bauaricas cohortes imposuit. Hinc fama ad hostes permanauit, Cæsarem Augustam petiturum. Hessus, utin de eum prohiberet, omnes copias Danubium traduxit. Sed ubi intellexit, Cæsarem Neoburgo præsidijs firmato, Marxęmũ contẽdere, in Danouertiana castra, unde exierat, exercitum reduxit. Hac re comperta Cæsar, Neoburganis iureiurando pressis in fide & amicitia obedientes permansuros, consilium cepit ad insequendum hostem, quærendamq; occasionem conferendę pugnę. Pontib. supra Danubium à se factis, & eò quòd amnis ad Neoburgum iunctus erat, refractis, atq; in uehicula coniectis, Danouertũ, quò hostes omnem apparatum belli & opera contulerant, qua potuit celeritate proficiscitur, & ad Marxæmum quatuor millia ab hostib. sua castra ponit. Sylua inter utraq; castra uirgultis

gultis ramorumq; depẽdentiũ fragminibus uasta, perplexa ac impedita, uixq; singulis bigis peruia, media erat. A Cæsarianis castris usq; ad Monhaimum octo millibus passuum porrigitur. Ne in explorato longius proficisceretur Cæsar, cohortes aliquot syluam exploratum præmisit, quàm prope hostem castra sua promouere posset: num illa composito agmini usquam sine discrimine & impedimento peruia esset. Confert ista cum Burano & Albano: ostenditq; optimum esse Danouerto potiri, quòd huc omnem propè commeatum & opera hostes congessissent. Simul his mandat, ut eam regionem quæ inter duas syluas media est, præsentes attentiori cura explorent: firmi ne quid ibi esset, ac fidi, an nihil fidi contra hostes, quos tripartitò Lycum amnem transisse acceperat. Exequuntur imperium sine mora. Erat ad eã rẽ tutissima celeritas. Adscitis aliquot hi leuis armaturæ equitibus, & ordinum ductoribus: multisq; uoluntarijs spectatæ uirtutis, syluæ impeditæ singula loca diligenter perlustratum uadunt. Peruenerant ad ulteriorís saltus finem, cùm hostium castra ad coniectum globi machinæ campestris ab ora extremæ syluę aggere circundata è uirgultis densis procul conspiciunt. Albanus relictis in sylua equis, pedes paululũ progressus cum quinq; comitibus, cliuum conscendit: & hostium castra, eorumq; situ ita oculis perlustrat attentè, ut quæ oportuna Cæsari uiderentur, & hostibus contrà essent, diligenter notaret. Hi cùm leui momẽto ab edito colle operibus emissis summoueri potuissent, neq; à stationarijs, neq; ab ullo mortalium qui in castris erant, conspecti sunt. Adeò moliendis aggeribus castrorum, & fossis incumbebant. Vallis, quæ inter duos cliuos in planicie extenta quadringentorum passuum media erat, in modum fossæ item castrorum frontẽ protegebat: latus dextrum tutabatur Danubius: tergum uerò, ipsum oppidum, & flumen quod in Danubium effunditur, claudebant. Situm castrorum ad hunc modum maximè oculis permensus Albanus, celeriter ad Cæsarem redit, & exponit singula, sed duplicem incommoditatem obstaturam, si contra hostem in eo loco castra locaret: unã, angustiã loci arctiorẽ, quã pro tãta hominũ multitudine ad concurrendum: alterã, ut planicies extenta satis esset, castra ita communiri nõ posse, ut globorum missilium iactibus non exponerentur, adeò nudos sine ullo firmo munimento assidere oportere. Adde, ob præruptí aluei altiores moles aquandi difficultatẽ, & pleraq; locorũ uliginosa. His Cæsar difficultatibus anxius, consilia curasq; omnes huc conuertit, quò præmendo urgẽdoq; Hessum ad dimicandi necessitatem compelleret. Et uastæ syluæ obstabant, quo minus id quod cõstituerat, potuit perficere. Nec hostes ab Danouerto abscessuri uidebantur, quandiu ibi castra haberet. Itaq;, quo eos à Danouerto abduceret, uisũ fuit optimũ, aliũ locũ castris eligere: cepitq; consiliũ, iter inde Vendingã auertendi. Quod quidem ne temerè incœptaret, chorographiam Germaniæ proferri, atq; ob oculos in plano explicari iussit. Ibi singula loca quasi in re præsenti perlustrat, non solum urbes, sed flumina etiam, saltus, montes, planicies, herbida terrena millium interuallis distincta, paludes, stagna. Tum ut horum locorũ quisq; uel apertior, uel opportunior ad alendum exercitũ, aquandum, frumentandũq; cũ usus postularet, uicissimq; intercludendũ hosti cõmeatum, esset futurus. Vendingę situs quatuor millia interuallo à Danubio occurrebat loco cãpestri, et planicie passa, ac nulli uicinarũ regionũ fertilitate, frugum copia, reiq; pecuariæ abundantia inferior. A Vendinga, Norlinga uergit in occasum. Interim priusquã discederet, dum paucis diebus in ijsdẽ castris moratur, indies per syluam leuibus, sed sine momento ullo, certaminibus dimicatum fuit. Nuncio in castra Cęsariana afferebatur, tyrones & lixas uuas carptum in colles proximos effusos, ab his agi rapiq;. Marignanus celeriter mittitur celocibus aduerso flumine, quòd cõpendio illi hoc pacto circũueniri posse uiderentur. Itaq; op-

pressos partim interfecit, partim captiuos in castra abduxit. Sequenti nocte Cæsar mille leuis armaturæ equites cum peditum cohorte una misit, qui maturato itinere, hostium excubias, quanto maximo silentio tentarent. Illarum enim intercipiendarum, quòd oscitantius agi dicerentur, spes affulsit, & fiduciam dedit. Manè statim ab exortu solis, ubi per nuncium trepidum cœptum parũ prospere successisse intellexit, mille equitum Germanorum, quorum dimidia pars leuis armaturæ atrati erant, laborantibus subsidio submisit, ratus hac arte omnes copias in apertã planiciem perlici posse. Ipse in dimicationis euentum intentus, erectusq;, cum robore equitum ad dimidium itineris processit. Vbi uerò accepit hostes intra munitiones subsistere, neq; in propatulum castrorum prodire audere, de spe sua deiectus, in castra copias reduxit. Postridie edixit, ut ad secundum signum collectis sarcinis, ad mouenda castra instructi essent: cum nunciaretur, hostes in insidijs proxima sylua abditos esse. In eos Germanorum equitum, adiunctis quadringentis equitibus Hispanis ob leuitatem agilitatemq; equorũ, turmæ mittuntur. Ab his retrò, cæsis hostiũ paucis, in castra compulsi fuere. Datur interea signum ad colligenda uasa toris castris: mittunturq; speculatores per auia & deuia uiarum exploratum, num tuta ab hostium insidijs essent omnia. Coorta nebula & densa & frigida, incedentibus compositò agmine prospectum omnem adimebat: cùm nunciatur, hostes ad prohibendum transitu Cæsarem, syluas ac tumulos passim insidere. Itaq; mutato repentè consilio, dato signo milites ad suam quenque stationem rediri imperat: & Buranum cum quatuor Germanorum equitum millibus, partim atratorum leuis armaturæ, partim hastatorum Danouertum ad hostẽ in iustum prælium euocandum regredi mandat. His adiunguntur è Belgico robore peditum millia octo. His copijs instructus Buranus, postquam Danouertum uenit, tantum abfuit ut ab hostibus ei obuiam procederetur, ut ne gregarius quidem extra munitiones apparuerit. Petitus tantum, sed incassum, hinc tumulis, inde syluis protectus, aliquot serpentariorum iactibus fuit. Tandem è latere castrorum equites quingenti sclopis armati erumpunt, qui procursando refugiendoq; leuem dimicationem lacessunt: quibus Buranus expeditos aliquot, cum parte equitatus atrati obiecit. Quinquaginta hostium interfectis, sedecim capiuntur. Ab his iurisiurandi religione, quis castrorum status, quæ consilia agitarentur, quæq; consultatio inter principes teneret, expressum est. Cognitum ex his fuit, tertio exacto mense partem equitatus exauthoratam, discessuram, Seditione pedites, quòd stipendium nullum persolueretur, miscere omnia. Heluetios, qui spe ditis stipendij ex Heluetia ab bellum extracti fuerant, singulos daleros, non plus, toto eo tempore accepisse. De spe sua deiectus Cæsar, quia hyems erat, postridie cum omnibus copijs castra mouit: ac Monhaimum, præmissis qui cum cura itinera explorarent, petiuit. Rursum caliginosa nebula, quæ coorientem solem obtenebrabat, haud sanè parum uadẽtibus infesta erat. Sed quamuis spissa, sub meridiem tamen incalescente sole in totum dilapsa fuit, Transportato exercitu, aciem ad istum modum latissimè exporrectam duxit Cæsar. Læuum cornu primi equites leuis armaturæ per æqua & iniqua collium procedentes tenebant, quà hostium castra exiguo inde spacio prospiciebatur. Hos subsequebatur hastatorum magna uis. Pedites, equites, ceu munimento protecti, sequebantur: Itali primi, & post eos Hispani. Horum terga claudebant Belgæ tormentarij de Burani copijs. Dextrum cornu tuebatur peditum hastatorum robur. Equites hastati cataphracti eorum tergis hærebant. currus post hos bellicis operibus, commeatuq; onusti mouebantur. Ad postremum ingens uis uehiculorum impedimentorumq;, mixta equitum peditumq; multitudine, sequebatur. Inter hæc duo cornua, machinarum bellica-

bellicarum & operum moles, currus globis & puluere tormentario onerati trahebantur. Edicto cauerat Cæsar, priusquam Danubium copias traduceret, ne pedes eques ue, centurioue aut tiro, inter ductandum circa opera media deprehenderetur: deprehensi ferro percuterentur. Monhaimum, quod à Marxæmo mille passus interuallo disiunctum est, initio belli in deditionem acceptũ, clausum teneri iusserat Cæsar, ac se ita comparare, ne hostium uel blandimentis, uel pollicitationibus, uel insidijs circumuenirentur. Hoc cùm pacatè prætergrederetur, neq; quisquam suorũ, neq; ipse intromissus fuit. Castra ibi locauit, cœlo iam tum pluuio, non procul ab eius suburbio, rarís ædificijs & habitatoribus exculto. Loci ingeniũ huiusmodi est, ut eius aqua humano usui ac potui parum sit apta. Itali Hispaniq;, quibus meracum uel aqua fluuiali fontanaue diluere, uel aquam meram bibere mos est, potus tanta laborare penuria cœperunt, ut cùm uinum aqua permutare potabili cuperent, desideraretur. Huius miseriæ in transitu Danubij multi prȩmoniti, utres ex amne oneratos secum asportarant. Viuaria ingentia uisa ab equis exhausta, postridie miraculi speciem spectantibus militibus præbuerunt. Cæsar hac inopia, ipse æger pedibus, motus, ad mouenda castra, unam tantum noctem ibi moratus, signum dari iussit: ac Vendingam, sed agmine minus composito quàm pridie, lectica uectus maturauit iter. Duobus passuum millibus à Monhaimo Vendinga abest.

LAMBERTI HORTENSII MONTFORTII HISTORICI DE BELLO GERMANICO LIB. III.

LEgationes Confœderatorum ad Gallorum Anglorumq; reges nuper de præsidio, quo ipsos tuerentur, missæ, irritæ fuêre. Nam Gallus pacem cum Cæsare nuper factam uiolare religiosum ducebat. Et quanquam ille religionem ex iureiurando in fœdere ex presso injiciebat, arma tamen summissa, ne Cæsaris potentia nimium cresceret, occultè cupiebat. Ne à se præsidia igitur missa uiderentur, Petro Strozæ Florentino, homini apprimè pecunioso, hortator fuit, ad mittendam mutuò illis pecuniam trecentorum millium aureorum. Debebat rex Florentino grandem pecuniam, fœnori superiori bello Gallico acceptam. Hanc, quò fœdus adiuuaret opera aliena, illi ad plenum persoluit. Stroza id fecit lubens, maximè quòd Argentoratenses, Augustani & Vlmenses pro eo argento sponderent, & cuius animus beneuolus inclinaretur in Germanos. Ad eam conquirendã pecuniam in Galliam missus fuerat Ioãnes Sturmius: cum quo Stroza in castra Danouertiana profectus, à Ducibus ea qua conueniebat magnificentia honorificè exceptus fuit. Discedens inde, diem præstituit, ad quem pecuniam annumeraret: sed diem is non seruauit, Cardinalis Tornonij artibus mutato in diuersum animo, ut tum creditum fuit. Oderat is infestè Confœderatos, & eorũ religionem: pollebatq; apud Regem summa authoritate, cuius animum fingere, & ab illis alienare haudquaquam ei fuit ob id difficilè. His ipsis diebus literæ è castris ad Danouertum à Ducibus, ad Heluetiorum ciuitates, Tigurinos, Basilienses, Bernates, Schafhusianos dantur: quibus indicarũt, quo in statu bellum uerteretur, quòd moliretur Cæsar: & quod discrimen ipsis ab eo immineret, si uinceret: simulq; monẽt, ut in commune consulerent, esset ne

è rebus ipsorum, Cæsari ac Pontifici R. se hostes denũciare, an non. Q. si uidere
tur, Cæs. multis simul locis finitimis bellũ facerẽt. Huc si inducerentur, præsidi
um, quo ab illo eos tuerentur, & omnẽ fidẽ bellãtibus uicissim pollicentur. Ad
ista ad hunc modũ fermè responsũ fuit: Sibi in primis, & uniuersę Heluetiorum
genti amicitiã perpetuã, & societatẽ è fœdere cũ Austriaca Burgũdicaq; fami
lia necessariã esse: neq; ius neq; fas esse eã uiolare, q; ex ijs regionibus uini ac
frumenti copia in necessarios uitæ usus ipsis esset. Si ipsi iam rupto fœdere ar
ma Cæsari inferrent, quid aliud expectandũ, quàm ut reliqui Heluetij diuersæ
religionis, ne cõmeatus ipsis intercluderetur, pro Cæsare & Ferdinando arma
aduersum se, prædæ in medio, ac direptioni relictos, uicissim sumerent? Sed &
per Alpes uiarũ angustias & fauces, quas maximis difficultatib. clausissẽt, illi
rursum aperirent. Ad hęc, adesse hyemẽ, per cuius intemperiẽ exiguũ admodũ,
aut nullum operæ precium memorabile, si maximè uellent, facerent. Præterite
interim, periculum fore, ne si cardines suos transgrederentur, alij in suam ditio
nem populabundi irruerent. Proinde, & sibi & ipsis utile esse, quod recusare si
li non possent, quietos se domi continere: tum enim futurum, ut sociæ ciuitates
à motu ac tumultu se continerent. Beneuolum se erga ipsos animum gerere, &
prospera omnia ac læta optare: id quod non obscurè rebus ipsis nuper coargu
isse. Sed in præsentem calamitatem se præcipitare, recusandũ omnibus mo
dis esse, quod timentibus ignoscere deberent. Occupaturus erat Cæsar castris
locum ad Vendingam, cum nunciatur, Hessum de relinquendis castris cogita
re. Id ubi sensit, aliquot cohortes sagittariorum, qui extremum agmen claude
rent aduersus hostium equitatum, traduxit. E Vendinga magistratus Cæsari
obuiam processit, se suaq; omnia eius clementiæ permittẽs. Ignouit Cæsar erro
rem: mandauitq;, quò tuti ab Hispanorum Italorumq; libidine ac iniuria forẽt,
ut portas clauderent. Cùm iam circũduceretur exercitus oppidũ, nec in turrib.
nec in mœnibus quisquam uisus fuit. Id ita imperauerat Cæsar, propter milita
rem in oppidanos licentiam. Profugerant rustici, audito eius aduentu, ex agris
in urbes: stabula item, & pascua pecorum uacua reperta sunt. Castra in uico Pes
senhæmo, & pagis proximis ualle extentissima ponit. Tumulus medius erat,
in hoc tormenta, & omnia opera bellica disposuit, circùm Hispanos: imas radi
ces, & proximos radicibus pagos longè lateq; reliquas copias insidere iussit,
Fuit autem fortè is dies nebulosus, cum à Ducibus speculatores mitterentur
exploratum, quâ iter auertisset Cæsar: â quorum alijs alia relata fuerunt. Post
quàm autem à Ludouico Comite Oetingensi illum cum parte exercitus am
nem Vuernizam transgressum acceperunt, illicò tolli signa iussa sunt. Eodem
fortè tempore & Cæsar atratos equites aliquot speculatum miserat, num hostes
insequerentur. Hi renunciarunt, duas equitum turmas cum duabus cohorti
bus peditum, & operibus paucis campestribus à se uisas quidem: sed incertum,
quò uiam flecterent. Ista renunciantibus alius superuenit, qui hostem relicto
Danouerto sequi, adferret, à meridie duabus horis: & castra mille fermè passus
à castris Cæsaris ad oppidum & arcem Horborgum iam sole in occasum pro
no communire. Mandatur extemplò Albano, ut diluculo insequentis diei o
mnes copias in aciem educat, tanquam iusto prælio cum hoste tam propinquo,
quem mox adfuturum arbitrabatur, dimicaturus. Manè ubi aciem instruxit
Cæsar, quamuis podagra grauiter dextrum pedem infestabat, (iterum pesti
lens obscœnaq; nebula diei caliginem nocti propè parem sub exortum solis
induxerat) conscenso equo tres horas obequitando lustrabat exercitum. Du
rabat ea nebula totum fermè diem, tam atra ac densa, ut mutuus ordinibus
prospectus adimeretur: quare cum non remitteret, Cæsar ad capiendum cibũ
in tabernaculum Ducis Albani descendit. Norlingenses, Cæsare tam propin
quo,

quo, ab Hesso per nuncios auxilia, quæ urbi præsidio essent, aduentante petierunt. Is statim duas cohortes citatas submisit. Cæsar interim milites, dū dispalesceret nebula, ex acie ad curanda corpora discedere edicit, ut statim refecti recentesq; cum fessis faciendo itinere alacrius congrederentur. Hostes interim nebulæ beneficio freti, angustias duarum uiarum, quibus intercludi poterant, iam euaserant. Primam aciē Saxo Elector ductabat, mediā tuebatur Hessus, postremā curabant Ripenburgus & Georgius Malspurgus. Saxo cū legionibus, & equitū robore progressus propius urbem Norlingā, in summis collibus consedit. Secutus Saxonem Lantgrauius, cùm postremum agmen longius abesset, ne à Cæsare interciperetur, misit qui iter eos maturare iuberent: & alios qui Saxonem, ne longius discederet, reuocarent. A meridie nebula discussa, serenitas oboritur, cùm in summis collium iugis hostis in conspectu apparet. Mandauerat Cæsar equitibus, ut equos in omnem euentum ephippijs instratos tenerent, cùm ad reficienda corpora eos in castra remitteret. Inter utrūq; exercitum Egra fluuius medius interluebat, pedes uiginti non amplius latus, transitu difficilis propter altitudinē, & impetum uorticosum: collium, quos hostes insidebant, radicibus subiectus: tum quòd paludes ripę eius utrinq; equitem transitu prohiberent: ipse fluuius uno tantum loco uadosus: & equis superabilis. Iussit Cęsar, uiso hoste, omnes copias statim pro castris in armis adesse. Ipse altero pede (ut modò dictum est) linteolo obuincto, exercitum obequitabat; instruere aciem, hortariq;. Albanus totus in hostem intentus, Cæsari nunciat, hostes, quantum ex interuallo coniectare posset, se ad prælium parare: ediceret, quæ uiderentur. Ibi raptim in equo armatus, (nam per podagram descendere nequibat) Ne ego quidem pugnam, inquit, detrectabo, simul ordines procedere imperat. Buranus cum Albano primam aciem cum tribus equitum millibus tutabatur. Vtrumque ita suæ pedestres copiæ, Buranum Belgicæ, Albanum Hispanę sequebantur: ut triplici ordine procederent. Peditum legiones quatuor hic erant. Secundam aciem Italicæ cohortes constituebant, his præerat Madrucius. In hac Cæsar cum flore nobilitatis, Belgicis quatuor selectis cohortibus septus uersabatur. Peditum legionibus quatuor, equitum tribus millibus, & hæc constabat. Singuli Principes curabant suos: Maximilianus Austriacus, Ioannes Brandeburgensis, & Philibertus Dux Allobrogum. Tertiam uerò aciem Albertus Prussus, cum duobus equitum millibus, octo peditum, ita tenebat, ut cum secunda pari interuallo iunctus cum cohortibus Georgij à Regensburgo, quæ nouissimum agmen claudebant, moueretur. Equitatui parem atratorum equitum uim egregiè sclopis & uerutis armatorum adiunxerat. Videbatur is dies bello finem facturus, si in prælium descensum fuisset. Lanoius Sulmonensis, cum atratis equitibus, in dorso montis antè paulo acriter prælium lacessiuerat: neque uerò etiam tum se receperat. Dum hoc ordine acies procedunt, Cæsar Burano imperari mandat, ut properè ad amnem Egram contendat, et circūspectè eum cū equitatu suo transgrediatur. Facit impigrè imperata Buranus: ac dū flumē, ubi angustius quidē, sed transitu difficilius erat, suos traducit, secunda acies eius inhærens tergo, sed pari à tertia interuallo, paululum ad ripam substitit. Interim Cęsar cum Albano collē, und suis cōspicuus esset, speculatū quid animi hostib. qua fortuna suorū res uerterētur, cōscendit. Arbitratus hic hostium in æquor è iugis descendentiū in pugnā simulachra quędā prospicere, iussit ijs nūciari qui Egrā iā superauerāt, ut leuibus certaminibus omnes hostium copias in planiciem excirent. Vbi uerò accepit illos continenti agmine castra, quæ ad Norlingā erant, petere, ac pugnā detrectare, Buranū longius procedere uetuit: ac traducto equitatu retro amnē, in castra redire iussit. Sol uergebat in occasū, ubi in castra receptū fuit.

Ibi murmur indignantium militum, tam oportunam bene gerēdæ rei occasionem ereptam, passim exortum fuit: uictoriam in manu fuisse, si in hostem recta processum esset. Sed moram, & in uadēdo tarditatem, uniuersum uictoriæ momentū è manibus abstulisse. Vtrinq; cecidere, sed perpauci: & ex Italicis cohortibus cæsus fuit centurio Andreas Foroliuiensis. Mittuntur extemplò expediti nonnulli, qui diligenter suprà infraq; naturam amnis cognoscerent. Hi reuersi ad Cæsarem, eum multis locis esse uadosum renunciarunt. Postridie raptim pontibus iungitur: sed nebula, quæ rursum densior cooriebatur, dilationē moliendi, moramq; tollendi signa aliquam attulit. A meridie trāsgressus fluuium cū omnibus copijs Cæsar (nebula enim discussa conciderat) castra eo fermè loco posuit, unde hostem pridie eiecerat. Interim dū metandis castris occupatur, mittuntur aliquot cohortes & equitum turmæ, eam regionem quæ inter montem & Norlingam media est exploratum: ibi castra superiori nocte communiuerant. Simul ut leuia aliquot prælia faciendo eos in armis continerent. Sed cùm discursando hostes in propatulum castrorum prolicere nequirēt, in castra redierunt. Mouit Cæsar inde propius paulò, ut castra castris modico interuallo distarent, si ea uia illos ad pugnandi necessitatem uel inuitos traheret. Clarius iam illucente sole Ioannes Marchio Brandeburgensis ad dimicandum prosiciscitur è castris. Brandeburgensi occurrunt Saxones & Brunsuicenses, grauis armaturæ equites: pugnatur infestè cum aliquanta utrinq; clade. In primis nobilitauit id prælium casus Alberti Brunsuicēsis, Philippi F. qui multis acceptis uulneribus, per aduersum os globo traiectus, in castra semimortuus delatus fuit: & paucis diebus pòst Norlingæ moritur. Insequens nox continentibus procellis imbris effusi asperior fuit: quamobrem, cùm per tumultuariam castrorū mutationem nihil usquā parati esset, ut equites in syluis raptim tentoria leuiter excitarent, multæ rusticorum casæ, dum parum cautè struunt focos, conflagrarunt. Albani Ducis hospitium, incuria eius qui illi à cubiculis erat, dū incircūspectius conclaue, in quo eius lectus sterneretur, purgat, arsit. Postridie multi exanimes passim inuenti sunt, qui antea parū firma ualetudine, ea nocte frigore & cœli intemperie perierant. Fluentum Cæsar ponticulis aliquot iunxerat, per hos crebræ excursiones in hostes fiebant: sed illi è munitionibus haud prolici potuerunt. Pabulatores frumentatoresq; intercepti, & ab itinere in castra Cæsaris abducti sunt. Itali Hispaniq;, frustra uetante Cæsare, indies agrū Norligensē incendio & populationibus uastabant: ne à nobilium quidem quorundam, qui Cæsaris rebus studebant, castellis uim prohibentes. Sequenti die, qui septimus mensis Octobris erat, sub exortum solis, Hessus sublatis signis castra mouit: ac modico inde interuallo, ne Cæsarianis expositus facile esset, in cōualle, quæ quatuor montibus clausa erat, cōsedit. Huc extemplò mille atrati equites ad eos euocandos, lacessendumq; pugnam missi sunt. Sed ne tum quidem ad dimicandum acie è castris prodierunt. A pabulatoribus captis, percontatione facta cognitum est, ab Hesso edicto cautum fuisse, ne quis extra ordinē suo iniussu cū hostibus pugnaret, ne è captiuis status castrorum, pecuniæq; inopia confessione expressa Cæsari innotesceret. Marchio Brandeburgensis eodem die res fœliciter circa Horburgum, & quæ in eo est arcem, gessit. Oppidanos primùm: ubi ad mœnia accessit, ad uoluntariam deditionē perlicere conatus, postquā obstinatos uidit, obsessos undiq; oppugnare scalis ad mœnia illatis parabat. Id ubi uiderunt Horburgani, certā pernicie cernentes, sub ditionē, pacti salutem, & fortunarum incolumitatem, concesserunt. Horburgum sub ditione erat Caroli Comitis Oetingensis, medio inter Danouertum & Norlingam itinere situm. Ex Horburgi muris Danouertum petētes, missilibus infestè lacessi poterāt Cæsariani: quo sub ditionē redacto, tutū à Norlinga usq; ad Danubiū

pateſactū

patefactum erat iter. Deprædabantur Itali & Hiſpani continuis irruptionibus omnem eam regionem, ſpreto Cæſaris edicto: ad quem poſtquam crebræ ruſticorum querelæ, fremitus clamoresq; perlati fuiſſent, nullo imperio diſſolutam illorum libidinem coherceri poſſe, lictores cum equitũ Germanorum auxilio arreptum graſſatores infeſtos miſit: quos in uincula & compedes condi primùm, inde ſtrangulari iuſsit. Agitauit inter hæc de mutatione caſtrorum, cũ de prælio uoti compos non fieret. Et iam hyems eo tempore erat. Et quanquã hoſtes è munimentis euocare nequibat, id egit tamen, ne extra caſtra temerè uagarentur. Horburgo præſidia ad tutandum oppidum & arcem impoſita ſunt. Eo biduo Marchio Brandeb. cũ atratis equitibus circa hoſtiũ caſtra obequitare iuſſus fuit, ad, puocandũ in planiciẽ: ſed fruſtra id ſtudiũ fuit, cũ caſtris illi ſe tenerẽt. Creuit nõnihil intẽ iſta in caſtris añonæ caritas, plꝰ militũ, quã urbiũ, q̃ in fide iã erãt, uel uitio, uel culpa. Itaq; edicto cauit Cæſ. omnib. caſtris, ne qs militũ, ne rerũ precia intenderentur, frumẽtatorib. commeatus in caſtra cõuehentibus emptum occurreret, ſed in rerum uenalium forum deſignatum, mercatũ conueheretur. Per idem ferè tempus fama in caſtra allata, Cæſarianis animos auxit: Oetingam cum arce, cùm aliquot oppugnationes ſuſtinuiſſent, in poteſtatem conceſſiſſe: Lantgrauij literas ad Nurenburgenſes item interceptas. Oppidis ac caſtellis circa Ingolſtadiũ uſq; ad Danubium amnem proſperè ad hunc modum in poteſtatem redactis, cõſilium de repetendo Danubio Cęſari placuit. In cuius ripa cùm urbes aliquot florẽtiſſimæ ſub hoſtiũ ditione adhuc eſſent, ad Danouertum obſidendũ redire conſtituit. Quo potitus, in Vlmenſẽ, Auguſtanumq; agrum populabundus euagaretur. Huius conſilij nequis odor ad hoſtes peueniret, continuis eruptionibus ad eorum caſtra aliquot dies conſumpſit. Inde prima noctis uigilia Octauium Farneſium cum aliquot Italicis, Alexandrum à Vitellis cum Hiſpanis cohortibus, Schamburgum cum Germanorum copijs pedeſtribus equeſtribusq;, & militiæ Teutonicæ magiſtrum cum ſuo equitatu, additis duodecim campeſtribus operibus, ſilentio Danouertum pręmittit. Imperatq; ſimul, ut compoſito maximè agmine iter maturantes, antequam cibum caperent, oppidum adorirentur: in celeritate ſpem capiundi oppidi ſitam eſſe. Quatuor millia armatorum erant. Hi citato agmine præter Horburgum rapti, ubi prima luce ſuburbij Danouerti muris ſucceſſiſſent, ſcalis ad ſtantia mœnia undique illatis, perleui momento id capiũt. Oppidanos repentinus terror inuaſit: & eo quidem maior, quo caliginoſior erat aurora. Cunctantibus illis primùm deditionem facere, Itali machinas ad expugnandum oppidum celeriter expediunt: ac horrendo clamore ſublato, ſubiecto igne portam demoliri aggrediuntur. Concors omnium fremitus erat, & clamor: Imperio, Imperio. Præcipitare ſe iam è ſummis muris in oppidum cœperant: cùm magiſtratus accurrens, nondum refractis portis, Conſulem nauigio ad duces Cæſarianos ad pacis conditiones paciſcendas emittit. Nam uallum raptim aggeſtum portæ obiecerant. Præſidia, accepta deditione, è ſtationibus dilapſa, per auerſam oppidi portam & pontem fugam effuſè ceperunt. Non incruenta Cæſari fuit ea uictoria: tres ceciderunt, inter quos fuit cognatus Baptiſtæ à Caſtaldis: & minus quadraginta uulnerati. Triginta in fuga oppreſsi, interceptiq̃, in caſtra reducuntur: qui facta percontatione, ſub Vuirtembergenſi Duce ſe militare, quòd Heſsi Saxonisq̃ nomen inuidioſum ſcirent, reſponderunt. Præſidio ſatis firmo Danouerti duarum cohortium impoſito, Cæſar fit capti oppidi certior: (cohortibus præfectus fuit Sebaſtianus Curtius) ſimulq̃ indicio, (ut tum creditũ fuit) hoſtes ſua caſtra ſequẽti nocte ſuma ui aggreſſuros, cognoſcit. Itaq; ſublatis ſignis, cũ omnibus copijs Danouertum ſequitur. Et quia propter itinerum anguſtias longiſsimè

longissimè extendendum erat agmen, & ab hoste, si exploratò obseruatus fuis-
set, memorabilis clades accipi poterat. nouissimum agmen robore equitum pe-
ditumq; firmauit: castra sub ipsis Danouerti propè muris, unde hostes paulo
antè exiuerant, locauit. Hæc principio hyemis circa Danubium & Norlingam
in Sueuia gesta. In Saxonia à Mauritio, ut ei à Cæsare Ratisbonæ, & Pragæ à
R. Ferdinando imperatum fuerat, de inuadendis agris Saxonis patruelis, &
Hessi, memorabilia quædam geruntur. A Ferdinando Rege in Misniam re-
gressus, extemplò ordines omnes Chemnicum conuenire, ut quid faciendum,
in medium consuleretur, edicit. Postquam eo conuenêre, omnium sententiæ
huc inclinarunt, Cæsari & Regi esse parendum in omnibus, extra causam reli
gionis. Itaq; duas illi res censuerunt: unam, ut è Cæsare palàm expiscetur, num
religionis negociũ per omnia integrũ, incolumeq; ipsis permitteret: alterã ut
ipse unâ cum Marchione Brandeburgensi adscito, de eius cautione ageret. Sin
deprecatione ulla opus non esset, ut illam saluam esse sineret, in alijs per omnia
Cæsari parendum: quiescerent, & ad suam ditionem tuendam copias conscribe-
ret, ad id se adiutores futuros. Quatuor illi uiros cordatos, quorum opera ac
consilio ad hæc conficienda uteretur, adiungunt. Hæc ut incunctanter pera-
gerentur, communi consilio decretum est. Mauritius accepta Cæsaris senten-
tia de proscriptione patruelis & soceri, ubi Regem undiq; ex Hungaria & Bo-
hemia uires ad se contrahere intellexit, Ordines Friburgum (oppidum haud
procul à Marienburgo & Schreckenburgo situm) iterum cogit. Hic ostendit,
qua fide, usus Brandeburgensis opera, Hessum & Saxonem, ut sibi pro ipsis
intercedendi deprecandiq; ius potestatemq; permitterent, perpellere conatus
fuisset. Proposuisse se illis, uti in quanto discrimine ipsorum res uerterentur,
reputarent. Iactam esse aleam quidem, at grauiora multo mala restare. Quæ
ut effugerent, hoc unum consilium præsens ad salutem superesse. His se, as-
sijsq; sermonibus tentasse illos quidem: at interea nihil sibi ab ipsis responsum.
Et quantum ex scriptis emissis constaret, armis iam decertatum, & leuibus ali
quot prælijs concursum esse: oppida à Cæsare recepta, eaq; firmato præsidio
teneri. Eos sæpe à se auxilia postulauisse: uerum ubi Cæsar religionem liberã
& incolumem esse iussisset, de suorum ordinum consilio à partibus se abstinu-
isse. Copias se ad id temporis usque ad sua tutanda magis, quàm aliena infe-
standa, aluisse: tum autem, & hæc consilia cum quibusdam contuliss e. Sed cùm
reputaret, quàm periculorum plena ea essent tempora, & Ordines sumptus di
utius se ferre posse negarent, eorum flagitationibus se inductum, ut hunc con-
uentui diem indixerit:

A Cęsare sibi quædam imperata esse, quæ si negligenter exequeretur, ingens
sibi suisq; imminere periculum: alioqui haud leue emolumentum habitura.
Bohemi, inquit, non solum, sed etiam eorum socij, summa ui & apparatu bel-
lum parant, & fama constans est, eos è Bohemia egressos, ut Saxonicum agrũ,
omnemq; ditionẽ Ioannis Frederici ferro & igni depopulẽtur. Iã uerò quãuis
initio belli missis literis, inde per legationes supplices: ad ultimũ, cũ nihil hac
uia promoueretur, ipse sollicitus Ferdinandum regem pro patruele lacrimas
precibus miscens deprecatus sum: at nihil ęqui obtinere potui, surdo uerba fa-
cta. Affirmauit, Cæsareo iussu arbitrium belli ac pacis sibi ademptum: pacem,
pacisq; leges à F. petendas. Cupere se, ut positis armis ciuilibus, Germanorum
uires in unum collatas in Turcam, ad eius conatus & consilia retundenda, con
sociatis animis & armis, conuerterentur. Scio uos non nescios, quãta sit patrue
lis, & meę ditionis cõiunctio & affinitas: q̃ spes, imò expectatio certa successio
nis, argẽti fodinas in ea esse multas, mihi cũ illo aliq̃t etiã cõmunes: quas à Saxo
nica familia alienatas, in aliorum ius & deditionem transire indignè ferrem.

Quin

Quin utriuſq; ditio ita inter ſe conſerta eſt, ut miles externus agrum Saxonicum patruelis populetur, ægrè à meo prohibeatur: ut non minor ſtrages & rerum ruina, uaſtitasq; mihi ſit metuenda. Et uobis perſpicuum eſſe opinor, è ditionis re minimè eſſe, externas copias in ea cõſeneſcere. Itaq; cùm iſta ſic ſe habeant, uelim tum meo, tum fratris Auguſti nomine totam cauſam apud uos reputetis, quid facto opus ſit. In alienis plerunq; rebus, quàm noſtris, plus ſapere ſolemus. Veſtra conſilia maturè in deliberationem miſſa. ſi quid præſentis opis attulerint, futurum eſt, ut non apud immemorem reponantur. Poſtquam ad hunc modum Mauritius uerba fecit, cenſuerunt Ordines extemplò nuncium mittendum ad Saxonem & Heſſum in caſtra, qui eos de imperatis Cæſaris & Ferdinandi, & bellico apparatu certiores facerent, ut ad ditionum ſuarum uaſtitatem prohibendam, eas tanquam fiduciarias Mauritium Ducem occupare ſinãt. Hac ratione caueri poſſe, ne ſub ius alieni principis ueniant. Dantur ad utrunq; literæ ſingulæ, quarum hic fermè fuit tenor. Initio belli quid conſilij deliberaſſent: inde, Cæſar quid imperarit, expoſuerunt. Quantis uiribus in armis eſſet Rex, præſidijs Hungarorum Bohemorumq; inſtructus aduerſus ipſos. Mauritium per legationes primùm, inde eum præſentem pro ipſis apud Regem deprecatum: at promouiſſe nihil. Et iam Regem cum armatis copijs in Saxoniæ cardinibus tetendiſſe: quare in ſummo periculo res uerſari. Fortunam præſentem dolere, atq; optare eam eſſe plauſibiliorem. Verùm cùm ea omnia iuſſu Cæſaris eueniant, à quo uetiti eſſent mutationem religionis ſuæ pertimeſcere: haud quaquam ſuis rebus uideri conſultum, arma contra eum ſumere, & in partes tranſire. Cæſari, ut ſummo magiſtratui, non eſſe reſiſtendum. Iam uerò, cùm tanta ſit agrorum Mauritij & ipſorum affinitas ac permixtio, ut calamitas futura quoq; ſit communis, conſultando reputandoq; utile uehementer uiſum, ut citra fraudem, noxam ue Maritio ſuas ditiones dedant. His artibus futurum, ut uaſtitas propulſetur, & exterarum gentium & principum copiæ finibus arceantur, & ſtatus religionis futurus ſit incolumis. Atq; ita demum fore, ut minori negocio ab eo, quàm ab exteris, terminato bello ſua recuperent. Petere uehementer, ut diligenter iſta expenderent, & huc accederent. Hoc tempore præſentius conſilium, quodq; magis è re communi ſit, inueniri non poſſe. In literis ad Heſſum contendebant præterea, ut conſilium hoc apprimè ſalutare Saxoni probaret. Dedit ſimul Mauritius literas ad Heſſum in eundem fermè tenorem. In his adiecit, quoniam externus exercitus iam aduentaret, ne Saxonicus ager ſtragem accipiat, omnibus modis maturè obuiam eundum eſſe. Non ſe eius prouinciam affectare. Legationes ad ſe à Polonorum rege miſſas, eum uelle apud Cæſarem deprecari. Contendere ſe, ut aſſentiatur: neu committat, ſibi ab illo uel diuerſum perſuaderi: uel, ut utile conſilium, iuxtà & neceſſarium indignè ferat, induci. Veniam pacemq; à Cæſare petat, & ſi queat, huc patruelem Electorem quoque perpellat. Ad pacem illis obtinendam, ſuam operam pollicerur. Ioannes Guilielmus Electoris Saxonis F. cognito Regis Ferdinandi aduentu in Saxoniam, Friburgum legatos ad concilium, ut è uetuſti iure fœderis arma ſecum ſocia induant, mittit, ut ab hoſte imminente patria uindicetur. Ad ea Mauritius, omnes neruos ſuos huc ſe intendiſſe reſpondit, ut ſocero, ac patrueli ſuo, pax perpetraretur, & uterq; Cæſari in gratiã reconciliaretur. Cùm autem nihil æqui obtinere ualuiſſet, & Rex iam in armis eſſet, nefarium ducere, aduerſum ſummos orbis monarchas bellum mouere, ubi quietum eſſe liceat. Et illos ipſos ſemper in fœdere exceptos fuiſſe. Heſſus lectis Ordinum et Mauritij literis, extemplò commotus nonnihil rerum acerbitate, ad eos literas reddidit, quarum hanc fuiſſe ſententiam accepi. Aegrè mihi eſt Saxoniam bello peti: ſed multo magis dolet, more maiorum communi animo & cõſilio bellum

non

non comparari. Verùm quòd non uidetis armis religionem oppugnari, id ue-
rò uehementer mirum mihi uidetur, cùm id ex literis Pont. ad Heluetios liqui
dò constet: & fœdus inter Cæsarem & Pont. ictũ, id palàm ad Heluetios Pont.
iussu transmissum coarguat. Nam ex quo pactum & societas inter eos inita fu
it, auxiliares copiæ ex Italia ad Cæsarem uenerunt. Et Itali bello capti, huc se
uenisse autumant eo consilio, ut Lutheranis solum arma inferant. Vt omittam,
quanta immanitate maximè in homines eiusdem religionis sæuiatur, ut ferro
& igni, populationibus, latrocinijsq; diuexentur: stupris, incæstu ac sacrilegijs
diuina omnia & humana misceantur. Infantibus ac pueris manus pedesq; am-
putant, infesti tantum nostræ religioni & doctrinæ. Quòd uerò Cæsar religio-
nem saluam uobis promiserit, id uanum est, & fictum. Etenim si quæras, iube-
ar ne religionem eam, quam uulgò Lutheranam uocant, concilio Pontificis
discutiendam tradere: sine dubio fucum aliquem & fraudem comperietis. Non
est ergo quòd promissis illius in speciem amplis fidem habeatis. Quòd uerò
ad proscriptionem attinet, uos ea moueri terreriq;, supra modum mihi mirum
uidetur: cùm uobis haud obscurum sit, id iuris eum non habere, nisi prius in ius
uocemur, & iudicum sententijs publicè conuicti condemnemur. Sed dedecoro
sum est, illustrem gentem, & Saxonicum nomen tam turpiter bifariam diuelli.
Si arma consociaretis, si communi animo rem ac consilio gereretis in tutanda
patria, profectò discrimen præsens, quod nunc timetur, exiguo momento pos-
set propulsari. De his rebus ad Electorem Saxonem retuli, & consilia cum eo
communicaui: uerùm is prorsus à uestro consilio ac sententia dissentit, longe
quæ alia illi ratio est. Enimuero si ipse Saxo eiusmodi quidpiam à Mauritio fi-
mili rerum statu postularet, mirum ni abnueret, longeq; aliter censeret. Quã-
obrem uestrum consilium nobis non placet, præcipuè ob id, quòd haud ita pri
dem per literas ad nos redditas Mauritius, sibi ægrè esse, uulgi fama iactari, a se
patruelis sui ditionem & agros affectari, significarit: existimationum nominis
sui læsam ea rũmigeratione, simulq; orarit, ne quid ille crederet. Saxo per lite-
ras humaniter ei expurgationem eam apud se ualere, respondit. Esto iam, ut e-
ius prouinciam occupet: quid tota Germania de ipso sit iudicatura, uos perspi
citis. Id ne fiat, uos oro ut obstetis. Alioqui futurum est, ut ea ex re intestinum
bellum exardeat. Verumenimuero, cùm palâm per promulgatam proscriptio-
nem & iniuriam & uim accipiat, si quid Mauritius incœptarit, illi neq; uires,
neq; socia arma eorum qui eodem fœdere tenentur, defutura sunt. Et huius tra
gœdiæ quæ sit futura catastrophe, uel cæco apparet: cùm in eo res uertatur, ut
potentioribus armis sit breui parendum. In id communi consilio incumbite
quæso, ut Saxonum Hessorumq; familia una maneat, & Mauritius socia arma
iungat. Id enim non solum ipsi, sed etiam genti ac posteris laudi gloriæq; uerte
tur. Hæ literæ postquam ab Hesso in Misniam uenerunt, in frequenti Ordinem
conuentu sunt recitatæ. Missæ item & ad Mauritiũ eodem fermè tenore ab eo-
dem literæ sunt, in quibus inter cætera monuit, ne quid uel edictis, uel proscri-
ptione, uel lato Cæsaris priuilegio perterrefieret: sed beneficiorum suorum, ac
patruelis Electoris in eius patrem memor, nunc gratiam remetiretur. Dux Ge-
orgius, patruus Mauritij, ditionis suæ hæredem Cæsarem testamento scripse-
rat, eamq; ut tam diu ceu fiduciariam occuparet, donec frater à fœdere muta-
religionis desiliret. Pendebat Georgius fratri suo quotannis argenti signati
grandem summam: quam cùm metuerent, ne odio fœderis amplius persoluere
recusaret, confœderati eum securum esse iusserant: si quid eius rei eueniret,
tantundem pecuniæ quotannis se ei numeraturos spoponderant. Huius be-
neficij illum tum commonuit, simul ut in uniuersum à iurisdictione Saxonica
abstineret. Sin quas res nouas incœptaret, patrueli sociorum opes auxilio ad-
futuras.

tiras. Super hæc, Poloniæ regis legatos in castris Cæsaris uisos: quid ab ijs esset actum, compertum ex ipsorum literis ad se & Saxonem habere: leges pacis propositas, ad pacem nullum habere momentum. In eandem sententiam à legatis confœderatarum ciuitatum ad Mauritium uenerunt: quibus illi interminati sunt, si quam uim Saxoni faceret. Dantur ab Hesso literæ ad confœderatas ciuitates, & Pomeranorũ Ducem, & quosdam alios Principes: quibus in quãto discrimine Saxoniæ res essent positę ostendit, ad cuius terminos hostes iam castra admouerant. Regem Ferdinandum Bohemos in belli societatem pellexisse: & rem in eo uerti, ut cum illo Mauritius se coniungat, & quidem propter proscriptionem Cæsaris. Scripsisse se Maurio, caueret cum exercitu intrare Saxoniam: parata enim esse contra iniuriam auxilia. Ista cum Elector uideat, auxilium suum imploraſſe. Partem copiarum suarum, quibus hosti occurreret, & incursionem finibus prohiberet, uelle quidem tradere: sed cùm Cæsar in conspectu propè castra habeat, quod cupiat, præstare non posse. Sperare futurum, ut breui omnibus copijs de summa rei collatis signis dimicetur: id quod ad communem omnium salutem spectaret. Et quia consultum non esset in præsenti robur exercitus sui accidere, ut equitum peditumq; auxilia Vuittembergam, Vinariamq; mitterent, se petere: eamq; pecuniam, quam ex fœdere adhuc reliquam debebant, Electoris filio fideliter pernumerarent. Nam cùm commune omnium negocium geratur, oppressis socijs, in futurum euenlet, ut eadem calamitas in ipsos quoq; redũdet. Ferdinandus interhæc, sub decimum Kalend. Nouemb. cùm exercitu in cardinibus Saxoniæ consedit. Bohemi restitantes sequebantur Regem ad bellum, partim quòd ea gens Saxoniæ principibus uetusti fœderis iure deuincta esset, partim quòd belli causam parum iustam esse dicerent. Conscripserat etiam milites in Silesia, qui & ipsi uel inuiti eius signa sequi cogebantur. E' Pannonia Hussaros equites exciuerat. Sebastianus Vueremullus dux omnib. copijs præfectus erat. Hic antequã cũ infesto exercitu Saxoniã ingrederetur, bellum directa denũciatione more maiorũ renũciato fœdere, Saxonib. indicit. Belli causã ceu iustã p̃texuit, q; Dux paucis antè añis summa iniuria collegiũ Dobrilugũ inuasisset. Cæsari enunciata, qua illi obnoxius erat, fide, fœdus, quod cum Saxoniæ Ducibus semper firmum ac stabile Bohemis fuisset, infregisset. Et hanc directam belli denunciationem magis è sua humanitate, quàm Ducis, qui nuper proscriptus esset, meritis, fuisse uisam. Hæc fermè in Saxonia per mensem Octobrem acta. Confederat Cæsar ad Danouertum, ut suprà est memoratum, priusquam hostes eum castra mouere cognouissent. Ratus reliquum uictoriæ in celeritate positum, unam hic noctem hæsit. Postridie Tilingam (Dillingam quidam uocant) sublatis signis, castra, præmisso Carolo Augustanorum episcopo, mouet. Tribus passuum millibus à Danouerto abest Tilinga, ditionis Augustanæ, sed ab hostibus nuper occupata. Sita est in ripa Danubij: ubi amnis etiam ponte iungitur. Vastior hic sylua est, quæ hostium castra à castris Cæsarianis statim dirimebat. Per hanc tribus itineribus ex hostium castris Tilinga adiri poterat. Hic Cæsar inter syluam & Danubium extenta planicie consedit, hostemq; ibi, qui subsequi nunciabatur, operiri constituit. Laugingam Hessus, accepto Cæsarem ad Tilingam castra posuisse, contendere nocte statuit. Supra Danouertum tribus miliaribus super Danubium oppidum est. Et cùm parum compertum esset per exploratores, lõgiús ne Cæsar peragrasset: & si Laugingam se contulisset, futurum fuisse, ut Cæsar à tergo relictus Norlingam moueret, metus erat: atq; inde per planiciem Remsiæ uallis in Vuittenbergensem agrum infestum exercitũ traduceret. Itaq; omisso consilio, dum certior rerum Cæsaris esset, eum diem adhuc castris se tenuit. Sebastianus Schertelus, ægrè ferens præter suum consilium multa geri, abducto,

ducto, quod erat Laugingæ, præsidio, ut mox referetur, Augustam stimulante animum ira, tanquam in suum regnum dilapsus, postea ad bellum amplius nõ prodijt. Cæterùm milites, qui Tilingæ in præsidio erant, accepto Cæsaris ad oppidum accessu, per auersam portam in fugam dilabuntur. Oppidani præsidiorum discessu læti, Cæsarem & episcopum intromittunt. Tilingensium defectione moti Hœstadiani, supplices legationes Cæsari obuiã mittũt, se suaq; omnia illius clementiæ permittentes. In Danubij ripa Hœstadium (quidã Hochstœtum uocant) situm est, cum munita arce ditionis Palatinæ. Cæsar uanum esse rumorem de Lantgrauij aduentu uidens, pontem transit, ac medio itinere inter Tilingam & Laugingam subsistit. Est & Lauginga iuris Palatini, ad Brentam. Huc cohors illa, è Tilinga profuga, se contulerat: & iam antea tres ab Hestadio præsidio submissæ fuerant. Hanc Cæsar ad uoluntariam deditionem pellecturus, eò cum benignis mandatis caduceatorem, qui oppidum in deditionem postularet, mittit. Magistratus tantum abest ut pactionem, aut pacis ullas leges auribus admiserit, ut ferocius quã pro tempore etiã responderit: Nihil opus esse in re non necessaria maturato: sequenti die duces ad futuros, cum quibus armis decertandum esset. Se præmium uictori in medio positos. Non esse consilium in præsenti cum Cæsare de pace agere. Ponte iunctus ibi Brenta amnis, qui ab alijs Prentius dicitur, erat. Vbi Cæsar oppidanos obstinatos inani spe & expectatione uidit, castra propius oppidũ nocte admouit, atq; expediri scalas & opera ad expugnationem iussit. Oppidani re cognita, legatos ad Cæsarem, priusquam ad mœnia accederet, dimisso præsidio ante exortum solis mittunt, qui obstinatiæ culpam in milites præsidiarios transferrẽt. Si nudatũ præsidijs oppidum habuissent, nulla mora in eius fidem se translituros fuisse. Pacem nũc se petere, quam supplicibus nunquam negarit. Sunt qui prodant, Schertelum tum demum aduentu Cæsaris ad oppidum accepto, cũ sorore, amicis, rebusq; omnibus ac præsidijs ex oppido Augustam fugisse. Vtcunq; est, Cæsar cognita Scherteli fuga, Baptistam Sabellum cum equitum turmis, & expeditis aliquot cohortibus ad eum persequendum, retrahendumq; ab itinere celeriter mittit. Cum his coniungi partem equitatus Hispanici, & Italicas turmas propter uelocitatem equorum. Hi quatuor illas cohortes assequuti, pugnam infestissimè conserunt. Schertelus acri equo è prælio dilapsus, cum paucis leuis armaturæ Augustam euasit. Cęsi ea pugna, captiq; multi, cùm operibus aliquot campestribus, sunt. Huius cladis fama effecit, cur oppida in ripa Danubij, & castella, ad Cęsarem defecêre. Godelfinga ab Vlma mille passus, ultrò missis legatis, qui ueniam peterent, in deditionem concessit. Pacem petentibus parsum est, & pacis leges datæ. Oppidis & castellis ad hunc modum in ripa Danubij suprà infraq; in potestatem redactis, exercitum amnem Brentam celeriter traducit, & castra ad uicum Sontheimum locat, loco aperto tribus fermè passuum millibus ab Vlma, quò ducere constituerat, ratus futurum, ut, si Vlmensem agrum populando peragraret, aut urbem obsidione cingeret, Lantgrauium haud dubiè sociæ ciuitati auxilium laturum, cum omnibus copijs ad pugnandi necessitatẽ compelleret: aut si pugnam detrectaret, retro abire (quia transitu Danubij prohibebatur) cogeret. Interim Shertelus nunciatur, Vlmensibus septem cohortes Heluetiorum auxilio misisse, & mille quingentos alios, ne mõsurbi imminens, diuo Michaeli sacer, Cęsari castris locus occuparetur. Mittit interhæc Cæsar exploratores, qui de hostium itinere cognoscerent. Manè ubi Cæsar castra mouisset, renunciat illi, hostes discessisse: uerùm incertum, quò flexissent. Hic aliquandiu consilij dubius, tandem in castra, quæ relinquerat, regressus est. Misit plures equites speculatũ, qui ex abruptis & præcipitibus tam diu euagarentur, donec quò duxissent, cognoscerent. Inter hos equites fuit dux

Albanus.

Albanus. Hic eò usq; euagatur, donec non solum tympanorum sonos clarè audiret, sed etiam sclopetarios præcurrentes in conspectu haberet. Hoc Cæsar nuncio accepto lætus, quòd hostem appropinquare, ut pugnæ copia fieret, crederet: cum Albano collem, unde prospectus in subiectam planiciem longissimus patebat, conscendit. Ibi læuum primùm cornu, quod equitum turmis constabat, statim cõspicuum in plano æquore erat: dextrum pedestre agmen, quod syluis protegebatur, tenebat. Inter hæc duo cornua ante aciem tormenta mouebantur. Et apparebat, acie ad hunc modum procedente, hostes ad prælium instructos, Cæsarem ibi uelle operiri. Dum in hos intentus Cæsar, consilium apud animum suum uersat, Hessus, qui equestres copias obequitabat, equites in summo tumulo conspicatus, missilibus globis eos modicè fallentibus inde disturbauit: cuius rei mirum artificem habere dicebatur. In castra Cæsar se cum suis, relictis paucis qui hostium iter ex interuallo obseruarent, se recipit. Ab his nunciatur declinatis castris Cæsarianis Giengam eos, strata ad amnem Brentam, paulò supra Sonthæmum, petere. Dirimebat utrunque exercitum is amnis, medius interluens. Ne ita ocioſi hostes, quò tendebant, peruenirent, partem equitatus Italici, inde Germanorum in eos, ad irritandum equestre certamen, Cæsar concitauit. Per totum eum diem leuibus prælijs certatum fuit: & cecidere utrinq; aliquot. Inter Italos duo præcipuè illustres uiri eam dimicationem nobilitarunt. Sed hostium plures ceciderunt, inter quos fuit Franciscus Lunenburgensis, & Ernestus Ducis à Grubenhagio F. Postridie Cæsar mutato consilio, relicta Vlma, quam petere statuerat, ubi ab exploratorib. didicisset, hostes castris cepisse locum, qui ob syluæ arboribus raræ lucem, & patentem planiciem proximam ad decertandum uehementer aptus esset, retrò paulùm mouit ad amnem: simul ut ipsum Danubium propter commeatum retineret. Et interluens amnis profundior, quàm latior, ad congressum obstaturus non erat, si pontes simul multos tumultuario opere insternere res subita passa fuisset: aut si uado transire, aut quercidis uadis in ulteriorem ripam euadere licuisset. Ad hæc uiolentiori impetu decurrebat, quàm ut transnatare equi peditesue potuissent. Præterea cœlum pluuium, & iuxtà frigidum, prospectum nonnihil adimebat. Cùm autem parum spei gerendæ rei hic affulgeret, rursus consilij anceps, uaria agitabat. Quidam censebant, relicto hoste ad Vlmam, quod antea constituerat, exercitum admouendum esse. Contrà terrebat Cæsarem longa obsidio: nam cùm tot Heluetiorum millia, præter alia auxilia, in præsidio essent, paucis mensibus in potestatem redigi posse diffidebat. Huc accedebat, quòd pleraque locorum, per quæ ducendum erat, hostium præsidijs teneri ab exploratoribus cognouisset. Postremò, hostem eundem locum castris occupaturum. ac proinde commeatum intercluſurum, ut ne oppida quidem, quæ in ripa Danubij præsidijs firmarat, usui esse potuissent. Ergo optimum manendum esse ratus, cohortes aliquot Madrucianas in agrum Vlmensem prædatum mittit. Duobus passuum millibus oppidum Lauphainum ab Vlma abest, in quod Madrucius uastatis proximis uicis omnem terrorem conuertit: ac primo impetu oppidum capit, Vlmensibus præsidijs partim cæsis, partim eiectis, quibus postea parsum fuit. Ex Lauphaino prima auxilia tumultuantibus rusticis, qui anno uicesimoquinto totam Germaniam magno terrore compleuerant, missa fuisse memorantur. Circa syluam ad Brentam, Lantgrauiani nullo metu latissimè indies euagabantur. Quod cùm Cæsari nunciatum esset, ibi Idibus Octob. paulò ante lucem (qui dies paulò tepidior erat, & tranquillior) tria sclopetariorum millia in insidijs abdit. Sub ea Lanoio diligenter mandat, ut cum aliquanta ui equitum leuis armaturæ ad hostium usque castra peruagaretur cir-

cum ſpectè, ne inſidijs circumueniretur: modò occurrendo, modò cedendo fu-
gienti ſimilis, non ſolum extra uallum pelliceret, ſed ad locum inſidiarum tra-
heret: ſeqúe in omnem caſum intentum fore: & eos qui in iuſidijs diſpoſiti eſ-
ſent, de improuiſo prætergreſſos, ſyluam à tergo preſſuros. Exequitur haud
ſegniter imperata Lanoius Sulmonẽſis. Primũ, dũ liberè per mediã planiciẽ e-
uagat̃, miſsilib. ab hoſtib. è munimẽtis petit̃: inde in eũ equitũ aliq̃t turmę emit-
tunt̃. Pugnat̃ infeſtè aliquandiu, donec ad ultimũ Cęſarianorũ uim & impetũ
haud diutiſs ſuſtinẽtes hoſtes, in caſtra inclinarunt. Lantg. id cõſpicatus, hippo
ſclop ſtas amplius ſexcentis, totidemqúe fermè pedites tormentarios, qui ce-
dentibus, ac tantum non circumuentis auxilio adeſſent, ſubmittit. Hos ita
pugnare iuſſerat, ut inordinatè effuſi hippoſclopiſtæ, palantibus ſimiles nunc
hos nunc illos peterent: poſteriores confertim à tergo irruerent. Lanoius
pauorem, fugamq; quaſi hoſtibus numero uiribusq; impar, ſimulans, paula-
tim cedit, & fugam fingit, Iamqúe locum inſidiarum ſequendo fugientes
prætergreſſi erant, pertimuiſſe & cedere rati Cæſarianos: cùm ex inſidijs Cæ-
ſariani magnis clamoribus à tergo repentè exoriuntur, erumpuntq;. Conclu-
ſi Lantgrauiani à fronte & tergo, re improuiſa, primùm perterrefacti aliquan-
tum: mox recepto ſpiritu omnem uim in ſclopetarios, qui ex inſidijs à tergo
emerſerant, conuertunt. Ibi Lanoius uerſo calcaribus equo, cum ſuis in
hoſtem incompoſitum reuertitur. Pugnatur acerrimè, & eo quidem infe-
ſtius, quòd illis fuga intercluſa eſſet, hi uiciſſe ſe iam crederent numero & uir-
tute ſuperiores: tum quòd bina caſtra in eam dimicationem & animos &
oculos intenderent: Maior clades ab Heſſo, quàm à Cæſare, eo die acce-
pta fuit. Sed multa cùm à Cæſarianis prærer Albani conſilium in pugna gerer̃
tur, ſuperueniente nocte ſignum receptui datum fuit. Saxo caſtris præſidio
in hoc prælio relictus fuerat, ut ſi Cæſar ad ea oppugnanda copias eduxiſſet,
ipſe uim ab ijs prohiberet. Biduum inde à Lantgrauio in caſtra Cæſaris ma-
ioribus operibus tæuitum fuit, ſed ſine ſtrage memorabili. Italicæ cohortes
agrum Vuirtenbergenſem populatum miſſæ, uicum Sunthaimum incendio
cum ingenti hominum pecorumq; ſtrage uaſtarunt. Per hos fermè dies Car-
dinalis Farneſius reditum in Italiam cum equitibus trecentis adornauit. Sed
quia is equitatus minor erat, quàm ut eo tutò per hoſtium ditiones in Italiam
ueniret: & fama allatum erat, Schertelum eius iter obſeruare: à Bauarorum du
ce mille equites, à quibus deduceretur, honorificè additi ferebantur. Is ru-
mor, ubi percrebuit in caſtris, Italorum magnus numerus hyberni frigoris im-
patiens, ut comites in patriam reuerterentur, ad eum confluebat. Multi aut
diuerſis morborum generibus, aut intemperie hyberna, aut ferro abſumpti
fuerant. Cæterùm ut Cardinalis illos falleret, ad exercitum rediit. Et paulo
pòſt in Italiam reditum occultè maturauit.

Cæſ. alia arte hoſtẽ ad ſtatariã pugnã euocare aggredit̃. Oẽm ppè German
cum equitatũ in multas partes diſtributum, diuerſis ſtationibus in ſylua locat,
& equorum ora ligulis, ne hinnitu inſidiæ proderentur, conſtringi imperat.
In eadem ſimul expeditas aliquot Italorum Hiſpanorumq;, cohortes in diuer
ſa loca ita diſtribuit, ut tormenta campeſtria frontes inter humiliorum arbo-
rum umbras protegerent. Italos Hiſpanosq; in omnem fraudem intentos eſ-
ſe iubet. Reliquas copias equeſtres pedeſtresq; armatas in euentum pugnæ
intra uallum in aciem cogit. Inde duplici agmine armatorum in purum ac pa-
tentem campum rurſum egreditur Princeps Sulmonenſis. Occurrit Heſſus:
conſeriturq; maioribus animis, quàm copijs, pugna. Simulat rurſum paula-
tim refugiendo cedendoq; fugam Lanoius Sed hoſtes magis ad fraudem,
quàm fugę ſimulationem intenti, ſyluam ueriti, ad coniectum miſsilis globi,
nec

nec longius, Cæsarianos insequebantur. Sub cadentem sólem recepto Lanoio, Cæsar suos ex acie discedere ad capiendum cibum & quietem iussit. Cùm hæ parum insidiæ succesissent, ad nocturnas alias animum intendit. Cohortes Germanicas, & Hispanicas nõnullas, quibus Madrucius præerat, delegit. His indusia linea thoracibus armisq; splendicantibus ad ludificandos hostes superinducere, & in noctem insequentem se expedire iussit. Cum his Prussum & Brandeburgensem equitatum, cui Albanum præfecit, simul coniungit, ut hostium stationes, quas negligentius agi credebat, silenti nocte suspensis gradibus opprimerent. In armis ipse esset, si quid aduersi accideret, quod per Albanum nunciaretur. Buranum cum Belgico equitatu circa se ad corporis custodiam, peditibus in fronte locatis disponit: cum quibus, modico præsidio castris relicto, ipse subsequitur. Peruenerat ad hostium castra propè Albanus silentio, cùm non solum excubitores non laxius agentes, ut sæpe antea, sed custodiam tum intentiorem, tum duplicatam, adeoq; omnes in armis esse sensit. Insidias toties oppressi uel indicio cognouerant: uel ignium luce totis castris ardentium, quibus plana terrarum conspicua erant, præsenserãt. Substitit Albanus, iussitq; Cæsari, ne longius à castris, procederet, insidias detectas esse nunciari, ac quid fieri uellet significari, cùm nec inopinantes opprimi possent. Priusquam nuncius à Cæsare rediret, iam egredientibus extra munimenta hostibus indusiatos Hispanos, Germanosq;, dubia luce satis conspicuos obiecit. Horum nimbo missilium effuso magna parte fusa, reliqui fuga ad suos retrò euasere. Interea Cæsar Albano nunciari iubet, ut copias in castra irrito incœpto reducat. Scio Auilam indusiatorum casum silentio, ut alia multa, prætermisisse. Mihi uerò scribenti ueterani, qui cum Cæsare in peditatu Buranico ea nocte in acie steterant, cum clade illos pulsos fuisse postea retulerunt. Et uerisimile id ex eius uerbis apparet. Nam si quatuor fermè horis, priusquam Lanoius è castris proficisceretur, Cæsaris consilium de indusiatis per exploratores Germanos ad hostes perlatum sit: consentaneum uidetur, armatos benè instructos ad eorum intercipiendum impetum, duplicatis in peruigilio excubijs, fuisse. Vt ut est, sæuitum in refugientes maioribus operibus fuit. Diuerso inde loco in laxiores hostium custodias Lanoius cum leuis armaturæ equitibus, adscitis aliquot cohortibus Hispanicis, & Barbansonius cum parte equitatus Buranici, irruperunt. Octodecim hic commeatu onustos currus, & duos agento infecto oneratos ad monetam percutiendam, qui nuper è Saxonia aduecti erant, capiunt. Cæsar prædam militibus facinus ausis diuidendam, ut postea ad ostendendam uirtutem alacriores haberet, concesit. Cæsis captisq; aliquot, signum unum ademptum, & ad Cæsarem perlatum fuit. Inde Barbansonius & Lanoius à Cæsare collaudati, propter uirtutem militaribus donis ornati sunt. Biduo pòst Buranus memorabile facinus ausus fuit. Multa luce cum suo equitatu castris egressus, propius quàm tutum, propter missilium coniectus, erat, præter castra hostium circumducit. Insidias equestres ibi dispositas antè cognouerat. Ibi sub ipso propè uallo acriter equestri certamine ita conseruit manus, loco satis ad concurrendum extento, ut non minus trecentis equitibus hostium cæsis, ducenti caperentur. Sclopetarij plus centum interfecti, qui equitibus sclopis armatis permisti fuerant, equorum peditibus obtriti concidêre. Vbi diebus aliquot in propatulo castrorum ad istum modum pugnatum ad Brentam, neque quicquam amplius memorabile gestum esset, cùm nec ostentaretur id quod in spem esset circundandi Vlmam obsidione, uideretq; exercitum rei frumentariæ & pabuli inopia, omnibus circa ea loca absumptis, magis magisq; premi: ad hæc, terram imbribus continuis, qui per eos dies solito effusio-

res cadebant, corrumpi, ut milites grauiter afflicti uix ueſtigijs hærentes à lapſu ſe ſuſtinerent: adde, quòd grauioris tormentorum moles per profunda uiarum difficulter mouerentur: & militum corpora in ſalebroſo ſolo continuis imbribus profundo cubantia, diuerſis morbis indies contabeſcerent: cura Cæſari mutandi caſtrorum rationem ſubijt. Primùm quibuſdam uiſum fuit, omnem exercitum in oppida recuperata diuidere: Tillingam, Hochſtadium, Laugingam, & his uicina, ob frumenti, pabuliq́ue, & aliarum rerum, ad exercitum ſuſtentandum, copiam. Rurſum cum ipſe apud ſe reputaret, periculoſè intra mœnia concluſum iri: & non tantum oneri ſe, ſed incommodo etiam, unde odium conflaretur, oppidanis futurum, reiectis aliorum conſilijs, Laugingam in caſtra, unde nuper exierat, redire, ac militem in omnem caſum ſub pellibus continere placuit. Moritur per eos dies Georgius à Regensburgo, Cæſari maximè charus, cùm propter alia in eum merita, tum quòd belli initio primus ſelectum cohortium robur per Germaniam ei conquiſiſſet. Magnifico funere eum Cæſar efferri iuſsit: neque uerò minori, quàm ſi Ducum quilibet fuiſſet. Hunc honorem ille mortuo habuit: quo humato, ad colligenda uaſa ſignum dari iuſsit, & in caſtra Laugingiana redijt agmine ſub ſignis compoſito, inſtructoq́ue. Regredientem hoſtes non inſequuti ſunt quidem, nec abeuntis tergum carpſerunt: ſed equites ſexcenti ex interuallo placidè ueſtigijs hærentes, uadens agmen, quò iter uerteret, ita obſeruarunt, ut ſubinde procul ſe tantum oſtenderent. Fama allata, Schertelum Auguſtanorum copijs inſtructum, ſuper ripam Danubij ad Rainam & Neoburgum ad commeatus intercipiendos flumine & terra conſediſſe, aliquas curas Cæſari iniecit: unde caritas rei frumentariæ ſequuta fuit. Mittitur Buranus cum trecentis equitibus, & ſclopetarijs quingentis, ad deducendum frumentatores, quibus per Schertelum itinera intercluſa, præpeditaq́ue erant. Et ex agris Vuirtenbergenſibus, Heſſi copijs ſupplementum militum, ex incondita quidem, ſed bellicoſa ruſticorum multitudine, acceſsit. Et qui numero ſuperiores, & uiribus, multo erant (Cæſaris enim plus dimidia parte exercitus, peſte & alijs incommodis hauſtum erat: & Italicæ cohortes, ut memoratum eſt, cum Farneſio dilapſæ, abierant) ſi in prælium tum acie deſcenſum fuiſſet, potuiſſent ancipiti prælio cum Cæſare dimicaſſe. Sed ubi Imperatoriæ uirtutes, fœlicitas, rei militaris peritia, authoritas & uirtus deſiderantur, oneri magis ſunt ingentes copiæ, quàm ad uictoriam auxilia. Alioqui ſatis opis & auxilij in tanta armatorum equitum peditumq́; multitudine ipſis, uel ad debellandum, uel ad expugnanda Cæſaris caſtra fuiſſet.

LAMBERTI

LAMBERTI HORTENSII MONTFORTII HISTORICI DE BELLO GERMANICO LIB. V.

CVm hic ſtatus rerum in Sueuia & ad Laugingam eſſet, ad Electorem Saxonem è Saxonia de ſtatu ditionis literæ aliæ ſuper alias in caſtra ueniũt: Bohemos omnibus uiribus in fines Saxoniæ inuaſiſſe, & omnia compleuiſſe ancipiti metu. Per eos dies cõfœderatarum ciuitatum legationibus in diem certum, conuentum Vlmam edixerant Duces. Ad quem poſtquã undiq; frequentes conueniſſent legati, Saxo ad eos literas dedit, quibus de prouinciæ ſuæ rebus dubijs expoſuit: ut uiciſsim, quando pro ipſis omnẽ caſum belli & periculorum ſubiiſſet, quo eos â Cæſaris iniuria defenderet, parem nunc gratiam remetirentur. Legatos ciuitatum haud ita pridem promiſiſſe quidem per literas quibuſdã in Saxonia, auxilia equitum & peditum: ſed ſe uereri, ut maximè ea comparerent, ut hoſti tam potenti, atq; exercitui tam numeroſo pares armis eſſent futuri: ac priuſquã auxilia contraherent, iam aliquã ditionis ſuæ partem occupatum iri. Expetere ſe, ut ſociorum legati, ac ciuitatum principes, conſilijs ſi quid haberẽt præſentis, conferrent. Etenim in hac noua tempeſtate durum ſibi & acerbũ eſſe, gentẽ ſuam, agreſtes, colonos, coniugem & liberos in medio expoſitos deſerere libidini uictoris. Maiora auxilia ſibi decerni poſtulare, quorũ ſpes cùm abipſis, tum à Lantgrauio oſtentata eſſet: & ut, niſi receptis amiſsis, cum hoſte pacem faciant. Adhæc poſtulata à legatis reſponſum: in primis ſe orare, ut tã diu in caſtris militẽ cõtineat, donec Cæſ. ſuũ exercitũ in hyberna deduceret. Alioqui ipſo in Saxoniã regreſſo, in magno diſcrimine futurum ſtatum belli. Aduerſus regem Ferdinandũ, & Maurtiũ, ſi bellũ ei fecerint, auxilia nõ contẽnenda ſe miſſuros. Etſi è re ſuę ditionis uideretur, uelle Mauritio interminari, ut Lantgrauius pauloantè fecerat, ut â bello ſe quietum contineat, & à Regis ſocietate abſtineat. Spẽ bonã inſuper affulgere, quin Ordines Saxoniæ fidẽ quoq; ſuã eſſent præſtituri. Veniunt ad Electorẽ eodẽ fermè die literę à Mauritio è Saxonia, quib. in quo ſtatu eius ditionis res, & quanto periculo poſitæ eſſent, denunciauit. De religione ſibi ſuisq; â Cæſ. cautũ eſſe: ſimulq; imperatũ, ut ex Ordinum literis accepiſſet, de inuadenda Saxonia coniunctis armis cũ Rege, ne ager Saxonicus ferro & igni uaſtaretur, eius oppida & arces ſub ius ſuũ quibuſcũq; poſſet artibus pellicere ſtatuiſſe, potius quã ſub imperiũ externi Principis, à quo difficile ea foret recuperare, ueniret. Reſtituere uelle oña impetrata illi à Cæſ. & F. pace, arbitris ditionis ſuæ Ordinib. inter utrũq; ſũptis, utcũq; pòſt inter eos res diſceptaret: & cõditiones, in quas tũ cõueniret, tũ ab ijs ipſis ſcriberẽt. In eandẽ fermè ſententiam ad Ioannẽ Gulielmũ Electoris F. ſcripſit: additis etiã literis, quas ad patrẽ in caſtra mitteret. Sed tacita ſuberat homini aſtuto cura ac ſpes retinendi ea, quæ armis patrueli adẽpturus erat: neq; futurũ, ut obliterata pſcriptione, Cæſ. pro fideli opera bello nauata quicquã à ſe armis partũ in agro Saxonico, ſibi rurſũ adimeret. Statim in hoc rerũ ſtatu Huſſari in Voetlandiam, Bohemorũ auxilijs adiuti, populabũdi in curſionẽ faciũt. Sita ita eſt Voetlandia, ut hinc Miſniã ad Meridiẽ, inde ad ortũ Bohemiæ ſaltus ſpectet, utriuſq; regiones cardines pertingens. Hanc igni ac ferro ita uaſtarunt, ut ab eorũ iniuria nihil ſacri prophani'ue tutũ eſſet, omnia ſtupris & fœdis libidinibus implerẽtur. Bohemi, quòd ad bellũ reſtitantes à Rege compulſi fuiſſent, intra paucos dies relictis caſtris,

ſtris, communiter domum reuertuntur. His deſtituti Hũgari mercenarij, ne pau
citas ab agreſtibus, ſudibus ac ſparis obtereretur, Mauritij copijs ſe coniunxe-
runt. Horum uiribus ac copijs auctus Mauritius, Zuiccauiam, Schneburgum,
Aldenburgum, & pleraq; alia obſcura oppida ac arces patruelis ſui in deditio-
nem cõpulit. Gotha, Iſenacum, & Vuittẽberga, ualediſsimæ urbes, haud ita ca
pi poterant. Inter hæc literæ à rege Ferdinando ad Cæſ. in caſtra Laugingiana,
de rebus proſperè in Saxonia atq; Voetlanda geſtis ueniunt. Arces, urbesq; o-
mnes, tribus munitis urbibus exceptis, Electori à Mauritio adẽptas. Lætus Cæ
ſar ob res bene geſtas, ut triumphi aliquã publicíq; gaudij ſpeciẽ præberet, ex
interuallo hoſtibus omnitũ grauiorum machinarũ tonitruis ſignũ dare iuſsit.
Ea uictoria etſi Cæſ. ac Regi gaudium attulit, odium publicè priuatimq; per
Germaniam tamen Mauritio concitauit. Sparguntur ob id in eum paſsim car-
mina dentata, chartę, libellíq; cõuitijs amaris referti. A duerſus quæ etſi ſcripto
edito ſe purgare conatus fuit, non tamen omnib. eo factũ ſatis ab ipſo fuit. Arx
erat mille paſſ9 à caſtris Laugingianis, quã Cæſ. quinquaginta Hiſpanorũ mi
litum præſidio impoſito, ualdè ſatis muniuerat. Hanc ubi ab hoſte ſæpe explo
rari ad capiendum, ut cõmeatum intercluderent opportunam, accepit: ad ex-
ploratores intercipiendos occultè cohortes cũ parte equitatus miſit. Sed dum
illi maturant iter, hoſtes poſtquam Cæſarianorum inſidias præſenſerunt, retrõ
in caſtra fuga dilapſi ſunt. Corrũpebantur interim continuis imbribus ſolito eſ
ſuſiorib. itinera, utnecq; uehiculis, necq; eqs pabulantiũq; frumentãtiũq; eſſẽt
puia. Quamobrẽ Cæſ. ne ultimũ inopiæ rerũ redigeretẽ, ſigno ad colligẽda ua-
ſa dato, in locũ & caſtris ſalubriorẽ, & rei frumentariæ conuehendæ magis op-
portunũ propius hoſtẽ mouit: ita ut cõpoſito agmine uadẽs, equitatũ in ho-
ſtem uerſum, peditatũ uerò auerſo ab hoſte latere ductaret. Hos impedimenta
atq; opera, cũ robore legionũ, tardius propter ſalebroſam altitudinem glæbæ,
in quã immergebantur, ſubſequuta ſunt. Et ratio cõpoſitæ rei per omnia fœli-
citer Cæſari ſucceſsit, nec uſquã ab hoſte turbata fuit. E limoſa paluſtriq; regio
ne huc circumuecto exercitui, tanta ex amœnitate ſalubritateq; loci oborta tu-
it alacritas & lætitia, ut non ludibundi, ſed ſeriò ei in poſterum celebre nomẽ re
liquerint, Caſtra ut Cæſ. appellarentur. Qui Semiuiui è profundo limo prore-
pere paulo antè uix ualuerant, ijs ſtatim uigor priſtinus, & corporum robur re-
ſtitutũ fuit. Erat autem is locus ad bellum extrahendũ mirè cõmodus, nõ ad fru
mentandum tantum, ſed lignandum etiam, ob propinquos ſaltus. Affatim dul
cis aquæ, & regionis natura præbebat. Dextrum caſtrorum latus paludes cin-
gebant, & lacus: ſiniſtrum ſyluarum longa & impedita uaſtitas, leuiter in bra-
chij modũ reflexa. Frontem, quã hoſtem ſpectabant, tumulus in longum ex-
porrectus protegebat. In hoc opera diſpoſuit Cæſar, ut quaquauerſum in ſub-
iectam planiciem flecterentur. Et inter caſtra tantum ſpacij medium erat, ut ſta-
tionarij miſsilibus globis eminus ſe pertingere ac ferire potuiſſent. Mandauit
Cæſar, non ſolum intentiorem cuſtodiam à ſtationarijs circa machinas agen
dam: uerumetiam ut equites ad premendos hoſtes inopia rerum, maximè fru-
mentariæ, ac lignorum, crebro eorũ caſtra effuſi obequitarunt. Inde hyppoſclo
piſtæ, quantum agri itineriſq; inter Norlingam, Dinckelſpulam, Vlmamq; in-
teriacet, effuſis excurſionibus populabundi infeſtare, frumẽtatores paſsim ob
uios cædere, equos carrarios confodere, cibaria, frumentumq; per uias ſpargere
equorũ pedibus ea proterere, nullíq; uſui relinquere: ſtragẽ hominũ, & omnis
generis onerum facere: poſtremò pedites nocturnis populabundi palari, diur-
nis quotidie peruagationibus crebra magis quã memoratu digna prælia caſtra
lacеſſendo facere, ut uix reſpirandi copia, & cibi capiendi ſpacium daretur. Per
hæc Cæſarianorum animi creſcebant: contrà hoſtibus uis omnis & rigor pau-
latim

latim elangueſcebat. Poſtremò, non iam amplius uelitando in planiciem excurrebant, ſed miſsilibus grauiorum machinarum extra caſtrorum propatulum in Cæſarianos per continuos aliquot dies eminus tonitruare, nihilq; operæprecij amplius facere. Tantaq; breui inopia in eorum caſtris laboratum fuit, ut uulgò ad radices è terra uulſas, & agreſtia olera legenda per quatriduum adigerentur. In hoc ſtatu res belli in exitu Octobris in Sueuia erat, cùm à Roma tranſmiſſo fulmine â ſummo Pontifice, Archiepiſcopus Colonienſis in Vbijs perſtringitur, & proſcribitur. Ille extemplò edito ſcripto, ſe Pontificem iudicem non agnoſcere teſtatus, ad frequens Germaniæ Concilium prouocauit. Cauſas prouocationis adiecit aliquot, & litem aduerſus eum conteſtatam eo ſe animo perſequuturum, quo ſuſciperet, promittit. Ciuitates confœderatæ duces belli langueſcere, non obuiam Cæſari in pugnam exire, dimidium fermè exercitus inedia, morbo & cladibus abſumptum, res ſuas indies magis ac magis rebus aduerſis atteri, Cæſaris uicißim res ſtadijs multis ſuperiores conſpicatę, die, quem paulo antè ad conueniendum Vlmam edictum retuli, de belli pacisq; rebus refertur. In eo conuẽtu cũ multa utrinq; diſceptata eſſent, integro certamine ad duces in caſtra proficiſcuntur, ut de eorum conſilio ratio aliqua in communem rem iniretur. Multa ea deliberatio, quæ pacem ſuaderent, neceſſariam magis quàm utilem, tenebat. Inopia pecuniæ in ſtipendium non ſolum præſens, ſed in futuros etiam menſes: nulla auxilia à quibuſdam, à nonnullis tenuia mitti. Saxoniã non tantum nihil conferre, ſed iam totam fermè hoſtium eſſe. militem partim commeatus innopia, ſtipendij partim deſperatione domos repetere. A Gallorum rege nihil fidi expectãdum. Cæſarẽ magno animo in caſtris hyemis inclementiam tolerare. Itaq; cùm tria in deliberationem uenirent: unum, ut acie de ſumma rei decertaretur: alterũ, ut ab armis milite in hyberna deducto diſcederetur: poſtremum, pacem qualemcunq; petendam eſſe: id placuit, ſi æquis conditionibus à Cæſare pax obtineri poſſet. Interim dum ita in caſtris conſultatur, Cæſar tumulum, qui hoſtium caſtris imminebat, opportunum ad propius infeſtandum, occupare conſtituit: cum legati è Norlinga ad pacem petendã, deditionemq; faciendam, his curis occupato ſuperueniunt. Hi cum pacis conditionibus, in quas ea conuentura erat, ita domum dimittuntur, ut exiguo tempore ad referendum dato, num eas reciperent, reſponderent. Hæ quoniam graiores uidebantur, quàm in quas pax fieret, aut quæ à Senatu confirmarentur, legatos in caſtra ad Cæſarem non remiſerunt: ſiue ut temporis morã quærerẽt, dum Ducum res, quò euaderent, ſpectarent: ſiue quòd in præſidijs ex urbe deducendis laboraretur nonnihil. Norlingenſium dubia defectio multo maiorem anguſtiam, famemq; Confœderatis attulit: quamobrem ut res pacis maturaretur, decretum fuit. Sed uia inuenienda erat, qua aditus ad Cæſarem præſtitueretur, & per quem pacis mentio legesq; cum gratia opportunè auribus eius admitterentur. Adamus Trottius erat, (quidam Troppium uocant) Septemuiri Brandeburgenſis cliens, quem authoritate & exiſtimatione apud Ioannem Brandeburgenſem, Septemuiri fratrem, ac gratia plurimum pollere ob raras animi atq; ingenij dotes norant. Eum huc precibus et promiſsis magnificis inducunt, ut ad Ioannem literas daret, quibus eum, ut Cęſarem de pace perpetrãda, & abolenda iniuria, ſine dilatione ac mora interpellaret, obteſtaretur. Non recuſat id facere Trottius, neq; literas differt ſcribere ad Brandeburgenſem in hanc ſententiam: Se ab eo proueteris neceſsitudinis iure contendere, ne, quod poſſet perleui momento, præſtare grauaretur: hoc eſt, ut pro ſe animum ad pacem conciliandam ducibus ac fœderi intenderet, pacisq; diſceptatorem ſe interponeret. Hanc ſi Cęſar auribus admitteret, confidere ſe futurum, ut æquis cõditionibus datis, acceptisq;, dimiſsis exercitibus, ab armis utrinque diſcede-

retur, maiorq; inde Germaniæ uastitas prohiberetur, Quod si huc rerum pacis componendæ negocium perduceret, uniuersam pacatæ gloriam, & solidam tempestatis huius sedatæ laudem ad eum peruenturum. Tempus colloquio opportunum, & occasionem obseruaret: commemorando Cæsari clementiam omnibus uictoribus maiorem esse, & laudem diuturnam magis parituram: antmum eius leniret. Iram iustam Imperio remitteret, & de pace disceptationem admitteret. Et re totius Imperij esse, bellum componi. Proponeret omnium con fœderatorum nomine, in primis, si pax in eas leges, quibus aliquando Mauritio de Religionis negocio cautum esset, conueniretur: adderetq; alia, quæ uide retur. Nondistulit Ioannes Brandeburgensis his de rebus apud Cæsarem nul la mora disceptatorem agere, præcipuè quòd pacem Ducibus ac fœderi universo necessariam peruideret. Statim relatione facta, Trottio ad istum modum à Cæsare Brandeburgensis respondere iussus est. Cæsarem hoc bellum propè inuitum suscepisse: eoq; suscepto constituisse, aut uictoriam de hostibus reportare, quàm propè iam in manibus haberet, aut uinci: non autem pacem dare, aut inducias. Tamen quoniam pacem tantopere petant, non negare se eam quidem, si ea quæ imperarentur, obedienter facere non recusarent, alioqui pacem nullam futuram. Cæsarem has leges pacis dicere, ut Saxo & Hessus exercitum dimittant: omnia quæ possiderent, urbes, oppida, arces & agros, Cæsaris & uictoris potestati permittant: ipsi supplices ad ad Cæsarem ueniant. Non dubiũ est mihi, inquit, quin me deprecatore ab eo (qua est clementia) quę supplices petant, sint impetraturi. His cõditionibus si pax placuerit, suscipiãt: breuissimũ, quã fieri potest, tempus ad consultandũ datur. Sin illę nimis graues uidebuntur, ut recusent: bellum suo periculo, ut cœptũ, ad exitum usq; trahãt. Etsi parũ æqui Cæsar hic postulare ipsis fortasse uidebitur: si me tamẽ cõsultore uti uolent, lubentes donẽt, quod sine gratia pòst sunt amissuri. Neq; sperent se, neq; ullos alios deprecatores, in posterum ad aures Cæsaris, quiũe cum eo de pace disceptent, admissum iri. Hæc sine dilatione Trottius ad duces retulit. Et cùm paucæ horæ ad consultandum concessæ essent, extemplo ab ijs ad hũc modum Brandenburgensi responsum fuit: Leges pacis tanquã uictis præscriptas, nimis esse graues, adeoq; impotenter imperatas. Sed neq; ita extempore quid quam certi de tam duris conditionibus uel statui, uel responderi posse, nisi diei unius mora consultationi daretur. Neq; eo minus impetrabilẽ sibi fore pacem sperare. Vnum interim se contendere, ut locus inter castra medius designetur, ac dies, quo ipsi cũ Cæsare & Maximiliano Burano ex æquo de pace firmanda colloquium serant, ut æqui aliquid disceptando obtinerent: spem esse, ne hoc quidm sibi grauatè à Cæsare concessum iri. Ad ea iussu Cæsaris Brandeburgensis, in eandem sententiam, in quam paulo antè, respondit, nullam pacem coituram, nisi arma, opera, se suaq; omnia Cæs. dedant. Hoc si facere ut arduũ nimis recusarent, scirent Cæsarem iustè bella susc ipere, eaq; eodem quo suscepta essent animo finire. Nec inde quidquam amplius à ducibus de pace facienda motum fuit. Per hos dies è Neapoli mille ducenti leuis armaturæ equites ad Idus Nouemb. decies centenis coronatorum millibus onerati, in stipendiũ præsens in castra Cæsaris uenerũt, Hęc pecunia per Siciliam & Neapolim quæsita erat. Et Florentinus dux grandem pecuniã eodẽ tempore per ueredarios de sua benignitate Cæs. contulit. Itaq; Cæsar iam consiliorũ hostiũ, & rerũ, partim è propinquis castris, partim ex literis paulo antè è Saxonia acceptis, haud ignarus, Albano imperat, ut machinas & opera omnia, apparatumq;, qui ad castrorum oppugnationẽ usui esset futurus, tumulũ illũ super capita hostium imminentẽ, subueheret: impedimenta itẽ, & globos omne genus huc comparare: uelle, dũ per hyemis utcunq; tum serenæ clementiam liceret, illorum castra expugnare.

In

In septimum Kalend. Decembres, milites Hispanos corpora reficere iussit. Dū Albanus in hoc totus est, quotidie leuibus, sed parum memoratu dignis prœlijs dimicatur, ut hostes minus ad ea quæ à Cæsare parabantur, intenti essent. Vtcunque dissimulabatur, quod moliretur, non feuellit hostem ex perpetua eiaculatione, qua nihil laxamenti dabatur. Itaque quinto kalend. Decembris die nebuloso, Saxo & Hessus militibus imperant colligere uasa: ac sole iam occiduo, silenti agmine omnes pedestres copias cum maioribus machinis impedimentisq; castris subducunt. Ipsi nocte serena omni equitatu, & campestribus operibus, quæ tergum agminis nouissimum claudebant, flamma castris iniecta, peditatum sequuntur. Nec prius Cæsar ob nebulonem, quam conspectis luminibus sublustribus, de eorum discessu per exploratores factus fuit certior. Ita enim comparauerant inter se duces, ut omnibus copijs in Saxoniam ad recuperanda amissa deductis, ad octo millia peditum, mille equites in hybernis relinquerentur.

Hos dux Vuirtenbergensis, & superæ Germaniæ ciuitates confœderatæ, suo ære alerent. Reliquæ omnes copiæ, quæ ad tuendam Saxoniam præsidium ducerentur, Saxoni curæ essent. Priusquam castris discederent, placuerat, ut primo quoque tempore, una legatio in Galliam ad regem, altera in Angliam, auxilia peditum mitteretur. Et Francfortum concilium edixerunt, ad conueniendum ante Idus Ianuar, ut ibi de belli pacisqúe rebus communiter statueretur. Ad istum modum bellum parum prosperè à Ducibus & confœderatis ciuitatibus in Germania per aliquot menses gestum, exercitusq; tantus & tam florens armis diuulsus fuit. Cuius equitum rei tam infœliciter gestæ causam fuisse arbitror, quòd cùm duobus Ducibus consortibus æquatum fuisset imperium, æquata item potestas, parùm inter eos in rebus gerendis conuenisset, & occasiones bonas castris Cæsarem exuendi elabi commisissent. Huic castra oppugnare uolenti, obstabat alter: uicitq; ferè semper ea, quę infœliter cadere solet in bello, deterior sententia. Vbi celeritate expugnatis ferè castris uincere potuissent, ibi cunctando & altercando eximentes tempus, victoria propè parta uti, & uincere neglexerant. Nec postea quicquam memorabile dignum, præterquam ab Electore in Saxonia, gestum fuit: sed omnia paulatim ad defectionem spectare cœperunt. Ciuitates nihil amplius in stipendium conferre uelle: omnium animi rupto fœdere ad pacem petendam inclinari: pudêre tam segniter à suis ducibus, quos belli artibus, ingenio, uel usu quemlibet æquaturos crediderant, omnia gesta fuisse: per quinque menses nihil aliud quàm æraria exhausta. Et cum castris tot tamque munita naturâ sæpe loca occupassent, & Cæsarem alicubi nec uallo nec fossa munitum, & ad omnem cladem opportunum habuissent, copijs ité equitum, peditumqúe numero ante Burani aduentum inferiorem, nulla celeritate ingerenda re usi fuissent: sed sedisse tantum, cœlum armis territantes. Vbi uerò Cæsar de hostiū fuga cognouit, turmas aliquot leuis armaturę, ad iter eorū obseruandū, & ubi castra metarentur, subsequi iussit. Ipse paulo pòst cū robore hastatorum equitum Buranici exercitus secutus, tergum suum Germanicum equitatum, pedestribus copijs præsidio castris, & ad stationē agendā, imperiūq; expectandum relictis, claudere imperauit. Simulatq; cū his copijs ad eorū castra uenit, hominum rerumq; omnium uacua uenit: celeritatēq; fugę ex saucijs relictis, fugientesq; sequentibus ex interuallo, didicit. Interea speculatores reuersi nūciāt, hostes tria passuū ferè millia inde præcessisse: & tardius, sed cōposito agmine moueri. Illico leuis armaturę equitib. ad carpēda terga, lacessendūq; certamē præmissis, simul ut morā uadentibus iniicerēt, Buranicū equitatū uestigijs hęrere mādat, ut si posset, ad statariū prliū eos cōpelleret, aut palatos in fuga cę-

deret, insequereturq; Ipse cum equitatu Germanico turmales copias clausit. Hippoſclopiſtæ iam præmiſsi, cum occupatis hoſtibus palantibus leuiuſcula prælia conſerere cœperant: cũ inſequentium equitum pauore trepidantes, in collem propinquùm à ſuorum parte præceptum, à deuijs callib. ſe recipiũt. Stabant inſtructa acie ſub colle in planicie diuerſa Saxo & Heſſus, tanquam ad dimicandum parati, ad quos illi qui collem inſederãt, proſpecto equitatu Cæſaris ſe demiſere. Albanus collem ab hoſtibus deſertum conſpicatus, eum cum Hiſpanorum manu, & equitum parte inuadit. E regione huius collis tumulus erat porrectior paulò, & incliuior: inter utrumq; paulò plus quingentorum paſſuũ planicies extenta interiacebat. In hunc Heſſus ſuos ſubducit, atq; in fronte contra collem, quem Albanus inſidebat, opera diſponit: ut eum inde miſsilibus deijceret, & longius procedere & inſequi prohiberet. Albanus ſitum ac naturam extentæ uallis contemplatus, certam ſpem conſerendæ pugnæ concepit: deuxitq; illicò partem equitatus in planiciem, qui palantes ſparſim ad pugnam prouocarent. Inde alios illis hippoſclopiſtas atratos ſummiſit, qui procurſando modò, modò cedendo, ſimulandoq; callidè fugam, atq; ad ſuos receptum, hoſtes ad certamen excitarẽt. Inſtruxerunt hoſtes in ſummo tumulo omnes copias, quorum frontem & cornua ita operibus ualidè communiuerunt, ut eò ſuccedere ſine clade Cæſar non potuiſſet. Is ubi in collem ab Albano inſeſſum uenit, uiam apud animum ſuum inueſtigauit, qua illos ad certamen quamuis reſtitantes compelleret. Sed quia lucis parum admodum ſupererat: & miles faciendo itinere laſſus cibo & quiete reficiẽdus erat: tũ aũt, qui hoſtes in tumulo plane pernoctaturi uidebantur (arguebãt id nõ obſcurè lumina, quæ primo ueſperè ignibus factis conſpiciebantur) properè in caſtra relicta redijt: inde pedeſtre exercitũ, quẽ imperata operiri iuſſerat, iam multa nocte abducturus. Secunda uigilia in caſtra ad lunã reuertitur, & celeriter quantum erat copiarum uaſa colligere, & in aciẽ aciẽ exire iubet. Ipſe leuiẽ sũpto cibo, quãta maxima celeritate inde rurſum ad Albanum, legionibus cum impedimentis ſequi, et nuſquam uia excedere iuſsis, nocturno itinere contendit, ut prima luce ſilenti agmine horũ omnium ignaros hoſtes improuiſo opprimeret. Tertia uigilia Albano, aut paulo pòſt, iungitur. Erat nox illa, ut hyberna, uehementer frigida: augebatq; frigus atrox nebula, & prunis infeſtior: tum autem & nix, quæ ceciderat, duorũ pedum altitudine, militum iumentorumq; corpora grauiter afflictabat: quãobrem ignes in utriſq; caſtris per totam eam noctem frequentes arſere. Hoſtes pluribus locis lumina, ut Cæſarianorum oculos ludibrio fallerent, in tumulo exercitauerant: ipſi ſilenti agmine circa primam uigiliam caſtris exceſſerant. Sub exortum ſolis amnem Brentam, quem Prẽtium ab alijs dixi appellari, traducti, ad Heidenæman arcem in agro Vuirtenbergenſi caſtra locarant. Nudis mane caſtris inuentis per exploratores, Cęſar rurſus de ſpe ſua deiectus, cõſiliũ anceps, quid facturus eſſet, fuit. Multa eum à perſequendo hoſte longius dehortabantur: nix multa ea nocte lapſa: acre frigus: laſsitudo ab itenere, militũ equorũ corpora ęgra: pabuli frumentiq;, q̃ hoſtes paſsim uel abſumpſerãt, uel ſecũ auexerant, inopia, q̃ magis eo creſcerẽt, quo lõgius in hoſticũ eos inſequeretur. Super hæc, uici, & quantum ædificiorum, ac uillarum paſsim obuiũ erat, miſerabili ſtrage uaſtatum iacebat. Cæterum priuſquam exercitus ad caninã famem redigeretur, die ad reficienda alimento & ignibus corpora militibus concesſo, inſequẽti nocte omnes copias in ea caſtra, q̃ Cæſ. dicta fuiſſe memorati, retrò reduxit, ubi copia omniũ rerũ præſens inopia leuata fuit. Huc biduo pòſt fama ad Cęſarẽ allatum fuit, hoſtes Heidenęmam arcem poſtridie quàm uenit ſent, reliquiſſe. Mirari Cæſar, quę cauſa tam prępitãrer eos inde expuliſſet, cũ ager Vuirtenbergenſis nulli ferè tota Germania frugum, aliarumq; rerum exube-

exuberantia sit inferior. Cæterum cùm atrox niuibus,& frigoris inclemẽtia asperum anni tempus hyberna postularet,bifariam hic partiti copias fuêre: ut earum quæ ciuitatum erant,pars Vlmam,Augustamq; mitteretur:reliquũ exercitum Duces,quò uideretur,deducerent. Hos decem equitum uexilla,præter copias pedestres,quingentasq; æneas machinas,sequebantur.Fama tum erat, eos cum exercitu in Franconiam,ibi hibernaturos,iter auertere.Diuersum rursum,sed incertis authoribus uulgabatur pro comperto,exercitum ita distributum fuisse,ut Electorem octo peditum millia in Saxoniam,& duo equitum ad recipienda amissa sequerentur:Hessum cum duobus peditum millibus,et equitibus trecentis,quorum præsidijs oppida & arces maturè aduersus ingruentẽ tempestatem firmaret,in suam prouinciam properasse.Atq; posteriorem hanc postea ipsa res comprobauit.Lantgrauius cum armatis Vuirtenbergensi agro egressus,Saxone relicto,kalend.Decemb.Francfurtum uenit. Hic à Decurionibus,& ciuium multitudine circumfusa oratus,ut rebus suis dubijs opem ferret, aut,si minus, consilio saltem iuuaret:fertur respondisse nihil aliud,nisi,Vt unaquæq; uulpecula suam caudam diligenter,et circumspectè tueretur. Saxo simul pecunia exhaustus, per Sueuiam ,iter uertit : inde Gemundum , nullis præsidijs impositis munitam,concessa oppidanis uitę & fortunarum salute,in deditionem accipit,pecuniã pactus. Hac persoluta,pridie Id Decẽb. & ipse Francfurtum contendit.Ab his nouem aureorũ millia poposcit, & pernumerata fuêre.Mox eodem itinere quadraginta millia Moguntino imperantur.Inde Abbatem Fuldensem nimis quàm opulentum,& urbes pleraspq; ditionis Bambergensis & Herbipolãsis grandi ære mulctat,Cæsar acceptis his quę impotenter à Saxone in Episcopos gerebatur,ad eos literas dedit,quibus mouit ut præsentem fortunam pauliſper utcunq; ferrent, nec calamitas præsens quicquam eorum animos imminueret:se breui id Duci gaudium effecturum. Saxonis & Hessi audacia consilia principio læta quidẽ fuisse,& nũc nihil aliud quidem quàm inchoata,at nondum perfecta,rerum euẽtu suo tempore tristia futura.Se cum exercitu breui superuenturum, ut tragœdiæ ab illis cœptæ postremum actum addat.Dum hæc circa Franconiam agebantur,Cæsar Bophingam in deditionem accipit.Inde modico spacio abest arx prouinciæ comitum Ottingensium.Milites qui in pręsidio locati fuerant,extrema formidantes,qui paulo antè tollerabiles pacis conditiones aspernati fuerant,nudi & inermes dimissi abiuerunt.Sequuta statim defectio est Norlingensium.Pridie quàm Cæsar Norlingæ appropinquaret,cohortes impositæ, quia in ciuibus parum spei & firmi præsidij esse uidebant,relicta urbe,in arcem Comitum Ottingensium, natura, operaq; humana & præsidijs militum ualidissimam,profugerunt,Magistratus aduentẽti occurrit,& se suaq; omnia,clauibus portarũ,quas duo licto res de sparo pendentes medio humeris portabant, oblatis ultrò illi tradidit. Quatuor cohortibus Norlingæ in præsidio relictis,partem militum Hispanorum ad arcem,quam dixi,mittit. Hinc cùm crebræ eruptiones fierent , in eos Buranum cum Belgico robore submittit:à quo,cùm uim ultimam experiri præsidiarij non auderent,statim in deditionem accepta est. Quatuor his signa militaria adempta,præter arma.Sarcinas,& pacatè abeundi potestatem paciscentibus,negatum fuit. Episcopo Augustano Norlingæ relicto, Cæsar nihil immaturo rebus gerẽdis retardatus hyberno tempore,Dinckelspulam ire perrexit.Huc præmisit Albanum cum cohortibus Hispanorum,ad pertentandos oppidanorum animos,quòd ab his nullæ adhuc legationes de pace uenissent. Obstinauerant hi animis , omnem potius sortem oppugnationis experiri, quàm in Cæsaris potestatem se committere, Summa ope parabant se dispositis per muros stationibus,ad oppidum defendendum . Id ubi uidit Albanus, undiq;

undiq; id obsidere, primùm, deinde blandimentis permulcere eos aggreditur: quibus cum expugnari obstinati animi non possent, ad ultimũ, minis perterre re, & ab omni parte oppugnare simul, undiq; admotis machinis, parat. Si mu ros quatere inciperet, nullas pacis conditiones admissum iri: uiam prorsus ue niæ præclusam: omnia prædæ data: ipsum oppidũ ferro & igni depopulandũ. His minis territi, quòd captis nulla apud uictorẽ uenia foret, quòd pertinaci ter adeò abnuerant, extemplò dediderunt se. Duabus hic cohortibus in præsi dio relictis, nihil moratus, postridie, dum recens terror esset, Rotenburgũ mo uit. Bidui iter est à Dinckelspula. Rotenburgenses magna lætitia perfusi, quòd in finibus suis Cæsariana præsidia cernerent, oppido effusi, gratulabundi Cæ sari obuiam eunt, se suaq; omnia uictoris arbitrio permittẽtes. Hospitium com mune militibus humaniter offerunt: commeatus pabuliq; pro opibus copiam. Nunquam, inquiunt, clementissime Cæsar in fœdere fuimus: pecuniam ad bel lum non contulimus: auxilia hostibus tuis non misimus: neq; arma in uniuer sum cõtra te sumpsimus: officio, fideq; erga te, qua hactenus, fuimus, cum qui busuis parati certare. Effusa benignitate, munificentiaq; Rotenburgensium Cæsar delectatus (nam ita rem se habere, postea comperit) oppidũ intrauit, ubi de hostium itinere paulò cõpertiora accepit. Dũ ista circa Rotenburgũ gerun tur, Lãtgrauius in Hassiam reuersus, literas ad Mauritium generũ suũ dedit, ut publica fide data corã de reconciliatione Electoris in gratiam, aliqua discepta ret. Mauritius publicã ei quidẽ pacem concessit, sed adscripsit quasdã conditio nes. Hæ quia graues nimis fuére uisæ, tutius per legationes rem experiri ratus fuit. Legati missi, Harmannus Hundelsusius, & Henricus Lersnerus. Postquã ad Mauritium uentũ est, primò multa de iure & iniuria belli disseruére: inde de pace concilianda egerũt. Ad quæ Mauritius: Bellum decretum à Cæsare & Re ge aduersus patruelem, propè inuitum se gerere: sine quorum consilio & autho ritate pacem inire non posse. Si pacem & ueniam peteret, Rotenburgũ ad Cæ sarem proficisceretur. Certam spem affulgere, ab eo, qua est clementia, omnia æqua impetraturum. Ita infecta pace legati domum reuertuntur. Inter hæc Cæ sar Buranum è Rotenburgo domũ cum Belgicis copijs dimissurus (quia rigor frigoris hyberni, et iter non solum logũ, impeditumq; saltibus ac montibus, sed etiã auijs callibus, altisq; niuibus infestum, ab hoste insequẽdo deterrebãt) pro opera in bello fideliter nauata, benignè multa cum eo colloquutus, amplissima dona in posterũ uicissim promisit. Mandat simul, ut in itinere Francfurtũ, qui buscunq; posset artibus, uel spem amplissimorum beneficiorũ ostentando, uel minis perterrefaciendo in potestatem cogeret. Eo dimisso, nihil amplius Rotẽ burgi commoratus, oppidis nonnullis quæ ad Rhenum uergunt, quibusdã eti am Sueuicę prouinciæ receptis, inde mouit: secundisq; castris Halam, Sueuiæ nobilẽ ac opulentã urbẽ, quæ admodũ nuper à fœdere defecerat, uenit. Mora tus hic spe diutius fuit, quòd podagra per hyemis asperitatẽ se reciperet. Paulo antè Cęs. quàm Halã peteret, literas ad Vdalrichũ Vuirtenbergensiũ Ducẽ in hanc fermè sententiã dederat. Quamuis aliq̃t antè annis propter bellũ, ab ste & Lantgrauio aduersus fratrem meũ motũ, & agrũ Vuirtenbergensem quo mul tatus fueras, receptũ, in uos exemplũ edere iure potuissem: noxã tamen omnẽ, & iniuriã clementer, quia supplex petebas, tibi remisi: omnemq;, quã potui, munificentiam atq; humanitatem præstiti. Nuper etiã ante hoc bellũ susceptũ, pari beneuolentia te minimè meritũ prosequutus fui, cùm tyrannidẽ in tuos, fi nitimosq; Imperij ordines immaniter exerceres, neq; legibus humanis, neq; ra tionis habenis coerceri posses. Legatos ad te missi, à quibus, quã ob causã atma ego sumpserim, cognosceres, quiq; tibi, ut ab armorũ societate abstineres, edice rẽt. Tu his omnib. ludibrio habitis, uiolata fidei, quam mihi debes, religione,

societatem

ſocietatem & amicitiam cum hoſtibus meis iniſti: quos proſcripſi: quorum urbes, oppida, arces, agroſq; non haſtæ, ſed armis ſubieci, cum his arma ac uires conſociaſti. Et ne qua contumelia, ludibriumq; prætermitteretur, confœderatorum tuorum opibus fretus, fratris mei primùm, deinde quorundam ex Ordinibus Imperij, adeoq; mea, quæ ad Imperium pertinent, oppida armis non petiuiſti modò, ſed etiam inuaſiſti. His nondum, quamuis grauibus & atrocibus flagitijs, expletus, bellum inſuper, qua fuiſti amentia, mihi feciſti: maieſtatem meam dictis uirulentis imminuiſti: meam authoritatem decusq; eleuaſti: omnemque in id operam ſedulò nauaſti, ut me Imperatorio ſplendore exueres: renunciata ea, qua mihi obnixius es, fide, quam ſociorum coniurationi poſthabuiſti. Super hæc, copias cum inſaniæ tuæ coniuratis ſocijs in me armaſti, & conſcriptas mihi frequenti acie obieciſti, prius multis & meis & fratris clientibus memorabili rerum ſuarum naufragio afflictis. Eadem proinde mulcta, & ſtrages fortunarum, ut maieſtatis reum, quæ alios, te quoq; manet. Hæc quanquam ita ſe habent, & cauſę, cur in te ultimo humanorũ ſupplicio animaduertere poſſem, compârent, uti meritus es: ne tamen plebs inſons, cui plus miſericordiæ, quàm tuæ cauſæ ſpei debetur. rei Principis peccatum luat, (huic omnino parcere ſtat ſentẽtia) edico, ut extemplò, ſimul meas literas acceperis, te ultro mihi dedas: omnem tuam prouinciam, urbes, agros, caſtella, quantũ deniq; fortunarum tibi eſt, in ius meum tradas, ut de his ex meo arbitrio conſulam. Et ni impetrata feceris, ferro & igni populabor omnia: teq; bello, donec oppreſſero, uſque perſequar. Porrò literæ tuæ expurgatoriæ, quas quatuor hinc dieb. ad me dederis, non faciũt mihi ſatis: neq; eiuſmodi ſunt, ut hoc tuum facinus uel extenuare, uel excuſare queant. Harũ literarũ exemplũ Cæſar ad ipſius ciuitates dedit: ſimulq; remiſſo illis iureiurando, quo Principi ſuo deuincti erãt, imperauit, ut in proſcriptorũ numero eũ haberent, neu in poſterũ ei fidẽ aut obedientiã ulla in re præſtarent. Quod niſi facerent, ſe pro hoſtib. ipſos quoq; habiturũ, parq; Principi infortuniũ daturũ. Lectis his, Vuirtenbergẽſis immodicé perculſus ſu it: multo uerò magis ubi audiuit per certos, belli apparatum omnẽ, ac terrorem in ſe conuerti: & iam etiã (ut paulo pòſt narrabitur) Albanũ tabellionẽ cũ infeſto exercitu ad fines ditionis ſuæ ſubſequi. Relicta extemplò prouincia ſua, cũ paucis in arcem Tuelã fugit. Sita ea arx eſt in prærupto undiq;, & exceſo loco, ppè ulla opera humana inexpugnabilis, ualido impoſito preſidio, extra Vuirtenbergenſis agri terminos. Ibi, priuſquam Albanus ditionem ſuam intraret, tempus ratus ſuppliciter agendi, literas inuicem ad Cæſarem dedit in hanc ſententiam. Doleo ex animo, clementiſſ. Cæſar, in id odij me apud te incidiſſe, ut impetrandę ueniæ nullus mihi locus ſi relictus: qua re nihil acerbius mihi potuit accidere. Multo uerò magis percellor, quòd plus ira tua, ob admiſſum crimen, quàm miſericordia hic ualeat. Cùm enim amicorum quidam pro me ſunt deprecati, & ipſe haud ita pridem, datis literis, non abſque lacrymis hanc noxam mihi condonari orarim, nihil æqui exorauí: cur, quò me uertam neſcio. Et tamen eam ſpem ueniæ plus in miſericordia tua, quàm fiducię in mea cauſa poſui ſemper, & adhuc retineo: neque diffido, quin ira in me concepta aliquando ſidat, ut omnibũs ſupplicibus ueniam dare ſoles. Documento mihi ſunt quorundam exempla, nondum uetuſtate exoleta, & memoria adhuc recentia, quæq; in conſpectu propè adhuc uerſantur, quibus inter Ordines Imperij multo maiora facinora condonaris. Si ad aures tuas nuper meas legationes admiſiſſes, non dubito quin multo clementius fuiſſes mihi reſponſurus. Itaque ſupplex ad genua tua protenſis manibus prouolutus, lacrymis fatigo te, acclamentatione ueniam ac pacem oro. Quam etſi non meruerim: & maieſtas Imperatoris, unde ius ſtat, mihi iure ſuo eã negare poteſt: ppter Chriſtũ tamen

men, ad cuius exemplum cùm omnibus mortalibus, tum in primis Monarchis, qui secundùm Deum in rebus humanis plurimum possunt, respiciendum est, uelim ignoscas, ne quid grauius in me miserum Principem, sorditatum, & miseriorem ipso Principe populum decernas. In hanc sententiam ille, decimoterstio kal. Ianuar. Fredericus Palatinus & ipse ab euentu belli totus pendens, consternari animo, & sibi timere cœpit: initio enim inchoati belli quadringentos equites è fœdere contra Cæsarem in hostium castra contulerat. Anceps animi diu quid inceptaret, tandem per amicos deprecatores obtinuit, ut quàm primùm fide publica accepta, ad Cæsarem purgandi sui causa acceleraret. Palatinus lætus aditum sibi ad Cæsarem patefactum, haud cũctatus Halam uenit. In cubiculum admissus, supplex illius pedibus aduoluitur: deprecatusq; culpam fuit, quòd aduersus eum auxilia hostibus miserit, id à se non hostili animo fuisse factum, sed quorundam blandimentis & speciosis uerborum illecebris perpulsum. Quorum fidei ac amicitiæ tantum tribuisse, se pœnitere: eamq; pœnitudinem lacrymis testari. Orare noxæ abolitionem, qua semper fuisset clemẽtia. Se dedere Cæsari, suaq; omnia ei permittere, licet non deposcatur: & imperata obedienter facere paratum. Cæsar orantem cùm interpellasset, grauiter increpuit: in quem cum tam multa & præclara beneficia ab ipsis propè incunabulis extarent, ausus tamen fuisset externum fœdus suę amicitię & affinitati anteponere. Quæ, inquit, beneficia maiora in te conferre potui, quàm quę mea benignitate, nullis tuis meritis, à primis pueritiæ rudimentis penè sis consecutus? In regia mea liberaliter habitus, educatusq; es. Et cũ consanguinitate mihi iũctus sis, neptem tibi in connubiũ, quo arctius mihi te deuincirem, locaui. Et tot nominibus mihi obnoxius, hostes insuper meos auxiliaribus copijs & opibus tuis iuuas: has mihi gratias refers. Licet ista refellere nequeas, pluris tamẽ affinitatis ius apud me est, & primæ educationis ratio, quàm accepta cõtumelia: quã tibi, quia lamẽtationes supplex, & lacrymas precib. miscendo oras, libens cõdonẽ. Illud interim moneo cogites, ut deinceps nõ solũ des operã ad sinistras suspiciones euitandas: sed etiã, ut obsequijs me obnixius ac plenius emerearis: hocq; dedecus gẽti tuę, inustũ officio, fide & beneuolẽtia cũ sumis & maximis certando, aboleas. Pauca ad ista Palatinus, quibus excusare conabatur, submisse subiecit: q̃ etsi perexiguũ momẽtũ ad defensionẽ causæ haberẽt, plus tamẽ apud Cæs. cõsanguinitatis, affinitatisq; necessitudinis uinculũ simul & uenerãda tanti uiri canicies, & effusæ in grandi ætate inter pręces, uerecundãq; excusationẽ, lacrymæ ualebant, quã admissa noxa. Reconciliatus ad hunc modum Cæs. in gratiã fuit Palatinus: ac domum regresso omnia integra, pacatáq; remanserunt. Belli principio Palatinus ex Argentorato Paulum Fagium ad constituendam ecclesiam suam euocarat: id incœpti in hoc rerum statu, & Cæsaris fœlicitate, irritum fuit. Sub idem tempus Vlmensium legati Halam uenerunt, quo tempore adhuc Palatinus apud Cæsarem grauiter ex pede laborantẽ morabatur. Legatis dies adeundi Cæs. datus fuit. Vbi ad eũ prę sente Palatino intromissi fuerũt, ad genua illius, puoluti, supplices, p reipub. suæ salute uerba fecerũt. Princeps legationis, q̃ à Senatu in mãdatis habebat, ita exposuit, ut diceret: Senatum populumq; Vlmensem se in Cæs. agnoscere peccasse, quòd aduersus eum non modò auxilia hostibus summisisset, opibusq; iuuissent: sed ad arma sumenda socias etiã ciuitates excitassent, quæ quieturę forsan fuissent. Multitudinis clamorib. & quorundã magnificæ in speciem promittentium persuasione blãda perpulsos huc fuisse. Sed cùm nullum sit delictum, quamuis enorme, de quo mortales confiteantur, quod diuina bonitate nõ remittatur: in spem esse Cæsarem quoq; diuinã clementiã ceu scopũ & exemplũ imitatũ, sibi hanc unam noxam quoq; remissurum: maximè cũ uideret supplices & ultro aduenien-

aduenientes(id quod pœnitudinis argumentum est)humi ad pedes ipsius effusos. Paratos esse se,& obedienter imperata omnia facere,& fide officioq; erga Imperatorem cum quibuslibet certare in posterum. Tum Cæsar: Etsi ob admissam noxam uos agris,legibus,& uestræ libertatis uiribus rectè multare possem, id quod ne uos quidem dissimulatis,cùm extrema omnia humanorum, quòd arma contra me sumpsistis,uos meritos satis confitemini:tamen quia ultro pacem petitum,de crimine uestro confitentes,supplices uenitis,numen coelestè lubens imitabor,condonando peccatum:quòd uideam id Imperio esse utile,& in præsenti necessarium. Legati hoc pacto impetrata pace, domum læti reuertuntur. Hæc ulmensium defectio ad Cæsarem,incredibile attulit rebus eius momentum:quòd eorum opes inter Sueuos,& Augustanorum,tum maximæ essent, & autoritas. Quamobrem,cùm sociæ ciuitates,quæ in fœdere adhuc obstinabant,eam rem indignè ferrent, Vlmenses factum literis ad amicos datis ita excusarunt,in exitu mensis Decemb.quòd Cæsar urbem primo quoq; tempore,cum ex hybernis per exasperatum frigore cœlum mouere daretur,obsessurus diceretur:nec in ullo aliquam opis spem uiderent, ab omnibus fermè socijs deserti:præcipuè q; Sueuia uacua iã ab auxiliarib.armis esset. Si obsidio ne premerentur,â nullo affulgere subsidij spem,ut ea eximerentur. Super hæc, nonnullos sociorum indies per amicos occultè apud Cæsarem de reconciliatione, & impetranda uenia agere. Itaq; necessitate ad agendum de pace se adactos. Centum millibus laureorum Vlmensibus in præsenti imperatis,& duodecim æneis machinis,decem peditum signa Cæsareorum urbi præsidio sunt imposita. Breui pòst ex Hala mouit Cæsar:& Albanum ad depopulandum agrũ Vuirtenbergensem hostiliter cum parte exercitus præmissum, ipse cũ reliquis copijs sequutus fuit. In Albani exercitu,qui ex Italis maximè & Hispanis cõstabat,aderant Schamburgius et Madrucius. Harum gentium cohortes ob hyberniantẽperiei intollerantiã ad incredibilẽ paucitatem redactæ fuerant. His equitum Germanorũ turmæ aliquot admistæ erant,& cataphracti equites quingẽti,cũ quibus paucis antè diebus Spinellus è Neapoli magnis itineribus,per plana & abrupta,altasq; niues uenerat. Cũ his Albanus Cæsare lentius insequente,agrum Vuirtenbergensem prædabundus ingressus, prima irruptione aliq; castella ui recepit, nonnulla metu & pauore iniecto in deditionem accepit. Progressus inde, Hailbrunum, terrore ui capiendi muros,& trucidãdi omnes qui uel in stationibus,uel in publico cum telo deprehenderentur,facto primo impetu in potestatem redegit. Dux ubi è nuncio in arce,in quam eum fugisse demonstraui, cognouit agros uastari, prædas hominum pecorumq; agi rapiq;:arces omnes,paucis exceptis natura munitis,à Cæsare capi et oppida adempta,totam denique ditionem ad defectionem inclinatam, sequoque omni armatorum agmine quæri:tum maturandi tempus ratus, legatos celeriter Cæsari obuiam misit, per quos imperata se facturum nunciari iussit. Deprecabatur pro eo Palatinus, ut mitigata ira uictoris, ueniam tollerabili mulcta consequeretur. Pax data illi est per necessitudinem Palatini, his conditionibus:ut tertio Nonas Ianuarias anni sequentis, qui fuit quadragesimus septimus supra millesimum & quingentesimum, leges, in quas conueniret, capesceret. Fuerunt autem hæ, trãsmissæ illi â Cæsare in hanc formam, Quoniam autem Dux Vdalricus propter aduersam ualetudinem, quam per legatos excusat,ipse ad Cæsarem uenire non potest,extemplò nulla mora legationes mittat,qui suo nomine supplices de peccato confitentes ueniam poscãt, & pacis conditiones præscriptas ratas firmasq; habeant. Quin ipse Dux hoc ipsum intra sex dierũ hebdomadas faciat,& Cæs. decreta de cõmunibus Impetij rebus,ut sancta & inuiolabilia tueatur. Saxoni nulla Hesso equitũ peditũue auxilia

auxilia mittat: sed secum aduersus hostes suos arma sumat, ubi proscriptionẽ exequi uoluerit. Suam amicitiam & societatem illorum necessitudini & præoptet, & anteponat. Nulla hostibus commercia in agro Vuirtenbergensi sint. Ipse nullum fœdus aut societatẽ ineat, in qua Cęsar, eiusq; frater Ferdinandus, & Austriaca familia non contineatur. Si qui stipendio inauthorati, aduersus Cæsarem, Ferdinandum, gẽtémue Austriacam arma mouerint, in eos ferro animaduertat. Nobilitatem suam, purpuratosq; iuramento illiget, ne contra Cæs. militẽt. Cęs. omnia tuta per prouinciã suã perpetuò ad cõmeandũ faciat. Machinas sociorum in ditione Vuirtenbergensi relictas, cum cura & fide Cæsari tradat. Trecenta Cæsari aureorum millia, in sumptus in bellum factos, soluat. Huius pecuniæ dimidium præsenti, dimidium reliquum intra uigesimumquintũ indediem pernumeret. Cæsari Aspergum, Kirchenum & Schorẽdorfum arces, non solum quòd præter tormentorum uim, annona omne genus in multorum annorum longam obsidionem instructæ, locorumq; natura munitæ essent, sed etiam ad totam eam ditionem coercendam, retinendamq; sub imperio opportunas, Cæsareo præsidio impositio, pignori tradat. Quibus hoc bello damnum dederit, id sarciat. Si de eo ambigatur, id Cæsare disceptatore componatur. Si lis illi, filioúe disceptanda in Burgundiæ superioris terra oriatur, eius loci consuetudinem forensem seruet. Si qui sint in ditione Vuirtenbergensi, qui in potestatem, fidẽq; Cæsaris deditione uoluntaria concesserunt, fraudi id ne detũr. Ferdinando fratri ius suum inter has pacis conditiones relictum sit integrum. Hæ pacis leges ita forent ratæ, si à filio eius Christophoro, & gente uniuersa Vuirtenbergensi intra sesquimensem comprobarentur. Georgius huius frater in hac pace non continebitur. Ad istum maximè modum legibus pacis Ducí datis, quinto die mensis Ianuarij legatos ipse Hailbrunum, grauiora maturè prohibituros, misit. Legati erant, Balthasar Gultlingus, Ludouicus Frauenburgus, & Ioannes Feslerus. His ubi copia conueniendi Cæsarem facta fuit, primùm quod erat occupatum arbitrati, dubiam Principis ualetudinem excusarunt, cur minus ipse ueniret. Sibi permissum, ut ea quæ cum Cęsare transigerẽr, de pace, rata ipse esset habiturus. Ducem agnoscere culpam, ac dolere, se eius maiestatem imminuisse: orare igitur, ut in gratiam recipiatur: ut sibi parcat, neu quid grauius in uniuersam gentem, â qua culpa abest, statuatur. Quas conditiones pacis Cęsar dictasset, firmas eum, ratasq; habere: tantum ne quid accidius accumuletur. Ad ultimum, Ducem ad Cęsarem uenturum supplicem, ubi per ualetudinem integrum esset. Nec unquam hoc tantum beneficium ac gratiam apud immemorem positum iri. Cęsar per Nauium, gratum sibi respondet esse, quòd de peccato suo ultro confiteretur, ac pręces insuper confessioni misceret: quibus satisfactum sibi duceret. Recipere eum in gratiam, ac parsurum populo: quem non esse æquum, scire se, Principis peccatum luere. Id superesse tãtum, ut pactionum & officij memor, in fide deinceps manet: neu cõmitteret, ut alienam amicitiã suę in posterum pręoptaret. Cęsarẽ in ea spe esse, & sua clementia promeruisse, ut id pręstaret. Legati hoc maximè pacto firmata pace, domum sunt reuersi.

LAMBERTI

LAMBERTI HORTENSII MONTFORTII HISTORICI DE BELLO GERMANICO LIB. VI.

IN exitu annus erat, cùm Buranus infesto exercitu populabundus Hassiam ingressus, ea parte quę proxima Frācforto est, latè omnia uastaret. Oppidum Darmstatum ad ripam Rheni obsidere primū, inde oppugnare, agrum Francfurtiensem ingressuro opportunū, parabat. Ad quod haudquaquam diu cunctandum propter infestum temporis hyberni frigus ratus, undiq; scalas ad stantia mœnia inferri, & machinas admoueri iussit. Diffisi oppidani, aduersus uim muros globis iam quassatos, diffectosq; diutius se tutari posse, pacti uitam, & fortunarum omnia integra, oppidum dediderunt: arcem Buranus tamen incendio euertit, & pepercit oppidanis. Progressus inde Francfurtum fuit. Hanc urbem cùm nullum præsens consilium per uim capiendi uideret, constituit ea omissa in Belgicam procedere: nam Mœni fluminis altitudo aditum non patiebatur. Et immodicum frigus, ad omnia militaria munera militem inertem & segnem reddiderat. Super hæc, pestis & dysenteria ex hybernis incommodis grauiter corpora afflictabant, ut nulla spes eius potiundæ urbis affulgeret. Præterea, quòd ciuiū frequētia, & impossito præsidio, ualidè contra omnē uim munita defendi potuisset. Copias tamen ita partitus fuit, ut partē Rhenum traductā ad Moguntiā se operiri iuberet, ipse cū reliquis copijs Francfurtū fortunā periclitaturus iter uerteret. Francfurtienses audito Buranū cū exercitu ad urbē accedere, (quanquā ijs copijs ad uim faciendā non sufficiebat) legatos aduenienti obuiā miserunt, per quos se illi permisserūt. Potitus ad istū modū Francfurto Buranus fuit, cùm nihil minus quàm uoluntariā deditionē, aut legatos obuios expectasset. Ingressus urbē, obuia humanitate (nā pacti ab eo legati fuerāt, ne in corpora ciuiū, aut fortunas sæuiret) exceptus fuit. Ferunt eū, in solēni cōuiuio q̄d publicè à Senatu parari iussum fuerat, cū in multū uini processisset, ludibūdum in Senatō iocatū, q̄ tā trepidè ad uenienti cū dimidia parte exercitus, & ea quidē, diuersis morbis afflicta, itinere faciēdo lassa, & per frigus inerti, urbē tā ualidè munitā dedidissent, cuius muri uel ipsius Cæs. robur sustinere, potuissent. Darmstatanos Francfurtū inhabitare debere, qui fortiter ac intrepidè primā oppugnationem sustinuerat. Contrà Frācfurtienses, qui ne muros quidē suos uulnerari ictibus passi fuissent, Darmstatū deducendos. Voluntariæ deditionis causa uulgò credita fuit, defectio Vimensium, Palatini, & Vuittenbergensis Ducis: & altera, metus, ne celebres eorum mercatus Moguntiā, aut in aliū locū mercatoribus opportunū à Cæs. subla ti transferrent. Rumor em̄, sed ueritate ad liquidū nō explorata, spargebat, Moguntinenses & Vuormaciēses certatim apud Cæs. instare, ut nundinas ad se attraherent. Buranus extēplò literas ad Cæs. de rebus in reditu fœliciter gestis misit: iussitq; Francfurtiensibus, cū nuncio legatos simul, ad eum mittere, de impetranda pace. Hi biduò pòst nunciū sequuti, ubi ad Cæs. uenerūt, ijs dē fermè cōditionibus, quib. aliæ ciuitates, pacē octuaginta aureorū millibus multa impetrata obtinuerūt. Et ut in fide manerent, r̄ peditū signa, cū quibus Buranus urbē ingressus fuerat, p̄sidio relinq; uoluit. Dū ista à Burano gerunt̄, XI Kal. Ianuar. Saxo Elector in Saxoniā rediit cū exercitu: ubi omnia ferè sua armis à Rege & Mauritio, ut antè per literas acceperat, occupata offēdit. Literas statim ad Ordines Mauritianos misit in hanc sententiā. Quod ad literas uestras, quas v. Idus Octob. ad me dedistis, nihil respōderim, studio id à me factū est, ut euentū belli

cœpti expectarem. Cęterùm quid interea,& qua fortuna sit gestum, liquidò cõ stare arbitror. Etenim huius rei nihil unquam, neq; à Mauritio principe uestro, neq; à uobis, uel propter nostram agnationẽ, uel necessitudinem & fœdus, uel mea in illũ merita, expectaui, ut has mihi gratias benè ꝓmerito haberet. Quis unquam ausus fuisset mihi polliceri, ut is talem se in patruelem suũ, meãq; gentem aliquando præstaret? multo uerò minus uos,& authores huius belli tã nefarij,& concitatores, ad eã rẽ quæ ad uestræ ditionis uastitatẽ spectet, futuros fuisse. At uobis reor placuisse hoc tempus,& hanc procellã uisam fuisse opportunã, qua nonnullorũ ordinis uestri seditiosa, quæ iam olim parturiũere, sed semper à Deo retusa, consilia aliquando parẽrent. Reputare apud animos uestros, cuiusmodi illud fuit, ad quod Georgio Duci authores fuistis, ut fratrem suum,& fratris liberos ab adeunda hæreditate excluderet, idq; solum ob mutatæ religionis statum:& Cæsarem Carolum & Regem fratrem hæredes faceret, nisi uterem religionem in integrum restituerent. Quòd eo testamento irrito, hæreditarium ius integrum in uniuersum ad Henricũ fratrem eius, salua doctrina de religione deuolutum sit, id partim mihi, partim socijs quibusdam, qui ad eam rem strenuam operam nauarunt, acceptum ferendum est. Ille, licet communi religione & doctrina susceptа in fœdus quoq; adscriptus fuerit, (extant tabulæ de ea re confectæ) uos tamen, quia de priori illa spe decidistis, illi & Mauritio concitatores fuistis, ut in diuersam sententiam raptus, à fœdere abscederet: Illam mortuo Henrico, filij patris uestigia ingressi sunt. Sed quorũ impulsu, nullí obscurum existimo: nempe uestro. Ac uelut ditionis ius frustra uobis obtinẽtibus, ad Henricũ primũ, inde ad eius liberos hoc pacto translatum fuit: ita illa necessitudo coniunctissima, quæ mihi cum Henrico fuit, uehementer uos discruciauit. Laborastis huc sedulò manibus ac pedib., ut illa dissiliret. Neq; uerò labor ille uester,& opera huc nauata, frustra certè fuit. Nam quod illo superstite perficere nequiuistis, id per filios eius ad ultimũ obtinuistis, præcipuè per Mauritium: de quo eximiæ uirtutis,& heroici animi spem existimationẽq; conceperam. Etenim illum ante quinquennium, post susceptum principatum, in me ita demeritum extimulare cœpistis, ut ea ipsa res in magnas curas excesserit. Et tamen, quamuis ex disceptatoris Lantgrauij Philippi authoritate coorta tempestas breui tempore quieuit, cautumq; fuit simul, ne quid tale unquam in reliquum eueniret, sed fœdus nuper ictum inuiolabile & sanctum in omnibus rebus haberetur: uestro tamen consilio perfectum est, ut ipse & frater eius Augustus meam absentis prouinciam inuaderent, agrosq; abacta hominum pecorumq; præda ferro & incendio popularentur. Quod tanto mihi acerbius est, quanto magis ista literis ultro citroq; crebris,& callidè humanitatis omnis refertis dissimulata fuere. Huc accedit, quòd ad Lantgrauij,& omniũ sociorũ fœderis preces ille obsurduerit. Illud meum etiam animum haud mediocriter turbat, quòd tam hostiliter meum populum Saxonicum in agris tanta strage deuastarit, quem per milites barbaros,& externum exercitum immissum, omni rapinarum & latrocinij genere, imò latrocinantiũ more crudeliter uexauit. Su per hæc, ecclesiarum ministros exturbauit, doctores uerbi diuini profligauit, tot uirgines stuprandas obiecit, uiduas fortunis suis eiecit. Harum rerum Deũ iustum uindicem aliquando futurum, licet tardè, credat. Horum obliteranda memoria est. Illud maximè omnes meas rationes perturbauit,& nihil æquè adhuc dolet, atq; illud nefarium factũ, ab eo, sed uobis impulsoribus, perpetratũ, in quod rabie plusquam beluina prorupit. Dicite per Deum immortalẽ, quis illum eò amentiæ induxit, ut meos agros, oppida, arcesq; inuaderet? tam hostiliter populabundus omnia ferro & igni sine discrimine sterneret? Prætexit imperium, obtendit mandatum Cæsaris & Regis. Num igitur censendum, alienam

nam propinquæ ac cognatæ amiticiam, coniunctionemq; præoptandam? & externas domesticis opes anteponendas? Denicq; fœdera uuabus nostris familijs, & utricq; genti communia? Quòd uerò ad ea quæ controuertuntur, de nulla re nobis, nisi de Religione cum Cęsare & Rege certamen est, & ab initio hactenus fuit. Porrò crimina q̃ nobis impinguntˉ, ficta sunt, & sutelæ meræ, adreligionẽ euertendã cõsutæ. Hinc bello petimur et infestamur. Si uos huc illius, ut fertis, imperiũ acuit, multo iustius rei indignitate moueri debetis. Cur nõ apud animos uestros reputatis, fas æquumúe ne sit, imperium tam nefarium, iniquũ, & ab humana ratione alienum. illum uestrum principem exequi, an non? Ita se res habet, animum prauis affectibus multo antè corruptum in consilium adhibuistis. Vobis plus meæ ditionis potiundæ spes affulsit, quàm æqitas & incorrupti iudicij ratio placuit. Ni ita esset, uel ipsius rationis norma uobis hoc dictasset: cum indicta causa condemnati contra leges humanas essemus, hanc proscriptionem cum legibus gentium humanarum, cum iure ac fœderibus, quibus ille tenetur, ex diametro pugnare. Illud ipsum Mauritius expendere potuisset, nefas esse, imperio tam iniquo, ne dicam impio parere: & salutem communem, quam respexisset, illi præocupandam fuisse. Verùm scelerati Doegi uestigia, ad præcipitandum se ingredi, ac necessitate simulata flagitium suum palliare maluit, quàm apud se æqui & boni rationem trutinare. Illud ad rem exiguum momentum confert, quod negetis eum huius rei quicquam unquam perpetraturum fuisse, ni Rex meos agros infesto exercitu ingressus fuisset. Multo id aliter se habet, ut à rectis uiris accepi. Primùm omnium satis constat, id quod inficiari nõ potestis, uos et Mauritium ista à Cęsare & Rege iam olim Ratisbonæ primùm, deinde Pragę secretò solicitis precibus contendisse, id quod dies ipse olim satis coarguet. Iam uerò hoc scelus paucorum studio, non communi gentis consilio & arte consutum fuit. Nunc postquam è benignitate opeq; diuina cùm exercitu incolumi ad prouinciæ meæ fines perueni, acceptam iniuriam pari beneuolentia remetiri Mauritio stat sententia: nihilq; intentatum relinquere, quod ad mea tuenda primùm, inde ad recuperanda amissa supererit. Vos præterea, præcipuè huius nefarij consilij authores, mihi pœnas dabitis, ut eius atrocitatem pernoscatis. Et quanquam mihi ægrè est, huc rerum peruentum esse, & malis patriæ communis moueor: tamen quia orsum à uobis prius profectum est, & necessitas rei huc urget, acceptam iniuriam pariter rependam. Super hæc memineritis, quicquid deinceps uobis calamitatis obortetur, haud mihi, sed uobis imputatum iri. Addam & illud, ne insontes maleuolorum culpam luant, si qui uestrûm sint, qui se ab hoc consilio alienos probauerint, expurgationem accipiam. His literis in conuentu Ordinum lectis, uarius fremitus, murmurq; excusantium se, culpantiumq; alios, inuicem obortum fuit. Vtrum ad Electoris literas, aut quid responsum fuerit, compertum non habeo. Interea in Sueuia coniuratę ciuitates, Francfurtiensium exemplo maximè motæ, ad Hailbrunum Cæsari recõciliantur. Postridie, quã Francfurtiensium legati discesserant Hailbruno, Campidonenses, Rauesburgenses, Ilmenses, supplices legationes miserunt. Hæ pro defectione pœnam deprecatę, culpam partim in errorem, partim in quorundam blandas persuasiones transtulerunt. Ad te, inquiunt, Cæsar, ut clementiæ humanæ speculum, receptum habemus. Obtestamur supplices, ut id quod à nobis peccatum est ignoscas: & restitutis in pristinum statum, patria iura, libertas, leges, priuilegia, omnia denique publica priuataq; integra relinquantur. Obedientes posthac in fide & amicitia permansuri sumus. Cæsar amicitiam & fidem supplicibus ita dedit, ut deuincti communibus Ordinum pactis, obedientes in fide persisterent: cum alijs beneuolentia & officio pro se certarent. In ijsdem con-

ditionibus expressum fuit, ut à Saxonis & Hessi abnegato fœdere cederent: ijs nullam opem, neq; consilio, neq; armis, neq; pecunia ferent. In nullum fœdus contra se discederent. Memmingis quinquaginta aureorum millia præsentia imperantur. Illud quoq; haud ab re fuerit prodere, legatos priusquam ad Cæsarem admitterentur, unum sibi caueri postulauisse, ut sibi religio illabefactata relinqueretur. Nauium secretò inuicem ijs consuluisse, ne quam religionis mentionem inijcerent: alioqui futurum, ut Cæsar suspicaretur, parum fidei sibi apud eos esse, & pinde in deteriori sua fortuna nihil æqui impetraturos. Dimissis legatis, Cæsar quoq; Hailbruno discedit: ac sexto inde die per Vuirtenbergensium agros Vlmam uenit.

Principium anni quadragesimi septimi agebatur, cũ Saxo exercitu infesto Saxoniam ingressus, Lipsiã, quam exustis suburbijs Mauritius nuper præsidio impositio firmarat, obsidione cinxit. Non diu cunctatus, undiq; summa ui urbem oppugnare tentat. Oppidani mœnia contrà acriter defendunt, nihil motistrage partis muri, in quem scalis ascensum tentantes deorsum præcipitabant: ut quibus plus in armis ac uirtute, quàm in mœnibus opis esse appareret. Dux clade suorum coactus, receptui in castra canj iussit. Cùm pridie Idus frustra oppugnationem tentasset, sub exitum mensis obsidionem soluit. Inde oppida sua & castella amissa non tantum recepit, uerumetiam oppida omnia & arces Mauritio, præter Lipsiã & Dresdã, ademit. Magdeburgensem, Halberstatensemq; episcopas, pactione cum Ioanne Alberto episcopo inita, in suam potestatem redegit. Rex postquam accepit Lipsiam denuò obsessam, & oppugnationẽ parari, Bohemis extẽplò edixit, ut armati Saxoniã populabũdi ingressi, Mauritio auxiliũ ferrẽt. Exequũt illi celeriter mãdatũ Regis: sed nulla re memorabili perpetrata, iniussu regis statim domũ ab armis discesserũt. Rex id ubi cognouit, grauiter tulit: ac statim iterũ se armare, & Mauritio in dubijs reb: adesse imperauit. Pragenses, quorũ in regno Bohemiæ authoritas suma est, et maximę opes, per tumultũ edicto exasperati, in senatũ irrũpentes ferociter postularũt, ut Regẽ ad mandatũ illud abolendũ inducerent: esse em̃ id eiusmodi, quod ad Pragẽsiũ libertatẽ opprimendã spectaret. Ei se sine infamia & sempiterno dedecore parere non posse: quod, cú ab Elect. nullã iniuriã priores accepissent, iniusta in eum arma sumerent. In multis, quod ad religionis negociũ, inter se conuenire. Præterea in Turcarũ impetu propulsando, semper eius studiũ mittẽdo auxilia, aut argentũ in stipendiũ, apparere. Ferdinandus Rex ad ea: Nõ bellũ illi fieri propter religionẽ, sed ob rebellionẽ. Quod de auxilijs in Turcã: haud quaquam ita esse, uerũm longè aliter se habere cõpertum. Eum nuper admodũ secretò per internunciũ, ad inferendum Hungaris et Bohemis bellum Turcã sollicitasse, ut pactas inducias primo quoq; tempore rumperet. Quod ut promptius fieret, se quoq; in armis circa citeriores terminos regnorũ futurum. Cæsar ubi ex literis Mauritij cognouit, in quãto discrimine esset: ægrè se duab. urbib. reliqs omnibus amissis, protegere: Albertũ Brandeburgensem eũ delectis equitũ peditumq; copijs illi auxilio misit. ac Marignanũ, et Sandẽũ cũ Hispanorũ Italorũq; cohortibus subsequi eius uestigia iussit. Interea Cæs. Vlmã, Eslingẽsibus & Lindauiẽsibus in itinere in fidẽ acceptis, uenit. Sed antequã ad urbẽ ueniret, obuias legationes misserũt, circa pomeria ditionis, q̃ eũ honorificè gratulãdo aduentũ exciperẽt. Cæs. Vlmensiũ officio delectatus, principi legationis, à quo Hisp. salutatus fuerat, eadẽ lingua respondit. Humanitatẽ eorũ, & declaratã beneuolentiã sibi gratã esse: seq; uicissim ipsis fidẽ ac pacem suam firmare. Augustani, quippibus suis fisi, animis hactenus obstinarãt, sociorum tũ defectione moti, metuene Cæs. uires suas in se uerteret, Vlmã ad eũ deprecatores legatos, inter quos erat Ant. Fuggerus, misserũt. Hi cũ uiderẽt pacis cõditiones, nisi Schertelus, qui

deposceba-

depoſcebatur, exciperetur, coire non poſſe, (ſtatuerat Cæſar ei non ignoſcere, cùm ob alia, tum ob Erebergum arcem ab eo captam) orarunt, ne liberi inſontes patris noxam luerent, & hæreditate excluderentur. Cùm ne id quidem obtinerent, hominis potentiam & gratiam popularem, aduerſus quæ Senatus authoritas nihil ualebat, quod poterant, amplificabant. Ab eo urbem præſidijs teneri: eum factione uulgi adiutum, ſuprà magiſtratum rempub, regere. Si ad uim res excederet, optimates infirmiores eſſe, quàm qui multitudini reſiſterẽt in ciuitate tam frequenti, aut cum Schertelinis præſidijs armis decertarent. Ea res, inquit Cæſar, mihi curæ ſit. Viam expeditã, qua ſcelus hominis urbe pellã, facile inuenero: Legati cum hoc reſponſo ita à Cæſare domum dimittuntur, ut iſta ad Senatum, præſtituto ad reſpondendum die referrẽt. Atrox Cæſaris, aſperumq; reſponſum relatum, totam ciuitatem perculit. Schertelus, interim dum habetur Senatus, conſultantibus non uocatus curiam in greſſus ſuperuenit. Ibi ille: Audio uos ad Cæſarem de pace legationes miſiſſe, ſed pacati nihil ab eo retuliſſe. Et nunc uos conſulere, ægrè ad conſulendum ſpacio impetrato, ne quid in commodi reſpublica per me accipiat. Ego priuata noſtra neſsitudine uobis remiſſa, nequid obſit, & in maiores curas exardeat, uos metu liberabo, ut periculi ſecuris impetrabilior pax ſit. Excedam urbe, quando id utile uobis, & meis rebus præſentibus neceſſarium uideo. Simul è curia mœſtus digreſſus fuit, Ac ne qua mora cunctatioq; obeſſet, auerſis ab Vlma itineribus cum uxore & liberis Conſtantiam, proximam Heluetiorum finibus urbem, in exilium uoluntarium profectus fuit. Legati Auguſtanorum edicto ad reſpondendum die ad Cæſarem reuertuntur: & ijſdem fermè uerbis, quibus Vlmẽſes diximus, pacem pertiuerunt. Pax conceſſa eſt, impetratis centum & quinquaginta millibus aureorum. Traderent xij maximę molis machinas æneas, ex armentario: præſidia militum, & militaria ſigna decem. Legatis ordine data dextra, redeundi domum poteſtas facta eſt. Premebatur interĕ hęc à Saxone obſidione Lipſia. Elector Brandeburgus è re Saxoniæ & Miſniæ non eſſe ratus, hoc malum in grauiores curas excedere, ſe diſceptatorem inter Ducem utrunq; per legatos obtulit. Haud abnuit Saxo, quamuis uictor. Sed Mauritius acerbè ferebat, bellum tam atrox in ſe motum, ut ſi in Turcam mouiſſet, non potuiſſet infeſtius. Sexto inde pòſt die, ubi fruſtra ſenſit urbem oppugnari magna militum iactura, multo reſpondit procacius. Scribit extemplò Brandeburgus ad Heſſum rem omnem, oratq; obnixè, ut Mauritium ad reconciliationem & pacem uel argumentis uel precibus flectat: etſi non ignorabat, uix Saxonicum ciuile bellum, niſi illo publico, quod cum Cæſare gerebatur, prius confecto, componi potuiſſe. Simulq; illum monet, in quanto periculo ipſe uerſaretur. Sociarum ciuitatum defectionem haud modicè eius neruos fregiſſe. Cogitatet, quanti & quàm duris pactionibus conſtitiſſet Vuirtenbergenſi ſua pax. Et quod omnium maximum eſſet, rumoribus indies adferri, nouas Cæſarem copias in ſupplementum ueteris exercitus ſcribere, & ad conquiſitionem militum alios mitti, atq; expeditionem in Saxoniam adornare. Cùm eius potentiæ unus ipſe reſiſtere nequiret, conſultum ſuis rebus eſſe, ſupplicijs pacem, legibus qualibuſcũque, in deteriori fortuna quàm primum orare, quas ipſe conceperit, easq; per legatos primo quoq; tempore tranſmittere: idq; potius eſſe, quàm ſociorum auxilijs nudum uim expectare. Scire ipſum, ſe multis de cauſis Cæſarem habere ſibi infeſtum: eoq; infenſum magis, quo obſtinatiori animo adhuc eſſet. Salubre & fidele conſilium ſe dare, ut ſupplicem ſe præbeat, & admiſſorum condonationem petat. Id ſatius fore, quàm ut liberos, & miſeram plebem culpæ exortem, & ſe in primis in extremam perniciem præcipitem daret. Habendam ante oculos prouinciæ uaſtitatem, direptiones, agrorum populationes, ruſticorum

fugam, incendia, stragem hominum: ad ultimum, omnia extrema humanorum, à quibus armis tueri se nequiret. In hanc sententiam fideliter ille Hessum ad pacem hortatus fuit. Eodem tenore ad Saxonem quoq; per eosdem dies literas dedit. Iusserat Cæsar nouas copias per Germaniam conscribi, cohortes peditũ XXI, equites mille ducentos: quibus omnibus Iodocum Gruningum, hominem acrem & militaris rei peritum, præfecerat: qui circa Saxoniam omnia infestis populationibus iam uastare cœperat, ne qua auxilia Hesso aut Saxoni mitterentur. Hic Conradum Comitem à Teckelburgo, inde Osnaburgum & Mindam oppida, comitẽ Luppẽsem, nonnullosq; alios regulos, qui in Smalcaldicum fœdus adscripti fuerant, capta insuper arce Ritsbergo, ad imperata facienda compulit. Rebus ille prosperè gestis, Bremam contendit: eamq; in potestatem redigere, sed parum fœliciter, mense Februario conatus fuit. Saxo Elector ubi de rebus Cæsaris secundis accipit, Idibus Februar. ad Argentoratenses scribit, de rebus à se fœliciter gestis: ut Mauritio pleraq; oppida & castella per Misniam ac Turingam, receptis amissis, ademisset: & episcopũ Magdeburgensem suæ ditioni adiecisset. Vnum præter spem euenisse, quòd Vuirtenbergensis Dux, & pleræq; sociæ ciuitates Germaniæ in Sueuia, amicitiã ac fœdem cum Cæsare, nulla religionis iniecta mentione iniuissent: quodq; auxilia illi in se fœderisq; socios, ubi postularentur, missuri essent. Per ea fœdus ab ipsis uiolatum. Quòd uerò audiat, Argentoratenses constanter in fide permanere, gratum id sibi esse, eosq; facere ut fidos socios decet. Hortari, ut in fide perseuerent. Si armis peterentur, Heluetiorum & Regis Galliarum opibus se tuerentur, si suis non possent. Se quoq; dubijs eorum rebus cupere quidem opem ferre: uerùm per bellum, quod domi cum Cęsare esset, sibi nõ esse integrũ. Vbi id ex sententia confectum haberet, fidem amicitiamq; se ipsis præstaturũ. Iam ad conueniendum Magdeburgum, Ordinibus Saxonicis edictum esse diem, ad quem legati iam frequentes eò conuenerunt. Atq; hic de ijs rebus, propter quas ad conueniendum Francfurtum nuper dies indictus fuerat, deliberare. In spe certa esse se, ciuitates reliquas, & Ordines, pertinaciter in fide permansuros. Has literas cùm daret, deliberatio anceps eos tenebat. Per eosdem dies Mendoza Hispanus natione, qui in Gallijs exulabat, à Gallorum Rege missus legatus Francfurtum uenit: qui in curiam introductus, Senatum monuit, ne fidem mutarent: & magnifica simul promisit, si bellum illatũ, ut Mars communis est, eo quo susceptum esset animo finirent.

Miserat Rex Saxoni centum aureorum millia, quibus uixdum annumeratis, is pridie Kalend. Aprilis è rebus humanis excesserat. Verùm hæc legatio frustra, ac sine momento fuit. Etenim fide publica legatis firmata Francfurtiensium à Cæsare, Vlmam legationes miserunt Argentoratenses, Iacobum Sturmium, Mathiam Pharrerum, & Marcum Hagium. Admissi, propositas pacis conditiones ad referendum obtinuerunt. nihil enim ratum fore dicebant, quod authoritate senatus non comprobaretur. Pacis conditiones has fermè fuisse accepi: triginta aureorum millia penderent, & XII machinas æneas maiores. Nulla præsidia urbi imposita. Additum præterea conditionibus fuit, ut abiurato in uniuersum fœdere Schmalcaldico, in Cæsaris fidem iurarent, hostes suos è ciuitate expellerent. Rex Ferdinandus, ut Bohemos arma sumere restitantes in belli societatem traheret, Lętmericiam oppidum in extremis Bohemiæ cardinibus situm, cum filio Ferdinando proficiscitur. Per biduum ibi Ordines regni moratus, tandem in frequenti concilio graui oratione ijs persuadere aggreditur, ut Mauritio opem imploranti in ancipiti fortuna, fœderis olim inter utranq; gentem icti memores, suppetias ferrent. Quod autem nonnulli metuerent, ne ea res ad libertatem gentis Bohemiæ imminuendam tandẽ excederet, id

id non esse: quin fidem suã, & tabulas, quibus caueretur, se interpositurum. Ordines, qui ibi tum aderant, negabant suæ potestatis esse, sine aliorũ qui desiderabantur suffragijs, scisscere & statuere ea quæ à Rege postularentur. Quod ut transigeretur, quãprimũ omniũ ordinũ conuentũ indicendũ. Nec deerãt hic tamen, qui Regi suã operã haudquaquã segnem ad bellũ promitterent. Quib. rex gratijs actis, ostendit præsens tempus longam disceptationẽ & moram recusare. Non deliberandum, sed mittenda esse auxilia. Bello confecto, diem cõuentu edicturum: nolle se eorum libertatem imminuere, ut ampliaturus esset potius. Orauit, ut se obedientes præstarent: ac secum habita per Bohemiam militum conquisitione, arma induerent, & ad bellum se mouerent. Vbi aduertêre Regem inter dicendum uehementius exarsisse, indignationem eius ueriti, operam suam uno ore promisere. Aut, si qui essent, qui ipsi se ad bellum non instruerent, mitterent pecuniam in stipendium. Paulo pòst sub Idus Februarias, cùm promissa urgeret, nobilitas Pragensis per literas à Rege contendit, ut (quando insolens esset, quod agitaret) ad xiij kal. Martias, Ordines regni Pragam conuenire iuberet. Si id non posset, ut ipsi eò conuenirent: ac statuerent sine eius offensa, quod ex usu regni esset. Instat Rex contrâ, & quod Lætmericiæ esset disceptatum obijcit. Promisit tamen comitia in xiij kal. Maias. Vetatq; simul, ne ad res nouas incœptandas ipsi interea loci conuentum ullum agerent. Bohemi tamen nihilo obstinatius, quarto inde die, quàm in ea uerba literas ad Regem dederant, conuenere, & ad libertatem, quam amissuri uidebãtur, tuendam fœdus icere, utcunq; à Rege id acciperetur. Peruenerat iam in Saxoniam Marchio Albertus, cui extemplò Mauritius Rochliciam, quæ intutela sororis uiduæ Lantgrauij erat, obsidendam primùm, deinde oppugnandã tradidit. Rex Dressum, Mauritius Friburgum sibi sumpsit. Sed Rochlicia nullo momento potius fuit Marchio. Saxo per id tempus Aldenburgi, uel, ut alij tradunt, ad Gartum cum XXXVI cohortibus & ualido equitatu hærebat. Is ubi id cognouit, nocte Ernestum Luneburgum, Volratumq; Mansfeltium cũ parte equitatus, & Recrodum cum sua legione occultis itineribus silenti agmine Rochliciam præmittit: ipse mox sub auroram lucescentem cum reliquis copijs agmine composito sequitur. Priusquam lucesceret, equites aliquot præmissi, in peruigilio stationatios ex improuiso opprimunt: quorum partim cæsis, reliqui fuga in castra euaserunt. In suburbio Albertus quatuor cohortes præsidio locauerat: ipse luxui & uoluptati immersus, noctes diesq; perpotando continuabat securus. Cum his alijsq; copijs Saxonibus occurrit. Sed cúm numero uirorum præstaret Saxo, Albertus cum clade retro in oppidum compellitur. Nec multo pòst adfuit Elector cum suis legationibus, qui oppidũ undiq; obsidione cingere, ac mox oppugnare parauit. Mons in proximo erat, oppido imminens: in hunc machinas maiores subuehi iussit. Hinc in oppidanos globorum grandine ita fulminauit, ut stationes è muris, aliosq; è publico proturbaret. Simulq; aliquot cohortes ad inuadendum suburbium immittit, à quibus, dilapsis fuga per proximum pontem Alberti cohortibus, & equitibus Muldam amnem transnatantibus, incensum fuit. Inde oppidum inuadunt, & primo impetu capiunt. Cæduntur passim cum telo oppressi. Inde ad prædam, quæ concessa militi fuerat, conuersi, tormenta in castra Electoris conuexerunt. Marchio Albertus dum in medio terrore fugam per amnem trepidus quærit, ab Ernesto Lunẽburgo captus, & ad Electorem in castra ductus fuit. Sex cohortes oppido præsidio relictæ: & equites ad extremam dimicationem, ubi se tumultuariè collegissent, ad quatuorq; fermè horas pugnatum esset, abiectis armis in potestatem uenerunt. Adiguntur iuramento, per sex menses se aduersus Electorem arma non sumpturos. Cæterùm modico sanguine admodum Electori ea uictoria stetit. Equites

eas cohortes palantes, quas per pontem in fugam abisse memoraui, assequuti, trucidarunt. In oppido non minus mille hostium cæsi. Sunt qui cæsos captosq; ad quingentos equites prodant elapsos partim ad Regem, partim ad Electorē Saxonem cum signis militaribus perfugisse. Qui extra muros in transnatando amnem occisi, aut submersi erāt, ad CCC fuere. Albertum Elector captiuum se cum Aldenburbum abductum, Gotam ablegauit in custodiam: militēq; certos in Bohemiam, qui rem fœliciter ad Rochliciam gestam Bohemis in bellum Saxonum intentis nunciarent. Hęc per Saxoniam ad istum modum tum gerebātur. Cæsar Vlmæ cùm adhuc esset, eò mense Martio Dux Vuirtenbergensis, ut in pacis legibus expressum fuerat, adhuc inualidus ex podagra, uenit. Et quia pedibus insistere nequibat, in sella contra Cæsarem consedit: id enim pacē Cæsaris concessum fuerat. Ibi per eos, quos à consilijs adduxerat, supplex sibi condonari orauit, & obedientem se in reliquum pollicetur. Ad quæ benignē Cæsar pauca respondit, monuitq;, ut in fide perseueraret. Relicta Vlma Cæsar Norlingam, belli Saxonici causa, quod iam ardebat, petijt. Literis enim alijs super alias Vlmam allatis acceperat, Electorem per Saxoniam prosperē rem gerere, & Bohemos per literas et legatos ad defectionem perlicere, uulgum ad omnem auram mobilem, tum pleramq; nobilitatem suam facere: uniuersam denique gentem in Regem excitare. omnia tumultibus perfmiscere. Ioachimicam uallem argenti, auri & æris ditissimam fodinis, per Thumfernum teneri. Quibus rebus permotus Cæsar, maximè quòd Mauritio nihil relictum esset extra Dresdam & Lipsiam: Albertum Marchionem, quem cum mille & DCCC equitibus, & sedecim cohortibus auxlio miserat, captum: Sandæum, & Magnanum quoq;, cum copijs utrunq; suis cum illo cōiunxerat, ut relatum est. Cæsar ubi per Giengam Norlingam uenit, recepit se podagra multo quàm antea infestius, ut in metu & solicitudine esset, ne illa moram & dilationeam ad bellum perficiendum adferret. Spe citius tamen breui illa remisit, ac totus restitutus fuit. Tum diutius non cunctandum ibi ratus, primo quoq; tempore exercitum ad Saxoniam admouere constituit. Interhæc Brandeburgus Elector apud Cæsarem & Regem pro Lantgrauio haud segniter egit de reconciliatione. Eò ad ultimum rem perduxit, ut pacis conditiones, quibus teneretur, scriberentur, nec in ijs quicquam exciperetur. Leges fermè fuere hæ. Decreta Ordinum Imperij rata haberet. Liberorum alterum obsidem traderet. Ducem Brunsuicensem Henricum, eiusq; filium, quos captos adhuc asseruabat, nulla mora dimitteret. Auxilio equestres copias aduersus Electorem Saxonem, & fœderis socios, atq; octo peditum cohortes Cæsari submitteret. Eas ipse per se mestre suo ære aleret. Præsens suum delictum agnosceret supplex, eiusq; uenian Cæsarem oraret. Ille has conditiones, quia nimis graues fuerunt uisæ, suscipere recusauit: neq; in eas sine insigni dedecore discedere se posse respondit. Ac nisi mitigarentur, quamuis potius fortunam ad extrema humanorum usq; experiri malle. Atq; ita infecta pace, Lāgrauij res dubiæ in ancipiti manserūt. Mouerat iam Cæsar à Norlinga duabus legionibus ueteranorum militum Norimbergam, cùm ex itinere literas ad Ordines Misniæ daret. Earum hæc erat sententia. Accepisse se, Ioannem Electorem proscriptum, è bello Germanico reuersum in Saxoniam, non solum amissa, quæ Mauritio concesserat, recuperasse: uerumetiam oppida aliquot, & arces, quæ sub tutela fratris Ferdinandi fuissent, ei ademisse in Bohemia. Quare ad eius conatus audaces, & rebellionem retundendam, è Sueuia se mouisse. In id interea ipsi operam darent, ut quà ducturus esset, ijs locis commeatu, pabulo, frumento, alijsq; rebus, quibus exercitus sustentaretur, accuratè prospiceretur, & humaniter milites longo itinere faciendo lassos exciperent. Super hæc obedientes se Mauritio,

spreta

ſpreta Saxonis ferocia,præſtarent. Se hoc bellum ſuſcepiſſe,ut fractis illius potentia & opibus,ipſis pax & otium uetus reſtitueretur. Ex eodem itinere literæ à Cæſare ad concilium Pragenſe & prefectos uenerunt, quibus ſignificauit,conſtituiſſe ſe ferro & incendio in Electorem Saxonem animaduertere. Id ſolum ipſis curæ eſſet,ut ex eorum agris,quantum commeatus opus foret, ad exercitum alendum in caſtra conueheretur. Interea primæ nobilitatis proceres,quos ſuprà memorauimus iniuſſu Regis Pragam conueniſſe,de ſumma belli ita conſuluerant,ſi res dubiæ ita poſtularent, ut omnino arma ſumenda eſſent,ſummæ rerum Caſpar Pluggius præficeretur. Erat inter Bohemiæ nobiles facilè primus,opibus & clientelis potens, qui aliquando propter facinus perpetratum agris aliquot multatus,& in exilium actus,ſed poſtea à Rege ab exilio reuocatus fuerat. Rex eam rem grauiter tulit,& paulo poſt Pricciam cum exercitu (oppidum Bohemiæ eſt) Mauritio & Auguſto adſcitis,uenit. Bohemi hoſtili armorum facie non ſolum perterrefacti, ſed indignati etiam, quòd cum infeſto exercitu in agrum Bohemicum irrupiſſet Rex,per literas ab eo petiuerunt, ne exteras gentes in regnum Bohemicum immitteret. Nouum exemplum,& periculi plenum ſpectare ad motus,& nonas res. Simul Miſniæ Ducibus ſcribunt, ut è Bohemia faceſſant, exercitum ſine damno & populatione è regno deducant: quod ni facerẽt extemplò, habituros eos infortunium. His Rex ita reſpondit, uereri deſinerent: non ſe Bohemiam ingreſſum cum exercitu,ut hoſtilia inferat,ſed Cæſari fratri aduenienti ſe coniungeret. Ad hæc, ne Pragenſes in conquiſitione militum fruſtra ſumptus in bellum Saxonicum facerent. Electorem retro ſe,in interiora prouinciæ ſuæ recepiſſe. Saxo paulo antè legationes in Bohemiam miſerat,quarum princeps erat Nicolaus Minquitius,ad renouandum cum Bohemis fœdus,& amicitiam. Hic inter uias in grauem morbum incidit,quo non ita fractus fuit,quin per literas Pragenſes moneret,ut lagatos ad ſe,ſed fidos, decernerent,cum quibus ſecretò ea quæ in mandatis haberet, tranſigeret. Bohemi nihil Minqtio ſed ad Minquitij poſtulata Duci Elect. reſpõderũt in hãc fermè ſententiam. Bohemos cupere quidẽ,id quod æquũ eſſet,illi in renouando fœdere aliàs icto rem gratam facere: ſed per motus præſentis temporis iam integrũ haudquaquam eſſe. Mauritium cum fratre Auguſto, Rege authore, cum armatis legionibus Bohemiam ad uaſtanda omnia incendio & prædationibus intraſſe. Quod quidem quorſum euaſurum eſſet, nondum poſſe ſatis quidere. Proinde contendere ab eo, ne perinde id fiat, quaſi fœdus renouare nunc, cùm maximè opus ſit, grauarentur, Veterem amicitiam integram, & fœdus illabefactatum ſeruari ſe uelle. Idq; ita ratum foret,ac firmum, ac ſi iam religioſè præſenti numine renouatum eſſet: id quod breui re ipſa præſtarent, ut fides ſua non deſideraretur. Nunc arma in ſe à Rege & Mauritio moueri, ut fœdus deſerant,& ſocia arma contra ipſum iungant. Orare itaq; eum, ut ſi Mauritius Bohemis bellum faciat,auxilio adeſſet. Quod ſi efficeret,nullum inuicem futurum periculum tam anceps,& tam perplexum, quod pro eius ſalute non ſuſciperent. Regem cum copijs Pricciæ eſſe: unde famam ferri,in Vallem Ioachimicam breui moturum. Id ſi faceret,ſe conſtituiſſe eò caſtra admouere, ubi portus tutiſsimus receptui eſſet. Inter iſta mouerunt Morauos,ne Hiſpanam, Italicámue Bohemicæ ſocietati inter hos belli Saxonici tumultus præoptatũ irent. Petebat Cæſar,relicta Norlinga, Norimbergam,cum duabus legionibus: ad quas tertia,per Gualterum Sueuum conſcripta,accedebat. Cum his Hiſpanas cohortes,& Neapolitanos eqtes cõiũxerat. Prętet mille cataphractos à Pruſſo & Ioanne Brãdeburgẽſi acceptos,ſexcẽtos leuis armaturæ cõduxerat. Pręmiſſus fuerat Norimbergã Albanus, qui circa urbẽ, & intra muros, p mãſionarios

deſignatores hoſpicia, in quæ aduentantes copiæ diſtribuerentur, deſignaret. Marignani octo cohortes permanſiones urbanas præſidij loco diſtributæ ſunt. Cæſar paulo pòſt cum eo robore, quod ad corporis cuſtodiam ex omni numero delegerat, Norimbergam uenit, & ciuium fermè omnium, in primis ſenatorum, gratulatione exceptus fuit. Quinq; diebus militibus, ab itinere moleſto defatigatis, ad reficienda corpora, & animos conceſſo: Norimberga Cæſar relicta, Aegram contendit. Aegra Bohemiæ, ſed extra ſaltus, ad amnem Aegrã qui in Albim influit, quà iter in Saxoniam & Albim uergit, oppidum eſt, ditionis Ferdinandi. Huc ad VIII Idus April. ad conueniendum, diem Regi & Mauritio, ſimul ut commeatum conueherent, & apparatum omnem belli comparatent, edixerat. Erant Bohemi, præcipuè Pragenſes, toto regno in armis: à quibus ut diſcederent, Rex ſæpe per literas & legationes iuſſerat. Reſponſum ab his fuit, arma ſe ſumpſiſſe iuſta, non ad inferendum, ſed ad prohibendum ab agris ſuis uim, eo abſente. Petere ab eo, ut Cæſarem moneret, ne Electori Saxoni bellum faceret: ſed negocium, propter quod id motum eſſet, diſceptandũ in concilium mitteret: id quod è dignitate Maieſtatis Imperatoriæ uideretur. Conuentui diem, ex promiſſo indicendum, petere. Interim Dreſſo Ferdinandus, Mauritius Friburgo ad indictum diem ſeruandũ profecti, præter Lætmiritiam, per Bohemiam, Saxonia ad dextram relicta, compendiò Aegram contendunt. Intratis ſyluis, quibus Bohemiæ regnum coronæ in modum fermè cingitur, offenderunt tranſitũ arborum ſucciſarum paſsim ſtrage intercluſum. Factum id creditum fuit iuſſu Caſparis Pluggij, qui ingentem ruſticorum multitudinem ad bellum concitauerat. Rex ubi diu fruſta diſiciendis arboribus, cũ trũcis extantibus, uirgultiſq; perplexis luctatus fuit: Bohemorum, qui ingentem arborum uim pro munimento coaceruarant, et itinera inſederant, iniuria repulſus, per inuia montium, & ſyluarum anfractus longos, erroreſq; iter auertere coactus fuit. Cæſar cognito iter Aegram fratri à ruſticis per impeditos ſaltus intercluſum, & expeditis opus eſſe, qui iniuriam propulſarent: Hiſpanorum cohortes aliquot mittere conſtituit, qui cum cura itinera per ſaltum peruagarentur, & Regem in pacatum deducerẽt. Sed poſtquam accepit, eum auxilio proceruorum quorundam, qui in fide erant, demonſtratis auijs itineribus, extra impeditos ſaltus euaſiſſe, nulla auxilia miſit, & caſtra ad tertium ab Aegra miliare mouit: in quæ Rex cum Mauritio, & Ioanne Brandeburgo, cum ſuis copijs uenerunt. Ex his caſtris Cæſar rurſus ad Ordines Bohemiæ, in eandem ſententiam, qua ſuperiori menſe, literas dedit: Præberent commeatum ad bellum, quod Saxoni, non ipſis parabatur. Suppeditato frumento, & cibarijs, domos quiſq; ſuas ab armis diſcederent. Quod ni facerent, uiderent, ut à ſe & fratre ea rebellio acciperetur. Quod ad religionem attineret, nihil eſſe quòd ſollicitarentur: Hoc bello nulli ſe neq; Principum neque ciuitatum propter religionem fuiſſe infeſtum. Literis his lectis, tantum abfuit ut arma depoſuerint, ut multo magis etiam animis obſtinarint. Extemplò Pragẽſes tota Bohemia Ordines trepidè ad arma concitant: nunc demum tempus eſſe, ut patriam communem ui & armis uindicent, ac tueantur. Rex & ipſe in hoc motu ijſdem propè, quibus Cæſar, uerbis Ordines monet, ut tumultuari deſiſtant: alioqui futurum, ut ratio iniretur, qua facinoroſum incœptum contra Cæſarem & ſe frangeretur. Maiora ſua utriuſq; in ipſam gentem eſſe merita, quàm ut ea morirentur. Quod autem de conuentu habendo obtenderẽt, de eo uelle ſtatuere, quod ex regni uſu eſſet futurum, Saxo Cæſaris ac Regis copijs, quæ tribus ab Aegra miliaribus caſtra locauerant, nihil perterritus, Friburgum Miſniæ oppidum, atque inde ad Albim progreſſus, Miſenum, dimiſſo Mauritiano ſine fraudè præſidio, ſine clade cœpit. Qd' ubi Pragã nũciatũ fuit, delecti ſtatim alias

literas

literas ad Ordines per Bohemiam dederunt, quibus orarunt, ut fœderis cum Electore toties icti memores, pro fideli amico ac socio facerent, quod semper promisissent: id â quibusdam uiolatum esse. Quare ne id in posterum admitteretur amplius, sed ut Elector socijs ipsorum armis adiutus potentior aduersus hostes suos esset. Simul & ad Regẽ scribunt, ne grauiter accipiat, se in armis essefieri id necessitudinis iure. Orare eũ duas ob causas, ne Saxoni bellũ faciat: tũ proter firmatã iã olim inter ipsos fidẽ fœderis: tũ quôd ille causæ suæ cognitionem semper ad concilium reiecerit. Rex illicò Ioannẽ episcopum Olmucensem & alios nonnullos è consilio legatos Pragã mittit, per quos, cur minus diem conuentui ad xiiij kal. Maias indictum seruasset, excusat. Imperat iuxtà, ut fœdus cum hoste communi ictum, irritum habeant. Si liberа comitia haberi postularent, discederent ab armis. Et si huic edicto non parêrent, facturũ se, quod è maiestate regia uiderentur. Sin arma deponerent, permisit nihil legatis, sed ad se omnia referre iussit. Inde ad Aegram Cæsar discessurus, omnem exercitũ, & dynastarum auxilia ita recensuit, ut grauis armaturæ equites Rex sexcentos instructos adduceret. Quidã ducẽtos addũt. Mauritius mille, Brãdeburgẽsis 400 armauerat. Hussari præterea mille Regẽ sequebãtur, et peditũ cohortes decem. Nam reliquas copias partim in Bohemia dimiserat, partim Aegræ præsidio reliquerat. Mauritius, eiusq; frat Augustus, decẽ peditũ cohortes, reliquis Lipsiæ & Zuicauiæ in præsidio dispositis, conferebant. Saxo in armis habebat VIII peditũ mercenariorũ millia, ac totidẽ ferme Saxonũ, ac tria millia equitum. Reliquas copias equestres pedestresq; Gulielmus Thumsernus secũ abduxerat. Exercitum profectò florentem, numero & robore militum hostibus parem propè: nisi disparẽ fortunã Deus dedisset ei, unde ius & æquũ belli stare uidebatur. Cæsar Aegræ ferijs Paschalibus solenni ritu perpetratis, castra mouit: ac Albano cum parte equitatus, & omnib. copijs pedestribus Misenum, ubi Elector adhuc castra habebat, præmisso, x die ipse per saltus difficiles, & altas paludes eôdẽ peruenit: & x Kal. Maias haud procul ab oppido castra communiuit, receptis in itinere oppidis & castellis, q̃ Saxonicis præsidijs firmata fuerãt. Saxo accepto Cæsaris aduentu, omnes copias Albim, usto ponte quo amnem iũxerat, raptim traduxit: & ad Mulbergum, haud procul â ripa, loco aperto ad dimicandũ consedit. Interim Cæsar, priusquã ad Albim ueniret, cohortes aliquot Saxonicas fudit, & signis militaribus aliquot captis, milites sine fraude in pacatum abire permisit. Aberat â Miseno tria nõ amplius passuũ millia, ubi cũ militẽ diei unius itinere lassum, paululũ quiescere uixdũ iussisset, à Mauritio nuncius uenit, Thumsernũ haud procul à castris (ut in bello multa inania fe runtur) cũ magnis copijs cõsedisse. Ad primũ nunciũ nõnihil trepidatũ fuit: ẽ Cæs. tamẽ cõsilio, qui sæpè antea rumores id genus uanos expertus fuerat, ducẽti Hussari, & par leuis armaturæ equitũ numero exploratũ mittũt eò, ubi hostẽ insedisse allatũ fuerat, & in diuersa circũquaq; loca. Reuersi eodẽ die, nullũ usquam hostẽ conspectũ renũciarũt: sed ex captiuis in itinere exceptis, Electorem transisse Albim accepisse, & ad Mulbergũ contra Misenũ metasse. Cæsar occupandum ratus fuit, antequam Vuittenbergã, ditionis Saxonicæ caput, nõ solũ loci natura, sed præsidijs munitã, peteret. Die uno militibus ad curãda corpora concesso, omnes copias in ulteriorẽ ripã, scaphis pontis in modũ instratis, celeriter transportare constituit. Ista uoluenti superuenit alius, sed uanus rumor, Electorẽ retro Vuittenbergã abisse. Paulò ab Hispanis nunciatũ fuit, eũ ad Mulbergũ, tribus minus milliaribus ab Albi adhuc exploratoribus sedere cũ ijs copijs, quas paulo antè memorauimus. Sũt, qui VI millia ueteranorũ militũ eũ tantũ in armis habuisse tradũt. Disposuerat circa ripã passi supra infraq; Albi, equitũ peditũq; stationes, cũ operib. quibus hostes trãsitu prohiberẽtur

Albanum

Albanum ad se uenire iussit Cæsar, eiq; suum consilium aperit: quòd sine anci piti ulla deliberatione cum Saxone decernere staret, exercitum aut põtonibus aut ponte facto, aut lintribus traducere uelle: aut si id fieri non posset, quærendis uadis, transnatandum esse amnem. Impedimenta uero, et opera alia, scaphis ratibusq; iunctis trajicienda. Contrà censuit Albanus, alijq; nonnulli, quos anceps dii crimen agitabat. Flumen latum esse, iuxtaq; profundum, accitato agmine, uorticosisq; fluctibus, nantes transuersis in hostem rapi, qui ripam insederant, & impelli posse. Paucos natandi peritos, reliquos ui uorticosi amnis hausturi nisi periculo arte occurreretur. Perstitit Cæsar in sententia, ac præmissis omnibus machinis sole sub terram demerso, circa tertiam noctis uigiliam Hispanum equitatum subsequi iussit. Ipse cum Germanorum equitum, peditumq; robore statim VIII kalend. Maij, paulo antè lucem castris relictis, ad Albim contendit. Eo die, ac pridie, sequentiq;, atq; eodem quo cum hoste paulo pòst pugnam conseruit, sol solito obscurior, tristiorq; uisus per Germaniam & Gallias, terrorem spectãtibus fecit. Cęsar futurę pugnæ euẽtus nescius, questus tum fertur, semper se nebulæ densitate infestari, quoties sibi cum hoste pugnãdum sit. Sub octauam horam matutinam Misenum postquam uenit, serenum cœlum dissussa nebula hostes in aduersa ripa, qui traiecturum ibi Cæsarem in altioribus crepidinibus operiebantur, detexit. Si pontem reficere ibi aggressus fuisset, missilium grandine opus impedire potuissent. Sin scaphis, lintribus, aut ratibus coniunctis in ripam inuadere tentassent, perexiguo momẽto arceri poterant, ac crepidines tueri. Equites circa Misenum in acie continuit, uetuitq; priusquàm iussi essent, ab equis descendere, castris prope ripam positis. Miserat Albanum proxima quæq; ripæ loca exploratum: quem ipse uestigiò statim cum Rege, & modico equitatu sequitur, ut præsentes & ipsi quoq; singula perlustrarent. Vbi accepit ulteriorem ripam passim ab hostibus insessam, non uisum fuit temerè consilium exequi. Proximos illico flumini accolas undiq; ad se conuocat. Ab his didicit, ubi amnis maximè uadosus esset, & minus uortice citato, ut transiri, aut trãsnatari posset, flueret. Inde cum Rege & Mauritio in proximam domum rusticam sibi raptim capiendi causa diuertit. Hinc longius progresso Albanus occurit, qui sibi uadosum locum à quodam rustico, cui hostes superioribus diebus damnum dederant, cum fide monstratum retulit. Et paulo inde longius profectis, rursum Saxones cum tormentis dispositis in stationibus passim conspecti. Etsi uadum iam repertum, & omnia ad transeundũ, transnatandumq; comparata forent, terrebatur Cæsar, quòd multis locis hostes equites peditesq; frequentes ripam occupassent. Agger adhęc muri in modum excitatus, pone quem tuti extra telorum iactus stabant. Super hæc, pontem ex ratibus & lintribus fabricatum, quo facilius aquæ innare, & onera secũdo flumine deuehenda capere potuissent, trifariam diuulserant. Rursum diuersa Cęsari omnia: ripa humilis, cuius proxima uis amnis non solum inundabat, sed etiam abluebat. Præterea, nuda & aperta omnia, præter rara arbusta, quibus nonnihil protegerentur, stabant exposita. Parte ea qua uado transitus erat, flumen trecentorum pedum latitudine erat, incitatum & impetuosum quidem, sed minus uorticosum, quàm ubi præceps alto alueo rapitur. Nec occultè trajici poterat, nec circumduci agmen. Itaq; in ancipiti deliberatione industria opus erat. Mille Hispanos inter arbusta tormentarios locat Cęsar, unde missilibus transflumen in aduersos grandinarent: ratus ita hostes ripam deserturos, & submoueri posse. Vbi illi uicissim eiaculati essent, Hispani cum periculò ad amnem ruerent: Saxones nimbo globorum perturbati, in scaphas se præcipites dederunt, quibus secundo agmine fluminis deferrentur. Quod conspicati Hispani, ex arbustis communiter ad ripam aduolant, & in flumen præcipites acti,

acti, humeris solum & brachijs è summa aqua extantibus, globorum tam effuso imbre eos qui in scaphas se coniecerant, & alios qui in ripa adhuc stabant, terruerunt, ut è scaphis rursum in subiectum flumen acti, ægrè in ripam euaderent, & inde eos anceps terror in fugam tantum non daret. Certatum est tamen utrinq; magna ui missilium, è tanto interuallo. Nec à suis abscedebat Cæsar in ancipiti re. Is ubi sensit hostes segnius urgere, mille alios succęturiatos suis defatigatis submisit. Tum Saxones scaphas partim omittunt, partim iniecta flamma urunt, & fugæ consilium capiunt. Nonnulli pronos se in scaphas deuoluebant, quò tuti à missilibus laterent. Inter ista pontem fecerat Cæsar non magnę molis, quem ad ripam applicari iussit. Hispani conspecta Saxonum fuga, trequentes flumen, gladios ore, quo solo è summa aquæ superficie extabant, tenentes mordicus, transnatant: & naugia ui fluminis delabentia, quæ à pontis parte relicta Saxones auulserant, abducunt. Tum demum Hispani confertim ulteriorem inuadunt, & palantes toto campo sequuntur, & ad uelitādum, prouocant, donec reliquus exercitus partim ponte, qui è Saxonis Cæsarisq; scaphis factus fuerat, & retinaculis connexus stabat immobilis, partim uado transisset. Elector interim hostium, quos transitu probiberi posse crediderat, securus, sacræ concioni in castris uacabat. Is ubi per nuncium trepidè allatum, Cæsarem Albim transgressum accepit, extemplò signum ad colligenda uasa dari iussit, & Vuittembergam præmissis impedimentis cum omnibus copijs celeriter maturauit, ibi cum Cæsare de summa rei dimicaturus. Reliquerat Cæsar castris præsidio è singulis legionibus ternas cohortes Germanorum, & equites quingentos grauis armaturæ, in euentum pugnæ. Equitatus rusticum ducem secutus, uado amnem superauit, Pedes ponte transportatus fuit. Ducem rusticum Cæsar centum coronatis aureis, & duobus equis donatum, dimisit.

LAMBERTI H·O·R-
TENSII MONTFORTII HISTO
RICI DE BELLO GERMANICO LIB. VII.

IN transitu Albis Cæsar ita partitus fuerat copias equestres, ut Hussari & Lanoius cum leuis armaturæ turmis, singulos tormentarios pedites intergo uehentibus precederent: ut hi desultoria leuitate in ripa statim deiecti pro equitatu, dum pedites ponte amnem trāsirent, starent, hostemq; paulatim retro cedentem lacesserent, carperentq; Proximè hos Albanus cū equitatu Neapolitano, & Mauritianis turmis sequebatur. Postremum agmen Cæsar & Rex cū Germanis equitibus claudit. Nihil cunctādum ratus Cęsar, celeritate hostem ad Mulbergum, uel ad Gotam oppressurum se credebat. Equitatum omnem bifariam hic raptim diuisit: in priori acie equites leuis armaturæ quadringentos Antonio Toletão, Lanoio, & Baptistæ Spinello tribuit: Mauritio Hispanos sclopetarios centum, ducentosq; leuis armaturæ Germanos, & hastatos sexcentos. Frontem Castronilarus cum ducentis & uiginti grauis armaturæ Neapolitanis tegebat. In altera acie Cęsar, quę in duo agmina diuisa procedebat, erat: ipse in uno cum quadringentis cataphractis Germanis, & trecentis hippoclopistis curabat: in altero, cum totidem ac ducentis. Rex cum duobus filijs, & Filiberto Allobrogum Duce, uersabatur. Potuisset Saxo tantis copijs fuisse par, & in spem uictorię acie congressus fuisse, si uniuersum exercitum dispersum in unum contrahere potuisset. Dimiserat paulò ante Cęsaris aduentū Gulielmū Thumsernm;

Thumsernum:muniuerat præsidijs Mulbergum, Gothã, aliaq; oppida, ne nu
da auxilijs opprimerentur:firmarat Vuittembergam cohortibus. Sed in re
subita,inexpectataq;,omnes undique copias raptim contrahere non dabatur.
Accedebat secura transitus mens,quod Albim tam facilè exuperabilem haud
quaquam crediderat. Cæterùm in hanc pugnam futuram non solum Germa
nia,sed Gallia etiam,& Italia,animos intẽderant.Cæsar Albanum assequutus,
cum eo copias,quas sex machinæ campestres antecedebant,coniunxit.Simul
atq; hostem Mulbergo discessisse nũciatum est, ad saltum Lochanum, tribus
ab Albi miliaribus,ubi eum tenere acceperat, properè contendit quadrato a-
gmine. Et quo liberior,longiorq; in planos campos esset prospectus, quem
pulvis equorum antecedentium pedibus in nubis modum excitatus ad me-
bat,obliquius aliquanto agmen in dextram uergere & incedere iussit. Saxo
præcedens agmen ex interuallo conspicatus, suos in aciem cogit: ei occursu-
rus,priusquam Cæsar,quem ad Albim, aut Torgam consedisse putabat,suis
adesset. Vuolfgangus Crucius,statiuorum Ducis præfectus,qui Cæsaris ar-
tes in instruendis aciebus nouerat,eum monuit, ut retro paululum è media a-
cie concederet:& longius prospectum,trans prius agmen, quod posset,mitte
ret.Inde Dux alterum,quod Cæsar cum Rege obliq; trahebat, agmen, præter
spem ubi uidisset,celeriter in aciem redijt:in eam nunc necessitatem adductus,
ut aut fugeret,aut prælio contenderet. Itaque dimicandi moram nullam facere
uoluit:sed uincere,aut uinci,utcunque pugnæ alea caderet. Sed cùm extrema
humanorum casuum apud se reputaret,circa syluam aciem instruere usus fu
it:ut in ea in aduersa fortuna abditus.ac pedestrium copiarum subsidio tutus,
nocte insequenti Vuittembergam receptum haberet,ibi fortunam periclitatu-
rus. Trepidus subita re,peditatum ante syluam consistere iussit. Erat hæc mul-
tis passim paludibus, & itinerum angustijs anfractuosis difficilis, peditibus
commodior quàm equitibus, Inde in leuioris armaturæ Hispanos hippo-
sclopistas præter syluam palantes,pedites tormentis manuarijs armatos,à qui-
bus glandulis eminus urgebantur,immisit. Cæsar suorum animos, ob equi-
tans turmas,paucis hortando monendoq; confirmauit:ut semper pectora im-
pauida habuissent,ita nunc uirtutis pristinæ recordarentur Eundem esse ho-
stem,cuius uim ad Ingolstadium sedendo,ubi innumerabiles copias cum col-
lega fugitiuo habuisset,fortiter sustinuerant:quem semper cedentem retro,re-
stitantem, ac detrectantem pugnam sequendo, tandem ad pugnæ necessita-
tem traxisset. Nunc cùm uideret conferta se propè manu in prælium rapi,syl-
uam feris communm latebram ad fugam quærere. Vnum diem, imò ho-
ram unam,omnium laborum finem facturum.Viris equisq; se superiores:qua
re hostem spem uictoriæ,quam ipsi in manu haberet, abijcere. Ditia præmia
huius militiæ eo die omnes reportaturos. Ad hæc, in hostico pugnantibus
ipsis.fugæ uiam Albim à tergo intercluisse, ut fortiter uincendum esset,aut
occumbendum.In hanc sentẽtiam inter obequitandum ad milites & ordinum
ductores pauca loquutus,procedere agmen iussit. Albanus, cum Neápoli-
tanis grauis armaturæ equitibus, primus in hostes inuectus, eorum aciem
perrupit. Mauritius ab altero cornu cum hippoclopistarum turmis sequu-
tus, modicè Saxonum ordines turbauit. Hunc hastatorum uis,hinnitu e-
quorum terribili & tubarum clangore sublato,tergo hærens excepit. Dum hi
infestẽ aduersis frontibus concurrunt,à dextro cornu uno tenore equites in
Saxonum sinistram aciem tanta ferocia per præceps inferuntur, ut aleredu-
ctæ densitate et impetu Cæsarianorũ uix semel atq; iterũ prælũ reuerterentur:
nec cominus diu malleis equestrib.ut uirũ uir galeis cõplexus equis detrahe-
ret,pugnaretur. Prælium equestre statim equitũ peditumq; certamen excepit.

Hoc

Hoc primo pari uirtute, animisq; gerebatur. Frontem agminis duo utrinq; cor nua missilibus strenuè aliquandiu tutabantur, grandine globorum equites in uehentes fundendo, arcendoq;. Vbi infestius illi instarent, alij receptum fuga in propinquam syluam habebant, inde certis iactibus equitum insequentiũ stragem facere. Sustinuerunt diu pedites Cæsarianorum impetum. Per octo fer mè horas uario euentu extracta pugna fuit. Hussari equites leuis armaturæ ad ultimum effusi, dextra læuaq; in obliquum agmen inuaserunt, eaq; agilitate interruperunt, ut exiguo admodum momento uertendo reuertendoq; ordines turbarint. Arsit inde cædes ingens: & quo fuga Saxonum in syluam præcipitantior erat, hoc infestius in fugam ruentium, palantiumq; toto passim æquore uestigijs hærebant Hussari. Fœda passim cædes tum fiebat: & tragicam rerum faciem augebat confusus dissonusq; clamor cadentium, cædentiumq;: & fremitus, soniq;, quos saltus repercussi campi reddebant. Alij in syluã semiermes, aut magna pars saucij, inermesq; robora complexi, dum ictus euitant, interficiuntur. Plures alij super alios præcipites acti, equorum pedibus proteruntur. Tanta strage iumentorum ac telorum omnis generis circa saltum tota planicie et cadauerum cumulatorum omnia obruta fuere, ut eques ad persequẽdum fuga in syluam delatos, ipso tumultu passim impediret. Ad cccc, noctis beneficio fuga Vuittembergam ablati se contulere, Capitur Ernestus Brunsuicensis, Philippi filius. Electoris filius natu maximus prælio acceptis aliquot uulneribus sese subducens, hoste, â quo acceperat uulnera, traiecto, Gotham euasit. Equites per agros fugientes insequuti, magnam prædam ceperunt. Tormenta quindecim, à Duce è prælio, iam inclinante uictoria, præmissa, in itinere intercipiunt. Elector usque ad ultimum pugnæ euentũ in prælio moratus, media cæde dilapsus, cùm nihil spei superesset, & ad extremum periculi uentum esset, cum paucis per saltus auia & deuia fugit. Albanus cum parte cataphractorum & leuis armaturæ, per saltum fugientes insequitur. Cæsar parta uictoria, cum Rege, reuocatis equitibus, qui tanquam in rebus pacatis securi uagabantur, ad saltum progressus, ibi constitit, ut si Albanus cum suo egtatu incautus in locũ insidiarũ incidisset, ad se receptũ haberet. Albanus insequendis hostibus defatigatus, ad Cęsarem, à quo alacri animo exeptus fuit, reuertitur. Modico temporis interuallo pòst, duo cataphracti Hispani, quatuor Itali, & Hispani leuis armaræ, atq; unus Hussarus cum alio Hispano, qui palãtes longius per saltum persequuti fuerant hostem, lætum spectaculum Regi & Mauritio præbituri, Electorem captum, armatum, equo insidentem, ac uulnere, quod inter pugnandum læua gena acceperat, deformatum, ad Cæsarem adducunt. Saxo immodica corporis mole grauis, cùm chirothecis detractis ab equo nequicquam descendere conaretur, siti propè in fuga ac pugna enectus, & lassitudine fractus, manere in equo à Cæsare iussus fuit. Ibi Saxo nudato uertice: Ego me, clementissime Cæsar, in hac mea fortuna captiuum tibi dedo. Ad ea Cæsar: Nunc me clementissimum Cæsarem appellas? Nuper haudquaquam ita (nam Carolum â Gandouo, qui se falsò Imperatorem scriberet, Hessus & Saxo dicere soliti fuerant) nunc in eam, quam meritus es, fortunam incidisti: & furoris tui exitum, diu quæsitum, inuenisti. Ad quæ Saxo quasi consternatus, paulisper subticuit. Mox cum gemitu, obtutu in terram defixo: Oro, inquit. Cæsar clementissime, ut ea me fortuna seruet, quæ Principe uiro digna est. Tum Cæsar: Nunc tibi sum Cæsar: sed ut te dignum est, excipiam. Ferdinandus, cuius animum recordatio Bohemici fœderis exulcerabat, paulò acerbius eum increpuit: quòd se, & liberos suos, regno eijcere, & omnibus fortunis exuere conatus esset: totamq; Bohemiam ad arma aduersus se concitasset. Si prælio ipse uicisset, uniuersam gentẽ defecturam fuisse.

Albano

Albano imperatum à Cęsare est, ut Electorem & Ernestum Brunsuicensem ad Albim in castra custodiendos deduceret. Ab Albano id negocij Alfonso Vitu Hispano demandatum fuit. Mauritius in hac pugna, dum incircumspectè ho stes fugientes cædit, & persequitur, sclopo penè lateri admoto traiectus fuit. Sed casus, cùm ignem silex nō redderet, eum magis quàm quicquam aliud ser uauit. Amplius duo millia peditum hostium cæsa sunt eo prælio: ac nisi nox su perueniens pugnam diremisset, maior clades in saltu, ac campo, in quo dimica batur, accepta fuisset. Equites paulò minus quingenti cecidere. Signa militaria XVIIII. equestria, & inter ea Electoris uexillum, ad Cęsarem relata sunt. Ex Cæsarianis quinquaginta equites, aut paulò plures ceciderunt. Postridie cùm eques à quiete refectus, omnia diligentius circà exploratum mitteretur, tormē ta sex reperta, & magnam impedimentorum uim in castra retulerunt. Incidit hæc clades in Octauum Kal. Maias, Postquam Electorem captum & in castra adduci nunciatum fuit, omnis militaris turba uelut ad spectaculum triūphi ef fusa conuenit. Ibi magnitudinem uictoriæ quantum quisq; poterat augendo, fortunam, uirtutem, fœlicitatemq; Cæsaris uehebant. Hunc esse unum Ducem tota Germania post Reges potentissimum: cuius maiores alij post alios sum mum Imperij apicem tenuissent: cuius pater, cùm septemuirum omnium suffra gijs Imperium ei delatum fuisset, constanter recusarat. Hūius societatem & a micitiam Bohemos Regiæ prætulisse. Tantas eius esse opes, tantasq; habuisse copias, ut Mauritium Misniæ Ducem omni prouincia, duobus oppidis excep tis, eò redegisset, ut exulantis in modum apud Regem Ferdinandum in late bris se contineret. Ausum eum cum Cæsare, Rege & Mauritio, solum prælio decertare. His, & similibus militum submissis sermonibus celebratus Dux, in custodiam abductus fuit. Biduum eo loco, ubi pugnatum fuit, Cęsar statiua ha buit. Inde prima luce Torgam processit: qua in fidem accepta, Vuittembergā arcem, & caput ditionis, cum omnibus copijs, ut eam quoq; in potestatem redi geret, perrexit. Inter uias nunciatur, Gulielmum Thumsernum cum ijs copijs quas in Bohemiam nuper abduxerat, nouis equitum peditumq; auxilijs auctū, ad XXV cohortes è fœdere à regni illius coniuratis promissas, in Saxoniam iter maturare. Extemplò Cæsar reliquas copias Albim traduci, ac refracto ponte, haud procul à Vuittemberga, locis syluestribus castra communire iussit. Hāc Cæsar, ab ea parte ubi angustior erat, oppugnare cōstituit. Ad quam rem Mau ritius è Dresso magnam uim muralium operum se conuecturum, Cęsari polli cebatur, & fossorum quindecim millia, quorum illud quidem præstitit: hoc ue rō, trecentis ægrè contractis, effectum dare non potuit. Fama cladis Saxonicæ, & capti Ducis in Bohemiam perlata, confœderatis proceribus magnum terro rem fecit: ac statim legationes supplices ad Regem Ferdinandum oratum mit tunt, ut apud Cæsarem pro Electore, ne quid inclementius in eū statueret, de precaretur. Sunt qui id ante pugnam factum credant: & postquam eum magno prælio uictum & captum accepissent, contendisse à Rega, ut omnis in Hunga riam contra Turcam exercitus duceretur. Rumores indies adferri, illū crebras irruptiones in regnum eius facere. Quod si faceret, fore, ut alij reges quoq; ad bellum socia arma communiter iungerent. Tertio quàm ad Vuittembergam castra admouit die, Cæsar Electorem capitis damnat. Quod ubi damnato sig nificatum fuit, nullum abiecti pauidiq; animi, aut trepidationis signum dedit. Solum id, inquit, nunquam existimassem fore, ut Cæsar tam inclementer mecū ageret. Id interim ab eo precor, ut mihi renunciet, num ea stet sententia, ut de uxoris ac liberorum rebus & bonis testamento disponere mihi liceat. Ioachi mus Brandeburgensis ad primam acceptæ cladis famam, inde latæ sententiæ, excitus, properè ad Cæsarem nulla mora in castra accurrit. Ibi post gratulatio nem

rem victoriæ, multa benigniter pro Saxone deprecatus fuit. Qui licet grauia, ut in se statuerentur, meritus esset, ne tamen extrema humanorum in eum persequeretur. Vide, inquit, Cęsar, si secus feceris, ut factum ab Imperij Ordinibus accipietur. Quantum odij immortalis tibi, tuis omnibus, ac posteritati conflabis. Si me consultore (nam quid alij consultant, gentis suæ more, nihil ad me) uti uelis, moderare victoriam, eaq; utere ut te dignum est. Parum est, quòd hostes tuos bello superaueris, nisi te ipsum uincas: qua re nihil fortius, nihil præclarius, aut maiestate Imperij dignius. Alterius victoriæ laus bona ex parte ad milites, quorum opera in bello usus es, pertinet: huius uerò summa gloria, iram uincere, hostemq; clementia superare, propriè tua est. Quod si Germaniam in fide continere uelis, leuitate, haudquaquam crudelitate opus est. Cogita Cęsar, huius maiores paternum tuum regnum olim summa cũ laude gubernasse, magna bella gessisse: patris huius beneficio ad summum Imperium te ex Hispanis euocatum: cùm ipse suffragijs omniũ designatus, illud suscipere recusasset. Ad preces Brandeburgensis accedebat, quòd eadem à Gulielmo Duce Cliuensi, Ferdinandi genero, cuius sororem Saxo nuptam habebat, sæpe antea tentata fuissent. Horum deprecationibus victo Cæsare, damnatio illa atrox mitigata fuit. Leges inde pacis, obliterata priori sententia, aliorumq; consilijs repurgatis, datæ hæ sunt. Vt in primis ea quæ à Cęsare de religione pronunciarentur, quę ue synodo uisa essent, rata ac firma haberet. Abnuit id constanter Elector: eiq; rei mortem sibi præoptandam, inquit. In alijs nullas conditiones se recusaturũ. Inde hæ leges illi dictæ fuerunt. Septemuirali splendore se abdicaret: in eam neque ipse, neq; eius liberi, neq; eorum posteritas ullum ius in posterum uindicarent. Agris, oppidis, arcibus, castellis, quę Saxoni Septemuiro parent, statim cederet: Vuittembergam & Torgam traderet: Gotham arcem, nullis propè operibus expugnabilem, euerteret Cæsar, integra ei suppellectile, & annona in columi relicta, Tertiam alimonię partem, & machinas bellicas omnes traderet: milites, qui in præsidijs erant, traditis signis in pacatum facesserent. Albertum Brandeburgensem, nuper captum, è custodia absq; mulcta dimitteret: adẽpta ei redderet. Cæsar Ernestum Brunsuicensem inuiuicem liberum abire sineret: quæ hoc bello Prussiæ Duci Mansfeltus & Solmensibus ademisset, nulla temporis mora restitueret. Cederet Magdeburgensi, Halberstatensi, Hallensiq; ditionibus. Imperij summo iudicio (Cameræ uocant) pareret. Huc quoq; sumptus, cum à Cæsare id constitueretur, unà faceret: ut Henricum Brunsuicensem, eiusq; filium, captos è custodia dimitteret: à fœdere contra se & F. ictum desciscere et: nec ullum in posterum faceret, in quo ipsi non exprimerentur. Omnia eius inde bona Cæsar in publicum redacta, partim Ferdinando, partim Mauritio, pro meritis in se restituto paterno regno, donauit, hac lege, ut Mauritius illi, eiusq; liberis quinquaginta aureorum millia annuis pensionibus solueret, si Cæsari ita uideretur: sed Mauritij arbitratu tamen oppidum Gothã (nã arcẽ Cæs. demoliri, & solo æquare constituerat) Saxo sine certamine retineret. hac quidè lege, ut munimento euerso, nec oppidũ, nec arcẽ in posterũ propugnaculis firmaret. Ante fœdus Smalcaldicũ multũ ęris alieni cõflarat, ad id soluendũ, Maurit. Elect. liberis cẽtũ aureorũ millia pernumeraret. Super hęc, quãtũ ęris alieni bonis patruelis in publicũ redactis innexũ esset, q̃ Cęs. ei donasset, id q̃q; Maurit. redimeret: atq; ita sine ullo certam. obliteratis ultro citroq; ante actis cõtrouersijs, deinceps uiueret. Additũ fuit cõditionib. ne Saxo quicq; cõtra eos q castra Cæs. essent secuti, unquã moliret. In Thuringia Cæs. beneficio castella & agros retineret. Quæ à Cæs. decreta forent, iuberẽturue, & ab Ordinib. Imp. ea illabefactata seruaret. Captiuus Cęs. aut eius filiũ, ppter cõcessã uitã sequeretẽ. Bona relicta in ius liberorũ trãsirẽt, si cõditiones placerẽt, easq; ipse

comprobaret,& populus. Ex his pacis conditiob. excluſi fuerunt Bichlingus, Ringrauius, Albertus Mansfeltius, Recrodus,& Thumſernus: quorum poſtre mus dimiſſo exercitu arripiendus, in uincula cõderetur. Armis, & æneis machi nis cxx maioribus, quas Vuittẽberga poſtea dedit, exceptis cãpeſtrib. exutus fuit. His conditionibus, quia placuerunt. uita Duci redempta fuit. His perfe ctis, Cæſar illico literas ad Ordines Imperij dedit, quibus Vlmam conuentum ſub Idus Iunias noui fœderis concipiendi gratia edixit. Ferdinandus Bohemis item ex his caſtris per eoſdẽ dies miſsis legatis reſpondit, iniuriam memorabi lem ſibi per fœdus cum hoſte uicto,& iam capto, nuper ictum fieri. Velle id a boleri, ac eius formulam ſibi tradi: ac niſi obedirent, uiam inuenturum ſe, qua eò inducerentur. Tenebatur interim Vuittẽbega trium millium delectorum militum præſidio, prçter ciues. Hi, niſi à ſuo Duce iuſsi, remiſſo ſacramento, in poteſtatem uenire,& deditionem facere obſtinabant. Nam cùm è muris ſubie ctos agros ab Huſſaris & Hiſpanis fœdis populationib: uaſtari, omniaq; ferri agiq; cernerẽr, ne pari licẽtia in oppidanos ſquireẽ, metuebãt. Remiſſo à Duce ſacramento, facta deditio eſt: deductiſq; prçſidijs, quatuor cohortes Germano rum à Cęſare, ut in præſidio eſſent, ſuffecti ſunt, facta oppidanis poteſtate ex turbandi eos oppido, qui contra edictum licenter in flagitia diſſoluerẽtur. Acce pta in poteſtatẽ Vuittẽberga, biduò pòſt Sibylla uxor Ducis, leuir,& leuiri cõ iunx, ſoror Erneſthi,& Elect. filius ad Cæſ. in caſtra egreſsi, in eius tabernacu lũ à Ferd. Regis liberis, Ioãne Brãdeburgẽſi,& frequẽti Germanor. nobiliũ cœ tu deducunt. Ibi Sibylla effuſis ubertim lacrymis, pro marito erroris ueniã de precatur. Triſti ac miſerabili nobiliſsimæ fœminæ fortuna, lacrymis obortis,& habitu motus Cęſ. manu eã humi genib. aduolutã leuauit ſimul, ac amplexus benigniter, animũ mœrẽtis dictis blãdis cõfirmauit. Moti ſunt ad miſericordiã miſerabili ſpectaculo circũſtantiũ, pcerũ animi, ut anteactarũ iniuriarũ memo ria, prſus exoleſceret. Cõfirmatq; non ſolũ mariti inuiſendi poteſtatẽ fecit, ſed ipſi capto etiã oppidũ ingrediendi,& ad octo dies apud uxorẽ hærẽdi copiã pmiſit. Cęſ. Ferdinãdũ, eiusq; liberos, Elect. Brandeb. & Mauritiũ ſecutus, po meridiano tẽpore Vuittẽbergã arcis uiſendæ,& Ducũ Elect. monumentorũ gratia ſimul ut oppidi ſitũ, munitiones, propugnacula, aliaq; uiſendæ antiqta tis multa perluſtraret, ingreſſus fuit. Haud diu illic cõmoratus, ſalutata in arce Sibylla, iuſſaq; forti animo eſſe, omnia rectè cũ marito habitura, in caſtra cũ ſu is rediit. Per hos dies Dux Ericus Brunſuicẽſis ab Orientalib. copijs, quas Lu becẽſes, Hamburg. aliiq; ciuitates cõfœderatę ad bellũ armarãt, ducibus Curt phenningo Manſfeltio, Heddeco, Thũſerno, pfligatus, obſidionẽ Bremẽſẽ ſol uit. Ipſe equo amnẽ tranãs, cũ parte eqtatus ad Cæſ. fugit: apud quẽ nõ ſolũ ſe de peruigilio negligenter acto, id quod uulgò de eo ſpargebatur, purgauit, ſed omnẽ oſcitãtiq; culpã in Friſbergũ, à quò in pugna deſertus fuiſſet, trãſtulit. Mit titur Cothã interim Lazarus Suuendius, ad arcẽ, exempto è cuſtodia Alberto Brãdeburg. delendã: iuſſus cũ duab. cohortib. tãdiu ibi cõmorari, dũ ſolo ęqua ta eſſet. Reſtabat iam, ut unus Heſſus Cęſ. in gratiã reconciliaretur: de quo nũc referre pergam. Brandeburgus & Mauritius per amicos apud Cæſarem huc cõ nitebantur, ut Heſſo pax quibus uideretur conditionibus, ſcriberetur, Super erat id ſolum, ut uia inueniretur, quo publica priuataq; fide conceſſa, ſupplex Cæſ, accideret, Dum hæc illi moliuntur, legati è Bohemia à cõiuratis procerib. in caſtra pacẽ oratũ uenerunt. Quos Cęſar modeſtè caſtigatos, ſine mulcta pau cis pòſt diebus domum remiſit. Interim Heſſus Lipſiam, ab his quos memora ui principibus, ut ibi de ratione petendę obtinendęq; ueniæ ſecretò agerẽt, euo catur. Ibi poſtquã audiuit omnẽ ſpẽ ueniæ impetrãdę prçcluſam, niſi ſine ullis cõditionib. in poteſtatẽ Cæſ. ſe traderet: caſtella omnia, agros, oppida, ęneaq;

tormenta

tormenta daret: duris his conditionibus ille consternatus, cum in sola Cæsaris clementia spem ueniæ positam uideret, aliquandiu cogitabundus oculis in terram deiectis sedit: ac statim Vueisselsum retrò domum, quatuor à Lipsia miliaribus, mœstus ad deliberandum regressus fuit. Postridie cùm apud animum suum præsentem suam fortunam, & anceps discrimen, quod immineret, interequitandum identidem reputaret, (acceperat fama, Cęsarem expeditionem in Hassiam cum omni exercitu parare) tum demum, qui nullam antea pactionem recepisset, nunc quaslibet, quamuis graues, salua uita, admissurus uisus fuit. Lateri eius adequitabat tum fortè Eblebus, cum quo inter uias multa de petenda uenia deliberauerat. Si scirem, inquit, Cæsarem exorari posse, & exoratũ à me præsente, & quidem supplice domum me abire permissurum, non grauarer omnia propugnacula & castella diruere, permitterem omnia opera bellica auferri, traderem armamenta: unam tantum arcem relinqueret, in qua me in otio & secessu continerem, neq; grauius quid in me consuleret. Eblebus aduertens ista ab ægro animo cum gemitu ac suspirio profecta: Age, inquit, quid si ista ad Mauritium referam, quo tibi cõtulat? Paucis diebus uel ipse huc rursum adero, uel per literas te certiorem faciam. At uide, ne interea quid grauius per ægritudinẽ animi in te consulas. Simul ille extemplò ad Mauritiũ properè maturauit: ac cum eo, ut conuenerat, secretò egit. Refert ille statim rem ad Cęsarem. Reuertitur Eblebus breui pòst è castris Vuittẽbergensibus, cũ literis à Brandeburgensi & Mauritio ad Lantgrauiũ. Earũ hic erat tenor: nonis Iun. scriptę fuerant. Vbi de tua uoluntate per Eblebum facti sumus certiores, totidem uerbis rem ad Cæsarem retulimus. Quid autem obtinuerimus, ex eo cognosces, qui ad te pacis leges perfert. Et quia tolerabiles sunt, nulla ratione recusandas cẽsemus. Neq; dubium est, quin sint placiturę: maximè cũm cernas, ac tecũ reputes, in quanto periculo uerseris. Caue abnuas, te in Cæs. potestatẽ permittere. Nullas interpone conditiones, nullas exceptiones: nã pax aliter conuenire non potest. Nec est cur acerbiora metuas tibi à Cæsare impositũ iri, aut futurũ ut captiuus in custodiam condaris: id nõ fore, nostrã priuatim fidẽ interponimus. Si qd præter eas conditiones, quas Eblebus nuper pertulit, grauius tibi accederit, aut acerbius in te consultũ fuerit, aut captiuus tenearis, non recusamus à tuis liberis in eandem fortunã deposci, sisti, ut pro te præstemus. Qd ad religionẽ spectat, idem tibi affirmabitur, qd Saxoni relictũ est. Quoniam aũt hęc pax non solum necessaria tibi simul est, ac utilis, uerumetiã reipub. petimus, ut quà primũ huc te conferas, & Henricum Brunsuicensem unà, & filium eius, tecum ad Cæsarem adducas, ut nostram fidẽ secuto pax tibi sit impetrabilior, & præsens data dextra pacis cõditiones accipias. Nec est quod uerearis, ne Brunsuicensis cuiusquam insidijs inter uias intercipiatur: id non futurum, nos uolumus præstare. Dabitur opera, ut ab equitibus obuijs incolumis ad Cæsarem deducaris. Literarũ hic fuit tenor. Cæterùm pacis leges à Cæs. Lantgrauio dictæ, quasq; descriptas ipse sua manu confirmauit, fuerunt hę. Vt se, agros, urbes, arces in Cæsaris potestatẽ, nullis interpositis conditionibus, traderet. Ipse supplex ad Cæs. pedes aduolutus, noxam condonari peteret: Cæs. deinceps obediens summa obseruantia foret. Iudicio Imperiali à Cæs. constituendo parêret: sumptus in id unà pro copia faceret. Decreta Cæs. pro incolumitate & salute Imperij comprobaret, & seruaret. Aduersus Turcã auxilia unà cũ cęteris principibus certatim suis temporibus mitteret. Omnibus fœderibus, in primis Schmalcaldico, renũciato, Epistolas huius generis, quascũq; haberet, Cæs. tradito. Nullũ fœdus cũ ulla gẽte inito, in quo Cæs. & Ferdinandus nõ exprimerent. Hostib. Cæsaris suã ditionẽ interdicito. Quos Cæsar, quòd in sea rma induissent, luere noxã uellet, eos non tuetor. Cæsarem perditionis suæ fines cũ exercitu transire sinito: &

commeatu iuuato. In suos populares extremo humanorũ supplicio, qui post eum diem in acie contra Cæsarem starent, animaduertito. Reuocato è castris, qui adhuc aduersus Cæsarem in armis sunt: eosq; intra quatuordecim dies ab armis discedere edicto iubeto: ac nisi intra edictos dies parẽrent, bona eorum mulctæ nomine prędæ sunto Cęsari. Centum millium aureorum pecunia noxã luito: eãq; summam præsentem intra quatuor menses soluito. Arces omnes cũ propugnaculis, excepto Ziegenhemo aut Cassello, demolitor. Præsidia imponenda Cæsari sacramento obnoxia sunto: nec ulla in posterum, nisi arbitratu et uoluntate Cæsaris firmantor. Hęc ita rata sunto, si omnia bellica opera, globos, puluerem tormentarium, & quantum instrumentorum huc pertinet, primo quoq; tempore in potestatem tradat: sed ex omni numero Cęsar, quantum uideretur satis futurum ad eam arcem tuendam, quam permitteret, ei domo relinqueret. Henricum Brunsuicensem, eiusq; filium, è custodia, restituẽdo pater nam ditionem, remisso popularibus iuramento, dimittito: inde actionem damni dati cum eo pacatè disceptato. Adhæc, Prussorum magistro, alijsq; Principibus ui à se adempta, lubens uolensq; restituito. Aduersus Danorum Regẽ, ac alios, quòd in dubijs rebus belli, & incertis fortunæ nulla auxilia miserint, quodq; Cæsaris arma fuissent secuti, nihil infesti molitor. Captiuos sine mulcta dimittito: iudicio ijs fistitor, à quibus controuersia intenditur. Has leges pacis si ipse nõ recusaret, & liberos easdẽ ratas habere iubeto easdẽ Halsię nobilitas omnis, ac populus cõprobato. Si has leges uiolauerit Lãtgrauius, tũ illi arreptũ eũ Cęs, tradũto. Pro his omnib, Brandeburg. Maurit. & Vuolfgãgus Palatinus fideiusserunt. Si ista pacta labefactaret, promiserunt se cõsocietatis armis uires suas in eum conuersuros, ut ad seruandum cogãt. Hessus has pacis leges ubi legit, ita non recusauit, ut aliqua, quæ perplexius, minusq; dilucidè dicta fuissent, è consilio Ordinum planius explicari peteret. Dimittitur ijsdem fermè diebus è custodia Albertus Brandeburgensis, qui ad Cæsarem in prętorium introductus, gratias ei pro beneficio accepto egit. Postridie nonas Iunias Cæsar castra moturus, sua prędia è Vuittemberga deduxit, è Mauritij copijs aliquot relictis cohortibus. Eodem die Mauritius frequentem senatum habuit in arce, ubi ciuitatis libertatem, iura, leges patrias, consuetudinesq; rata ac sancta se habiturum, ut à maioribus accepissent, affirmauit: auctum insuper potius, quàm diminueret. Inde in eius fidem iuratum est. Capto enim Ioanne Friderico, Cęsar eum Septemuirali splendore pro meritis in eo bello decorarat. Magistratus Mauritium omnium primum orauit, ut scholam Vuittembergensem, huius belli Germanici procella dilapsam, restauraret. Quod non solum data dextra se facturum promisit: uerumetiam rusticorum miseram plebẽ terrore profugam, in suas quemq; possessiones, agros, prędia, uillas reuocari iussit. Quorũ ędificia incẽdio uastata iacebant, illis ligna è syluis ad ędificandũ, farciendũq;, et in semẽtẽ frumentũ se prębiturũ, pmisit: redactis ad extremã paupertatẽ, gratis: ditioribus paulo, mutuò. Sub hęc, quędã seorsim, q̃ ad Ecclesiasticã rẽ pertinẽt, mutare aggressus fuit. Ioãnes Frederic. Nicolaũ Amstorfiũ episcopę Nũburgẽsi aliquot antè annis pfecerat. Hoc nunc pulso, Maurit. Iuliũ Phlugiũ ea donauit. Ferdinand. per es dies in Bohemiã cũ tribus millib. equitũ, & peditũ mill. ex, ad cõponẽdos regni motus profectus, ad Lętmericiã primis castris cõsedit. Inde ad Ordines Bohemię literas dedit, quib. iterũ de fœdere cũ Saxone icto multis uerbis expostulauit cũ illis: aduersus se tanq; hostẽ id initũ fuisse. Vel le se eos ab illo discedere: et si essẽt q̃ obstinati id facere recusarẽt, ij sẽtẽtiã suã nominatim pscriberẽt. Haud ignorare se, esse nõnullos, q̃ fraude & lenocinijs uerbo rũ blandis, à quibusdam in eũ errorem adducti essent: quibus ignoscere, staret sententia: nec iniuriarum in posterum recordari uelle, præterquam ijs qui uim magistratui

magistratui fecissent, eumúe pulsassent, quibus crimen non condonaret. Dum ad Lætmericiam sedet Rex, eius legati, & Cæsaris, Vlmam uenerunt: qui illorum studium & operam, ad firmandam pacem Imperij, in concilio commemorarunt. Dare huc operam, ut fœdere inito, quies perpes & otium sempiternum in Germania stabiliretur. In hanc sententiam cum multa de tranquillando statu Imperij, & concordia Religionis per dies aliquot differerentur in concilio, pestis grassari repentè oborta, legatos discedere compulit: quamobrem paulo pòst conuentus Germaniæ ad Kalend. Septemb. Augustam edictus à Cæsare fuit. Mouerat Cæs. Vuittemberga, salutato fratre, & Ordinum ductoribus singulis torquibus aureis decoratis: laudatosq; simul pro concione eos qui primi Albim tranarant, postquam donis amplissimis, uestibus excellentibus holosericis & ostrinis ornasset, simulq; duplares nominasset, Halam ad Salam flumen contendit: inde in Hassiam expeditionem facturus, quòd Lantgrauius temporis moram ad transigenda ea quæ per Brandenburgensem & Mauritium cõfecta essent, quærere uideretur. Hic inter Germanos & Hispanos milites incertum qua de causa, tanta trepidatione tumultuatum fuit, cùm iam res haud procul à dimicatione esset, ut nisi Cæsar impauidus in medias acies occurrisset, iã prælio media urbe cum memorabili tantæ uictoriæ discrimine labefacta dæ dimicatum fuisset. Hessus interim anceps consilij, quid facturus esset, nec satis credere fidei Septemuirorum, generi & Brandeburgensis, nec Cæsaris uim audere expectare: ad postremum xiiij Kalend. Iulij fiducia fideq; illorum fretus, medius inter eos obuiam progressos cum equitibus centum, paulò sub occasum solis Halam ingressus, magnifica cœna à genero exceptus fuit. Eadem uespera Henricus Brunsuicensis cum duobus filijs & Erico duce Hessum sequutus, & ipse Halam uenit. Postridie eius diei mittitur ad Hessum Christophorus Carlebicius, ad pacis, in quas conuenerat, conditiones exhibẽdas, subscribendasq;. His cùm additum, sed non expressum antea in formula per Mauritium & Brandeburgensem transmissa fuisset, Cæsaris unius esse, pacis capita interpretari: Atrebatensi episcopo renunciari per Carlebicium iussit, se non posse, ne è sua dignitate esse, subscribere ijs in quæ non conuenisset. Atrebatensis uicissim responderi iussit, id à scriba per negligentiam, ut interdum fieri solet, omissum fuisse. Ille cùm instaret, ut citra fraudem id fieret: adiecit alter, quoniam de Religionis negocio postularet sibi caueri, ut Mauritius & Brandeburgensis fecerant, haud grauatè Cæsarem hoc facturum, si ipse uicissim concilij Tridentini decretis obedientem se per omnia præstaret. Ad ea Hessus, à nemine antea eius rei mentionem iniectam quidem: nec alios Imperij ordines eo ipso teneri: cur in conditionibus id non esset expressum? Malle se ea cautione Cæsarea carere, cùm ne Cæsar ipse quidem ad cauendum teneretur. Atrebatensis post aliquantam altercationem, reputans non esse è dignitate Maiestateq; Cæsaris, uerbis de cautionis iure, & formula uerborum prolixius disceptare: minari occœpit, eum, ni pareret, infortunium habiturum. Cæsarem iamdudum in principum senatu eum operiri, & moram indignè ferre: sponte proinde faceret, quod inuitus frustra disceptando exemptis horis facturus esset. Tum demum Hessus acerba denunciatione motus, ne uindicem seueriorem cunctationis Cæsarem experiretur, ad hunc modum conditionibus subscripsit. LIBERI, PII, GENERALIS CONCILII DECRETIS, QVO NONMINVS CAPVT QVAM MEMBRA REFORMETVR, SE VELLE PRAESTARE OBEDIENTEM. VT MAVRITIVS ET BRANDEBVRGENSIS SE PRAESTATVRI ESSENT. Isti enim secretò paulo antè ita cũ Hesso in transigendo collocuti fuerant, decerneret Concilium quæ uellet, eorum se nullam habituros rationem, nihilq; pensi, dederantq; copulata dextra fidem, à confessione Augustana

ſe nõdiſceſſuros. Hac fide confirmatum Heſſum, Mauritius & Brandeburgeti
ſis Electores ſub quintam ueſpertinam in regiam ad Cæſarem perduxerũt. In-
gens hominum nobilium uelut ad ſpectaculum effuſa multitudo hâc confluxe
rat, eum uiſuri, quem toties prædicaſſe audiuerant, malle dubia rerum omnia
periclitari, quàm ſupplicem ſe ad genua Cæſaris aduoluere. Vbi ad Cæſarem
uenit, nudo capite ſe in terram demiſit. Ibi cancellarius eius Guntherodus hu-
iuſmodi orationem, quam de ſcripto recitauit, pro illo habuit. Lãtgrauius Heſ
ſiæ Philippus, Cæſar inuictiſsime, hoc bello grauiter in te peccaſſe, & maieſta-
tem tuam imminuiſſe cõfitetur: cur iuſta offenſa ſeuerè in ſe animaduertere poſ
ſes. Nunc quando peccaſſe ſeſe, inſaniſſe, & alios in inſaniæ ſuæ ſocietatem pel
lexiſſe pœnitet, clementiæ tuæ fiducia & promiſsis, in tuam poteſtatem ſe per-
mittit. Orat igitur te, ut quantum admiſſum eſt peccati, ſibi condones, memori-
am anteactarum iniuriarum obliteres, proſcriptionem iuſtam aboleas, & inte-
grum ſe ac paternum regnum reſtituas, Quantum rerum poſsidet, ſi in fidẽ re-
cipias tuam, pro ſingulari beneficio ducet: tum enim tuo beneficio uetus ſuum
nomen, domeſtica iura, immunitates, patrias q; leges licebit tueri. Quoniam
autem ex animo prædicat (taciturnitas pro confeſſione eſt) te à Deo optimo
maximo ſibi patronum in terris unum datum: deinceps te ijs obſequijs, quib.
par eſt, & Imperij maieſtatem obſeruabit, ut paratus ſit obedienter, quo ad
uiuat, mittendis auxilijs armatis ſeruire, & imperata facere. Fidem in eo nul-
quam deſiderabis: quin ea, quibus maieſtatem tuam uiolauerit, pro opibus &
copijs dabit operam, ut officijs penſet, ut omnes gentes humanæ ſciant, Lant-
graujum nunquam tanti beneficij immemorẽ fuiſſe. Adea Cæſar per Geor-
gium Seldum oratorẽ. Quãuis Philippus Lantgr. grauiora in ſe admiſit, quã
ut ulla pœna ſcelera ipſius expientur, ut ipſe non obſcurè confitetur: ego tamẽ
ea clementia, quam in alios declarauit, inſita uſus, quòd pro eo illuſtres Princi-
pes deprecati ſint, non abnuo, quin proſcriptio & priuilegiũ de capite eius la-
tũ aboleatur, & in totũ obliteretur. Sed et capitis abſoluit, cũ in perpetuã quidẽ
cuſtodiã meritò dãnari debuiſſet. Ad hęc, ppter eoſdem deprecatores, futurũ
eſt, ut nebonis, agris, poſſeſsionibus quidẽ noxã luat amplius, quã in conditio-
nibus expreſſum eſt. Popularibus eius omnib. & clientibus hac lege noxam
inſuper condono, ſi pactiones initas, conditiones q; tabulis ipſorũ uoluntate da-
tas, acceptas q;, & cõprobatas ſeruent obediẽter, & tantũ beneficiũ meũ in per-
petuũ agnoſcãt. Hęc dicta, acta q; fuere p̃ſentib. Maximil. Auſtriaco, Philiber
to Allobrogo, Duce Albano, Pruſſorũ Magiſt. Atrebatẽſi, Numburgẽſi, Hilde
ſemio, epiſcopis: Hẽrico, Erico, Carolo, Philippo, Brunſuicẽſib. Legatis P. R.
Bohemiæ, Daniæ q; Regũ, Ducis Cliuẽſis, ac ciuitatũ quarũdã maritimarũ, prę
ter imẽnſam nobiliũ procerũ Germanorũ, & exterarũ gentiũ multitudinẽ, q̃
ad eius rei ſpectaculũ cõfluxerat. Heſſo nihil amplio ſupreſſe ratus, niſi ut actis
Cęſari pro beneficio, & tãta eius clemẽtia gratijs, liber abiret, genibus fortaſsis
inſidendo fatigatus, aut longioris moræ tædio, iniuſſus ſurrexit. Obſtupuit pau
liſper, ſibi à Cæſare pro eius conſuetudine dextrã non dari, neq; in pedes ſe eri-
gere iuberi: inde cõmotus nonnihil fuit, q̃d corã cũ animi dolore Brũſuicenſes
in cõſeſſu uideret, quos ipſe captiuos in cuſtodia ad id tẽporis uſq; per aliquot
annos habuiſſet, ſuæ tragœdiæ cũ tacito gaudio præſentes ſpectatores: ut caſus
rerũ humanarũ ſũt lubrici, ludibria, & uicisſitudines uariæ. Tãdẽ Elect. Brãdeb.
ipſũ adit, atq; unà cũ Maurit. ad cœnã ſecũ ab Abano in arcẽ honorificè uocatũ
docet: atq; ibi q̃ ſupeſſẽt, trãſigẽda. Mirari aliqs meritò poteſt, tã ſagacẽ in alijs
dubijs reb. Principẽ, tãq; oculatũ, fraudẽ rectã ex his ſignis nõ ſubodoratũ fuiſ-
ſe: cũ ex uerborum pacis formula ambigere, q̃d futurum eſſet de ſe, potuiſſet:

præ-

præcipuè cum ab Atrebatensi responsum fuisset, legum pacis explicationem à Cæsare solo expectandam esse. Vbi ad Albanum in arcem uentum est, horæ aliquot inter cœnandum exemptæ sunt ijs colloquijs, quibus Principes inter pocula ludere solent. Sublata cœna, proferuntur ad fallendas horas aleæ, quibus plericq; mortales plus quàm humanis liberalibusq; studijs delectantur. Dum ille ludit, Brandeburgensis & Mauritius de mensa surgunt, ac semotis arbitris seorsim quædam cum Albano & Atrebatensi secreta colloquia in aurem serũt. Extracta alea iam in multam noctem erat, cùm Hessus ab Electoribus de mensa omissa alea aduocatur. Ibi fidam suam operam, & Cæsaris uoluntatẽ, per Eustathium Schlebum commemorant. Se quidem semper quæ potuissent, quęq; uiros principes, tum amicos, tum affines decerent, obnixè præstitisse: plura super datam fidem, si licuisset, præstaturos. Eaq;, quæ priuata sua fide interposita fuissent polliciti, hactenus seruasse, & eandem ab alijs quoq; speraſſe seruatum iri. Nunc audire se ab Albano & Atrebatensi dici, ipsi in arcem pernoctandum, & quidem in custodia peruigili esse manendum, quo tristius sibi nihil auditu accidere potuerit: quòd prẽter publicam, priuata data fide, promisissent, sese eum in potestatem uictoris non tradituros esse. Conuenire tamen Cæsarẽ se uelle, & de ea re cum ipso disceptare: spem haud dubiam affulgere, fore ut dimitteretur. Hessus, uir ingenio ferox, ad hos sermones primùm uehementer suspirio & gemitu edito turbatus fuit: inde cùm animũ uellet uincere, & eius magnitudinem præ se ferre, Quiduis, inquit, prius audijs fuerã mihi polliceri, quã ut tam iniquè contra ius gentium mecũ ageretur. Cæsaris primùm inde uestrã, quam non minoris feci, fidem priuatam, non arbitrium cuiusquã sequutus, uoluntate mea, non coactus huc ueni. Ipsi nostis, nec potestis dissimulare: qui mihi, liberisq; meis iureiurãdo interposito, si quid perfidiæ, aduersiue accideret, uos ipsi obnoxios feciſtis. Redimite igitur iam uestram fidem, quò nomẽ & dignitatem uestram apud omnes mortales tueamini. Quod ni feceritis, perfidiæ, quam aliquando luetis, Deum iustum uindicem expectate. Lenta quidem eius ira & indignatio est: sed grauiori casu ac ludibrio eam lentitudinem pensare solet. Mauritius sedulò, quod potuit, se de crimine perfidiæ excusabat, & Brandeburgẽsem: Deum & omnia sacra testati ambo, huius consilij exortes se, & ignaros fuisse: cum pleraq; nobilitate Electoris Brandeburgensis ea nocte apud eũ conquieuerunt. Postridie, ut promiserant, ad Cæsarẽ accedunt, ac uerecundè cum eo expostulant, tantam infamiæ notam sibi & posteris suis iniuri: existimationemq; sui non solum per Germaniam, sed etiam apud omnes gentes in sempiternum labefactatũ iri: audituros perfidiæ, traditionis, proditionisq; scelera, præter meritum. Hinc cædes, hinc bella, simultates, odia, insidias latrocinãtium in modum, populationes agrorũ, incendia, uastationes, excidiaq; exoritura. Si uel leuissimus, inquiunt, custodiæ odor fuisset obiectus, nunquam illi prodeundi in maiestatis tuæ conspectum authores ue fuissemus: neq; ipse Lãtgrauius huc uenisset, ubi nihil præter turpem captiuitatem morte grauiorẽ exspectasses. Saltã nostri, qui pro eo deprecati fuimus, ratio sit, ut ille non mereat: ac in pacatum abire, integris conditionibus, permitte, id quod nos priuatim etiam data dextra, tua publica fide freti, futurum promisimus. Ad ea Cæsar: Non nego, me illi cauisse: sed in perpetua custodia eum non esse retinendum. Nunquam alia mea uoluntas, nunquam alia sententia fuit. Electores cum reputarẽt, libidinem plus quàm fidem ualere, digressi à Cæsare, ad eos uenerunt, quorũ maximè consilijs uteretur, in primis Atrebatensem episcopum: cum quibus acriter altercatum fuit. His fidem tum publicam, tum priuatã tuentibus: illis mẽtem Cæsaris, & pacis uerba interpretantibus: cũ contentio in serum propè perducta fuisset, Lantgrauio illi per nuncium significant, præstitisse se, quod pridie

promisissent. Egisse de hac re cum Cæsare, & quid is inuicem respõderit: quid postea cum Attrebatẽsi, & alijs. Discederet ex arce, & urbe, si uideretur, imperterritus. Ille reputans ex abitione fraudem, renunciari iussit, abiturum se quidem, si saluus in ditionem suam deduceretur. Oritur ibi ab integro nouum certamen inter Cęsarem & intercessores duos, ut cui publica pax ad conueniendum concessa esset, eam ipsam eidem iure gentium ad discedendum negari non debere. Cùm hic eorum conatus frustra desudatus, nihil æqui obtineret, biduo antè quàm Cæsar Hala discederet, Lantgrauio denunciari iussit, ut se proficiscentem comitaretur. Ille abnuit id se facturum, nisi ui obtorto collo inde abiperetur. Noua rursum hic difficultas perplexa, Electores sollicitos habuit, metu ne ad uim res erumperet. Hi Lantgrauium obtestantur, ut sponte id faceret, cùm in uictoris potestate esset, quod inuitus, & sine gratia facere cogeretur. Amplectentes dextram insuper spondent in concione nobilium, se à Cæsare, nisi eo restituto, non abscessuros. Vbi dies uenit, cum Cæsare Numburgum proficiscitur. Ibi Hesso per Carlebicium denunciant, se id agere, ut promissi fidem præstent. Sed cùm ipsi à Cæsare domos suas facessere, ne ad aures obtundendo assiduò illi amplius odiosi forent, iussi essent, ac nisi abirent, uelle etiam in Hispanias in custodiam mittere, præsentem necessitatẽ boni consuleret, quòd longius non sequerentur. Ita tamen se accepisse, si imperatam pecuniam C. L. aureorum millium solueret, ac cõditionibus dictis satisdederit, intra quatuordecim dies eum dimissum iri. Comitia Augustam edicta, quò Ordines Imperij frequentes conuenirent, in kal. Septembris producta esse. Interea omne suum studium ac fidem præstaturos. Ad ea Hessus. Quod ad pecuniam conficiendam, & euertendas arces, non esse quòd laboraretur. Simul omnes statim arces, una excepta, dirui iussit: machinas æneas, quibus illæ instructæ erant, tradit: pecuniam imperatam, præsentem pependit: ratus hac obedientia perpetrata, se breui libertatem suam redempturum. Cæsar tormenta Francfurtum, ubi armamentarium nobile habebat, ut prædam & hostium spolia per triumphi speciem secum aueheret, portari iussit. Ea quæ Vuittemberga tradiderat, partim Mediolanum, partim Neapolim misit. Inde CC Lantgrauio adempta, Cẽ Gotha auecta, præter parem minorum operum uim, quæ imperata confœderatæ ciuitates tradiderant, Mechliniã deuexit. Reliqua in Hispanias, monumentum apud posteritatem eius gentis nobile, transportauit. Hessus per Thuringiam, Hispanis armatis septus, Greuentalum (separatim enim custodiebãtur Saxo & Hessus, ne quod colloquium, aut qua consilij communicatio esset) uenit. Ibi tabulas fidei publicæ à Cæsare datas, & pactionis formulam Albano obtulit legandam: rogatq; ecquid haberet, quod ad eas respondeat. Ibi Albanus fatis ferociter, (ut est ea gens asperior in summissos, & maiori fortunæ assuetos) Cæsarem eius deprecatoribus nihil præterquàm de perpetua captiuitate promisisse. Suasor ad infringendam fidem ferebatur is tum fuisse. Quis ergo, inquit Lantgrauius, captiuitatis meæ annorum circumscriptus est numerus? Tum Albanus pari insolentia ferociter: Ne contra promissi quidem fidem Cęsar uictor fecerit, si uel xiij, aut amplius etiam annos te in custodia detinuerit: quem tu terminum illi statuas? in potestatem nunc redactus? Pontifex Max. nuncio clarę uictoriæ accepto, tam immodica lætitia perfusus fuit, ut Carolum V. Cęsarem Maximi & fortissimi, omnium Cardinalium plausu & suffragijs, appellatione decoraret. Per eos dies Saxonis captiui filius natu maximis ad Cæsarem, qui tum in Thuringa erat, patri imperatas conditiones comprobaturus, uenit. Sũma cum humanitate à Cæsare exceptus, auditis postulatis, rogatusq; ab eo fuerit, num uulnera in capite ac manu accepta in prælio, obducta fuissent? Saxo adoleseens comi illa Cæsaris appellatione exhilaratus, facetè uicissim Cæsari respon-

respondit. Inde Norimbergam Cæsar iter flexit, ut ad Bohemicum bellū, quod Ferdinandus Rex perficere decreuerat, ad quod fratri octo peditum Germanorum signa auxilio miserat, è propinquo intentus esset. Rex Lætmiriciæ acceptis ijs quæ à Cæsare circa Halam de Hesso acta essent, Pragensibus per literas mandauit, ut ad sextum diem Iulij, in arcem Pragēsem, ad causam dicendam cōuenirent. Adfuit Rex ad dictum diem. In hoc conuentu eos acerbè maiestatis reos agit, quòd cum cōmuni hoste fœdus pepigissent, sumpsissentq; cum magno regni motu in se fratremq; arma. Iubet eos coràm ibi causam dicere, ne quid indicta causa decerneretur: secq; quod possent, expurgarent, quando factum inficiari non possent. Ibi primæ factionis proceres Pragenses culpam deprecari supplices, & Regis arbitrio se permittere. Rex à filio Ferdinēdo, & Augusto fratre Mauritij exoratus, has conditiones illis imperauit. Fœdus ictum cum Saxonibus rescinderet, tabulas immunitatum omnes in suam potestatē traderent, ut in ijs ipse quæ uideretur corrigeret: alia aboleret, in quarum locū alias tabulas sufficeret. Tribuum quoq; & sodalitiorum tabulas, è quibus ceu fonte omnes tumultus coorti fuissent, tradi iussit. Arces dederent, tabulasq; fœderis cum Saxone percussi. Super hæc uectigal ceruisiarum in annos tres imperatum, perpetuum esset. Aenea tormēta omnia, globos, puluerem tormentarium omnem, quantum eorum in urbe esset, in arcem comportarent. Quantum bellicorum operum, armorum, telorumq; ciues priuatim haberent, in curiam conferrent. Hæc si obedienter imperata parati essent præstare, multitudini se parsurum dixit: præter quosdam, quos capitis anquirere, ut meriti essent, decreuisset. Quinquaginta captiuorum, qui in carcerem ducti fuerant, dimissis, cum hæc ad populum relata fuissent, imperata fecerunt. Citantur causæ dicendæ gratia nobilium aliquot proceres, qui iudicij ac pœnæ metu ex urbe abiò concesserunt, certo consilio, ne causam dicerent, & in uincula ducti de capite periclitarentur. Pragensium exemplum aliæ ciuitates Bohemiæ secutæ, & ipsæ imperata lubentes fecerunt. Caspar Pflugius, quem suprà summæ rerum Bohemici belli præfectum fuisse à confœderatis memorauimus, cùm ad productum diem uocatus, ad dicendam causam non ueniret, absens maiestatis dānatur: & in caput hominis tradenti, quinq; aureorum millia decernuntur. Ad istum maximè modum procella, quam factio Bohemica in Regē excitauerat, sedata, è Lubeco legati ad Cæsarem uenerunt. Hi fœlicitatē & uictoriam gratulati, docuerunt, se neq; auxilia, neq; stipendium aduersus eum hostibus misisse, neq; in fœdus Schmalcaldicum discessisse, neq; conprobasse unq;. Respōsum legatis fuit, Cæsarem id gratum habere, & eos laudare: id quod ipsorū reipub. bonum et faustum esset futurum. Iisdem temporibus Bremenses, qui nuper obsidione libertati, obstinati imperata facere abnuerant, per Danorum Regem ad perpetrandam pacem solicitè instabant. Hamburgenses legatione Norimbergam missa, & ipsi in gratiam recepti, noxam grandi pecunia luerunt. Saxo & Lantgrauius à Cæsare aliquandiu per Germaniam circumducti, postremò in Brabantiā in triumpho ducti sunt: quorum ille Cæsarem captiuus sequutus deinceps, hic uerò Veterem Nerdam (oppidum id Flandriæ est) in arcem ceu carcerem missus fuit. Sed cum ea custodia liberior illi esse cœpisset, quàm tutū uideretur, Mechliniam in arctissimam custodiam traductus uenit: ubi ab Hispanis Argo uigilantioribus custoditus per aliquot annos, tanquā in exilium relegatus uixit: donec Cęsare Mauritianis armis ex Oenoponte in Carinthiā pulso, ambo in prouincias suas remissi fuerunt,

Finis libri septimi & vltimi.

DESCRI-

DESCRIPTIO PV

GNÆ, QVA IOANNES FRIDERICVS DVX SAXONIAE A CAESAREAE MAIESTATIS EXERCITV uictus & captus est, non procul ab oppido Saxonię Mulberg. die XXIIII. Aprilis Anno Dom. M. D. XLVII.

ANNO post natiuitatem Domini nostri Iesu Christi M. D. XLVII. Cum Cæsarea Maiestas collectis copijs auxilijsq; in Misniam peruenisset, castraq; ad Torrentem lana, inter oppidula Lumitium ac Mugelam posuisset: Dux Saxoniæ Ioannes Fridericus Elector hac de re certior factus, suo cum exercitu ex Misna oppido, ubi dies aliquot statiua habuerat, trans Albim mouit, Ac quo minus Imperatoriæ Maiest. facultas insequendi daretur, pontẽ sublicium, à ueteribus magna industria, multisq; impensis constructum incendit, ac copijs suis secundum Albim ductis, ad Mulbergam Saxoniæ oppidum castra locat. Hæc cùm Cæsarea Maiestas ex sa luxit, qui erat VIII. kalend. Maij, diesq; Domino sacer, toto cum exercitu ad Strelam contendit. Id castellum in monte situm supra Albim, stadijs à Mulberga ferè octo abest. Hîc ubi castra posuisset, quidam ex Maiestatis suæ exercitu, palantes ad ea loca peuenerunt quorum è regione Dux Saxoniæ castra habebat, ac simul se utrinq; cõspexêre, sclopetis inuicẽ sese trãs Albim petere, donec prima acies fatòne, an casu, ad idem loci aduentaret, quam totum agmen ordinibus factis pònè sequebatur.

De his cum Duci Saxoniæ nunciatum esset, qui eadem hora sacris intererat, adduci non potuit, ut Imperatorem instructis copijs adesse crederet. At cum equitatus Hungaricus, qui uulgò Husari appellantur, unà cum sclopetarijs Hispanicis (: hi enim in prima acie collocati erant:) Albim flumen attigissent, tantum repente prælium sclopetis est commissum, ut Saxones pontem, quem nauibus in flumine fecerant, incendere, ac littus relinquere, oppidumq; Mulberg petere cogerentur. Interea Cæsarea Maiestas machinas, quas bombardas uocant, eò quod bombum ardentem magna ui expellant, ad littus fluminis adduxit. Quo uiso, Dux Saxoniæ cum suis consilio inito, locum deserere, ac Vitebergam, Ducatus sui metropolim munitissimam cum exercitu profisci statuit. Decertare enim cum Imp. Maiest. id temporis parum uidebatur opportunum: Si quidem copiæ suæ trifariam aut quadrifariam per prouincias suas erant dispersæ, nec in tam celeri, ac insperato Imp. Maiest. aduentu in unum congregari locum potuerant. Idcirca impedimenta cum lixis & bombardis bellicis præmittit, quibus præsidij causa paucos milites adiunxit. Decem lignis peditum, ac septem turmis equitum, ad sui custodiam reseruatis. Hæc ita dum fiunt, Hispani quidã nudatis corporibus ac gladijs, quos ore tenebant, sese quã celerrimè in flumen coniecêre, ex his nonnulli flumen tranatarũt, pars aquis submersi, quidam uerò pontem naualem, ita ut ardebat, religatum ad littus adduxerunt, his nauibus usi, plurimi ex Hispanis flumen trãsire: Quîs Dux Saxoniæ una equitum parte aliquandiu transitu prohibuit, quo tutior suis esset discessus. Ac cum loca illos tuta attigisse existimaret, deserens Albim, suos instructa acie subsequutus est. At postquam Hispani littus ab hoste desertum

ſertum eſſe cernerent, plurimi ex ijs flumini ſe credentes, nando traijcere contendebant. Quorum pauci aduerſam ripam attigere, plurimi uerò pernicitate fluminis rapti, aquis oppreſsi, ſuffocati ſunt. Qui flumen traiecerant, cum de diſceſſu Ducis omnia explorata habere, Cæſareæ Maieſt. nunciatum hæc renatã do, quam citiſsimè poterãt uenire. Ad quorum nuncium peropportunè Imp. Maieſt. hominem quendam ruſticum nacta eſt, qui per Albim uadum doceret. Quo per Germanos, Hiſpanos & Huſaros equites explorato, Cæſarea Maieſtas confeſtim equites mille uadum tranſire iubet, qui primum ac flumen ſupertarunt, ſeſe (ut illis mos eſt:) paſsim per omnia itinera diſperſerunt. Quos equites à Duce poſt oppidum Mulberg in id collocati, ut Cæſareanos ab inſequendo arcerent, adorti, ad flumen uſq; extemplo propellabat, Ac his propulſis, lõgius eos inſequi deſtiterũt. ſeu quod rebantur, ſatis ſe officio ſuo functos eſſe, ac Cæſareanos ſemel in fugam uerſos, denuo tentare pugnam nõ audere. Seu quod fortuna Cæſareæ Maieſt. id ſic diſponebat. Mox enim in campos, quam longiſsime ab Albi ſe receperunt. Quod Cæſareanis & colligendi ſe, & cum hoſtibus iterum congrediendi peropportunam præbuit facultatem. Primùm igitur ac ſeſe collegerunt, receptis, auctiſq; animis, Saxonicos inuaſêre, quorũ animi hac inſperata Cæſareanorum audacia non mediocriter frangebantur, at ita ad primum Cæſareanorum impetum, collem in quem ſe receperant, ſenſim recedendo deſererent. His cognitis Cæſarea Maieſt. omnem equitatum cum Huſaris propria perſona traduxit, Regia Maieſt. Ducibusq; reliquis qui Imperat. Maieſt. caſtra ſequebantur comitantibus.

Dum hæc fiunt, pons in Albis fluuio nauibus eſt inſtructus, per quem pedeſtres copiæ, ac machinę bellicæ traducerentur. At Cæſarea Maieſt. his non expectatis, equitibus inſtare, & quantũ curſũ acuiribus poterat hoſtem inſequi. Quem tertio tandem milliario, ab eo loco, quo Albim tranſierant, prima acies adorta eſt, circa ſyluam, quæ ab arce Loch ibi ſita Lochiana appellatur. Hîc inſtructa acie Dux incedebat, pedites ſyluam pro munitione habebant, ex uno latere equitatum, ex altero ſclopetarios, ad quos paludes & foſſa, eo loci facta (: fortè adueri uãdum ex agris iniuriam humiditatum:) difficilem Cæſareanis accęſsum præbebant. Machina bellica, ſicut & Cęſareanis, nulla erat, præmiſerat nanq; eas Dux (: ut ſupra memorauimus:) cum lixis & impedimentis. Quare nullum ex eis Duci ſubſidium, neq; Cęſ. Maieſtati detrimentum ullum eſſe poterat. At cum Cęſarea Maieſt. cum eo agmine quod ductabat, ad primã ſuam aciem deueniſſet, omnisq; equitatus in unum locum congregatus eſſet, Huſaris, leuioribusq; armaturę equitibus, mandatum eſt, uti relicto hoſtium equitatu, peditum ordines inuaderent, Dux autem Mauritius ſuo cum equitatu hos inſequeretur, ac ſi qua poſſet, in hoſtium equitatum impreſsionem faceret. Facto igitur impetu ab utraq; parte, maxima contentione ſclopetis prælium eſt initum. Saxonum uerò ſclopetarij, cũm ſine magno fructu, globos in Cęſareanos nimis properanter emiſiſſent, cumq; temporis tanta eſſet exiguitas, Mauritiusq; Dux tam acriter inſtaret, ut ſclopetas denuo onerare minime poſſent, facile diſsipati, ac in fugam uerſi ſunt. Quos equites pręuenire magis, quam imitari maluerunt. Ad primam nanq; Cęſareanorum impreſsionem terga uerterunt, ſuorumq; peditum ordines effuſa fuga perturbarunt. At hi ordinibus utcumq; inſtauratis, magnis animis impetum Cęſareanorum ſuſtinuerunt, ac aliquandiu fortiſsimè pugnauerunt. At cum ab Huſaris, & leuioris armaturę equibus, undiq; abſq; omni miſeratione cęderentur, pars maxima ex his occiderunt. Qui curſu ualebant, fuga quęſiuerunt ſalutem, quorum pauci tamen hoſtiũ manus euaſerunt, plus minus CCC, multis uulneribus acceptis, capti ſunt: Quos Cęſarea Maieſt. clementiſsimè accepit, Vulneribus eorum ex mandato

ſuæ

ſuæ M. obligatis, tertio die poſt libere quò uellent ire demiſit. Diſſipatis itaq; cæſis ac in fugam uerſis Ducis Saxoniæ copijs, Huſari & equites Hiſpani, ſiue Neapolitani, hoſtium equites paſsim, ita ut in fuga eos adoriebantur perſequi, ac occidione occidere ſatagebant, pars longius ſecuti, lixas, calones, cum impedimentis, Bombardis, & alijs ad bellum neceſſarijs in ſyluis interceperunt. Dux uerò ipſe cum paucis ſuorum, non ita multum ab eo loco, quo pugnatum eſt, circa eam ſyluæ partem, quæ à porcis ſylueſtribus nomen habet, Vulgo *der ſchwein art*, à plurimis circumuentus eſt: Qui primum ac in conſpectu Ducem habuere, ut ſeſe eis dederet, poſtularunt. At Duce cum paucis ſuis egregie ſtrenueq; ſeſe defendente, proq; libertate ſua fortiſsimè pugnante, euenit, ut in ſiniſtra faciei parte uulnus infligeret, q; accepto, ſatis cernere, ſe minime parē eſſe, qui tantis uiribus, quibus impetebatur, reſiſteret. Ideò ad deditionem ſpectare. At cum tres nationes, Germani ſimul ac Hiſpani cum Huſaris, quælibet pro ſe, ut ipſis ſeſe dederet, inſtarent: nulli ſe quam uno, nobili Germanorum genere nato, Thil Trotiēſi nomine, admodum iuueni dedere uoluit, Cui & duos, in huius rei teſtimonium, annulos aureos, quos digitis ſuis detraxerat una dedit. Captum ergo Ducem, equites Neapolitani ad ſe acceperunt, ac conſeſtim ad Ferdinandum Ducem Albanenſē etc. deduxerunt, qui nulla interpoſita mora, hæc ut geſta erant, Cæſareq; Maieſt. nunciauit. Hoc nuncio accepto Cæſarea Maieſt. captum Ducem ad ſe adduci præcipit, quod prædictus Dux Alban. Cæſ. Maieſt. ſummus equitum præfectus, tertio recuſauit, ſubinde admonens, Imp. Maieſtatem, ut fert primus animi cōcitati impetus, poſſe aliquid grauius in captum, aut dicto factoue committere. At inſtante fortius Cæſ. Maieſt. iubenteq;, ut Dux captus ad S.M. adduceretur, uoluntati S.M. ſatisfactum eſt. Hic inter eundum, Dux captus, oculis in cœlum, de quo unicum iam præſidium ſibi exſpectandum erat, ſublatis, imoq; multis ex corde ductis ſuſpiriſs, Voce miſerabili ſic Deum alloquitur. MISERERE MEI DOMINE, NOS SVMVS IAM HIC. Ac cum propius ad Cæſ. Maieſt. accederet, ait clementiſsime Cæſ. (: cuius orationem Cęſ. Maieſt. mox interrupit, dicens, Sicſic, iam ſum clemens Cæſ.) pergens uerò Dux captus, Cæſ. Veſtræ Maieſt. captiuus ſum, aiebat, ob id V. Cæſ. Maieſt. ſupplex oro, ut me dignetur cuſtodia digna Principe, Ad hæc Cæſ. Maieſtas. Sic, quemadmodum eſtis meriti abducite eum hinc, ſcimus quid nos deceat. His ita tranſactis Dux Ioannes Fridericus ad Magiſtrum de Campo, qui eius, aliorumq; captiuorum nobilium, cuſtodiam ageret, deductus eſt. Ac mox permiſſum, ut quorum opera ex ſuis uti uellet, hos ad ſe accerſi iuberet, qui magna ante ex parte Vittēbergam profugerant. At ſimul ac uocati ſunt, frequentes aduenere, dominoq; ſuo etiam in captiuitate fideliter inſeruientes. Dux ipſe eodem curru, quo ante captiuitatem Vſus eſt, poſt Cęſar. Maieſt. Vehi ſolet. Cuſtoditur ſclopetarijs Hiſpanicis, cętera quam laudatiſsime honeſtiſsimeq; tractātur. Dominus noſter Ieſus Chriſtus, omnipotentis Dei patris ętternus filius, quoniā et ex beatiſsima ſemper uirgine Maria, carnem ſuſcipere, nos dignatus eſt, quo ex mortali uita, ad immortalitatem, ex terreno ac perituro, ad regnum cœleſte ac perpetuum, Nos ſanguine ſuo mediante traduceret, ſic ſpiritu ſuo regat corda Cęſareq; Regięq; M. M. omniumq; totius orbis Principum, ut pax firma in Eccleſia Chriſti conſtituatur, quo Regnum cœleſte in nobis indies creſcat magis, per Ieſum Chriſtū Dominum noſtrum

Amen

Deus cuſtodiat ac conſeruet omnes, qui pacem ac ueritatem diligunt

INVESTITVRA REGALIVM ELECTORALIS DIGNITATIS, NONNVLLORVMQVE ALIORVM DOMINORVM

Mauritij Ducis Saxoniæ 24. Febr. An. 1548. Augustæ facta: ubi simul & uestitus & incedendi, sedendiq; in publicis huiusmodi alijsq; celebritatibus Cæsaris aut Regis Rom. & Electorum ordo describitur ab

MAMERANO LVCEMBVRGO *descripta.*

MAMERANVS *ad Lectorem,*

Et si principibus deberet certus haberi
Ordo, loco quo quis usq; sedere queat,
(Est Electorum tamen unicus ordo sedendi
Et certus semper, undiq; lite carens.)
Non tamen ad normam cunctis bene conuenit unam
Principibus, reliquisq; Imperij ordinibus:
Hinc ego non certam potui hic quoq; ponere formam
Sed quam communis sessio habere solet.
Nemo ergo debet, quicunq; sit ille, sedendi
Ame hic præscribi iure putare sibi.

REVERENTISSIMO, ILLVSTRISISMOQVE PRINCIPI MELCHIORI, EX NOBILI ZOBELIORVM FRANconiæ familia, Episcopo Herbipolitano seu Vuirtzburgo, Duci Franconiæ, Mameranns.

IN descriptione eius sollennis actus Cæsaris & Electorum, in quo Mauritius Dux Saxoniæ, Electoralis dignitatis inuestituram suscepit, Clarissime Princeps, ordinem & incedendi & sedendi, Cæsaris aut Regis Romanorũ, Principumq; Electorum, in publicis celebritatibus eum posui, qui in Aurea, quam uocant, Bulla per Carolum IIII. Imperatorem, Norimbergæ Anno 1355. erecta, exprimitur, & in hodiernum usq; diem firmus & inconcussus obseruatur. De Principum præterea Imperij non Electorum, reliquorumq; Imperij Statuum sessione, & si inter nonnullos de eo sedendi ordine nondum adhuc satis, & ex toto conuenit, tamẽ uti communiter ferè sedere soleant, figuram adponere, haud præter propositũ omnino fore duxi. Pauci autem sunt, & ex Principibus tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, & ex reliquis Imperij ordinibus, qui inter se de hoc sedendi ordine dissentiant. Interdumq; honoris gratia sibi inuicem alij alijs deferunt: Inuenias tamen ubi pertinacius suo quis iuri, quod habere se existimat, inhæret, adeo ut potius in sessione comparere nõ uelit, quàm alteri cedere inferior. Quamobrem nolui hic ualde esse anxius, omnia exquisitè nimis peruestigandi, quæ præterea forsan ex ea re adponi possent, tum ob contentiones: tum quòd huiusmodi libelli, ut res extemporaneas continent, ita nec perpetui sunt, nec in usum hominum perinde utiles aut necessarij, nisi quantum ad sedendi ordinem aliquo modo cognoscendum spectat. Et ob id superuacaneum est multum seriæ in eos operæ collocare, ut elaboratius quid continere uideantur. Quanquam si exacta omnia peruestigari, & ad amussim poni deberent, haud sanè minimum diligentiæ requirerent, quamlibet in speciem minuti adpareant, ut penè nullius momenti esse uideri possint. Id quod tamen nonnulli haud ita candidè considerant, quorum nimirũ animis semper

ſemper in calumniã, quàm in rationẽ & ſanũ ludicium pronior inclinat. Quiſi ipſi tale quidam cudere deberent, & in libellum cõgerere, uel minoris etiam induſtriæ, non decima forſan pars ſatis ſibi cohæſura eſſet: Non autem loquimur hic niſi de ijs libellis, in quibus de rebus Principum uarijs, & non leuibus pertractatur, ubi diligentia & iudicium magis requiritur, temporiſq; in maturitatem diuturnitas. Ad quod tempus ab hominibus ocioſis prę tædio, quod ex ocio percipiunt, deducendum, fallendumq; uaria ſæpe luſuum genera & exercitamenta conquiri ſolent: quod illis nimis prolixum adparet, tardeq; nimis & nauſeanter abire horæ uideantur, adeò ut eius rei prouerbium apud illos natum ſit, Pro deductione temporis uidelicet. Hinc ſtertunt illi & ſæpe & diu, aut oſcitanter uigilantes, uentri diditi uiuunt, alioue quouis modo ſupinè ocia terũt. Studioſis autem & qui ad res agendas nati ſunt, ac ocioſi nunquàm eſſe poſſunt, quiq; uitæ præſentis ad pauculos & incertos annos datæ fragilitatem: futuræ uerò æternitatem, & nunquàm finiendam cum Deo aut Diabolo permanentiam conſiderant, contrà omne tempus ſemper nimis anguſtum eſt, contractumq;, nimis auolat omnis hora feſtinanter, & ueluti de inopinato elabitur, ut ſemper de breuitate eius & anguſtia conquirantur, indoleſcantq; tam properanter effugere, & libenter, ſi fieri poſſe arbitrarentur, ad prorogandas omnes horas, diducendasq;, non deducendas, rationem conquirerent, atq; malint aurum ſæpe, quã perdere tẽpus. Quicquid aũt hoc minutę & leuis operæ noſtrę eſt, tuæ Illuſtriſsime Princeps, celſitudini pro raro illo tuo in omnes meliorũ diſciplinarũ ſtudioſos fauore ac benignitate offerre nõ erubuimus: licet enim multò maiora pro illa, qua & Vuormatiæ aliquando & hic uſus es in me liberalitate, deberentur, tamen pro tẽpore hæc minuta offerre in gratitudinis aliquod teſtimonium libuit.

Quæ ut pro candore illo tuo perpetuo & indeſinenti, boni
conſulere tua celſitudo uelit, & oro & obſecro. Vale
Auguſtæ Rhæticæ ſexto Idus Aprilis
M. D. XLVIII.

QVOMODO MAVRITIVS DVX SAXONIAE, ELECTORATVS, DOMINORVMQVE NONNVLLORVM Regalia & inueſtituram ſuſceperit. Simulq; quis ordo incedendi & ſedendi in publicis huiuſmodi ſolennitatibus, ubi Cæſ. aut Rex Rom. cum Electorib. uel alijſq; Principibus, & Imperij ordinibus adeſt, ſeruetur.

MAuritius Dux Saxoniæ Electoralis dignitatis Regalia & inueſtituram à Carolo V. Rom. Imp. Auguſto ſuſcepit 24. Febr. à meridie inter ſecundam & tertiam, Anno domini 1548. ſuper tabulato cathedrali pro chorearum domo Auguſtæ ſub aperto & nudo cœlo ante hoſpicium Cæſaris in foro uinario luculenter & magnificè extructo. Egreſſus Palatio cum Electoribus Cæſar, ipſum tabulatum conſcendit, quod per medium pertranſiens dictam chorearum domum ipſi tabulato & cathedræ à tergo contiguam ingreſſus eſt, habitu ſe in ipſa ad eam celebritatem ſpectante ueſturus, cum Maieſtatis Imperatoriæ corona ſimul adſumpta. Veſtitusq; inibi per Electorem Brandeburgum Archicubicularium unà cum ipſis Electoribus itidem ſuo habitu Electorali indutis, regreſſus in tabulatum, ſub uelamento aureo in ſolium tenui rubro uelamine ſericio ſuper aurea uelamenta, quibus ſeſſionis locus ueſtitus erat, ac puluinaria inſtratum reſedit

DE VESTITV CAESARIS.

Habitus Cæſaris is erat, quo Pontifices Miſſæ ſacrificium facturi induí ſolent: ſignificans Rom. Imp. Religionis Chriſtianæ adſertorem, promotorẽ & defenſorem ſemper & ubiq; eſſe debere: hocq; illi in primis & ante omnia incumbere,

cumbere, summæq; curæ & sollicitudini infinitæ semper esse debere. Constat autem is habitus hoc fermè ordine de imo usq; ad summum progrediendo.

Primò, caligæ sunt, quas Brussechinas uocant, paulò supra genu ascendentes ex nobilissimo illo rubro ostrino byssо, quod Carmesinum adpellant: suntq; eis adhærentes & connexi calcei ex utilosa rubra purpura, margaritis & gemmis seriatim per totum distincti & ornati.

Secundò, uestis longa & laxa, antè aperta, ex dicto ostrino byssо seu carmesino cum manicis, se uersus manus adstringentibus cum parua fimbria supernè & infernè ex panno coccineo seu rubro Scharlacho:

Tertiò, Humerale, quod uocant, ex lino albo & tenui cum unionibus à tergò & adamantibus ornatum.

Quartò, Alba, quam uocant, uestimentum ex lino albo, antè & retrò supra fimbriam sed & super manicis larga quadratura ex auro & margaritis, præcio sisq; lapidibus exornatum.

Quintò, cinctura alba, sericia cum nodo crasso & diuite, ad utramq; extremitatem ex punctis aureis circùm extantibus, frequentiq; & condensata unionum seu margaritarum rotundarum & grandium copia ornata.

Sextò, Stola ex auro tortili, flauoq; seritio filo circumuoluto phrygiata, cum cruce utrinq; ad extremitatem ex margaritis opulenta, & cum fimbrijs aureis exobiectu intextis.

Septimò tunica prima ex tortili flauis sericijs filamentis auro phrygiata: ad fimbriæq; & manicarum largos limbos ex margaritis, auroq; bracteata: intus ostrino byssо seu carmesino subdita antè & retrò clausa, ad latera utrinq; paulùm ab inferiore parte scissa & aperta.

Octauò, tunica secunda eodem modo facta, sed ex unionum nobilium copia opulentior, cum collari ex ijsdem contexto.

Nonò, Manipulus ex auro textus, rubroq; byssо subditus, cum crucibus de auro & margaritis concinnatis.

Decimò, Cappa chotalis, quam uocant, ex puris aureis filamentis per totum texta, cum bicipiti grandi Aquila ex nigro sericio filo super intexta. Eaq; supernè ad fimbriam, limbum seu fasciam largissimam habet ex unionum rotundorum & grandium, Adamantum, Smaragdorum, Saphyrorum, Rubeorumq; maximorum, quos Balesios uocant, diuite copia cultam. Supernè à tergo capitium de ceruice inter scapulas dependulum, ex margaritis, uarijsq; præciosis lapillis uariegatum est & distinctum cum Caroli Magni Imp. facie, supra quam cœlestis patris imago, item ex gemmis & lapidibus præciosis intextâ eminet. Quæ duæ imagines utrinq; Calpen & Abilam, Herculis columnas habent, intra quas Oceanus strictim immissus in fretum mediterraneum latè diffunditur. Ante cuius ingressum in ipso Oceano Balenæ undoso ueluti ac turbulẽto natatu fluctuantes, Smaragdos, Rubeosq; grandes, aliosq; uarios præciosos lapides ueluti procelloso eructatu intento e fluctibus euomunt. In apice eius capitij ab extremo nodus ex auro implicito textus cum filamentis infra se aureis exuago fluxu dependulis, maximoq; intermedio Saphyro dependet.

Vndecimò, Corona Cæsarea, intra cuius ambitum mitra Episcopalis bicorni acumine ac uertice exurgit. Hæc corona ad frontem, crucem habet ex quinq; maximis & per opulentis Adamantibus designatam, intra quos margaritarum nobiliorum concinnata series crucis figuram absoluit. Ab occipitio coronæ, duæ adpendiculæ ex auro tortili Phrygiatæ, rubraq; byssо cum fimbriolis aureis dependent. Tota autem corona cum ipsa intra se mitra, ex puro puto auro est, & circumquaq; ac per totum ex præciosorum peropulentorumq; lapidum diuite copia, ueluti Rubeorum maximorum, Adamantum, Smaragdorum & unionum

unionum uarlē in relucentiam gratam ac delectabilem distincta & exornata. Habet præterea semicirculum rectà supra mitram ambientē, instarq; ansæ recuruum & utrinq; in se reflexum.

Duodecimò, Chirothecæ ex puro bracteato auro textæ, margaritisq; ornatę, cum margaritarum unitarum nodulis ex filamentis aureis dependulis.

DE VESTITV ELECTORVM.

Habitus Electorum uestis longa est, larga & fluxa, in pedes usq; demissa, undiq; clausa, ut non possit nisi de iniectu superno à capite indui, cum largis item manicis ab ipsa separatis, quæ postea fasciola sub ueste post tergum protacta, in ipsam coaptantur. Et est tota unà cum ipsis manicis ex preciosis illis albis pellibus foras uersis reducto. Huic uesti collare in orbem, ex perpetua futura & contextu continuum ex ijsdem pellibus, sed pilis per totum foras uersis, cum plurimis earum pellium caudis circum dependulis, de capite itidem, sicuti ipsa uestis, injicitur, usq; in pectus, in ceruicem & super humeros, ac supernam brachiorum partem dependulum. ex quo fascia larga ex eiusdem uestis genere, & eodem modo pellibus subdita cum breui & stricto retortæ earundem pellium fimbriæ reflexamento, in tergum usq; dependet. Isq; habitus secundum Electorum statum & differentiam in materiæ seu substantię contextu uariat: in colore & forma atq; factura non uariat. Nam spiritualibus seu Ecclesiasticis ex præcioso illo ac nobili coccineo & rubro panno est, quem uulgò Scharlachum uocamus. Secularibus uerò holosericus est ex byssо rubro, hoc est, uilosa purpura.

Pileus, qui illis largus est, fluxusq; ex ijsdem albis pellibus subditus est, cum largo quoq; in ambientem limbum reflexamento, pilos itidem earum pellium foras uersos habente. Apexq; illi supernè in ipso uertice ex particula earum pellium caudatus est. Eodemq; modo, quo ipsa uestis in materiæ contextu differt, in colore & forma non differt. Sed tamen thoracas, caligas, & calceos ex rubro uel byssо, uel purpura soli Seculares habent: Ecclesiastici non habent, sed ex nigro panno aut serico.

Quomodo processerint.

Cæsarem è Palatio prodeuntem præcesserunt, Primùm duo columniferi, Symboli Cæsaris, Calpen & Abylam, nimirum Herculis columnas gestantes. Deinde Principes aliquot, ueluti Maximilianus Archidux Austriæ: Philibertus Emanuel Princeps Pedemontium: Vilhelmus Dux Iuliacēsis: Ernestus Archiepiscopus Salisburgensis: Vuolfgangus Magister Theuton: Melchior Episcopus Herbipolitanus: Mauritius Episcopꝰ Archstetēsis: Iulius Pflug Episcopus Numburgensis: Ioannes Episcopus Misnensis: Valentinus Episcopus Hildeshemensis: Maximilianus comes Büranus: Ioachimus Dñs à Rie Prefectus custodiæ Cæsaris: Philibertus Baro à Monfalconeto: & D. Iohannes Marinq de Lara œconomi Cęsaris &c.

Post hos ibat proximus Elector Treuerensis: Nam Heraldi, quibus proximus ante Treuirensis locus est, tum non aderant. Sed cùm uestitus Cæsar cum Electoribus è chorearum domo in tabulatum rediret, ac inde postea finita solennitate in aulam se referret, suo illi tum loco præibant.

Post Treuerensem proximi ibant duo Electores Seculares, Palatinus uidelicet globum mundi gestans, ac Brandeburgus sceptrum gerēs. Inter quos medius

dius locus Elect. Saxonię ensifero est, qui tũ cãdidatus Regalia Electoratus pe rebat. Deinde proximè post hos & ante Cæsarem, Marschalcus Imperij ibat, qui Cęsari ensem præferebat. Nam Rex Bohemiæ, cui proximus ante Cæsarẽ aut Regem Rom. & post Marschalcum, si Archimarschalcus Elector absit, in huiusmodi solennitatibus locus debetur, non interfuit, ut qui idem quoq; & ipse Rex Rom. sit. Marschalcum uerò Cæsar euestigio proximè sequebatur. Post quem duo Electores Ecclesiastici, Moguntinus silicet & Agrippinus proximi & postremi. Qui ordo incedendi in huiusmodi celebribus actibus ac festi uitatibus cùm Cæsar aut Rex Romanorum cum solis Electoribus incedit, tali constitui figura poterit.

SINISTRA.

Vlt. Colon.	Penult.	Quint.	Quart.	Tert.	Secund.	Prim.
Mogũt	Cęsar: u: l, Rex Bohœ. Rex Rom.		Brandeburg Scept. Palat. Mundum.	Saxo ensem fert:	Treuir: Heral:	Colũniferi.

DEXTRA.

Quo Ordine sederint.

A dextris proximus Cæsari sedebat Sebastianus Archiepiscopus Moguntinus Elector, Archicancellarius per Germaniam.

Deinde secundus locus Regi Bohœmorum coronato & uncto, Archipocillatori absenti uacabat. Nam neq; eius locum tenens Carolus semper liber à Limburg hæreditarius Sacri Romani Imperij Pincerna adfuit.

Post huius locum, Fridericus Comes Palatinus Rheni Elector, Archidapifer sedebat, cuius locum tenens est, Vilhelmus Baro in Vualtburg, Sacri Rom. Imperij hæreditarius Dapifer.

A sinistris proximus adsidebant Adolphus Archiepiscopus Colonianus Ector, Archicancellarius per Italiam.

Deinde Ioachimus Marchio Brandenburgus Elector, Archicubicularius, qui & Cæsareæ aut Regiæ Maiestati ad Mensam manus loturę, peluim tenet & aquam fundit: cuius locum tenẽs est Carolus Comes in Zolnern Sac. Rom. Imperat. hæreditarius Camerarius seu cubicularius.

Nam medius locũs inter utrunq; Mauritio Duci Saxoniæ Electori, Archi marschalco, eius dignitatis inuestituram petenti, uacabat. Cuius locum tenens est, Vuolfgangus à Bappenheim Sacri Rom. Imp. hæreditarius Marschalcus.

E regione ante Cæsarem, rectaq; in eius uultum contrarius, sedebat solus in sede Iohannes Archiepiscopus Treuericus Elector, Archicãcellarius per Galliam & Regnum Arelatense.

Arelatum oppidum in Lugduneñ. Gallia ad Rhodanum fluuium inter Massiliam, quam ex Oriente habet: Mare mediterraneum, quod à Meridie: Aquas mortuas, quas ab Occasu: et Auinionem, quam à Septemtrione. Atq; ab hoc oppido ipsum Regnum Arelatense nomen accepit, quod olim fuit amplissimum, in septem nimirum prouincias distinctum, in Massilieñ: in eam, quæ postea in Ducatus Sabaudæ nomen transijt: & quæ in Delphinatum, qui tempore Caroli Quarti de Imperio per uenditionem ad Regem Franciæ deuolutus est: & quæ utriusq; Burgundiæ nomen habet: & quę Lotharingię: & Heluetiæ

partem: continebatq; sub se antiquis nominibus populos Allobrogorum, Heduorum, Vocuntiorum, Sequanorum & Heluetiorum. Eratq; à mari mediterraneo usq; Treueros & Ardennę syluam protensum, fuit autem totum hoc Regnum cum patentissimo illo suo secessu, uirtute bellica, olim à Germanis occupatum, penitusq; sub ipsos redactum, ut adhuc de iure Imperium agnoscere deberet. Mira tunc Germanorum uirtus bellica pollebat, ut tanquam pro inueterato habuerint, terras & Regna acquirere, & parta non amittere, sed in propagationem ulterius extendere, fortiterq; & pertinaciter usq; tueri. Vide Strabonem lib. 4. Pomp. Melam lib. 2. Paulum Diac. lib. 3. ca. 8. Ammianum Marcel. li. 14. Ligurinum lib. libri 5. Procopium in historia Francorum: Antonium Piumem Spāheimium. Huius autem sessionis, ut ad propositum reuertamur, ordo in Intinerario. Suidam & Philostratum in uita φαβορίνου Aeneam Syl. & Albacūm Cæsar aut Rex Romanorum cum solis Electoribus sedet, sic disponitur,

DEXTRA
Palatinus
Rex Bohœmiæ
Moguntinus
ANTE: Treuir: Cæsar, uel Rex Rom. RETRO
Colonianus
Saxonicus
Brandenburgus
SINISTRA.

Reliqui Principes non Electores, qui simul in tabulatum conscenderant, omnes stabant & penè indiscriminatim.

A tergo Cæsaris supra cathedrę tabulaturam in prominente inambulachro stabant tubicines Cæsaris ac tympanistæ equestres, qui & ad egressum è Regia, ascensumq; Cæsaris cum Electoribus in tabulatum, & ad circumcursitationem equitum, inflatis liticis ac tubis ebuccinabant, ac tympana equestria seu ahænea pulsabant.

In foro & utrinq; ad tabulatum, duo signa peditum Germanorum consistebant. Multa præterea hominum spectatorum & in ipso foro & in fenestris & in tectis millia.

QVOMODO RES ACTA SIT.

Et cūm sic consedissent, dat tubicen inter equites circumcursuros ante cathedram ad plateæ cuiusdam angulum consistentes, ad circumcursitandam eam Inuestituræ & Regalium cathedram subitò inflata buccina signum: simulq; ebuccinando præuolat ipse, quem è uestigio inhærens tota equitum turma in ternos & ternos ordine distincta, plenumq; in cursum effusa subsequebatur. Inter quos in sexto ternario, uexillum rubrum, quod sanguineū uocant, ab omni armorum seu insignium pictura uacuum ac purum à Christophoro à Rageuuitz ferebatur. Erantq; equites circumcurrentes numero circiter centum. Inter quos Elector Palatinus Rheni ternarios ordines ex nobilitate, quatuor habuit: & Brandeburgus Elector, quinq;. Nobiles autem aulæ Ducis Mauritij circiter triginta sex nigro holoserico seu byssо uilloſa, omnes uestiti erant. In commune uerò omnes ij equites pariter rubra uexillula cum armis Electoralis dignitatis & Saxoniæ, pileis impositа gestabant. Similiterq; & ipsi equi, quibus insidebant, eadem ad aures erecta cum plurimis ut plurimum rubris, albisq; mixtis, & in capite & post tergum super caudæ principiū aptatis gerebāt.

Ad

Ad hanc autem circumcursitationem & tubicines Cæsaris tubicinabant, & tympana cacabaria siue equestria tympanistæ pulsabant.

Interim Dux Mauritius Elector, ad alterius plateæ angulum è regione ante cathedram in fine penè fori cum sua equitum turma consistebat, quæ constabat equitibus circiter centum & uiginti. Erantq; ij omnes, Principes, Comites, Barones, Domini, equites aurati ac nobiles. Inter quos Elector Moguntinus, tres ordines ternarios habuit: Treuericus, quatuor: Colonianus, quatuor Cardinalis Tridentinus, quinq;: Cardinalis Augustanus, tres: Magister Ordido. Theuton. tres: Henricus Dux Brunsuichius, quinq;: Vuolfgangus Comes Palatinus, tres: Ericus Dux Brunsuichius, duos: Lantgrauia, duos. Quorum omnium nomina ponerem, nisi prolixum nimis esset, & tædiosum fortasis etiam legenti.

Et cùm ter iam prima illa equitum turma ipsam cathedram circumcursitasset, prodeunt de hac postrema Ducis Mauritij turma, tres Principes, Henricus uidelicet Dux Brunsuichius, qui dexter: Albertus Dux Bauariæ, qui medius: & Vuolfgangus Comes Palatinus Rheni in Gemino Ponte, qui sinister ibat. Profectiq; ad ipsam cathedram, traditis quibus insidebant in custodiam equis, ascendunt tabulatum, subinde inter ascendendum geniculantes in reuerentiam. Prociduntq; simul ante Cæsarem in genua, tanquam missi Oratores petituri pro Duce Mauritio Electoralis dignitatis Regalia. Henricus Dux Brunsuichius uerbum facit: Nimirum, Mauritū Ducem Saxoniæ, posteaq; Sacra Cęsarea atq; Catholica Maiestas ipsi Electoralem dignitatem unà cum nõnullis Dominijs, quæ antè Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ possedisset, donauerit, huncq; diem comparandi ad inuestiendum præstituerit, comparere illũ iam, supplicariq; petere, Cæsarea Maiestas eius dignitatis, eorũq; simul dominiorum Regalia & inuestituram iam ipsi ex eadem benignitate & clemẽtia, elargiri uelit. Ad quod erga Cæsaream Maiestatem, Sacrumq; Rom. Imperiũ demerendum, omne & perpetuum obsequium, seruitiumq; se semper prõptũ & paratum offerre. & cùm ad hunc fermè modum peroraſſet, Cæsar Moguntinum alloquitur, qui surgens, omnes Electores simul conuocat: Stantesq; ante Cæsarem, collatis inter sese capitibus cõsilia coram Cæsare submisse cõferunt. Deinde ubi decretũ & conclusum est, Moguntinus aperta uoce ad rogata per Brunsuichium, respondet: Nempe Maiestatẽ Cæs. perpensis & cõsideratis seruitijs, quę Dux Mauritius, eiusq; frater Dux Augustus suæ Maiest. & sacro Imperio præstitissent, benignè promptã esse ac paratã, q̃ peterentur, prę̃stare: quatenus ipsemet Dux Mauritius eadem petiturus cõpareat. Quo responso audito, mox tres illi Legati, actis nomine Ducis Mauritij Cæsareæ Maiest. pro tã clemente & fauorabili uoluntate, humiliter & reuerenter gratijs, exurgentes de cathedra descendunt, equisq; cõscensis, ipsum Ducem Mauritium lõgius à tabulato in habitu Electoratus, quo de hospitio usq; suo uestitus aduenerat, equo insidentem adeunt, responsum datum ferentes. Quo ille tũ accepto & cognito, procurrit eueſtigio cũ sua equitum turma, quam tubicines ipsius duodecim, unũq; tympanũ equestre seu cacabarium, atq; uexilla rubra decem, cũ Electoralis dignitatis, singularũq; ipsius ditionũ & dominorum insignibus & armis depictis, præibant, usq; ad ipsam cathedram, descendensq; de equo unà cũ dictis primis illis tribus Principibus, qui ex legatione reuersi iam responsum retulerant, nonnullisq; alijs Ducibus, Comitib. ac Dominis, qui uexilla Electoratus & Dominiorum gerebant, tabulatum cathedrale conscendit, præeuntibus dictis decem uexillis. Proximeq; ipsum dicti tres Principes subsequuntur. In ascensu usque ad Cæsaream Maiestatem genibus ter in reuerentiam inclinatis. Venienti Duci Mauritio, puluinar aureum ante pedes Cæsaris collocatum

est. Sed Mauritius primũ ante illud in substratum uelamentum in genua procũbit, simulq; cum ipso à dextris Henricus Dux Brunsuichius: à sinistris Ioannes Hoies Comes à Mansfelt, nomine ducis Augusti fratris Mauritij Electoris pariter Regalia susceperturus. A tergo reliqui duo Principes, qui antè unà cum ipso Brunsuichio Regalia petitum uenerant, proximi procumbunt. Deinde post hos, tres eqtes aurati cõsiliarij, Christoph à Taubenheim, Conr. à Bemelberg, & Maurit. à Feilitzsch: tũ utrinq; ad latera illi, q uexilla tenebãt, cõsistũt. Actũ Henricus Dux Brunsuichius, eandem pene, quam suprà in legatione orationẽ pro Duce Mauritio habuit, repetit, eadem pro ipso iam præsente rogans. Qua oratione absoluta, Cæsar Moguntino, in reuerentiam adsurgenti, responsum demandat: Respectis uidelicet & cõsideratis Ducis Mauritij Electoris, eiusq; fratris Ducis Augusti fidelibus, diligentibus & multis seruitijs suæ Maiestati, & sacro Imperio exhibitis, huc motam esse suam Maiestatem, ut procliuis & parata esse uelit ea, quæ peterentur, clementer præstare: quatenus iuramentum solitum & consuetum, illi præstiterint. Quæ uerba Moguntinus convocatis mox reliquis Electoribus, sicut iam dictum est, proponit. Tunc Dux Mauritius surgens, propius accedit, inq; puluinar ante pedes Cæsaris genibus flexis procumbit. Tum Marquardus à Lapide Præpositus Moguntinus librum Euangeliorum ex purpura colligatum, Electori Mogũtino porrigit, qui illum apertum in gremium Cæsaris collocat, statimq; in locum suum resídens, iuramenti sacramentum ac formam ex charta Electori Mauritio prælegit: præstatq; in eius tum uerba ipsi Cæsari, sacroq; Imperio Dux Mauritius consuetum iuramentum, ad eum fermè modum, sicuti in usibus feudorum ponitur. Deinde ad latus per Vuolgangum Bappenheimium Imperij Marschalcum gladius, Cæsari in manus porrigitur: qui eius capulum ipsi Mauritio deosculandum obfert, simulq; in manus tanquam Sacri Romani Imperij Archimarschalco dat. Illeq; Bappenheimio Marschalco eum reddit. Capulus huius gladij cum tribus ipsius crucis nodis atq; ipso internodio totus ex puro auro est, ex præciosisq; lapidibus ueluti Rubeis, Saphyris, Smaragdis & unionibus in distinctionem & relucentiam excultus.

Hæc ubi peracta essent, decem illa uexilla, quæ aderant, ordine à singulis, qui ea tenebant, Cęsari in manus porriguntur, initio facto ab eo, quod Electoratus insigne habebat: qui ordine sibi porrecta, supernè manu arripit, simulq; eadẽ Electori Mauritio, dictoq; Comiti Mansfeldio, nomine Ducis Augusti, inferne & sub sua manu arripienda, tenendaq; tradit: donans simul ipsis eorum insignium ditiones & terras, quas antè Iohannes Fridericus Dux Saxoniæ possederat. Moxq; deinde ijs, à quibus ea adlata & porrecta essent, reddidit. Tunc rursum Cæsari gladius per Marschalcum porrigitur, qui illum Electori Mauritio in manus tradit, quo accepto, gratijs reuerẽtur cum omni officij prõptitudine Cæsaris Maiestati & sacro Rom. Imperio actis, surgit, mediusq; inter Colonianum & Brandeburgum Electores, in locum sibi de more & iure debitum resídet.

Vexillorum, eorumq;, qui ea gestarunt, nomina.

A DEXTERIS.

Primum uexillum Electoratus erat, idq; gestabat Ericus Dux Brũsuichius.
Secundum Thuringiæ, quod Carolus Victor Dux Brunsuichius ferebat.
Tertium Burggrauiatus Magdeburgij, quod Iohannes Henricus Comes à Leiningem tenebat.
Quartum Comitatus Brenæ, quod Bertoldus dominus à Leipa in Cromau, Marschalcus Regni Bohæmię, habebat.

Quintum

Marſchalcus Regni Bohæmię, habebat,

Quintum Burgrauiatus Aldenburgĕ, quod Eckius Comes Saſmonenſis portabat

A SINISTRIS.

Primum uexillũ Saxoniæ erat, quod Philippus Dux Brunſuichius gerebat.

Secundum Miſniæ, quod Erneſtus Comes à Regenſtain tenebat.

Tertium Patatinatus Saxoniæ, quod Iohannes Comes ab Ortemburg geſtabat,

Quartum Dominĕ ad Pleiſam, quod Vilhelmus Dominus à Leippa in Cromau geſtabat.

Quintum uexillum rubrum, quod ſanguineum uocant, ſine ullis armis ſeu inſignibus, quod Chriſtophorus à Rageuuitz, ut antè dictum eſt, uehebat.

Deinde Elector Saxonicus cùm in locum ſuum cum gladio ut Archimarſchalcus iam conſediſſet, Auſtriacus Cæſaris Heraldus ſingula uexilla ordine à ſingulis capit, incipiens ab eo, quod Electoralis dignitatis inſigne continebat, deinde tranſiens ad id, quod Saxoniæ, quod Thuringiæ, quod Miſniæ, q̃d Burgrauiatus Magdenburgĕ &c. ac ea Cæſareę Maieſtati reuerenter & pronè oſtenſa, mox de tabulato utrinq; in uulgus promiſcuum ac circumfuſum, cuiuis auferenda, deiecit.

Quibus omnibus deiectis, Cæſar unà cum Electoribus ſurgens: domum Chorearum, ad deponẽdum habitum, ingreditur. Elector Saxonicus illũ cum gladio tanquam Archimarſchalcus anteit: deinde paulò pôſt idem in ueſtitu Electoratus ſolus egreditur, tabulatoq; deſcendit atq; conſcenſo equo unà cũ omnibus Principibus, Comitibus, Baronibus, dominis, equitibus & nobilibus, qui ipſi in ea celebritate inſeruierant, hoſpitium ſuum repetit.

Cæſar deinde cum reliquis Electoribus, depoſito eius ſolennitatis ueſtitu, egreditur & ipſe, præeuntibus ſuo illi ordine columniferis, Heraldis & Bappẽheimio Imperĭ Marſchalco cum gladio, tabulatoq; deſcendens, in ſuam ſe Regiam ac palatium recepit.

DE SESSIONE ORDINVM, STATVM qúe Imperĭ præſente Cæſare aut rege Rom. & abſente.

Quoniam de ſeſſione Cæſaris aut Regis Rom. cum ſolis Electoribus in publicis celebritatibus, quando ditionum & dominiorum Regalia & Inueſtituræ conceduntur, ſuprà ordinem ac figuram poſuimus, conſentaneum quoq; fore arbitrati ſumus, ſi & de ſeſſione Ordinum, Statuumq; Imperĭ in Comitiorum conſilĭs, iudiciorumq; deciſionibus tam præſente Cæſare aut Rege Rom. unà cum Electoribus & non Electoribus Principibus, reliquisq; Imp. ordinib. quàm abſente, nonnulla quemadmodum communiter ſedere ſoleant ex uarĭs Imperĭ Receſsibus collecta, ad finem ſubĭjceremus. Etſi enim certus & ex prę ſcripto perpetuus inter omnes non Electores Principes, præſertim ſæculares ſedendi aut ſtandi etiam ordo, nullus adhuc definitus ſit: quod nonnulli adhuc de hac ſedendi ratione inter ſeſe delitigent atq; digladientur, tamen communis quidam, licet & is confuſaneus interdum inter nonnullos ac promiſcuus, p tempore, dum illa ſub iudice lis fluctuat, reſeruato ſuo cuiq; in hac parte iure, ordo habetur, quem ipſum hic ſubĭjcere placuit. Quamobrem nolim hunc ſeu ſedendi, ſeu ſtandi etiam, ſecundum loci uel opportunitatem uel inopportuni

tatem, ordinem alicubi communem, alicubi non communem, sed confusaneum, ut diximus, licet inter paucos quidem, cuiquam in præiudicium positum & prærogatiuam uideri.

A dextris itaq; Cęsaris aut Regis Romanorum sedent.

Elector Moguntinus.
Rex Bohœmiæ
Elector Palatinus
Archidux Austriæ
Archiepiscopus Salisburgensis
Archiepiscopus Bremensis
Archiepiscopus Rigensis
Archiepiscopus Bituntinus

Magnus Magister Ordinis Theuton. Administrator magni Magistratus Prussiæ, ueluti Archiepiscopi uices subiens.

Episcopus Bãbergensis. Nam ille est tanquam Archiepiscopus in sua ditione, nullumq; agnoscit Archiepiscopum.

Episcopus Herbipolitanus seu Vuirtzeburgus.

Episcopus Vuormatiẽ. Hi duo, excepto primo & Vltimo die, in quo Herbipolitanus Vuormatiano præsidere solet, per uices alter alteri præsidet,

Episcopus Spirensis
Episcopus Argentinensis
Episcopus Eystetensis
Episcopus Ratisponensis
Episcopus Constantiensis
Episcopus Augustensis
Episcopus Patauiensis
Episcopus Frisingensis
Episcopus Basiliensis
Episcopus Curiẽsis in Heluetia
Episcopus Hildeshemensis
Episcopus Paderbornensis
Episcopus Misnensis
Episcopus Tridentinus
Episcopus Brixiensis
Episcopus Merseburgensis
Episcopus Lubecensis
Episcopus Numburgensis
Episcopus Sedunensis
Episcopus Monasterensis
Episcopus Mindensis
Episcopus Halberstatensis
Episcopus Verdensis
Episcopus Metensis
Episcopus Tullensis
Episcopus Verdunensis
Episcopus Osnabrugensis
Episcopus Leodiensis
Epũs Curiensis in Curlandia Liuoniæ
Episcopus Reualiensis.
Episcopus Oesiliensis
Epũs Derpteñ. seu Atreba. in Liuonia.
Episcopus Lebussensis
Episcopus Hauelburgensis
Episcopus Ratzenburgensis
Episcopus Schuerinensis
Episcopus Caminensis
Episcopus Secouiensis
Episcopus Gorcensis
Episcopus Gebensis
Episcopus Schlesuicensis
Episcopus Kemsensis.

PROVINCIALES SEV COMMENDATORES *Ordinis Dominorum Theuton.*

Magister Ordinis Dominorum Theuton. per Germaniam & Italiam.
Magister ordinis Theuton. per Liuoniam
Magister Iohannitarum per Germaniam.

PRAELATI SEV ABBATES, PRINCIPES IMPERII.

Abbas Fuldensis Archicancellarius Imperatricis
Abbas Campidonensis
Abbas Murbachensis
Præpositus Vueissenburgensis in Alsatia

Abbas

Abbas Hirsfeldensis
Abbas S. Galli
Præpositus Berchtolsgadensis
Præpositus Eluuãgen. supra Vuormat.
Abbas Stabulensis.
Abbas Corbiensis.
Abbas Salueldensis.
Abbas Vuerdensis in Vuestphalia.

ABBATES SEV PRAELATI
Imperij, non Principes.

Abbas Cæsariẽsis seu Keisheimensis.
Abbas Echternacensis.
Abbas Prumiensis.
Abbas Elchingensis.
Abbas Vueingardensis.
Abbas Ochsenhusensis.
Abbas Marchthalensis,
Abbas Maulbrunnensis.
Abbas Schafhusensis.
Abbas sancti Heimerani Ratispone.
Abbas Vueissenaueñ, seu minoris Augiæ.
Abbas Maurbachcensis.
Abbas Monasterij sancti Cornelij apud Aquisgranum.
Abbas Salmanschuueilerensis.
Abbas Creutzlingensis.
Abbas Vualckenredensis.
Abbas Schuternensis.
Abbas Sancti Blasij ad Syluam Herciniam.
Abbas Schusslenredensis.
Abbas Rickershusensis.
Abbas Rockenburgensis.
Abbas Hundelshausensis.
Abbas Reckenhausensis.
Abbas Conigsbrunnensis.
Abbas Sancti Petri in Hercinia.
Abbas Rockenhausensis.
Abbas Cuntzlingensis.
Abbas Blaickenburgensis.
Abbas Vualtsachsenensis.
Abbas Vallis Sancti Ceorgij &c.

COMMENDATORES PROVINCIALES
quatuor Baliuarum Imperij. Ordinis Theutonicorum

Commendator Baliuatus Confluentiæ.
Commendator Baliuatus in Alsatia & Burgundiæ.
Commendator Baliuatus Austriæ.
Commendator Baliuatus ad Athesim.

PRAELATAE SEV ABBATISSAE
Imperij Principes.

Abbatissa superioris Monast. Ratisponæ.
Abbatissa in Gernrat.
Abbatissa Gandershemensis.
Abbatissa in Quedelburg.

ABBATISSAE IMPERII,
non Principes.

Abbatissa inferioris Monast. Ratispoñ.
Abbatissa Lindauensis
Abbatissa Rotmonasterij
Abbatissa Buchauensis
Abbatissa Ebbachcensis
Abbbatissa Bunnensis
Abbatissa Guttecellensis
Abbatissa Cauffingensis.

A SINISTRIS

Elector Treuericus
Elector Colonianus. Hi duo per uices alternis diebus sessionem mutant.

Elector Saxonicus
Elector Brandenburgus.
Dux Bauariæ
Dux Brunſuicenſis & Lunenburgẽſis.
Dux Sabaudiæ. Hic ob contentionem, & quòd rarius comparet, ægrè in ſeſſionem recipitur,
Dux Pomeraniæ
Dux Holſatiæ
Marchio Badenſis
Lantgrauius Heſsiæ
Lantgrauius Leuchtembergenſis
Princeps Anhaltenſis
Comes Hẽnenberg. Imperij Princeps
Burggrauius Miſnenſis

Dux Iuliacenſis, Cliuenſis, & Bergẽſis.
Dux Mechelburgenſis
Dux Vuirtembergenſis

COMITES IMPERII.

Comes à Naſſouia
Comes ab Oettinga
Comes ab Helffenſtain
Comes à Montfordia
Comes à Furſtemberga
Comes à Zolnern
Comes à Stolburgo
Comes ab Ortemburgo
Comes à Mansfeldia
Comes à Solmis
Comes à Salm
Comes à Sultz
Comes ab Iſemburgo
Comes à Manderſcheida
Comes ab Eberſteino
Comes à Nuenari, ſeu noua Aquila
Comes ab Hoenloch
Comes ab Hanau
Comes ab Haideck
Comes ab Honſteino
Comes ab Hag
Comes à Virnemberga
Comes ab Armberga et Marca
Comes à Fackenſteino
Comes à Conigſteino
Comes à Lupfen
Comes à Vuertheim
Comes à Dengen

Comes à Leiningen
Comes ab Altemburg
Comes à Gleichen
Comes à Rhineck
Comes à Vualdeck
Comes à Bitſch
Comes à Vueſterberg, ſemper liber
Comes à Steinhart & Benthaim
Comes à Schaumberga & Gennua in Vueſtphalia
Comes à Leuuenſtain
Comes à Barbei
Comes à Schuartzenburgo
Comes ab Erbach
Comes à Sayne
Comes à Zimmer.

BARONES

Baro à Limburgo, ſemper liber
Baro à Vualtburgo
Baro à Geroſeck
Baro à Ripolskirch
Baro à Gondelfinga
Baro à Falckenſteino
Baro à Schuuartzberg et Hoẽlãtzberg
Baro à Vuolckenſteino
Baro ab Heideck
Baro ab Cũtzeck et Altdorf
Baro à Conigſeck
Baro à Rogendorf
Baro à Tautenberga
Baro à Mersberga et Beffort
Baro à kriechingen in Vueſtria
Baro à Superiore Holtzburgo
Baro ab Alendorf
Baro à Degemberga
Baro à Rifferſcheida
Baro à Vuinnenberga
Baro à Stauf & Ernfeltz. &c.

DE SESSIONE ORDINVM STATVVMQVE IMPERII IN ABSENTIA *Cæſaris aut Regis Romanorum, in Electione Cæſaris aut Regis Romanorum & in Comitiorum actionibus aut iudicijs.*

Ordinum, Statuumq; Imperij cùm ad uota deſcenditur, atq; uoces ſeu ſuffragia colliguntur, duplex ſeſsio eſt: Altera Principum Electorum ſeorſum: Altera non Electorum una à cum Prælatis, Comitibus, & Baronibus Imperij, abſentiumq;

tiumque legatis, itidem seorsum:

Electores Ecclesiastici unà cum Sæcularibus unum habent conclaue, in quo hoc ordine considunt.

A DEXTRIS	A SINISTRIS
Moguntinus	Treuericus
Bohœmus	Colonianus per uices
Palatinus	Saxonicus
	Brandenburgus

DE RELIQVIS PRINCIPIBVS, Statibusq; Imperij.

Reliqui Principes Imperij Ecclesiastici & Sæculares, unà cum Prælatis, Comitibus et Baronibus unum item habent conclaue, in quo sic ferè sedere solēt.

A DEXTRIS.

Archidux Austriæ receptus in sessionem Ecclesiasticorum ob contentionē primi loci apud Sæculares, sed ita ut uices sedendi proponerentur inter ipsum & Archiepiscopum Salisburgensis: quas tamen honoris gratia ferè semper remittunt, ipsiq; Archiduci deferunt.

Archidux Austriæ.

Archiepiscopus Salisburgensis.

Archiepiscopus Magdenburgensis seu Parthenopolitanus, qui licet Primas Germaniæ sit, & fortasse ratione Primatus, primus illi locus deberetur, tamen Archiepiscopatus Salisburgensis, cùm uetustior esse memoretur, primus ipsi locus defertur.

Archiepiscopus Bremensis:

Archiepiscopus Rigensis.

Archiepiscopus Bisuntinensis.

Magnus Magister Ordinis Theuton. ut Administrator magni Magistratus Prussiæ.

Episcopus Bambergensis, tanquam Archiepiscopus in sua diœcesi. Ac post hunc sedent deinde singulorum Archiepiscoporum suffraganei, hoc est, subiecti Episcopi ordine, si adsunt, ueluti.

MOGVNTINI

Episcopus Herbipolitanus
Episcopus Vuormatiensis
Episcopus Spirensis
Episcopus Argentinensis
Episcopus Eystetensis
Episcopus Churiensis
Episcopus Vuerdensis
Episcopus Constantiensis
Episcopus Augustensis
Episcopus Hildesheimensis
Episcopus Paderbornensis
Episcopus Halberstatensis.

TREVERICI.

Episcopus Metensis
Episcopus Tullensis
Episcopus Verdunensis

AGRIPPINI.

Episcopus Monasteriensis
Episcopus Traiectensis
Episcopus Leodiensis
Episcopus Mindensis
Episcopus Osnabrugensis.

SALISBVRGI.

Episcopus Ratisponensis
Episcopus Patauiensis
Episcopus Tridentinensis
Episcopus Brixiensis
Episcopns Fringensis
Episcopus Chyemēsis, p̄petuus Vicarius in Pontificialibus

MAGDEBVRGI SEV
Parthenopolitani.

Episcopus Mersburgensis
Episcopus Misnensis
Episcopus Numburgensis
Episcopus Brandenburgensis
Episcopus Hauelburgensis

BREMAMI.
Episcopus Lubecensis
Episcopus Schuerinensis
Episcopus Lebusinensis
Episcopus Schlesuicensis
Episcopus Ratzemburgensis:

RIGANI.
Episcopus Reualiensis
Episcopus Curiensis
Episcopus Oeselienſis
Episcopus Derptensis.

BISVNTINI.
Episcopus Basilienſis
Episcopus Lausanenſis
Episcopus Gebenenſis
Episcopus Bellicenſis

Episcopus Cabilonẽsis ad Sonam fluuium in Burgũdia. Et hi duo postremi, non sunt Principes Imperij.

SVBIECTI MAGNO MAGISTRO PRVSSIAE,
tanquam uicem gerenti Archiepiscopi.

Magister Ordinis Dominorum Theutonicorum per Germaniam et Italiam.
Magister Ordinis Dominorum Theuton. per Liuoniam.
Magister Ordinis Dominorum Iohannitarum per Germaniam
Post hos sedent Prælati seu Abbates & Commendatores Baliuarum Ordinis Theuton. & Prælatæ seu Abbatissæ, eodem ordine, quo suprà positi sunt. Atq; hunc postremum Ecclesiasticorum ordinem, crediderim, etiam in illa superiore sessione obseruari debere, licet mihi aliter à nonnullis relatum sit.

A SINISTRIS.

Duces Bauariæ, qui ijdem Comites Palatini.
Duces Saxoniæ
Marchiones Brandeburgenſes
Duces Brunsuicenses & Lunenburgenſes
Dux Iuliacensis, Cliuensis & Bergensis.
Duces Mechelburgenſes
Dux Vuirtemburgensis.
Dux Sabaudiæ &c. sicuti in superiore ordine memorati sunt Principes seculares unà cum Comitibus & Baronibus,

Habent autem omnes Imperij Principes tam Ecclesiastici, quam Seculares in huiusmodi consessibus suam singuli in suo consilio uocem: præter Regem Bohœmiæ, qui uocem non habet, sed si quid fortè dissentionis & controuersiæ inter Elect. oboriri contingat, id cõponit, & in quã ille partẽ accedit, hoc ratũ, dirscluſa omni controuersia, habetur. Prælati uerò ij, qui non sunt Principes, sed tantũ Imp. Abbates, habẽt unà cũ ipsis Imp. Abbatissis Prælatis, tantũ duas uoces omnes simul: quemadmodũ & Comites atq; Barones Imp. oẽs tantũ duas uoces simul obtinẽt. Porrò Principes postq; cõcluserunt, pponũt Ciuitatib. qd cõcluserint. Quæ cõsultatione super propositis & conclusis à Principibus habita, si in quo grauari sibi fortè uideantur, id referunt, Quòd si tum moderari & componi fortè per Principes nequit, ipsi offerunt Cæsari, qui ut pronunciauerit, ita ratum & firmum permanet. De qua re cùm grandis sit inter Principes & Ciuitates contentio, non consultum est plura ponere. Ordinem aũt sedendi, quem seorsum quoq; in suo conclaui Ciuitates habent,

in duo

in duo diuidunt latera, dextrum nimirum & sinistrum. In dextrum Rhenanas Imperij Ciuitates collocant: In sinistrum, Sueuicas. Contendunt autem & alter cantur nonnullæ etiam Ciuitates inter sese de sessionis honore. Quare nec hic ordo certus ubi q̃ & sine dissentione indubitatus haberi potest.

LATVS DEXTRVM

Colonia.

Aquisgranum. Sunt qui putant Aquisgrano primum deberi locum, quòd & antiquissimi Imperij ciuitas sit, & prima Imperatoris in ipsa coronatio fiat, uerum an honoris gratia, an de consuetudine nescio, Colonia ferè semper ipsi præsidet.

Metæ seu Mediomatrices,
Vuormatia
Lubecum
Spira
Francofurdia.
Hagenoa
Columbaria
Schletstadium
Gossaria
Northusium
Mülhusium in Thuringia.
Dantzig
Tremouia
Landauia
Basilæa
Bisuntium
Geneua
Lausanna
Tullum
Verdunum
Cameracum
Keisersberga
Vuetzlaria
Fridburgum
Vueissemburgum ad Rhenum
Geylenhusium
Offenburgum
Gegenbachium
Zell
Durckheimium
Buchauia
Fridberga
Rosheimium
Ehenheimium superius
Monasterium in ualle sancti Gregorij &c.

LATVS SINISTRVM.

Ratispona
Augusta
Nureimberga
Constantia
Vlma
Esselinga
Norlinga
Hala Sueuorum
Rotemburgũ ad Tuberim
Memminga
Campidunum
Rotuuila
Reitlinga
Heilbrunna
Dinchelspuhela
Gemunda
Vueissẽburgũ in Nortgouia
Vuintzem
Lindauia
Danouerda
Kaufbeura
Rauensburgum
Bibracum
Vuimpina
Bopfinga
Vuangena
Gienga
Lickircha
Pfullendorpium
Schueinfurdia
Vberlinga
Mülhusium in Alsatia
Buchorna
Vueil
Isny &c.

Nunquam

Nunquam tamen uisum est in ullis Imperij conuentibus, ut uel ex maiore parte omnes hi Imperij Principes (exeptis Electoribus) Status & Ordines sic personaliter simul in unam sessionem comparauerint.

FIGVRA QVOMODO ELECTOR MOGVNTINVS *in priuata synodo cum suis suffraganeis sedere soleat.*

DEXTRVM	*Moguntinus Archiepūs.*	SINISTRVM
Herbipolensis		Vuormatiensis
Eistetensis		Spirensis
Argentinensis		Vuerdensis
Curiensis		Hildeshemensis
Paterbornensis		Constantiensis
Halberstatensis		Augustensis.

Sed Prognostica apud Moguntiam impressa alium habent ordinem, nimirum hunc qui sequitur.

DEXTRVM	*Moguntinus*	SINISTRVM
Spirensis		Herbipolensis
Vuormatiensis		Eistetensis
Churiensis		Vuerdensis
Argentinensis		Hildeshemensis
Halberstatensis		Constantiensis
Paterbornensis		Augustensis.

Verum, uti intelligo, confusaneus hic ordo est.

EXEMPLVM STATIONIS PRINCIPIVM AD FRIDE*ricum* III. *Imperatorem apud Ratisponam in Comitijs.*

Delineatio quo modo Electores & Imper. Ordines ante & iuxta Friderici III. Imperatorem in Comitijs Ratisponen. Anno 1471. in campo super prandium adfuerint & steterint, excerpta Spiræ ex pictura in domo cuiusdam Canonici ante Aedem Maiorem. Quam rem quidam Otho eius Ecclesiæ quondam Canonicus sic depingi super panno lineo ad parietem curauit. Estq; eadem cum illa, quæ Halæ Saxonicæ in noua illa Regia eleganti pictura expressa est. Nisi quòd illa Halensis & locupletior est, pluresq; ex Statibus continet, & pauciores, necq; ad exactam cuiusq; iuris portionem obseruatus dignitatum ordo est, quòd sibi inuicem nonnulli, alius alij honorem detulerint.

Cæsar in tentorio defixo, in Maiestatis suæ splendore residet, statq; parata ante ipsum mensa, ante quam Electores Ecclesiastici iuxta se inuicē cōsistunt.

Moguntinus dexter: Treuericus medius: Colonianus siniſter. Post horum terga tres ministri cum uexillis singulorum istorum Electorum insignium.

Post hos stat Elector Saxonicus Archimarschalcus, tenens mensuram auenaceam, à Bappenheimio hæreditario Marschalco sibi oblatam. Post quem stat minister quidam cum uexillo armorum seu insignium ipsius Electoris Saxonici.

A dextra mensæ accedit Elector Brandenburgus Archicubicularius, ferens peluim argenteam, à Falckensteino hæreditario cubiculario sibi porrectam, cum mappa nitida ad proluendas extergendasq; manus. Eumq; sequitur minister cum uexillo insignium eius Electoris.

A siniſtra

A sinistra mensæ accedit Elector Palatinus Archidapifer, gestans discos aliquot argenteos ad mensam cum ferculis, porrectos sibi à Nortembergo hæreditario culinæ Præfecto. Quem & ipsum sequitur minister cum uexillo armorum seu insignium Palatini.

E regione Palatini paulò infrà accedit Rex Bohœmiæ Archipincerna, portans Phialam cum potu à Limburgo hæreditario Pincerna sibi porrectam: quem quoq; minister cum uexillo armorum Regis Bohœmiæ subsequitur.

Reliqui autem Principes hoc stant utrinq; ad mensam ordine, cum charta supra singulorum capita, in qua singuli cuiusq; nomen inscriptum est.

A DEXTRIS.

Archiepiscopus Salisburgensis
Archiepiscopus Magdemburgensis
Archiepiscopus Bremensis
Episcopus Bambergensis
Episcopus Herbipolensis
Episcopus Eystetensis
Episcopus Vuormatiensis
Episcopus Spirensis
Episcopus Constantiensis
Episcopus Argentinensis
Episcopus Curiensis
Episcopus Verdensis
Episcopus Hildesheimensis
Episcopus Vualburnensis
Episcopus Augustensis
Episcopus Halberstatensis
Episcopus Metensis
Episcopus Tullensis
Episcopus Traiectensis
Episcopus Leodiensis
Episcopus Monasteriensis hic habet literas in manu.

Episcopus Misnensis
Episcopus Tridentinensis
Episcopus Patauiensis
Episcopus Brixiensis
Episcopus Frisingensis
Episcopus Gaecensis.

A SINISTRIS.

Rex Poloniæ
Rex Daniæ
Rex Suediæ
Rex Nortuegiæ
Dux Bauariæ
Dux Austriæ
Dux Brunsuichiæ
Dux Sabaudiæ
Dux Lotharingiæ
Dux Bergæ, qui habet literas in manu.
Dux Brys
Dux Cliuiæ
Dux Stetinę
Marchio Misniæ
Marchio Morauię
Marchio Bandensis.

Hic stat quida Princeps sine cartha supra caput, quæ nomen contineret, in eius scuto sunt duo Leones cœrulei in flauo campo.

Dux Schueidenitz
Dux Ligenitz
Lantgrauius Thuringiæ
Comes Lucemburgiæ

Comes Vuirtenbergiæ
N. Marca
Marchio Lusatiæ
Dux Holsatiæ

Et hic stat quidam Princeps sine cha rta, sed eius scutum habet Rhomboides in flauo campo ueluti hodie Dux Vuirtenbergiæ & Teck gestat

Dux Mecbelburgię
Lantgrauius Leuchtembergiæ.

Atq; hic ordo Principum etsi confusaneus uideri queat, nec in sui cuiusq; iuris obseruationem distinctus, tamen sic ibi ponitur, tanquã ita in eo conuentu constiterint.

PIOS ET BENE CHRISTIANOS NON DECERE DE SEDENDI ORDINE & honore pertinacius condendere, sed negligentius hæc curare, Mameranus ad Lectorem

Quo in terris sedeant Heroes ordine dixi,
Imperij Statuum sit quis & ordo Sacri:
Sed quoniam lites exercet is ordo sedendi,
Inter nonnullos, inuidiamq; grauem.

Est

Est opus ut uitæ, quò sit bonus ordo, futuræ
Curent, & celsi Regna beata Patris.
Ille erit æternus semper sine litibus ordo,
Sed nullos recipit ille, nisi usq; probos:
Ille decens erit, atq; immensa luce refulgens:
Numine & æterni plenus ubiq; Dei.
Huius turbator primùm quòd Lucifer esset,
Contentusq; sua nec quoq; sede foret.
Confestim cristas quòd tolleret ille superbas,
Decidit ex illo, & perdidit omne bonum.
Lapsus in horrendum subitò de sede barathrum,
Ordo ubi nullus adest, undiq; nulla quies.
Id quoq; ne perdant, hos nulla superbia uexet.
Vt cerni primus ordine quisq; uelit:
Sed potius de iure suo decedat, ut ipsam,
Seruet amicitiam, hinc gloria maior erit.
Semper Christicolis turpe est contendere honoris
Causa præfractè. perrigideq; nimis.
Hoc docet. & uerũ est, sua nos per dogmata Christus,
Vtq; humiles. mites. semper, ubiq; simus.
Sit tandem aduitam nos transferet ille beatam,
Heredes regni nos facietq; sui.
Illic lætitia pleni uiuemus in omne,
Aeuum perpetui, pleni & amore Dei.
Quod cunctis præstet Pater & cælestis, & ipse,
Filius, & iunctus Spiritus ille sacer.

OBSIDIONIS MAGDEBVRGI, ANTIQVAE SAXONVM VRBIS, ANNO 1550. ET 51. A CAESARIANIS FACTAE, SVCcincta atque historica descriptio.

PER SEBASTIANVM BESSEL MEIERVM EIVS VRBIS *ciuem Germanico primo idiomate conscripta,*

IN MADEBVRGVM TETRASTICHON

Ante quidem bellum, in bello, post deniq; bellum *Sed quoniam iam sum tot millia passa uirorum,*
Est mihi seruatus uirginitatis honos *Dic mihi quo potui uirgo manere modo?*

HISTORIA BELLI MAdeburgensis.

ANNO 1550. Henricus Dux Brunsuicensis exercitum contra urbem Brunsuigam, quò illam obsidione cingeret, eduxit. Durante uerò obsidione quum pagos et uillas circumiacentes, inter quas etiã nonnullæ suæ ditionis erant, ferro igniq; multifariã deuastasset, animaduertens suas copias minores esse quàm ut tantam urbem expugnarent, laboraretq; etiam pecuniarum angustia: tandem sua atq; suorum astutia tantum peractum est, ut Cæsar sese huic negocio immiscereret, mandaretq; partibus ut bello in totũ abstinerent, quousq; cõtrouersia causæ iure atq; iudicis sentẽtia definiretur.

ſiretur. Sic cõtingit ut bimeſtri ſpacio urbs obſidione liberata ſit militesq; ſub pacis prætextu ab utriſq; partibus dimiſſi. Id ea ratione factum eſt, ut nulla eius regionis ciuitatum, aliquid belli in poſterum ſuſpicaretur: uerùm Dux Brunſuicenſis, quum negocijs priuatis atq; domeſticis multum obrueretur, neq; ob id ex Ducatu ſuo diſcedere liceret, cogitabat abſens conſilio & induſtria efficere, id quod præſens uiribus nequibat. Iunctis itaq; ſibi Canonicis Madeburgenſibus eorumq; aſſeclis, principem quendam iuuenem & manu ſtrenuum excitabant, qui dimiſſas paulò antè copias eorum nomine conſcriberet, ſecq; illorum ducem fore polliceretur. Huic Georgio nomen eſt, ex nobili Mechelburgenſium domo oriundo, qui ſub duce Henrico Brunſuigã obſidente militauerat, egregiamq; operam nauauerat. Quò uerò huius Georgij Mechelburgenſis alacritatem magis incitarent Canonici, trium illi nobiliſsimorum Archiepiſcopatus caſtellorum, Vuantzlebij, Dreilebij, ac Vuolmerſtadij dominium decernebant, modò ui armata illa ſibi uẽdicaret. Defũctus enim erat eo tempore Ioan. Albertus Archiepiſcopus, carebatq; tota diœceſis legitimo domino, quo fiebat ut omnem ſibi poteſtatem Canonici uſurparent. Spei igitur plenus atq; fiduciæ Dux Georgius Mechelburgenſis, dimiſſas ac diſsipatas copias colligebat, hac tamen conditione ut ante decimumquintum diem elapſum imperatorem ſuum, quiſnam hic futurus eſſet, non eſſent ꝓfecturi. Interea teporis promittebat militibus regionem aliquam diripiendam, quæ & commeatus abundantiam & innumeras diuitias eſſet ſuppeditatura, quod pro ueteri conſuetudine ijs copijs contingere ſolet, quæ Duce carent. Hiſce promiſsionibus miriſi animati milites, ſumma gratulatione ſub prædictis conditionibus ſeſe imperata facturos acclamabant. Læti igitur milites, ſub Mechelburgenſis auſpicijs optimè inſtructi per diœceſim Halberſtadienſem incedebãt, quo aduſq; omnibus accolis inexpectati in Madeburgenſi archiepiſcopatu caſtra metarentur. Quem pro ſua libidine milites paſsim ferro igniq; depopulantes, atq; undique quicquid ſeſe offerret diripientes, irrecuperabile incolis detrimẽtum intulere. Cui quidem libidini nihil aliud qſiàm Caroli Cæſaris bannum, quo urbem Madeburgum Canonici atq; aſſeclæ eorum per fas nefasq; conſtrinxerant, prætexuerunt. Quod tamen ad eas ditiones quæ ad Archiepiſcopalem diœceſim pertinebant, tum temporis à Madeburgenſibus occupatas, ideò non extendi potuiſſe uidetur, quòd omnia à Cæſare tributa imperata ſemper pepẽderint. Neq; etiam in hunc finem à Madeburgenſibus fuere occupatæ ut nunquam eſſent illas reſtituturi: quinimo Canonicis, modò ad bannum Cæſareum ſoluẽdum intercederent, plenam illarum poſſeſsionem non ſemel promiſerunt, uerùm nequicquã hęc reſpiciẽte Duce Georgio, Vuantzlebiũ oppidulũ 17. Septẽbris cepit, expugnauit, diripiendumq; militibus conceſſit, prædaq; diuiſa, dimiſsis nudis ac ſpoliatis ciuibus, ignem oppido ſubiecit. Cùm autem arcem quoq; oppugnare tentaret, quæ noſtro præſidio tenebatur egregiè munita, uidens noſtrorum in eius defenſione uirtutem ſingularem, non ſine iactura ſuorum ab inchoata oppugnatione ceſſauit, req; infecta diſceſsit.

His ita geſtis, plures alios eiuſdem diœceſeos uicos ferendo agendoq; populabundi incurſitarunt, plus ſe prędones quàm milites eſſe oſtendentes, et quod deteſtandum eſt, paſsim colonos ære collato, ſeſe ab incẽdijs liberare coegere. Quo facto, quum iam domus ſuppellectilia q; ſua ab hoſtili igni immunia fore ſperarẽt, multis magnisq; Quæſtoris pollicitationibus freti, uana ſpe ducti, abeunte iam Quæſtore, à poſterioribus copijs quæ ſequebantur, quantumuis uectigali irrogato liberaliter perſoluto, omnes ſuæ facultates quę reliquæ erãt, ablatæ direptęq; ſunt. Quod equidem miſeri coloni crebra ex imis præcordijs ſuſpiria trahentes, mœſtosq; gemitus edentes, ipſi aſpexere. Atq; manifeſtum

omnibus

omnibus est, nihil quicquam fortunarum suarum infelices conseruare potuis-
se. In tanta itaq; rerum omnium denutatione constituti undiq; coloni, uiden
tes se tributo persoluto nec ignem nec hostiles manus à bonis suis auertere po
tuisse, queruli & uociferantes concurrere, uitæ atq; etiam corporũ saluti post-
hac non parcere, postquàm res amississent, coniurare. Ab urbe igitur ut suppe-
tiæ sibi ferantur, petere, quò & hostium incursiones arceri, & agrorum depopu
lationes, in posterum prohiberi possint: Quorum exemplo moti nõnulli quo-
que Archiepiscopatus uici, idem consilij capiunt: omnes uno animo quid sibi
auxiliorum ab urbe expectandum sit, audire desiderantes. Senatus igitur popu
lusq; Madeburgensis istorum lachrymis ac querimonijs multum (ut par est) cõ
motus, auxilia illis suppetias q; promisit: mandabatq; ut die Dominico, qui e-
rat D. Matthæi apostoli, armis, equis, & curribus instructi ad urbem compare-
rent. Hi læti, & ad iussa exequenda prompti, ex omni agrestium numero quar-
tum quenq; ascripsere, urbiq; adduxere. His eodem quo aduenêre die, urbs
tres equitum turmas, peditum aliquot cohortes (quæ tam ex ciuibus quàm au-
xilijs constabant) addidit, ita ut tota acies tria millia uirorum complecteretur.
Atq; sic instructa acie, additis insuper curribus, quadrigis, tormentisq; æneis
undecim, ex urbe, præmisso uallo ex bigis quadrigisq; confecto, prodiere. Pro
gressi autem ad Vuolmerstadium usq; ad duo ab urbe milliaria Germanica, i-
bi in agro uicino castra metati sunt, ac ea nocte quieuere. Ante auroram uerò
motis castris, hostibus in Hilderslebio tum consistentibus sese ostenderunt, qui
parua interiecta mora se ex uico effudere, utrinq; conferre signa parati. Nostri
igit̃ acie instructa, atq; suis omnibus intra uallũ receptis, ciuib. auxilijsq; in pri
mos ordines, ubi summũ plerunq; imminet periculũ, collocatis: hostis nostro
rum institutũ intelligens, atq; etiam cataphractorum dispositionem notans
celerrimo usus strategemate, acie suorum circunuersa, seminudam post princi
pia agrestium multitudinem adorsus est: quod equidem nostri, carrorum impe
dimentis impediti, commodè prohibere nequiuerunt. Tum agrestes copiæ,
iactatæ paulò antè fortitudinis immemores, quæ etiam calceis suis obruere ho
stem comminatæ erant, abiectis turpiter armis aufugere, flebiliter ululare, ordi
nes denicq; nostros turbare. In hanc ordinum perturbationem confusionemq;
hostes adeò sese implicauerant, ut à militib. nostris socijs ab aduersarijs uix am
plius dignoscerentur. Rebus ita perturbatis, hostium interim equitatu denso
cuneo in nostros irrumpente, impetusq; uiolentia totam aciem dissoluente,
magnus agricolarum numerus, qui fuga iam saluti consulere satagebant, truci
datus est. Milites quoq; nonnulli atq; etiam ciues interempti sunt, bona tamen
eorum pars captiua abducta, maior obuium flumen tranando, ubi periculosa
difficilisq; sese equitibus offerebat persecutio, euasit. Ciues autem magno ære
suam redimere captiuitatem oportuit, adeò ut multis tota etiam bonorum suo-
rum summa uix sufficere potuerit. Quod ad milites uerò attinet, quà nam ab
hostibus ratione tractati & liberati fuerint, infrà suo loco latius explicabo. Re-
deamus igitur ad ciues. Crudelissimè hi unà cum agricolis ab hoste habiti sunt.
Hîc honestior paulò delicatiorq; habitus multis florenorum millibus præsta-
bat, quòd omnes qui pannosi uilioribusq; uestibus incederent, etiam postmul
tos à captiuitate dies elapsos ab equitibus perfoderentur. Insequenti à prælio
commisso die, omnibus nostris tormentis, curribus atq; quadrigis in Hildersle-
bio relictis, Mechlelburgensis Dux instructa nobilium stipatus caterua, ad im-
pedimenta ea uisenda profectus est. Contemplatus igitur illa, ridẽs in hæc uer-
ba prorupit: Ita sanè oportuit Madeburgenses ludicra Martis prœmia degusta-
re. Ad quæ uerba unus ex comitibus hoc modo respõdisse fertur. Ita sanè est ut
dicis, illustrime princeps. Madeburgenses bello nos prohibere, omniaq; con-
silia

filiã noſtra ſubuertere conati ſunt: nunc uerò noſtris oculis omnes cernimus, equis, quadrigis, curribus bombardisq; nos egregiè ſtrenueq; ab ipſis promoueri. Quid hîc aliud dicendum eſt, quàm Deum Opt. Max. à noſtris partibus ſtare, & Madeburgenſes ob ſtolidam eorum pertinaciam punire? Nunc tandẽ Principes omnes, cæteriq; duces ultrò noſtras ſequentur partes, neq; ullus erit miles qui non noſtra ſit ſtipendia exoptaturus. Atqui utinam nobis antè impudens illorum ac deteſtanda audacia conſtitiſſet, quàm tantum captiuorum numerum abduximus, nimirum omnes his noſtris manibus trucidaſſemus. (Conſtans autem fama hoſtium caſtra peruagarat, nos funibus reſtibusq;, quorum magnam ad impedimentorum promotionem copiam aduexeramus, in alium uſum nequaquam, omnes captiuos ſuffocare conſtituiſſe) Huic iterum reſpondens Dux Melchelburgenſis, ſic fatur, Non eſt bone vir quod de hoſtium iugulatione conqueraris: Id enim ſatis ſuperq; mihi conſtat, centum me eo die hoſtium animas hac dextra ad orcum miſiſſe: lingulari enim uoluptate demulcebar, hoſtium agmina fœniſecę inſtar adiicere. Huius rei teſtes prouoco arma undiq; cruore conſperſa, enſem ſanguine calentem, manum deniq; hãc ex multiplici hoſtium ſanie fumantem. Talia erant iuuenis furibundi, ac ſanguinolenti principis uerba, ex immoderati caloris pectore magis quam animo ſedato prolata.

Statuis interim per aliquot dies in Hilderslebio habitis uſq; ad Iouis, qui erat primus poſt D. Mauritij feſtum, uaſa hoſtis concinnare præcepit. Motis igitur inde caſtris, ad Schonbeccium poſita ſunt. Huc nobiliſsimus comes Ioannes Geor. Mansfeldenſis frequenti cum nobilium comitatu appulit, qui exercitus præfecto, cæteriſq; ducibus ſalutatis, expeditam militum cohortem adducere promiſit. Lęti ex tanti uiri aduentu hoſtes, tamq; ex liberali eius promiſsione elati, dignas Comiti gratias egere. Ipſe uerò paucorum dierum interuentu milite conſcripto promiſsis ſuis liberaliter ſtetit.

Iiſdem propè diebus Dux Mauritius, Ioachimus Marchio Elector, Albertus Marchio Colnbachenſis ualido cum equitatu ad exercitum aduolauere. Quarum ſanè copiarum opportuno aduentu hoſtes (ut par erat) multum lętati atq; animati ſunt. Tum immutatis imperijs Dux Mauritius & Albertus Marchio, totius exercitus imperatores à militibus ſalutati ſunt: Georgius autem Mechelburgenſis equitum magiſter creatus.

Sic in dies ſeſe augentibus corroborantibusq; inimicorum uiribus, inſolenti, ut fit, animi truculentia efferebantur. Rati igitur urbis præſidia langueſcere, atq; iam metu ſuarum copiarum torpere, nullum unquam amplius propugnationis ſpecimen præbitura putabant. Et quod multum illorum fiduciam confirmabat, ex falſa quorundam oratione urbem iam & milite & telis & commeatu denicq; denudatam eſſe, credebant. Itaq; conſilio inter ſe inito, uias aditusq; omnes, ad urbem deferendi commeatus commodiores, præcluſerunt. Verùm diuinum auxilium, quod omnibus humanis uiribus conſilijsq; potius eſt, urbi noſtræ nunquam non præſens & opidulans, abunde milites ſubmittebat.

Præſidijs enim Brunſuicenſibus iam dimiſsis, atq; urbis eius obſidione ſoluta, haud ſpernendus militum numerus, qui partim pro urbe, partim contra urbem militauerant, ſeſe nobis offerebat, nomenq; dabat, noſtra ſtipendia cæteris omnibus præferens. Sic ex militibus partim, partim etiam ex ciuibus qualicunq; exercitu confecto, qui abſq; intermiſsione ferè, nocte ac die inſolentes hoſtium incurſiones excepit, longam ac diuturnam obſidionem toleraumus.

In tali ſtatu rebus noſtris conſtitutis, nobiles paſsim in diœceſi requiſiti ſunt, ut ſinguli pro uiribus ſeſe armis equisq; expedirent. Quod eo prętextu factũ eſt, ut hunc omnem nobilium apparatum contra hoſtem comparari, agris iam

uicisq; diœceseos imminentem, nostri arbitrarentur. Nobilium igitur quisque pro facultate futuro se bello præparauit. Horum nomina cognominaq; equestres apparatus, equorum denique numerus infrà à nobis recensebũtur. Eodem tempore Halæ Saxonum una peditum cohors conscripta est, non secus arbitrata, quàm se in Madeburgensium auxilium acciri: uerùm & hæc præter opinionem Madeburgicis Canonicis, & Georgio Duci, illorum ductori, adducta est. Principibus igitur nonnullis, Comitibus, nobilibusq; compluribus congregatis, qui iam omnes uires suas collegerant, ita ut nihil amplius ad rem gerendam desiderari posse uideretur, erectis signis 4. Octobris die à Schõbeccio decesserę, inde ad Fermerslebium iuxta Albim situm, castrametandi gratia procedentes. Eo in loco aggere urbem uersus iacto, ac usq; ad agrorum quæ illic est eminentiam protracto, castra quoq; uallo & fossa undiq; circundere. Hæc cum milites nostri ex muro atq; propugnaculis uidissent, unam atq; alteram cohortẽ ex urbe emisere, qui hostem diuersis in locis lacessendo euocarent, operiq; intentos arcerent, atq; etiam si fieri posset opus disturbarent.

Hostis itaq; hanc nostrorum audaciam ægreferens, fortissimè repugnando se suaq; opera defendebat: quò factum est, ut eo die acerrimè ab utrisq; partibus conflictatum sit. Durante uerò cruenta hac pugna, hostes instructa intra uallum acie suorum uelitum fortunam expectabant. Laborantibus autem illis, & nostrorum uirtuti iam fere cedentibus, maiores copias submisere. Renouato itaq; aliquã ex parte prælio, nostri uiæ angustias quæ illic non longè à Buggoa absunt occupauere, quarum commoditate freti, ab hostium multitudine nullo modo circumueniri potuerunt. Quod animaduertentes hostes, fatigati iam ac anhelantes, receptui cecinere.

10. Octobris nocte intempesta hostes magnis clamoribus sublatis, furente ac uiolento impetu usq; ad urbis portas fossasq; ferebãtur, nimirum quòd mœnibus faces admouere in animum induxissent, seu (quod magis credo) nostram in defendendo uirtutem, si quæ esset, ac propugnaculorum industriam periclitaturi. Nam militibus nos carere ob temporis breuitatem, expeditionibus maximè incommodam, contrà uerò agricolis atq; paganis urbem refertam esse, omnino hostibus persuasum erat. Quod falsum esse, missilia ac multa uariaque tela, quibus ipsi à nostris continenter impetebantur, satis superq; demonstrabant. Neq; ab ea nocte muris nostris appropinquare adeò temere ausi sunt, q; tormenta nostra innumeris globulis ac clauis laminisq; constipata, exonerata deinde maximam illorum stragem ædidissent. Hanc suorum insignem iacturã nostros celare cupientes, ad auroram usq; cadauera hinc inde postrata colligebant, certis ad id negocij constitutis, qui longius protractata à mœnibus humi mandarent. Atq; sine dubio boni prudentisq; imperatoris officium est, non tã suis quàm hostibus etiam cladem acceptam, si quo modo fieri id possit, abscõdere: ne hi fortunæ beneficio elati, altiores colligant spiritus, illi autem desperabundi animis frangantur.

Crastino die manè nostri in agris passim loricas. cassides, bõbardas, calceos, terram sanguine madentem, brachium denique à militis pectore tormenti globo duulsum reperere, quò factum est ut detrimentum à nostris acceptum celare ulterius nequiuerint. Pistrina enim magno suorum infortunio et dispendio incenderant, quum ab ignis splendore facilius conspicerentur, eoq; directius certiusq; à nostris peterentur. In recessu autem eo, quem, ut par erat, molestissimè ferebant, elaphanticomio uicino (facinus hercle omni militari disciplinæ aduersum atq; repugnans) ignem subiecere. Conflagrante igitur misero leprosorum domicilio, Deo adiuuante omnes ægri incolumes euasere, cubiculo illo in quod confugerãt ab igne neutiq; adusto: mirum dictu, nisi diuini auxilij præsentiam

ſentiam ibi operatam eſſe crederemus. Exinde languentes illi omnes, quorum maior pars elephantiacorum erat, à noſtris in urbem recepti ſunt, ac elephanticomij reliquiæ ſemiuſtæ ſolo æquatæ. Die inſequenti manè, qui erat undecimus Octobris iterum acerrimè utrinq; pugnatum eſt, uerùm ut ſæpius tumultuariè atq; uelitaliter. Noſtri uerò milites Hortum Montanum, locum ſui natura ad hoſtium inſultus propellendos commodiorem, occupauerant: quod quũ aduerſarij animaduertiſſent, illos ut loco cederẽt ſummis uiribus urgere, ferreisq; tormentorum globis undequaq; impetere. Verùm noſtri, omni telorum impetu poſthabito, conſtanter loci occupati commoditatem eouſq; conſeruare, quo hoſtem iam nutabundum anhelãtemq;, atq; omnia ſua tormenta iam exoneraſſe, idq; incaſſum ferè, perſpicerent. Tum demum relicto Horto Montano, ſubita ac repentina impreſsione facta, excurrêre, hoſtemq; in fugam uertêre. Atq; ita noſtrorum uirtus magna cum laude emicuit, ſeſeq; oſtentauit. Fuſis igitur (ut dixi) hoſtibus, quum foſſa ſeſe fugientibus offerret lata atq; alta, atq; adeo quam tranſilire nequicquam niterentur, omnes glomeratim præcipitesq; pontem uerſus, qui iuxta molam ibi eſt, ferebantur. Ea de cauſa quum quiſq; primus pontem ſuperare obnixè cõtenderet, denſaq; acie progrederentur, non poterat non fieri, quin magna illorum pars à noſtris, multis uarijsq; bombardarum ictibus proſternerentur. Quo factum eſt, ut tandem magna ſuorum ſtrage ad caſtra lamentabundi reuerſi ſint. Duodecimo igitur Octobris, induciæ (commune diuturni belli remedium) pactæ ſunt, ut & mutua utrinq; colloquia tutò habere, & ultro citroq; ea, quę neceſsitas exigere uideretur, proponere liceret: ſic enim fore, ut tota res, quæ hactenus ferro acta ſit, æquis tandem cõditionibus tranſigatur. Quibus de cauſis eodem inducíarum die, Vuolfgãgus Princeps Anhaltinus urbem ingreditur, quem exinde Ioannes Scheyring, Ducis Mechelburgenſis ab epiſtolis, & Holſteinus, uterq; lurecõſultus, ſubſequuti ſunt, ſperantes conceptam iam animis pacem promouere atq; concludere. Verùm quũ Madeburgenſibus uiderentur conditiones ſibi offerri iniquiores, quàm ut quę pacis ſpeciem ullam præ ſe ferrent, Senatus Populusq; illas reiecit, atq; ſic re infecta ab utraq; parte diſceſſum eſt. Nihilominus durantibus inducijs permulta ab hoſte petulãter procaciterq; perpetrata ſunt, ac inter cætera D. Michaelis ſuburbio (turpe equidem dictu) ignis ſubiectus eſt, à quo domus nonullæ incenſæ, in cineres redactæ ſunt.

Etſi uerò Ioachimus Marchio Brandeburgenſis, Elector, & Henricus Brunſuicenſis Dux copias ſuas, atq; omnis generis tormenta ad urbis excidium miſerint, obſidionemq; quoad illa perduraret & uiribus & conſilio iuuerint, nunquam tamen præſentes ipſi ante urbem comparauere, neq; etiam in caſtris traxere moram, niſi quòd ſemel atq; iterum ea uiſendi gratia acceſſerunt. Certis enim de cauſis domi ſuæ detinebantur, quòd aliquot militum cohortes paſsim in urbibus maritimis ſeſe continerent, neminiq; quonam tendere conſtituiſſent, ſatis adhuc compertum eſſet. Illud autem certum erat, contra Madeburgũ illas nihil quicquam molituras, neq; etiam eius rei gratia conſcriptas: imò multò magis Madeburgẽſium hoſtes obſidionem ſoluere coacturas, ſi modò progredi ſimul integro exercitu conceſſum fuiſſet.

Vigeſima Octobris Ioachimus Marchio, Elector, aliquot turmis ſuorum circumſeptus relictis Vuolmerſtadium petijt. Progrediente uerò illo è regione urbis, manipulus Sclopetariorum ad urbis præſidium ex Goslaro proficiſcentiũ, ab eius equitibus interceptus eſt et obtruncatus. Duo tamen ad necem uſq; nõ uulnerati, Marchionianis iam abeuntibus, ſeſe rurſus in pedes erexere, à noſtris uulnerati, Marchionianis iam abeuntibus, ſeſe rurſus in pedes erexere, à noſtris tandem in urbem deducti ac curati ſunt. Noſtri uerò quum Marchionianos uidiſſent, ulla abſq; mora pugnæ ſeſe committebãt, compluresq; uulnerabant:

atq; quum ex urbis etiam aggeribus, crebris tormentorum ictibus peterentur, multi ex equis deturbati sunt, ita ut celerrimè urbe decedere cogerentur.

Vigesimaseptima Octobris uelites nostri prompto animo alacriq; studio dimicandi sese in planiciem, quæ super Buggoam est, effudere, ibiq; hostem prouocauere. Cum igitur ab utrisq; diu strenuè fortiterq; pugnatum esset, hostes tandem in fugam sese coniecere, quos nostri acriter persecuti sunt.

Hostes itaq;, quibus ingens suorum periculum ob oculos obseruabatur, tormentis ac catapultis per castrorum uallum dispositis, nostros multum incipiebant urgere, ita fiebat ut nostri, multa demum post uirturis opera perpetrata, sese ad urbem reciperent.

Die omnium sanctorum, iterum ab utrisq; in cãpo Harsdorffẽsi acriter uelitatum est: uerum equites nostri in fugam uersi, ab inimicis usq; ad pistrinum, quod iuxta portam D. Vldarici est, urgebantur. Ex improuiso enim ab una hostili equitum ala circundabantur, cum pedites nostros, qui latius sese in cãpos sparserant ab hostibus lacessiti, uindicare cuperent, Ex urbe igit quũ nostros urgeri cõspicerẽt multi sese ad equites subleuãdos ex portis proripuere. Duo tamen ex nostris desiderati sunt, nobilis quidã cum armigero suo, uterq; bombardę ictu saucitati atq; in urbem delati, ubi oppetiere. Quorum cędes grauiter uindicata est, quum multi aduersariorum ex aggere nostro magnis tormentorum g obis prosternerentur.

Quinta Nouembris die insequenti, hostis iuxta Albim fluuium in agro Buggoensi ualidum aggerem iacere, uallumq; terra palisq; contextum construere cœpit: quod deinde præsidio, ex duobus peditum uexillis nonnullisq; equitibus constãt, muniuit, & si tũc castra in Fermerslebio metata essent. Interea ab utrisq; in agro non logè à lacu Rotterdorffensi concursum est, nostri tamen illęsi integriq; in urbem rediere.

13. Nouembris, pedites equitesq; nostri agmine facto erupere, ac cum hostibus iuxta Hortum brassicanum conflixere. Occupantibus autem nostris horum sepibus atq; latibulis, ab hostibus non nisi magna cum difficultate arceri poterant. Quod ægre ferentes hostes, relicto eo loco in campestria sese, ubi nosocomium est, contulere: qua de causa & nostri quoq; relictis hortis, ex altero hostium latere eousq; progressi sunt, quò iam & nosocomium & uiæ quæ illic est angustiam, ullo absq; impedimento occuparent. Procurrentibus autem aliquot equitum alis ex aggere Buggoensi, quò militibus suis qui sparsim iam in agris dimicabant, auxiliarentur: sclopetarios nostros extra nosocomium longius diuagatos, intercipere ac circumuenire satagebant, ignorantes nostrorum insidias post nosocomtij muros tectas ac latitantes, quibus iam proximi facti erant. Verum sclopetarij nostri quasi grandine emissa globorum, equites istos multis prius prostratis terga dare coegere. Hîc nobilissimus iuuenis Arnstettẽsis, à sclopetarij globo percussus, magno suorum cũ luctu cecidit.

17. Nouembris motis castris ex Fermerslebio iuxta uicinum ibi uicum metati sunt. Duobus exinde diebus elapsis, extra uicum Harsdorffensem aggeres iacere fossasq; ducere aggressi sunt, rectà uersus urbis mœnia prospectantes. Quibus pro necessitate diligenter egregieq; confectis, cratibus etiam acutis propugnaculis, magnoq; tormentorum æneorum numero muniuere. Huic munitissimo operi duo militum uexilla præsidij loco imposuere, reliquo exercitu ad Dessdorffium consistente.

In die Diuæ Elisabethæ acre iterum prælium ad Hortum brassicanum prope Shcrottdorffium commissum est. Eo in prælio pedites nostri summa uirtutis documenta præbuere. Omni enim equitum auxilio destituti, quorum ne unus quidem tum extra urbem erat, omnia nihilominus circa hortos loca ad

sui

ſuſ defenſionem aptiora occupauerant. Hoſtes igitur inter ſe ineuntes conſilium (cuius ſi ſucceſsiſſet euentus magna noſtros clade affeciſſet) unam equitū alam altera ex parte Schrottdorffij ſubmiſere, quæ eo in loco in lautumijs ad noſtros ex improuiſo circumueniendos, ſeſe abdiderat. Ex altera parte pedites ordinauerant, qui ualida impreſsione facta noſtros in hortis adorirentur, atq; ſic in medium actos undequaq; circundarent.

Verum noſtri, hoſtilis conſilij ſua prudentia participes facti, equitibus inimicorum iam eò loci irruentibus, relictis hortis collem à tergo hoſtium (à molatrinis cognominatum) occupare. Exiſtimantes igitur noſtros ſeſe fugæ committere, alacres inſequi, ad collem uſq; procurrere, noſtros contis miſsilibusq; adoriri. At noſtri collis præcipitio freti fortiter ſeſe defendere, fixis pedibus reſiſtere, ferreisq; globis aduerſarios adeò conſcindere ut etiam inuitos pedem referre oportuerit. Pedites uerò noſtri equos quum eorum complures claudicare, equitesq; inſidentes nutare, partemq; ex ipſis pendere animaduerterent, demiſsis ex colle Sclopetarijs aliquot fugientibus à tergo inſiſtere præceperunt, crebrisq; globorum ictibus perſtringere. Qua de cauſa hæc equitum ala, quæ noſtris inſidias ſtruxerat, & à nobiliſsimo ſtrenuiſsimoq; Duce Mechelburgenſi ducebatur, magnam ſuorum ſtragem perpeſſa eſt. Paruмq; abfuerat, quin etiam illis uexillum noſtri eripuiſſent: uexilliferi enim equus globo traiectus, ſeſſorem ſuum ferè in extremum periculum coniecerat. Interea dum hæc extra mœnia euenirent, non ceſſabant etiam qui intus erant, hoſtem maioribus tormentis ex muro atq; aggere impetere: qua ex re ingens generoſiſsimorum equorum numerus eo die deſideratus eſt.

20. Nouembris pueri adoleſcentesq; noſtri, qui prope noſocomium terram effoſſam tranſportando opus faciebant, hoſtes ſecuros ac reſpirantes (ut circa meridionales horas fieri conſuetum eſt) importuni interturbabant. Famulæ enim ſupparo detracto, eoq; ad ſpeciem militaris ſigni ſublato, collectis armorum loco palis, ligonibus ac bibentibus, qui ibi operis cauſa ſparſi iacebant, inſtructa acie uallum uerſus per agros incedebant. Hoſtes igitur ad arma conclamantes atq; excurrentes, noſtrorum inſidias doloſũ erati, hinc inde in agris diuagabantur. Tandem puerorum cateruam agnoſcentes, in caſtra ſe magnis cachinnis recepere.

23. Nouembris iterum tam noſtri quàm aduerſarij utrinq; ex ſuis propugnaculis prorupere, cateruatimq; in campis Desdorffienſibus conſeruere manus. Hoc in concurſu permulti inimicorum ex urbis uallo grauioribus bombardis diſcerpti ſunt. Springerus autem capitaneus, uir manu promptus, unà cum gregario milite à ſclopetario quodam, citra tamen uitæ periculum, ſauciati ſunt.

24. Nouembris, hora octaua ante meridiem, hoſtes urbis Telorieum expugnare aggreſsi maiora tormenta ad percutiendos muros produxere. Senatus igitur ſatis perſpectum habens hunc locum, quòd ab urbe remotior, & in ulteriori fluuij littore ſitus eſſet (, contra maiorem hoſtium uim diutius obtineri nõ poſſe, aliquot militum cateruas emitti iuſsit, qui admotis facibus illum exurerent. Hac re uti mandatum erat confecta, hoſtes iuxta pontem (cui à longitudine nomẽ eſt) aggere facto ualidum propugnaculum conſtruxere, uniuſ cohortis præſidio ibi relicto. Reliquę uerò copiæ in Cracgoa conſederunt, quam uallo & foſſa circundederunt, & cœmiterium tormentis omniq; telorum genere communierunt.

28. Nouembris bini conflictus à noſtris cum hoſte commiſsi ſunt: alter prope Sudeburgenſe patibulũ cum ijs equitibus, qui ex aggere Desdorffenſi procurrerant: alter prope D. Michaelem in uineto cum pedite, qui ex Buggoenſibus caſtris proruperat. Hoc in conflictu, hoſtibus paſsim per uineta latitanti-

bus, perq; uinearum sepes globos emittẽtibus, decem ex nostris traiectos prostrauere. Eodem die hora nona pomeridiana hostes nonnullis domibus in D. Michaelis uicinio ignem intulere, quibus conflagrantibus usq; ad Sudeburgẽsem portam accurrerunt, certatim piceos intra mœnia circulos iacientes. Actis uerò ob crebriores hostium insultus Sudeburgensibus uigilijs, tantam tantemq; operam nauauerunt, ut ad uiolentiam hostium propulsandam maioribus copijs non eguerint: omnis enim generis missilibus etiam ex stratione eiaculatis, hostẽ adeò ursere molestauereq;, ut ab oppugnatione citius quàm uellet desistere, req; infecta ac nonnullis suorum lapidibus contritis, sese recipere cogeretur. Receptui igitur quum ceciniſſet hostis, neq; ulterius Sudeburgẽses lacessendos existimaret, per unam atq; alteram horam omnia præter nostrorum opinionem tranquilla ac mussitabunda audita sunt. Quibus elapsis exim prouiso Neustattium inuaditur, quod ulla absq; difficultate, nemine omnium repugnante occupatum est. Nullis enim ea nocte excubijs aut contemnendis admodum habitis, quòd maior pars ciuium uino somnoq; sepulta iaceret, perfacile captu oppidum sese hostibus obtulit. Nam quum eo die nouos magistratus creassent, magnam eius partem pompis (ut fit) compotationibusq; consumpserant. Verùm complures Neustattiorum ciues ipsi cõfessi sunt, se, nocturnis illis apud Sudeburgum tumultibus perceptis uisisq; crebris ignibus in D. Michaelis suburbio emicantibus, ea de re ad magistratum pertuliſſe, quò in tempore futurum quoq; periculum ratione atq; consilio auerteret. At respondentibus ciuitatis prioribus, de nullis sibi hostibus constare: quòd si Madaburgenses aliquid simultatum exercerent, sibi ipsi etiam prospicerent, maturę hæ ciuiũ prę monitiones nihil quicquã apud illos profecere, imò ad intermissa conuiuia ipsi rediere. Quod equidem facinus multis optimis ciuibus, uti proditione tinctum, suspectum fuit, de eoq; diu multumq; conquestum. Nam prima uigilia conscensis mœnibus, hostes miro cum silentio oppidum intrauere, non prius quàm omnes intrò recepissent, ad arma clamantes. Oppidanis igitur ab insolito clamore experrefactis, ac suis quibusq; ad arma uocantibus, obuiam per uicos hostibus facti, miserrimè iugulabantur: ij uerò qui extra ædes prosilire dubitauerant, bonis illorum atq; facultatibus direptis, capti oppido tandem decedere, atq; aliò emigrare iussi sunt: Eiusmodi finem ignauos ac temulentos magistratus sortiri perspicimus, exigui incommodi res, nisi & aras & focos & coniuges denicq; liberosq; ciuium in extrema pericula conijcerent.

Verum & hoc quoq; fortasse oscitantis istius securitatis Neustattensium causa fuit, quòd cùm cętera diœcesęos oppidula, atq; Sudeburgum etiam, oblatam stipendij impositionem acceptassent, neque ipsi eam renuendam existimarunt, quòd stipendio numerato omnia illis salua ac integra bona fide sponderentur. Hoc inquam nimirum fuit, quod in utramq; illos aurem dormire fecerit. Sed ut paucis dicam, neq; ipsis data fides profuit, nec sponsio facta iuuit quicquam, imò coniugibus ac liberis datis, domos atq; facultates suas hostice dere necessum fuit. Quo iure tituloue hostis bona illa usurparit, cuilibet ego deliberandum relinquo. Maior deinde horum Neustattensium exulum pars in urbẽ nostrã: nõ sine incõmodo ob cõmeatus nostri tenuitatẽ, intromissa est.

Occupato igitur ab hostibus absq; multo labore, ut dictum est, Neustattio, ut sum est nostris ducibus unã peditum cohortem emittere, qui idem oppidũ ab ea parte, qua nostris mœnibus proximus est, circumquaq; igne illato incendio deuastarẽt. Id à pedite nostro gnauiter peractũ est, multiq; etiã hostiũ ab ipso in domibus trucidati, capti perpauci, inter quos Henricus de Nureberg centurio, ad urbem deducti. Verum nullo uento secundiore flante, qui flammas serpentes latius diduceret, ignis latius peruagare non ualuit. Dum hæc fierent,

hostes

hostes aggeres facere non cessare, Diuorum Laurētij & Agnetis cœnobia munimentis ac propugnaculis circunducere, crates per aggeres disponere: quibus omnibus ritè confectis, crebris tormentorum ictibus domos tectaq; nostra, non mœnia, impetebant.

29. Nouembris hora secunda pomeridiana communi nostrorum decreto, Sudeburgum igne facto atq; subiecto funditus sublatum est. Quod sanè incō modum multis antè diebus præuenire Sudeburgenses potuissent, si sano nostro bonoq; consilio credere uoluissent. Sed quod ridiculum illis tum uidetur, in lachrymas tandem ploratusq; conuersum est. Verùm cuiuis uascula, suppellectilia, uestes, pecunias denicq; colligere datum est, ita ut quicquid asportari potuerit, saluum unà cum uiris, coniugibus liberisq; in urbem receptum sit. Eo die quadraginta millia hominum in urbe connumerata sunt, quorum magna pars inopes atq; egeni stipē quotidie emendicabant. Senatus igitur de hisce hominibus frequentius consultans, conclusum tandem est, ut, tanquā reipub. inutiles atq; incommodantes, urbe ejicerentur: quod tamen commodè (nimirum fato diuino prohibente) fieri nunquā potuit. Quum em certo die ad D. Petri sepulcretum conuocarētur, ubi oratione habita ac pane distributo, nauibus deinde, ad in negocij iam paratis destinatisq; aueherentur, ecce subita ac repentina tempestas imbribus turbinibusq; permixta exoritur, quæ tanta talisq; fuit, ut nullus remigum nautarumue fluuio se committere auderet. Durauit hæc tempestas diebus aliquot cōtinuis. Sic certè euenit, ut omnes illi homines, senatus decreto irrito facto, in urbe permanserint. Erant tum ex illis nonnulli, urbis necessitatem famemq; imminentem considerantes, qui ultrò abire uolebant. Qd cùm illis permitteretur, per agros iam proficiscentes ab hostiū equitatu in urbem redire plagis uerberibusq; compulsi sunt, subinde clamante, ut reliquias ac quisquilias nostras consumere strenuè adiuuarent. Atq; ita etiam isti qui alibi uictum quæritare sperauerant, in urbem inuiti recepti sunt. Singulari hoc Dei prouidentia contigisse quis negabit? qui sapientiam hominum stultitiam esse ostendit, magisq; in suo auxilio quàm hominis consilio fidendum esse, multis præclarisq; exemplis domonstrat.

Die D. Andreæ apostoli militum nostrorum aliquot manipuli nauibus Albi Neustattium usq; delati sunt, quò alij hostem ad uelitationes prouocarent, alij interim sopitas in semiustis domibus flammas iterum excitarent. Verùm aduerso nostri Marte dimicantes in fugam uersi, paucis tamen amissis ac uulneratis, in urbem rediere.

4. Decembris nocte iam ingrauescente quinq; nostrorū militū manipuli, iterum naues ingressi, secūdo fluuio inter bina hostium castra Cracoēsia & Buggoēsia, usq; ad uicum Salbigensem deuecti sunt. Eo in loco in uilla quadā hostilis sclopetariorum manipulus, qui pabuli gratia ibi constiterat, à nostris inter ceptus est. Nauibus deinde omnis generis cōmeatu oneratis, ac uilla incensa, celeri cursu saluis omnibus domum repetire.

5. Decemb. nocte intēpesta, nostris nil tale cogitantibus, ab hoste qui in Neustattio excubabat ad arma conclamatū est. Impigrè igitur illorum milites armis assumptis usq; ad urbis fossas excurrēre, uerū ingenti minorum globorū grandine à nostris excepti retrocedere ocyus coacti sunt. Duobus autem hostiū fabris (uulgariter fossores appellamus) ex improuiso in fossas nostras delapsis, alter ex illis à ceruo, quorum nonnulli in fossis erant inclusi, cornupetebat. Spectrum igitur ille diabolūue ratus (quòd ob spissiores noctis tenebras nihil cerneret) facto crucis signo ad Deum orare exclamareq; occepit, subindeq; propitium urbi numen præesse protestari. Nihil tamen orando proficientē ceruus iterum prosternit pedibusq; proculcat. Desperabundus igitur socium suum,

quem Ciriacum uocabat, appellare: uerum is iam (nimirum cerui ferocia perturbatus) aufugerat, seq; inter latibula absconderat, ltaq; misero fossore iam semimortuo, stationarijs nostris admiratione captis, quid nam sibi uellent uoces illæ querulæ ac lamentabundæ, militem ex statione funè demiserunt, qui hunc quisquis mortalium esset uecti imponeret, ut sursum pertracto, ex eo quidnã machinatus, aut quo casu in fossam præcipitatus esset, resciscerentur. Verum multis ac uiolentis cerui insultibus contusus, in pedes erectus stare nequibat. Miles igitur morti iam uicinum, telo pectori adacto, confodit: satius esse ratus citò mori hominem, quàm diutius magnis cruciatibus confici. Ego autem hunc casum, quicquid alij sentiant, prodigij loco habendum cẽseo. Idem enim ceruus contra militem nostrum ex statione demissum, etsi sæuiens adhuc acindignabundus, ne ingressus est quidem, tantum abest ut cornupetere tentauerit. Huc facit, quòd sæpius antea tam famulę quàm pueri, in eadem fossa herbas metere soliti, eodem cerno illic pabula sua quærente, illæsi nihilominus atq; incolumes semper redierint. Atq; talia miseri istius fossoris fata extitere. Comes autem eius quem Ciriacum appellitauerat, in fossa adhuc latitans deprehensus est. Interea dum hæc acciderent, Lazarus de Schuuenda, Cæsareæ Maiestatis militiæ præfectus, in hostium castra peruenit, ac in Neustattio per aliquot dies commoratus est.

11. Decembris tam pedites quàm equites hostium, quibus Desdorffense uallum commissum erat, uiolento impetu eruperunt. Quod nostri ubi animaduerterunt, cateruatim sese extra mœnia in campum coniecere, hostiũ congressus iamiam exoptantes. Sclopetarij autem hostium, relictis suis equitibus in agros longius euagati, magna à nostris ui impugnabantur. Quod eminus prospicientes equites, uesani atq; animis fracti, magis de fuga quàm de sclopetariorũ suorum salute meditantes, præcipiti equorũ cursu in uallũ suũ sese recipiunt. Omni igitur subsidio destituti miseri Sclopetarij, etiam ipsi fugam capientes, rectà fossam uersus, qua Desdorffense uallum circundederãt, tendere. Verùm cùm fugæ iter longius sese protraheret, quàm ut animis conceptam fossam attingere daretur, à nostris equitibus cursu præuersi miserabiliter trucidati sunt, senis tamen exceptis, quibus mitiora fata captiuitatem mortis loco indulsere. Eodem die quo hæc fierent, currus nonnulli multiplici commeatu onusti, ac ad Neustattium euntes, à nostris intercepti & in urbem deuecti sunt.

12. Decembris milites nostri, qui usq; in eum diem à prælio Hildersleben si apud hostem detenti fuerant, in Neustattium conuocati sunt, quò ære imposito connumerato, dimitterentur, tandemq; ad suos remearẽt. Id ita fore rati milites captiui. fidem hosti datam lxti liberauere. Verùm præter omnium opinionem, sex tantum captiuorum manipulis admissis, nec pecuniam ab illis accipere uoluerunt, nec fidei datæ liberos pronunciare, nisi in urbem se non reuersuros iurarent. Id eò hostis tentabat (etsi præter disciplinam militarem) quòd omnes ferè captiuos, ueteranos esse nouisset, trecendorumq; numerum superare. Ex his Centurio quidam erat Gallus Vuydmarus de Pfuffendorf, uir iam planè canus, uerùm patiens laborum, reiq; bellicæ usu cum paucis conferendus. Hunc hostes multis uarijsq; pollicitationum illecebris ad se pertrahere tagentes, ducem horum trecentorum fore promittebant, modò urbis stipendiis renunciarent, sibi uerò nomina darent. Id constanter recusare captiui unàcũ Centurione, quiduis pro urbe tolerare uelle proclamãtes, mortem eñ se honestã omni uitæ turpitudinis notâ conspurcatæ, longè proferre. Horum igitur cõstantiã ac fortitudinem hostes admirati, & pertimescentes, etiã additis equitum suorũ turmis, omni illos ad urbem aditu prohibuere, & Quedelburgum deduxere: quò cùm peruentum esset, iuramenti religione astrinxerũt, ne inde discederent

derent niſi quatriduo elapſo. Atq; talis inimicorum fides fuit, quam captiuis noſtris præſtiterunt.

Circa eadem tempora Mauritius Saxoniæ Dux, aſſumptis ſex peditũ electorum uexillis, nonnullisq; equitum alis, ex caſtris diſceſsit, quò militibus illis, qui in maritimis urbibus Madeburgenſium cauſa conuenerant, in tempore occurreret. Hos callido conſilio & ſubdolo cùm diſpartitus eſſet, quatuor uexillis ad ſe allectis, noſtris auxiliis ſuas augens copias, ſocietatem illorum & amicitiam, qua uobis cupiebant deuinciri, omnem ſuſtulit. Huius uerò negocij totam ſeriem, res ipſa & euentus aliquando docebit.

14. Decembris equitum noſtrorum aliqui, adiunctis ſibi nonnullis ſclopetarijs, fortunam tentare aggreſsi, ex D. Vlrici porta proſiluere. Caſu igitur in aliquot hoſtium currus, omnis generis uehentes commeatum, incidentes, tam commeatum quàm milites à quibus conducebatur, gratulabundi in urbem adduxere: multum ſanè audentes à fortuna adiuti.

16. Decembris domo illa, quę hactenus laterum coctionibus inſeruierat, à noſtris funditus demolita, magnus in eius locum agger ſubſtitutus eſt. Id ideo factum eſt, quòd porta quæ ponti ibi imminet, omni tum propugnaculo carens, facilè ac multum ex hoſtili uallo propeteloneum conſtructi, impugnaretur.

19. Decembris equites noſtri ac pedites, quorum ea nocte à uigilijs & ſtatione curæ immunes erant, extra urbem magno ſilentio poſt ſecundam ferè uigiliam proceſſerunt, magna fiducia freti ſe equites iſtos qui Otterslebij in ſtatiuis erant, caſtris exuturos. Audacius mehercle facinus quàm prudens, atq; periculis undiq; circunſeptum, quòd intra bina hoſtium caſtra, Buggoenſia & Deſſdorffenſia cõtinuo illis tractu pcedẽdũ foret. Verũ diuinũ numẽ, cui difficillima quęq; etiã facillima ſunt, auſũ noſtrorũ cõducẽs, atq; ad fœlicẽ rei auſpicatæ euentũ p ducẽs, uoti cõpotes efficit. Hoſte eñ ea nocte ſorte fortuna omnib. curis ſoluto, ac poſt profuſiores compotationes profundius etiam ſtertente, neglectis uigilijs ac ſtationibus, quòd eiuſce, penè dicam, temeritatis noſtrorum, ne minima illis ſuſpitio quidem eſſet, ſimili ac eadem propè ratione qua Neuſtattenſes decepti ſunt. Prius enim quàm uel ad arma conclamaretur, uel ullus oboriretur concurſus tumultuſue, noſtri oppidulum occuparant. Capto igitur oppido, noſtris ſeſe mutuò inuocantibus teſſaramq; petentibus, quòd terram nox opacaſſet, aliquot domibus incenſis magnum ignem ſuſcitarunt, quò ſocij ab inimicis minori cum periculo dignoſci poſſent, etſi omnes noſtri tam pedites quàm equites candida armis indumenta ſuperinduxiſſent, ne per fallaces forte ſe tenebras in mutua uulnera irruerent. Perturbato itaq; ex tam repentino tumultu hoſte, atq; ad arma iam concurrente, omnes qui telis ſuis acrius inſtarent, à noſtris miſere iugulati ſunt. Ex his complures fuere uiri nobiles, atque etiam Canonici nonnulli, qui fortè fortuna tum ibi aderant, cum mitibus ſuis, quorum illis obſtricta fides erat, epulati. Peribant quoq; ea nocte equi non ſanè pauci, ſtabulis undiq; igne conflagrantibus, ipſi uerò miſeri crebros per flãmas ac flebiles hinnitus ędebant. Capti ſunt nobiles permulti, atq; omnes à noſtris in urbem deducti. Bona peditum noſtrorum pars equites in urbẽ redibãt, ex recenti uictoria triumphantes, ducenti enim & ſexaginta equi ex præda peditibus diſtributa fuerunt, omniſq; generis arma innumera ac ſingularis artificij ex hoſte capta fuere. Captiuorũ numerus fuit CXXV. Inter quos q nobiles fuerint, eorumq; quot quiſque equos ſiue lanceas in caſtris habuerit, iamiam recenſebitur, uno prius hoc addito, quòd Canonicorum uexillum, in quo D. Mauritij effigies acu depicta uiſebatur, in urbem inter cætera quoque ſpolia relatum fuit.

SEQVVNTVR IGITVR NOBILIVM NOMINA ET COGNOMINA, AC CAETERORVM, QVI EO tempore in castris Otterslebensibus, equis ac armis, Canonicorum gratia, fuere expediti. Ac primó eorum, qui absq; captiuitate euasere

Thomas de Astenburg, magister equitum, equis XVIII.
Mathias de Schulenburg, signifer, equis XXII.
Christophorus de Schulenburg. III.
Iodocus de Veltheim, XII.
Gebhardus de Blatto, VII.
Guntherus de Veltheim. VI.
Federicus de Molndorff, VIII.
Chorterus de Bycgou, VI.
Renhardus de Aluuonleben; V.
Leuinus de Mornholtz, V.
Christophorus de Beyern, IIII.
Martinus Crayus, IIII.
Ioachimus de Bischmarc, VI.
Georgius de Bischmarc, II.
Iodocus de Bischmarc, VI.
Ioannes Itenblizius, V.
Iacobus Itenblizius, IIII.
Ioachimus Itenblizius IIII.
Nicolaus de Arnheim, VI.
Ioannes Lonouus, VI.
Iacobus Hopfencorbus. IIII.
Henricus Schillingus. VI.
Christophorus de Gebichstein, VIII. is hoc tempore à castris Otterslebensibus aberat.
Iltrudus de Ellingen, VII.
Stephanus de Thangermont, IIII.
Casparus Meyerus de zella, IIII.
Ioachimus Esebeck II.

SEQVVNTVR NOBILIVM EORVM NOMINA, QVI CAPTIVI *sunt in urbem ex castris Otterslebensibus adducti.*

Athenus de Cram, equis VI.
Bussenus de Schulenburg. IX.
Casparus de Schulenburg, IIII.
Andreas Hacgus de Soxern, VI.
Georgius de Blatto, VIII.
Vuolfgangus de Blatto, III.
Zacharias Robelus, VIII.
Christophorus Falco, VI.
Martinus Rhorus, II.
Martinus de Ornen, equis III.
Balthasarus de Vuarnstetten, II.
Melchior de Leben, VII.
Ioachimus de Liehen, II.
Vlricus de Veltheim, IIII.

Casparus

Caſparus de Ornen,	III.
Henricus Cattenus,	IIII.
Ioannes Staubeuizius,	III.
Chriſtophorus Schenck.	VII.

SEQVVNTVR NOMINA ARMIGERORVM PRAEDICTO-
rum nobilium, qui & ipſi nobiles fuere, ac cum dominus ſuis capti.

Egidius de Dichnen.	Otho Berithgous.
Andreas de Einſtet.	Eraſmus Glitzius.
Paldouinus de Zerbſt.	Fabianus Schaduizius.
Bartholdus Schillingus.	Iodocus Conradus.
Chriſtophorus Campichus.	Henricus Buzo.
Albertus Breyſius.	Ioannes Schlegelus.

Ignobiles præterea equites, quos ſatellites nuncupare licebit, CXX VIII. capti ſunt: quorum nomina proter generis obſcuritatem de induſtria omiſimus.

20. Decembris milites noſtri in campum ſeſe eiiciunt, hoſtem celebris excurſionibus ad pugnam laceſſentes. Is paſsim per agros agmina circumductitando, prælij ardorem ſimulans, aduenientе inſuper Duce Mechelburgenſi, equeſtria præſidia ex Neuſtattio & Olffenſtattio adducente, pugnam tam detrectauit nimirum locorum commoditate, quàm à Sole uentorumq; flatu denotauerat, prohibitus. Cùm autem Sclopetarij noſtri audaculi longius ſeſe ac diſpalati in campeſtria loca emitterent, equites hoſtium temeritatem illorum inconſulta tam dignis ſupplicijs afficere conſili, infeſtis animis in illos irruere. Verùm equites noſtri impigrè ac ſingulari cum uirtute accurrere, hoſtem urgere, ſclopetarios ſuos defendere: adeò ut etiam Ducem Mechelburgenſem præſentem poſthabitis ſclopetarijs fortitudini illorum occurrere neceſſum fuerit. Sed conſtanter noſtris inſiſtentibus, Sclopetarij uires ſuas recolligentes, & à tergo & à lateribus adorientes undique hoſtes, adeò preſſere afflixereq;, ut nullo alio quam fugæ medio uitam conſeruare potuerint. Mirum enim dictu eſt, quanta tum noſtri ardoris uehementia atque uirtute hoſtibus incubuerint, ita ut inter multos captiuos, quorum plerique nobiliſsimi exiſtebant, Dux etiam Mechelburgenſis comprehenſus fuerit, totius belli caput & ſummum præſidium: non hercle abſque ſingulari, ut opinor, diuini numinis procuratione. Nobiles autem fuerunt ex hoc conflictu captiui, Ioannes de Garmersleben, Leuinus Vuinterfeldus, Caſparus Flaus, Albertus de Shulenburgo, Ioannes de Droto. Hi uerò qui incolumes euaſerunt, non de propria ſalute læti, uerùm mœſti ac importunam principis captiuitatem ingemiſcentes, in Deſsdorffenſeu allum reuerſi ſunt. Hinc iterum egreſi ac Neuſtattium petentes, omnes ferè ex equitibus pedites facti, equos claudicantes per frena manu ductitabāt: haud paruo ſanè incommodo à Sclopetarijs noſtris accepto.

Circa feriás Natiuitatis domini milites noſtri, quos paulò antè in p̃lio Hilderslebenſi ab hoſte captos diximus, ac dein inuitos Quedelburgum deductos, in urbem redierunt, quòd iam de Mechelburgenſis Ducis captiuitate certiores facti eſſent. Suæ igitur captiuitatis autorem, iam ipſum quoque captiuum detineri gratulantes, eius nunc interuentu exautorari ſperabāt. Quod quidē factū certis conditionibus eſt, ut ſuo loco cōmodius dicetur. Interim nihilominus in urbe cōmorati ſunt, quos ſæpius hoſtes ad ſe ptrahere atq; allicere conati fuerāt. Qua uerò ratione cōſilioq; nōſolū hos captiuos nobis eripere tentarint,

tentarint, uerùm etiam cætera urbis præsidia ad defectionem call. dè solicitarè ausi, fuerint, infrà latius explicabitur.

30. Decembris cùm Ioachimus Steinus in quadriga Lazari de Schuuenda, uno tãtum comitatus seruulo, per agros deportaretur, ab equitibus nostris, qui tũ fortè explorandi causa hinc inde uagabant, captus est, atq; in urbẽ deuectus.

2. Ianuarij equitum nostrorum aliquot, uno Sclopetariorum manipulo sibi adiuncto, summo mane ad latomias procurrerunt, hostes aduelitandum egressuros, sperantes. Incidentes autem in illorum stationem, etsi frequenti militè tum optimè munitam, confidenti tamen impetu stationarios aggressi sunt, quos statim terga uertere coegerunt. Id hostes in Neustattio percipientes, rei insolentia perculsi, subita militum conuocatione facta, turbato agmine eruperunt. Quos quum uiderent nostri, importunius quàm oportebat ipsis occurrẽtes, lociq; opportunitatem, qua hostibus molestiores esse potuissent, deserentes, neq; etiam eo in occursu ordines conseruare curarent, equitum nostrorum magister, ab hostilibus turmis undiq; circundatus, captus est. Huius ex captiui tate insperata nostri ira ac furore inflammati, tanta uiolentia atq; impressione in turmas illas, quæ captiuum iamiam abducere nitebantur, irruerunt, ut toto illarum agmine dissipato, magna ipsis ui captiuum eriperent. Strenuus uerò quidam ex hostibus eques, singulari præ cæteris uirtute retinens, ne captiuus quem propria manu præhenderat, tam citò euaderet, conto traiectus est. Eodem impetu duo nobilissimi iuuentes, Georgius Maldizius & Ioachimus Carsterus, à nostris capti sunt: duplici sic detrimento hostes affecti, tum quòd captiuum magistrum equitum iam nobis inuiti restituissent, tum quòd duo preclarissimi uiri ex suo equitatu abducerentur. Eo die quo hæc gesta sunt, milites nostri septem explicatis uexillis per portam Schrottdorffensem processerunt, quibus multi se ciues immiscuere. Verùm hostis pedites suos exire prohibens, intra uallum illos continebat: equites autem, qui ex uelitationibus sese receperant, hac illac per campos cursitabant. Peditatusq; noster stans, & frustra hostium occursum expectans, innumeris ex Desdorffensi ac Neustattensi uallo tormentorum globis impeditus est, uerùm propitijs superis ne uno quidem sauciato, ad urbem se recipiebant: ibi fortè fortuna quum per D. Vlrici portam regrederetur acies, militis unius sura bombardæ ictu adusta est.

7. Ianuarij excubiæ tam nostræ quàm inimicorum, nescio qua re commotæ. relictis stationibus infestis armis concurrère. Hostis igitur incunctanter ex Desdorffensi uallo equites aliquot, stationarijs suis in auxilium submittit. Quo ex subsidio multum uiribus aucti, nostros sine dubio ad unũ cæcidissent, nisi repentina etiam illis ex urbe auxilia adfuissent, quæ ualidè fortiterq; suis laborantibus iam anhelantibusq;, subuenientes, post longam dubiamq; pugnam, omnes tandem incolumes reduxere.

11. Ianuarij, nostri unà cũ Alberto Comite Mansfeldẽsi, tã equitũ quã peditũ coacto agmine, extra urbẽ in cãpum sese eiecere, hostis cõgressũ, si fortè è Neustattio erũperet, auidi expectantes. Tale aũt tũ nostrorũ consiliũ erat. Qd si maioribus hostes copijs ex Neustattio pdirent, cũ nostris cõgressuri, ualidissima nostrorũ cohors, quæ ex septingentis militibus constabat, atq; ad portam altam ea de causa cõstiterat, fossis celeriter superatis, urbi uallum uicinius expugnarent atq; occuparent. Quòd si infœlicius consilij euentus succederet, porta uicina etiam patefacta, cæteri qui ad id negocium ordinati erant milites, Neustattium inuaderent, atque sic laborantem cohortẽ integris uiribus subleuarent. Verùm quum hostes, præter nostrorum expectationem, egredi cessarent: neque ullum qualiscunque etiam uelitationis signum præberent, septingentorum cohors moræ istius impatiens nihilominus fossis transcensis ac superatis,

ſuperatis, Neuſtattium inuadit. Id uidentes cæteri milites, in illius, ut diximus, ſubſidium nullo ordine, ſimiliter & ipſi erumpunt: quo facto omnibus iam in unum globum collectis, tanto æſtu hoſtem perſequuti ſunt, ut multi etiam cũ hoſtibus aſcendentes, ſuprema uallorum faſtigia pertingerent. Verùm hi, ueſani furoris potius quàm fortitudinis pœnas dantes, omnes ferè ab hoſtibus cæſi ſunt. Hiſce ita, ut dictum eſt, geſtis, hoſtium interim equitatus paſsim ex caſtris prorumpens, ſeſeq; per campos colligens, numeroſior quàm unquam antehac, toto agmine in quinq; turmas diſtributo, acriter noſtros ad prælium laceſſere cœpit. Equites igitur noſtri, etſi numero longè inferiores, alacriter tamen repugnare, incurſiones excipere, conſtanter denicq; ſeſe defendere. Verum contra tantum equitatum & numero & uiribus potentiorem, diutius inſiſtere non ualuiſſent, niſi à noſtro pedite egregiè illis ſuccurſum eſſet, & multis etiam tormentorum ictibus ex urbis aggere aduerſarij proſtrati fuiſſent. Non minori cum uirtute à cæteris, quos Neuſtattium inuaſiſſe iam diximus, dimicatum eſt. Hoſtes enim ſummis uiribus noſtrorum impetum propellere enitentes, iam ſuperiores exiſtebant, citò inclinante fortuna à noſtris repellebantur: dubium Martis euentum iterum atq; iterum utrinq; periclitati. Sed multum noſtros adiuuabant murorum reliquiæ, quæ ex combuſtis domibus remanſerant. Sclopetarijs enim noſtris tuta latibula præbentes, ſimul etiam ad bombardarum ictus dirigendos certa foramina, magnæ hoſtium internecionis cauſa extitere. Interim noſtrorum etiam permultis cadentibus, poſt longam dubiãq; dimicationem, ſole iam occidente, ab utriſq; tandem receptui cantatum eſt.

14. Ianuarij horã circiter ſextã & ſeptimã pomeridianã, hoſtis gratulabũdus omnia ſua tormenta exonerare cœpit. Nam, ut ſuprà cõmemorauimus, Duce Mauritio in occurſum militi maritimarum ciuitatũ ex caſtris diſcedẽte, ac ſua ueterſutia totum exercitũ diſſoluente, cuius quatuor ſigna ad ſuas partes allexerat, ſtatim ueredario ad caſtra remiſſo, qui miros rerum ſucceſſus tam ducibus quàm militibus renunciaret, dici non poteſt quanta lætitia ex hoc nuncio fuerint affecti. Eius igitur nouigaudij noſtros quoq; participes fieri deſiderantes, innumeris id tormentorum reboatibus teſtati ſunt. Quod tali modo peregere: Primò duo ſclopimatores (quos duplices uocant) diſploſi ſunt. Quo facto, tibi centerna carmina ſua tibia decantauit. Inde tria rariorũ magnitudinis tormenta ſtatim exonerata: mox quatuor: poſtremò quinq; hæc uulgus Cartonas nominare ſolet. Tandem omnes ſclopetarij ſequuti ſunt, qui ternis uicibus ſclopos ſuos crebris flammarum emicationibus incendẽre. Flammei etiam globi per ualla hinc inde proiecti ſunt, artificioſè ex igne confecti. Hæc inimicorum triumphantia tonitrua iniquo animo ferentes noſtri milites, etiam ipſi impetrauere, ut ex turribus urbis q; aggeribus fulminare illis permitteretur, adeò ut facilè audirent, nec pulueris ſulphurei nec ferreorum globorum penuriam nos adhuc premere.

Antequã uerò is hoſtium triũphus incepiſſet, milites aliquot noſtri pabulatũ ire, eaq; de cauſa quoduis diſcrimen ſubire coniurauerant. Finita igitur reboante illa gratulatione, duab. pòſt uel citciter horis elapſis, cõductis aliq; nautis uadorũ uoraginũq; gnaris, in naues ſeſe cõijcere, rectaq; per intermediũ caſtrorũ Cracgoenſiũ & Buggoenſiũ nauigantes, Bochoã appulerũt. Hîc nauib. egreſſi, uillam quæ illic eſt monachorũ deprædati, omnia agricolarũ bona intacta reliquere. Interim aũt dũ aliqui noſtrorũ oĩs generis cõmeatu naues onerarẽt, certũ militũ numerũ diſpoſuerãt, q põtes illos Cracgoẽſium caſtrorũ anguſtias reſpicẽtes, abſq; ulla ceſſatione deijcerẽt. Hi igiẽ mãdata fortiẽ exequẽtes, intra paucas horas 6 pontib. dejectis ac igne inflãmatis anguſtias etiã illas interrupant. (Hæ uulgari uocabulo à claudẽdo cluſe dicebanẽ.) Ita factum eſt, ut ea

ex parte

ex parte difficilis posthac hosti commeatus recuperatio extiterit. Verum eo mense horribile secum frigus inferente. adeò ut ex inundatione aquarum passim cooperta itinera, eo frigore congelata essent, perfacilis ex altera parte hosti ratio offerebatur ad uicos undiq; commeatus gratia proficiscendi: complures enim illi erant milites, qui glaciei celerrimè atq; tutissimè inambularēt, secumque quicquid ferè opus esset, adueherent. Nostri autem re ex sententia confecta, nauibusq; pro rei necessitate oneratis, capto uno monacho & seruo Iacobi de Schulenburgo unà cum duobus equis, soluêre.

22. Ianuarij iterum pugnatum est prope hortum Schrotdorffensem. Eo in cōflictu non pauci hostium cecidere. Decem à nostris capti, in urbē deducti sunt. Nobiliss. etiam quidam ex hostium equitatu sclopo ictus occubuit. Quem armis exutum quum nostri non procul à D. Vlrici porta in agro tumulassent, hostes insequenti nocte exhumarunt, ac funebri pompa Neustattium deuexerunt.

Insequenti die, qui fuit 23. Ianuarij, hesterni diei detrimentum resarcire cupiens hostis, in campo uarijs ex locis comparuit, nostros subinde ad pugnam prouocando. Nostri itaq; prosilientes, hostium uoluntati satisfacturi, cum acriter diu infesteq; conflictatum esset, multis utrinq; cadentibus, tandem nostri receptui canere iussi sunt.

Quanto autem incōmodo à nostris affecti sint ij milites qui in hyberna Neustattensia deducti fuerunt, fieri commodè non potest, ut minutatim recenseatur. Id uerò omnib. notū est, stationarios nostros quotidie ferè ex aggere eoq; Neustattio proximus erat, erupisse, fossas transcendisse, cellas uinarias intrasse, atque inde ligna, fruges, ac cætera eiusmodi asportasse. Quòd si casu aliquis hostium sese offerret, obtruncatum esse.

25. Ianuarij in castra redijt Dux Mauritius, re ut dictum est optimè gesta, quòd exercitum in maritimis oris cum scriptum dilabi fecisset, eoq; ex parte suas auxisset copias, quo nostras corroborare debueramus. Appropinquante autem Duce castris, omnia sua hostes tormenta exornauere, felicem principi reditum gratulantes. At ipso in Otterslebio ac Lemsdorf. castra locāte, totus tūc hostium exercitus quina castra comprehendit.

28. Ioann. hostis omni milite in Lemsdorffensem campum educto, totum exercitum in 7. acies distribuerunt. Quo facto, instructis ordinibus maiorem ferè diei partem consistendo consumentes, exercitum tandem in castra reduxere. Verum disgregato exercitu, quòd ad diuersa castra à militibus tenderetur, una cohors Neustattium quoque repetens, intra Lemsdorf. Dessdorf. q; castra à nostrorum insidijs circunuenta est. Multis igitur trucidatis, reliquis in fugam uersis, septem in urbem captos adduxerunt.

29. Ianuarij, turbam hominum per agros circunuagantem, in qua nonnullę etiam comparebant quadrigæ, milites nostri è specula prospexerunt. Prædæ igitur significatione ædita, equites nostri unà cū pedibus aliquot ex urbe prolapsi sunt, rati se copiosos intercepturos commeatus. Verùm præter opinionē in Consulis Schonbeckensis quadrigam inciderunt: In hac Consul ipse unà cum duobus uiris senatoribus deuectus, capti sunt, atq; in urbem deducti. Eadem ferè hora quatuor milites & nouem fossores Bohœmi à nostris capti sunt: hi lacrymantes per Deum uiuentem iurare, se nulla alia quàm famis causa, è castris suis elapsos esse, quò ex uicinis pagis aliquid sibi uictus compararent. Hi captiui opportunè tum nobis detegebant. hostes urbis oppugnationem omnino præparasse, iamq; (ut Germanis mos est) sortes iecisse. His cæteri quoq; captiui interrogati adstipulati sunt. Eodem die horis pomeridianis utrinq; infestis signis concursum est, atq; acriter ut nunquam magis antehac depugnatum.

Com-

Complures enim tam equites quàm pedites ex hoc conflictu periere, ita ut nõ ſolùm hoſti, uerùmetiam nobis lugubris extiterit illa pugna. Dux autem Mauritius huic ipſe interfuit, qui à noſtris equitibus tandem agnitus, parum abfuit quin circumuentus abductus fuerit.

Vltima Ianuarij quidam ex militibus noſtris audaciores Lemsdorffium uſq; uenerunt. Ibi prope caſtra aliquot ex hoſtibus obtruncatis, ingentes tumultus concitauere. Septem itaq; hoſtium uexillis ad noſtrorum temeritatem confringendam emiſsis, uidentes noſtri urbis repetendæ tempus inſtare, retrorſum pedem retulere. Hoſtium tum ſex à noſtris capti ſunt, quos ſecum in urbem introduxere.

Quarta Februarij apud piſcinam Rottersdorffenſem iterum concurſum, ac ſtrenuè decertatum. Quo ex cõcurſu quum multi ab utraq; parte cecidiſſent, à prælio tandem ceſſatum eſt.

Inſequenti die intermiſſum prælium iuxta foſſam Desdorffenſis ualli renouatum eſt. Durante hoc conflictu hoſtium equitatus magnum à grauioribus tormentis detrimentum accepit, adeò ut agrorum planities tam equis quàm equitibus paſsim obtegeretur. Hac ex pugna unicus tantum eques cum ſolo pedite captus à noſtris eſt.

6. Februarij caduceatore miſſo, quid nam hoſtes tentauerint ignoro. Hic ante urbis mœnia comparens, cum tribunis & centurionibus, præſente etiam urbis magiſtratu, Cæſ. Maieſtatis nomine colloqui concupiuit. Verùm ſenatus Madeburgenſis uidens caduceatorem nullas literas Cęſarea manu ſubſcriptas oſtendere, neq; etiam habere, colloquio tali nulla ratione conſentiendum iudicantes, inauditum dimiſere. Hanc rem à Canonicis, ignorante etiam Cæſare, ſubornatam fuiſſe, nemo eſt qui non credat, quamuis auguſto ac magnifico apparatu is caduceator aduenerit. Paludatum enim, paludamento ex obrizo contexto, binasq; aquilas geſtantem, tres buccinatores cum uno tympaniſta præceſſere, claſsicum canentes & tympana percutientes. Alius quoq; buccinator à Mauritio Duce cum literis miſſus, ad urbis portam aduenit.

Eodem die quo hæc agerentur, noſtri ſeptem ſclopetarios captiuos adduxere, ex recenti eorum cæde, qui lignorum gratia longius proceſſerant, redeuntes. Dum hæc fiunt, omnes noſtri milites, qui in clade Hilderslebenſi ab hoſtibus capti fuerant, à Melchelburgenſi (quòd commiſsi prælij tempore totius exercitus fuiſſet Imperator) dimiſsi ſunt, his tamen conditionibus, ut ſinguli captiui irrogatam mulctam prius penderent. Verùm hoſtes oblatam pecuniam poſtmodum reſpuerunt, multisq; ac uarijs technis militibus illis inſidiati ſunt. Quibus uerò de cauſis id fecerint hoſtes, ſuprà ſatis ſuperq; declaratum eſt.

10. Februarij hoſtes in Neuſtattio ſeptem tormenta grauiora, rectà uerſus turrim quæ D. Iacobi dicitur, direxerunt. Id ea de cauſa fecêre quòd duas bombardas, non contemnendæ magnitudinis, iam ab initio ferè obſidionis in eius turris faſtigium ſuſtuliſſemus, ex quibus durante obſidione in hunc uſq; diem multiplici ac irrecuperabili propè, incommodo affecti fuerant. Dicto igitur die ſummo mane turrim impetere cœpere, neq; inde ceſſatum, quàm Sol iã ad occaſũ uergeret. Itaq; 40. & 16. ictib. ea die impetita eſt. Noſtri tãto malo occurrẽdũ rati, turrib. portiſq; Neuſtattio uiciniorib. magnũ tormẽtorũ numerũ ſup̃ addidere: clauũ clauo pellendũ eſſe (ut dicitur) cogitãtes. Hoſtes aũt per ſeptem continuos dies turrim impetentes, ictus plures ſexcentis ædidere. Quorum ex continuo uiolentoq; impetu bombardarum noſtrarum præfectus, qui in porta Crecenſi iaculabatur, attonitus à iaculatione diſcedere coactus fuit. Verùm D. Iacobi turris uſq; huc ualida inconcuſſaq; ſtetit, quòd indies à noſtris communiretur, atq; utribus lana ſuffarcinatis prope abtegeretur.

13. Febru-

23. Februarij una nostrorum equitum turma, assumptis sclopetarijs non paucis, ex Schrotdorffensi porta sese eftudit. Hinc progressa paulo longius, hostium excubias adorta est: quas cædens atq; omni ex parte disturbans in fugam actas relinquere latomias coegit. Hac ex fuga suorum, Neustattensia Deisdorffensiaq; castra turbata, totó equitatu omnibusq; cum sclopetarijs ad uindicandos illos proruperunt. Quare acri prælio parua ex uelitatione exorto, multi utrinq; uiri egregij et strenui cecidere: multi etiam equi bellicosi ac magni præcij confossi sunt. Nocte igitur prælium dirimente, nostri quinq; captiuis secum adductis in urbem reuersi sunt.

17. Mensis prædicti, circiter horam nonam antemeridianam, pinna turris D. Iacobi, quod Neustattium uersus prospectabat, post longam demum multifariam concursationem, grauis tormenti ictu delectum est, cuius ex horribili violentoq; casu uicina domus demolita atq; prostrata est.

19. Eiusdem mensis hora prima pomeridiana, equites Boggoēses cum Deisdorffensibus sese coniungentes, in campestria loca excurrerunt. Horum igitur excursiones quum nostri animaduertissent equites, turmatim illis occurrerunt. Quare ingruente pugna, hostes unam adhuc turmam in subsidium priorū ex castro Lemsdorffensi emisere, ita ut multum aucti uiribus nostros admodum urgerent. Id facilè sentientes nostri, lēto gradu quousq; Sudenburgenses angustias occuparent, retrocessere. Hîc redintegrato prælio hostium impressioni bus acriter restitere. adeò ut noua iterum subsidia ex Neustattio illis aduolarēt. Quibus aduenientibus & numero & uiribus tantum inualuere, ut nostri diutius impetus uiolentiam sustinere nequirent, nocteq; iam ingrauescente recessu maioribus nostris tormentis ex aggeribus discerpti sunt.

26. Huius mensis ter eodem die uelitatum est. Harum omnium uelitationū nostri milites certis de causis autores exitere. Primò equites triginta uel circiter, educentes secum sex sclopetariorum manipulos per Sudeburgensem portam exiuere, directè piscinam Rottersdorffensem petentes. Hinc progressi primam hostium stationem inuadere proposuerant. Verùm stationarij nostros eminus aduentare prospicientes, eorum congressum non expectandum esse rati, deserta statione castra sua quæ Otterslebij erant, repetiere. Quare nostri secundam quoq; stationem tentare constituentes, præcipiti cursu sese ad Latomias contulerunt: uerum & hęc quoq; appropinquantibus nostris, à suis deserta est. Quod tandem quum hostes è uallo Deisdorffensi prospexissent, speculatoria significatione data, totum ferè equitatum paruo temporis interuallo congregauere, atq; ita instructis ordinibus Sudeburgensem uiam, ubi nostri consiterant, petiuere. hîc crudeliter conflictari inceptum est. Durante autem conflictu, equitatus Neustattensis celeri cursu Latomias occupare contendit. Id insidiæ nostræ quæ non longè à porta Schrotdorffensi latebant, percipientes, ipsæ quoq; occurrendi tempus instare putantes, Latomias priores occupauere. Molestissimè hoc perferens hostis, in nostros impetum facit, nostri hostem excipiunt, acerrimè dimicatur. Sic binis eo in die locis utrinq; concursum est. Hoc affirmare ausim, acrius infestiusue nunquam antea depugnatum esse. Primo enim congressu sclopis res acta est, exinde clauis strictisq; ensibus concursum. Verùm & hoc quoq; fateri oportet, quòd nisi equitib. nostris à pedite fortiter succursum fuisset, paucos euasuros fuisse: in tantum enim hostium equitatus excreuerat, ut nostrum tanquam corona circundaret. Protrahente se uerò longius pugna, sclopetarij nostri omnes excenturionum iussu proximas uiæ angustias cœperunt, atq; inibi constiterunt. Quo facto equites nostri unà cum pedite pedatim retrogressi sunt, donec à latera angustiarū gradum sisterent. Hîc

sclope-

ſclopetarijs ampla occaſione data in hoſtes eiaculandi, haud uulgarem ſtragē ædidere: adeò ut niſi fugam cœpiſſent citius, pauci ad ſuos integri incolumesque redijſſent. Grauiora quoq; tormenta noſtra ex propugnaculis multum illos afflixere. Prælij huius acrimonia ac tempeſtas ex magno cadauerum copia, ſparſim per agros iacentium æſtimata eſt. Multis autem hoſtium ſclopetarijs undiq; adhuc per hortos latentibus, qui ex Neuſtattio nobis inſidias ſtructuri eouſq; progreſsi erant, noſtri detectas inſidias prodire nolentes, in ipſis hortis inuaſere. Verum hoſtes ob loci quem tenebant, commoditatem, non paucos è noſtris proſtrauere. Noſtri igitur inuicem ſeſe cohortari, globo facto, uno eodemq; impetu in hortos irruerunt, hoſtesq; magna ui loco cedere adegerunt. In hoc impetu, quia difficilis eius loci oppugnatio erat, duodecim ex noſtris ceciderunt. Hoſtium uerò trucidatorum tot fuere, ut etiam plauſtris Neuſtattium ad ſepulturam deueherentur, nam adeò noſtri acceptas iniurias perſequebantur, ut aliquot tormēta ex caſtris euehere hoſtes oporteret, quibus tam effrenatam noſtrorum uim cohiberent. Dum hæc aguntur, una noſtrorum cohors ex urbe egreſſa, in Neuſtattium irrumpit: ubi nonnullos in prælio offendens, qui etiamnum pecuniam defoſſam quæritarent, quatuordecim ex illis neci tradidere, undecim uerò captos ſecum uiuos adduxerunt.

Die inſequenti naualibus undis undiq; in Albim illabentibus, in tantum excreſcere fecerunt, ut paſsim magno cum incolarum detrimento exundaret. Tota enim in regione adiacente præter arbores quaſdam ac uillas nihil conſpicitur, cætera omnia undarum moles obtexerat, adeò ut nec hoſtes quibuſdā ebatur, in locis ſicco pede extra caſtra proficiſci poſſent niſi equis uehiculisúe duceren tur. Corrupta etiam hinc inde per Albim tepidiore tempeſtate glacies, rapidos ac ſinuoſos fluctus citebat, à quibus tres ex molatrinis noſtris, qui nauibus in flumine conſiſtebant, uiolenter abreptæ ſunt. Hę poſtquam Neuſtattium uſq; eſſent delatæ, ad S. Agnetis conſtitere, quòd locus is glacialis adhuc cōcretusque eſſet. Hoſtes igitur molatrinas apprehendentes atq; allegante funibus, triticum farinamq; in illis contenta rapuerunt. Inſuper bina ualla, extremas Albis oras cōtingentia, diuturna glaciei aſperitate atq; du[illegible]ie uexata, tādem magno noſtro incommodo diuulſa ſunt, fractaq; glacie, fulminis impetu ablata.

Tali tantoq; damno accepto, Senatus Madeburgenſis binas naues confici mandauit, atq; omni bellico apparatu optimè inſtrui. His poſtea ſæpius ad excurſiones uſi ſumus, ut pluribus infra dicetur.

Nonis igitur Martij, milites noſtri nautis conductis, ſecundo Albi deuecti ſunt, reciprocantibus remis Neuſtattenſia caſtra paterlabentes. Vigilijs autem hoſtium circumuentis atq; iugulatis, cadaueribusq; in flumen præcipitatis, ſecuri omnes naues commeatu onerauere. Die inſequenti prima face in urbem ſalui omnes redierūt, duos captiuos aduehētes. 2. Id. Martij, grauiora q̄dā à noſtris tormenta ſuper Gralo (locus eſt inter duos pontes intermedius) collocata ſunt. Hic per aliquot dies in hoſtile uallū, q̄d ad teloniū fuit, iaculatū eſt. Eodē die nocte iam intempeſta, militesnoſtri aduerſo flumine nauigare cœperūt, nauibus aliquot hoſtium Schonbeccij ſtantibus inſidiantes. Fauente ſitaq; diuino numine, ut nemine animaduertēte, inter bina hoſtiū caſtra enauigarent, primā inq; inciderūt ſtationē trucidauere. Hinc obnixe progreſsi Schōbecciū uſq; (quod duobus à Madeburgo diſtat miliaribus Germanis) delati ſunt, ubi ſedecim naues in portu ſtantes, cepere. Videntes autem noſtri captas nonnullas naues ob magnitudinem parum cōmodè, nec abſq; periculo auehi poſſe, in fruſtra conſciſſas demerſerunt: minores uerò atq; leuiores auexēre. Re ſic ex ſententia geſta oram ſoluentes, Ebenoam uicum celebrem deuenerunt, ubi Ioachimo Arnſdorfio, uiri nobili atq; uno ex Mauritij Ducis centurionibus,

capto, naues omnes copioso commeatu onerauere. Hinc secundo flumine urbem repetentes, denuo intra Buggoensia Cracoensiaq; castra remeare oportuit. Conspecti autem ab hostibus, innumeris globis impetiti sunt: quos omnes diuina clementia irritos reddens, nostros integros, incolumesq; reduxit.

7. Kal. Martij, duobus maioribus tormentis ex turri D. Iacobi Neustattensia castra semel atq; iterum disturbata sunt. Quod indigne ferens hostis, duodecim ex ordine bombardis dispositis, crebris turrim ictibus cõquassauit. Eo die trecentos & quatuor ictus turris excepit. Tormentorum autem nostrorum magister eodem die, funesto bombardæ ictu interijt.

Die prædicto mediam circa noctem milites nostri iterum flumini sese commisêre. Vicum autem Bechoam in fluminis ripa situm occupantes, eo in loco hostem à commeatu intercludere tentauêre. Ponte igitur qui ad castra Cracgoensia deducebat deiecto, ne ab hostibus fortasis circũuenirẽtur (ducentorum enim numerum nostri nõ superabant) fiebat, ut quicquid commeatuũ castris apportaretur, citissimo gradu in urbem remitteretur. Ad hanc commoditatem diutius conseruandam, nostri nũcio in urbem misso cohortem subsidiariam petiuere. Quorum petitioni quòd æqua uideretur, acquiescentes, aliquot scaphis lembisq; milite imposito, exoptata illis subsidia demisere.

Postridie eius diei milites nostri alterum ex maioribus nauigijs) Germanico nomine Bũthekuo appellatum) hordeo, auena, ceruisiaq; onustum ex Bechoa in urbem misere. Quod cum exoneratum esset, eadem nocte Bechoam remissum est. Eodem die trecenti & uiginti ferrei globi ex Neustattensibus castris in D. Iacobi turrim immissi sunt: nostri tantam uiolentiam non tam reformidauere, quin complures etiam globos ex eadem turri remitterent.

Post multas uariasq; nostrorum excursiones, quibus hactenus, ut dictũ est, hosti undequaq; nocuerant, non solum in eo quòd sæpius comparatum hostibus commeatum intercepissent, uerum etiam excubias interfeciissent, tã equos quàm equites prostrauissent: hostes tandem consilio inito, tanto post hac discrimini certa aliqua ratione occurrendum esse censuerunt. Quare munitissimum uallum inter duo castrorum maxima, propè Rottersdorffensem piscinam, collocatum est, ac lata profundaq; fossa septum. Muniri cœptum est die Mercurij post Letare. Hoc eodem die hostes turris D. Iacobi muros iterum quatere orsi sunt. Vigiliæ autem nostræ quæ in aggere Neustattium prospiciente excubabant, ducentos ac quinquaginta sex ictus obseruauerunt, quos eo die hostes suis tormentis ædidêre. Bombardarum igitur ictus, quos obseruare potuimus (neq; enim omnes potuere) mille ac quingentos turris illa usq; ad eam diem sustinuit: nihilominus tamen firma ea atq; inconcussa perdurante, præterquam quod pinna decidit, uti in superioribus recitatum est.

Iam dictum est, hostem ad plura incommoda auertenda nouum uallum fabricasse. Hoc etiam tum non satis esse arbitratus, aliud ad Latomias struxit, rectà portam Schortdorffensem respiciens, id multis bombardis, duobusq; militum uexillis egregiè muniuit. Quod hac de causa factum est, ut & milites tutò ex suis castris ad alia transgredi possent, & carri uehentes commeatum non amplius à nostris interciperentur. Ingens porrò fossa ab hoc uallo usq; ad Neustattium, atq; ad Desdorffẽsem agrum ducta est, adeò ut in posterum lõgius excurrere, quàm usq; ad eius fossę limites, nostris non licuerit. Qui tamen interea hostem lacessere, strictisq; concurrere cum eo telis non intermisêre. Hæc die Iouis post Lętare acta sunt.

Dicto modò die, nocte ferè media, nostri, quos suprà Bechoam occupasse diximus, iterum Buntekoam, ex maioribus nauigijs unum, omnis generis commeatu onustum ad urbem remisêre.

Pau-

Paucis inde diebus interiectis, milites noſtri Bechoam tenentes tam ex captiuis quam ex ſpeculatoribus ſuis, dolos atq; machinationes hoſtium certò reſciuerunt. Hi cum diu multumq; conſultaſſent, quo nam pacto noſtros intercluderent, reditumq; in urbem prohiberent, Albis meatus occludere conſtituerũt, atq; ſic noſtros hinc illincq; adoriundo occupare. Noſtri igitur in tempore hoſtis conſilium præuertendum eſſe putantes, abſq; mora naues omnes, quarum centenę uel circiter erant, tritico, hordeo, auena, armentis etiam, cæteriſq; eiuſdem generis rebus onerauere, ac dein integra quaſi claſſe per bina hoſtium caſtra ſoluentes, die Veneris poſt Letare luce clara & meridiana in urbem reuerſi ſunt.

Eo die, nocte iam ingraueſcente, Aper (id magni quoq; natigij nomen eſt) multa glande intumeſcens in urbem rediit. Hic nocte præcedente quàm milites noſtri ex Bechoa reuerterentur, pabulatum excurrerat.

11. Kal. Martij, ducenties uigeſies ſexies in ſæpius iam nominatam turrim eiaculatum eſt, adeò ut magna eius pars ſub cacumine concideret. Hoc ex caſu templi pauimentum, opus fornicatum, concuſſũm atq; diſſolutum eſt: organa contuſa, cæteraq; templi ornamenta contrita. Tormenta itaq; in inferiorem cõtigationem demittere neceſſum fuit, ubi muro perforato, eodem modo quo antè in hoſtes diſploſa ſunt.

Diximus ſuprà, uallum ad Latomias fabricari inceptũ ab hoſtibus: id indies ab ea parte qua in urbem uergeret, obdurabatur. Præcipuè autem die Mercurij poſt Iudica, magnus fabrorũ numerus qui aggeres iacerent, adductus eſt, millitumq; cohors, ne fortaſsis à noſtris inſectaretur, illis addita. Noſtri itaq; fabros ab opere deterrere cupientes, aliqua equitum parte ſimul cum pedite collecta, per D. Vdalrici portam eruperunt, ac recta uia Latomias petierunt. Equites autem celeriores totum aggerem ſtatim ueluti corona cinxere, ita ut nulli fabrorum (quorum plus quàm quadringenti erant) euadere daretur. Illi igitur incunctanter opere relicto, in uallum ſeſe recepere, inibi cum ſubſidijs ſeſe defenſuri. Verum hinc equites noſtri ualli partem hiantem adhuc, ac patentem, inuadere, fabros qui ſarmenta uigultaq; ad faucium occluſionem comportarent, cedere: illinc pedites duobus in locis uallum conſcendere, munitionẽ qua poſſent, deſtruere. Tandem equites noſtri uiolẽta impreſsione facta operas omnes abegere. Quare milites ſubſidiarij irruptionem metuentes, totis uiribus poſthabito pedite contra equites, nitebantur. At multum iuuante Deo opt. max. pedites interea uallum occupabant. Quod inſidiæ noſtræ ad portam Schrotdorfenſem latentes, cum intellexiſſent, etiam ipſæ ad ualli expugnationem prodiere. Verum antequam illæ aduentaſſent, hoſtes iam uallo exuti, ac maiori ex parte obtruncati fuerant. Multi ex uallo præcipites ſeſe dedere, quos equites infeſtis lanceis excepere. uiginti quinq; ſupra cẽtum eodem die capti ſunt, atq; in urbẽ ducti: omnes ueterani ac milites fortiſsimi. Inter hos quoq; adduxerunt Ioannis Gulcheri, Neuſtattenſis Tribuni, ſigniferum, uexillum diuerſis coloribus uariegatum geſtantem. Hoſtes igitur tandem iniuriam uindicaturi, toto propè exercitu coacto ex caſtris proceſſerunt. Quorum congreſſum noſtri ob exercitus magnitudinem detractãtes, in urbem ſe retulerunt. Vbi ex militibus quidam, hoſtile uexillum prehẽdens, in aggerem aſcendit, crebriſq; factationibus reuolutionibuſq;, amiſsi turpiter ſigni hoſtibus ſignificationem fecit. Hinc in forũ ad Prętorium deſcenſum eſt, ibiq; Conſulibus totoq; ſenatui hoſtile ſignum oſtenſum, ad ſingularem ſuorum militum uirtutem comprobandam, ac demonſtrandam.

16. Kal. dicti menſis, grauis inter noſtros milites ſeditio ſtipendiorum cauſa exorta eſt. Queſtores enim bimeſtre ſtipendium ex mandato ſoluere uolẽtes,

milites audire nolebant, ac ni timestre persoluerent, mortem cõminari. Quod iniustius ideo petebant milites, quod timestre tempus nondum esset absolutum. Verùm quia Mechelburgensem ceperant, pro tanti principis captiuitate, qui deerant, ad trimestre tempus, dies, quasi præterijssent, condonari uolebãt. Conspiratione igitẽ facta, signa militaria uiolenter ex signiferorum tabernis ra puere: quæ postquam erexissent, in forum, quod nouum dicitur, instructis ordinibus incessere. Hæc conspiratio à Prætorianis militibus initium sumpsit, quibus iam stipendia numerari cœptum erat. Facta igitur corona, uti huiusmodi in tumultibus fieri consuetum est, Prætorem primò (liceat ita latinè Colonellũ nominare) deinde omnes duces seu Centuriones in coronæ medium sisti magna contentione flagitarunt. Missi itaq; Sclopetarij sunt, qui ui illos est tabernaculis extraherent, adducerentq;. Ad Ebelingum Almanũ, Prætorem, quòd fortè tùm in curia esset, in domo sua non reperierunt, Ioannem Kindelbruccũ Centurionem ad Iuxerunt, qui inter ducendum atrocius crudeliusq; tractatus breui expirauit. Ioannes uerò Springerus, uir acris ac magnanimus, sponte ad militum coronã sese contulit, quicquid fortuna ferret, alacri animo exceptu rus. Verùm Senatus tam ex repentino ac pernitioso reipub tumultu perturbatus, satius esse ducens argenti, quàm urbis totius naufragium facere, Albertũ Comitem Mansfeldensem, tam ob generis nobilitatem, quàm ob singularem eloquentiam magnæ autoritatis uirum mittit, qui et flagitata militibus stipendia promitteret, hacq; ratione seditionem tumultumq; omnem sedaret, Orantem itaq; Albertum magna cum reuerentia audiuere milites, uotiq; compotem non tam ob eius facundiã, quã ob flagitatorũ stipendiorũ solutionem, efficere.

Composito tumultu, nocte quæ insequebatur naues quędam in urbem appulere, suibus aculeatis repletæ, qua de causa superioribus diebus Albim ascenderant. Cæteris uerò cum rebus aduectæ sunt quinq; campanę: insuper binæ scaphæ, duo ceruisiæ dolia portantes. Hos quinq; nauæ in castra Craegoensia deuehere constituerant, qui una cum scaphis dolijsq; capti sunt.

Die Sabbati præcedente Palmarum festum, mane inter septimam & octauã tres soles nemine non aspiciente supra urbem comparuere. Quorum medius lurido planè colore extitit, uterq; aũt collaterales rubeo ac sanguinolento. His uerò occidentibus, cum iam nocteseceret, tres lunæ conspectæ sunt. Id longè maiorem hominibus horrorem incussit: quòd ea quæ noctu accidunt, natura horribiliora uideri soleant. Colores harũ describi non possunt, quòd uarij et incerti essent, eousq; quo per aliquot horas constitissent, exinde exteriores momento in sanguinẽ commutatæ, priusq; in oblongos radios dissolutæ, disparuere. Ea uerò quæ in medio illarũ steterat, perdurauit, naturalem suũ splendorẽ retinẽs. Hæc quia certis etiam ac physicis de causis eueniunt, Astronomi discutere nouerunt. Nos neq; prodigium fuisse dicimus, neq; etiam negamus. Suum cuiq; hac in re iudicium esto.

Die Dominico Palmarum magnus in Neustattio ignis excitatus est, idq̃ue ex militum incuria, qui eo in loco focos habuerunt. Verum obnixe fortiterq; renitendo tantum effectum est, ut citò antequam latius serperet, suffocatus sit.

Idem infortunium Lemsdorffensia castra nocte insequenti inuasit. Milites enim negligentius obseruantes ut ignem innoxium haberẽt, pauculo temporis interuallo factum est ut tota undiq; castra conflagrarint. Tantarum itaq; flammarum uim sopire diffidẽtes, omnes ea castra relinquere, atq; acie instructa tota illa nocte conseruatis ordinibus perstetere.

Non. April. magno iterum nauigio nostri Albim ascenderunt. Die Mercurij insequente, uario commeatu onusti rediere. Eodem aliquot lembi, salem & panes in hostium castra deportantes, à nostris intercepti sunt, atque in urbem

und

unà cum nautis aduecti.x.Idibus Aprilis.hora prima pomeridiana, qua ciues fere omnes in concionibus erãt,hoſtiles turmæ uigilias noſtras,quę extra mœnia ſtabant,inuaſere.Quibus nequicquam reſiſtentibus,quòd ab hoſtibus numero longè lateq; uincerentur,ſubſidia ex urbe aduolauere. Quorm aduentu noſtri recreati,coniunctis uiribus hoſtem ualidè repulerunt. Id iniquo animo tolerans hoſtis,binas equitum alas accerſiuit:quorum robore atq; impetu noſtri nõ parum commoti,pedem referre coacti ſunt.Celeri itaq; gradu D.Vdalrici portam repetentes,hoſtilis equitatus,furore propemodum cæcus,tanto arici portam repetentes,hoſtilis equitatus,furore propemodum cæcus,tanto animi ardore inſecutus eſt,ut multi etiam illorum unà cum noſtris in urbẽ irruperint.Quidam uſq; ad uiam,quæ lapidea dicitur,peruenere: nonnulli ulteriꝰ proceſſerũt.Sclopetarijs igitur noſtris per hortos,ex utroq; lapideæ uiæ latere,in inſidijs diſpoſitis,cũ totis uiribus equeſtres turmæ propulſarẽtur,perq; uiam iam dictam retrocederent,ingentem cladem accepere:quam tum equitum equorum cadauera proſtrata,manifeſtiſsimè prodiderũt. Verùm & noſtri quoq; eo in conflictu multos egregios,ac ſtrenuos milites amiſere: multi grauiſsimè ſauciati ſunt: uiginti captiui abducti,quod nunquam antehac nobis acciderat.

Durante adhuc ea pugna tam cruenta,hoſtis ex Neuſtattio ferreum globum in S.Ioannis templum,frequenti concione,eiaculatus eſt.Qui tanta uehementia feneſtras penetrauit,ut murum inde diuerberans impetuoſè reſultaret, atq; in cõfortiſsimã hominum turbam procideret.Huius tamẽ tanto ex caſu,mirã dictu,nemo equidem læſus eſt.Miles uerò quidam ſublato globo,templum exiuit.Muri uulnus etiam hodie apparet.

Nocte inſequenti,aliquot noſtrorum militum conſcenſis nauibus enauigarunt,ac ſtatim deinde obuiam oram legêre.Hos cũ anus quædã hoſtib. quæ in Bletzgeo conſederant,prodidiſſet,denſa acie in noſtros impetum fecerunt.Ex hoc concurſu utrinq; multi ceciderunt,nõnulli in Albim fugati ſunt.

Die Martis poſt Paſchalia,hoſtes de uallo,quod ad piſcinam Rotterſdorfenſem erat,uſq; ad Buggoẽſia caſtra lata altaq; foſſa ducta,totã urbem undiq; circunſepſere,ita ut nullus locus amplius ſupereſſet,qui nõ aut à foſsis aut ab aggeribꝰ occuparetur.Fabris itaq; ualidis præſidijs optimè munitis,noſtrumq; militum una cohors ad D.Vdalrici fanum in uigilijs ſtaret,factum eſt ut de improuiſo,excubiæ noſtræ diurnæ cum iſtis fabrorum præſidijs confligerent.Verùm noſtros,numero longè inferiores ab hoſte preſſos,terga dare atq; in Sudeburgum diffugere neceſſum fuit.Quò ubi peruentum eſt gradũ ſtitere,& perſequenti hoſti repugnarunt.Tum cæteri qui intra mœnia eſſent,ſuorum neceſſitate perſpecta,turmam equitum,una peditum cohorte addita,emiſere.Hi citi cuitu clandeſtino facto,hoſtes itinere intercluſerunt,circunuenerũtq;, adeò ut & à tergo,& à fronte pugnare cogerentur. Magna tum illorum ſtrages ædita eſt:multi tamen euaſere:nouem tantum capti ſunt.Complures autẽ ex noſtris militibus tam inconſiderato ardore hoſtem petebant,ut relicto omni telo, ſolis tantum enſibus excurrentes,manum conſererent:tanta tum uirtute,ut multos captiuos adducerent,quorum arma ipſis ui abſtulerant.

Die Mercurij proximè inſequente,cuſtodiæ noſtræ iterum cum hoſtium ſtationarijs,equites cum equitibus,concutrere.Eo in concurſu unus equitum noſtrorũ ſclopo perſtrictus,ex equo deturbatus eſt.Hoc milites noſtri ex aggeribus uidentes,repentino curſu facto,per Sudeburgenſem portã erumpere cogitabant:uerũ portã obſeratã indignantes repererunt, quo cum militiæ præfectus ſe contuliſſet,milites à uelitatione dehortatus eſt:hanc affirmans eſſe magiſtratus uoluntatem.Interea dum hæc fiunt,eques ex ſclopo,ut diximus,ſauciatus,ad dicta porta peruenit,urbem intrare,uulnerisq; medelam adhiberi,cupiẽs.

Hoc militi, ut pro aris foeisq; uulnerato: negari minimè potuit. Patefacta igitur porta, milites, nec p̃fectiuoces minabũdas audiẽtes nec Magistrat. intẽdicti amplio memores, glomeratim erũpũt, agros milite cõplent, cõserere manugestiũt Quare hostes undiq; excastris prũpẽtes, & peditũ & equitũ copia potẽtiis. apparuere. Nostri hostiũ multitudine ferè oppũsi, ad Sudeburg. patibulũ retrocesserunt, ubi uiæ angustias, quæ illic sunt, occuparunt. Illinc Sclopetarij ad hostẽ prouocandum egressi, cum ab equite premerentur, in angustias sese receperũt. Ex quibus innumeris scloporum pilis hostes impetentes, secedere illos coegerunt, quòd multi admodum fauciarentur. Inter cætera autem hostium cadauera Georgij Halæ, nobilissimi ac fortissimi uiri repertum est. Quod cum torque aureo, gladio ac pugione argenteo, pulcherrimisq; armis egregiè exornatum esset, à nostris militibus exutum, terræ mandatum est. Hostes aũt sequenti nocte effossum, in Neustattium mœsti extulere, atq; inibi sepeliuere.

Die Iouis sequente, omnes uidimus directè supra urbem stare Solem iã exortum luridum, ingenti circulo lacteo circundatum. Hunc circulum penetrauere quatuor semirides, exquisitissimis coloribus (ut natura illarum fert) distinctæ. Hæ postquam per semihoram stetissent, euanuerunt: Sol autem, naturali sumi ne recuperato, consuetum suum cursum peregit. Hoc quicquid portenderet (significant tamen aliquid corpora cœlestia præter naturam sese ostendentia (nõ potui non etiam literis mandare. Iudicent hisce de rebus astrologi. Eodem die maiora duo nostra nauigia, Aper & Buntekoa, iunctis sibi aliquot scaphis lintribusq;, emissa sunt: Hæc die Sabbathi sequente multum commeatum apportantia, salua integraq; rediere.

4. Kal. Aprilis milites nostri iterũ conductis nautis, captoq; Apro ac Buntekoa, bona ac certa tempestate conscenderunt. Secundo itaq; uento usq; ad duo ab urbe miliaria enauigantes, ad littus appulerũt, ubi in uicinia fundo Nigrippino occupato, eius dominum Vnibertum Detsgoũ unà cum filio, & Arnstetensem quendam uiros nobiles, captiuos abduxere. Inde utraq; naui commeatu onerata, ac domo Nigrippina incensa, soluerunt, in tutiora loca naues deducentes, atq; inibi per totum diem insequentem commorantes, prima autem noctis ferè uigilia, Albim ascẽdere atq; urbi appropinquare cœpere. Hic forte fortuna nauis nostris sese offert, qua ciues aliquot Angermindenses ex Neustattio redeuntes, uehebantur. Hæc illic capta, cum nostris nauigijs in urbem deuenit. Horum uirorum captiuitatẽ insperatã agrè ferens hostis, maximo nauigio fabrefacto, & centenis Sclopetarijs oppleto, supraq; Albim collocato, nostros toto alueo prohibere cogitauit. Nostri nihilominus consuetam uiã ingressi, in hostes sub Neustattio inciderunt: quibus procul conspectis, nautis ut nauim à cursu continerent, imperauere, quoscq; & insequens quoq; nauigium adesset Verùm hostes uelis remisq;, ut dicam, ad primam hanc nauim accelerantes, clamant: Agite cõmilitones, hodierno die nunquam hãc prædam faucibus dimittamus, nunquã Madeburgũ redeat hoc nauigium. Nullo igitur intermisso remorũ pulsu, impetu in nostros facto, omnibusq; tormentis simul ferèdisplosis, nostri tum primum sua emittere cœpere, atq; ex utraq; naui crebris hostem ictibus imperere. Quo facto, nescio quo furore, multi hostium præcipites se se in fluuium dare, quidam submergere, alij uerò contrà enatare. Nostri itaq; ex præsenti diuini numinis auxilio, animosiores facti, in hostium nauim insilire, omnia cædere, tormenta denicq; hostilia rapere. Quia uerò tam insidijs hostium metuenda erant, & hostes ex Neustattio nostros tormentis uerberare non cessarent, relicta naui hostili, quæ cadaueribus propè referta, secundo Albi uehebatur, in urbẽ meandũ censebant. Erectis igitur signis tympanisq; pulsatis, læti ac gratulabundi in urbẽ reuersi sunt. Diuinæ huius opis præsentia ex multis

tis hîc argumentis deprehendi poteſt. Primum enim hoſtes triplò noſtros multitudine uincebant, deinde nauigium illorum multo amplius, tormentis q̃ atq̃ omni armorum genere inſtructius erat: noſtra uerò contrà commeatu onuſta atque impedita. Dum hęc ita fiunt, Gerſdorfferus Mauritij Ducis à conſilijs in urbem ſæpius intromiſſus eſt, idq̃ ea de cauſa, quod Mechelburgenſis cæteriq̃ cum eo nobiles urbis captiui, ſplendidos regionis adiacentis titulos prætẽderent, quod ipſi illi eſſent qui illam ferro occupaſſent. Verùm contra horum uotũ dominũ eius Mauritio aſsignatũ eſt, atq̃ à canonicis confirmatũ, quo expenſarũ, quas ingentes fecerat, cõpenſationẽ aliquã tempore interlabente nanciſceretur. Cum hoc Gerſdorftero urbis ſcriba quoq̃ egreſſus eſt, is per plures mẽſes cauſam noſtrã apud ciuitates maritimas fruſtra ſollicitãdo egerat, à Volberto & Ioanne comitib. Mansfeldenſis, Alberti filijs multũ adiutus. Hi enim quod pater in urbe eſſet, ſiq̃ in ciuium numerum adaptari paſſus eſſet, urbi optime proſpectũ uolebãt. Nam ſi maritimis auxilijs eius obſidio diſſoluta fuiſſet, facilis tũc comitibus illis dominij ſui recuperatio ſe obtuliſſet. Sed fruſtra à nobis auxilia iſta expetebantur, quę non uſqueadeo curaſſemus, niſi etiam aduerſarios noſtros & pecunia & commeatu iuuiſſent. Ita factum eſt ut hi qui amicitiæ officia erga nos exercere debuerant, plus quam inimicos ſe nobis oſtenderint. Adeò nihil quicquam ſpei in hominum præſidijs collocãdum eſt. Hoſtes autem interea nouo uallo ad altim fabricato noſtros à nauigationibus in uniuerſum prohibuere. Validis em̃ præſidijs undiq̃ uallis impoſitis, ac fluuio tam infra quàm ſupra urbem intercluſo, noſtri maximo niſi cũ periculo appropinquare amplius auſi non ſunt. Vndecimo kal. April. nonnulli ex militibus noſtris ciues extra urbem comitati ſunt, quò ligna ea quæ hoſtis præterita nocte deiecerat, tutius in urbem reportarent. Cæteri uerò milites ad Sudeburgenſem portam in inſidijs perſiſtebant, ut ſi ab hoſte aliqua excurſio fieret, cito in ſubſidium ciuibus aduolarent. Hoſtis à noſtris præcogitatũ eſt ex Buggoa ſeſe emiſit. Noſtri igitur cohorte miſſa ciues reduci imperauere, cæteris autem militibus in auxiliũ occurrere. Hoſtis noſtrorum conſilio perſpecto, uires ſuas colligere atq̃ acriter dimicare cœpit. Noſtri fuga ſimulata urbẽ uerſus regredi occepere, hoſtis magna alacritate inſequi, victoriam ipſam manu tenere perſuaſus. Tum ſubito ſignificatione data cateruatim noſtri diuerſis ex urbis locis erũpere, hoſtẽ undequaq̃ cædere, hoſtis uerò ex tã impreſsione animo perculſus fugam arripere, atq̃ per agros diſpalatus uagari. Quoniam uerò ab equitatu noſtro curſu anteuertebatur, ita ut caſtra tardius attingeret, centum & ultra trucidati ſunt, ſex autem ultra uiginti capti, inq̃ urbẽ deducti. Ex his Ioannes Mulenus uir nobiliſsimus fuit. Tanta ex ſuorum cæde undiq̃ caſtra cõmota ſunt, integroq̃ exercitu in campum ſeſe explicuerunt, iãiam acceptum detrimentũ ultura. Verum noſtri diutius morã trahere nolẽtes, in urbẽ incolumes rediere.

2. Maij ingens tormentum uſq̃ ad ſummi templi coronidem ſublatum eſt, ex quo diu noctuq̃ Caſtra Buggoenſia impetita, maximum detrimentum accepere. Die Dominica ſequente ciuitatis noſtræ Scriba, diplomate accepto, in caſtra hoſtium profectus eſt, ad pacis conditiones tractandas. Petebat em̃ iã hoſtis omnem controuerſiam, ſi commodè id fieri concederetur, componi. Dieb. Lunæ & Martis inſequentibus uigiliæ equeſtres infeſtis haſtis concurrẽre, ubi nonnullis hoſtium cæſis, Throttum, equitem nobilem ac ſtrenuum, cepere, atq̃ in urbem miſere. 5. Maij noſter Scriba, diplomate ut antea munitus, in urbem redijt. Tum Mauritius Dux ſenatui noſtro ſingulare diploma, proprio anulo obſignatum, in urbem miſit. Quod cùm Senatus recepiſſet, legatos ad controuerſiam cauſæ componendam ordinauit. Fuere autem hi, Emdenus Iurecõſultus, urbis noſtræ Syndicus. Iacobus Bericus, Conſul Arnoldus Hopfenus Aedilis,

dilis, his etiam additus est noster Scriba. Hi primum cum Duce Mauritio collo quuti, post, cum Mordisio, eiusdem à consilijs, diu multumq; de pace egerunt. Exinde ducali comitatu ad urbem usq; deducti sunt.

Die Veneris insequente Heideccij Baronis ab epistolis in urbem intromissus est, ut iterum de pace ageretur. Sed quia senatui propositæ conditiones displicerent, eo die nihil confectum est.

2. Id. Maias hostes haud mediocrem militum numerum ex castris Buggoensibus emisere. Hi in campum progressi, cum nostris animosè conflictantur. Stationarij milites igitur diuersis ex locis concurrentes, functis uiribus hosti acriter resistu it, atque etiam cedere cogunt. Ibi nostri longius hostem prosequentes, propè ab hostili equitatu circunuenti fuissent, nisi loci illos commoditas tutata esset. Quam hostium equites molestè ferentes, quod omnem illis incursum interdiceret, cum cæteris militibus in castra reuertuntur.

Dum hæc fiunt, seditiosus in castris oboritur tumultus. Huius causam nostri à transfugis atq; captiuis inquirētes, stipendia iam per aliquot menses nō soluta, tumultuandi militibus occasionem præbuisse responderunt. Taberna cula igitur ducum percurrentes, quicquid sese illis offerret, diripuere. Iudicem una cum carnifice ac lictoribus trucidauēre. Verùm sedato post tumultu, omnes eius seditionis autores in crucem acti sunt.

Feriis Pentecostalibus stationarij nostri quinq; hostium milites, armentis ad Rotehornum insidiantes, ceperunt: ac duobus iugulatis tres uiuos in urbem remiserunt. Hi opportunè nobis allati, Buggoensium castrorum consilia detegebāt: uidelicet insequēti nocte, Albi traiecto custodias nostras ad Marschiū ex improuiso opprimēdi consilium cœpisse. Quare & pedite & equite auctis custodijs Marschensibus, exspectata hostium inuasio irrita reddita est, ipsiq; indignates castra sua repetiere. Die Mercurij post Pentecostalia quinq; hostium Sclopetarij audaciores, equitum nostrorum stationem iaculando lacessere non dubitabant, ac usq; ad saliceta euocare. Nostri igitur iniuriam hostis diutius non ferentes, erumpunt, illosq; ad unum cædunt. Hîc compluribus etiā alijs Sclopetarijs insidiosè latentibus, qui quinq; illis se horum auxilio promiserant perceptis nostri paululum substitere. Tandem consideratè pruden-terq; pgressi, insidias inuadūt ac destruūt, Duos captos, uiros in urbē remittūt.

Die Iouis qui insequebatur, hora secunda pomeridiana, equites circiter quinquaginta ex uallo Rottersdorffensi egressi sunt, singuli singulos Sclopetarios à tergo uehētes. Horū animo erat uigilias nostras ad Sudeb. occupare. Hæ ex 3. Sclopetarmanipulis, & quindecī equib. cōstabāt. Qui hostis aduētū celerius præsentiētes, uno animo eoq; integro resistēdū iudicarūt. Equites igit hostiles relictis suis sclopetarijs, impetu facto nostros inuadunt. Nostri loci cōmoditate admodum freti, certissimis ictibus, ueluti ad metam, ipsos prosternunt, multos ex equis deturbant. Interea quinquaginta illi sclopetarij superuenēre: quorum ex multa atq; continua iaculatione cum nostri multum urgerentur, subsidia ex urbe emissa sunt. Hic renouato quasi prælio, grauiter utrinq; dimicatum est: Nocte tandem appropinquante, à pugna cessatum. Nostri hostiū cadauera armis eruta, sepeliunt. Nostrorum equitum quatuor occubuere, aliquot uulnerati. Prid. Kalend. Maij, Ioannes Springerus, centurio, uir audax & bellicosus (cuius supra etiam honorificam mentionem fecimus) circa muros officium faciens ac occupatus, ex hostili uallo quod ad Latomias erat, globo percussus est. Nam funesto impetu ueniens strenuissimo duci, & de urbe nostra optimè merito, sistram tibiam abstulit, quæ illi subitæ ac immaturæ mortis causa extitit. 3. Non. Iunias hostes huiusmodi cōsilium cœpere: Aegre ferebant armenta nostra quotidie extra urbem in campo pabulari, idq; securè, & absq; ullo

hactenus

hactenus periculo. Certo itaq; equitum numero per ualla proxima diſpoſito, diligenter à Prætore mandabatur, ut quacunq; occaſione illa abigerent. Equites uigilantiſsimè occaſionem obſeruantes, poſtq̃ armenta iam eſſent egreſſa, tormentorũ diſploſionib. teſſara data, oẽs ſimul unà erumpũt. Verũ milites noſtri hoſtis impetum præuidentes, maiorem armentorum partem in urbem reducunt.

Sic hoſtili conſilio infeliciorem euentum ſortito factum eſt, ut præter paucas ouiculas & uaccas, nihil abegerint. Eodem die militum turma à nobis emiſſa eſt, quæ cum hoſte palato congrederetur. Pedites igitur loci commoditatem quæ ad noſocomium eſt occupãtes equites ad hoſtem perſequendum præmiſit. Hi ſclopis ſuis in hoſtem diſploſis, uertentem ſe & inſequentem de induſtria fugiunt, quouſq; ad pedites noſtros deueniretur. Qui ſtatim magno clamore ſublato, omnibusq; ſcopis ſimul ferè emiſsis, accurrentes, animos hoſtiũ quantumuis ingentes fregere. Itaq; fuga celeri tum ſaluti ſuæ conſuluerunt, multis tamen equitibus clariſsimis ac nobiliſsimis deſideratis, qui poſtea inter cadauera, cruore ſanieq; conſperſi, reperti ſunt.

14. Iunij, atq; antea ſæpenumero, Heideccij ab epiſtolis diploma ferens, in urbem ingreſſus eſt. Hic de pacis conditionibus cum noſtris multa egit: interim tamen nihil confici potuit. 16. Menſis eiuſdẽ hoſtis iterum ut nuper armenta noſtra abigere molitus eſt, quinquaginta ad id negotij equitibus cõſtitutis. Horũ aduentũ cũ armentorũ paſtores procul puluerulento conſpicato globo, ſuſpicarẽtur, incũctanter ad urbẽ redeunt. Verũ niſi etiã à uigilibus noſtris equeſtrib, trepidantib. in tẽpore ſuccurſũ fuiſſet, omniũ armentorũ iacturã feciſſemus. Hi tam greges quã paſtores fortiſsimè tutãtes, effecere ut hoſtis tũ, exceptis duab. equabus nihil abduxerit. Hæ cũ ab equite quodam manu ducerentur ad proximũ propugnaculũ quidã noſtrorũ ex ſtatione procurrens audentior, equitẽ illũ globo traijcit. Ex quo cũ exanimis è ſella decideret, captiuæ equæ nihilominus hoſtilia agmina ſequũtur. Hic ex urbe una equitũ turmã cũ paucis peditib. egrediuntur, quos cũ uiderent Neuſtattẽſes, etiã ipſi egreſſi, cũ noſtris concurrunt dimicantq;. Hoc in conflictu, cũ hoſtis toto (ut aiunt) pectore in id incũberet, ut noſtros ex loci cõmoditate arceret, noſtri uerò contra manib. pedibũsq; niterentur, multi magnicq; uiri occubuere. Tandem acri pugna defeſsi utriq; ultro receſſere. Noſtris uerò iam omnibus, uigilibus tantũ exceptis, in urbẽ regreſſis, Ioãnes Gulcherus & Lazarꝰ de Schuẽda, uiri apud hoſtes primarij & ſummę autoritatis, ſuos multis uerbis ad prælij regreſſum adhortati ſũt, turpiſsimũ eſſe tã citò animis frãgi, hoſtibusq; reſpirãdi occaſionẽ dare: inſuper inſtructũ egratũ nõ longe abeſſe, ad quoduis momentũ auxiliari paratũ, erant aũt eo tẽpore pauci in caſtris equites, neſcio quo deducti, id non latebat peditẽ. Hic ex tantorũ uirorum acerrimis uerbis cũmotus, urbem uerſus retrogradi, noſtros ad pugnam reuocare, conuicijs, quod non poterat pugnis, agere, tandẽ ſtationẽ noſtrã ad conſerendũ ſollicitate. Noſtri igitur parua interiecta mora erumpere, eandẽ quam prius detenuerant loci cõmoditatem occupare. Sic renouato prælio, multo acrius quã antea digladiatum eſt. Hoſtium peditatus equitibus ſuis nimiũ confidens, longius per agros ad urbẽ ſeſe extendit, quẽ cũ equites turpiter deſererent, etiã ipſe ſe in fugã cõijciebat. Hortorũ noſtrorũ arbuſta ac ſaliceta multũ hic hoſtes impediuere, adeò ut quinquaginta illorũ eo in cõgreſſu cæſi ſint, uiginti & octo capti. Quã pernicioſum ſit hoſtẽ ſuũ contẽnere, etiã hinc diſcas licebit: nouit enim ille rerum conditor omniũ, & uires addere, et magnos etiã animorũ ſpiritus deijcere. Hi q nos cõcubijs quoq; ad cõgrediendũ ꝓuocauerãt, ſtatim ſupplices nos pro ſalute, uitaq; precãtur, ac ꝓpemodũ adorãt. Ita bis uno atq; eodẽ die acerrimè cõflictatũ eſt: ex noſtris nouẽ cecidere.

Dum hæc ita geruntur ecce ibi Ducis Mauritij nuncius cum diplomate quo significabatur Ducem Muritium ipsum nobiscum defœderis conditionibus colloqui cupere: Id à nobis receptum est. Itaq; die insequenti uiri aliquot consulares & senatores in castra se contulerunt. Hos statim ac urbē egressi essent Marchio Colnbachensis excepit, & usq; ad locum designatum conduxit. Tandem Mauritio Pirnæ Misniæ inuento, cum illo colloquutum est: quid autem illic actum, alibi dicetur.

Interea dum nostri legati cum Mauritio colloquerentur, hostes à uelitationibus non cessauêre. Pridie aũt D. Ioannis Baptistæ maximos ignes passim per castra fecere, omnia tormenta ter in urbem exonerauere, piceos denicq; globos incensos in urbem immisere. Nouem ex illis in urbem delapsi, uerum quia celeriter à militibus extinguebantur neminem læsere.

Non. Iul. horis pomeridianis, p duas integras horas absq; intermissione pugnatũ est, huius prælij cruenti Dux Brũsuicensis, cui ueteres adhuc inimicitiæ alta mente manebant repostæ, autor fuit. Is unà cum filio Carolo (ut captiui nobis retulerunt) pugnę interfuit: quæ hoc modo initium habuit: custodijs nostris iuxta D. Michelem ab hostium multitudine circunuentis, multi ex urbe harum auxilium procurrere. Idem etiam equestres nostræ excubiæ facere: adeò ut non paucis nostrorum in uiæ, quæ illic est, angustijs, conuenirent, Cumq; peditatus hostium appropinquaret, nostri relictis angustijs ad monasterium Bergense circuitu facto, in peditem impetum faciunt, atq; in fugam uertunt. Quod hostes ex castris Buggoensibus prospicientes, agmine facto erumpunt. Sic sanè fiebat ut etiam reliqui nostrorum militum, qui adhuc in urbe essent, excurrere cogerentur, ne cæteri ab hostium copijs opprimerentur. Primo autem concursu nostrorum equitum ultra quinquaginta non erant, qui ducentorum impetum ualidè sustinebant, donec cæteri quoq; nostrorum superuenirent. Hîc infestissimis animis prælialum est, adeò ut utrinq; acies commixtæ & complicatæ, socij ab aduersarijs uix dignoscerentur. Durante aliquam diu pugna, ac neutra parte uolente cedere, recens hostium turma ex Neustattio superlabitur, singulari fortitudine decertans. Hostili igitur equitatu nostrum numero longè superante, nostrisq; equis iam defatigatis equites retrogressi post Sclopetarios constitere. Qui continenter tormenta sua displodentes, non paruam equitum stragem ædebant, adeò ut in Dessdorffense uallum secederent. Etsi uerò hæc pugna satis cruenta extitit, ex nostris tamen plus quàm duodecim non itinere, sedecim equi uulnerati, tres occisi. Cadauera omnia à nostris sepulta, præter Dessdorffensia: hæc enim palustris in uallum deuecta sunt. Insignem iactu ram hostium hinc conijcere licet, quod Albertus Marchio atq; alij Mauritij cõsiliarij, legatos nostros obiurgauere, inductarum uiolatores illos uocitantes: plus quàm trecentos suorum eo in conflictu perijsse, hoc fidem seruare non esse. Verum totius mali, hostes ipsi autores fuerant, ut postea facilè intellexerũt.

Die Veneris sequente legati nostri, triginta equitibus deducti, in urbem redierunt. Hi quales retulerint pacis conditiones, quas magistratui nostro offerrent, iamiam enarrabitur.

SEQVVNTVR CONDITIONES A DVCE MAVRITIO CAESAREÆ *Maiestatis nomine Madeburgensibus oblatæ.*

1 Cæsareę maiestati ad genua procumbendũ esse, eiusq; in arbitrio uitæ necisq; potestatem fore, prout cæteris cũ ciuitatibus actum sit. 2 Contra Cæs. regemq; Romanorũ, necq; contra ditiones eorum hereditarias, ut Belgicã & Pãnoniã, nullũ unquã fœdus icere, nec icientibus consentire. 3 Satuta atq; decreta Imp. sanctissime custodire uelle. 4 In camera Spirensi, si à Canonicis Madeburgensibus citentur, tanquam coram iudice competente, comparere.

Aggeres

5 Aggeres omnes paſsim iuxta mœnia iactos, cæteraſq; mūitiones incunctanter demoliri, non detractare.

6 Milites mille ducentos prę ſidñ ergò in urbem admittere, neq; etiã plures.

7 Cęſari aut Regi Romanorum, eorumũe legatis, quotieſcũq; illuc uenire placeat, urbem patefacere, nullo comitantium numero præfinito.

8 Duodecim tormenta militaria grauiora Cæſareæ Maieſtati tradere.

9 Centum millia florenorum Cæſaris Quæſtoribus pendere.

10 Ciuium fundos, domos, bona, extra intraq; urbem iacentia, militibus diripienda concedere. Quorundam etiam ciuium proſcriptorum capita exhibere.

11 Præſcriptorũ conditionum capita abſq; ulla exceptione ſeruare uelle, idq̃ iureiurando conteſtari.

HAec capita cum ſenatui noſtro iniquiſsima uiderentur, eodem tamen die quo proponerentur reſpondere recuſarunt, ne temerè ac inconſideratè tantis in rebus agere uiderentur.

Per aliquot igitur dies quaſi deliberãtes, morati, poſt reſponſum literis mandatum Heidecij Amanuẽſi deferendum præbuere. Interea hoſtes crudeliſsimè nos tormentis ſuis oppugnare non ceſſarunt: nimirum cogitantes huiuſmodi territamentis nos ad propoſitarum conditionum aſſenſum poſſe compelli.

Hoc menſe, qui erat Iulius, hoſtes armẽta noſtra ſæpius intercludere conati ſunt, ut antea quoq; non ſemel facere cogitarant. Verum cura ac diligẽtia excubiarum noſtrarũ ſingulari, ſemper conſeruata ſunt, atq; in urbem reducta. Has inſolentes excurſiones noſtri iniquiſsimo animo ferentes, centum equitibus emiſſis, ac ſclopetarijs quadringentis, cum hoſte congredi petiuerunt. Id hoſte non recuſante, quòd & ipſe ingentem ſclopetariorum numerum in inſidijs diſpoſitum haberet, aliquandiu dimicatum eſt. Tandem hoſte receptui canente, noſtri etiam in urbem rediere. Hoc receptu cum nonnulli ex equitib. noſtris in quorum circiter uiginti erant, unam adhuc hoſtium cohortem in agris conſiſtẽtem conſpexiſſent, atq; id in medio ferè Caſtrorum Buggoenſium & Rottersdorffenſium, pugnæ & gloriæ auidi laxis habenis illam inuadunt. Ipſa uerò à paucitate noſtrorum minimè attonita, fortiter impetum illorum excepit. Tandem diutius reſiſtere non ualens, in uallum ſeſe recipientem, noſtri, pugna iam incalentes, perſecuti ſunt. Huic adeò appropinquauere, ut iam à tormentis mortibus ſecuri, ad ualli uſq; pontes ingreſſuſq; peruenirent. Hanc noſtrorum temeritatem hoſtes propè ſtupentes, ſclopetarios multos alioſq; pedites ex altera ualli parte emiſerant, qui illos ab ingreſſu prohiberent. Horum tela noſtri ſpernentes ex pugnę longitudine magis furibundi quàm defatigati, incurrentes pedites alios lanceis transfigunt, alios in piſcinam uicinam compellunt: Adeò ut ſi peditatum noſtrorum præſentem habuiſſent, nimirum eo die hoſtem caſtris ijs exuiſſent. Id multi hoſtium ultrò confeſsi ſunt. Verũ hoſtes ex Buggoenſibus caſtris cateruatim prorumpentes, peditatum noſtrũ q̃ in itinere erãt, detinuere, ſic ut uiginti etiã illi equites, ſine dubio uallari corona, æternaq; laude digni, recipere ſeſe cogerẽtur. horũ incredibilẽ uirtutẽ ipſis hoſtib. perpẽdendã relinquo, qui triginta ſuorũ cadauera ad ipſas ualli portas, pſtrata ſepeliẽrunt, noſtrorũ aũt unũ tantum, Franciſcum Thenum, uirum fortẽ ac ſtrenuũ.

Vigilijs aũt hoſtiũ Bergẽſibus quotidie ferè cum noſtris, q̃ ad D. Michaelẽ erãt, confligentibus, ſenatu ea de re habito, militibus craſtino die ante auroraã illas opprimere curarent, mandatum eſt. Itaq; die Iouis poſt D. Iacobi apoſtoli feſtũ, ducẽti equites ſumo manè p̃miſsis aliq̃t peditũ manipulis urbẽ egreſſi ſũt. Tunc Bergẽſes uigiliæ, neſcio quo monitæ præſagio, deſerta ſtatione ad caſtra Buggoenſia celeri gradu contenderunt. Quarum ex importuno aduẽtu caſtra commota, ad arma paſsim conclamare cœpere. Hunc clamorem noſtri percipientes,

pientes,tòto agmine in duos cuneos partito,uno eodem impetu per diuersos acceſſus uſq; ad ipſa caſtra peruenere. Quo ex facinore non atq; etiam expecta to hoſtes non parum perterriti,ſignis ex ſpecula datis,in cæteris quoq; caſtris concurſiones tumultusq; ciebant. Vndiq; igitur equitibus ex caſtris erumpen tibus,adeò ut plenam iam aciem inſtruerent,noſtriq; ex Buggoa nullo non te lorum genere impeterentur,relicto poſt ſe hoſtili uallo, D. Michaelem uerſus regrediuntur,illicq; loco commodo atq; opportuno capto, hoſtium aciem o periuntur.

Hæc ex omnibus caſtris collecta,præter peditatum quingentorum equitum numerum excedebat. Noſtra ex ducentis equitibus conſtabat, ac mille pediti bus,qui fere omnes ſclopetarij erant. Equites in agros ſeſe effuderant,ita ut ab hoſtibus facile conſpicerentur. Pedites autem in foſſa,quę iuxta D. Michaelem eſt,latebant. Marchioniani igitur equites,buccinatore iam claſsicum canente, horrendo clamore in noſtros irruunt,impreſsionemq; faciunt. Noſtri hoſtilem impetum pro uiribus excipientes,lento interim gradu recedunt. Callidè ſic ho ſtes uſq; ad latentes noſtrorum ſclopetariorum inſidias ductantes, qui animis fiduciaq; pleni,noſtros fugam capere putabant. Tum repentino motu oborto, ſclopetarij grandinis inſtar globos in hoſtem immittunt, multos proſternunt, adeò ut citò terga darent. Equites igitur fugiẽtes inſequuti,atq; etiam ipſi ſclo pos in hoſtium terga diſplodentes,unum ex fugientibus capiunt. Quem ſui re dimere ſatagentes,iterum ad conuertunt,ſtrenueq; cum noſtris dimicant. Ve rùm ſicut antea,ita rurſus à multitudine ſclopetariorum in fugam acti ſunt. Id cum tertio fieret,iuſtæ pugnæ haud immerito cõferri potuit Poſſumq; ego in dubitanter aſſeuerare,hoſtes ex nulla priorum conflictione inſigniorem iactu ram feciſſe: plures enim duobus millibus utrinq; tum congrediebantur. Com plures uiri nobiles hic interiere,,inprimis autem undecim præclariores, quorũ ex armorum uenuſtate atq; elegantia nimirum generis nobilitas æſtimabatur. Hi à noſtris militibus exuti,terræ mandati ſunt,opima ſpolia in urbem repor tata. Viginti duo ex noſtris grauiſsimè uulnerati ſunt,ſex deſiderati.

Finito tanto cõflictu,acies utrinq; cum iam ſeſe recepiſſent,ecce Albertus Marchio eodem die buccinatore ad urbem miſſo, nullas nobiſcum iam pacis conditiones paciſci uelle, neq; reſponſum noſtrum ad Pirnenſe colloquium datum audire affirmat. Hanc ſubitam Marchionis maleuolẽtiam,quam abſen te Mauritio Duce exercebat,hinc dimicare arbitrabamur,quòd magnam ſuo rum equitum partem in præcedenti prælio amiſiſſet,inter quos plerique nobi liſsimi exiterant.

6. Auguſti hoſtes ſex noſtrorum militum in Rottehornio cepere,præterea unum ciuem. Hic ciuis poſt aliquot dies,quodam in conflictu eidem à quo pri us captus fuerat occurrens,gladio(mirum dictu)ceruicem abſcidit. Sex autem illi milites in caſtra Buggoenſia deducti ſunt,neq; unquam in urbem remiſsi.

Die Mercurij poſt diẽ Laurẽtij,noſtræ ciuitatis principes cõſilio inito caſtra Neuſtattenſia inuadere tẽtarũt,illaq; ſi fortuna aſpiraret expugnare. Oratione igit ad milites habita,quo ſe ad expugnationẽ expedirẽt,oẽs ferè præter opini onẽ exire urbẽ negauerunt. Idq; in primis cẽturiones aliq; nõnulliq; primipila res atq; anteſignã fecere,q gregariũ q; militẽ ab expugnatione dehortati ſũt.

13. Auguſti uiginti equites ex Deſdorffenſi uallo prolabentes,ſtationẽ noſtram ad prelium laceſſerunt. Stationarij fortiſsime pugnantes,hoſtes ppellũt. His quinquaginta equites ſuperueniunt. uiginti priores ad prelium reducẽtes. Noſtri igitur hoſtibus nulla ex parte numero pares, fugam capiunt, ſeſeq; ad foſſam continent,auxilia noſtrorum expectantes. Quæ cum præſto accurre rent,iamq; plures cẽtum equitibus in campis haberemus,pugna reuocata eſt, ac

ac diu acerrimè utrinq; dimicatum. Quia uerò per tres horas continuas pugnaretur, inter pugnandum hoſtibus ſemper noua auxilia aduolauere, ita ut in immenſum iam numerum excreuiſſent. Nihilominus tamen milites noſtri omnes impreſsiones exceperunt, neq; latum unguem (ut dicitur) ſecedere uoluerunt. Et ut uno uerbo dicam, ſi ſingula huius pugnæ fortia facta recenſere uelim, proprium ualla & ſeparatum opus poſtularent. Diuina potentia toto eo die nobis, ut antea ſæpe, aſtitit. Nam ſex tantum equites tum perdidimus, hoſtes tot, ut etiam numerare non licuerit. Inter hos uir quidam nobiliſsimæ cuiuſdã familiæ occubuit, hic inaurata calcaria geſtauit, galeamq; holoſerico obductã, ſpolia igitur à militibus noſtris in urbẽ relata. Circa huius nobiliſsimi ca lauer cùm utrinq; diutius confligeretur, quòd noſtri illud in urbem deportare contenderẽt, plurimi interiere. Ex captiuis unus nobilis fuit, ex Ramſteinſe domo procreatus. In media uerò pugna, cuius iam perpaucis meminimus, Neuſtattẽſes tot tantisq; globis portam Crecenſem percuſſerunt, ut ingenti fragore concideret. Magnitudine enim atq; altitudine cum inſignis eſſet, terribiles cum collaberetur ſonitus ædidit.

14. Auguſti occaſione ex fluminis exilitate deſumpta, quæ plerũq; in canicul. diebus eſſe ſolet, ſenatus noſter Cracoenſia caſtra inuadenda atq; opprimenda eſſe cenſuit. Hoc ſenatus decretum militibus propoſitum eſt, quorum turbulentus quidam ac ſeditioſus miles promptam immutauit uoluntatem. Hic militibus uno in loco cõuocatis uerba turbæ ſeditioniq; plena faciebat: Senatum enim milites hoſti dilaniandos propinare conſtituiſſe, omnia proditionibus referta eſſe. Quòd ſi fidem adhibere nolint, ſaltem literis credant, quæ fortuitò repertæ ſint, atq; Prætori traditę. Ex his quorundam ſenatorum dolos, proditiones q; conſtare, inprimis autem Heini Almani Conſulis, uiri, ut ipſe dicebat, ſceleſtiſsimi atq; neceſſarij. Has itaq; literas milites recitari cupiunt, neq; prius niſi recitentur urbem egreſſuros. Verum hæ literæ ad rem planè nihil faciebant: nam ante trimeſtre conſcriptæ erant, ac ferè nihil præter meras conuicia complectebantur. Nihilominus ad inducendum quendam excuſationis prætextum, ne ex decreto Albim traijcere oporteret, atq; hoſtẽ in Cracoa adoriri, craſtina luce ſtatim ſignis militaribus, raptis, in Foro nouo cõueniũt, ubi corona facta Heinum Almanum Conſulem adduci iubent, quo in medio collocato proditoriæ literæ perlegerentur. Certo igitur equitum numero dimiſſo mandant Conſulem adducere. Quem cũ domi non inuenirent, progreſsi ad curiã, illum ut ſibi exhiberetur proclamant. Senatores ulla abſq; mora ſecuturũ ſpondent, luculenterq; ſe ab obiectis criminibus purgaturum. Sed multi milites perfidi, quibus huiuſmodi ſeditiones gratiores exiſtunt, quàm publica tranquillitas, exclamare nihilominus perrexere, is ut abduceretur, ac raperetur, idq; tanto tumultu atq; impetu, ut ob nimiam clamoris uehementiã nihil quicquã exaudiretur. Inſuper multi, magis furũ quã militũ officia exercentes, ſimulãtesq; Conſulem domi quærere, quem iam omnes in ſenatu eſſe nouerant, ædes undiq; percurſitabant, quicquid ſeſe offerret diripientes. Interea dum hæc fierent, coronam militum magna cum fiducia ingreſſus, tali oratione uſus eſt.

Non dubito, milites, hoſtẽ tædio ob diuturnitatẽ obſidionis affectũ, technis tãdẽ inſidijsq; ſtructis id perficere conari, quod armis hactenus uiribusq; facere nequiuit. Quid em̃, q̃ſo, nobis pernicioſius nunc eſſe poſsit ac turpius quã ſi indites noui ſuſcitentur tumultus, illi uerò cõmodius, et glorioſius. His ipſe nũc procul dubio ad defectionẽ nos impellere machinatur, atq; ad urbis deditionẽ cogere. Ad hoc negociũ, milites, ſi fortaſsis aliq̃ẽ ex nobis munerib. datis ſubornauit (q̃d tñ ego de nullo ueſtrũ iudicio) is nimirũ noïe ſuppreſſo literis conſcriptis, inq; certũ locũ locatis, huiuſmodi nefarijs libellis eos uult cõcitare motus,

tus quos uerbis orationeq; palam suscitare non audet. Hoc aũt scripto me me osq; nobis suspectos reddidit, impudẽtissimè ac nequissimè de nobis mẽtitus. Quod si aliquis uestrùm sit, qui hanc contra me causam agere confidat, spondeo ego coram iudice legitimo comparere, ibiq; iudicij euentum subire. Quod si criminis cõuincar, merita me pœna summa iuris seueritate afficite, sin minus, rogo, uti decet, me meosq; à fictis istis falsisq; criminibus liberos pronunciate. Oratione sic finita, Senatus totus & se & sua, uadimonij loco pro consule exhibere atq; obstringere non dubitauit.

Ad præcauendos autem in posterum huiusmodi motus, aliquot uiri tam ex ciuibus quam externis militibus delecti, qui nullas literas uel extra uel intra urbem perferri admittebant, nisi prius lectas.

18. Augusti milites omnes in forum nouum conuocati sunt, quo in loco de indicta seditione tractatum est. Hic piscatorem quendam, pro exploratore habitum, senatus capere imperauit, quẽ sclopetarij ex curia ui detractum, anteaq́ue militibus ostensum, iudici tradiderunt, qui hominem inuincula coniecit. Adducebatur quoq; tum uir quidam senex, unus ex bombardarum præfectis, quòd uerba nonnulla ad priores motus seditionesq; facientia protulisset. Hic cum in militum coronam constitueretur, ibiq; se coram omnibus purgasset, absolutus est. Eo die plurimi ciues in Foro nouo conuenere, ut huiusmodi motuum finem aspicerent. Cuius quoq; rei gratia nobilis Mansfeldensium matrona, in ampliss imis fenestris consistens, è uallo quod ad Teloniũ esse suprà diximus pilo petita est, cuius sanè ex ictu alterum illi crus confractum est.

19. Augusti nonnulli hostium naui conscensa ex Buggœnsis castris in Marsium traiecere. Is locus à flumine utrinq; circũuoluitur, in insulæ modũ. Ibi armẽta nostra pascentia cum intercipere contenderent, à stationarijs militibus nostris repulsi sunt captaq; naui multi iugulati, quidam in flumen se præcipitarunt, Septem supra decem capti sunt, atq; in urbem missi.

21. Augusti Neustattenses duo magna tormenta in fani pinnam sustulere, ex quibus innumeros globos in urbem immisere, Deo adiuuante parum incommodi nobis inferentes. Item 23. eiusdem mensis per omnia fana factum est.

4. Septembris Heideccensis quatuor nobilibus comitatus urbem intrauit. Hic per octo dies continuos in urbe commoratus, cum senatu multum de pace egit. Tandem inducię utrinq; pactæ sunt. Capitula autem pacis senatui populoq; Madeburgensi magis dilucidè exposita sunt, quæ sancte fideliterq; se conseruaturum esse uadibus datis Mauritius promisit. Inde paucis interiectis diebus senatus fide data ex urbe euocatus est, atq; in uallo quod ad Latomias erat de compotatione latius disputatum. Quo facto ab Heideccio in urbem reductus est, atq; sic inducię prorogatæ interea nihilominus hostis à bellicis operibus nequaquam abstinuit. Mechelburgensis etiam in urbem rediit, & uti captiuum dicebat senatui sese exhibuit. Qua in re summam fidem præstitisse merito dicendus est.

Posthæc comitia Vuittembergam relata, ad quæ legatos Madeburgenses uocauere, horum initio in penultimam Septembris reiecto. Octauo autem Kal. Septembris, antequã comitia haberentur, mirabilia propeq; stupenda in aere uisa sunt. Hoc prodigium noctu circiter primam uigiliam apparuit, ac post tertiam usq; constitit. Huius forma naturamq́ue nolo describere: nam eriamsi uellem, propter admirandam eius effigiem non possem. Ac significationem eius doctis eruditisq; relinquo.

28. Septembris legati nostri ad statuta comitia profecti sunt, atq; inibi de perpetua pace facienda diu multumq; agitarum. Nona tandem Octobris in urbem rediere à Marchione & 50. equitibus per castra deducti.

12. Octo-

12. Octobris milites tam noſtri quàm hoſtium extra urbem conuenere, colloquiaq; inuicem impunè habuere. Hoc inſequenti die utrinq; militibus interdictum eſt.

14. Hoc menſe cœnobium Franciſcanorum in urbe exciſum & euerſum eſt, atque in eius locum domicilia ædificata. Eodem menſe die 19. hoſtis recenſitis militibus ſtipendia numerauit. Exinde octo diebus præteritis, obſidionis ſolutionem nobis pollicitus eſt.

13. Nouembris Heideccius urbem intrauit, ibi ſenatu noſtro exercituq; co acto, in uallum Latomiarum egreſſum eſt. Quo in loco multis iam diebus tractata pax tandem concluſa eſt, inſtrumentaq; utrinq; confecta. Militibus porrò noſtris impunè, libereq; abeundi fides data eſt. Hi ſtatim à Mechelburgenſe uerum conſcripti ſunt, cui etiam lubentes (militum more) nomina dedere. Quā uerò in rem id factum ſit, adhuc ignoratur. 18. igitur eius menſis militibus noſtris ſtipendium perſolutum, quo facto, eodem die illis abire imperatum eſt. Demiſsis ſic militibus noſtris, & alia militum uexilla urbem intrauere. Die inſequēti Mauritius dux cum toto exercitu quem in obſidione habuerat, urbem ingreſſus eſt. Tum in foro iuxta prætorium comitijs habitis perpetuum fœdus ictū eſt. Quo facto ſtatim exercitui ut urbe excederet imperatum eſt, præter quinq; illa uexilla quæ in urbe remanſerunt, Hoc in fœdere urbi, tum quod ad priuilegia immunitatesq; attineret, tum quod ad religionem noſtram Euangelicam & Chriſtianam ſpectaret, nihil prorſus detrectatū. Quinimo promiſſum tam urbem quàm regionem adiacentem ab omni periculo tutare, eiusq; rei cauſa fides nobis data oppignorat aq;. Hāc cum ſummo applauſu ciues accepiſſent, Duce in Burgrauiū Madeburgenſem ſalutare. Deus Opt. Max. huic fœderi atque paci felicem euentum largiatur, etiam atq; etiam rogamus.

FINIS.

C. S. C.

Quod ſteterim uirgo, tot millia paſſa uirorum
Effecit CHRISTVS uirgine natus homo.
Quodq; uiro digna eſt ſpecies, & gloria tanta
Non mea, ſed ſummi facta dedere Dei.
Sic qui ſancta patris ſeruarint iuſſa potentis.
Non metuent fraudes, ulla nec arma uirūm.

RERVM ADAGRI AM M. D. LII ANNO GESTA RVM NARRATIO IOANNIS SAMBVCI.

FErdinandus Rex, Anno M. D. XLVIII, Agriam in ſuam fidem ac tutelam à Perenij obitu receptam, cùm non ſatis munitā præſidio, neceſſarijsq;, doctus eſſet, procuratorem arcis conſtituit, et (ſi uſus poſceret) eundem omnis defenſionis artificem, & adminiculum, Stephanum Dobo de Ruſca, ui animi & promptitudine admirandum, probatiſsimisq; facinoribus nobilem. Collega huic adiungitur Franciſcus Zay, & ipſe longa experientia, & conſilijs uir clarus. Anno ſequenti, nomine ſacerdotij, dignitatisq; religionis, eum ipſum locum.

cum Nicolaus Olahus, paulo antea Zagrabiæ episcopus, ritè confecutus est. Itaq; ut omnia expeditiora essent, salutari iusq; præfectorum uigeret accuratio: Anno quinquagesimo supra M.D. â constitutis custodiæ ducibus fide iureiurando q; accepto, pollicẽtur Regi, Præsuli, uniuersoq; orbi Christiano, si immineret hostis quando ipsorum tutelæ, insidiariq; uelle uideretur, inuictam se uirtutem prosperè, constantissimeq; daturos. Haud multo pòst Agrienses de regis mandato ad Zolnok profecti. eam eripiunt: quo loco hostibus adempto, beneq; armato, Franciscum Zay cum autoritate imposuerunt. Qui uir, quem se præbuerit, omnes libenter agnoscunt: Ferdinandus etiam legatione illi cum Antonio Veraucio ad Solymannum tutissimè commissa, non diffitetur. Eo ipse ex Agria transportato Olahus antistes ipsi Doboni Stephanum Meczkey addidit, animo inexpugnabili, & multis prælijs hominem clarum (erga quem se fortuna tamen postea iniquius gessit) quò isti duo mutuam & uicariam sibi administrandi operam traderent: idcirco q; iusiurandum ab eisdem exactum. quo religiosè depositio, uicissim illi omni re ope atq; subsidio sine exceptione affore, multis promiserunt. Et quando ipso loco et circumstantijs cognitis me lius res gestæ annotari queant: operæpretium fecero, si omnem Agriæ situm quàm breuissimè recitaro, ut quid quoq; in loco sit factum, sine mora intelligatur. Mõs quidam est, in cuius latere accliui, sed eo suspecto & insidioso, inq; profundam uallem uergente à Diuo Stephano, ut fertur, uelut applicata cernitur Agria. A' Septentrione sedes regia obijcitur. ab Ortu montem habet alium editissimum, cuius de summo liber in arcem patet prospectus. Exitus & ingressus Occasum uersus, ad meridiem amœnissimus campus uisitur. Ab eadẽ plaga oppidum in ualle constitutum, præseptum illud, ac munitum tectorio ex argilla facto: ubi fluuiolus Agria dictus, haud lento cursu per medium fertur. Templum uerò primatu episcopatus nobile, Occasum spectat. Cæterùm arx ipsa cùm aliàs semper, tum uerò reiecta fortiter obsidione, nunc magis innotuit, atq; à paucis annis munitiones atq; ornamenta insignia recepit. Etenim à meridie ingens propugnaculum, uicinaq; illi Thomæ Varcocz porta se ostẽtat: adeoq; infestiorem hostibus propinqua sibi Occidentem uersus turri cõminatur. Nec parum præsidij obsessis in propugnaculo, quod ibidem Dobo exædificarat, constitutum fuisse uidetur. Intra hoc operæ craticeæ, ad ausq; insignem iam dictam molem perductæ. Interiecta his fossa humilis, atq; etiã prope septa portæ congestus tumulus, irruptioni hostium oppositus. In cuius uertice rates terra completæ, ac tormentis ad disturbandum hostem quoquò uersus dispositæ apparent. Post hæc alius quidam agger olim excitatus, inter septẽtrionem & meridiem prominet. Videas etiam gerras in tectis, ac plureos ipsius arcis, eiusq; angulo erectos: hæcq; sepibus artificiosè obducta, Haud procul ab his, paulò tamen interius ad angulum, de silice præmunitio constructa, quæ in septentrionem porrigitur, ubi carcer est: statim magnifica quæq; ædificia austrũ intuentia, sese offerunt. Sub quibus remotior ille murus, qui proximè sepibus magnis excipitur, item alius in exitu palatiorum subest, qui ipse Alexãdri propugnaculo terminatur. Porrò autem, recens memoria tenet, Petrum Perenij hãc arcem in duas diuisisse partes: interiorem & exteriorem. In illa cœnobium inclusisse, atq; custodiam facinorosorum in propugnaculum redegisse: ab exteriore arce ad dictum modò locum, aggeres eundem eiecisse, qui bombardis in tres plagas directis repleti, plurimum ad arcendum hostem profuere. In sanctuario ibidem, statiua multorum erant. Siquidem aliquot tabulatorum turres constructæ superius, ac mole completæ conspiebantur: insuper ut omni incursu irruentes prohiberentur, gerræ ac uiminea compla tormentis extabant. Adiacet his pendula porta, quæ in arcem exteriorem defert. Ab hac rectus murus,

de

de quo paulo antè, ad angulum usq; pertinens, terra ingesta ad proiecturas ple nus, & coronas usq; ostenditur. Ibidem tumulus murum exæquans adiectus, qui & ipse textis & corbibus emunitus est: cuius fastigium obseptũ, ne ex mon te conspectus in arcem daretur, multum depugnationem adiuuit. Deinde à mo le Alexandrina adusq; angulum, extra muros fossa est altissima, pari cum muro longitudine. Istinc rursum alius sine ambagibus intermissus, ad magnam extẽ ditur portam: in cuius extremo turricula quædam uelut latens cõquiescit. Hic est situs arcis interioris: nunc alterius quoq; formam paucis indicemus. Hæc Alexandrinum, adeoqûe murum interpositum ab austro aspicit. fossa etiam, quæ communis intercedebat, exteriore ipsa arce concluditur: ubi propugnacu lum à Stephano Cyabij factum est, qui diuisionem arcis hanc à Perento perfe ctam instituerat. Apud Cyabianum, paulùm ad occasum, angulus alter proce dit, qui palatio muri exterioris loco uenit. Ab eodem Cyabiano tenuis murus ad latus montis excurrit, in cuius angulo turris rotunda existit, inædificata illa, & solida. Cæterùm Emericus Bebek, penes alterum murum peculiare propu gnaculum fieri curauerat, quod ipsum tandem nomẽ etiam ab autore sumpsit. Atq; ita in excedentes duos angulos huius arcis finis desinit. Mox refer pedẽ à Bebekiano, ad ingentem ueteris portæ molem, ubi inualidus cernitur mu rus. Supra quem lapidea turris locata: sub qua olim ianiculum fuit: hodie quoq; fœno & similibus importandis commodum. Paulò inferius, penes an gulum, alius ruinosus quidam murus in meridiem tendit: qui ubi ad interiorẽ recessit arcem, fossam impedit, quòd tenuis murus secretæ arcis habet fossam perangustã, intus à Cyabiano ad præfatum angulum usq; productam. Hîc du plicato uimine sepes sunt iunctæ: quibus terra summo conatu & ui completis, minutas turres ad arcendos hostium globos, si præeminens murus deturbatus fuisset, adiecere. Eandem rationem communitionis in propugnaculo portæ co gitandum: inter murum scilicet, ac sepes fossam currere amplissimam, eamq; crebrò interceptam, ac turriculis ad tormẽtorum opus extructis firmatam. Ad summam nihil defuisse, quod ad munimenta attinet, credendum, quòd præser tim sepibus densis, & uariè decussatimq; effictis, bene tuta loca fuerint. Atque hæc de omni situ arcis, & communitione sufficiant. Subinde dicendum de præ fectorum cura & solicitudine, qua se ad excipiendam obsidionem, suosq; com parabant. Etenim haud parum sæpe, non tantum libero sermone, sed certò fere batur, excursiones luctuosas fieri, infestari passim agros, & munitissima quæq; loca expugnari, consternatos multorum animos, atq; seriò ad occupandam u niuersam Vngariam tyrannum incumbere. Augebat famam fortissimi heroís Losonzij interitus: non minus Lippæ, Solymos, Chynadinæ arcis subita & in sueta quoq; amissione perculsi: ut cuncta minari obsidionem uideres præsentẽ. Id enim temporis quo solicitius Agrienses afficiebantur, Amhathassa cum Be glerbeko, & ipso Cassone, intra fluuium Themes quietus se continebat. Cis Ti biscum autem. & ultra Danubium, Alybassa Budensis cõfederat: ut meditatũ aliquid facilè animaduerterent: nam Budensis Vesprimio capto, & mox trai ecto Danubio, similiter locis sibi suspectus, alijs; ademptis, quasi uictoriã pro secuturus, Budam reuisit, Ferdinandus tot detrimẽtis passim acceptis, metuq; maiorum, rebus communiter occurre uolens, haud exiguis ex tempore copijs, Matthiam Theisi præponit. Verùm hunc non satis cautum Alybassa, ad Pala stum cum Sforcia, præsuleq; Sbardellato, unà cum exercitu paratissimo circã uenit, & miserè cecidit. Quo successu non sperato, ille de Agria consilium ca ptat: quòd nusquam ulla manus aduersaria esset relicta, cuius auxilio niti ad resistendum Christiani possent. De quo Agrienses per certos homines statim admoniti, armare se, & ad obsidionem omnia prouidere, utqûe auerti iugum

posit cogitare: sed amplitudine loci, & præsidij tenuitate considerata, nuncios ad regem maturè expediunt, non secus ad præsulem suum, & alios regni proceres, qui celeri auxilio esse opus, se uix ad tutandam Agriam suffecturos, edoceant. Per eosdem dies conuentus de more in Sixo ex diœcesibus uicinis cogitur: ut si se, agrosque suos, totam adeò patriam saluos cupiant, consultationē & de rebus iminentib. sanā & maturā suscipiāt Id em sedulò eos Stephanus Meczkey hortabatur, sed ualde ineptè tanto uiro, & quod exacerbare, quāuis facilè possit, responsū fuit: Non debuisse quēquā in summo ocio cu stodiam arcis in se recipere, dubijs qui tēporibus ingenio & uiribus suis diffideret, atq; se nihil aliud cōsulere, quā ut iuxta prouerbiū, deuoratis carnibus ius etiam absorbeat. Quo audito Meczkey uehemēter cōmotus, satis cōtumelio sa sententia sibi responsū ratus, domū reuertitur: ac socijs uanā legationē, quēque uicini animū induerint, cū dolore breuiter exponit: eoq; esse rē loco, ut soli Deo sit fidendū: ferū nimis fore auxiliū, q̄d expetiuerint, quāuis postea mediocriter à cōuentibus illarū partiū de mādato regis fuerint adiuti, ut mox dicet.

In hoc rerum statu, & non paruo metu & negligentia amicorum, dum à rege nuncij dimittantur, quos iterum ac tertiò iam obsessi remiserant: ipsi ex ijs quæ ditionis ac iuris erant Agriæ, quod possunt, sese comparant. Namq; exprotientibus annuis certos habebant equites CC, totidemq; pedites: quibus tum nec cessariò LXXX conscriptos addidere. Dimittunt quoquò uersus aliquot ex præcipuis, cum mandatis, ut qui furis sunt Agriæ, comportata supellectili, se in arcem conferant: instare periculum, quod illi facilè persuaserunt, utq; XL equites Agriam uenirent, pagani officiales, ut uocant, perfecerunt. insuper decolonis C, cum bombardis. Interea rex amanter & benignè literis scriptis præsides cōsolatur, omniq; uoluntate ac uiribus propediem illis se affore pollicetur. Cuius animi ut significationem præberet, Caspar o Peteu, Stephano Zoltay equitum ductori, & Gregorio Bornemissa planè imperat, ut extemplò se Agriam conferant, fidem illic & fortitudinem rebus arduis declarent: quod illi manipulis quibusdam secum adductis, non molestè fecerunt. Etenim Bornemissa CCL pedites cōquisiuit, Peteu XV equites, totidemq; bonus Zoltay. Neq; secus rex ad omnes illarum partium conuentus cum mandatis scribit, ut ratione capitis ac fortunarum habita, quodcunq; possent, ad Agriæ defensionem conuerterent. Hoc modo breui contractis undiq; militibus, præsidio firmata non paruo Agria fuit. Constat enim ex comitatibus circumiectis & nobilitate attributos fuisse equites ac pedites ad MD: ut in uniuersum MDCCCC & LX fuerint, de quibus tamen quidam se postea clàm subduxerant. Sed principes, & cum auctoritate qui alijs anteibant, & quorum industria & ingenio militari potissimū res administrabantur, fuere: Stephanus Dobo, uir inexpugnabili fortitudine: Stephanus Meczkey, in bello manu potens: postea Caspar Peteu, uir laudatus: quartus, Stephanus Zoltay, arte ac belli casibus eruditus, quintus, Gregorius Deak, arduis in pugnis sæpe iam perspectus: deinde Ioannes Figedy, experientia & consilio præclarus. Fuerunt & alij innumeri, etsi dignitate inferiores, tamen uirtute & ausis pariter celebres, qui partim ducum illorum uices gerebant: partim sua sorte contenti, rem non minus strenuè gessere, quorum hic nomina referre non necessarium duco. Ac quoniam ad obsidionem sustinendam multa requiruntur: prudenter ipse Dobo chirurgos XIII accersit, materiarios V, fabros ferrarios IIII, carpentarios totidem: molitores IX, laniones VIII. fudices paganj quoq; LXXV selectos de plebe secum adduxerant. Eôdem in tutū mulieres XL cum liberis cofugerant, quæ panes cum alijs conficerent. Dum hæc à nostris ita procurantur, Alybassa literas mittit ad Amhatbassam & Beglerbecum: quibus indicat, multū impedire Zolnok & Agriam, ad potiendum

tota

tota Vngaria: se igitur, ut posthac nihil uictoriam moretur, eas circumuentu-
tum: &, si paulum adnitatur, expugnaturum: quòd exploratum haberet, fuso
nuper exercitu regio nullius affore subsidium, quo res Christiana subleuetur.
Igitur obsidet Zolnok arcem non ita pridem ad uim sustinendam constructã:
quò etiam Amhat accurrit, horum multitudini facilè nostri cessere, uacuamq;
arcem IIII Septembris deserunt: satius fore omnes rati, si in Agria, unde totius
regni salus penderet, occumberent. Paulo pòst mittuntur Agriam literæ à Tur
cis, per uillicum quendam: quas nuncio in uincla detruso, coram omnibus re-
citari uoluerunt, deinde ad Regem mittere. Quarũ habita sententia, inter se le-
ges sanciunt firmissimas, & perscribi eas sanguine iubent, ut quibusdam omnẽ
spem defectionis adimerent, & ad mortem usq; pugnandum cogitarent. Legũ
hæc fuit summa. I. Si quis posthac cum literis ad se mitteretur, is unà cum illis
Vulcano dicaretur. II. Ne quisquam in obsidione uocem ad Turcas emitte
ret, aut quoquo modo hiscere auderet. III. Ne uspiam conuenticula fierent, et
in aurem sibi loquerentur, sed palàm omnia fierent. IIII. Quicunq; seditionis
moueret aliquam mentionem, morte is multaretur. Aduersus has nemo dixit:
sed precibus ad Deum, cuius ope nitebantur, piè fusis, hostem expectabant. Li
terarum autem hæc erat sententia: Ego Ile Natulay Bassa, summus & dux &
consiliarius Cæsaris, uobis Agriæ præfectis salute præmissa, significo, per me
utramq; oram fluuiorum Themes & Maros, itemq; Zolnok, in ditionem Im-
peratoris concessisse: atq; amicè hortor, ut de fide remittatis uestra, ne uos in pe
riculum extremum præcipitetis, quod quidem fiet omnino, nisi subiectissimè
arcem cum oppido Bassæ à me istuc missorum tradatis. Quòd si uos dederitis, per
autoritatem, qua multum ego possum, ac fidem uobis affirmo ac denũcio, Im-
peratori uos gratos fore: meq; perfecturum, ut donis ampliter dimissi, cum a-
gris & possessionibus liberi in amicitiã Cæsaris ueniatis, & legibus usitatis sua-
uiter perfruamini: utq; rata hæc promissa uideatis, eadem sigillo proprio com-
munienda censui. Sin uerò ad perniciem, in fide steteritis, ac pertinaciter Cæsa-
ris iram depoposceritis, omnia uos extrema subituros. Verùm nihil Turcarum
minis, Heroum animi flectuntur: sed quo maiora ostentabantur, hoc magis cre
uere, adeoq; spe meliorum erigebantur. Explorata igitur penitùs hostium uo-
luntate, uniuersa disponũt, armant, peditibus equites permixtos aptis locis cũ
obseruatoribus distribuunt. Cuius rationem lubens quoq; hic prætereo. Cu-
stodiarum negocio cautè et tempore cõfecto, quatuor ordines certos deligũt,
in medio interioris arcis foro, ad omnia paratos constituunt CCLXIX equites,
ac pedites longè exercitatissimos. Horum omnium in genere capitaneus fuit
Ioannes Vuayda. Equitibus Dobo præerat, peditum dux Ambrosius Zador-
nik. In altero foro CCX non minus fortes collocati, quibus præfecti erant Geor
gius Iuany, & Antonius Blasko, laniseo, sed tamen potissima omnium cura in
Meczkey consistebat. Tertius exercitus CI militum, ante portam arcis exteri-
oris excubabat, quorum rectores Casparus Peteu, atq; Petrus Antonius Kys
Gomerensis capitaneus fuere. Quartus in exteriori arce statarius erat, qui con
tinebat ducẽtos quinquaginta tres: quibus additus Gregorius Bornemissa: in
his quoq; selecticũ imperio Albertus Nagh de Soklios, Antonius Nagh, Ste-
phanus Zoltay, & Ioan. Figedy, omnes uirtute & prudentia insignes uiri. Cæ-
terùm bombardarum ex ære potissima in Dobonem cura reiecta: cuius postea
industria, & nunquam satis laudata uigilantia, ruinæ ac subuersiones murorũ
restituebantur. Sed neq; excubiarum ordinem, et custodias, eodem modo per-
petuas fuisse existimandum: pro loco & tempore omnia prouisa, aucta, dimi-
nuta: præsertim quando insignis illa ruina patuit, quæ tot hiatus edidit, de qua
infrà dicetur. Nunc ad ipsam ueniamus obsidionem.

Nona septembris, præcursores & uelites hostium in Maklar ueniunt, atque duos de speculatoribus Agriensium intercipiunt. quem casum uix alij duo elapsi, ut Agriam euasere, de consilio præfectorum Cassouiensis capitaneus exit cum aliquot equitibus & peditibus, ut palantes ac uagos excipiat. Sequenti luce summis copijs Bassa Eunuchus eôdem subsequitur, in cuius comitatu erant multi duces: Albæ Græcæ, ac Zenderouię Beky, Memhetan Arczlanbekus, & Halōbekus, Velibek. & (qui Segedino p̄est) Mustassābekus, Kāberbecus, & Deruisbekus. Ex Amhati quoq; castris multi submissi, ut circiter trigintaquinque milia ad obsidionem festinarint. Sed quò propius accedebant, hoc maiora nostri ostendunt: quòd Zoltay, Peteu, Figedy, & Stephanus Fekete, 90 promiscuè de equitibus & peditibus assumptis, agmen hostium non contemnenda præda, quibusdam ad internecionem quoq; cæsis, turbauere. Interea hostis per patentes locos, ualles et mōtes, ad Nemtij usq; castra faciūt, sub regiā sedē, & ibi profluentem, ubi confestim Agrienses tecta & contignationes palatiorum deijciunt, ne facibus iniectis corripiantur, idem de quibusdam ciuium ædibus, ac molendinis factum: ut hinc nihil opus tormentorum impediret. Die Dominica, proximè natalem diuæ urginis sequenti, Alybassa montem procul ab arce conscendit, ac tribus machinis æneis eò subuectis, nondum aggere & loriculis factis, ter singulorū uim in arcem experitur. Die pòst tertio, munimēto sibi de uallo & turribus constructo, ex regia fulminare in monasterij uallum frequentissimè incipit: quòd ex eo loco magnam nostris machinis exhibeti sibi molestiam cognouerat. Etenim illinc usq; eò fatigabatur, ut rotis & statuminibus tormentorum deletis, optimos quosq; eorum magistros uelut turbine sustulerint. Plurimum ei loco molestus fuit hostis, ita percitus; sed quas globi ruinas interdiu secum trahebant, easdem nostri per quietem (ut erant prompti) celeriter restituêre: atq; iste insolitus globorum cōmatus et uibrationes quinq; dierum fuerunt. Sed quando id perpetuari sine maxima pulueris iactura non posse Dabo aduertit, & quandiu obsidione tenerentur, soli tantum Deo cōstare nouisset: grauiores machinas urgere desistit. Triduo pòst multi ex arce aquatum in oppidum concedunt, & incolumes ad suos redeunt. Eodem tempore Arczlanbekus ad diuæ Virginis sua castra ponit: & altero die, non minus ac cęteri, in omnes partes furibundus tormēta procul mœnibus admouet. Ipso hoc die multi de nostris excurrunt, ac passim hostes leuibus prælijs carpunt: in primis aūt Zoltay, Peteu, Figedy, Franciscus Bay, & Ioānes Ormandi: qui dū morantur hostem, eliciunt. Ianiczeri ex insidijs, Stephanum Budahazy sclopetis equo deijciunt, cui sublectus est Gabriel Orozy, ubi ex improuiso nostros circumplexuri sine numero existunt; quorum multidini longè impares hi cedunt, & in arcem se recipiūt salui, inter hæc augetur exercitus indies hostium, & adglomerati omnibus in locis, ne quisquam ex arce egrediatur insidias locant: sed tamē audacter nostri aliquoties aquatum profecti, de Turcis aliquot interficiebāt. Per hos aliquot dies plurimi Ianiczeri apud Al Maghyari, ꝓpe mōtis latus considunt: qui equis merebant, per conualles & colles sua explicant tentoria.

Beklerbecus ad Tihemer constitit. Vltra fluuiolū Amhatbassa in theriotrophium se cōtulit: ut nihil p̄ter castra passim & tabernacula cōspexisses, atq; ut oīa cautè disponebant, minabantur: tamen spretis illis, ne tertio quidem ab obsessa iam arce die portas clauserant, tanta uis animi, & contemptus barbarorum fuit. Septima luce hostis aggeres iacit, cuncta præmunit, atq; ex prædiolo Heczey biduū suo tonitru arcis culinā infestat: nec parū nocuit, quòd bene instructus à tormētis uenerat Etenim tria insignis magnitudinis adduxerat muralia, quolibet 55. lib. pilas sustinens: colubrinas undecim, quæ intra aggeres in arcem directa

recta latebant, & confestim ita puluere mouent, ut pleriscꝫ uulneratis, etiam aliquot bestiæ ceciderint. Quamobrem defensores quò tutius uersarẽtur, uisum est in exteriorem arcem, egestis aliquot fossis, exercitum producere, & constituere illinc excubitores. Tum uerò primùm hostis omnis generis tela contorquere, & globis funditùs delere uniuersa conatur, sulphure & bitumine compactis agere: sed egregius custos Dobo, ut irrita omnia euaderent, commodũ adinuenit remedium, lussit stabulorum tecta, fœnum, stramina, frumentum, & quæ materia ad exardescendum facilis erat, partim exuri: partim pecori copiosius & temerè proĩci, unico fœni aceruo & modico tritici reseruato: mox ciliciis & coriis crudis passim loca obtegi, sine mora multa præterea madida & humida, quibus faces restinguantur exceptæ, ut suppetant, apparari. Ante omnia in parietes palatiorum collimat ictus, sed murus ibidem tenuis prolatus, impediebat conatus illius, in quo demoliendo uehementer sudat. Inde alteram partem aggressus, non minori conatu murum simul non ita ualidum ad portã ueterem pertinen tem aperit. In interiori parte Dobo & Meczkey aduigilãt, texturis & exaggerationibus loca pertusa obstruunt. eadem quoꝫ sedulitate in exteriore cuncta fiunt, palos & trabes in foramina ingerunt: ac neglecta salute quiduis contrà fortiter audent, ut hosti de se non paruam admirationẽ suis occursibus prębuerint. Pauca interiecta mora, portam regiarũ adoritur, cuius porticundæ sibi spem finxerat, uerũ nostri hypogæis & concameratis terra impletis, tormenta imponunt, & more solito acriter omnia defendunt: ubi tum ex unius currulis bombardæ dissultu Blasius Nagh socijs ereptus est. Redit intentius ad exteriorẽ arcũ, ppugnaculũ ueteris portæ corruit: sed cõfestim obsessi ruinas restituũt. Ibi uideres iã perforatis instare, diligẽter ne qs ꝓdeat collibrare missilia: ꝓiecturas, coronas & pinnas decutere, atꝫ cũcta oslẽdi extrema, nisi per noctẽ indefesso labore quoquo modo hiatus reparassẽt, tãtusꝫ furor cõceptus hostibus fuit, ut opus hoc tormentorum tredecim dies insuetè continuarint. Videns aũt nostrorum pertinaciam, & haud quaquam rem ex uoto succedere, idꝫ literis ad primores diligenter & amicè perscriptis agit: quibus nostri, ex lege non resignatis, sed in ignem abiectis, earumꝫ fumo tabellario excruciato, mox uincto in fossam deturbato, constantiam non contrahunt. Ea re uehemẽter commotus hostium animus: non tormentis rem gerendam, sed accerrimis oppugnationibus incumbendũ decernunt: ita fore, ut quid defensores ualeãt, consertis cominus armis et manibus, facilè cognoscatur. Addebant illis animũ, & non parum inuitabant ruinæ aliquot ab ipsis iam factæ, si confertim ac tumultuariè irruerent. Quatuor enim non satis tutæ extabant: destructio palatiorum in arce interiori, altera prope angularẽ turrim, tertia sub Bebekiano, quarta penes ꝓpugnaculum ueteris portæ, cuius turrim cum exteriore portula mirè euastarant, sed quanto ampliores illæ patebant, tanto magis Bornemissa renouatis custodijs, milites diuinè solatus excitabat: secuturã proculdubio oppugnationem, sed Deum affore in oẽs casus, quòd pro salute patriæ atꝫ religione pugnarẽt. In festo igitur qui diuo Michaeli tribuitur, hoc est undeuigesima die obsidionis, intra munitiones & suos aggeres noctu XXVIII cohortibus conductis, tantũ hostis clamorem & tumultum edit, à palatinis prĉsertim partib. ut uel sola horrẽda uoce, qui eos nunquam nosset, incutere metum possint, exinde arreptis ad gerendũ leuib. scalis, certatim instant ruinis: sed re infecta proturbati non sine cæde, latebras captant. Tum Georgius Guualay similiter sclopeto de uita migrauit, quomodo etiã pridie eius oppugnationis Thomas Polyki per laniczeros extinctus erat, capitaneus is Borsed ensis fuit, longiore dignus uita: cuius uigilãtia, ad angularem turrim de terra illa insignis moles congesta,

& defensata mirabiliter fuit huius uirtute socij adducti, ad quam concidit turrim, ex eius memoria & nomine Polykanam semper uocarunt, quam precipuè hostis impetebat. Ac ut Turcæ maximam uastitatem mœniorum haberent propositam, nunquā tamē ad propugnaculum ipsius portæ furor illorum pernasit, ueteris tantùm molem inuadebant, continuò XXV cohortibus soli cupidius insidiati sunt: donec ibidem supra portam euaderent, atq; ex occupata turri de nostris aliquot occiderent. Quorum eo loci numero conspecto, prudenter Dobo cedit, & intra aggeres se conijcit: supra quos iam antea bombardas eduxerat, muros conscensuris lethales. Mox in hostem omnia conuertit, qui in turri superbiebat: muros disijcit, & ita uniuersa turbat, ut complurimis illorum interfectis, non paucioribus læsis, retrò acti in castra confugerint. Id temporis Emericus Nagh, secundus peditum ductor, ex geminato uulnere cadit: ipseq; Peteu in pede læsus, aliquandiu decubuit, cuius locum integer Franciscus Vitez tuebatur, Ioannes quoq; Posgay tum occidit. Dum hæc utrinq; tam ardenter fiunt, Meczkey metuens subsecuturam longè maiorem impressionem, ex tempore delectum militem in arce interiore in loca necessaria dimittit: nec ipsum coniectura fefellit. Summo quippe manè hostis redit, oppugnationem grauius urget: qua in meridiem extracta, utrinq; multi occubuerunt: sauci uerò de nostris, non sine gemitu, peritia chirurgorum curati fuere. Finita ita propitio Deo ardua prima oppugnatione, confert se Meczkey ad exteriorem arcem, quòd Peteu nondum omnino conualuerat. De deditione hic rursum ex improuiso Bassæ literis, & per Andream Saray tractant, amicitiā potius quàm uim suam defensores experiri uelint. Sed nec lectis literis, atq; ijs conuulsis, earum dimidium nuncius in uinculis deuorare cogitur, igni reliquum absumūt. Exactis aliquot diebus, denuncio custodia liberato exquirunt, quæ sententia fuerit literarum. Tum ille, scripsisse Arczlanbekum, si se dediderint, habituros Imperatorem benignum, & qui omnium iniuriarum memoriam deposuerit: de hac ipsius fide neminem dubitare debere, quòd obsidem idoneum esset daturus: & si quid ipsos Losonczij casus moueret, non alterius quàm sua ipsius met culpa, qui ad mortem infestus esse sica uoluerit, mortem accersiuisse credant: quodq; amplius est, omnem ut abijciant metum suum, exercitum Bassam retrò ad tria miliaria abducturum, ac si uacuam omni præsidio arcem relinquāt, in planum eam deducturum, ne aliquando ex ea se nocere ullis partibus uoluisse cogitent: cunctos Agrienses, militare si Cæsari nollent, sarcinis uita & fama incolumes, insuper dignis muneribus actos dimissurum abscedant modò pertinacia, potentia, & futuris ex uictoria malis leniri animos patiantur, inplacabilem esse in expugnatos Cæsaris iram. Bona in speciem uerba, & fallacia, mitigare fortissimum quemq; potuissent, nisi longo usu & perpetuis docti exemplis, à constantia abduci nequiuissent. Vbi Turca internuncio retento moram trahi, & nullum reddi sibi responsum uidet, acrius tormētis palatio instat: prætorem quoq; oppidanum multis alijs læsis conficit. Vbi in locum Kenéy suffectus est quidam Stephanus Hegeduus: quem perfidum deinde, & comprehensum, digno supplicio puniuerunt. Is enim cùm per quoddam foramen, aliquot coniuratis sibi assumptis crebras omnis generis uoces ac promissiones ab hostibus profectas audiuisset, res nouas mouendas, & profugiendum censuit: eiusq; rei bellam occasionem, facinus qua excusari possit, præmeditatur: quò præmium rei fortiter in hostem à se gestæ postularet, & repulsam sceleri prætēderet. Atqui diuinitùs re illico patefacta, Dobo & Meczkey aduocata concione, crimen quæri iubent, & coniuratione elicita, ipsum autorem pro medio foro suspendi, reliquis, affines tam horrendi sceleris quos compererūt, aures pręciduntur. Quantam, per Deum, unius profligati homnis conscelerata mens

uniuersæ

uniuersæ Vngariæ solicitudinem ac metum importasset, nisi diuina tum quoq; ope perniciem amouisset: In illius nequam locum, ne statio uacua esset, Emericus Pribek substituitur, homo bellis assuetus: cuius fides hoc maior inomnibus eluxit, quanto alter minus in defensionem animatus erat. Quarta Octob. horrendus ex puluere casus nostris accidit, quo haud parum hostis exultabat, et suam fore Agriã planè affirmabat. Puluis enim fortè accensus, magnã sacrarũ partem, in quo asseruabatur, unà & ruinarum sarcta excindit, multosq; in eandem calamitatem traxit: quòd Paulus Nagh, Georgij Batori capitaneus, cum alijs octo dissectis perijt: Georgius Horuuath ob manũ auulsam, non diu superfuit. Molendina etiam cũ iumẽtis, & rebus in sacrario pretiosis, absumpta. Quis enim tantam ignis uim compesceret, nisi cumulare periculum uelit? Haud exiguus nostros tum pauor incessit, quòd rem ex cõposito fieri, nõ obscura suspicione colligebant. Igitur seriò ad certamen se accingunt, si proditio subsit, ultimo se prælio casuros, aut dolum prohibituros. Ejicit se Dobo ad custodiarum loca: utq; tot fortium miserabile fatum conspicit, cunctos eôdem euocat, pauidos claua cogit: similiter alij, qui cum dignitate præerant, ad excubias discurrũt, milites exigunt: atq; ipsi consolationis egentes intrepidè suis metum excutiũt. Addunt parum aut nihil puluerì decessisse, cum tamen 24 uascula correpta fuerint: etsi antea de materia puluerìs ita prospectum erat, ut eo casu nihil diminutum iri constaret. Ex reliquijs duarum molarum, ut farinę copia sit, unam instaurant: ad ruinas autem eo infortunio editas, qui omnia restitueret, Benedictus Sigismundus est datus, in eoq; celeritate sua multum profuit. Hostis, quia uidet per quoddam foramen nostris exitum & regressum dari, sine interuallo in mediam portam globos promittit. eaq; cõmoditate arcet: sed nostri ad fundamenta muri cuniculis adactis subeuntes, nõ minus cõmodè quà se ejicere & recipere queant, spacium aperuere. Vbi Turca insignem ruiuam quasi desertã, & nostros, quòd non ita apparebant, cessisse putans, contentius undiq; tormẽtis agere, prope ædes Maioris, ut uocant, Præpositi, uallũ projicere, eò tria maxima tormẽta educere, paulo infrà propugnaculũ extrura comportatũ, ab Occasu turrim cum ædificijs, & palatij lateribus destruere, ex Regia molem caceris uerberare tanta ui & successu, iam ut prospicere in forum potuerint, fornicumq; tabernas exurere. Verùm incẽdio per nostros extincto, foraminib. propugnaculi ouinis pellibus madidis obturando, & unde periculũ metuebatur, contra sedem uulgo regiam nominatam aggere constructo, labores illorũ uanos & spem falsam reddiderunt. Iam hostis in uallum excesserat, structisq; ante se scutis progressurum opinabatur: cũ subitò repulsus per foramen, ad fundamentũ à nostris, ut dixi, effractum, neq; in castris tutò illi esse licuit. In hac dissurbatione scutorum præcipui extiterunt, Colomanus Porkolab cũ Philippo Demetrij: quorũ ille sauci9 Michaelẽ Gasparith submisit, sed is ũq; postea globo sclopeti euanuit. Ne solus igitur Philippus periclitaretur, additus est illi Ioannes Zukany. Turcæ interim ab ædibus Heczey fossam sub uallo cæcã ducunt, eamq; uasis repletis præmuniut: idq;, ut igni muros disijcere, nostris nihil suspicantibus, ualeant. Manè quodam dolum suũ exustis sæpibus & fumo produnt: ad quos nostris quia non statim bombardis penetrare dabatur, factis oberosè ad ejiciendos globos foraminibus, ijsq; pariter latentibus, hostem igni obruto expulerunt. Nihilominus tamen impetu in terreum & uastum illud opus facto, continuò id infestarũt: septorum stipides & palos excindebant, quibus euulsis, uasa etiam sublata sternerentur. At nostri locis submotis catenas prætendunt, hostemq; cœptis inhibent, eodemq; tempore ut omnia securiora sint, suprà portã Arcis interioris, et oppidi aggeres tormenta cõuehunt, adeoq; prope ipsam portã de muro parum abducunt. Turca quoq; nihil minus se ex-

ercet,& de fossis aliquo modo complendis consilium init:ideoq; uallum contra propugnaculum,quò nostrorum tela impediat,constituit primum:mox audacissimè in turrim,prætensis maioribus scutis,egreditur,atq; dum sub tabulatis protusis latitat,& minaci sclopeto si quis prodeat expectat, admodum incommodè defensoribus id accidit. Vt adniti hostem uident,machinis aduncis, & lupis corium proiecturarum,& tabulatorum auellunt:ac suspensis ab hastilibus hamis,& cathenis,operas hostium promptè excipiunt,perturbãt,saccos tumentes & distentos eruunt,denicq; tabulatis illorum pice & sæuo illitis ignẽ addunt,comburuntq;.Ibi Turca dolo suo frustratus, cautius aliquid moliendum arbitratur.Magno pecorum sudore struem materiæ sectæ comportat,colles frequentes contra arcem,turrium modò accumulat,ex quibus in Bebekianum se effundat.Hinc per foramina scalis ad murum protrusis,& lignorũ frustis electis,eadem foramina saccis obstruunt.Sed illis culeis ex arce remotis,& patefacto illorum perfugio,molitiones liberius cernebantur. Prope eadem loca bombardis apta cæsę materiæ in fossam multum proiiciunt,ut per struem facilius murum subeant:sed hîc quoq; dolus incendio mirè dato elusus est.Siquidem Bornemissa minutim dissectas scandulas in uascula cum scopetulis inclusit,deinde paleam pice,sulphure et seuo imbutã in materiem deiicit,aliud stramen axungia & lardo compositum superaddit,accẽditq;. Ibi Turcæ ignem dũ conantur prohibere,ab conclusis intra uascula sclopetulis grauissimè uexati, intra colles regrediuntur.Exacerbatus inimici furor isto inuento fuit,omniaq; extrema tentare constituit.Eidem itaq; propugnaculo grauius minatur, ac nõ parum ex altera muri parte demolitur: denicq; suffossione currule tormentum quoddam ad marginem usq; fossarum adducit,sed propugnaculo terra solido nihil obfuere.Hîc aliud idem Bornemissa,homo pariter ad omnia instructus, comminiscitur,ut de fossa hostem abigat.Rotas carri petit,harum marginem asseribus obtectam,clauibus uelut sclopetulis quibusdam obducit. Vas deinde amplum lignorum præsegminibus, addito sulphure ac pice, similiter explet: quæ in propugnaculum sublata & accensa,in fossam inde detrudũtur,ut dum uas rotam igni uolitare hostis miratur,crepitu inditarum clauium, obiecto periculo,excedere non dubitaret.Qua ex re aduersum sibi Deum,et nõ ociosam Maumetę iram colligebat:dolum hunc non ab hominibus, sed aliunde profectum uanus suspicabatur.Nihilò segnius ad portę propugnaculum reuertitur, et cuniculorũ subsidio ad muros subrepit: ubi foraminib.aptè factis, laniczeri neq; globis neq; puluere pepercerunt:hastulas quoq; impellebant,portaq; succensa discessere.Sed relicta,quæ fecerant illa foramina nostris postea in opportunos usus cessere.Etenim bolides ignitas per ea exerentes,mulorum extrema cuti ablata,dum illas prehensant,ac eripere cupiunt,manibus aduruntur.Id hostis admodum ægrè ferens,magna indignatione omnibus nostros diris deuouebat:sed hi risu & cachinnis eius execrationẽ auerterũt.Meczkey nunquã ocioſus eôdem uenit:atq; arnicis dolosam igni subuersionẽ ueritus, quòd quiddam olfecerat,cõtra illorũ cuniculos ex disciplina fossores adhibet: qui ubi ad hostium dolos penetrant,non ilico eos adoriũtur:sed modico interuallo & cõtiguo relicto,per medium uentrem Turcicum magistrum glande feriunt, quo illi uiso,Medet Medet,clamabundi aufugerunt.Hac quoq; iniuria molestissimè accepta,in propugnaculum oẽs neruos intendunt:ubi quid patêre uidetũr, ignẽ in septa et arnudinacea cõiiciunt,quibus cõpescendis Meczkey subitò adfuit,nec serpere flãmam est passus:nostri ex aduerso pariter omni genere missiliũ,laminæ & globi forma effictorũ non cedunt,sed fugant potius,ac insequũtur:& prætertim Andreas Balog cũ Paulo Syrmai,& aliquot ad muros,unico de suis amisso,trucidant.Omnib. ita desperatis,denuò Turca cum Agriẽsibus de

de traditione per literas agit, orat, minatur, promittit, sed frustra: siquidē literis illorū ex more discerptis, nulla unquā eos responsione fuere dignati. Aliter igi tur persuadendū censuit, Græcè, Latinè, Hungaricè, Bohemicè munera & liber tatē pollicetur, schedulas quoq; diuersis linguis exaratas sagittis immittit, qui- bus fortitudine & custodia nostrorū collaudata, satis iā lusum fuisse significat: quid ipsorū ualeant animi & uires, declaratū: igitur iā sededant, quòd sibi con- stet, pulueris & cōmeatus inesse magnā difficultatē: rogare se iterum ac tertiò, ne se perditū eant, à cæde abstineant, cæterò qui, si in manus uicti peruenīāt, cru deliter ad unū interfectū iri. Huiusmodi uoculis ne aliqui de suis caperentur, præfecti arcis tympanis, tubis ac tormentorū sonis ab auris. eas auertūt, nec to ties expetitū responsum hostis unquā abstulit: eoq; nostrorū animi collecti ma gis uisi sunt, etsi non parū à tot ruinis periculi suberat, ne scilicet suma ui copia rū nostris penè fessis, ille in arcē inuolaret, quippe hiatus p̄cipui, ut hoc quoq; dicā, isti fuerunt: unus ingens, apud portā arcis interioris: alter nō minor, inter nouū, & ex terra illud factum propugnaculum: tertius, penes carcerem, cū se- ptorum exustione ad nonam usq; molem, cum alijs ibidem: quartus, murus eo dem in loco stratus, quo propugnaculum arci iungebatur: quintus, propugna culi è carcere facti, & palatiorum deuastatio: sextus, ubi murus exterioris arcis ad Alexandrinū usq;, unà cū corona Bolykianæ turris, procubuerat: septimus, quando Bebekianum, & antiqua porta, cū intercedente muro prociderat. Hæ omnes inuitare hostem ruinæ, nisi Deus noluisset, ad producendam obsidionē potuissent: sed qui Deo fidūt, & nihilominus quiduis amore suorū audēt, dese ti nunquā uidemus. Duodecima Octob. post intermissā requiem, iterū se de o- peribus cōmouet hostis: renouandū oppugnationē extrema cōtentione ac ui- tibus, ex utilitate fore ducit. Ante oīa, 28 cohortib. in ꝓpugnaculū ueteris por tę se cupidius inferūt, quòd antea igni subiecto eandē portā conflagrasse uide- rant: sed Meczkey iamdudū lapidibus ac medijs colubrinis ea cōmunita, ingen ti alacritate expectabat. Hostibus igitur cæcè ingruentib. Meczkey suis ad me moriā pristinæ uirtutis reuocatis, fessis integros subdit: ad occursum timidos fu ste cōpellit, omniq; genere telorū ut uim pellant cohortatur. Qua in oppugna- tione, prout imperarat, se inuictē, ipsemet lapide ictus, gesserunt: quē suppedi- tarit alijs animū, uulnere testatus est. Ex altera parte hostis interrenū ꝓpugna- culū denuò signa infert: centū equites ad munitionē de carcere factā ablegat, utq; in ruinas excedant Ianiczeri & Sagittarij, diligēter collaudatione accēdit. Hic eius impetus extremū Agriēsibus malū attulisset, nisi Dei beneficio secus Hic cadere oportuisset. Nam intus qu locū tueretur, nemo fuit: quoniā tunc Do bo alibi milites ad uirtutē cohortabatur. Ne igitur locus periculo maximo ab hostibus caperetur, Ioannes Zukany cūi Ioanne Pribek tēpore accurrūt, supra ruinā hastilib. auidè insiliunt, remq; feliciter sustinuere. Consequitur plurimus hostium clamor quasi triumphantū, uexillis patentibus ruunt denuò furiunt in muros, omnia conantur obsidionis pertæsi. Sed si unquā antea, hic cettè ad- uersum certamē experiuntur, nā Peteu propugnantium ibidē numerum auxe- rat, & summā uim adhibuerat: ac regulis hamatis, & lateribus, & malleolis, & plumbeis ad obijciendum globis, absq; interquiete, donec reprimentur, cædē cumulabat. Dum ista fiunt opera ubi latuerat, Dobo egreditur: oculisq; in mu nimentū excarcere factum coniectis, signum fortè uidet deiectū. Alio igitur ar repto, Stephano Nagh illud cōmendat: qui nō multò pòst ibidē sclopero expi rauit: quo casu etiā à Dobone deprehenso, signū lapsurū corripit, ac pediti cui- dam non ignauo tradens Stephanū Nagh humari ex pietate curauit. Eo ipso tempora octaua signa hostium in Bolikianā incurrunt: quā Bornemissa, Zol- tay (tum aliquantū læsus) & Figedy, magna inimicorū strage tutabantur. Quos

contra illi dolo, ut astus nostrorum simili arte ulciscantur, huiusmodi utuntur Hastiuum oblongorum ac teretum extremitates orbibus ferreis præmunitũt quibus extantibus, uacuũ intra circulos locum munitissimis clauibus replent hisq; iustructi, ad oppugnationem procurrant: neq; tamẽ eo inuento, pfecere, paucissimis ẽm læsis, astus nostri cauere didicerant. Istud certamen in quàm maximum ferum diei continenter durauit, quo etiam ad pristinum decus & spem uictoriæ obsessis multum accesserat. Die proximè sequenti, omnis generis ordines undiq; hostis conuocat, hortatur, imperat, ut se ad ultimã oppugnationẽ accingant, atq; hac uice digna se stipendia facere ostendant. Nostri haud segnius tota nocte in statione perseuerando, aduentũm illorum parati, ac seruitutis iugum auersuri præstolantur. Tum subito strepitu & clamoribus, quõ magis terribiles uideantur, sublatis aduolant, & ærea tympana ingeminant. In quos nostri constanter tormentis agendo, plerosq; interficiunt, atq; agmina eorũ diuidunt. Concessit Dobo ad ruinam carceri proximam: simul capit arma, cedẽ facit: ipse in manibus ac pedib. uulneratus, ensiferum suum amittit. Remisso clamore, totis uirib. in propugnaculũ terreum contẽditur: quo animo eius statim deprehẽso milites Dobo cõfirmat: & ad cõportandos lapides, quib. postremò noceatur, dimittit. Tum uidisses fœminarũ etiã præsentem animũ, qui lapidib. hostem reijciebant. Adiuuit tunc fessos integris Peteu, qui signo Budẽsis præfecti aureo ibidem potitus est. In hoc æquo certamine Valentinus Papa cõcidit: alij etiã à cæde non abstinuerunt, donec ipsi quoq; confecti sint. Ibidem plurimis Ianiczeris Bekliacisq; interfectis, Velibecus uulnus abstulit cruentũ. Aliũde non minus in Bolikianam aduolant, tantus ibi furor eos tenuit, ut pilis dolosè instructis, præter alios, ipsius quoq; Bornemisse dexterã percusserint. Sed hac etiam inusitata ui retrudũtur: & ipsorũ animi pugna infelici cadebãt, quòd plures de illis quàm nostris desiderabantur. Vltimò coactis omnibus signis, & uiribus quicquid aderat coniunctis, perfundere animos uano timore nostrorũ integra ui conati, eidẽ propugnaculo aduertũt. Sed promptè à nostris, uel iam fessis occurritur, causa enim uires in milite iusta attollebat. Quid ẽm ibi uirtus Meczkey, & præsentia non fregit? qui telis ignitis, & mille artibus congressus, hostium ingentem numerũ prostrauit, reliquos in castra exturbauit, Non obscurè circumferebatur, tot cladibus acceptis Amhatum lachrymantem, in Aly bassam grauissimè inuectũ, quòd se in hanc infamiam socium adduxisset: longè aliter habuisse rem, quàm quod ille iactabundus affirmarit, Neminem fore, qui aduersus tãtam uim & apparatum Cæsaris uel hiscere ausit. Se, Agria cuiusmodi caula & ouile sit, expertum: nusquam se in tales infantes incidisse, qui arma tam scienter tractare, omnibusq; casibus obuiare didicissent: plurimum ea obsidione de armis & uirtute Cæsaris demptum, discedendum castris adeò ignominiosè nunquam ratum. Finita hac postrema pugna, quidam de hostibus in hæc uerba, ut nostri exaudirent, profatur: Laudo uos Agrienses, ac strenuos semper fatebor. Non est quòd iam uobis metuatis. abscedite armis, & requiescite: relinquere castra uolumus, quòd satis nunc dimicatum nostro malo fuerit. Sed tamen anno insequenti ex hybernis huc referemus castra longè ampliora, ut labem hãc & ignominiã ulciscamur: hęc quodam prolocuto, nihilominus tormentis omnia quatiebant, & uariè insidiabantur. Sollicitus Dobo de ijs qui in Bolikiana manserant, ut illi haberent, puerum suum Christophorum Tariauinum istuc mittit: sed is inter eundum globo interceptus perit. Finita hac, ut dictum, ardentissima pugna, qua in discrimen perductum iri nostros sperabant, detrimentum ac dedecus submoti acceperunt: nec renouandum impetum deinceps putarunt, sed in hyberna cocedendum. Id quidem non obscurè præ se ferebant, nostri tamen no satis fidunt, nisi cum

præter

præterspem insolenti clamore atq; fremitu se cõmouerũt, atq; in Fel Nemeth cuncta hostiliter fumare uiderunt, mox de operibus abduci tormenta et machinas. Quos euestigiò apta occasione quidam insecuti, ad diripiẽda castra omnis generis præda onusti, magnam etiam uim pulueris ademerunt. Eadem nocte succensis castris, & multis ibi nostrorum metu impedimentis relictis, exercitũ comminutum Bassæ tremebundi Pestum uersus dirigunt. Quorum discessu nostri nihil elati, quòd subesse dolum rebantur, quisq; in suo loco & statione, explicatis Turcarum signis, ijsq; lacessentibus, operiebatur. Sed omni apparatu longius progressi, reliqua cura nostros penitùs liberarunt. Beneficium hoc, & finem laborum, quia diuinitùs accidisse nostri agnouerunt, precibus ad Deum uulgò indictis, etiam ad uulneratorum lectos, quorum amplius ducenti erant, linguis & animis Dei gratiam professi sunt. Tandẽ congestis hostiũ 12000 globis, eos cum suis tormentis apto in loco cõdiderunt. Illico de prȩcipuis quatuor, Ioanem Vuayda, Georgium Vitezi, Andreã Somoghy, & Albertũ Kuusegy, alijs duobus additis, ad regem aureo uexillo, qui gaudium nuncient, præmittunt. Quos Ferdinandus clementer exceptos, & in singulos centenis aureis donatis, uelutoq; superaddito, collaudat. Eam lætitiam rex cum Nicolao Olaho, nunc archiepiscopo Strigoniense, atq; Mauritio Saxonum duce communicauit. Legatos Agrienses idem præsul sine munerib. non dimissurus, prȩter alia eisdẽ, quotcunq; uenerant, inaurata pocula hilariter contulit. Eosdem Mauritius 400 taleris liberaliter auxit. Dum hi absunt, constantia & rerũm gestarũ gloria Dobo celebris Stephanum Fekete cum aliquot nõ minus impigris exploratum mittit, ut hostem consectando hyberna obseruet. Quod ille tam celeriter & audacter confecit, ut preciosissimis quibusq; spolijs quæ in commune diuisa sunt relatis, multos ceciderit, in potestate uiuos habuerit, nomemq; sibi perpetuum constituerit. Finis hic fuit obsidionis Agriæ, quam profectò à solo Deo conseruatam nemo negauerit, quòd tanta ui reiecta, tot prælijs infestissimis, de nostris 300 tantum ceciderunt: hostis uerò nusquam, tot locis expugnatis, maiorem sensisse cladem sit questus. Sed ut paucis, quæ consecuta fuere, adijciam: soluta obsidione, à rege ac præsule suo Dobo exorat, ut exhaustis tot laboribus onere custodiæ se liberent, & reditum ad suos domum itionemq; concedant. Quod rex eius uirtuti largitus, Agriam qui excipiat, aliosq; præficiat idoneos, Sfortiam pallauicinum cum mandatis ablegat. Cui Dobo claues tradit, ac pro arbitrio cuncta disponere facilè est passus. Sfortia neminem tunc ad rem tantam idoneum istic offendens, Stephanum Meczkey per amorem regis & patriæ obtestatur, uelit duos tantum Menses præstrinum onus in se recipere: fore ut illius uirtus hoc magis exornetur, quod ille admisit. Elapso igitur altero mense, Gregorius Bornemissa in illius locum sufficitur: & banatu Agriensi decoratus, claues accipit: huicq; socium curarum Paulum Sarkandy adiungunt, non minoribus ausis hominem: quorum industria nunc res Agriæ cum laude administrantur. Cæterùm Ferdinandus memor inauditæ fortitudinis & constantiæ Agriensium, Stephanum Dobo Vayuodam Transyluanorum declarauit, aureum prouinciæ signum illi porrexit, clementiam denique & non dubiam beneuolentiam obtulit, admonens, ut spectatæ uirtutis memor, cum usus posceret, similiter operam saluti patriæ nauaret. Cui Dobo: Ita sibi uitã optare, si pro rege atq; patria omnia fideliter & promptè ageret. A rege alijs quoq; partim nobilitate ac possessionibus, partim auro cumulatis, uulgoq; ab omnib. qui discrimẽ euaserant, liberalissimè habitis, soli Stephano Meczkey sors in fructu gloriæ inimica extitit, qui Agria domũ ad suauissimã coniugem, liberos & amicos, pfecturus, ad Vuarkonq; pagũ ueniens, rusticis, ut se in tutũ prosequantur, humaniter compella

compellatis, furenter, non satis cognitus interimitur: nã temeritati cedere quia ignominiosum ducebat, inter ipsam altercationẽ & conuicia, quidam nefarius securim secundum frontem fortissimo uiro infligit: alij duo cuspidata bolide in utrunq; latus transuerberant, atq; ita cõfecerunt. Multos tanti uiri casus in plebem exacerbauit, & sine discrimine cæsi pœnam communiter luebant. Eius cadauer Scepusium publico funere deportatum, in diui Martini sepelitur, cognatorumq; & amicorum luctu in ipsum amor expromitur. Sed finem hic narratio ni tãdem imponamus: & si quid præteritum fuit, aut pro dignitate minus polite ob res & nomina dictum, uenia detur.

OBSIDIONIS ZIGETH BREVISSIMA VERA QVE EXPOSITIO, SAMBVCI.

POst grauissimam & omni posteritatis memoria dignam Agriæ obsidionem, de regis, & communi ordinum regni, totiusq; adeò Christianitatis uoto ac sententia internuncij & pacificatores ad Turcam deliguntur, Antonius Verancius, & Franciscus Zay: qui obseruantia & muneribus placata tyranni uoluntate, rebus patriæ sesis requiem tandem impetrarent. Dum hi amplius biennium absunt, Thuigon Bassa, & qui Budæ id temporis præerat, iniuriarum à suis illatarum immemor, de damnis quæ ipsi à Zigethiensibus, Babocza, alijsq; uicinis Quinqueclesijs locis accepissent, queritur: ea re non pacem ostendi, aut peti, sed uiolari ius gentium, ac debitam inducijs fidem, testatus. Qui quidem non omnino causam iniquam fouebat, quòd uulgò Heydones à stipendio liberi, ex rapto uiuerent, multas hostium naues interciperent: sed rex eiusmodi latrones uagos ac prædones, à ui prohibere commodè uix potuit. Tandem noua quadam permotus iniuria, decem milium exercitu coacto, Capos Vyuarum defectione sociorum capitũr: Babocza nihil grauius experta, proditione se dedit. Idem fore de Zigeth sperans, egregiè fallitur. Etenim illam, præfecto adhuc Ladislao Kereczeny, obsessurus, ad colubrinæ iactum castra facit: acceptoq; per medium tentorium magni põderis globo, retrocessit, quò nostris omnis metus demitur, ac inanis admiratio Turcarum efficitur, Bis enim leuiter congressi, trecentos Turcas animosè necarant. Atque constituerat Thuigon, Zigethienses tormentis quoque aggredi: nisi hortatu suorum, & periculis, constantiaq; nostrorũ, ne Cæs. in se ità infecta re deuocaret, perterritus, cõsiliũ mutasset. Hæc autũno acta. Cõsequẽs hyẽs, pace dubia, nihil hostiliter edidit: donec Cæs. ex Persia reuersus, q & ipse ante a regẽ nõ semel de crebris iniurijs monuerat, ineũte uere, Aly Bassã in Vngariã expediit, ac iniũxit, Budã, nisi Zigetho prio capto, minimè ingredi ausit, Qui Bassa in Sirmia aliquandiu moratus, regi obsidione msuperbissimè pronũciarat: responsumq; tulit, non de iure id ipsum facturũ, cum suos interpretes apud Cæs. habeat: ueruntamen, si aliter nolit, ad defensionem se coactum descẽsurum. Bassa subitò accitis ad obsidionis societatem alijs, uigesima Maij, custodiæ arcis & oppidi Marco Horuath Kereczinio sublecto, præfecti Deruisbek Quinqueclesiarum, Amhatbek Babocziensis, Nazusbek Coppaniẽsis, uetera norũ ingenti numero, cõtra Zigeth, ad interuallum unius miliaris cõsidunt: ac de

ac de ratione obsidendi, req; bene gerenda, inter se solicitè conferunt. Neq; enim eos latebat fortitudo, & præsens propugnatorum, quorum uim toties experti fuerant, animus: & decreuerat Marcus, socijs iureiurando in omnes euentus sibi obstrictis, integra fide istic aut mori, aut impetum uelle sustinere. Mouebant hostes non parum, loci quoq; situs, & munitiones. Etenim Zigeth ab Antemo quodam, genere ac opibus illustri, posita in loco plano est, eoq; paludoso: quæ à Septentrione lacum adiunctum habet, unde triplici fossa ac uallo arcis, itemq; oppido, aqua opportunè circumfunditur. Ad Occasum satis amplũ ac frequens oppidum, & illud subterraneis cuniculis importunum cernitur: propugnaculis præsertim duobus arx non parum tuta: aggeribus etiam subitarijs de uirgultis terra coactis, ad speciem plus quàm necessitatem extructis, firmata. Præsidium non quidem firmum admodum, sed tamen usu cognitum et exercitatum, duorum millium inerat. Equites 180, horum dux Sebastianus Vylaky, reliqui pedites & sclopetarij expediti: quibus præibãt Benedictus Topordij, & Iacobus Radouanuayda. Haud igitur ad oppugnãdum temerè festinãs, colonos primùm omni inuectione commeatus, & accessu ad nostros, ut fieri solet, arcet. Non illi tamen semper conatus successere: sed, nostris omnibus saluis, repressi, & plerique interfecti sunt. Mox præsentia Aly bassæ confirmati, qui decima Iunij ad lustrandũ Zigeth, non exiguis secum adductis copijs, aduolarat: sed nostri, ut animati essent, declaraturi, literas deditionem suadentes conuellunt: ac emissis undiq; militibus, prælium à meridie in noctem extraxerũt. Haud parùm ea pertinacia cõmotus Bassa, de plaga meridionali. Tertio pòst die, arcem cũ oppido circumuentã, nouem maioribus tormẽtis aggreditur: sed eo quoq; die, ac sequenti, nullo de nostris desiderato, quid animus & dextrę fortium istic heroum ualeant, inimici obseruarunt. Nocte obsidionis quarta, multa cura & labore sua castra textis, cespitib., & terra inæquata, hostis permunit, ac luce proxima, propugnaculũ minimè contemnendum, quod Kesas Bastiã uocant, colubrinis suis uehementer infestat: dumq; se cupidius extra castra eijcit, Rodouanus, cuius pręcipuè uirtus in defensione constitit, 50 sclopetarijs expeditis, quamplurimis uitã eripuit. In oppidanis ut magnum esse præsidium ac spẽ obsessis aduertit, eodem die pilis flammam inferentibus multas ædes, sepium luto inductarũ ab Ortu magnam partem exussit: arcis portam, & murũ exteriorẽ prope templũ, sine mora quatit. Sed labor oĩs eius elusus ac irritus fuit: nisi quòd duo pedites tunc, & biduo pòst quatuor occiderint. Expugnato, & solo æquato, iam dicto propugnaculo, ac porta ipsius oppidi Orientali: Gregorius & Michael Byksith glandibus conficiuntur. Vigesima prima Iunij, nocte, beneficio lunæ, ab Occasu, iuxta molas frumentarias, delimosis glebis, terra & similibus, ex usu tormentorum opera extruit. In quæ nostri manè, omnib. machinis & globis non minutis, ea ut ipsum commoditate arcerẽt, sine aliquo euentu conati sunt. Eodem die, ad eripiendum oppidum, se omni ui & artibus comparat. Et quia iam antea illud multo maxima parte ruinis uastarat, uiamq; igni patefecerat: completis paulo antè ingenti strue lignorum fossis, quæ uix decem milia plaustrorum sustinuissent, quater in oppidum penetrat: toties qúe reiectus, materiem nostri statim incenderunt. Quintò demum, cùm pertinacissimè fureret, nostri in arcem secedũt. Aduersarij oppido utcunq; potiti, ibidem sua uexilla contra arcẽ passim erigunt, uallari opere ac fossis cuncta circumducunt. Et quoniã istic hærere diutius, sine maximo nostrorum periculo, nequiuissẽt: supplicatione ab insessis publicè decreta, sacrisq; ritè peractis, occulta quadã & hostibus ignota uia erũpunt, ac hostẽ oppido interim feliciter octingentis sublatis exigunt. Vbi Nasubek Zanczyakus terribilis Coppaniensis, cũ alijs aliquot Bekis, interijt. Quinetiã Amhatbek sclopeti uulnere discessit.

Viuus

Viuus etiam captus Agha: uiginti nouem insuper capita præcisa, inq; arcem illata. Non tamen hoc ipsum sine nostrorum clade & molestia contigit. Etenim genere ac uirtute nobilissimi quidam equites, non sine luctu & communi omnium dolore amissi: quos inter præcipui, Georgius Macedonay, Georgius Palaodij, Ioannes Hagmasij, Ioannes Hozthotij, Georgius Zekel, unà cum Vayuodis, et pedita non paucis ductoribus occubuere. Vulneratus etiã tùm Rodouanus, cum alijs quibusdam fuit: sed opinione celerius curatus, strenuè rem gessit. De Coppanienſi Zanczyako illud obiter addendum, fuisse hominem uasto corpore, & Herculis prorsus audacia: qui cùm auidius cædi cum aliquo succesſu esset intentus, & ne quidem alios decem metueret: quidam ex Haydonibus, uelut Dauid contra Goliad, minimus, saltu in eum ex improuiſo facto, gladium incuruum per medium abdomen & totum uentrem eius inflixit, ut exanimatus, inteſtina simul ederet.

Vigesima secunda lunij, turrim hostis interioris arcis, quæ occasum spectabat, atq; adeò cunctas munitiones inusitatæ magnitudinis tormentis quatuor, alijsq; minoribus, haud sine morte quorundam è nostris, grauissimè concutit: ac sub noctem, prope defensaculum Henyeij, extra tamen oppidum, aggeres eijcit: nocteq; obscura machinis æneis inductis, eandem turrim cum porta lapidea, &, qui intercedebant, parietes, prosternere, ac in planum deducere contendit. Inde aliquo succesſu rem contentius aggressurus, ex aduerso arcis, pro porta oppidi, longè lateq; uallare, & mirabiliter se firmare incipit. Duo solùm aperta loca, quibus se emittat & recipiat, reliquerat: alterum ab Occasu, Molendinũ uersus, sub aggere, quo aqua ex palude, uelut alueo, in oppidi & arcis fossas dimittenda coercebatur: ad molem Henyeij alterum: intra quæ loca fossas intus ignis expleturus, & margini æquaturus, materiem operosè congerebat. Hac occasione tutius, uigesima quarta lunij totum diem sulphureo puluere ac globis, in defensores, quibusdam peditibus occisis, sæuijt.

Die sequenti eodem ipso modo aliquot peditibus ereptis, fossam aquaticã, in qua non exigua nostris spes relinquebatur, turbant: utq; locus in sicco desti tueretur, omneis sategerunt. Triduo pòst, alio aggere & uallo è regione arcis excitato, uniuersas communitiones labefactare ac diruere suo uulnere decreuit: ubi proxima luce quinq; sclopetarios è nostris sustulit. Quinq; interpositis diebus, cùm aliter se profecturum diffideret, interfectis Georgio kysdezy, Demetrio Thessenij, & Petro Petrudij: ingentem undiq; materiem è duobus angulis laboriosè cogit. qua fossam arcis expleat. Sed, quod ille ab Ortu comparat, hoc est, uiginti milibus plaustris, Deo propitio, & sacris perpetratis, obsessi, larido, pice ac puluere compactis uariè pilis totum exurunt. Quam ille flammam prohibiturus, septingentos, non sine Christianorum etiam sanguine, amittit. De nostris, quorum gloria & uirtus inprimis constabat, moriuntur, Nicolaus Czernel eques, Stephanus Balogh decurio, pedites non obscuri sex. paulo pòst Franciscus etiam Kesas uita fungitur. Vbi igitur cuncta ex ea parte hostis fore uana præuidet, consilium idem nocte proxima repetit, & ab Occasu uiginti milibus plaustris, ut aiunt, ligna conuecta, in fossam, contra angularem molem, deturbat: sed ibi quoq;, Deo immortali uolente, conatus subdita flamma consumpti, ac de hostibus quadringentorum tormentorum subsidio extinctis: è nostris cadunt Lazarus Nagh, cum alijs duobus, Martino Radouanij adolescente, ac Valentino Thot. Die sequẽti, multis eius promissis ac illecebris denuo à nostris refutatis, q; arcem humilẽ ac plano in loco sitã uidebat, iterum in fossas ligna cum terra, ut facilius in muros euadat, obnixè deijcit: & ex aduerso duorum angulorum terra plenos corbes, aliaq; texta, ordine triplicato erigit: quæ super saccos pariter copletos imponit, ibiq; spacijs ex commoditate

ditate sclopetorum relictis, Ianiczeri ex alto in nostros crudeliter agebant: & qui faces arci subijcerent, passim latebant. Non secus ab occidente contra alterum angulum, eodem modo loci aptitudinae ad eiaculandū sibi constituta, decima Iulij Ianiczeri obsessis fuere molestissimi: & quicquid spacij fossa intra eos angulos tenebat, terra induxerant, ibidemq; Casparum Bathaseghij grauiter uulnerant. Nec aliter postero die, pedites duo strenui ictu globorum occubuere. Duodecima Iulij, per noctem ex opposito arcis lignis ac terra colles proponit, unde omnis generis ui tormentorum ad expugnandum incumbat. Manè ergo interiorem arcem cum eiusdem operibus, & exteriorem unà cum propugnaculis euastat, nō paucos uirtutis spectatæ equites ac pedites fortissimè obnitentes eripit: ac si unquam antea, tum certè fuerunt totos quinq; dies, haud sine damno, suis telis noxij: ut à rege, simul et comite palatino Thoma Nadasdij, subsidium rebus afflictis implorare fuerint coacti. Verùm nostri quoq; postea ingens Turcarum illud ex terra & eculeis tumentibus opus, ad portam quò illi refugiebant editum, muralibus tormentis, ubi septem nostri pedites cecidere, runt, seriò sternunt: tantis per donec penitùs molē deiecerint, adeoq; ligna quæ non cepissent decies mille currus, fossis ingesta, duobus in tanta ui è nostris ibi relictis, concremarunt. Die uigesima, continuus tormentorum usus, pilarumque, coniectus utrinq;, durauit. Dumq; ita strenuè sese nostri obiectant, uigesima prima die, nocte tormenta & machinæ hostium Quinqueccclesias uersus commouentur: & Bassa quoq;, occasione Babocziensis obsidionis, de qua alibi dicetur, eò recurrit. Cæterùm uigesima sexta eiusdem mensis, cum nostri libe ratos iam se, refectis subitò maximis ruinis, putassent: ecce ad obsidendum, acceptа memorabili ad Baboczam clade, animum hostis reijcit: & à Septētrione prope syluam Hazerduu dictam, considit. Cuius castra tormento omnium maximo Zigethienses tecto metu pertentant, ac eruptionibus crebris numerum hostium prosperè minuebant. Quo ipso die, militari audacia & singulari certamine Martinus Horuath, quēdam Turcam gloriosè superauit: eiusq; capite auulso, incolumis ad suos redijt.

Dum hæc fiunt, nihilominus ab Ortu hostis, ex insidijs & latebris furenter agit, sed omnis uictoria nostris incruēta euasit. Postremò quasi nostros animis deiecturus, uniuersa castra & furorem Aly bassa uigesima septima Iulij sub castrum admouet: sed hi audacissimè rem defensuri, penes Bassa se effundunt, ac feliciter pugnam edidere. Neq; tamen cœptis inimicus abstitit: sed uelut obsidionem continuaturus, aggeres subitarios erigit, pilæ magnum arcis spacium perforant, nunc extrema minatur, nunc aureos montes, libertatem amicitiāq; Cæsaris pollicetur: sed citra moram nostri congressi, ac fugientes insecuti, cædem, auspice Deo, luctuosam illis faciunt. Sequenti die iterum cominus cum illo nostri agendum rati, octo horarum certamen contrahunt: nec unquam ex combusto, & iam deuastato oppido intra arcem compelli potuerunt. & si quā do indefessa opera hostis cum signis incurrebat, ilico reiectus in castra sua & latebras, complurimis amissis, fuit exturbatus. Quamobrem idem nocte proximè sequenti, non desertam ac indefensam fore Zigeth arbitratus, quòd per eos quinq; dies unicum tantùm è Christianis cæsum audierat: obsidionem soluit, tormenta & omnis generis machinas bello idoneas de locis aufert, ac uniuersus exercitus fugæ modo Quinqueccelesias properat: nostri uerò plus quā decem milia in se globorum excussa, diligenterq; collecta seponunt.

Atq; hic fuit exitus & finis, quæ initiò longe maiorem uim ac periculum minabatur, obsidionis: ideoque metu, quo magno tenebantur, liberi, & obsidione graui à Deo exempti Zigethienses, summo suo patrono & defensori cœlesti gratijs ritè peractis, non parum laudis meritò sibi comparārunt

pararunt. Iam uerò qui ex nostris passim & promiscuè ceciderint, singulorum nomina ut referantur, non duco necessarium: illud constat, hostium ad duo millia, & amplius, cæsa: de nostris uix centum & sedecim, qui de uita migrarunt, reperios. Hæc breuiter, quid singulis ferè diebus gestum fuerit, notasse sufficiat: cuius omnis uictoriæ ac laudis, secundum Deum, ac prientissimum regem Ferdinandum, maximam partem industriæ Marci Horuath iurè tribuendam censeo. Qui, etsi globo ictus, quem testem adhuc uoluntatis præclaræ in crure defert, aliquantum ualetudinarius fuerit: quod tamen sua uirtute ac necessitate dignum existimabat, nihil unquam prætermisit aut neglexit. Quem non iniuria sibi quidam, locis qui periculosis cum autoritate & custodia præsunt, ad imitandum proponere queunt, & gloriam regijs auctam prę mijs constituere.

EXPVGNATIO
ARCIS TEMESVARI, DESCRIPTA
PER IOANNEM SAMBVCVM,
1552.

Vlta rege Ioanne in Zazebes functo, uix hæredem infantulum aspectum curæ Monachi, Pertouithij, matrisq; solicitè commendat: amicitiam & fœdus cum Ferdinando Varadini ante duos annos renouatũ simul ut retineant, hortatur: & ut multi affirmant, si quæ uis inimica, externaq; ingrueret illorum saluti ac tutelæ, Solymanum quoq; non defuturum addidit, quod ab illo contra officium ex fœdere per internuncium Caroli v. (ut ei conditionibus à Ferdinando præscriptis amicitiam pristinam omnino renunciaret) factum uidetur. Ferdinandus cum iniquè, tradita Buda Turcæ, & alijs munitissimis locis, impieq; secum agi sentiret: cum ipsa Buda Iazygum quoq; regionem populosam, ubertate soli metallorumq; feracissimam, Dacum ueterum coloniam, unde Græcis recentioribus Pannodacia est dicta, recuperare constituit. Dum enim ea gens uicinia periculis, & Constantinopolitanis insidijs Transalpinorumq; esset obnoxia, atq; per Palatinos seu Vayuodas, sceptro Pãnonico semper paruisset: ne astu hostium, aut odio, perfidiaq; tutorum infantuli in Turcorum manus aliquando deueniret, omnibus modis de ea sibi concilianda, in subsidiumq; defensionis Christianæ adiungenda, cogitat: omnes amicitię rationes, fœderisq; cum prefectis init; Sed quia nonnullos ex illis suis inde opibus, ac dominandi libidini potius inseruire, quàm Reipub. omniumq; libertati cupere obseruabat, dum fidem Ioanni datam se per quæuis pericula nunquam relicturos iactabant, qui à Turca excito iam egregiè tamen fuerant illusi, Lippamq; ablegati: rex disiungit illorum societatem: & ad Monachum, qui thesaurum, coronamq;, & præcipuam ciuitatum nobiliumq; clientelam possidebat, mittit Nicolaum Salmensem, & Sigismundum Herberstainium, tot legationibus spectabilem, in conuentum ad Bator: ut cum eo quibusuis promissis in communem salutem, amicitiam, & diuortium à cæteris paciscantur: reginam cum puero in tutelam suam, quibus pro dignitate omnia ampla & expedita esset largiturus, conferat. Id tractari admonita regina uidens, insidias & iugum sibi puerоq; parari malè cogitans, metu

tu Lippam commigrare incipit: ac se Monachi rebus nouis, studioq; mutato non magis quàm Turcicæ fidei posse assentiri existimat: dedecus se nunquam tantum in familia susceptura, uel laturam, ut ad peregrinos mendicatum abeat, filiolumq; abijciat, constanter ait. Abitionem parari Monachos docetur: qui eam facilè retrahit, dum excluſurum se ipsam cum hærede, si redire aliquando uelit, prorsus è Transyluania minatus est. Redit igitur illa non sine suspicione de mutata fide Monachi, necessitudinisq; Germanicæ: cum Petiouithio, Pathoczio, Antonioq; Losouczio rebus communicatis, sine mora illi exercitum 5000 cogunt, Albam Iuliam occupatam præsidio insident. Qua re accensus, offensusq; frater Georgius, urbem cum 10000 obsidet per octo dies, ni sese dedant, & ad sanitatem redeant, grauibus interminatur: donec quorundam procerum interuentu re composita, ab armis utrinq; discessum est. Hæc autumno acta. Sequens bruma cum sese fregisset, conatus pristinos urget Georgius: nec iam obscurè, submissis à Ferdinando mediocribus copijs, reginam oppugnat, coronamq; custoditam indicio amicæ suæ clientelæ Viennam mittit. Vehementius hac molitione Petrouithius & cæteri perculsi, cauere sibi undecunq;, & puero nituntur: clanculũ igitur, non inscio Solymano, qui Satrapæ Budensi, ut opem illis ex tempore consilioq; ferret petentibus, iam mandarat: Rascianorum, Bulgarorumq; non paruam contrahunt manum, occurrendumq; insidijs quamprimùm arbitrantur. Sed Monachus facilè illorum uim, Turcicamq;, obductis uiginti milibus nostrorũ, qui duce Thoma Varkocz confligere cum illis debebant, inhibuit. Verùm quare utrinque prælium non sit commissum, culpam multi in Monachum contulere: atque que etiam ob dimissionem incolumem è Lippa Vlmanbeko impetratam, cõsilij non firmi suspicione præbita, quibusdam authoribus, aliquot uulneribus confossus, nihil tale unquam opinatus, uitam amisit: ex eoq; tempore Transyluania pactis internuncio Castaldo, Batoreoq; nouis cum regina, in manus Ferdinandi iustè rediit. Sed hæc alterius sunt loci, ad Temesuarum nos conferamus. Quò tutiora ab iniuria, uindictaq; Turcarum, quando ab eius patrocinio abducta regina esset, cuncta forent: ingenti numero bellatorum Castaldus summæ rerum præpositus, sedulò prospicit, præsidia mutat, passim restituit, confirmatq;: cumq; Stephanum Losouczium nobilitate, uirtutumq; exemplis principem uirum, fide nunquam mota intellexisset: custode, seu Vayuoda Andrea Batoreo in biennium constituto, Temesuarum, qui locus cognomine fluuio tripartitò discedens, tertiam è dignitatibus comitum, præsidijsq; Vngariæ obtinet, Losouczij uigilijs attribuit. Qui qua erat modestia, imparem licet tantis se curis, uiribusq; propediem aduolaturo hosti non diffiteretur: amore tamen patriæ, cui se tutandæ post Deum, in primis in lucem editum, totq; exemplis ac periculis probatum intelligeret, assumptis fide sibi Gabriele Perenio, Nicolao Batoreo, Simoneq; Forgacz, duobus item fratribus Hispanis ductoribus Campo uocatis strenuis, & militiæ assuetis hominibus, nulla se quouis casu pericula pro rege, patriaúe cum his recusaturum pollicetur. Vtq; hostem imminentem à uicinis locis anteuerteret, multis uexationibus eorum stationibus ac prædis molestissimus, propter Tibiscum illorum custodias exigit, crebris ademptis prædis fatigat, longè lateq; circum sibi creditam sedem insidias dimouet: quoque sint ad obsidionem instituendam eius uirtute cognita hostes difficiliores, miris artibus, sæpe commissis prælijs, eliberatis quibusdam à nexu Christianis perficit: piratis, & myoparonibus, plagiarijsq; ripas perpurgat, mira fallacia in tectam rapinam elicitas intercipit.

Tot eius facinoribus infestis Turca in rabiem actus, & quòd Germano-

rum imperio, quæ ille dudum spe deuorarat, concessa uidit, aditus in Vngariam præcipuos alieno iure teneri, occludi facultatem impotentius aduerteret imperitandi, quæuis tentanda sibi, & persequenda extrema, uel cum maiestatis & opinionis diminutione, duxit: non ferendum ratus, cuius regni iam quinquies ipse potiundi ergò se in pericula dedisset, unius Monachi, aut fœminæ dolis eripi cum ignominia uideret.

Mittit igitur Solymanus ad decus obtinendum, fines propagandos Beglerbekum cum sexaginta milibus exercitatorum, serioque (ut assolet) iniungit, Transyluaniam iuri suo adhibeat, ignominiam factam alijs quoque locis expugnandis deleat: Losouczium temerarium, inauditaq; audacia coërceat, custodia nudet, uiuum aut mortuum ad se mittat: quod ni efficiat, offensionem sibi propositam, & aduersariam grauem dignitatis certò sciat, officioq; priuatum iri. Beglerbekus ingens sibi onus ac periculosum impositum non ignorans, ferro, igni, cruciatibus in utrumque sexum sibi uiam ad consilium & scopum patefaciendam existimans, infirma loca in itinere facilè capit, ad Temesuari limites properat: quod, ut quiddam metuat, Lippam quoque recipit, seseq; ad expugnandum Losouczium curiosè accingit, commeatuum rationes & annonæ præripit, castra industriè definit: duodecim totos dies, sed frustrà, nostris aduersissimis, premit. Itaque desperatis rebus, ad Fellak castra remouet, ad Losouczij se laudes cumulandas infelicem queritur, paratam sibi esse Cæsaris iram luget. Nam obsidione liberati, illius terga acrius persequentes, & animosè undique carpentes, dolorem Beko non parum auxerunt. Dum hæc fiunt, conuentus Posonyum edicitur solennis, quò de Transyluaniæ labantibus adhuc rebus, præsidioq; finibus augendo decernatur: absque dubitatione Temesuarum cum maiore furore impetitum iri, locanda esse noua præsidia, præfecturas uel commutandas, uel constituendas. Eodem accurrit Losouczius admirandus heros, nouo exemplo omnium in se animos conuertit. uariè ibi consultatum, multa necessariò prouisa: sed præcipuè, ut Losouczius prouinciam deò fortiter tutatam continuet, Temesuarum gloriosè defendet, recepturum illum à Deo præmia, & posteritatis memoria laudem: quo ad res usui aptas futuras, nihil ei denegatum iri: in discrimine, si aliter fieri nequeat, ipsummet regem, uel liberos illi præstò affore, periculum depulsuros. Esse in Daciæ limitibus non spernendum, qui succurrat laboranti, exercitum: fidat modò regis procerúmque uerbis, nunquam fiduciæ illum periculum sensurum. Salutatis igitur coniuge ac liberis, unde uenerit, eodem se apto comitatu recipiat: loca infirma bene communiat, pecuniam uictuiq; necessaria importet, defensoribus arcem compleat. Animus solicitus ac dubius, quippe qui ante nullam obsidionem subsidio admisso commemorabat leuatam, quod Beglerbekum honore deiectum, non tam facilè quemuis ad inchoatos reuersurum conatus, Losouczium q; irritandum opinari deberet: in metu alios fore maiori, si quid inimicè attentarint. His Stephanus demum persuasus, omnibus sibi carissimis posthabitis, rebus nõnihil familiariter compositis, in omnem euentum locum pristinum repetit, delibatum laudis & intergræ famæ sensum nemini leuiter concessurus.

Vbi ad suos expectatus reuisit, qui uices absentis obierant, tanta omnes lætitia effusi plausum dederunt, ut se eius ductu fortunatos, auspicijsq; nihil aduersi timere acclamarint: cumq; eo non modò arcem sartam tectamq; præsturos, sed exigua manu quasuis copias intrepidè fusuros. Idcirco animis & sententijs liberè collatis, à consilio ueteranis quoque gregarijs haud excluſis, quorum in manu iuxta uim & consilium esse agnoscebat, infractos, debilitatosq;

tosq; impressionibus & glandibus locos arcis & oppidi reficit, tutiora à scalarum appensione & irruptionibus cuncta efficit, quòd per captiuos ac exploratores alteram parari oppugnationem cognorat: præcipuè Amhat bassæ callidissimo, & usu expeditionum commendato, omni negocio conficiundo cura data.

Expedito igitur Amhat (qui Beglerbekum per prætorianos in gratia Cæsaris reposuerat, socium adsciuerat) duplicato fermè exercitu, æneis machinis non globos paruos euomentibus centum, muris concutiendis paratis duodecim, omni genere crudelitatis recta Temesuarum anhelat, cæde ac libidine furentur, ut nostros percellat, sæuit. Pollicitus erat Solymanus, si necessitas exigat, submissurum promptè auxilium, nulli periculo parceret, nec instrumentis bellicis: non deesse sibi aliam manum, quæ Transyluanas aliquid copias minitantes reprimant, per Valachiam se expeditè illas tardaturum, intraq; limites contenturum.

Die igitur Ioannis Baptistæ, Amhat Losouczium cupiditate malefaciendi euagatum intelligens, aduolat, obsidet omnes uias, excluſurum eius opem præsentem ab arce sperans, ad expugnandum se expedit: sed antè quàm castra ritè describit, uallos aggeresq; parat: eodem Losouczius uesperi cum aliquot suis, fiducia causæ Christianæ, mirabiliter in arcem subijt, allocutione nondum roboratos munit, singulisq; ad operas certas dispositis, impauidè tantis periculis se opponit: recenset diligenter socios: equites mille cum oppidanis numerati, pedites cum Hispanis & Boemis, alijsq; mille & quingenti.

Castra Turcus ad meridiem sua locat, ad insidias opportunitates emetitur, moxq; circumfudit exercitum. difficultatem haud contemnendam obijci situ & insessis concipit: quòd Temesuarum, fluuio Temes è Poloniæ iugis ad extremum Daciæ percurrente, tripartitoq; insulas uelut tres efficiente, arcem cum oppido, aquaticoq; præsidio, ne aqua cuniculis, alue auertatur arte discludebat: fossis commodis, tribus extantibus portis, propugnaculis duobus immensis è terra excitatis, asylumq; tutum præbentibus, negocium exhibiturum uideretur. Hausto itaque furore, cupiditateq; ambitionis obuersante, in mœnia tormentis, perpetuisq; ictibus insanit, omnem adeò reficiendi pertusa moram imbri glandium adimit, per quatriduum, ut ab ea regione magnum spacium aperuerit, mœniaq; ad ruinam facilem concitarit. Qua eius ui continua, nostri insulam deserunt: casulas ex arce incendunt: hærendi, subeundiq;, ac tegendi se copiam eripiunt: quòd ex eo loco infestissimi esse poterant, ac facilè mœnijs insultare fuissent ausi, quomodo nec prohibere id paulò pòst nostri potuere. Inde enim alteram arcis molem puluere ita quassarunt, tam pertinaciter & impurè ui omni institere, ut pœnè eam partem deiecerint, ultimumq; discrimen importarint: Don Casparum eo loco exegerint: patefactoq; spacio, scalis appositis, quiduis egerint, nec periculo temeritas uacabat, turbatiq; defensores nonnihil uidebantur. Verùm pristino Casparus animo, cuius egregia facta nemo dignè breuiterq; commemorarit, suos ad cu stodiam reducit, strenuè periculis obuiat, increpat, orat, nisi perseuerent, ensem in ceruices inhibiturum minatur. Huius exhortatione milites, præter hostium opinionem ita animati ad officium redire, ut Nicopolis Satrapem non sine dolore indignationeq; Bassæ, de medio sustulerint, mutuoq; illi ictu, dum fotamina Casparus sarcit, egregium propugnatorem conficiunt. Vtrinque ob amissos socios oboritur dolor, augetur etiam Amhato, quòd destitutus nitro & globis erat: nostris, quòd fessis nec uires, nec pecunia, uictusq; supperet, diminutis tanto numero difficillimam fore depugnandi rationem.

Sed paulò pôst utrosque spes subsidij collegit. Amhatus enim per Natolien-
sem præfectum mille integros equites, materiam tormentis fatigandis acce-
perat: Losouczius, quia in tantis curis fidum suum Stephanum Deak emis-
sum, oppidatim etiam Thomæ Varkocz opera aliquot milites, pecuniam im-
peratam corrogatamq; mira felicitate uiderat importatam. Turca denuò o-
peri instat, nullis parcit adminiculis, omnes uires in affectum conuertit lo-
cum, ut Losouczius in magnæ portæ eminentem firmamq; illam turrim se
recipere sit coactus, iamq; per multam intercapedinem nudatos milites ad
constantiam diuina, immortalitatisq; spe suo exemplo oratiunculaq; anima-
rit, inq; labore demoratus sit. Inter alia confirmat, fessos ac pertæsos moles-
tiarum hostes secessuros: non esse, quàm unicam adhuc impressionem expectan
dam: puluere mox destitutum, aut ad tempus certè ab insania dimotum iri.
Superesse autem suo negocio Deum, cuius nomen indefessè tutarentur: qui
in illo spem locarint, nũquam falsos: unico cœlesti duce multa millia data ne-
ci: nec deserere facilè suam causam solitum, ne gentes, & inimici contumelio-
sè de se quærant, Vbi est Deus eorum? peccare, qui plus Turcis adesse numi-
na, quàm Christianis, putarent: uanam sequi opinionem, qui contra uoluntа-
tem Dei, quicquam tyrannos posse dictitent: admonitos esse uel uulgatis per
conuiuia carminibus, fideles omni periculo mirandum inmodum exem-
ptos: si quando frustrati sint precibus, uitio id nostro accidisse, impatientisq;
moræ animo. Durarent ergo, nec cederent malis, sed contrà audentiùs irent:
Quòd si imbecilliores non corporis libertatem, uitamque sperarent, patriæ
suisq; saltem fortiter nauarent operam, nec remitterent: reposita esse his mun-
di illecebris apud Deum potiora longè præmia, nomen reliquam memoriam
facinoraq; pie culturam. Hisce illos, & similibus uocibus erigit, solicitè omnia
denuò procurat, in omnes partes curam partitur, stationes peruolitat: occisis
uiuos, fessos refectos substituit, omnes difficultates ad tricesimum & secun-
dum usque diem inuicti perferunt. Quo die obsidionis uniuersam molem at-
que minas in se concitatas dum negligunt, promptaq; impetus excipiunt, tur
rim intermediam commeatui oppidanorum in arcem inseruientem infesti a-
mittunt, in arcemq; profugiunt: hi penetrare in sectando contentissimè ope-
ram dant: & parum superesse discriminis rati, unica se adhuc impressione esse
cturum quod tantopere expectarent, sibi persuadebant: nisi suorum, de qui-
bus optimi quique perditum ierant, necessariam ducere uellent rationem.
Quamobrem subsistunt parumper: nimis magno arcem emptum iri, si mili-
tes obijciant, cogitantes, atque non ignari, cæsari molestam accidere uicto-
riam, quæ tanti constiterit: ad preces se deditionemq; impetrandam conuer-
tunt, copiosis omnis generis promissis aures complent: ad colloquium fami-
liare, salutisq; plenum nostros inuitant, iusiurandum diplomata, si dubitent,
interposituros aiunt, cedant modò esse obstinati, præsentem occasum uita li-
bertateq; permutent: clementiam oblatam ne spernant, effecturos tuta fide,
ut eos cessionis nunquam pœniteat. Tot pollicitationibus oppidani dites fa
cti, quòd satis factum suo officio putarent, ad Losouczium intercedunt, o-
rant, obsecrant, ducat sui coniugumq; rationem, cum præsertim omnium sit
oculis testatum, hosti minimum ad patiendum rerum summa deesse, propos-
tam liberaliter opinionem incolumitatis uitæ bonorumq;, ac neminem iure
industriam fortitudinemque posthac illorum requisiturum, qui tot exantlas-
sent labores: Turcam pactis conuentisq; in tutum se suaq; prosecuturum cre-
dere. Victus tot miserandorum ciuium improbis denique precibus heros,
cum præcipuè 700 globos non uanè in se immissos conspexisset: atque uni-
ca se

ca se opprimi posse irruptione planè uidit. Nunquam ille Turcis obedijsset, quos semper fuisse periuros sciebat: ni ut dixi, oppidanorum misertus fuisset. Deditur arx, excessionis leges præscribuntur, ut rebus & sarcinis incurrus elatis, inter eos medij oppidani, cæteri Turcis septi abirent. Progrediuntur ex ordine, ubi Losouczium adhuc recentem animo nec ulla metus significatione aduentantem reperiunt. Amhat eum Beglerbeko cum ambit, complexum sti patumq; obseruant, occasiones conditionum rumpendarum captant: eius fidum & carissimum Achatem Tomoreum, qui ensem prægrandem ad manus illi suggerere solitus erat, à tergo surripiunt. Quod Heros ægerrimè ferens, puniceq; secum ac dolo agi percipiens, excandescit, ad arma suos uocat, uim plagiatumq; admissum queritur, ac protinus erepta cuidam Turcæ sica incurua, Sanczacum principem conficit, ulterius cædem cumulaturus, ni armis caruisset: & ne quid amplius moliatur aliquot uulneribus lethaliter accipitur. Iubetur ad Bassam reduci, uinciri: exprobratur illi uiolata fides, itidem non ita pridem à Christianis in Vlmanbeko factum, cuius abitionem præter promissa, cæde rapinisq; morati sint. Contra heros, canes eos, fœdifragos, impios appellatur: sibi constare ipsorum fallacem omnium leuitatem: sed parcere alijs deditione uoluisse: atque si posset, declaraturum morte constantiam, & in eos summum odium, se nomen semper uitæ antetulisse: quicquid igitur in se statuerint, nihil curaturum. Non parum eius minacibus uerbis Amhatus commotus, & quia per tot uulnera uitæ spes exigua ostendebatur, abscindi à ceruice caput eius imperat: idq; ab obsibus liberum, & palea repletum lancereq; præfixum, Constantinopolim triumphi in modum præmittitur. Oppidani sese excusantes, futurisq; operibus, agrorumq; culturæ idonei, legitimè cum priuilegijs suis domum remittuntur: reliqui ab obsidione milites à 10000 ad unum miserè trucidati. Hic fuit magnanimi Losouczij exitus, sociorumq;: calamitosus quidem at gloria perpetuitateq; memorabilis. Quorundam hodie more nisi tædiosum esset, ac parum singulare ferrent, nomina recenserem. Præcipui tamen, Alphonsus Peresius Kyrcampo, ille qui erepto è cuiusdam Turcæ manibus Christiano, dum eundem perimit, in Chrysium amnem temerè delapsus, aquis suffocatus erat. Adfuit & insignis Bathiani Forcas, Stanislaus Sciulok, Simon Forgach, iuuenis in excurrendo dexter, conuellendisq; hostibus mirus artifex: & alij non minus fortes, familia, maiorumque agnatione non item clari, qui Losouczium extreme sunt secuti, pulchramq; petiere per uulnera mortem. Ferdinandus tantæ cladis nuncio ualdè cum Castaldo Bathoreoq; territus ingemuit, aperteq; condoluit: nec tanti exempli oblitus, filias eiusdem Herois permissione omnium bonorum auget: nomen uetustissimæ familiæ usurpandum, uelut moribus, concedit: eamque conditionem in posteros eorundem producit, ut Losouczij uel alius parente gentis prognati uocentur, ne cum occidione optimi, & eius cognominis solius reliqui præclarissimi & inauditu fidei, propugnationis exemplum aboleri queat. Consecuta est hunc acerbum casum, lippe quoq; receptio, Quinqueclesiorum ac Solimosij amisso: eodemq; anno infanda illa ad Palastum Toijssefelij strages, de quibus alias uerba faciemus.

OB QVAS CAVSAS QVIBVSQVE MODIS HENRICVS GALLIARVM REX VRBEM METENSEM CEPERIT, & militem in Germaniam duxerit, aliaq; gesta usq; ad tempus quo Carolus V. Imperator Metim obsedit. I. S.

HENRICVS Gallię rex, editis literis, hoc potissimum se spectare, ut constituta religione, prosit reipublicæ, maximè autem amicis, ideoq; statim à morte parentis, restituisse Scotiam priſtinæ dignitati, renouasse fœdus cum Heluetijs, recuperasse Boloniam, reduxisse colonos atq; ciues huc illuc dissipatos, in suos agros & possessiones, cum Angliæ quoq; rege fecisse pacem, & arctam inijsse necessitudinem: dum autem his ipse rebus uacaret, Cæsarem clandestinis consilijs multa esse molitum in suam perniciem, & belli causam non semel dedisse, uerùm & reipublicæ & priuatim etiam populi sui reficiendi causa, nihil se uoluisse mouere, sed dissimulatis iniurijs, animum applicuisse totum ad regni constitutionem: hoc uerò suum ocium, pòst, ab aduersarijs attributum esse timiditati cuidam atq; socordiæ: sed interim graues ad se delatas fuisse querimonias, multorum Germaniæ principũ & ordinum, qui, partim religionis, partim Turcici belli, & puniendę rebellionis occasione quæsita, seruitutem sibi parari, & callidis consilijs ali dissidium atq; factiones, & exhaurire Germaniam dicerẽt, sic, ut amplius dubitari non posset, quin monarchiam ille sibi & Austriacæ familiæ constituat: ex eo sanè magnum se percepisse dolorem, & propter communem utriusq; gentis originem, & propter ueterem coniunctionem atq; amicitiam, quæ firma semper & inuiolata permanserit, quamdiu pe[illegible] Cæsaris astum atq; uersutiam licuit: etenim, si status mutatio fiat, & Germanię [illegible]a libertas auferatur, intelligere se, quanto sit hoc suo cũ detrimento futurum atq; discrimine: nam esse Germaniam non Galliæ tantũ, sed etiam totius reipublicæ Christianæ propugnaculũ: ideoq; se magnis precibus atq; uotis optasse frequenter, ut coniunctis uiribus uterque populus ita se compararent, ne quid ab ullo metuendum esset periculi: cùm autem eius rei nulla spes affulgeret, atq; interim multi suam opem solicitarent, diuersis tamẽ rationibus, non sibi uiam apparuisse, quemadmodũ Imperio dissipato & conuulso subueniret: in hac autem tam graui deliberatione, Deum, qui sit iustus iudex, ostendisse rationem per opportunam: Octauium enim Farnesium, Placentiæ ducem atq; Parmæ, cui Cæsar & Iulius pontifex tendebant insidias, auxilium ab se flagitasse, & iniurijs omnibus expositis, ut patrocinium ipsius atque Mirandulani susciperet, impulisse: pòst hæc interuenisse Germanię quoq; principum querimonias, qui fœdus inire secum postularint, quòd ea sola ratione rempublicam posse restitui dicerent: quàm sint autem graues atq; iustæ causæ, quamobrem principes ad arma ueniant, nolle se commemorare, quòd ex ipsorum scriptis hoc intelligi possit: sed tamen perpendat quisq; secum, an non iustissimo dolori causam prębeat hæc aduersatiorum inexhausta cupiditas, qui rebus Imperij perfundatis, in suum ærarium atq; fiscum omnia conuerant: an non satis hoc declaret Vtricensis, Leodina, Cameracensis prouincia? num Geldria, num Constantia, & aliæ multæ ciuitates oppressæ: Burgundiones imminere iam Treuiris & Menapijs & Vuirtembergicis, ac in ipsorum fines imprimere sua uestigia, & Lantgrauij ditionem nõ uno modo dilacerare;

huius

huius eſſe generis, quòd ſuos legatos ab Imperij conuentibus Cęſar excludit, quòd edicit, ne quis externis militet, quòd egregios & militiæ laude claros atque præſtantes uiros è medio tollit, & in his Vogelſpergium, Auguſtæ, peſſimi exempli, quòd ingentibus præmijs homines inuitat atq; conducit ad cædem eorum, qui ſibi militant: certè paucis explicari non poſſe, quibus artibus utantur aduerſarij: nam & in illud camerę tribunal, & in Imperij conſeſſum ab ipſis adhiberi atq; ſummitti, quorum operâ perficiant & conſequantur quod uolunt: nimirum, in hoc genus homines, præſertim autem in Camerales, omnium malorum transferendam eſſe culpam: his adeò de cauſis nõ ſe potuiſſe petentibus Germanis auxilium denegare: fœdus ergò feciſſe cum illis, nec id modò, uerùm etiam omne robur & ſeipſum impendere huic bello conſtituiſſe: neq; uerò priuatum ullum compẽdium atq; fructum in eo ſpectare, ſed hoc ſolum agere, ut reſtituta Germania, liberato Saxoniæ duce Ioanne Friderico, & Lantgrauio, quos diuturna & indigna captiuitate conſtrictos ille detineat, laudem atq; gloriam immortalem conſequatur, ut olim Flaminius, propter uindicatam à ſeruitute Græciam: nec eſſe, quòd uim ullam quiſquam metuat: quum enim libertatis cauſa bellum hoc ſuſcipiat, omnem operam ſe daturũ eſſe, ne cui noceatur immerenti: credant igitur huic promiſſo, quod ſanctè ipſis confirmet, neq; fidem habeant aduerſarijs, qui ſui conſilij eſſe dicant, ut eccleſiaſticorum ordinem affligat: etenim nõ modò nihil eiuſmodi ſe cogitare, ſed illos etiam omneis in ſuam recipere tutelam atq; patrocinium, modò ſibi ſocijsq; rectè caueant: nam recuperata libertate, magnã ſibi ſpem fieri multorum literis, futurum, ut eccleſię quoq; farciatur concordia, legitimis rationibus, omni ſubmota procul ambitione & cupiditate priuata: quicquid etiã ipſe poſsit eò conferre, libenter facturum: hæc eſſe, de quibus ipſos putarit admonendos, ut quid ſuę ſit uoluntatis atq; conſilij, intelligant: itaq; petere, ne quis in tam iuſto bello, quod Germaniæ ſalutis cauſa neceſſariò ſuſceptum ſit, uel ſibi uel ſocijs ullum inferat impedimentum: nam alioqui, ſi quis erit adeò remotus ab omni pietate & officio, quod patriæ debetur, ut reſiſtendum eſſe putet, eum ſe ferro uaſtaturum & igni: & quanquam inuitus ita faciat, tamen, ſi quis erit talis, eum, ut uitioſum & morbidum aliquod membrũ, à reliquo corpore reſecandum eſſe, ne contagione ſua lædat, & ita coërcendum, ne quid damni præterea dare poſsit: cætera licere, ut ex legato ſuo Ioanne Fraxineo, Baionenſi epiſcopo, quẽ ad ipſos miſerit cum amplioribus mandatis, cognoſcant, & orare, ut ei fidem habeant. Hoc ſcriptum, typis exculum, & editum lingua populari, præferebat in fronte pileum inter duos pugiones, idq; ſymbolum eſſe libertatis, aſſcriptum erat. deinde ſuberat titulus regis, qui ſe libertatis Germaniæ & principum captiuorum uindicem nominabat. hoc ſymbolum nonnulli repertum in uetuſtis numiſmatis, & à percuſſoribus C. Cæſaris uſurpatum fuiſſe dicunt. Quòd Cæſarem ait deſignaſſe præmiũ illis, qui ſuos aliquot militũ tribunos trucidaſſent, ita res habet. Cæſar, edicto nuper propoſito, grauiſsimis uerbis denuò proſcripſerat Ringrauium, Recrodum, Rifebergum, Schertelinum, qui quidem omnes Galliæ regi militabant, & ad quatuor aureorum millia, præmium ei conſtituerat, qui ex his quempiam aut uiuũ ipſi repræſentaſſet aut mortuum. nam hi cauſam plurimùm adiuuabant, & initio fœdere, quod diximus, in Germaniam profecti, militem conductum in Galliam adducebant. Et Schertelinus quidem, quum annis aliquot fruſtrâ ſolicitaſſet, nec ullius hominis interceſsione Cæſari poſſet aut Ferdinando reconciliari, coactus propemodum ad Galliæ regem tranſierat. Hæ principum & regis literæ, per Germaniam diſſeminatæ, ſpem in alijs, in multis uerò ſolicitudinem atq; timorem excitarunt. Mauricius calendis Martij conuentus agit,

ordinum ſuæ ditionis,& inter alia proponit,quia citetur à Lantgrauij filijs,ut ſe ſiſtat,non ſibi licere tergiuerſari diutius,aut illorum expectationem fallere: diſceſſurum igitur ad illos, fidei ſeruandæ cauſa: pareant autem interea moremq; gerant Auguſto fratri,quem ſibi per ſuam abſentiam legauerit,& ad ſinium defenſionem copias cogant,ne quid imparatis accidat. Huic aderat actioni Brandeburgicus elector,quòd ei dictus erat dies: cùm autẽ à Lantgrauij filijs ei permitteretur,ut proximè citatus fidem liberet, ſeq; ſiſtat, domum reuertit. Mauricius autem rebus domi conſtitutis,& conſiliarijs aliquot adiunctis fratri,paruo cum comitatu contendit ad illas,quas per Turingiam habebat copias,& progreſſus,Lantgrauij filium operitur. Prius,quàm domo diſcederet,Miſniæ Burggrauius,uti uocant,Henricus,ex illuſtri Plauiorum familia,Bohemiæ cancellarius,Ferdinandi regis nomine, cum illo de conciliatione diligẽter egerat.Lantgrauij filius,productis copijs,quum decimooctauo die Martij ueniſſet Erlebachum,adeſſet etiam orator Gallicus Fraxineus, à Francofurdijs inter alia petunt utercp; per literas,ne Cæſaris ullum admittat præſidium.Et quanquàm illi non ſatis apertè nec idoneè reſpondebant, tamen quia progrediendum erat,nihil eſt actum aliud. Sexto pòſt die, Mauricio ſeſe coniungit:cumqúe deinde triduò poſt, omni cum exercitu Schuinfurtum ueniſſent,Mauricius ei demonſtrat,Ferdinandum regem uelle intercedere,perq; literas & legatos non obſcurè ſignificare, quaſi à Cæſare poteſtatem habeat agendi,de ipſius quoq; parentis liberatione. Ille igitur,adhibito Galliæ regis legato,quò minus Ferdinandi regis conditiones audiantur atq; poſtulata,non recuſat.Eo conſtituto,per Roteburgum,Dingelſpœlum,Norlingam, magna celeritate petunt Donauerdam: Roteburgi ſeſe coniungit ipſis Albertus Marchio Brandeburgicus,cum ſuis tum equitum tum peditum copijs.quacunque tranſirent,ſuam in poteſtatem redigunt oppidanos,& ijs, quos antea Cæſar delegerat,abrogatis,nouum inſtituunt magiſtratum: ſimul pecuniam illis imperant atq; tormenta.Et quia præſidio non magno tenebatur Auguſta:deinde quòd ijs ipſis ferè diebus,muri pars quædam atque uallí collapſa fuit,maximis itineribus,& ultima die Martij, ne nocturno quidẽ intermiſſo tempore,pergunt,& calendis Aprilis ad meridiem eò perueniunt,& factis decurſionibus hoſtile ſignum edunt. Erant in urbe, miſſu Cæſaris,ad quatuor ſigna peditum:ſed cum oppidani quarto pòſt die deditionem facerent,diſcedendi fuit illis facta poteſtas. Germaniæ deinde ſuperioris ciuitates, & in his quoq; Noribergam,conſcribũt,& ut Auguſtæ ſibi præſtò ſint ad exitum Aprilis,mandant,ſimul Vlmẽſes, qui nouem tantùm milliaribus abſunt ab Auguſta, ut ipſos rebus omnibus adiuuent,inq; ſocietatem ueniant,urgent. His ferè diebus princeps Salernitanus, per occaſionem diſſidij cum pro rege Neapolitano deficit à Cæſare,Galliamq; petit. Dum in Germania uaria bella geruntur,Galliæ rex,ingenti cum exercitu,progreſſus, Tullum & Virodunum,ad Galliæ fines oppida Imperij capit, deinde Lotharingiam petit,& principem puerum in Galliam mittit, circiter nouem annorum, quantumuis deprecante matre uidua, ſuamq; filiam in matrimonium ei ſpondet: dumq; his rebus ipſe detinetur,legatus eius Conneſtablius, Annas Momorancius,qui primam aciem ducebat,Metim, urbem Imperij celebrem, occupat,Aprilis die decimo,quum & modicum eſſet intus præſidium, & Galli multa pollicerentur,& ipſorum libertatis retinendæ cauſa, regem arma ſumpſiſſe dicerent.Quum enim Galliæ finibus rex egrederetur,quod fuit ad idus Martij,datis ad illos literis & miſsis internuncijs,commeatum ſibi tãtum expediri petebat,ut per ipſorum fines traduceret exercitum, pollicitus omnem beneuolentiam.utebatur autem adminiſtro cardinali Lenoncurto,urbis epiſcopo,

ſcopo, qui ſtudium ipſius atq; uoluntatem ſenatui commendabat. Conneſtablius quoq; ſcripſerat eis amiciſsimè: uerùm ubi propius ad urbem cum copijs ueniſſet, intromitti petebat, & obtinuit: poſtridie portas & munitiones omnes in ſuam poteſtatem redegit. Venit etiam eò poſt, ipſe rex, ad decimum octauum Aprilis diem, & quatriduo commoratus, inq; ſuam fidem adacto ſenatu & populo, profectum eis conſtituit, Gonnorium, & arma tradi, inq; loca cum unum comportari, & urbem communiri iubet. Idem facit in ijs, quæ dixi, oppidis, perq; Lotharingiam, ac præmiſsis nuncijs Argentoratum, Haganoam, adq; loca finitima, & ad epiſcopum Argentinenſem, frumento ſeſe iuuari petebat & commeatu. Capta, ut diximus, Auguſta, & ueteri reſtituto ſenatu, quem Cæſar aboleuerat, iure quoq; ſuffragiorum reddito tribubus, confœderati principes, Vlmam, recuſantem ipſorum fœdus, contendunt. quò cum Aprilis die duodecimo ueniſſent, urbem obequitant: cumq; tormentis peterentur, iniurijs ſibi ſatisfieri, & aureorum millia trecenta eo nomine poſtulant, ijſq; denegatis, hoſtiliter agunt. Mauricius autem illinc profectus, Lincium petit, Auſtriæ oppidum, ut de pacis conditionibus ex Ferdinando cognoſceret. Is enim, de uoluntate Cæſaris, uti diximus, intercedebat. deinde Cæſar præcipuos Germaniæ principes literis erat hortatus, darent operam, ut incendium hoc reſtingueretur, & pacis inirentur rationes, cui minimè ſit ipſe defuturus: cumq; nonnulli fidem eius implorarent, quòd contra tantam uim nihil ipſi poſſent, confirmatis eorum animis, reſpondit, actionem pacis inſtitutam, ſua quidem ſpe fœlicem habituram exitum, ſin minus, tum ſe nec ipſis, neq; reipublicæ defuturum. Vlma, per ſex dies obſeſſa, principes, Aprilis die decimonono, Stocachum, oppidum Hegouiæ petunt: ibi Galliæ regis nomine depenſa fuit eis pecunia trimeſtris, uti conuenerat, & exhibitus obſes Gallicus, Gamæus Marchianus: nam alter, Nantolietus, in uia mortuus erat. Principum erant obſides, quos regi dabant, Chriſtophorus dux Megelburgius, & Lantgrauij filius, Philippus. Aprilis ultimo die principes ad Danubium reuertuntur, milliaribus aliquot infrà Vlmam. Interea Brandeburgicus Albertus Vlmenſium uicos & oppida uaſtat incendijs, & pecuniam extorquet, & ipſorum arcem Helfeſtænum, excelſo loco poſitam, capit, eiq; præſidium imponit, & propinquum oppidum Giſlingam, quod Vlma tribus abeſt milliaribus, cum proximis aliquot uicis, decima octaua millibus aureorum mulctat. Vbi Lincium uenit Mauricius, de liberando ſocero Lantgrauio, de religionis atque doctrinæ componendo diſſidio, de rectè conſtituenda republica, de pace cum Galliæ rege, ſocio & confœderato, facienda, de proſcriptis in gratiam recipiendis, proponit. hi erant Ringrauius & alij, & in his etiam Hedeccus, qui ſuperioribus annis in Mauricij clientelam ſeſe dederat. in eius uerò caput Cæſar nullum conſtituerat præmium, ne Mauricium offenderet, ut eſt credibile. Ad ea poſtulata, Ferdinandus, qui cum erant Maximilianus filius, & gener Albertus Bauariæ dux, & Cæſaris item legati, reſpondet. non recuſare Cæſarem, quò minus liberetur Lantgrauius, ſic tamen ut ſtatim diſcedatur ab armis: de religione deq; republica, placere, ut in proximo Germaniæ conuentu cognoſcatur: ut autem Galliæ quoque regis habeatur ratio, perquàm eſſe graue Cæſari: licere tamen ut ex eo Mauricius reſciſcat, quemadmodum uelit paciſci: proſcriptos etiam poſſe in gratiam redire, modò conditioni, quam Cæſar tulerit, obtemperent. Adhæc, petebat Ferdinandus, ut facta pace, Mauricius operam ſuam ipſi præſtet in Vngaria, neue milites ad Galliæ regem dilabantur. Cùm autem ad ea Mauricius reſpondiſſet, & abſque ſociorum aſſenſu non ſibi licere quicquàm ſtatuere diceret, ita

fuit diſceſſum,ut ad Maij diem uigeſimumſextum rurſus conueniatur Paſſauij,quod eſt inter Ratisbonam atq; Lincium,ad Danubij, & Oeni confluentem,oppidum:uenirent etiam eò principes interceſſores,eorumq; legati. Calendis Maij,Lantgrauij filius & Ioannes Albertus Megelburgius Gundelfingam traducunt copias,& totos ibi dies octo Mauricium ab Auſtria reuertentem expectant qui cum ueniſſet, poſtridie recenſetur exercitus ad Laugingam,Ottonis Henrici Palatini oppidum. nam & huius prouinciam recuperauerant,à Cæſare poſſeſſam,& epiſcopum Auguſtanum finibus eiecerant. & Palatinus quidem Otto fœderi ſeſe coniunxit illorum. Inde conuerſo itinere petunt alpes. Accidit autem,ut ad hoc tempus inducias ab ijs impetraret rex Ferdinandus, quæ uigeſimoſexto Maij die inchoatæ, ad octauum Junij diem exirent. Colligebat interea Cæſar copias ad alpium radices, quæ Rutæ oppido conueniebant. In his motibus epiſcopus Auguſtanus cardinalis, qui damni plurimùm acceperat,Romam petit. Deinde,Cameræ iudices profugiunt Spira. nam & Galliæ rex & principes in ſuis ſcriptis, offenſionem non obſcurè ſignificabant,& in ipſos omnis propè perturbationis culpam transferebant. Galliæ rex, per Lotharingiæ fines cum exercitu uenit Tabernas, Maij die tertio,quatuor ab Argentorato milliaribus, oppidum ditionis epiſcopi. Poſtulauerat ab Argentinenſibus antea, uti rebus neceſſarijs exercitui ſubuenirent. Ea de cauſa miſsi fuerunt ad eum legati, Sarburgum, ſeptem ab urbe milliaribus,qui certum frumenti modum atque uini deferrent, Petrus Sturmius,Fridericus Goteſſemus,Ioannes Sleidanus, ſed Conneſtablius ferè pro nihilo ducebat quod erat oblatum: & quanquàm legati ſic ab eo diſceſſerant,ut referrent ad ſenatum,ac poſtea renunciarent, ille tamen poſtridie miſsis ex nobilitate duobus, urgebat reſponſum, multa commemorans de regis in Germaniam ſtudio & uoluntate præclara,tum etiam, quo conſilio rex arma ſumpſiſſet,uidelicet,ut oppreſſam Germaniæ libertatem uindicaret. Alterum erat poſtulatum,quandoquidem plærisque rebus haberent opus milites,ut ea [illegible] in urbe comparare ipſis liceret,utq; permitteretur opificibus in caſtra deferre ſuas merces,ac uenum exponere. Senatus ad ea reſpondet. in eiuſmodi rebus,quæ tanti ſint momenti,nihil conſueuiſſe decerni, niſi de totius reipublicæ ſenatus uoluntate: re deliberata,quid ſuæ ſit ſententiæ, miſsis iterùm legatis,demonſtraturos. Ad modum illis dimiſsis,altera die fuerunt ijdem in caſtra remiſsi legati,quæ tum erant Tabernis. eorum audito ſermone,cum aliquantò plus,quàm antea,deferrent, & ſimul, cur milites in urbem admitti non oporteret,expoſuiſſent, Conneſtablius cœpit loqui ſtomachoſius,& collatione facta,quàm eſſent iniqui iudices & beneficiorum regis, & iniuriarum Cæſaris,acriores paulò uoces addebat. Exitus orationis erat,ut diceret fore,ut poſtridie rex ipſis loquatur, qui ſit eadem, quæ iam ipſe dixiſſet,confirmaturus. Altera die legati ad regem accerſiti, qui cum erant Lotharingiæ cardinalis,princeps Vendomenſis,& Cõneſtablius,quid cum Conneſtablio binis iam eſſet actũ colloquijs,commemorant, & tantundem auenæ, quantũ antea frumenti,deinde aliquantò etiã plus uini deferunt,obſecrantes regem,ut & pro ueteri amicitia,quæ Galliæ regibus eſſet cum Argentinenſi republica,proq; ſua etiam humanitate boni conſulat quod eſſet oblatum:magnas eſſe militũ copias in urbe,maximam quoq; uim hominũ ex agris eò confugiſſe,neq; poſſe ciuitatem ea,quam haberet,annona carere. Rex,habito cũ ſuis colloquio, cœpit ipſe referre,qua de cauſa ueniſſet in Germaniam, prorſus in eandem ſententiam, ut pridie Conneſtablius: alimoniam eſſe planè neceſſariam,nec ulli,qui non ſit hoſtis,denegandam,offerenti precium: ea ſi deſtituantur milites,rationem ipſos inire,quomodo ſibi illam comparent:

in eo

in eo autem quãtũm ſit incommodi, facilè quemuis intelligere. Quod erat oblatum, rex quidem non repudiabat, ſed panem ſibi dari uolebat: legati contrà, frumentum: de quo cùm non conueniret, infecta re diſceſſum fuit. Legatis domum reuerſis, ſenatus decreuit. quoniam eius frumenti, quod eſſet in urbe, nihil dari poſſet, ut in uicinis circum locis, quantum liceret panis conficeretur. nam & Conneſtablio & regi dixerant legati, ciuitatis eum eſſe ſtatum, & temporis quoq; conditionem eiuſmodi, nihil ut ex urbe ſit expectandum: apud finitimos autem ſi quid fortè colligi poſſet, non grauatè communicaturos. Hoc autem eò ſenatus decreuit, ne quid in aratores ac homines ruſticanos eorumq; fortunas grauius admitteretur. Atq; ita, quod ſubitò per uicos & oppida comparari potuit, in caſtra fuit deuectum, ſed hoc ipſum perquàm erat exiguum. Occupata Lotharingia, & urbe Meti, Argentinenſes è ueſtigio conſcripſerant ad quinque circiter militum millia, præſidij cauſa, deinde multa tum publica tum priuata ædificia circum urbem, & hortos & arbores & quicquid omninò uel proſpectum impediebat, uel hoſti poterat cõmodare, demoliebantur, & qua parte cumprimis erat neceſſe, nouam urbis munitionem inſtituebant. Id permoleſtè Gallis accidit, & in colloquio poſteriori Conneſtablius hoc ipſum ad legatos minimè diſſimulabat. Creditur enim, ſpem illos propè certam concepiſſe, ut, quemadmodum amicitiæ quadam oſtentatione, Metim ingreſsi fuerant, ſic etiã ab Argentorato non excluderentur: cùm autem ſcirent munitiſsimam eſſe urbem, & tanto præterea ſtudio uiderent ad defenſionem omnia parari, mutato, ut eſt credibile, cõſilio, deflexerunt, & Maij die ſeptimo promotis caſtris, Haganoam, inde Vuiſſeburgũ petebant. Huc ad regem uenerunt legati, à Palatino principe, à Moguntino atq; Treuirenſi, collegis, à Cliuenſi ac Vuirtembergico, qui reipublicę cauſa Vuormaciæ nuper conuenerant. Eorum hoc erat poſtulatum, ut ab agrorum uaſtatione rex abſtineat, & miſeræ multitudini parcat: &, quãdoquidem libertatis Germaniæ cauſa belligerari ſe profiteatur, ut ſiſtat exercitum: nam ſi longius procedat, futurum hoc maximo cum Imperij detrimento. petere autem, ut ad conſilia pacis animum adijciat: eius rei mentionem ad Cæſarem & iam ſe feciſſe, & deinceps quoq; facturos, ac omninò benè ſperare: quod de fœdere ineundo ſcribat, orare, ut in eo ſui honoris & exiſtimationis rationẽ habeat: etenim pro ea, qua ſint Imperio deuincti, fide, non hoc ab ſe poſſe præſtari: ſed tamen omnem daturos operam, ut publica pax conſtituatur: adhæc, plurimũm obſecrare, ut Argentinenſium finibus parcat, qui ſint Imperij libera ciuitas, & ut ipſius interceſsione Vuirciburgicum epiſcopum Albertus Brandeburgenſis tractet humanius. Eodem ipſo tempore, quod fuit undecimo die Maij, literæ fuerunt ad regem allatæ Mauricij, quibus perſcriptũ erat, quid eſſet actum Lincij: ſimul petebat Mauricius, uti rex, quem ipſe quoq; comprehendi uoluiſſet in actione pacis, explicaret, quibus conditionibus uellet cum Cæſare paciſci. His acceptis literis, rex, cui præter ſpem hoc accidiſſe putatur, biduò pòſt caſtra mouet, & relicta Germania, Lotharingiam denuò petit: ſed ante diſceſſum, ijs, quos dixi, principum legatis reſpõdet: ſe iam illud, cuius rei cauſa cum exercitu ueniſſet in Germaniam, eſſe conſecutum: principes enim captiuos liberatum iri: cauſam hanc fuiſſe belli: ſatis itaq; gloriæ ſibi partum eſſe: quòd ſi deinceps ullum tempus incidat, quo ſuam operam Germania requirat, nulli ſe uel labori uel ſumptui uel periculo parciturum: & nũc quidem reductis copijs domum ſe redire, præſertim, quum Galliam inuaſerint hoſtes: quòd ad miſerorum hominum querimonias attinet, dolere ſibi non mediocriter: ſed nullam poſſe tantam eſſe ullo in exercitu diſciplinam, ut non aliquid detrimenti ſecum adferat licentia militaris: ab ſe uerò diligentiſsimè caueri, ut &

quàm

quàm minimũ damni detur,& flagitia ſeueriſsimè puniantur: de Cęſare,deq; pace quod ſcribant,omninò ſe hoc ab ipſis expectare: ſuo iam labore,ſtudio atq; uirtute reſpiraſſe Germaniam ab illis ærumnis,quibus oppreſſa iacebat: ipſis autem eſſe prouidendum inprimis, ne reſtitutam opera ſua, libertatem, turpiter amittant: de Argentinenſibus quod petant,non ſe poſſe ipſis denegare,tametſi,quo tempore cum exercitu erat ad ipſorum fines, magna fuerit militum eius urbis proteruitas in ſuos & inſolentia. In Germaniam rege profecto,Cæſaris copiæ Belgicæ,Martino Roſſemo ductore,Campaniæ Gallicę fines longè lateq; uaſtabant incendijs, & Aſtenæum oppidum,Moſæ uicinum,Lotharingicæ ditionis,nuper à Gallis occupatum,ceperant. hæc putatur una fuiſſe cauſa,cur exercitum rex abduxerit, altera, quòd Mauriſcij factũ minus probaret,deinde,quòd de Argentorato ſpes fefelliſſet. Motis Vuiſſemburgo caſtris,uenerunt ad regem ab omnibus Heluetiorum pagis miſsi legati. Ferdinandus rex finitimam habet Heluetijs regionem,Sontgouiam.eius agri primum locum obtinent Enſemenſes. hi de ſuo periculo ſoliciti, Heluetios ſolicitauerant,ut pro ea,quam ad regem haberent, authoritate atq; gratia,intercederent.Ipſorum itaq; rogatu atq; ſumptu profecti,uicinas etiam ciuitates,Colmariæ,Seletſtadium,& Argentoratum,regi cõmendabant, quòd dicerent hanc regionem omnem ipſis arcta neceſsitudine coniunctam,ob uicinitatem,& frumentum inprimis abundè ſubminiſtrare,cũ ſit opus, ita quidem,ut nullum eis dari poſsit damnum,quod non ipſi quoque ſentiant. His prope Bipontium rex,Maij die uigeſimo reſpondet. Enſemenſibus condonare ſe, modò quos in uinculis habeant è ſuis,milites,dimittant: ad alios uerò,pro quibus uerba fecerint, quod attinet, ſe nihil unquàm in eos cogitaſſe grauius:& quanquàm Argentinenſium milites aliquantò durius exceperint ſuos ante portas,& reiecerint,qui fortè mercandi gratia eò ueniſſent, tamen non ideò ſe diſceſſurum ab amicitia,uel ipſorum, qui deprecentur & interueniant,cauſa:nunc quandò Lotharingiam teneat,uicinitatem ſibi cum illis intercedere, contra cuius rationem nihil ſit ipſe facturus:eandem ſe quoque uoluntatem & officium ab ijs inuicem expectare. Fuerant antea Tabernis, à ſenatu Baſilienſi ad regem eadem propè de cauſa miſsi legati,quibus etiam liberaliter reſponſum fuit. Ferdinandus etiam Linceo peracto conuentu ſtatim ad Cæſarem contendit Oenipontem,explicandi cauſa negocij. Reuerſus autem in caſtra Mauricius,alpes unà cùm ſocijs petit, & quum propius eò ueniſſet,Gallici oratoris hortatu ſtatuit eos adoriri milites, quos ijs locis Cæſar conſcribi iuſſerat.quumq; Maij die decimoſeptimo non procul abeſſet à Fieſſa,quod eſt in alpium aditu poſitum oppidum,ad Lœchum flumen, explorato tores emittit,qui de hoſte cognoſcant.hi prope omnes,clauſtrum montium illos & anguſtias tenere,ſeq; ita communiuiſſe renunciant,ut eis noceri omninò non poſsit. Itaque delectos aliquot ex omni numero principes emittunt, qui cùm prope ad illorum caſtra excurriſſent, nonnullos intercipiunt, & ad ſuos abducunt:ex ijs multa cognoſcunt, & poſtridie cum peditatu progreſſi,ducentis tantùm adhibitis equitibus,Fieſſam contendunt:& cũ Ruta non procul abeſſent,ad uiarum anguſtias deueniunt, occupatas à milite Cæſariano,circiter octingentis,cum duabus machinis,quas appellant campeſtres.Impreſsione autẽ facta,cum in eas anguſtias penetraſſent, loco deijciunt hoſtẽ, qui fuga dilapſus,ijs qui prope Rutam caſtra fecerant,timorem ac trepidationem adfert.Principes è ueſtigio ſecuti,impetum in illos quoq; faciũt,ac demũ profligant. ex ijs ad mille partim capti ſunt,partim interfecti,partim in Lœchũ præcipitati:ſignum quoq; fuit eis unũ ereptũ. Altera luce pergunt ad arcẽ Erebergum:

bergum: & quum approbante fortuna, ſub arce poſitum propugnaculum, & aditum ipſum atq; clauſtra uiarum occupaſſent, captis etiã tormentis magnis inſtructis, per montem aduerſum atq; præruptum ad arcem euadunt, etſi multis peterentur telis, eamq; deditione facta capiunt. Erant ibi preſidio peditum ſigna tredecim: ex iſs capta ſunt nouem, quatuor aũt elapſa, & in his tria, Germanorum, unum autem Italorum. Capti ſunt aũt ad tria circiter millia, quum illi paucos è ſuis deſiderarẽt. Mauricius deinde magno fuit in diſcrimine. cũm enim progredi uellet, milites illi, quibus præerat Rifebergus, recuſabant, niſi ſtipendium ipſis extraordinarium, ob captam arcem penderetur: id autem ini quum eſſe dicebat Mauricius, & ſimul è ſeditioſis unum, qui præ cæteris fortiter clamabat, comprehendi iubet. ibi uerò cæteri omnes, non haſtis modò, ſed tormentis etiam manuarijs emiſsis illum petunt, ita quidem, ut celerrima fuga uix ægrè uitam ſeruaret. Maij die uigeſimoprimo duæ legiones mittuntur per alpes Oenipontem, quod illinc biduj uia diſtat. equitatus erat omnis cum legione una circum Fieſſam atq; Rutam, aditus defendendi cauſa, Mauricius ac ſocij principes inſecuti poſtridie, Zirlæ, quod duobus non magnis milliaribus abeſt ab Oeniponte, peditatui ſeſe coniungunt: Cæſar autem, ubi de capto Erebergo cognouit, noctu, maxima celeritate tumultuariè diſcedẽs Oeniponte, cum Ferdinando fratre, qui perſuadendę pacis cauſa nuper eò uenerat, & per alpes, quà Tridentum itur, ad læuam deflectens, Villacum, quod eſt in Carnis oppidum, ad Drauum flumen, ſeſe recipit, quum Saxoniæ ducẽ, Ioannem Fridericum, toto iam quinquennio captiuum, paulò antè dimiſiſſet, ne uidelicet hoſtis ad ſuam gloriam iſtud referret, quod quidem ipſe captiuus etiam minimè uolebat. Liber factus, nihilominus Cæſarem, quocunq; iret, comitatur. In hocipſo tempore, ſoror Cæſaris, Maria, conuentus agebat Aquis, oppido Belgicæ, fœderis ineundi cauſa cum uicinis. Et Cliuenſis quidẽ princeps, per legatos excuſat: Colonienſis autẽ archiepiſcopus, Adolphus, eò profectus, in Burgundicæ domus uenit ſocietatem: idem faciebat Lodinus etiam epiſcopus, Georgius Auſtriacus. Vbi uenit Oenipontem Mauricius, quicquid ibi repertum eſt rerum Cæſaris & Hiſpanorum, & cardinalis Auguſtani, direptum fuit: Ferdinandi regis autem atq; ciuium bonis nihil eſt datum damni. Et quia triduum ſolum erat reliquum ad inducias, quę futurę tractationis cauſa conſtitutæ fuerant, Mauricius illinc Paſſauium petit: ſocij uerò principes, idem, qua uenerãt iter ingreſsi, Maij die uigeſimooctauo Fieſſam reuertũtur. Prius, quàm Mauricius rediret Lincio, Brandeburgicus Albertus, digreſſus cum ſuis copijs, Vuolfgango, Teutonici, quem uocant, ordinis magiſtro, direptionibus & incendijs plurimùm damni dat, & cũm ab eo pecuniã exegiſſet, in Noribergenſium fines tranſit, & arcem quandam illorum ditionis, Lichtenauum, quinq; milliaribus ab urbe poſitam, et ſimul adiunctũ oppidũ, quinta die Maij deditione capit. Exercitus eius erat, equitum ad duo millia, peditum ſigna undeuiginti. Poſtridie, datis ad ſenatum literis, quanquam Galliæ rex, inquit, & confœderati principes, euulgato ſcripto, quid de republica ſentirẽt, & quomodo Germaniæ libertatẽ recuperare, ſimulq; religionem conſtituere uellent, prolixè demonſtrarunt, ea fiducia nimirùm, ut hoc illorum inſtitutum non modò gratis animis uiri boni complecterentur omnes, uerùm etiam totis uiribus adiuuarent, quod quidem à nonnullis etiam factum eſt: uos tamẽ, nec quid ueſtræ ſit uoluntatis atq; conſilij, declaraſtis, nec ad indictum etiam Auguſtæ conuentum, legatos, ut audio miſiſtis, uerùm ad defenſionem comparaſtis omnia, tormentis huc illuc per mœnia diſpoſitis atq; propugnacula, & conductis copijs, ad extremum uſq; uelle uos perſeuerare iactatis, ut quidem ad me defertur, eiuſq; rei fidem facit, quòd nullos adhuc legatos mihi de

pace

pace misistis. quod tamen alij quidam & uiri principes & ciuitates longinquiores fecerunt. Cùm ergò scriptum illud regis atq; principum confœderatorum apertè profiteatur, eos, qui conatum hunc ipsorum uel impugnabunt, uel non adiuuabunt, in hostium numero habendos: deinde, cum huic ego sim adiunctus militiæ, ut eos, quorum fines attigero, cogam ad officium, neq; locum ullum munitum, unde uis aliqua uel eruptio metuenda sit, à tergo relinquam: hac de causa, uobis, qui nondum satisfeciſtis expectationi, Lichtenauum arcem, quæ castris meis multùm incommodabat, ademi, conseruatis præsidiarijs, in quos tamen durius agere mihi licuisset. Et quia præcipuum adhuc restat, equidem & Galliæ regis & sociorum nomine à uobis peto, ut quid pro tuenda Germaniæ libertate, proq; constituenda religione facere cõstitueritis, clarè profiteamini, mihiq; die crastino denuncietis, ut quid à uobis expectandum sit, quoúe numero uos oporteat habere, possit intelligi. Cæterùm, quo tempore Schuinfurti Mauricius atque socij conuenerunt, quod fuit Martij die uigesimosexto, sicut antea dictum est, fidem & societatem & instrumentum militare, & commeatum & maximam auri uim, à Noribergicis per internuncios petebant: sed post multam actionem, cæteris omissis conditionibus, cùm illi centum aureorum millia depẽdissent, pacem eis tàm suo quàm sociorum nomine, per literas, amplius uerbis promittebant. Cùm ergò nunc ipsis immineret Albertus, ad illos querimoniam deferũt: & quia Lincio nondum redierat Mauricius, Maij die tertio Lantgrauij filius Gundelfinga rescribens, bene sperare iubet: quinta uerò pòst die, cùm iam reuertisset Mauricius, ambo scribunt, & pacta seruare promittunt, & Alberti factum hoc sibi prorsus inopinatum esse, neq; probari, sed & omnem operam daturos, ut sua recuperent, quos etiam ei suppeditauerint ipsi copias, continuò uelle se reuocare dicunt. Acceptis Alberti literis, Noribergenses eodem die rescribunt, & quid Mauricius atq; principes per transactionẽ ipsis pròmiserint, ostendunt, eamq; fuisse causam dicunt, quò minus ei miserint legatos. itaque magnopere orant & obsecrant, ut arcem ademptam plenè restituat, in eoq; socijs gratificetur. Illeuicissim, triduo pòst: quia sibi non constet, quomodo transegerint cum ijs, & uerò Galliæ regis plurimùm interſit, cui sit non minus quàm illis addictus, petit, ut è suis familiaribus homini certo, quem sit in urbem missurus, publice caueant, & transactionis exhibeant documenta. Gerunt illi morem, & exhibent: sed ipse nihilo secius, tametsi Mauricius atque socij diligenter intercederent & deprecarentur, undecima die Maij, rursum illis per epistolium denunciat, & Galliæ regis nomine cũprimis, ut intra paucas horas clarè sibi respondeant, an imperata facere uelint, postulat: cumq; responsum, quale uoluit, non ferret, arcem Lichtenauum & adiunctum oppidum diripit, incendit, funditus euertit, æquatqúe solo, & quum oppidanis pecuniam imperasset, in suam & Georgij Friderici patruelis ditionem illos per iusiurandum adigit, & urbem obsidet. Itaque Lantgrauij filius, equitum duas cohortes, quas in Vuolfgangum, ordinis Teutonici magistrum ei attribuerat, ilicò reuocat, & ad se redire iubet, maxima cum illius offensione. Truculentum ergò bellum oritur, & uicos illorum ditionis, ad centum castella uerò, ciuiumqúe uillas ad septuaginta, simulqúe templa, cùm ea dispoliasset, syluam insuper, quam habent amplissimam, quæqúe non ipsis modò, sed & finitimis materiem atque ligna subministrat, incendit, & ad ter mille iugera exurit. uicinis autem, ex nobilitate, & alijs iam antè, nisi parèrent, bellum denunciauerat, inprimis autem episcopo Bambergensi & Vuirciburgico, quos etiam in hoc rerum statu ad grauissimas conditiones adegit. & Bambergensis quidem,

quidem, ut ſe ſuamq; prouinciam periculo iam imminenti ſubduceret, pacem ab eo maximis iacturis redemit. nam ſuæ ditionis oppida & præfecturas ad uiginti coactus fuit ei dare, confectis ea de re literis, Maij die undeuigeſimo, ſimulq; clientelas & beneficiarios omneis ei permittit. Vuirciburgicus autem aureorum millia ducenta, uiginti dependit, & ſimul eis debita, quorum erat ſumma, circiter trecenta, quinquaginta nummûm aureorum millia, in ſe recipit, & perſoluere pollicetur. Noribergenſium hanc tàm indignam & lamentabilem fortunam miſeratæ Sueuiæ ciuitates, quæ nuper ad imperatum Auguſtæ conuenerant, ut ſuprà diximus, numero ad uiginti ſex, per legatos ex omni numero delectos, intercedunt, Auguſtani cum primis: & ubi Noribergam fide publica ueniſſent, multis in medium adductis, ad pacem eos hortantur, deq; captis alpium clauſtris, Erebergo, dicunt, & eum Italiæ Pannoniq; ſtatum eſſe demonſtrant, ut auxilium nullum atque ſubſidium ab ullo ſperari poſsit: conditiones deinde ab Alberto propoſitas exhibent. Illi, pro ſuſcepto labore ſtudioq; gratias agunt, & quàm nullam habeat Albertus armorum cauſam in ipſos, & quid cum Maurício ſit actum atque ſocijs, oſtendunt: & quia conditiones oblatæ ſint eius generis, ut partim ab ſe non præſtari, partim ad Cæſarem atque Ferdinandum regem excuſari nullo modo poſsint, extrema ſeſe pati, remq; Deo uelle commendare dicunt: ſic enim ſibi conſcios eſſe, ut non Cæſarem modò, ſed omneis quoque principes, & ipſius quidem Alberti propinquos etiam atque neceſſarios ferre poſsint arbitros. Cùm hæc interceſſores, opportunè, commodisq; uerbis ad Albertum detuliſſent, & ille non ſolùm non miteſceret, uerùmetiam atrociſsima quæque minaretur, lunij die quarta per literas illis demonſtrant, implacabilem eius eſſe animum, neque ſe potuiſſe illum ad æquiores adducere conditiones. Albertus autem uehemẽtiori, quàm prius, impetu, rurſus in urbem tormentis fulminat, & ignem in diuerſa loca conijcit, & nocte quadam oppugnat, quoque plus terroris adferret, ſuburbium unum incendit. Ad hoc ipſum uerò tempus in illius caſtra uenerunt à Maurício ſimul & à Lantgrauij filio miſsi de pace legati, Georgius Thannebergus, Gulielmus Schachtus. hi, ciuitatum adhibitis legatis, qui re deſperata diſceſſuri fuerant alioqui, poſt multam & laborioſam actionem, utriſque demum perſuadent, & pacem conſtituunt. nam & nouis copijs nuper erat auctus Albertus, Iobo Dalbeco, Chriſtophoro Oldeburgo, ductoribus, & Mauricius, datis ad ſenatum literis, Alberti factum hoc ſeſe moleſtiſsimè ferre, neque tamen mederi iam poſſe, nunciabat. pacis hæ fuerunt leges: aureorum millia ducenta dependant: tormenta magna ſex, inſtructa rebus omnibus tradant: principes confœderatos, ut Auguſtani, fauore proſequantur: ipſe uiciſsim illis ablata reſtituat. Itaque ſub uigeſimum lunij diem, urbis obſidio, totius propè Germaniæ celeberrimæ potentiſsimęq;, & rebus omnibus inſtructiſsimæ, ſed & inprimis munitæ, ſoluitur. Hoc tam egregio ſucceſſu factus alacrior, lunij die uigeſimo dat literas ad Vlmenſes, è caſtris. in ijs perſcriptum erat, Noribergicos, maximo ipſorum cum detrimento, domitos ab ſe, pacis accepiſſe conditiones, & facturos, quod ipſe atque ſocij præſcripſerint: nunc ergò ſe conſtituiſſe & ipſos obſidere, ſed longè ſecus & arctius multò, quàm nuper: quòd ſi conſilium ſuum fortuna comprobet, nulli ſe maſculo, qui ſeptimum ſit annum egreſſus, parciturum, niſi ad ſanitatem redeant, & miſsis quamprimùm legatis, omnino ſibi ſocijsq; ſatisfaciant, & nuper quoq; factę rebellionis culpam eluant: in eo autem quid facere uelint, per ipſum, cui literas dediſſet, apertè nunciari iubet. Ad eas literas paucis illi reſpondent. incolumes quidem, & quamdiu uita ſuppetat, nihil ſe facturos

eorum

eorum quæ poſtulet. Galliæ rex, Germaniæ finibus egreſſus, tripartito demũ exercitu Vualderfingam uenit, quod eſt ad Saram flumen, Lotharingicæ ditionis oppidulum. Ibi conſociatis copijs, uigeſimoquinto die Maij progreſſus, & traiecto Moſella flumine, cùm in Luceburgicum agrum ueniſſet, populationibus & incendijs omnia uaſtat, exemplo Roſſemi prouocatus, ut quidem ipſi ferebant, & Aſtenæum oppidum recipit, à defenſoribus uacuum. Roſſemus enim domum reuerterat: caſtris deinde poſitis, Danuillerium oppidulum deditione capit, pòſt etiam lucœum, ex præcipuis ibi propugnaculis unum. Eo in oppido erat Mansfeldius Comes Erneſtus, totius regionis præfectus, cum flore iuuentutis: hi omnes in hoſtium poteſtatem uenerunt: oppidum deinde, tumultuante milite, præter uoluntatem regis, ut aiunt, direptum fuit. Nunc ad Mauricium reuertemur. Is, tractandæ pacis cauſa, Paſſauium ſe contulerat. Ibi actione repetita Linciana, calendis Iunij, copioſiùs omnia proponit & explicat. aderant legati Cæſaris, Ferdinandus rex, Bauariæ dux Albertus, Salisburgenſis, Eſtetenſis, epiſcopi. principum electorũ omnium, Cliuenſes etiam & Vuirtembergici, multiq; præterea legati. Queritur Imperij rempublicam, quæ cum primis libera eſſe debeat, ab exteris adminiſtrari, principum electorum authoritatem imminui, multaq; fieri non conſultis ipſis, quædam etiam ab Imperio diuelli & alienari, rationes iniri quomodo ius crescandi Cæſaris illis auferatur, in comitijs, electorum ſententias ferè poſtponi, priuatos electorum conuentus formidine quadam intermitti, iuriſdictionem eorum minui, dum illos, qui prouocant ab ipſis, contra morem antiquum Camera recipit: ordinum Imperij controuerſias augeri conſultò, neq; prius componi, quàm utrobiq; ſit acceptum incommodum: in aula Cæſaris difficulter impetrari audientiam, neq; rem exactè cognoſci, ferè propter imperitiam linguæ, neq; ſumptus modò, ſed & temporis ibi magnam fieri iacturam: in comitijs agi parùm amanter, & ſi quid adferatur ab aliquo pro republica, malam in partem accipi. Crebris illis conuentibus atq; diuturnis exhauriri Germaniam, & domi multa ſæpe negligi, neq; tamen publicum ſtatum effici meliorem, imò deteriorem aliquantò, magisq; perplexum: grauibus edictis mandari, ne quis militet externis: eos, qui reconciliantur, aſtringi ne contra Cæſaris prouincias militent, itaq; ab Imperio diuelli: qui ſuis dominis bello Smalcaldico militarunt ex officio, mulctatos eſſe pecunia: qui eodem bello in Cæſaris amicitia permanſerunt, ijs quoque pecuniam eſſe imperatam, & ſub actione quidem, niſi mox darent, eorumq; legatis, quòd nõ ſtatim aſſentirentur capitis periculo, ne iniuſsi diſcederent ab aula, mandatum eſſe, militem externum, in Germaniam introductum eſſe non ſemel, & finito ſuperiori bello diſtributum huc illuc in prouincias, intemperanter atq; libidinoſè multa feciſſe, deq; ſubacta Germania gloriatum, fore dixiſſe, ut patrimonio Cęſaris conuigatur, & in primarijs urbibus exędificentur arces atq; propugnacula: tormentorum uim magnam & inſtrumenti militaris, ueluti per ludibrium eſſe deuectam ex Germaniæ finibus ad exteras gentes: nõnullos, ambitione quadam, tormentis, quæ ſibi fieri curaſſent, inſignia principum Germanorum impoſuiſſe, tanquàm hæc illis eripuiſſent: euulgari libellos, & quidem priuilegio Cæſaris, ad Germaniæ ſummum dedecus ac infamiam, quaſi domita ſit, inq; ſeruitutem redacta: publicis in comitijs, nomine prouinciarum Cæſaris, adſciri quoſdam in principum ordinumq; cœtum, & occultis hoc agi conſilijs, ut adaucto numero, ſuffragijs illi uincant: ante annum quartum inſtitutum eſſe Cameræ iudicium, & à paucis quibuſdam fuiſſe conſcriptas leges, quæ pòſt euulgatæ ſint, non ſine multorum diſpendio, præſertim eorum, qui ſunt religionis Auguſtanæ: nam eos omneis à conſeſſu prorſus excludi: rem igitur ipſam

ipſam poſtulare, ut leges illæ proximo in conuentu recognoſcantur. Hæc & id genus alia proponit, & cùm ad Cæſarem inprimis pertineant, petit ut iam emendentur, Imperioq; ſua reſtituatur dignitas, nec alijs, ut eam ludificent atque deſpiciant, permittatur. Interceſſores, communicatis conſilijs, ea poſtulata nihil habere iudicabant iniqui: ſed tamen ut Cæſari & ſuus conſtaret honos, & eò facilius perſuaderi poſſet, nonnulla, quæ publici ſtatus emendationem attingunt, ad communem imperij conuentum poſſe referri cenſent. Aderat Gallicus legatus, Fraxineus: is lunij die tertio in conſeſſu principum orationem habet. Inter Gallos & Germanos, iam olim, & priuſquàm nomen Franconum innotuiſſet, adeò fuiſſe magnam uitæ morumq; ſimilitudinem, ut Germani ſint hi populi quondam à Romanis appellati, quaſi fratres Gallorum: ubi uerò ſedem in Gallia ſibi Francones conſtituerunt, utranque nationem fuiſſe coagmentatam, ſic, ut idem eſſet Imperium, idem princeps, eædemq; leges: commutatione deinde facta temporum, cùm eſſet ad Germanos delatum Imperium, Saxones, aliosq; Cæſares, quòd è Francorum regibus originem haberẽt, perpetuam coluiſſe cum Gallis amicitiam, ita quidem, ut Franciæ rex, Philippus Auguſtus, antiquum illud fœdus, quod uetuſtate propemodum erat obſoletum, aureis deſcribi literis, & ſanctiori loco reponi iuberet: nec immeritò quidem: nam ea durante coniunctione, florentem inprimis utriuſque populi fuiſſe rempublicam: & Germaniæ quidem tantum extitiſſe robur, ut non modò Pannonijs, Bohemis, Polonis atque Danis, uerùm Italis etiam leges præſcriberet: Franciæ reges autem, ut religioni conſulerent, in Chriſtiani nominis hoſtem, Saracenos atque Turcas, non ſemel arma ſumpſiſſe per Aſiam, Aphricam, Europam, & glorioſiſsimas reportaſſe uictorias: incidiſſe uerò poſtea tempus quoddam infelicius, cùm nonnulli Cæſares, uelut inſititij, minimeq; Germani, nec ea digni functione, Gallię regum neceſsitudinem illam deſererent, & reipublicæ maximas inueherent calamitates: atqui, plagam hanc, Dei beneficio fuiſſe curatam per illuſtrem Luceburgiorum principum familiam, è qua Cæſares aliquot prodierint, magna uirtute uiri, Galliæq; regibus coniunctiſsimi: nam Caroli quarti parentem, pro Gallię rege pugnantem occubuiſſe: conſimilem quoque principum Auſtriacorum fuiſſe uoluntatem, & in ijs Albertum primum, neque pollicitatione neque comminatione Pontificum, ut Galliam oppugnaret, impelli potuiſſe: hæc autem eò ſe recitare, ut uideant, quàm non bene reipublicæ conſulant potentiſsimi Cæſaris Caroli quinti familiares quidam & adminiſtri, dùm non ſolùm id agunt, ut has duas præſtantiſsimas nationes, alteram ab altera diuellant, ſed id etiam ſuis technis & aſtu iam antè perfecerunt, ut optimus princeps, Franciſcus rex, indicta cauſa iudicaretur hoſtis: hæc quidem illos facere priuato ſuo cum emolumento, ſed maximo cum diſpendio publico: quàm enim eis difficile fuerit, ea manente duarum nationum amicitia, libertatem infringere Germaniæ, ſuumq; regnum illud exædificare, uel ex eo ſatis apparere, quòd Gallicis nunc armis territi, remiſsius agant, nec Hiſpanicum illud iugum ſic urgeant: hos nimirùm illos eſſe, qui precibus atque tributis impetrata pace Turcica, per cauſam uel religionis uel obedientiæ, ſimultates in Germaniam atque factiones inuexerint, qui Germanorum adiuti copijs bellum Germaniæ fecerint, qui pecuniam omnibus imperarint, & miſerabilem Imperij conditionem effecerint, diſpoſitis huc illuc Hiſpanorum præſidijs, exarmatis armamentarijs, & cognitioni fiſcali patefacta uia: nam eò rem eſſe deductam, ut & Imperij ſigillum, & Cameræ iudicium, & comitiorum ius atque libertas ab unius pendeant Atrebatenſis arbitrio: cuius enim hoc ſit uel exempli, uel æquitatis, eos, qui tolerandæ uitæ cauſa militant externis,

mulctare ſupplicio, proſcribere, magnis propoſitis præmijs obijcere trucidandos? ut interim tot cædes, libidines, direptiones & oppidorum deuaſtationes mittantur, & inprimis non uno modo, ſed pro temporis conditione uariè tractata religio: certè, quicquid huius rei factum ſit multis nunc annis, eò pertinere ſolùm, ut conturbatis Imperij legibus, Ferdinando rege, uel coacto, uel pollicitationibus illecto, principibus autem formidine quadam atque territatione ſubactis, Hiſpaniarum princeps deſignetur Cæſar. An non mors exoptanda ſit potius uiris fortibus, quàm ut in talibus ærumnis lumen hoc ſolis intueantur? neminem profectò poſſe fingi tam uecordem atque barbarum, quem non iſta commoueant: non ergò debere cuiquam uideri mirum. ſi tandem extiterunt uiri principes, & in his quidem Saxoniæ dux elector Mauricius, qui uel ſui capitis periculo recuperandam eſſe communis patriæ libertatem exiſtimarunt: eos uerò, cùm uiribus eſſent inferiores, neque tantam ſoli prouinciam ſuſtinere poſſent, Galliæ regis imploraſſe fidem & auxilium: & hunc quidem ſuperiorum annorum offenſione depoſita, non modò fortunas omneis cum ijs communicaſſe, uerùm ſe quoque tantæ rei totum impendiſſe, facto cum illis fœdere, quo, ſit inter alia cautum, ne cum hoſte paciſci, niſi de regis uoluntate, liceat: porrò, Mauricium, quanquàm eo uinculo teneatur, tamen, ut patriæ conſulat, & Ferdinando regi petenti morem gerat, à Chriſtianiſsimo rege petijſſe nuper, ut quomodò pacem ferre poſsit, oſtendat: id quidem ei præter expectationem nonnihil accidiſſe, quòd, cum eiuſmodi ſit ipſius tamqúe magnum beneficium, de rebus ad ipſum pertinentibus, non ex longinquo, ſed coràm eſſe putaret agendum: ſed tamen, quia ſuis commodis publica longè præferat, non uoluiſſe confœderato principi quicquam denegare: proinde, ſi reipublicæ uulnera ſanentur, ut oportet, & in poſterum idoneè caueatur, ne recrudeſcant, ſi principes captiui dimittantur ijs, quæ ſunt in fœdere perſcriptæ, conditionibus, adhæc, ſi uetuſta Galliæ cum Imperio, ſed & iſtud nuper cum principibus initum fœdus ita confirmetur, ut in ſempiternum ualeat, hæc, inquam, ſi procurentur, illum erga rempublicam ſic animatum eſſe, non modò libenter ut ſit aſſenſurus actioni pacis, uerùm etiam Deo permagnas acturus gratias, quòd ipſius in eo conſilium interuenerit & adiumentum: ad priuata quod attinet, quia per uim Cæſar multa detineat, neque iuſta de cauſa bellum fecerit, regem putare æquum eſſe, ut qui cauſam iniuriæ dedit, ſatisfactionis quoque uiam primus oſtendat: illum certè, licet uiribus atque cauſæ minimè diffidat, ita ſe comparaturum, ut quantopere ſit & amans pacis, & ipſis omnibus atque Mauricio gratificari cupiat, intelligi poſsit.

Principes ad ea reſpondent. illam, ex uetuſtate repetitam & ſuperiori memoria, de Germaniæ coniunctione Galliæqúe, narrationem, ualde ſibi iucundam, neque minus gratum fuiſſe, quòd priuatis commodis rempublicam rex anteferat, & quò minus confœderati principes cum Cæſare pacem conſtituant, non recuſet: nam ut ita fiat, non unius modò nationis, uerùm Europæ totius intereſſe, quæ ciuilibus iactata malis, ad interitum ſpectet: quas uerò pacis conditiones rex interuenire uelit, non ſe dubitare, quin id obtineri poſsit: nam & antea Cæſarem, & nunc in his motibus bene de republica ſentire, neque Germaniæ uelle deminui libertatem: amplam quoque ſpem eſſe, futurum, ut principes captiuos breui dimittat: ut autem antiqua fœdera renouentur, & noua confirmentur, intelligere pro ſua prudentia regem, in hoc ipſo conuentu rem tantam non poſſe confici: ueruntamen, quæ ſemper fuit inter utrunque populum, eam optare ſe firmam & uiolatam permanere, neceſsitudinem: quæ ſint ei cum Cæſare priuatæ lites, ut

hæ

hæ componantur,& cupere ſe cumprimis,neque laborem etiam ullum atque ſtudium in eo recuſare:cùm autem occupare Cæſarem nonnulla rex, quæ ſua ſint,affirmet,& quod ab eo repetat,habere ſe non obſcurè ſignificet,uideri ſibi non iniquum,ut cuiuſmodi ſit illud,oſtendat:nam ad Cæſarem referre controuerſiam,& intercedere ſeſe conſtituiſſe: rogare uerò plurimùm, ut in bonam partem iſta rex interpretetur. Porrò,de Luceburgiorum autem familia, quod Gallicus orator ait,ſic habet. Luceburgij Comes Henricus filium habuit Henricum,qui poſtea Cæſar fuit,eius nominis ſeptimus. huic erat filius Ioannes,qui per matrimonium factus eſt Bohemiæ rex.hic Philippo Valeſio, Galliæ regi tulit opem aduerſus Angliæ regem Eduardum tertium, ipſe profectus in bellum,& commiſſo prælio,cum Angli uincerent,occubuit,ac inter alios,filium reliquit,natu maximum,Carolum,qui poſtea factus eſt Cæſar, eius nominis quartus,pater Vuenceslai & Sigiſmundi,qui Cæſares ambo deinde fuerunt,& hic quidem etiam Vngariæ rex atque Bohemiæ,Conſtantien ſis concilij ſolicitator. Albertus Auſtriacus,de quo loquitur,Rudolphi Cæſatis filius,Cæſar,cum Philippo pulchro,Galliæ rege firmam coluit amicitiam, etſi Bonifacius octauus pontifex,uehementer eum ad bellum incitaret.Mauricius,præter Lantgrauij liberationem,duo potiſsimùm urgebat.unum,ut ijs de rebus,quę Germaniæ libertati nocerent,& quas ipſe nominatim recitauerat,Ferdinandus rex,Maximilianus filius,& interceſſores ipſi iam iam cognoſcerent,& ex legibus atque more antiquo Germaniæ de ijs pronunciarent: alterum,ut religioni pax daretur,nec ulla cuiquam eo nomine fieret moleſtia, dum integrè ſit controuerſia tota conciliata. Rationem hanc non improbabant interceſſores:at Cæſar,per legatos,quid in eo requireret, oſtendit, & ijs, qui fideles ipſi fuiſſent, inque maximas idcircò, calamitates incidiſſent, de damno ſatisfieri æquum eſſe putabat. Poſt uariam diſceptationem,cum eſſent nonnulla mitigata, placuit tandem, ut ad tertium Julij diem planè Cæſar reſponderet,ac interea belli conquieſceret adminiſtratio.datis ergò literis Junij die decimoſexto,Cæſarem interceſſores ad pacem hortantur. Inde profecti, Junij die undeuigeſimo, cum copijs omnibus ad Eiſtetum caſtra ponunt,quod eſt Bauariæ finitimum oppidum epiſcopale, magnoq; deſiderio, neque ſine ſolicitudine Mauricium expectant. qui cum tandem eò ueniſſet, quo loco res uerſaretur, oſtendit, & ultima Junij die per diſpoſitos equos illinc Paſſauium reuolat,ut ad conſtitutum diem adeſſet. ſocij uerò principes, motis poſtridie caſtris,quarto pòſt die,Roteburgum, quod eſt ad Duberum flumen,Franconiæ uicinum oppidum,perueniunt. Albertus autem Marchio ſuum inſtitutum nihilo ſecius urgebat,& ad pacem adacta Noriberga, nobilitatem etiam & ordines ijs locis imperata facere cogebat.nam etſi communem cauſam agebat initiò, ſicut edito ſcripto facturum ſe profeſſus fuerat,tamen non erat eius fœderis,& ſoluta Vlmæ obſidione, cœpit quodammodo ſuum priuatum agere negocium, uel quòd uni ſibi uellet acquirere, quicquid belli dediſſet fortuna, uel quòd Mauricij factum improbaret, uel quòd à Galliæ rege ſolicitatus,aliò ſpectaret: ſed tamen quos in ſuam fidem adigeret,ſocijs quoque fidem eandem præſtare iubebat. Deinde in archiepiſcopi Moguntini fines progreſſus ad Mœnum flumen,plurimùm damni dat,incendijs atque rapinis,& ingentem pecuniæ uim ab eo poſtulat: cumq; nonnulli intercederent, neque tamen de ſumma conueniret, Moguntinus, in Rhenum antea demerſis maioribus tormentis, quinta Julij die diſcedens, fuga ſalutem petit. Eodem etiam tempore, Albertus, qui nihil intentatum relinqueret,ab archiepiſcopo Treuirenſi petit, ut præcipuam ipſius ditionis arcem ſibi tradat.ea eſt ad Rheni atque Moſellæ confluentem, loco excelſo,

& natura munito, & cumprimis opportuno. Galliæ autem regis nomine hoc ab se postulari dicebat. Ille, cum suis re deliberata, non se posse morem ei gerere demonstrat. Quia principes intercessores extrema parte sui responsi, quod oratori Gallico dederant, æquum sibi uideri dicebant, ut quid à Cæsare rex postulet, ostenderet: legatus, à rege certior factus, cùm esset ad exercitum prope Eistetum, lunij die uigesimonono rescribit illis, non alia de causa, quàm ut toti reipublicæ, cumprimis autem adflictæ Germaniæ libertati consuleret, bellum hoc suscepisse regem, cùm id ab eo principes aliquot diu multumque flagitassent: priuatum certè compendium suum in eo captasse nullum, & rem ipsam hoc testificari: nihil enim omninò per Germaniam occupasse, cùm id ei non esset difficile: socijs quoque liberam fecisse gerendi belli potestatem: ac licet interea, dum ad Rhenum ipse cum copijs excubaret, domi grassaretur hostis, non tamen se commouisse prius, quàm è Maurício duce cognouisset, pacatis rationibus ea impetrari posse, quorum gratia bellum fuerat susceptum: eo cognito, non mediocriter lætatum fuisse, cùm ex animi uoto rem procedere uideret: nam hoc eius fuisse consilij, primùm, ne principes hanc tam pulchram occasionem negligerent, neue sibi deessent ipsi, uel uerba dari paterentur, ut antea: deinde, quoniam suæ uoluntatis atque fidei tam insigne documentum ipse daret, ut firma constitueretur utriusque gentis amicitia, quò uidelicet ipse pòst alijs reipublicæ commodis expeditè uacare posset: quia uerò dux Mauricius ab eo rogarit, quomodò pacisci uelit, hanc ipsius esse mentem, ut dicat bellum ei nulla iusta de causa Cæsarem fecisse: Galliæ reges autem non consueuisse pacem ab hoste petere, præsertim eò, cui neque uiribus nec alia re sint ulla dispares: ut aliquid proponat, nisi spes prope certa sit impetrandi, causam ei nullam apparere: de ipsis uerò sic existimare, futurum, ut nihil ab se requirant, quod non cum ipsius dignitate coniunctum sit: illum inuicem sic eos amare, tantique facere, ut si communem totius orbis pacem ab eis tractari uideat, multa sit, ipsorum quidem gratia, de suo iure concessurus: quò minus etiam de ipsius postulatis cognoscant atque statuant, modò conditionem eandem Cæsar subeat, non recusare, & ut eius rei causa conuentus aliquis habeatur primo quoque tempore, cumprimis optare: quòd si fiat, intellecturos omneis, quantum & rempublicam amet, & quàm sint à ueritate remota, quæ de Turcica societate disseminantur ab aduersarijs: quòd si uerò nullum ista locum habeant, & in ipsius modò perniciem omnia conferantur consilia, nec illa, quàm à Germanis meritò sperauit, ineatur amicitia, non ipsi tribuendam esse culpam, si qui maiores fortè nascentur motus. Hæc epistola, calendis Iulij fuit in cœtu principum recitata.

Passauium ubi uenit Mauricius ad diem, Cæsaris fuit allatum postridie responsum ad Ferdinandum regem. Is deinde, facto consessu, Cæsarem quidem ait, quid suæ sit sententiæ, scripsisse, uerum in plærisque non assentire: quòd cùm ita sit, nihil opus esse, quid ad singula responderit, nominatim explicare: sed tamen quò uideri possit, quantopere pacem ipse cupiat, & quàm benè consultum esse uelit Germaniæ, profecturum se magna celeritate ad Cæsarem, neque dubitare, quin ei persuadeat: orare autem inprimis, ut eius temporis, quod itineri dandum sit, octo uidelicet dierum moram, leniter ferat Mauricius. Quod cùm ille mox recusaret, Ferdinandus admodum instat & urget: uerùm id frustra fuit, & Mauricius, conuocato principum atque legatorum cœtu, quàm nihil reliqui fecisset ad summum studium atque laborem componendæ pacis, ipsos, qui iam totum mensem rebus omnibus interfuerint, optimè scire dicit: neque dubitare,

tare, quin huius rei præclarum ſibi teſtimonium dare poſsint: itaque petere, ut animo ſint erga ſe beneuolo, & communem Germaniæ cauſam adiuuent: nihil enim amplius ab ſe poſſe concedi, & propter aſsiduitatem actionis prope in ſuſpitionem apud ſocios ueniſſe. Illi, quum liberaliter ad ea reſpondiſſent, ipſius collaudato ſtudio, à Ferdinando rege petunt, uti Cæſaris nomine plane decernat: exiſtimare enim, quicquid ipſe fecerit, futurum ut ille ratum habeat. Ferdinandus adhæc, nullam talem à fratre poteſtatem habere ſe dicebat: alioqui laborem hunc profectionis atque moleſtiam non ſuſcepturum: etenim, extra limites ab illo circumſcriptos, non ſibi licere deflectere. Quemadmodum interceſſores, decimoſexto die Iunij Cæſarem hortati ſint literis ad pacem, ad eas literas, ultima Iunij die Cæſar Villaco reſcribit. inde ab initio magiſtratu ſe perpetuò ſtuduiſſe paci, & ne nunc quidem aliud optare: non eſſe igitur, cur eam ſibi tantopere commendent, ſed ad eos, qui ſint horum motuum authores, hoc genus oratione potius utendum eſſe: quod ut faciant, poſtulare per eam, qua ſibi deuincti ſint & Imperio, fidem: ad ſua priuata quod attinet, ipſorum quidem gratia ſe conceſſurum eſſe multa, modò ſic inſtituatur actio, ut authoritas Imperij ſalua maneat, neque maioris turbæ relinquatur materia: de ſumma uerò pacificationis quæ ſua ſit ſententia, ſcripſiſſe ad Ferdinandum regem fratrem, ex quo ſint audituri ſingula. His literis illi, quinta Iulij die, cum rex Ferdinandus ad Cæſarem reuerteretur, reſcribunt. ipſius hortatu monituq; ſe ueniſſe ad hanc actionem, eoq; magis, quòd reipublicæ cauſa facturum ſe quiduis diceret: maximo autem ſuo labore, ſolicitudine, diligentia uiam eſſe pacis inuentam: itaque rurſus obſecrare, & uehementer quidem, ut communem patriam reſpiciat: multos & præcipuos ordines Imperij, qui ſint eius fidem ſecuti, plurimùm accepiſſe iam calamitatis, eamque nunc eſſe rerum conditionem, adeoque breuem conſulendi occaſionem, ut reliqui principes ac ordines, præſertim, qui ſint incendio uicini, quantumuis etiam uelint ei fidem & amorem omnem præſtare, tamen non poſsint, imò neceſſe habeant ea inire conſilia, quibus imminentem iam calamitatem & exitium primo quoque tempore declinent: quòd ſi repudiata pace, rem armis tentare uelit, fore, ut grauiſsimæ perturbationes ac plenæ periculi mutationes per Germaniam ex eo ſuſcitentur, quæ pòſt ad ipſius etiam prouincias redundent: nihil igitur eſſe potius, quàm ut pacis conditionibus, quas ipſi tanto ſtudio conquiſierunt, acquieſcat. præſertim, cum Lincij præcipuæ fuerint approbatæ, cuius quidem actionis formulam atque ueſtigia ſecuti ſint ipſi: deinde, quoniam ea quæ propriè ad ipſius pertinent dignitatem atque magiſtratum, conſultò reiecta ſint ad Imperij conuentum, ut ibi commodius leniuſq; tractentur. Eodem, quo ſunt hæc acta, die, Mauricius abit, & quum undecimo die Iulij ueniſſet ad ſocios, qui tum Mergethemi caſtra habebant, quid actum ſit, exponit, & Ferdinandum regem iuiſſe celeriter ad Cæſarem, & putare dicit, futurum, ut breui conſiliarios mittat, qui plenum & definitum reſponſum adferant. In hoc autem dubio rerum ſtatu, ne nihil agerent, & quia Cæſaris erat Francofurti præſidium, ſeptemdecim ſigna peditum, equites ad mille, Conrado Hanſtæno ductore, ſic ut Heſsiæ uicinæ non paruum diſcrimen immineret, eò contendendum eſſe placuit. Cùm ergò Pruſsiæ magiſtro Vuolfgango, cuius in finibus tum erant, incendijs atque direptionibus plurimùm damni dediſſent, progreſsi per agrum archiepiſcopi Moguntini, decimoſeptimo Iulij die Francofurtum ueniunt. Principes autem interceſſores atque legati, continuò pòſt ad Mauricium atque ſocios in caſtra mittunt legatos, qui mulceant animos, & pacem urgeant. Ea durante obſidione, Georgius, Megelburgiæ dux, Mauricio coniunctus, ille, qui Magdeburgicis o-

mnium primus bellum fecerat, tormento fuit interfectus. Quo primum tempore cœptum est obsideri Francofurtum, cõfœderati principes magnam uim tormentorum ab electore Palatino petunt: recusat ille semel & iterum: sed cũ aliter non posset, & illi cum exercitu se uenturos nunciarent, ex omni numero dedit octo præcipua, cum omni instrumento. Ferdinandus rex, ad diem, qui fuit Iulij dies decimustertius, Passauium reuersus, quę Cęsaris esset in singulis rebus uoluntas, intercessoribus ostendit. nimirũm, ut de rebus Imperij, quas proposuisse Mauricium suprà diximus, non à delectis aliquot separatim, sed ab uniuersis in conuentu Germaniæ cognoscatur: deinde, ut religionis causa pacata maneat ad proximum usque conuentum Imperij: quo quidem in conuentu, quod agendum in eo deinceps de communi ordinum consilio uidebitur, id ratum sit atque firmum. Intercessoribus quoque Cæsar, ad postremam epistolam, undecima Iulij die respondet. sicut ipsi per literas, ita Ferdinandum regem fratrem, perquàm diligenter secum egisse de suscipiendis conditionibus: & se quidem utrisque libenter uoluisse gratificari, sed multis de causis impediri, quas fratri demonstrarit: nec enim ut indifferenter omnia probet habeatq; rata, sibi esse integrum: quòd autem huius occasione motus, nonnulli, præter omne meritum in calamitatem inciderint, id sibi uehementer, si cuiquam alij, dolere: neque tamen id sui contigisse fiducia, qui talem spem nemini fecerit, in qua prorsus esset acquiescendum: nam etsi præcipuos aliquot principes, ut nascenti malo mederentur, initio motus interpellarit, omne suum studium pollicitus, non tamen hanc ideò suam fuisse mentem, ut quicquid proponeretur, id approbaret: etenim, quæ totum ad Imperium pertinent, ut ad publicos ea conuentus referantur, æquum sibi uideri: quo quidem tempore si quis ullam adferet iustam de se querimoniam, minimè se defuturum officio, quod adhuc quidem non prætermiserit: cùm enim hactenus nullum sit eius generis delatum ad se postulatum, quod tamen priusquàm ad arma [illegible]retur, fieri conueniebat, non se potuisse, quid ab se peteretur, diuinare, multò minus docere suos, Passauium missos legatos, quid ad singula respondendum esset. quod quidem, pro sui muneris atque personæ dignitate, coram ipse facere cogitet: quòd ergò non omnia probet, quæ nonnulli fortè conantur ipsis persuadere, non esse, cur hoc in se quisquam reprehendat: sed ipsos, qui sint intercessores, ad æquas atque moderatas rationes debere potius inflectere illos atque cohortari, præsertim, cum uix tandem, & non nisi necessitate coactum arma se comparasse uideant, quæ ne nunc quidem exercere cogitet, si modò liceat, & si per ipsos æquabilis ac idonea uia pacis expediatur: quod cum ita sit, confidere, futurum, ut sibi, summo magistratui, fidem omnem præstent potius, quàm ut ijs, qui cum suis hostibus, præter officium, fœdus fecerunt, & turbas excitarunt, auscultent: intelligere se, nec ignorare, quid malorum impendeat, armis utrinque productis in aciem, & reipublicæ detrimentis commoueri plurimum, inprimis autem innoxiæ multitudinis, ideoqûe cogitare pacem, ut antea semper, nec ullam æquam recusare conditionem: sibi uerò minimè tribuendum esse, quòd interea, dum de conditionibus, bis ad se delatis diuerso tempore, deliberauit, ordines nonnulli damnis affecti sint: nam intercesionis toto tempore fuisse inducias: quòd autem per hoc ipsum tempus Albertus Marchio quosdam adflixit, non se posse præstare: nam illum ab actione pacis inde à principio fuisse alienum: in respondendo quoque nullam suam interuenisse moram: & si permansum fuisset in ea ratione, quæ ab ipsis initiò proposita, pòst autem immutata fuit, multò responderi citius atque planiùs, imò, si ab actione Lincina, cuius & ipsi mentionem faciant, discessum non fuisset, iampridem omnia

potuisse

potuiſſe conciliari: cùm ergò ſuam erga rempublicam uoluntatẽ uideant, petere maiorem in modum, ut unà cum Ferdinando rege fratre, cui ſe totum explicarit, ad æquas conditiones illos adducant, & Imperij tum ſalutis tum dignitatis in eo rationem habeant: ſe nimirùm, quam adhuc quidem adhibuit, eadem uſurum eſſe deinceps lenitate ſtudioq; pacis, quòd à bello ciuili uehementer abhorreat: ſi uerò pax iſtis conditionibus conſtitui nõ poſsit, omnem ab ipſis, qui ſibi deuincti ſint, fidem expectare. Per Ferdinandum quoq; tunc reſpondet ad oratoris Gallici literas, nuper in conſeſſu recitatas, ut ſuprà diximus. cum Galliæ rege ſibi fuiſſe pacem, quam diligenter ſeruarit: ac licet inſolenter atq; ſuperbè quædam ab illo fierent, publici tamen ocij cauſa diſsimulaſſe: illum uerò, quãquam per oratorem ampla polliceretur, nec aliquid eiuſmodi præ ſe ferret, bellum ſibi terra mariq; feciſſe prius, quàm aliquid denunciaſſet: porrò, iam antea ſe conditionem hanc detuliſſe, quòd ſi Mauricius elector, illius nomine pacis adferret rationes non iniquas, & rebus anteactis accommodatas, futurum, ut eas ipſe minimè recuſet, uerùm certi uel definiti nihil quicquam eſſe propoſitum, & huc illum ſpectare, ut cum uiolatæ pacis culpam in ſe tranſtulit, cõcordiæ quoq; uiam ab ſe dicat aperiendam: deinde hoc agere, ut illud de ſocietate Turcica purget, tanquam ipſi fiat iniuria: ſed totum hoc eſſe fictum: nam ſi res ita poſtulet, in medium adduci poſſe ac demonſtrati commentarios oratoris Gallici Aremontij, memoriæ cauſa Conſtantinopoli ſcriptos, & per centurionem quendam Coſtum, ad regem miſſos, adduci quoq; poſſe ac exhiberi Turcici per Vngariam præfecti literas ad confœderatos hoc tempore principes alioſq; datas, uerùm interceptas: ex ijs autem liquidò uideri, ſuperioris anni cladis, quam Turcica claſsis dedit, ipſum, authorem, & ut idem hoc anno fieret, impulſorem fuiſſe, quodq; non plus damni datum ſit, uehementer ei dolere, breuiter, hoc illius eſſe cõſilium atq; Turcarum Imperatoris, ut ſe, fratremq; Ferdinandum funditus euertant, eorũ totam deinde rempublicam, inprimis uerò Germaniam, in ſummum redigant diſcrimen & anguſtias: quàm pulchrè autem iſta cum illius conueniant promiſsis, & q; ſit ei curæ, Germaniæ ſalus, facilè quemuis intelligere: nam rem ipſam, quo ſit animo, teſtificari: quòd enim præcipui ordines Imperij, præter omne meritum, hoc anno uexati ſint & adflicti, penitusq; deuaſtati, quòd alij multi ſummis obiecti periculis, quòd ope Germanorum, qui ſe coniunxerunt ei, quædã Imperij loca redacta ſint in illius poteſtatem, & nunc etiam ab eo muniantur, in ipſum unum eſſe conferendam omnem culpam: cùm ſic ergò res habeat, non apparere ſibi, quid ipſius oratoris epiſtolæ, fictæ prorſus atq; ſimulatæ tribui poſsit: & ſuo quidem iudicio præſtitiſſe multò, reijcere illam, quàm id genus reſponſum admittere: quòd ſi rem omnem diligenter etiam conſiderent, non dubitare quin uideant, quid ille per ſuum oratorem ſtruat ac moliatur: et quoniam ad præſentem actionem ſcriptum illud minimè faciat, nõ ſibi neceſſe uideri, quicquam amplius ad illud reſpondere. Idibus Iulij, Ferdinandus rex, Henricum, ex illuſtri Plauiorum familia, Miſniæ, ſicut uocant, Burgrauium, Bohemiæq; cancellarium, in caſtra mittit. qui cùm ad Mauricium, Iulij die uigeſimoquarto ueniſſet, rebus aliquandiu diſceptatis, pacem ei demum perſuadet. itaq; pridie Auguſti, præter multorum expectationem, de ſumma rei tranſactum eſt. In reliquis, ad perſuadendum comparatis argumentis, hoc etiam erat. cogitet ſecũm, niſi conditiones admittat, quantum ei periculum incumbat & à Cæſare, qui firmiſsimum iam habeat exercitum, & ab eius patruele Ioanne Friderico, quem, libertati reſtitutum, Cæſar propediem ſit remiſſurus domum: cogitet quoq; Lantgrauij filius, in quantum diſcrimen ſit & patentem captiuum & omnem prouinciam adducturus. Electoris Palatini tor-

menta,quæ ſubminiſtrare coactus fuit,facta pace,recepta fuerunt in oppidũ, ne in Alberti manus peruenirent.Iulio menſe,Galliæ rex,captis aliquot Lucemburgicæ ditionis oppidis,exercitum in Atrebates adduxit,ſed nulla re memorabili perfecta,quò militem ex labore & contagione reficeret, copias dimiſit, ac domum ipſe reuertit,iis locis,quæ cœpiſſet,præſidio munitis & opere.quibus demum rebus omnibus Guiſium præfecit,magnæ per Galliam authoritatis principem. Lotharingiæ uerò dominam uiduam, Cæſaris ẽ ſorore neptem,iuſsit excedere finibus.hæc duodecimo Iulij die uenit Argentoratum, & pluſculis diebus ibi commorata fuit unà cum ſorore mariti,quæ & ipſa fuit à Galliæ rege iuſſa migrare.Venit etiam Argentoratum,finibus eiectus,equitum ordinis Germanici magiſter,Vuolfgangus,qui proximum in Imperij cõ ſeſſu locum ab archiepiſcopis obtinet. Albertus Marchio,qui Francofurtum ſocijs aduentantibus,in uia ſeſe coniunxerat,relictis illis ad obſidionem,Rhenum petit,& Vnormaciam atq; Spiram in ſuam redigit poteſtatem, imperata pecunia ſimul & tormentis.Quocunq; ueniret,ſacrifici uel iam antè profugerant,uel mutata ueſte,profeſsionem & ordinem ſuum diſsimulabant.Et cum per Franconiam aduentaret exercitus,epiſcopi uicini ac reliqui eius ordinis præfecti fuga ſibi ſalutem petebant: & Moguntinus quidem, qui metu Marchionis Alberti iam antea diſceſſerat,Iulij die uigeſimoquinto uenit Argentoratum profugus,& noctem unam ibi commoratus,abit trans Rhenum. Spirenſes admodum ſenex Tabernas confugit, non multò pòſt ibi mortuus. Vuormacienſis,interuentu Palatini,domum redijt,depenſis aureorum millibus duodecim.Occupatis iis,quas dixi,ciuitatibus,Albertus, Iulij die uigeſimooctauo,datis ad ſenatum Argentinenſem literis,urbem ſibi ſocijsq; patere quouis tempore,præſidiumq; recipi,cum opus erit,& fidem præſtari petit, tam ſuo quam Galliæ regis nomine:nam totius Germaniæ uindicandæ cauſa bellum hoc adminiſtrari:nec ipſis,ut huic inſtituto deſint,uel honeſtum,uel utile futurum eſſe:nam ut id perficiant,ideò ſe ſociosq; denuò iam copias omneis coniunxiſſe. Senatus ad ea biduo pòſt reſcribit.multis nunc annis nihil ſe magis optaſſe,quàm ut uera Chriſti religio ſimul & priſca libertas per omnem Germaniam florerent,eoq; non ſolùm inſtituiſſe ſuas actiones atque conſilia,uerùm etiam opes atq; facultates contuliſſe ſemper, & eius nunc etiam eſſe propoſiti,nec unquam defuturos communis patriæ tum ſaluti tum dignitati,quantum quidem ſingulis temporibus ipſi præſtare poſsint:agnoſcere etiam,hoc ſui eſſe officij,propter illud,quo ſint Imperio deuincti, iuſiurandum atq; fidem:quod cum ita ſit,non opus eſſe ampliori declaratione ſuæ uoluntatis:Galliæ quoq; regem,quo tempore nuper in Alſatia fuit,nihil eiuſmodi poſtulaſſe:deinde,ſcriptum illud,cuius mentionem faciat, à confœderatis editum de cauſa belli, non ſibi miſſum aut exhibitum eſſe: quapropter orare, ut ſatisfactionem accipiat,neq; ſibi ſuisq; finibus uim ullam faciat.In hoc autem ipſo temporis puncto certior factus Albertus, ad pacem ſpectare Mauricium,relicto Spiræ præſidio,Francofurtum redit cum copijs, & obſidionem, à qua Mauricius,facta iam pace diſceſſerat, urget, poſitis caſtris ad diuerſam oppidi partem,cis Mœnum flumen,loco paululum editiori, unde tormentis commodiſsimè res agi poterat.Pacificationem autem hanc indigniſsimè tulit,deq; Mauricio loquebatur admodum odioſè,neque uoluit comprehendi. pacis hæ ſunt conditiones.confœderati principes ante duodecimum Auguſti diem diſcedent ab armis,& copias ita dimittent, ut Ferdinando regi militent,ſi uelit,neque uel Cæſari uel Germaniæ noceant: ad eum quoque diem, Lantgrauius,liber factus,in ſua,quam habet ad Rhenum arce,Rinfelſio,ſiſtetur,interpoſita prius cautione,de ſeruandis conditionibus, Halæ Saxonum

à Cæſare

à Cæſare latis: qui tum etiam eius nomine fideiuſſerunt, Mauricius, Brandeburgicus elector, Vuolfgangus Bipontinus, renouata ſponſione, ſeſe rurſus obligant: quæ Lantgrauio eſt cum Naſſouio Comite, de ditione Chattorum, controuerſia, recognoſcetur per principes electores, & ab ijs etiam, quos eam ad rem deſignabunt tum reus tum actor: ex ijs deinde Cæſar deliget ſex, qui ſummam rei tractent, ſic tamen, ut biennio cauſa definiatur: intra ſextum menſem Cæſar aget Imperij conuentus, ac tum, qua potiſsimum ratione diſſidium religionis componi debeat, deliberabitur: pacem interea colent omnes, & propter religionem nulla cuiquam exhibebitur moleſtia: quod autem de pacandæ religionis modo, communi ordinum conſilio, & interueniente Cæſaris authoritate, decretum fuerit, nimirùm, ut placidis & pijs & æquis rationibus componatur diſſidium, id erit firmum atque ratum: ad Imperialis iudicij conſeſſum ſiue Cameram admittentur etiam ij qui ſunt Auguſtanæ confeſsionis: reliqua omnia, quæ propriè pertinent ad Germaniæ decus atque libertatem, in Imperij conuentu tractari debent: Ottoni Henrico Palatino, ſuæ regionis dominium atque poſſeſsio libera permittitur: hoc durante bello, qui fide principibus confœderatis data, ſeſe deuinxerunt illis, omni ſoluti uinculo, ſui iuris erunt, ut antea: quibus datum eſt damnum hoc in tumultu bellico, nullam eo nomine litem mouebunt ijs qui dederunt: Cæſaris tamen & ordinum erit, in proximis comitijs rationem aliquam inire, quomodo ſarciatur ijs quod acceperunt detrimentum: ad Galliæ regem quod attinet, quoniam Imperij res ad ipſum nihil pertinent, licebit, ut quas cum Cæſare priuatim habet actiones, eas exponat Mauricio, ut pòſt ad Cæſarem omnia referantur: proſcripti recipiuntur in gratiam, modò nihil poſthac in Cæſarem ac reliquos ordines faciant, modò etiam ij, qui Galliæ regi militant, intra tempus trimeſtre redeant in Germaniam, illo deſerto: Brandeburgicus Albertus comprehenditur in hac pace, modò diſcedat ab armis, & ante duodecimum Auguſti diem copias dimittat: hanc pacem qui uiolauerit, hoſtis iudicabitur. His omnibus, qui præſentes erant principes, primi ordinis, cæterorum uerò legati ſubſcripſerunt. Paſſauij enim fuit hæc conſcripta formula, quam & Cæſar obſignauit. Pace facta, Galliæ regis legatus, Fraxineus, domum redit. moleſtè quidem rex tranſactionem tulit: ſed quum Lantgrauio magnum eſſe periculum audiret, niſi pactio fieret, aſſenſit, & obſides in Germaniam ſaluos remiſit. Auguſti die tertio, Mauricius & Lantgrauij filius, Francofurto profecti, diuerſas in partes abeunt: & hic quidem in Heſſiam, ille uerò ſuas copias Donauerdam traducit, & ſecundo Danubio mittit in Vngariam, aduerſus irruentem Turcam. Illa uerò legio, cui Rifebergus præerat, traiecto Mœno flumine, tranſit ad Albertum Brandeburgicum, non ſine magna principum ſolicitudine, quòd metuerent, ne Cæſar cauſam hanc arriperet non dimittendi Lantgrauij. Commoratus ante Francofurtum Albertus, cùm pacem factam reijceret, Auguſti die nona diſcedit, & Rheno tranſmiſſo, prope Moguntiam caſtra ponit, ciuibus in ſuam fidem adactis. Ad exitum Iulij Villaco Cæſar uenit Oenipontem, & octauo pòſt die digreſſus, per Bauariam facto itinere, cum Hermanis, Bohemis, Italis, Hiſpanis, qui ſub initium Iulij Genuam appulerant, Albano ductore, uigeſimo menſis Auguſti die uenit Auguſtam. Moguntinus archiepiſcopus, cùm per Sueuiam diebus aliquot profugus oberraſſet, ubi primùm de Cæſaris aduentu cognouit, profectionem eò ſuſcipit. In hoc tempore, Senenſes, Galliæ regis impulſu & auxilio, præſidium Hiſpanorum eijciunt, & arcem ibi cœptam ædificari mandatu Cæſaris,

diruunt,& in libertatem sese uindicant. Albertus interea maximam pecuniæ uim ecclesiasticis imperat, Moguntinis præsertim atq; Spirensibus: cùm ea dari non posset, plærisq; fuga dilapsis, utriusq; urbis templa dispoliat, tectũ quoque plumbeum templi primarij Spirensis demoliri cœpit, deprecante uerò senatu, destitit: Moguntiæ autem, & arcem episcopi, Rheno propinquam, hostium suum, & quinque templa, deinde naues omneis, etiam eas, quæ uino essent onustæ atq; frumento, incendit: facit idem Spiræ, quò Cæsari difficiliorem relinqueret transitum, suisq; reuocatis, quos ibi præsidio habebat, in finibus Treuirorum proficiscitur. Idibus Augusti, Colonensis archiepiscopus Hermannus, iam ætate grauis, in patria uitam clausit, & qualem expetiuit, finem habuit. Genus ducebat ex illustri Comitum Vuedensium familia. Lantgrauius è custodia dimissus, uti conuenerat, & domum proficiscens, ubi Tradiectum uenit, Mosæ uicinum oppidum, Mariæ reginę mandatu, quæ tum aderat, denuò sistitur, & Hispanis datur in custodiam, ijs, qui totum iam quinquennium ipsius fuerant custodes. Eius autem rei causa fuit, quod Risebergus, qui Lantgrauij filio militauerat, cum suis copijs omnibus ad Albertum transisset, ut antè diximus. qua quidem re pacem esse uiolatã regina dicebat, ideoq; non sibi licere ipsum dimittere: donec, quæ Cæsaris in eo sit uoluntas, cognoscat. Mauricius, ad Danubium, sicut dixi, progressus, Augusti die uigesimo secundo copias præmittit, pedites quidem, secundo flumine, equites autem per continentem. ipse rei priuatæ causa domum recurrit, pòst ad eos rediturus. Cùm ad Treuiros Albertus aduentaret, Georgius Holius, è Cæsarianis ducibus unus, militum signa decem adduxerat, urbis defendendæ causa: uerùm ab oppidanis excluſus, qui præsidium recusarent, Luceburgum copias reducit. Albertus autem Augusti die uigesimoseptimo deditionem sibi fieri postulat: altero die receptus, militem per urbem & loca uicina distribuit. Episcopus interim erat in arce, quam diximus esse ad Rheni & Mosellæ confluentem: reliquorum etiam procerum eius ordinis nemo aderat. Cæsar dies aliquot Augustæ commoratus, eum, quem principes confœderati nuper constituerant, senatum, & unà tribus omneis abrogat, & priorem reipublicæ formã, & senatum ab se constitutum restituit, & è ministris ecclesiæ treis remouet, aliijs autem, ut iuxta confessionis Augustanæ formulam doceant & agant, permittit, fuit hoc Augusti mensis die uigesimoquinto. Calendis deinde Septembris illinc digressus, & sex peditum signis præsidio relictis, biduo pòst uenit Vlmam: exercitus autem aliò deflexit, donec ad Vuirtembergensium fines peruenit. quod Vlmensium causa fiebat, ne ipsorum ager, qui summam fidem Cæsari præstitissent, nouum acciperet detrimentum. Quo die Cæsar Augusta discessit, humanissimis uerbis, & prolixè de sua beneuolentia pollicitus, Ioannem Fridericum Saxoniæ ducem ab se dimittit, qui & postridie domum uersus proficiscitur. Lantgrauius etiam, quarta Septembris die dimissus, domum sexto pòst die reuertit. Interea dum Albertus erat Treueri, clausa fuerũt omnia templa. commoratus ibi per dies octo, & monachorum collegijs aliquot incensis, & arce quadam episcopi non procul ab urbe, præsidium ibi relinquit, signa duodecim. Postea Sircum profectus, quod est inter Metim atq; Treuerim, pari interuallo, Lotharingicæ ditionis oppidum, decimotertio die Septembris, Mosellam ibi trajicit, & Luceburgicum agrum, deinde rursus Lotharingiam ingreditur, & passim multum damni dat, expectans, cuiusmodi conditionem Galliæ rex deferat. Cæsar autem, cùm aduentaret, solicitatus ab episcopis, pactiones illas rescindit, ijsq; mandat, ne ratas habeant, utq; sua recuperent. Idem quoq; Noribergicis permittit, & pòst illos hortatur, ut regionis tuendæ causa, fœdus faciant. Idem scribit ad Sueuos, ad Rhenanos & alios,

alios, tam principes quam ciuitates . Itaque fœdere ſeſe deinde muniunt hi quos diximus epiſcopi ſimul & Noribergenſes: & quum Albertus, aduentante Cæſare, Lotharingiam peteret, Bambergenſis, ad exitum Auguſti menſis, & per Septembrem, Forchemum oppidum & alia plæraque recuperat. Cæſar, Vuirtembergenſis agri fines egreſſus, tenebat iter Spirenſe: uerùm ubi Brettam uenit, quod eſt oppidum Palatini principis, mutato conſilio, deflectens ad læuam, Argentoratum petebat. Eius aduentu, ſex ab urbe milliaribus, uenerunt ad eum legati, Iacobus Sturmius, Fridericus Goteſſemus, Ludouicus Grempius, deprecatum, ut ipſorum finibus parceret, alioque traduceret partem exercitus, neúe cum maioribus ipſe copijs in urbem ingredi uellet, nec in republica quicquam mutaret. Ille, cùm perhumaniter excepiſſet, ſcire ſe dicit & intelligere, quàm præclarè fortiterq; ſeſe geſſerit nuper ea ciuitas, quantumq; ſibi beneficium & Imperio toti dederit: eius rei perpetuam apud ſe fore memoriam, & ipſa re declaraturum per occaſionem, quantum eis hoc nomine debeat. poſtea repentinum ſuum aduentum diligenter excuſat, propter incenſas ab Alberto naues, propter allatum nuncium de Gallorum in Alſatiam incurſu, tum etiam propter anni tempus, quod celeritatem poſtulet, ut quàmprimum ad hoſtem peruenire poſsit: exercitum ergò ſe traductu-rum præter urbem, quam ſit ipſe cum ſuis tantùm domeſticis ingreſſurus, & ſumpto prandio ne pernoctaturus quidem ibi. Cùm igitur decimoquinto Septembris die, quendam in uicum, milliare unum ab urbe ueniſſet, copijs omnibus per agros huc illuc circumfuſis, in diem quintum ibi permanſit: tunc demum, impedimentis iam omnibus Rheno tranſmiſsis, in quo permagna fuerat difficultas, & prima luce iuſſo progredi exercitu, ipſe, non magno cum comitatu, ſub meridiem uenit in urbem, nunquam antè uiſam, amanter & honorificè exceptus à ſenatu. Fortè prætereundum erat templum primarium: eò cùm uenit, deſcendit, & à ſacrificis introductus, paululumq; moratus, rectà contendit ad prandium. Senatus deinde munus ad eum defert, pro more ciuitatis, orans ut boni conſulat. Ille, & pergratum ſibi eſſe reſpondet, & quod anteactis diebus, de ſua erga ipſos uoluntate dixerat, ob fortiter adminiſtratam, dubio & planè formidoloſo tempore, rempublicam, repetit, &, quòd oppidanis damnum eſſet datum extra urbem, à milite, per ipſorum hortos atque prædia, dolere ſibi dicit: quia uerò non omnibus incommodis occurri poſsit in tanta multitudine, rogat ut patienter ferant, præſertim, quum hoc ipſum bellum Imperij cauſa geratur. Deinde, ſub ueſperum, Haganoicam uiam ingreſſus, in proximum uicum diuertit, ac ibi pernoctauit. Ad Argentinam cum eſſet, Metim iturus, exterorum principum oratores, qui ſequebantur eius aulam, iubet diuertere Spiram, & ibi commorari. Britanniæ regis Eduardi ſexti legatus tunc erat Richardus Moroſinus, cuius eſt inter homines doctos nomen illuſtre: Venetæ autem reipublicæ Marcus Antonius Amulius, uir & eleganter ipſe literis excultus, & ingeniorum fautor eximius. Paucis ijs diebus quibus ad urbem Cæſar ſubſtitit, nemo credat, quantum damni dederint milites in agris, & admodum erat triſte ſpectaculum, uidere miſeros agricolas, eorumq; liberos atque coniuges in urbem accurrentes, rebus omnibus diſpoliatos. Delata quidem res fuit ad ducem Albanum, à ſenatu: & quanquam is dolere ſibi magnopere diceret, & curaturum, ne quid eiuſmodi fieret in poſterum, tamen nihil profici potuit, & quacunque irent, more ſuo diripiebant omnia. Summæ totius belli præfectus erat Albanus, Galli interim, ductore Guiſio, Metim & Nanceium inprimis muniunt, frumentum etiam omne atque pabulum ex agris eò conuehunt . Militabant Cæſari Ioannes Marchio Brandeburgicus, Alfonſus Holſatiæ dux, Daniæ regis

gis frater, Philibertus Sabaudiæ ducis filius. Lotharingiæ domina uidua, finibus expulsa, Cæsarem auunculum ad Argentoratum conuenit, in Belgium deinde profecta. Cæsar Haganoa Landauium petit, & ibi supra dies sexdecim commoratus, pulcherrimo cœlo, non sine multorum admiratione, tandem iter ingreditur Metense, & aduigesimum secundum diem Octobris urbem obsidet. plærique ciues ac senatores, permissu Gallorum, discedunt, alij in Lotharingiam, alij uerò Argentoratum. Erat tum in Lotharingiæ finibus, ad oppidum Pontamossum, Albertus Brandeburgicus, cum quinquaginta signis peditum, & equitatu non paruo: cumq; de stipendijs tam præteriti quam futuri temporis inter ipsum Galliæq; regem non conueniret, interuentu quorundam reconciliatur Cæsari, qui & culpam omnem ei cõdonat, & actionem in eum instituti belli causa, uetat, & transactionem cum episcopo Bambergensi factam atque Vuirciburgensi, confirmat, & militiam Vngaricam ei remittit, in eiusq; gratiam ignoscit Oetingensi Comiti, patri atque filio, item Alberto Mansfeldio filijsq;. Eo cognito, Guilij principis frater Aumalius, qui magno cum equitatu missus erat in Lotharingiam, à rege, ne quid Albertus, de quo dubitabant, damni daret, statuit eum adoriri. Iam enim occultis consilijs Galli detraxerant ei legionem unam peditum, cui præerat Rifebergus: nam is ad regem transijt: deinde, reliquum etiam exercitum solicitabant, & ipsorum consilij erat, ut denudatum ac destitutum à suis, ob difficultatem rei nummariæ, cum ignominia profligarent. Habebat Aumalius in consilio Ioannem Fraxineum, episcopum Baionensem: cùm & huius accederet cohortatio, totis uiribus in illum inuehitur. pedites pugnam detrectabant ob non soluta stipendia: salus ergò tota pendebat ab equitatu, quos amicè compellans Albertus, & ad uirtutem cohortatus, impetum in eos facit. probabat hominis consilium fortuna: perrumpens enim per mediam aciem, dissipat illos & in fugam dat præcipites, tametsi numero longè superarent, plurimos & quidem ex nobilitate, interfectis: Fraxineus fuga dilapsus fuit: Aumalius, tribus acceptis uulneribus, capitur. fuit hoc die quarta Nouembris. Ea parta uictoria, uenit ante Metim Albertus cum Aumalio captiuo, castraq; ponit ad Mosellam flumen, ac deinde curatum ex uulnere captiuum, in Germaniam mittit custodiendum. Erat ei legatus, ut protestantium quoque bello, Georgius, ex illustri Lichtebergensium familia. Bambergico pòst nunciat de confirmatis à Cæsare pactis, & monet, ut fidem seruet, & oppida sibi restituat: suis etiam præfectis, nisi morem ille gerat, ut armis recuperent, mandat. Hoc ipso tempore Cæsaris exercitus Belgicus populatur Galliam, & arcem ijs locis munitissimam, Hesdinum, capit, quam aliquod pòst tempus Galliæ rex deinde recuperat, & missis in Germaniam literis acerbè Cæsarem perstringit, & ut secum amicitiam colant, accepti beneficij memores, ac restitutæ sua nimirum opera libertatis, hortatur. Cæsar, qui Dedehouij commoratus adhuc erat, quod est ad Mosellam, oppidum, quatuor infra Metim milliaribus, uigesimo Nouembris die uenit in castra. Tunc inprimis ualidè fuit urbs concussa tormentis, quorum tanta uis erat, ut non Argentorati solum, sed trans Rhenum etiam ad milliaria quatuor exaudiretur fragor atque tonitrũ. abest autem Argentoratum à Meti, milliaribus magnis duodeuiginti. Mauricius, quem in Vngariam iuisse cum exercitu diximus, pro Ferdinando rege, sub hoc tempus domum reuertit. Faciebat tunc bellum Henrico Brunsuicensi, Volratus Mansfeldius, Alberti filius, eumq; totis propè finibus eiecit. Henricus ergò Metim in castra uenit ad Cæsarem, deq; sua fortuna conquestus, opem implorat, sed id fuit alieno tempore. Mansfeldius, Marchionis Alberti militabat auspicijs, cùm is Gallicarum

adhuc

adhuc eſſet partium. Dum Metim Cæſar obſidet, Vuolfgangus, equitum ordinis Germanici magiſter, Eluangum oppidum capit. Eſt ibi præfectura ualde locuples, eccleſiaſtica, quam ille multis iam menſibus ambiebat. qui ſunt eius collegij poteſtatem habent eligendi præfecti: uulgò præpoſitum uocant. cùm ergò quendam elegiſſent, genere nobilem, ille, qui ſe præteritum eſſe doleret, ex improuiſo locum occupat. Eo cognito, princeps Vuirtembergicus, quem eius collegij ſodales, ut ſui iuris defenſorem implorabant, ilicò ſuos conſcribit, & brumæ tempore profectus, facili momento recuperat, & illi præterea unum & alterum oppidum eripit, donec ſumptus in militem factus reſarciatur. Galli, circumfeſsi, crebras faciunt eruptiones, præſertim in Alberti caſtra, & inter alios grauiter uulneratus fuit Lichtebergus. Erat autem hyems aſperrima & niuoſa: & quanquàm ingentem habebat exercitum Cæſar, ab oppugnatione tamen abſtinuit, & cuniculis demùm rem tentabat: ſed id fruſtrà fuit, cùm & anni tempus impediret, & hoſtis per indicium id accepiſſet. Defendebant urbem lectiſsimi duces, illuſtribus nati familijs: rei uerò ſummæ præerat Guiſius. Quum Alberti Marchionis præfecti, copias conducerent illius mandatu, Bambergicus apud Cameram ea de re quæſtus, Decembris die uigeſimonono literas obtinet, quibus mandatur Albertinis, ut ab armis abſtineant. Vlmenſes, arcem Helfenſtænum, quam recuperauerant, deiecto præſidio, quod Albertus ibi reliquerat, demoliuntur totam. Hyemis intemperie Cæſar coactus, ſub exitum Decembris obſidionem ſoluere, & Dedehouium profectus, ac inde reuerſus in Belgium, legiones aliquot in Treuiris hyemare iubet. in his etiam fuit Albertus. Ex contagione autem atque frigore deſiderata fuit magna pars exercitus. Galli, uigeſimoſecundo Ianuarij die ſupplicationes Meti faciunt ad templa diuorum, ob rem bene geſtam: Guiſius deinde, relicto ibi legato, redit in Galliam. Hoc ipſo menſe, Bambergico multa rurſus eripiunt Albertini præfecti: & quum obſidione ſoluta Metenſi, Albertus aliquandiu in Treueris hyemaſſet, ac perſolutis à Cæſare ſtipendijs, Februario menſe Germaniam peteret, Bambergenſis epiſcopus, Februarij die decimoſeptimo nouas iterum literas obtinet à Camera, quatum unis idem denuò mandatur, quod prius: alteris autem iniungitur nobilitati per Franconiam, & Noribergicis, item Palatino principi, Ioanni Friderico Saxoni, tanquàm finitimis, ut opem ei ferant. Ad exitum Februarij menſis, Galliæ rex, cui iam creuerat animus ob defenſam Metim, ſcriptum euulgat, typis excuſum, ad Imperij ordines omneis, aculeatum inprimis, & infeſtum Cæſari. Nam & in odium conatur illum & contemptum etiam adducere. non eſſe uidelicet metuendum amplius, cuius iam ſit fracta potentia, & detectæ multorum annorum technæ, qui ualetudine ſit tam afflicta tamquè perdita, uix ut animam trahat: ſe quidem eodem ſemper in ipſos animo futurum, hoc eſt, amico & liberali: & licet nonnulli magnis ab ſe beneficijs affecti, non admodum grati fuerint, non tamen idcircò diſceſſurum à reliquorum amicitia. Vbi de Cameræ mandatis Albertus accepit, crebras dat literas ad Atrebatenſem, ad Albanum, ad Cæſarem ipſum, & quid epiſcopi moliantur, quomodò pacta uiolent, oſtendit, & quia tranſactionem cum illis factam ſibi confirmarit, pœnam eis denunciari petit, niſi pareant. deinde Spiram miſſo ad Cameram internuncio, non modò pacta, ſed Cæſaris quoque mandatum ab epiſcopis uiolati docet: itaque petit, ne litem ullam ſibi moueant, & literas ab aduerſarijs impetratas, aboleant. Adhæc illi, ſui eſſe muneris, ut ius cuique dicant: id etiam epiſcopis non ſe potuiſſe denegare petentibus. Ipſe contrà, poſt multam refutationem, idem quod antea, petit. nam alioqui, ſi damnum

M. D. LIII.

num ſibi detur, fore, ut cũr ab ipſis illud ſibi præſtari poſtulet atque ſarcirĩ, cauſam habeat. Ad Alberti literas, Martij die decimotertio Cæſar reſcribit. pactionem illam ab ſe confirmatam eſſe, neque negare: ſtipendia quoque ſe liberaliter ipſi perſoluiſſe, magno ſanè cum ſuo diſpendio, quum reliquis nihil daretur: pergratum uerò ſibi fuiſſe futurum, ſi quidem epiſcopi nihil amplius mouiſſent, eoqúe nomine ſe miſiſſe legatum ad ipſos qui perſuaderet: cum autem illi recuſarint, & ad ſe, principes item electores atque Cameram prouocarint, uidere ipſum, quàm non poſsit hoc eis denegari, præſertim, cum ordines nonnulli ſuſpitionem de ſe conceperint, & uarios iactent rumores: etenim, ſi nunc ipſius precibus acquieſcat, & illos pacta ſeruare iubeat, fore, ut & iniquè facere dicatur, & ſuſpitiones illas augeat: ſui nimirùm eſſe muneris, ut ius æquabiliter omnibus adminiſtret, & uim fieri prohibeat: unicam igitur hanc eſſe rationem, ut amicè res componatur, neque ſe dubitare, quin ipſemet, ſi rem totam prudenter ſecum expendat, hanc uitam ſit ingreſſurus: ut autem facilius, & maiori cum fructu res peragatur, daturum ſe negocium ipſius cognatis, Bauariæ principi & Vuirtembergico, ut intercedant: epiſcopos quidem, datis ad ſe crebris literis, grauiter eſſe conqueſtos, ueruntamen confidere ſe non eſſe repudiaturos actionem: eius, quod eſt inter Henricum Brunſuicenſem eiuſqúe nobilitatem, diſsidij componendi negocium Ioanni Marchioni Brandeburgico ſe demandaſſe: Bauarum etiam & Vuirtembergicum ducem conſtituiſſe, ut inter Oetingenſes Comites, patrem atque filios, tranſigant. Hoc ferè tempore & dilapſus fuit exercitus Mansfeldicus: & Ioannis Friderici atque Mauricij principes legati conueniunt, ut ipſos concilient. nam ille ſuis in literis atque moneta, quam cuderet, electoris nomen & gladios binos tranſuerſos, quod eſt electoratus inſigne, ſibi uſurpabat, & Gotham arcem, permittente Cæſare, rurſus muniebat. Id autem grauiter tulit Mauricius, & ad ſuos ordines de eo querimoniam habuit: horum erat omnium ſententia, rationes ineundas eſſe pacis: itaque miſsi fuerunt legati, ſicut diximus, uerùm fruſtrà. Per hos etiam dies, epiſcopus Metenſis Robertus, cardinalis Lenoncurtus, Galliæ regi deditiſsimus, Metim uenit, & iuriſdictionem omnem ſibi uendicat, & ad ſe pertinere dicit, qui ſit Imperij princeps, & nouum inſtituit ſenatum, in eumqúe nonnullos adoptat ordinis eccleſiaſtici, & Marſæum oppidulum, ad Germaniæ fines poſitum, opere & Gallorum præſidijs munit. Huius iam antea fuerant interceptæ literæ, quibus à rege petebat, ut ſibi iuriſdictionem permitteret, quam ſui maiores habuiſſent epiſcopi: nam ſui eſſe propoſiti, nouum conſtituere ſenatum, nec ullum recipere, qui non ſit ipſi totus addictus: alioqui futurum, ut qui ſunt partium Cæſaris, ibi remaneant, alij uerò, diſcedant, quod quidem ipſius maximo ſit futurum incommodo: niſi enim ſuſpecti remoueantur omnes, non eſſe quòd tranquillam eius urbis poſſeſsionem ſibi promittat: cupere autem ſuum ſtudium atque uoluntatem ipſi probarè: nam ideò cumprimis in hæc loca ſeſe commigraſſe, & epiſcopatum hunc ſuſcepiſſe, ut illuſtrem aliquam operam ei poſſet & officium præſtare. Erat tum Albertus Hedelbergæ cum electore Palatino, & literas illinc ad Cameræ iudices miſerat, de quibus dictum eſt. Hedelbergam tunc quoque uenerunt Bauarus, Vuirtembergicus, mandatu Cæſaris, pacificandi cauſa: uenit etiam dux Cliuenſis. Re diu diſceptata, quum epiſcopi magnam pecuniæ uim offerrent, Bambergicus inprimis, ut oppida ſibi relinquerentur pacata, probarent etiam hanc conditionem interceſſores: Albertus, qui pacta ſibi ſeruari uellet, quæ Cæſar etiam confirmaſſet, quum hoc ipſo tempore per ſuos in Saxonia cogeret equitatum, & iam de quorundam auxilijs compertum haberet, infecta re diſcedit, offenſus

offenſus interceſſoribus, & mox ad arma ſeſe conuertit, ac edito ſcripto Martij die uigeſimoſeptimo, rem omnem ordine commemorat, deq́ue aduerſarijs, ob uiolatam fidem, grauiſsimè queritur, & argumentum illud refutat, quo dicebant epiſcopi, non ſibi licere quicquam de bonis eccleſiaſticis alienare, & neceſſariò ſibi ſuum ius armis defendendum eſſe docet. Vuirciburgicus aderat ipſe, Bambergenſis miſerat legatos. Quæ Vuirtembergico duci lis erat & ſimultas cum ordinis Germanici magiſtro, principum interceſsione compoſita fuit. quum hic, ut oppida recuperaret, aureorum millia triginta dependeret. Ad ſecundum Aprilis diem, qui tum erat Paſchæ dies, Mauricius quoque uenit Hedelbergam ad principes, uſus magna celeritate. triduò pòſt, domum recurrit. Hi, quos diximus, principes interceſſores, ut ab iniuria ſeſe defenderent, fœdus faciunt, in eoq́ue ſunt etiam Moguntinus & Treuericus. Quum reiectis conditionibus Hedelberga profectus Albertus cogeret exercitum, Bambergicus & Vuirciburgenſis alteras obtinent à Camera literas. ijs & Moguntino & Palatino & Mauricio, & Pruſsiæ magiſtro, & Ioanni Friderico & Vuirtembergico & Lantgrauio & Noribergicis atque uicinis omnibus mandatur, ut opem illis ferant. fuit hoc Maij die ſecunda. Mauricius, qui alioqui ſuſpectum haberet Albertum, & hoc bello ſe quoque crederet obliquè peti, muniendi ſua cauſa, fœdus cum Brunſuicenſi facit, & epiſcopis atque Noribergicis opem promittit. Interim Albertus, conductis copijs progreditur, & per epiſcoporum atque Noribergenſium fines omnia uaſtat incendijs atque direptionibus, & Bambergam, oppidum regionis primarium capit, & nobilitati Franconicæ bellum indicit, niſi morem ipſi gerant, & Schuinfurtum, Imperij oppidum occupat, præſidioq́ue munit. Noribergici, quoniam oppida quædam & caſtella tenent beneficio regni Bohemiæ, Ferdinandum regem orauerant, ut ad ea loca tuenda liceret ipſis equitatum cogere per eius fines: annuit rex, & ut ad quingentos conſcriberent, permittit: hos uerò proficiſcentes Albertus intercipit, & ſimul ex ijs, quæ diximus, caſtellis ac oppidis quædam occupat. E diuerſo, Henricus Brunſuicenſis, qui magnam exercitus Mansfeldici partem ad ſe traduxerat, per Philippum filium uicinis bellum infert, graſſatus per epiſcopi Monaſterienſis, Mindenſis, Erici principis agnati ſui, & Bremenſium fines, ab ijſq́ue uim pecuniæ per magnam extorquet. Per hoſce dies, controuerſia, quæ principi Cliuenſi erat cum archiepiſcopo Colonienſi, iuriſdictionis cauſa, Palatini principis atque Treuirenſis interuentu, qui Bacheraci conuenerant, ſedata fuit. Paulò pòſt, ad initium Iunij menſis, Palatinus, Moguntinus, Bauariæ ducis atque Vuirtembergenſis legati, mandatu Cæſaris, Francofurti conueniunt, belli Franconici cauſa. Legatos ibi Cæſar habebat, Ludouicum Comitem Conigſtenum, Renardum Solmenſem, Henricum Haſium: aderant etiam Ferdinandi regis nonnulli. cumq́ue Cæſaris abolitionem epiſcopi urgerent, Albertus uerò confirmationem, electores monent legatos Cæſaris, ut hæc ei perſcribant, quò renunciet, utrum ualere uelit. Cæſar decimo ſeptimo die Iunij reſpondet. Quum anno ſuperiori de Alberti & epiſcoporum audiſſet tranſactionè, rogatu quorundam reſcidiſſe illam, & epiſcopis mandaſſe, ne ſeruarent, propterea quòd eſſet mali res exempli, cogere aliquem imperata facere, propter officium ſibi præſtitum & Imperio: ſed cùm Albertus deinde ſecum non aliter paciſci uellet, niſi pactiones illæ iuberentur eſſe firmæ, ſe, maioris incommodi uitandi cauſa, quod toti Germaniæ tùm imminebat, obſecundaſſe tempori, &, quòd expeditum ille haberet exercitum, Mansfeldius etiam, illius auſpicio, per Saxoniam nouas manus cogeret, & ipſe bello Gallico

lico impeditus, non poſſet eum cohercere, nec eſſet in Germania, qui uel diem unum potuiſſet eius impetum ſuſtinere, feciſſe cum illo pacem, ea fiducia nimirûm, ut eum poſtea placaret, præſertim, ſi cognati principes intercederent: & ſanè, ſi fœlicem euentum ſibi Deus ante Metim dediſſet, paratas fuiſſe rationes, quibus illi ſatisfactum eſſet: nam egregiam ſibi nauaſſe operam eo bello, ſic, ut ei gratificari cupiat: poſtea uerò, quàm non ſucceſsit obſidio, per ipſos Hedelbergæ tentaſſe concordiam: quòd autem conditiones ibi propoſitas ille repudiarit, & rurſus arma ſumpſerit, perquàm ſibi fuiſſe moleſtum, & idcircò Francofurti hunc alterum indixiſſe conuentum: nunc autem ad ſe deferri, non epiſcopis modò, ſed alijs etiam ab ipſo bellum inferri: quod & uehementer ſibi doleat, & contra pactiones etiam fiat: nam illum, quo tempore fuit in gratiam receptus, & ſibi fidelem operam in poſterum & Imperio promiſiſſe: quòd ſi uel nunc ſaltem obtemperaret, depoſiturum ſe præteritorum memoriam: quòd autem in ſuſpitionem apud quoſdam ipſe uenerit, inique fieri: totis ergò uiribus in pacificâtionem incumbant, nec ampliorem ab ſe declarationem requirant: id ſibi fore gratiſsimum, & in rebus ad Imperium pertinentibus nihil ſe deinceps, niſi de ipſorum conſilio factutum. Francofurto demùm infectare diſceſſum fuit. His ipſis ferè diebus, Laugingæ, iuſſu Cæſaris, conueniunt Bauarus & Vuirtembergicus unà cum alijs, ut Oetingenſes Comites, parentem atque filios pacarent. Nam inde à bello Smalcalgico, Ludouicus pater, & filius eiuſdem nominis, ad obſidionem uſque Metenſem, incertis uagabantur ſedibus, quòd contra Cæſarem militaſſent. poſſeſsionem autem omneis tenebant permiſſu Cæſaris, Fridericus atque Vuolfgangus filij, diuerſæ religionis ab illo. Quum ad actionem uentum eſſet, pater, ſummæ ingratitudinis illos accuſat: & licet diligenter elaborarent principes, nihil tamen potuit conſtitui.

FINIS.

HISTORIA

HISTORIA PVGNAE INFELICIS: INTER ILLVSTRISS. PRINCIPEM ET DOMINVM D. MAVRICIVM SACRI IMP. Rom. Archimarschalchum &c. Et Albertum Marchionem Brandeburgensem: D. Mauricij mortem continens & sepulturam.

THOMA VVINTZERO DRESdense, autore.

GEORGIVS FABRICIVS
CHEMNICENSIS.

Mauricius cecidit, bella Germania plange,
Amissa imperij quanta columna tui?
In tua Mars armis cur impie uiscera sæuis?
Ecce tuum cecidit sæua per arma decus.
Mauricij tumulum cernens Germania plange,
Pectore magnanimo non habitura parem.

ILLVSTRISSIMO AC OMNI VIRTVTVM GENERE ORNATISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. Augusto Duci Saxoniæ, sacri Imp. Rom. Archimarschalcho & Electori, Landgrauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Burggrauio Magdeburgensi, domino suo clementissimo

S. D.

IN tot ac tantis, nec dicam grauissimis, quæ nobis undiq; imminere uidentur periculis, in tanta denique rerum omnium mutatione, paucos, qui, unde ea contingant, inquirant, pauciores, qui causam iræ Dei considerent, paucissimos, qui se crimẽ caputq; malorum dicant esse, cernimus, & idcirco meliorem uitam, mores cultiores, & iter sanctius insistant. Ita enim pertinacia creuit, ita uicijs incumbũt omnes, tantopere uirtutes & honestæ actiones paruipenduntur, ut de futura, & certissima Dei pœna, nemo cogitet, nemo diuinã iram, & hæc organa, quibus nos coherceat, esse putet: ignari (aut certe si norunt) securi de omnibus, quæ, uoce diuina, Prophetæ, Christus & Apostoli uaticinati sunt, fore aliquando ut cœlum & terra mutentur, igne consumantur, & redtat REX GLORIAE, REX AETERNVS, & fortis, qui sit suorum habiturus delectum, ubi ijs, secundum incredulitatẽ & maliciam cordis, & impœnitentiam, ab æterno paratã irrogabit pœnam: Eos autem qui, uerbo Dei, adiunctis & cognitis signis, ad fidem & nouam obedientiam, sunt adducti, in æternum, passione sua exstructum denuo, & sanguine illius perfectum & mundatum, secum ducet habitaculum. Hæc erit illa dies, qui electi, & Sancti gaudebunt & lætabuntur: Mali uero, & securi, peccatorum sanie, & lasciuia polluti, præ dolore & planctu deficient. Tum uerbum Dei coluisse, tum diem præcedentia signa cognouisse, & unicum mediatorem Iesum Christum, uera fide, & inuocatione amplexum esse iuuabit: Quorum enim ille tutor, & aduocatus erit, illi profecto causa non cadent, hos, per mortem, ad uitam æternam, & regnum omnibus pijs, cum Christo, præparatum introducet. Videamus quocirca ne nosmetipsi nobis desimus, sed cùm iam approperet dies ille iudicij, neclonge (ut ex signis colligitur) abfuturus sit, id elaboremus, ut Christum uera mente

colamus, illum sequamur, & prodigijs multisq; signis admoniti, meliorem uitam instituamus. Præsertim cum omnes, quando uenturus sit, lateat. Tot autem in cœlo prodigia, in sole & luna extiterunt, tot in orbe bella, cædes, regnorum mutationes, tot incendia & uastationes, urbium oppidorúmue, & sunt & fuerunt, quæ ipso Christo teste, signa sunt, quibus regnum Dei aduentare, & iudicium extremũ adesse hominibus pronunciaretur & ostenderetur: Vt taceam plurimorum uirorum in munere, tam ecclesiastico quàm ciuili, mortem: Tandem fortissimos heroas, & uiros magnanimos extinctos, quorum imperio & regno cœtus piorum dilatari & augeri potuisset. Quale exemplum nobis in bellicosissimo & fortissimo, Achille ferè Germanico, principe nostro, & T. C. fratre inuictissimo, Domino D. Mauricio felicis memoriæ Electore &c. extitit, cuius tutela, piorum cœtus floruit, defensus & propagatus est: Qui iam pro patria, & pace communi dimicans fortiter, galma ex bello parta, & hoste deuicto, mortem in Christo oppetijt: cuius profectò morte, omnes meritò lugere & dolere debent: quod ab ijs, qui animi excellentis & ingenui sunt, fieri non dubito, cuius facta, ut posteritati, proferantur, ut, quanta eius erga patriam fides, quantus animus, quanta alacritas, quanta denique in factis constantia fuerit, patefiat omnibus, quo alij, ad ampliorem honestatis actionem commoueantur, perficiendum est summopere. Quocirca, hoc meum studium, quantulumcunq; est, & exiguum, T. C. animo eò promptiore, & beneuolentiore accipiet, quò alijs, quorum maior est ars, maior experientia, & stilus iucundior, ad maiora & grauiora scribenda, ansa præbeatur. Hoc interim ex studijs humanioribus profectum, ut T. C. gratum sit, humillimis quæso, & obsecro precibus, promitto ue, si maior accesserit eruditio, & doctrina locupletior, omni studio, animo lubentissimo maiora, quæ etiam ad T. C. laudem, actiones honestas, & principe Electore dignas referantur, me exhibiturum. Bene uale, & feliciter. Anno M. D. LIII.

Tuæ Illustrissimæ celsitudini
addictissimus & deditissimus

Thomas VVintzerus
Dresdensis.

HISTORIA PVGNÆ: INTER ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM ET DOMINVM D. MAVricium, sacri Imp. Rom. Archimarschalchum &c. & Albertum Marchionem Brandenburgensem.

IN ego Mauortem qui talia facta gubernat
Et bellatricem carmine canto Deam:
Quantas & cædes tulerint, & prælia quanta,
Atq; ducum mortem, Teutona terra tibi.
Hei miserum exiguo, nec longo temporis actu.
Germanos bello tot perijsse duces:
Qui poterant armis populo sceptrisq; prodesse.
Frangere qui poterant Turcica regna manu.

Apparet clarus cœli sine nubibus aër,
Nec crebras fundit turbidus imber aquas.
Gramina cum præbent horti, flaueſcit aristis
Quando Ceres, Veneri Myrthus & alma uires.
Candida ubi florent uiridanti lilia prato,
Et fructus uberes terra benigna parit.
Exurgunt magni Martis, belliq; tumultus,
Marchio Germanis Marte timendus adest.

Initium belli.

Et iam

Et iam fama uolat, Noribergam cingere castris,
Et petere ingenti, mœnia celsa manu.
Ciuibus & mortem cunctis, urbiq; ruinam,
Horrendum, captis, & minitare malum
Ni frenum accipere, & uicti parere fatentur,
Ipso æquaturum culmina & alta solo.
Dixerat hæc hostis, pergitq; instare tremendus,
Dant cuneum, & densa mœnia mole petunt.
Scalæ improuisæ, subitusq; apparuit ignis,
Et bombardarum murmur ubiq; sonat.
Tum uillas circum quas uidit perdidit igne,
Turba, rapit domibus, rustica, quicquid habet.
Voluitur ater odor tectis, & murmure cæco
Intus saxa sonant, dant tabulata sonum.
Excurrunt stabulis pecudes, & tecta relinquunt,
Clamat equus trepidans bos & in igne boat.
Per mediam flammam gallinæ ex igne uolabant,
Quæq; gerunt pennas, igne soluta, uolant.
Horrendum dictu, cunctis miserabile uisu,
Quin uisum miseris tela inimica uetant.
Non datur effugium domibus rebusq; relictis,
Obruitur dura uulgus inerme, nece.
Sic fuit hostis atrox, sic corpora nescia belli
Innocuum uulgus, turbidus ense, necat.
Ipse aciem seruat, circa hunc utrinq; phalanges
Stant densæ, strictis ensibus horret ager.
Differtur palma, atq; feros uictoria fallit,
Militibus bellum, ciuibus estq; iocus.
Illudunt hostem, & denso mucrone fatigant,
Defendit muros turba animata suos.
Postquàm igitur bello Noribergam uincere cessat,
Quando oleum atq; operam sic perisse putat.
Deserit & muros & summas deserit arces
Marchio, uicinam præripit ipse fugam,
VVurtzburgumq; petit uiolenti cæde propinquum
Pambergumq; tuas sulphure & igne domos.
Hei mihi quot cædes ortæ atq; incendia quanta,
Vulgus habet circum quantus inerme timor.
Diripit imbelles quos cingunt mœnia nulla,
Si quæ habuere ferox perdit & igne bona.
Aut dent argentum, aut patiantur singula tolli,
Non parcit, quamuis iussa dedêre bona.
Proh scelus, hæc illi mens est, his gaudet & ille,
Vrbibus incensis Marchio ridet acer.
Impius & iactat facturum incendia tanta,
Vtq; suas asset cœlica turba pedes.

Suppetias petiere duces, queis cura sacrorum est,
Viderunt hostis, cum fera bella, sui.
Agmina dum poterant cumularunt bellica, ferro
Instans conantur pellere, uiq;, malum.

Marchio Norinbergam obsedit.

Incendia uillarum.

Cædes.

Discessus ab urbe & fuga.

Episcopi.

Expeditio Mauricij Electoris.

Postmodo Mauricius patriæ promptißimus, idq;,
Pestiferum regno conspicit esse suo.
Audieratq; minas, atq; horrida facta tyranni,
Corpore ut in matris senserit arma puer.
Prædatis uoluit iustus succurrere, tanta
Et de Germanis, pellere damna bonis.
Affluit huc illuc hominum, comitumq; caterua
Mauricium, iusta & bella iuuare uolunt.
Brunsuigeriq; duces coniungunt agmina fortes,
Suppetias patriæ ferre studentq; suæ.
Principio belli causſam, causſamq; tumultus,
Mittendam censent hostibus esse suis.

Legati ad Marchionẽ missi.

Flecti si posset cuncta sine cæde tyrannus,
Opponunt pacis proxima uerba nouæ.
Hostis at haudquaquàm dictis uiolentia cessit,
Spargens, exuperat, friuola uerba, magis.
Atq; responsa dedit bis missis nulla, nec æqua
Legatis, horum ridet at arma magis.
Hæc propter forti se milite quisq; parabat,
Vt ui defendant, regna hominesq;, sua.

Marchio Franconiæ sæuit.

Interea bello tota in Franconia sæuit
Marchio, ubi uictis quod, rapit omne, potest.
Omnia confringit, tollit, prædatur, & aufert
Sicut aper latos depopulatur agros.
Nec timet ille Deum, metuit nec tartara cæca,
Ille, suam dextram cuncta timere, putat.
Dicit enim sueros nullo iam milite egere,
Cum sit perpetuæ pacis origo Deus:
Et licet inferni iaciatur prorsus in ora,
Ad furias mittat suppliciumq; Deus.

Hostis audacia.

Se tamen haud furias tum posse tenere furentem,
Quæ modo sint saluæ, iam pepigere fidem.
Horrere excidium miseras, bellumq; futurum,
Quando illi dederint regna adeunda Ditis.
Fulminat has magno uoces ex ore tyrannus,
His terret miserum, uulgus, & ille, uiros.

Mauricius postquàm patriam grassante tyranno
Vastari cernit bellaq; sæua pati.
Germanum uoluit se demonstrare, suæq;
Fraternam patriæ mittere fortis opem.

Conuentus Lipsiæ habitus 13. Iunij.

Dux ad concilium (siquidem meditare decorum)
Conuocat imperij corpora lecta sui.
Conueniunt omnes, equitum comitante caterua
Quisque, ubi fructiferos Lipsia seruat agros.
Quando igitur cuncti uenêre ad recta frequentes,
Magnanimus princeps talia uerba dedit:
Audite ô proceres quæcunq; in pectore uoluo,
Nil patriæ, uobis nilue datura mali.
Quos gemitus ingens iam iam Germania fundat

Auditis

Auditis, quos uel grandia saxa sciant.
Audistis nostro tum qualia, quanta minârit
Regno, quod uario perdere Marte cupit.
Quem, quò possibile est summo dignamur honore,
(Quod scitis) ad nostras cum uenit ille domos.
Verum cum tantum sese conuerterit iste
Et cupiat nostros sanguinolentus agros.
Teutonicam studeat prorsus diuellere gentem,
Nomen & in tota nobile quicquid habet.
Nos de more pio semper, uelut ante, parati,
Iam patriæ optatam, quæso, feremus opem.
Quare agite ô proceres, ducamus ad ardua, turmam
Prælia: pro uestris stringitis arma bonis.
Ipse ego me uobis iungam, me, uosq; timentem
Nil, sectabimini, quo Deus ipse uolet.
Hac ego defendam dextra, si numen & adsit,
Sunt qui nobiscum prælia dura cient.
Dixerat Elector uerbis & moribus altus,
Omnibus attenta mente tenenda, uiris.

Interea turmas equitum duxêre sub ipsam
Portam, cui nomen Crema propinqua dedit.
Conspiciunt armis sit quisq;, quibusúe ministris
Extructus, firmo numúe paratus equo.
Hinc legunt aptos, quos cernunt esse ducesq;,
Et præbent cunctis arma gerenda uiris.
Attulit ut lucem roseis aurora capillis,
Cristatumq; tulit Phœbus ad alta caput.
Mandauit princeps, ut quisq; paratus adesset,
Hac se uelle uiam carpere namq; die.
Pergere & in bellum, quo sit Germania salua,
Et patria expulso tuta, Cyclope, sua.
Sint currus & equi, famuli, comitesq; parati,
Cum tuba clangendo signa sonora dabit.
Ad metam iam solis equi uenêre ueloces,
Atq; diem medium uexerat axe Titan.
Mauricius princeps cum mœnia Lipsica linquit,
Et peregrè multis, hinc comitatus abit.
Interea reliqui pergunt ad bella propinqua
Quisquis equo fidens Pectore quisquis acer.
Hincq; duces, equites, pedites quoq; mœnia linquunt
Lipsica, sic reliqua, est turba secuta, ducem.
Deuenêre manus amborum fœdere iunctæ
Brunsuigerûm, & copiæ, quas tenuere duces.
Fertile ubi inhabitat diues Franconia tellus,
Finibus & quorum Mœnus abundat aquis.
Quæ postquàm sensit, subduxit Marchio turmas,
Atq; ad Saxonicos agmine pergit agros.
Non tamen est profugo, fugiendi missa potestas,
Longius, & miseris non datur esse grauem.
Namq; ut Saxonicas audiuit protinus hostes

Habuerunt electionem equitum 10. Cal. Iulij.

Proficiscitur Elector in bellum.

Exercitus Brunsuiger. in Franciam contra Marchionẽ abit.

Marchio in Saxoniam fugit.

Mauricius, gentes & ruere in patrias:
Colligit arma manu, dispersum conuocat agmen,
Hacq; iubet reliquos tela inimica sequi.
Venerat hostis atrox ad proxima regna, fuêre
Quæ Luneburgiacis omnia principibus.
Venit Luneburgum.
Diues agris, populis huc structa est Peina, uetustis,
Peina domo parua, at legibus ampla bonis.
Peina oppidum.
Arx munita satis nitet, & constructa decore,
Atq; altum templum, curia parua fuit.
Huc ambo ducuntur equis, & hostis acerbus,
Mauriciusq; suo fortis & altus equo.
Est curuo anfractu uallis, accommoda fraudi
Armorumq; dolis utilis illa nimis.
Vrget utrinq; latus densis hic frondibus antrum
Quo datur angusta scandere fauce uiam.
Irruit huc hostis, copiasq; reduxit in antra,
Vt nostros structis falleret insidijs.
At nostri campo sub aperto castra locârunt,
De tantis prorsus nescia turba dolis.
Pars uallit firmis tentoria fixa columnis,
Cuniculos furtim pars agit, ausa, uagos.
Queîs tuti possent transcendere castra reuersi,
Valleq; sub structa rebus adesse suis.
Omnibus eximius labor est, labor omnibus alter,
Est apibus multus ceu labor & uarius.
Hic fert ligna gemens, fert ille cibaria rapta,
Stramina [illegible] hic glomerat datq; gerenda alijs.
Mauricij in castra aduentus.
Ad socios copiasq; uenit dux noster & heros,
Quo uiso ex ducibus fortior omnis adest.
Fridericus dux Luneburgensis.
Aduenit & princeps Luneburgus, maxima stirpis
Spes, & magnanimi dulcis imago patris.
Philip. Magnus, & Carolus Victor principes.
Aduenium Henrice tui fortissime nati
Brunsuigeri, iuuenum corpora celsa ducum.
Comes de Barraba.
Quid pietate senem comitem, cui Barraba nomen
Magnificum imposuit, teq;, tuosq; feram?
Quanta tu uirtute uales? meritis? probitate?
Quanta erga miseros & pietate uales.
Conuenêre alij multi, queîs fama per arma,
Nominaq; ex duro Marte petita placent.
Constituunt turmas equitum, densasq; cohortes,
Iam successuri certa figura mali.
Bombardas globulis onerant, ignemq; capessunt,
Dirigit has magno turba labore, rotis.
Ipsæ sub hæc præsens lustratur cuncta, iubetq;
Mauricius, signum pectoris egregij.
Ecce autem campo nostros speculatur aperto
Marchio, saltanti multa minatus equo.
Quem iuxtà comites si spectes omnia, pauci,
Queîs latos cursu corripit hostis agros.
Insultans nostris, dans pugnæ signa cruentæ
Occulta lætus Marchio fraude nimis.

Mau

Illam sed postquàm noster conspexerat heros,
Hostis & audiuit friuola uerba trucis.
En, quid cessamus dixit quin Marte ferocem
Insequimur? patriæ tollite quæso luem.
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Namq; ego uobiscum prælia tanta gero.
Est quibus & patriæ salus, & pia cura penatum
Fortiter in pugnam, pergite tempus adest.
Vtq; aliquid magni faciatis, sit labor omnis,
Nobile protendunt bella cruenta decus.
Laus ea summa mihi, ducta ex uirtute uidetur
Hac sine nobilitas puluerulenta iacet.
Sed cessate nihil, prohibet uerba omnia tempus,
Telis sit, firmo quisq; paratus equo.
Hæc breuiter princeps ad turmas dixit, in ipso
Quo iam pertristis, tempore, pugna foret.
Interea clypeos humeris iuuenilibus aptant,
Et capiti galeas iungere quisq; studet.
Instructi gladijs, bombardis undiq; septi,
Quisq; suam ad turmam pergit abire citus.
Pugnæ tamq; diræ nostris oblata fuerunt
Signa, quibus pugnam Marchio signat acrem.
Nec mora, continuo signum tuba datq; cruentum
Classica. Quam tristis murmure clangor erat.
Vtraq; concurrit legio proh Marte timendo
Ferro quisq; sibi dum populatur iter.
Discurrunt magnisq; acuunt clamoribus iras,
Hei mihi nunc equites nunc peditesq; cadunt.
Dant sonitum crebrisq; fragoribus arma ruentum,
Et strepitus latos turbine complet agros.
Sanguine complentur fossæ, complentur & arua,
Perq; nemus totum cuncta cruore madent.
Ingrauat ardentum belli mens sæua furore
Et nostri, ac hostes funera multa ciunt.
Ast, siquidem præsens omnia est periuria bello
Auro ubi siue metu frangitur alma fides.
Ecce quibus noster Princeps se adiunxerat alis,
Cumq; illis pugnam fortiter ausus erat.
Illæ cum pugnam grauiorem prorsus adesse,
Et tantæ finem cædis abesse putant.
Linquunt ductorem, reliquosq; & terga reflectunt,
Mauricij longè nil ualuere preces.
Quin super & cererem super & fata, perfida turba,
Cædibus ex ipsis, effugiebat equis.
Proh scelus hortantis globulus transuerberat arma
Mauricij, atq; artus Principis, igne scidit.
Loricam ualidam discussit, iungitur alis
Hæc femori, & nodis illa ubi firma latet.
Continuo comites læsum ad tentoria ducunt,
Chirurgusq; citò uulneris unctor adest.

Adhortatio Electoris ad pugnam.

"
"
"

Fit armatura.

Vexilla pugnæ signa à Marchione missa.
Pugna habita 7. Id. Iulij. Hora P. M. prima.

Tres alæ equitum Misnensium profugæ.

Mauricius globo lethali ter læsus.

Marchio captus ab ipso victore subducitur & ob munus liberatur quod ei dederat.

Causſa mali tanti ſola eſt periuria, ſola eſt.
Hac etiam ex uinclis Marchio captus abit.

Hoſtes fugati.

Ignari pugnant equites de Principis iſto
Fato, atq; ingenti uulnere Martis atri.
Iamq; duces noſtri fugientes eminus hoſtes
Diſperſos, denſis inſequebantur equis.
Inq; fugam multos agitabant agmine, multos
Ad Stygium incerta morte miſere lacum.
Hei mihi quæ cædes, quæ fuſio ſanguinis orta,
Quot uitam miſerè depoſuêre ſuam.
Heroës quanti ſunt læſi, & morte perempti
Exanimes & quot iam periêre uiri?

Duces Brunſuicenſes occiſi.

Quin (dolor heu) iuuenum fortiſſima corpora, nati
Brunſuigeri, tanta cæde, ſecuta ruunt.
Perpetuus luctus patri, indelebilis ira,
Et tantæ, poſthac ultio certa, necis.

Duo de Barraba, & comes Philip. à Blechlingen.

Quid referam Comitum mortem præclara ſequentum
Corpora, queis uitam ſuſtulit atra dies.

Princeps Luneburgenſis occiditur.

Teq; canam Luneburge ducem mentemq; uirilem,
Pectus & infractæ quod pietatis erat.
Primitiæ belli miſeræ, ſtragisq; propinquæ
Dura rudimenta, palmaq; mœſta nimis.
Qui forti multas potuiſſes pectore gentes
Atq; domare feras, atq; punire malas.
Sed iuuat ad Diuûm ſic conſcendiſſe penates,
Perpetuo ſiquidem gloria uera manet.
Sunt quibus æqualis ſors contigit, omnibus una,
[illegible]elum ſunt quos uulnera dura trahant.
Illuſtres animi tum fortia pectora, nomen
Nobilitas magnum queis q; animusq; facit.
Et bellatores recipit Deus, his quoq; gaudet
Defenſum in terris relligionis opus.
His ſuper inſurgens non fracta timore iuuentus,
Hoſtem defixo per nemus enſe fugat.

Victoria.

Omnis miſcetur tum cæco puluere campus,
Ipſe pedum pulſu contremuitq; locus.
Inſiſtunt pariter iaculis, gladioq; cruento,
Hinc atq; hinc mentes ſuſcitat ira graues.
Hoſtis præ reliquis ſæuit, multumq; minatur,
Et torua miſeris fronte timendus adeſt.
Qualis ubi ad terras abrupto ſydere nimbus,
Pontum per medium quando fragore ruit.
Horreſcunt corda agricolis, dabit ille ruinas
Arboribus, uiridis plurima damna ſatis.
Ante uolant ſonitumq; ferunt ad littora uenti,
Attonitum linquit paſcua grata pecus.
Talis in aduerſas it ductor Marchio turbas,
Marchio rem cunctam uiq; doloq; gerens.
Agglomerat noſtrum cuneis ſe quiſq; coactis,
Expectatq; uirum, uir, iuuenisq; ſuum.

Mauricium

Mauricium interea comites fidiq; miniſtri
In ſua fœdatum ſanguine caſtra locant.
Stramina ſubſternunt, tegulum lectoſq; paratos
Illi, ubi membra ducis defatigata iacent.
Decumbit grauiter ſubnixus tempora, dextra,
Fortunamq; ſuam uulnera ſæua ferens.
Eripere exili luctantur arundine telum,
Fata uiam ſi quam longius eſſe uelint.
Enſe ſecant lato uulnus, teliq; latebram,
Per latus tenera forcipe multa mouent.
Adſunt doctores medicinæ, atq; arte periti,
Adſunt herbarum queîs patet utilitas.
Tum q; manu medica, Phœbiq; potentibus herbis
Subuenire Ducis quiſq; dolore ſtudet.
Nec quicquàm trepidant, nec quicquàm forcipe uulnus
Sollicitant, ubi ſit, nec patet, ille globus.
Sentit Dux telum, teli ſentitq; dolores,
Sed ferri nequeunt excogitare dolos.
Attamen hi ſuccis fouerunt uulnera, & herbis
Atq; nouum ungentis hi lenîere malum.
Quippe dolor ſumnus miſero de corpore fugit,
Atq; ſtetit ſummo in uulneris ore cruor.
Nec tamen eſt uitæ ſpes ulla relicta miniſtris,
Dum fugiunt uires, & color ipſe fugit.
Quin ſiquidem præſens eſt duræ mortis imago,
Et nec habent ullam triſtia fata moram.
Ipſe ſacerdotem princeps de turba uocauit,
Adq; aduentanti talia uerba dedit:
Túne Dei munus peragis, tibi cuncta poteſtas,
Eſtq; remittendi crimina noſtra, data?
Ergo mihi mea quæſo ſacer peccata remitte,
Hei miſerum fateor me meruiſſe nihil.
Sed peccaſſe Deo coram, feciſſe malumq;
Et nil quod ſummi uerba timenda iubent.
Eſt tamen hæc miſero mihi ſpes, quod credo lauatum
Me de peccatis Chriſte cruore tuo.
Tu pro me in mundum es Deus alta à ſede profectus,
Non piguit pro me mortis adire uiam.
Me propter uinctus, truſus, conſputus & ictus,
Me propter longis cæſus arundinibus.
Me propter colaphos, alapasq; & uerbera paſſus,
Me propter tractus crinibus, ah miſerè.
Tu mea portaſti, mea ſpes, peccata, redemptor
Quæ tua foderunt membra, pedesq; tuos.
Omnia uulneribus mea uulnera, morte, tuliſti
Mortem, quæ pallens ingrauat ecce mihi.
Non timeo mortem, ſicubi mors eſt mihi lucrum,
Mox eris in cœlo Chriſte uidende mihi.
Omnia credentum conſcriptaq; nomina ſeruas,
Me, nomenq; meum tuq; benignus habes.
Hæc mihi ſunt imis de te mandata medullis,
Hæc confirmabo Chriſte cruore tuo.

Finis pugnæ.

Principis Electoris ad D. Ioannem Albinum oratio.

Confeßio.

Applicatio paßionis Chriſti adſe.

Talia fatus erat: Cum præsens turba miratur
Mauricij exanimi uerba, fidemq; ducis
Sumsit & hinc ueneranda Dei Sacramenta, sacerdos
Quæ tradit summa cum pietate senex.
Et Christi corpus, fusum Christiq; cruorem,
Credentes Christus iußit ut ipse frui.
Postmodo cum magis atq; magis dolor iste per omne
Perrexit corpus, membra per & reliqua.
Imperium memorat, fratrem, dominamq; ducissam,
Quæ supereſt gnatam, coniugijq; decus.
Multaq; de bello, quis fusi sanguinis, autor,
Quis tantæ cædis sit, docet ipse uiros.
Non se, non secum quos duxerat armigerosq;,
Marchio sit tanti proxima cauſſa mali.
Pro patria & miseris, se sed bellasse, fugatis,
Neu grauius cernat Teutona terra malum.
Vt uerò rursus post pugnam tertia ponto
Fulgente, ex alto, prouenit axe, dies.
Exurgunt lectis, fumantia strata relinquunt,
Quisq; suo, iussus currit ad arma, loco.
Hiq; ferunt stabula inter, equis, sua pascua, lymphas,
Hi dominis fontem dantq; feruntq; suis.
Interea castris, mors, eminet omnibus, atra
Permultis uitæ, uulnere claudit, iter.
Illius ecce autem quoq; castri limina seruat,
Dux ubi, de tristi cæde reductus, erat.
Atq; instans tempus mortis, mors æqua ministrat,
Admittam æternam monstrat & illa uiam.
Mors si quidem porta est, qua scandunt astra fideles,
Quin Christus miseris hoc patefecit iter.
Tum uerò immensus teneras it clamor ad auras,
Territus accurrit quisq; paratus equo.
Mortem plorantes & tristia fata gementes,
Hac hora extinctum morte ducemq; fore.
Ille autem lecto, recubabat uiribus æger,
Exanimisq; fere, talia uerba dedit:
Credo meus uiuit quod uicta morte redemptor,
Cumq; Deo moderat regna superna, Deus.
Extremaq; die surgentem me quoq; credo,
Cœlestem dederit cum tuba clara sonum.
Induar hac multò meliori pelle resurgens,
Inq; mea summum carne uidebo Deum.
His oculis reducem Christum de morte uidebo,
Iudicij æqualis, quando minister erit.

Tum socijs (namq; omnis eum stipata tegebat,
Turba ducum) letho defatigatus ait:

Hic ego iam uester morior, Dux, discite de me,
Pro patria mortem non timuisse grauem.
Este mei memores, belli, tantiq; laboris,
Sentiet hoc pacem Misnia nostra, puto.

Sumsit Sacramentum.

Iob 19.

En uobis

En uobis mea dextra, tibi bone Chriſte, paterq́;
Hanc animam in proprias mitto benigne manus.
Sic ait, & dulci requirunt membra quiete,
Fugit & ex placido corpore uita, Ducis.
Non ſecus ac alto requieſcunt membra ſopore,
Præq́; leui ſomno nulla pericla timent.
Sic quoq; Mauricij ſeceſſit uita ſub auras,
Inq́; tuo reſidet Chriſte paterq́; ſinu.
Conſurgunt gemitu noſtri, totusq́; remugit,
Mons circum, lugent triſtia fata ducis.
Spargitur & tellus lachrymis, ſparguntur & arma,
Vt clamor reliquum ſummus ad aſtra uirûm.
Flent equites, domini flent, flentq́; miniſtri,
Eiulat egregio pectore quiſquis adeſt.

Mauricius Elector moritur V. Id. Iulij, hora 9. in caſtris.

Luctus ingens reliquorum Ducum.

Altera cum rurſus miſeris aurora reluxit,
Soláq; nouo celeres igne reduxit equos.
Innumeris adſunt inſtructi uiribus omnes,
Et peditum circum caſtra maniplus erat.
Tum quos conſilijs, Dux quondam elegerat adſunt,
Et docti, & magna cum pietate ſenes.
Execet ut corpus, chirurgo, forcipe, mandant,
Et cunctis corpus purget ab inguinibus.
Excrementa ferunt, toto de corpore, & inde
Vngentis tingunt corpus & oſſa Ducis.
Eſtq́; parata diu ſolido de, ciſtola, ligno,
Qua terræ condant ilia ſecta uiri.
Extructa eſt illa uilla in regione per ampla,
Quam Seifershuſium turba prophana uocat.
Hic templum excelſum, quod dicas marmore factum,
Tam lapidum candens eſt color & niueus.
Huc quia finitimis urbs nulla eſt condita in oris,
Ilia Mauricij cæſa, tegenda ferunt.
Exoritur magnus campanæ clangor in auras,
Atq; altis circum turribus æra ſonant.
Tum pietate ſenes humeris, belliq́; primores
Inſigni ciſtam cum grauitate ferunt.
Subſequitur reliquumq́; phalanx candentibus armis,
Armis, conuerſa cuſpide quiſq; uenit.
Hinc proceres, ualidiq́; duces, fidiq́; miniſtri
Ingenti comitum turbine templa petunt.
Et fit concentus uarius, quærelaq́; multa,
Mauricij mortem, triſtia fata canunt.
Interea in templo, condebant Ilia ſummo,
Coma quibus laudi, canitieſq́; fuit.
Et linquunt templum, templiq́; ſacraria aperti,
Quiſq; ſua, ex omni milite caſtra petit.
Nec mora continuo, ſonitum tuba clara ferebat
Murmure iam complens omnia caſtra ſuo:
Vox hinc quando tubæ reſonauerit altera rurſus,
Et dederit clarum uoce canente ſonum:

Seifershauſen pagus.

Ilia in ciſtula occluſa ſepeliunt.

Vt curru,

Vt curru, atq; armis, & equis, sit quisq; paratus,
Ad patrias sedes quando petetur iter.

Occisi & mortui sepeliuntur,

Iamq; alij socios, inhumataq; corpora terræ
Mandebant, cunctis libera præda fuit.
Exanimesq; adhuc curru ad tentoria ducunt,
Et cæsos grauiter Marte furente uiros.
Expirant animam multi quibus est genus altum,
Et luget quorum subdita turba nece.
Nec poterit quisquàm morientum funera fari,
Sunt quorum, obscuro nomine, fama latet.
Innumeri credo, fortissima pectora, cæde
Ah miserum, ignoto sunt tumulata solo.
Iamq; abitum, iam cuncta parant, curruq; ministri,
Tertio cum roseo preuenit ore dies.
Et loculum Rhœda, quo corpus principis unctum
Decubuit, Mulis imposuêre suis.

Apparatur abitus.

Tumq; ducum senior dat multa insignia pugnæ,
Quæ dextra fortis uictor ab hoste tulit.
Addit equos & tela quibus spoliauerat hostem,
Signa iubet reliquos classica ferre uiros.

Electoris armiger.

Tum puer ingenuæ stirpis, generisq; perampli
Erga ducem fidis cognitus officijs.
Induit arma ducis, quæ gesserat ipse, petitus
Quando fuit, summum sub femur ante, globo.
Sanguine adhuc plena, atq; ictum monstrantia teli,
Quo tandem ascendit spiritus astra ducis:
Et ferro conuersum sub pectus cuspide, strictum
Mucronem, tantæ signa timenda necis.
Et iam fama uolans tanti prænuntia luctus,
Contristat totam Principis illa domum.

Principissæ luctus.

Quam cladem miseræ postquàm accepêre, Ducissa
Ad cœlum aspiciens talia uerba dedit.
Principis heu mortem, proh tristia fata mariti,
Ah quid crudelis, Marsq; timende potes?
Alme Deus grauium quondam miserate dolorum,
Orbatæ penitus, tu miserere pater.
Sancte Deus bonitate tua modo pendeo, totam
Inq; tuas trado me bone Christe manus.
Tuq; meum dominum, tum fœmineumq; decorem
Aeternum ut serues, te precor omnipotens.
Quod superest, facias neu dux alienus & hostis
Imperij rapiat sceptra gerenda sibi.
Verum aduentantem iam per maria omnia serua,
O Christe Augustum, cunctaq; damna fuga.
Vt reducem saluum uideam, uideatq; penates
Ipse meos, nostri dux sit & imperij.
Quid iuuat heu magni me Principis esse iugalem,
Quid iuuat heros me cubuisse toro.

Luctus filiæ Electoris, ob mortem patris.

Hunc gemitum postquàm cognouit filia mœstum,
Et mortem chari, fata suprema patris.
Filia prima manu flauos est undiq; crines,

Et rosea

Et roſeas laniata genas, & laniata caput.
Turba furit reliqua, & reſonat plangoribus aula,
Et muſſant triſtes triſtia uerba duces.
Hinc totam infelix uulgatur fama per urbem,
Mentes demittunt, horrida fata canunt.
Aſt aula in media ſtat ſciſſa ueſte Duciſſa,
Coniugis extincti ſæpe miſerta necem.
Quid faciat? tollitq; manus, rimgitq; trementes,
Adq; Deum promit, congeminatq; preces:
Multaq; ſe incuſat, iam bellum, iamq; ferocem
Hoſtem, tum reliquum perfidiamq; duum.
Occiſum dominum, tum triſtia uulnera plorans,
Omni de bello talia dicta ferens.
Quid cædes bellum, cum res ſit tetra, uocarunt?
Quæ nihil & belli, nilq; ſauoris habet?
Hei mihi res bellas ego, ſed tu bella ſequaris,
Me miſeram orbaſti, qui, ſcelerate, Duce.
Et tibi de bello, quæ ſunt tibi bella, ſequantur,
Nil timeas hoſtis, nam tibi bella precor.
Tuq; Deus facias, de noſtris arce furorem,
Tu ſiquidem dextra, pellere cuncta potes.

Luctus aulicorum.
Luctus urbis.
Imprecatio Duciſſæ.

Iamq; ferè aduenium, iam Lipſica mœnia cernunt,
Qui patria aſportant funus ad arua duces.
Iamq; iugis turres en conſpiciuntur in altis,
Adproperat feſſis Lipſia clara uiris.
His bellatorum legio primum obuia uenit,
Erectis armis undiq; fulget ager.
Tum pueriq; ſequuntur eos longo ordine bini,
Lipſenſis doctæ turba puſilla ſcholæ.
Hos comitantur, ijs præfecti ex urbe, magiſtri,
Qui uideant mores, qui puniantq; malos.
Quin quoq; doctorum grex, Academia uenitq;
Vniuerſa, decus Lipſia culta tuum.
Ante alios Rector cunctis uenerandus, amictu
Velatus circum membra caputq; nigro.
Hinc & doctores multi, multiq; magiſtri,
Omnibus & niger & triſtis amictus erat.
Procedunt longe ex portis, tum cætera pubes,
Et ſtudioſorum numerus eximius.
Tum patres urbis ueniunt, ſanctusq; ſenatus,
Tum quibus eſt rerum mentio multa, ſenes.
Et ciues tractu longo, pueriq; ſequuntur,
Nec longè & triſtis grex muliebris erat.
Plorantes multum miſeræ, multumq; gementes,
Lugubribus uelis tempora cincta gerunt.
Poſtquàm autem propius triſtes uenêre, ſub altis
Turribus excelſos æra dedêre ſonos.
Obuij iam noſtris facta eſt ſtipata caterua,
Mauricij extincti quæ pia membra tulit.
Tum genua atq; manus Rector, triſtisq; Senatus

Funus Lipſiam aſfertur 14. Cal. Auguſt. hora P. M. ſecunda.

Milites funeri obuiam abeunt.
Scholaſtici.
Præceptores.
Cœtus Academiæ Lipſenſis.
Rector inclytæ Academiæ
Doctores.
Magiſtri.
Studioſi.
Senatus.
Ciues.
Mulieres.

Flectunt.

Excipiunt funus.

Flectunt, atq; aperit turba prophana caput.
Exhibet atq; omnis defuncto gratus honorem,
Est ingens hominum planctus, & est gemitus.

Loculum cũ funere in urbem portabant.

Hic loculum ex Rhæda sumunt, traduntq; pheretrum,
Inde uiris bis ter, corpora lecta uirũm.
Excipiunt humeris, ostroq; & sindone cinctum
Et funus celeres mœnia in alta ferunt.
Libera, iam facili pede currit, funere Rhœda,
Concessum atq; alijs, non graue sentit onus.
Deuenere locum templi sub mœnibus altis,
Templum D. Thomæ. Qui diui Thomæ dicitur esse sacer.
Ecce autem panno, nigro & uelamine cincta,
Sellas, suggestum quæq; habet alta, domus.
Ex templo in medio, constructa est area longa,
Gradibus est binis altior illa solo.
Inq; hunc extructa est, tegulis obductaq; finem,
Conspicuum ut pheretrum sit super impositum.
Quam circum bis sex statuunt hastilia parua,
Omnia signa quibus picta fuere ducis.
Armiger & iuxtà loculum puer eminet altè,
Acer equo, & capulum uersam aciemq; gerit.
Iam tabulata duces templi, sedesq; capessunt,
Et tristè carmen turba pusilla canit.
Dulce melos reticet, quin mœstum Musica carmen,
Et miseram mortem, tristia fata canit.
D. Ioannes Pfeffingerus Ecclesiæ D. Nicolai pastor: superintendens. Haud mora continuo perfectis ordine uotis,
Consurgit senior uota precesq; ferens.
Nudato capite, medio stans aggere tristis,
Fata canit, magni sortia facta ducis.
Edocet humanis quæ sit fiducia rebus,
Omnibus atq; eadem mortis eunda uia.
Tum quoq; lugentes extincti morte, solatur,
Firmaq; iussa Dei, fataq; fixa docet.
Quæ postquàm absoluit, solio descendit ab alto,
Ille & adhuc circum tempora nudus abit.
Rursum concentum pueri iuuenesq; fecère,
Exhibitaq; Deo laude abière domum.
Hinc circum loculum denso stutit agmine uulgus,
Effigiemq; ducis, singula in æde uidens.
Occulat Oceano postquàm caput ignifer altum,
Mergit & in alto gurgite Phœbus equos.
Accessère solo tenebræ, rebusq; colores,
Nox iterum cunctis abdidit atra suos.
Templũ noctu uigilibus munitur. Pellitur ex templo uulgus, pelluntur & omnes
Hûc lustraturi, qui subière sacrum.
Clauduntur portæ, uigiles custodia adibant,
Pars templum, ast alij mœnia celsa petunt.
Postmodo cum fulget roseis aurora capillis,
Flammineos uultus ore micante ferens.
Excedunt lectos & mollia strata relinquunt,
Et famulus domino quisq; parabat equos.

Aurigæ currûmq; rotis præbêre liquores,
Hi ueſtes dominis expolière ſuis.
Ante uiam peragant templum intrauêre reuerſi,
Mauricij pallens hic ubi funus erat.
Tum pietate grauis uir, multa & clarus in arte
Surgit, & hinc triſti plurima fronte dedit.
Deplorans mortem, multum præfatus honeſtè,
Intempeſtiuam Principis atq; necem.
Geſſerit & iuuenis qui plurima facta, nec unquam
Quod foret indignum pectore magnanimo.
Et pietatis amans, diuini nominis, atqui
Quantum homini potis eſt, cultor Euangelij.
Multaq; de uita memorat, de moribus, actis,
Geſſerit & quæ Dux omnia facta docet.
Hortaturq; pios quo lugeat omnis, erepto
Iam rectore gregis, ſubijcit inde preces.
Et ducibus reliquis dignum præmiſſus honorem
Suggeſtum, nigra ueſte decorus abit.
Illius hinc templi, & commiſſi paſtor ouilis,
Conſueto ad populum uerbaq; more facit.
Poſt hunc templa uiri linquunt, abitumq; parantes,
Excedunt ſacris, ordine quiſq;, locis.
Suntq; ubi in hoſpicijs data prandia, & illa repôſta,
Propoſitam inſiſtit quilibet ipſe uiam.
Tum pueri rurſum comitantur funus, & ipſi
Doctores Phœbi qui coluêre ſacra.
Subſequiturq; habitu lugubri ex urbe Senatus,
Et longo, ciues ordine, quiſq; ſuo.
Et turba imbellis pueri, iuuenesq; ſenesq;,
Matronæq; huius caſtra caterua loci.
Terq; dedêre ſonum campanæ, terq; ſonorum
Turribus in celſis æra miſére ſonum.
Eſt locus extra urbem non longè ſtructus, ab illa,
Quo condunt hominum mortua membra ſolo.
Exſtructum templum, medio ni fallor in aruo,
Quod tereti muro cingitur, & niueo.
Huc extinctorum referuntur ſigna uirorum,
Pictaq; & in muro multa tabella fuit.
Hic lecti iuuenes iuſſi poſuêre pheretrum,
Et loculum in rhœdam conſtituêre ſuam.
Tumq; datis manibus, funusq; ducesq; relinquunt,
Et repetunt urbis mœnia celſa ſuæ.
Aſt pariles pergunt equites peditesq; ducesq;
Quod Cremam frßis per iuga monſtrat iter.
Tertia fulgebat ſpißis lux alma capillis,
Frigidus atque humido rore madebat humus.
Cum de uicino Fribergo mentio ſurgit,
Atque uiatores facta futura canunt.
Et luſtratur ouans nunc obuia mœnia quiſque,
Tectaq; monſtrantes, per nemora alta domos.
Spes animos tollit cœnæq; cibiq; futuri,

Oratio habita à D. Ioachimo Camerario Pabepergenſe.

M. Eraſmus Sarcerius D. Thomæ paſtor.

Abeũt XIII. Cal Aug. hora P. M. 12.

Sepultura Lipſenſium.

Abeunt Cremam.

Et patera

Et pateræ multos utilis urget amor.

Fribergum in Misnia.

Iam celsæ stabant turres, iam tecta, domusq́;,
Fossaq́; cum muris mœnia celsa notat.
Vrbs antiqua fuit, de forti condita Othone,
Regna luporum, urbi, regna perampla, dedit.

Fribergum conditum anno 1175. à Christo natu

Cæsar, quando homines hæc fundamenta locârunt,
Illic, Fridricus nomine primus, erat.
Sylua ingens primò, nec non stabula alta ferarum,
Horrida in hoc ipso saxa fuêre loco.
Huc fors Goslaricis auriga profectus ab oris,
Qui sale completas uexerat hucq́; rotas.
Hic ubi Fribergi triuerat modo uectus arenas
Collidunt, saxi frustula parua, rotæ.

Inuentio metalli.

Emicat argenti plumbiue incerta figura,
Grata tamen uario tincta colore fuit.
Tollit, & in currum prudens auriga ferebat,
Quod secum in patrium uexerat ille solum.
Et iam cùm argentum uidit sub mole latere,
Attulit in patriam grandia saxa suam.
Hinc ubi cernebant, & fit uis nota metalli
Goslarici terras has petiêre uiri.
Tumq́; fuit fundata domus, tunc mœnia, templa,
Illos per ciues structa fuêre nouos.
Hincq́; etiam diues, Fribergaq́; clara remansit,
Quæ bona Misniacis suppetit ampla locis.
Hæc magnum nomen magnasq́; amplectitur arces,
Et domibus pulchris per loca celsa nitet.
Hic modo tot cernis, sacris onerata trophæis
Templa, necatorum multa sepulchra ducum.
Heroum referunt ueterum quæ stemmata saltem,
Signaq́; nobilium, quæ monimenta decent.
Ecce autem portas, fossas, & mœnia, uallum,
Atq; metallorum proh labor eximius.

Senatus obuiam uenit.

Sicq́; mirabantur feruens opus inter eundum,
Vsq; Senatorum turba senilis adest.

Metallici.

Procedunt ex urbe, uiri, iuuenesq́; senesq́;,
Quosq́; metallorum fossile nutrit opus.
Inhæretq́; humeris quibus ingens malleus altis,
Atq; femur quorum pellis amicta tegit.

Duciſſa.

Præcedit cunctos tristisq́;, & mœsta Duciſſa,
Excipit & lachrymis mortua membra ducis.
Excipiunt reliqui funus, primoq́; senatus,
Tunc & matronæ flent ululantq́; graues.
Ex Rhœda rursum, loculum statuêre pheretro,
Quiq́; ferant, bis ter corpora lecta iubent,
Sic magno ciues funus comitantur honore,
Atq; hostis uicti multa trophæa gerunt.
Principis arma puer, gladiumq́; gerebat, equestris,
Conuersa gladium cuspide ad arma tulit.
Tumq́; duces reliqui, proceresq́;, uiriq́;, sequuntur,
Lugubris, cunctis membraq́;, uestis, habet.

Omnibus

Omnibus in templis auditur clangor, in altis
Et uarios tectis æra dedêre sonos.
Tunc populus templũ intemeratæ Virginis intrant:
Et lapide excelsum, & turribus egregium.
Magna domus multis & celsis fulta columnis,
Intus perpulchris clara & imaginibus.
Signa quid hic memorem, nitidis suspensa columnis,
Et ueterum in templo fixa trophæa ducum.
Hic sunt Heroum mandati marmore uultus,
Monstrat & hic uiuos, picta tabella, ferè.
Exuuiasq; Ducum tenet, ossaq; tecta sepulchris,
Fama immortalis fortia facta docet.
Intrârunt templum, medio posuêre pheretrum,
Et circum loculum clara trophæa figunt.
At potis est mœstam uis nulla tenere Duciſſam,
Accedit loculum, tollit ad astra manus.
Procumbit super, atq; hæret lachrymãsq;, gemensq;
Et manibus pungit languida membra suis.
Nec longè, populum ad tristem fit concio, mortem
Mauricij, ostendens, omnia facta Ducis.
Qui bello fuerit primis & clarus ab annis,
Quem timuit fortem Turcica turba Ducem.
Pannonium Turcæ namq; obuius iuit ad Istrum,
Amplam perq; hostes præcipit ense uiam.
Gallia tuq; Ducem sensisti, & Principis arma,
Pectus, & agnôsti, Gallia, Marte graue.
Præterea ut cædes sedârit, & ille tumultum
Brunsuigium, nostis, qua probitate, ferum?
Neu furerent homines in cunctos Marte cruento,
Mauricij in patriam, cuncta repressit, amor.
Quocirca Imperij septemuir factus ab ipso
Cæsare, Germanos pax ubi sancta fugit,
Et surgunt iræ, surgunt quoq; bella, tumultus,
Et strictis armis horret ubiq; solum.
Qui Magdeburgenses bombardis undiq; muros
Deiecit, turres, culmina & alta, domos.
Fecit & infesti quod non timet arma latronis,
Hæc per qui carpit regna uiator iter.
Postquàm non ualuêre preces, capit arma coactus,
Ex uinclis socerum liberat ipse suum.
Ille ubi deuicit munitam Cæsaris arcem,
Quæ tollit celsum per iuga celsa caput.
Agmine præmisso Turcas hostesq; repressit,
Mauricij audito nomine Turca fugit.
Vt taceam dixit, quæ gessit facta, sacerdos,
Ostendam dederit munera quanta scholis.
Musarumq; domos, cultas & Apollinis arces
Instituit, doctos addidit hisq; uiros.
Queis misera, & pauper, studijs procliua iuuentus,
Gratis Cecropiæ Palladis arma colat.

XI. Calend. Augusti. Templum B. Virginis.

Luctus Duciſſæ.

D. Ioannes VVeiß. Facta & res gestæ Mauricij Electoris.

Propitius studijs, pietatis amans, liberalis,
Cultor Euangelij, duxq; facundus erat.
Vltrò qui multo decorauit munere doctos,
Præmia, quos aluit militibusq; dedit.
Hei pro communi, dum uult pugnare, salute,
Pro patria & forti suscipit arma manu:
Ex bello palmam, tristiq; ex cæde ferendo,
Altum bombarda sub femur ictus, obit.
Et mors sæua suum uoluit deferre triumphum,
Hæc ducibus uictis, sola, trophæa ponit.
Hæc tamen est miseris nobis spes sola relicta,
Quod Christus uicta morte trophæa tulit.
Quæ quamuis nostrumq; ducem, deuicta, necârit
Sistere non poterit uera trophæa tamen.
Credens is siquidem, Domino in Christoq; sepultus,
Ad uitam surget tempore iudicij.
Hæc dixit senior, mœstum populumq; solatur,
Suggestum posthæc ante precatus abit.
Emicat Oceano, Phœbi rota clara, relicto,
Illustrata nitent lumine cuncta suo.
Intrârunt templum, fitq; altera concio, rursus,
Enarrans summi plurima dicta Dei.
Tum sese uulgus coniungit turbine densum
Diuina, intendit, uoce, uidetq; ducem.
Marmoreo interea corpus statuêre sepulchro
Grandæui, bis sex, & pietate, senes.
Ille extremus honos, hæc ultima munera dantur,
Extinctis possunt nec meliora dari.
Mœrentum impleuit uox alto murmure templum,
Mauricij præsens funere quisq; gemit.
Ast illi posuêre ducis monimenta columnis,
Et tumulum iuxtà facta trophæa figunt.
Hic uexilla nitent, fuso maculata cruore,
Hic galeæ, gladij, cuncta cruenta nitent.
Arma ducis, gladius, teres atq; hic hasta coruscat,
Effigiemq; ducis picta tabella tenet.
Hæc mors Mauricij ducis hæc quoq; fata fuerunt,
Hæcq; sepultura est ultimus ille & honor.
Etiam templa duces, atq; ipsa sepulchra relinquunt,
Ad sedes proprias hinc abiere uiri.

A domino Daniele Greſero paſtori Eccleſiæ Dreſdenſis. Sepelitur Electori X. Calend. Aug.

FINIS.

DE ILLVSTRISSIMA ET GENEROSISSIMA STIRPE SAXONICA Epigramma.



RONDE *tuum uiridis, caput altum* RVTA *coronat,*
Aetas gestandam quam dedit, ante, uetus.
Tu sparsim flauis, nigrisq; decora figuris,
Saxonica, excellis regna perampla, domus.
Decidit ast iam Marte tuo de germine RVTA,
Et serti magnum decidit, ecce, decus.
Mauricius princeps, animo fortißimus, heros,
Amissum luget TEVTONA *terra ducem.*

VERSVS CONTINENS ANNVM IN quo obijt Illustriss. princeps.

MaVriCIVs, *fVrIas hostIs, fera beLLa repeLLens,*
EXpIrans, VItæ, VVLnere, CLaVsit Iter.

VERSVS MENSEM, DIEM, ET HORam mortis significantes.

MauricIVs martem pro LIbertate gerendO,
EdiDIt EXemplar *quod decultq; ducem.*
Non HOstem *metuit* RApidum NON *Alta frementum,*
SEd *mente, infracto & pectore uictor* OBIT.

DE MORTE ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS MAVRIcij Electoris &c. ad excellentem & magnificum uirum D. Ioannem Næuium Medicinarum doctorem.

ECLOGA.

TITYRVS ALEXIS.

TI. Quo te cunq; pedes, & quo uia ducit, in urbem?
Te siquidem prorsus defessum cerno uiator.
Est tibi quod nomen? AL. mater me clamat Alexin.
TI. Vnde uenis? AL. patrijs bellum, me turbat ab oris,
TI. Quid? bellum? miror, en quæ te sententia fallit.
Quis habitans, nunc fare mihi, quæ nomina regna?
Quos dominos habeant, quomodo & uilla illa uocatur?
AL. Quæris multa nimis, sed me Franconia nutrit,
Et Seifershausen uilla est cognomine dicta.
Ecce autem nox alma caput iam tollit in auras,
Inclinata dies, neu me iam Tityre serua,

Eſt alia hinc mihi namq; uia, huc me dira coëgit
Seditio, & cædes, magni belliq; tumultus.
TI. Quin maneas, mecumq; domum de rure meabis,
Cras ubi fulgebit radijs ſplendentibus, ingens
Sol, curſum peragas, ſaltem ſis lætus Alexi.
AL. Proh diuos lætus ſis tu, bone, rebus ademptis,
Conſumpta igne domo, natis, uxore perempta,
Deniq; truncatis reliquis, quibus utor, amicis.
Diues agris, ouibusq; fui, bouibusq;, iuuencis,
Vaccis, diues equis, iam prorſus pauper, egenus,
Ignotis circumq; uagor miſer aduena terris.
TI. Pone tuum gladium, & ſcamno decumbe uetuſto,
" Stultum eſt quotidie ueterum meminiſſe laborum,
" Stultum eſt aduerſis animum demittere fatis.
En ego qui multum, grauiterq; laboro per annum,
Succurrunt mala multa mihi, iam uerberat uxor,
Iam in me ſuccenſus, me ruſticus obruit enſe,
Iam cado, iam pecoriq; meo mala plurima ſurgunt,
Attamen hæc circo nunquàm deſpondeo mentem,
Vxor me, quando mea tergaq; fuſte peregit,
Curro ex æde citus, pro lætus tecta tabernæ,
Illic concilio percuſſaq; brachia, tergum,
Nec quæ contigerant memini tunc antè malorum,
Sic multosq; dies, ſic feſtaq; finio multa,
Hinc uaſtum corpusq;, & crura trementia carne.
AL. Narras pulchra mihi, ſed conuenientia nunquàm,
Quèis habites, tu multa tenes, ædesq;, domosq;,
Sed ſupereſt miſero mihi nil iam Tityre tale,
Hortus fertq; tuus caules, olera omnibus annis,
Dantq; tibi frumenta ſatis, bona munera, fundi,
Caſeolosq; tenes teneros, & lacte uetuſtos,
Quæ mihi ſunt bello iam duro à milite rapta.
Horret ager noſter morientum ſanguine latus,
In quo pugnarunt hoſtes, ubi prælia facta,
Iamq; occiſorum circum, campi oſſibus, albent.
TI. Horrendum fàris. Sed iam cape dona Lyæi,
Quæ mihi produxit, ſummo mea uinea monte,
Pelle famem, conſume cibos, dum patina plena eſt,
Edoce tunc cædes & bella cruenta. AL. libenter.
Hei mihi qualis erat cædes, ô Tityre quanta:
Albertus geſſit crudelis, Marchio, bellum,
Bellum ingens, urbes, uillas, & mœnia perdens,
Creditur hic miſſus, regno ex Plutonis, auerno,
Tam furit, & ſæuit per plurima regna timendus.
Nec metuit quenquàm, furijs agitatur amaris.
Hunc contra bellum geſſit Dux ueſter, & heros
Mauricius, patriæq; tulit, ſeruatq; ſalutem,
Fit iuxta uillam noſtram concurſus acerbus,
Pugnaq; iuxta illos, ô Tityre fitq; cruenta,
Bombardæ, multis uitamq; diemq; tulère,
Proh quàm crudelis, triſtisq; eſt machina belli,

Credo

Credo equidem, de ipso Plutone fuisse repertam.
TI. Non. Monacho à quodam. AL. quæso fuit ille scelestus.
Inter pugnandum, post funera multa uirorum,
Mauriciumq; Ducem petit igne & sulphure telum,
Transadigitq; femur globulus, uincla omnia rumpit,
Loricam ingentem, squammis auroq; trilicem,
Concurrunt trepidi comites, dominumq; ruentem,
Suscipiunt, rursusq; ferunt in castra cruentum.
Interea reliqui pugnant, hostemq; sequuntur.
Præterea & Princeps Luneburgus concidit ense,
Brunsuigeriq; duo fortissima corpora, mortem
Oppetiunt, comites itidem de Barraba cæsi.
Et miseri cogimur pugnam succedere, tristem,
Rusticus & quisquis uillis consedit in altis.
Progredimur tectis, demisso pectore, telis
Ad bellum uarijs, quæ non militibus apta,
Non meliora quia miseris iam tela fuere.
Ille gerit fustem, gladiumq; hic, ille securim,
Ille sparum gestat, magnam hic sed protulit hastam.
Ille pedum, fert hic ferrugine tela, sed ille
Enses, hi terræ similes, perlucida tela.
Pars armata fuit. Me furca at dentibus armat
Ternis, quando alijs fuerat modo furcula binis.
Hei mihi quàm mors atra tulit pugnare uolentes,
Necúe sparus dominum, nec triceps furca tuetur,
Hos bombarda necat, necat hos & miles in armis.
Vix ego per medios fugiens ex turbine ueni.
Tantus telorum fremitus, stridorq; tubarum.
Marchio tunc cecidit permagna clade tyrannus,
Captiuusq; fuit, quem, rursus perfidus hostem,
Duxerat ex uinclis, donatus munere uictor.
Mauricio data palma duci, & uictoria belli.
Qui propter uulnus moritur, uitamq; relinquit.
Illius & dudum sunt ilia condita terræ,
In Seifershusij templo, iam corpus & ipsum
Ad uos ducetur, tumulum ad patriumq; sepulchrum,
Id quod Fribergi memorarunt esse ministri,
Hic luctus tantus, sunt hæc quoq; bella cruenta,
Quæ tamen ignoras ô Tityre cuncta. TI. nec illa
Curo quæ faciunt domini, sint bella, sit aut pax.
Si modo non nostris contingunt talia uillis.
Mauricij fatis planget Germania tota,
Hic bellator erat, fortissimus ille uirorum,
Rebus in aduersis animo non fortior ullus.
Me miseretq; Ducis permagni principis, eheu,
Qui poterat multis, multumq; prodesse, periclis.
AL. Iamq; uale, ualeatq; tua hæc ô Tityre coniunx,
Et dulces nati, natæq; tuiq; propinqui,
Est aliud quod agam, certè nunc tempus eundi est.

FINIS.

ORATIO HABITA LIPSIÆ AD FVNVS ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS MAVRITII, DVCIS SAXONVM ELEctoris, cum præterduceretur, XIII. Calend. Iul.

IOACHIMVS CAMERARIVS PABEPERG. PRAESTANTISS. Domino Christophoro Carolouicio.

S. D.



VO certius scio te peritum esse artium bonarum & instructum prudentia, eo magis lætor tibi probari opera ingenij nostri. Nam & uerum iudicium & mihi honorificum talis uiri esse oportet. Nunc igitur tibi qualecunque scriptum oratiunculæ nostræ (quam nuper in omnium nostrum maximo luctu ad Illustriss. funus, habui) ut uoluisti, mitto editum illud quidem. edi enim uobis placuerat, quod (ut tu dicebas) uera afficeretur hac laude Illustriss. princeps, cuius memoriæ quamuis nobis acerbæ, honorataæ tamen & uenerabili, hæc opera data fuit. Est mihi hoc gratius & magis me delectat, quàm si alia prædicarentur, quæ in hoc genere prestari debent: Verborum copia, grauitas sententiarum, compositionis elegantia, & his similia. Ego enim qui nihil unquam de uiuente scripsi, mirifice uelim ornari posse literis meis ita nunc defunctum uita sua. Si enim illius consilia & conatus processissent, pax profecto Germaniæ restitueretur, & quies pareretur studijs optimarum disciplinarum atq; artium, & spes bona præluceret in posterum multiplicium commoditatum, quibus omnibus hoc casu & Remp. & unumquenque priuatim spoliatum esse doleo. Erunt qui aliter iudicent ac loquantur. de quo mihi laborandum non est. Ego qui scholasticus homo sum, in ea quæ fiunt intuens, si hoc uel illo modo afficior, concedendum mihi esse arbitror. Doloris autem miseriæq; sensum declarare sine ullius contumelia, cui unquam negatum fuit? Vt enim potentiæ suo arbitrio dicere & facere quelibet conceditur (Quo illam nomine Antigone Sophoclea beatam esse ait) ita alijs certe licet & ægritudine, molestia, formidine percelli, & perturbari tristitia, & sibi male esse fateri, cum sit male. Quæ cum Naturæ sint impulsiones, neque ulla mirificæ sapientiæ disputatio delere, neque iniusticia potentiæ reprimere poterit. Coegisse sanè portenta quædam Regum Caligulas & Caracallas, accepimus ciues dolorem & consternationem celare atque tegere, cum ipsi omni scelere & immanitate lacerarent Remp. & priuatos fortunis, ac uita euerterent, Erupit tamen libera interdum aliquorum indignatio, qui cum mori possent, nescirent cogi. Sed nos neque quid consulatur aut geratur cognoscere studemus, neque tractationibus rerum ullarum interfuimus, neque ij sumus qui à quoquam intermissi officij aut perpetrati facinoris, quasi rationes exigere debeamus, & sum (ut uerum fatear) bello malus, utilis urbi, ut Horatius de se affirmat, ego de me spero: Denique in hac umbra uitæ scholasticæ ἃ δρῶσιν οἱ κρατοῦντες οὐχ ὁρῶ. Sed facta ipsa per se considero, ὡς γραφεὺς ἀποσκιᾷς, secundum Euripidem. Qui enim non possum, tam manifestis malis & calamitate præsente. Quod igitur opt. & fortiss. principem studuimus laudare, quia & assentationis suspicionem amotam à nobis esse, illo sublato, par est, & nos neminem oratione nostra perstringere, neque huius principis laudationem cum aliorum uituperatione coniungere uoluimus: Vel probabitur, ut confido, officij mei munus, uel uenia hæc mihi dabitur & ignoscetur dolori timoriq; meo, Si & cladibus publicis & priuatis incommodis moueor & excrucior, & opto cum patriam ciuesq; nostros saluos atq; incolumes esse, tum dedecus ignominiæ auerti à natione nostra, ne ad damna & perniciem Germanici sanguinis probrum & infamia adiungatur. Me miserum quam breuis hæc nostra uita est, & in hac ipsa, quam multa offeruntur

aduersa

a Iuersa nobis inuitis? Cur igitur accersimus insuper tristia? cur, ut ille in Tragœdia queritur, mortale miserum genus.

Enses parat cædesq; mutuas struit.

Quin placida in pace ciuitates coluntur, & ea instituuntur, cõfirmantur, augentur, quibus & æterni Dei numen celebretur à uenerantibus, & societas hominum communicatione officiorum stabiliatur. Cur præconsumuntur uires propriæ, tam prope absistente barbaro hoste, qui nihil aliud expectat nisi in defatigatos mutua oppugnatione, ut possit irruere. Quam autem, obsecro, rationem sequimur, aut fouemus spem talibus inceptis, cum sit sententia exitus & diuina & humana uoce publicata. Nam ut sacratiora omittam, quæ commemorantur, aut debebant certe commemorari suo loco, Quid ait uetus oraculum?

οἷ ἂν τ' ἀνὴρ ἐξῇ τοῖον τέλος αὐτὸν ἰκάνει.

Quid Euripides? testis sapientiæ.

Μῶρον δὲ, θνητῶν ὅστις ἐκ πορθεῖ πόλεις
ναοὺς τ' τύμβους θ' ἱερὰ τῶν κεκμηκότων
ἐρημίᾳ δοὺς, αὐτὸς ὤλεθ' ὕστερον.

Ait furiosus adolescens apud eundem Euripidem, fieri non posse quin unusquisque patriæ teneatur desiderio & illam amet, cùm tamen ipse adducat exercitum hostiliter illam oppugnaturum. Vult enim Polynices obtinere ius suum. At Eteocles regni caussa diuina humanaq; omnia miscenda esse censet. Hanc rabiem & consentaneum exitum Tragœdia scilicet proponit, non illorum gratia quibus hæc euenisse finguntur, sed ut documenta tradantur alijs, ne ambitione aliaue cupiditate praua incitati eò efferantur, ut neq; Reip. neq; ulli ciui neq; sibijpsis parcant. Atq; hoc uerum est, non concedi sæpenumero, ut in cupiditate pacis bellum uitetur. Propulsanda enim iniuria est ac uis hostilis, Defensio etiam legitima non modò concessa, sed aliquando necessaria est. Nihilo tamen minus sæpe optima & præclarissima caussa agendo corrumpitur, cùm excedunt fines, quos tam ius & fas, quam ipsa humanitas atq; uitæ coniunctio præscribit. Intra quos si non consistitur, & æquitas deseritur, & totum negotium peruertitur atq; deprauatur. Contra quæ omnia remedium est unum, moderatio, & iuris custodia, τὸ γὰρ ἴσον νόμιμον ἀνθρώποις ἔφυ. De quo iam sunt reliqua uota mea, ut spero, pia atq; salutaria. Conuertat quisque suas cogitationes ad æterni Dei uoluntatem & edicta. ad patriæ miseræ & afflictæ subleuationem & opem, Ad sui ipsius dignitatem & uera commoda. & non conuellere labefactata, sed pro sua parte instaurare nitatur. Fidem non fallere, fas & ius non uiolare, non occultis fraudibus, non armis uiolentis sæuire, grassariq; in ciues, sed potius per uirtutem mortem oppetere, quam negligatur officium, aut committatur scelus: Id est tale, quod & ad Deum religionem commendet, & ad posteros nominis illustrem famam proferat, & eum felicitatis euentum homini conciliet, qui & optimus est, & ab omnibus sanis expetitur, gratiæ & fauoris à Deo, & ab hominibus charitatis atq; honorificæ mentionis. Quæ quidem à nobis & sentiri & dici rectum esse statuo, & confido futurum ut ab intelligentibus non improbentur, uel aliqui hęc etiam ut utiliter cognoscant. Tibi quidem erudito, docto, prudenti uiro certe placebunt, quia hæc est Musarum oratio, quæ tibi notissima est, & cuius interpretem me tu quidem præclarum ais, ego mediocrem esse negare non debeo, quod in hoc studio omnem ætatem meam, iam illam quidem ingrauescentem annis, contriuerim. Quod autem ad istam funebrem laudationem attinet, cùm tu (qui omnibus rebus interfuisti, & cuius fidei Illustriss. princeps moriens credidit atq; commisit publica ac priuata negotia uniuersa) uera narrata à me, neq; colores ullos quasi pigmentorum quæsitos, ac potius plærag; simpliciter & breuiter exposita esse scias, meum officium me præstitisse mihi satis erit, cætera permittam Deo, cui Germaniæ salutem & si quid reliquum est dignitatis, commendo. Et hunc oro ut mentem etiam tuam regat & consilia gubernet, ut ipsius

uenerationi & cultui & conseruationi ac incolumitati

patriæ inseruiatur. Vale Lipsiæ

Calend. Iul.

ORATIO FV-NEBRIS.

VTINAM generosi, nobilitate, uirtute, sapientia, doctrina præstantes, Amplissimi eximijq; uiri, & uos bonarum literarum atque artium studiosi, Vtinam hoc munus de tali re nunc dicendi, mandatum esset alteri, qui & maiore cum dignitate hoc loco conspiceretur, & præclarius sciret explicare argumentum orationis huius, quæ à me nunc est habenda. Sed quoniam ita cecidit, ut hæc mihi quasi prouincia traderetur, quam me recusare nullo modo liceret, peto à uestra Clementia, benignitate, prestantia & humanitate, ut me in omnium nostrum maximi doloris summà consternatione, uerba facientem fauore & studio uestro subleuetis. Nam utroque mihi admodum opus esse intelligo, cùm propter ingenij mei mediocritatem, tum asperitatem temporis & casus atrocitatem. Quicunque enim (ut de me taceam) proposito corpore principis, patris patriæ, qui dicat cogitare, aut alij rei quam dolori & fletui uacare potest, eum aut nimis leui & facili, aut duro & plane infracto animo esse oportet, quorum alterum, à me alienum esse fateor, alterum impietatem & scelus complecti sentio. Et dicendum tamen est aliquid, neque patiendum, ut tacitis nobis præterducatur tale funus. Lachrimarum etiam tanta copia ac uis profusa à nobis iam est, ut destituat modo siccos oculos magnitudo et abundantia doloris. Impendimus igitur hanc tristissimam operam, & mœstissimum præstamus officium, Illustrissimo Duci, charissimoq; principi & unico in terris parenti nostro, ut significemus incredibili dolore confici animos nostros, Et persoluamus hæc quasi iusta sepulchri, principi nostro, Quem pietas erga patriam & uirtus sua, ad præmaturam mortem, & celerem exitum ex hac uita, sibi illum quidem gloriosum, seu suis omnibus lamentabilem, & Reipubl. luctuosum, deduxit. Hostibus uictis & fugatis, ipse accepto in prælio uulnere, traiectus globo nefariæ machinæ, ictu neque præuiso, & inobseruabili, postea tertio die, placido fine in terris clausit uitam suam, & eas res reliquit, quibus ipse accisis & laborantibus, subuenire & opem ferre conatus fuerat, cum se turbulentissimis fluctibus tempestatis iam in totam Germaniam sæuientis opposuisset, posthabitis & contemptis omnibus periculis & difficultatibus, quemadmonum animi magnitudo & uirtus facere consueuit. Narrationem audijstis simplicem & breuem rei maximæ & grauissimæ. Cuius recordatione ita consternari me sentio, ut non reperiam uel quid amplius narrem, uel quomodo miseriam & calamitatem hanc taceam. Nam & molestiæ atque curæ hærentes animo & cogitationem omnem retundentes, ulteriorem orationem impediunt, & quæ plaga inflicta uideatur Reipub. etiam nominis caussa, commemorare uereor. Quia tamen & huius consilia principis, de alijs, quibus nota fuerunt nonnulla, cognoui, et factorum uirtus ante oculos est omnibus, Non possum neque debeo silentio præterire, aut non affirmare uerbis, (si quis forte adhuc ignoret aut dubitet) amissum esse eum principem, qui et rectè atque prudenter cogitando, et fortiter atque intrepide agendo, solus rem Germanicam impulsam ac ruentem sustinere potuisse uideatur. Quod ideo refero, ut consideremus, quid præsidij et spei ereptum sit, utq; impendentium deinceps periculorum magnitudine terreamur, et toto pectore ueraq; religione conuertamur in tantis malis, ad inuocationem filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, saluatoris generis humani, Implorantes in extremo hoc rerum discrimine auxilium, et orantes ut ipse benignitate sua et misericorde manu, protegat

protegat Germaniam, in qua uoluit ueritatem cœlestis doctrinæ celebrari, & oriri lucem opt. disciplinarum & artium, ad ipsum laudandũ ac uenerandum, & uitæ atq; morum honestatem ac decus & cultum societatis humanæ. Vtq; desinamus obliti tantorum beneficiorum abuti his donis, & indulgere prauis cupiditatibus, neúe contempto numine diuino (quod omnia quæ nos gerimus auditq; & uidet) in flagitia & scelera tanquam effrenes & indomiti equi ruamus. Ipse quidem Illustriss. & fortissimus princeps & præclara atq; iusta in caussa, & per uirtutem, cùm felicem tum speciosam mortem obijt. Nos autem spoliati gubernatore ac Duce, & orbi parente, in squalore ac luctu iacere, & mœrore solicitudineq; trepidare atq; angi necesse est: Nam quo hic præstantior & melior p-inceps fuit, eo consternationem & cruciatus animorum, illo nobis erepto, maiores & sæuiores esse oportet. Cùm autem post mortem incliti ipsius parentis Illustrissimi principis Henrici, gubernationi patriæ, quæ ad ipsum successionis legitimo iure pertineret, præfuerit nunc annum duodecimum (quam longo temporis spacio & Alexandrum Magnum, peregisse cursum Imperij sui, accepimus) Varia ille fortuna iactatus, & durissimis cum casibus cõflictatus, & multiplicibus exagitatus aduersationibus, id omnino præstitit, ut neq; ad Deum religionem, neq; ad homines Iusticiam, uiolauerit unquam, cæteris autem rebus, & magnificentiam illustrissimæ conditionis, & incliti generis splendorem, excellentia uirtutum suarum nõ modò tutatus est, sed reddidit etiam admirabiliorem. Cùm autem ita scilicet Deo (cuius consilia ut recta & bona, sic etiam ignota plærunque hominibus sunt, & arcana) Deo inquam uolente cùm ille, quasi in mare, negotiorum intricatorum, & rerum perplexarum delatus, cursu sæpe uteretur minimè tranquillo, Tum etiam uelut i tempestatis procellas expertus fuit, inclementiam et horrorem odij atq; obtrectationum. Quam iniquitatem nemo unquam in tertis ad potentiæ fastigium euectus uitare potuit. Sed falsas inuidorum atq; e maleuolorum accusationes, ille cum singulari successu gloriosæ defensionis non uerbis, sed re confutauit omnes. Quod eos à quibus aliquando esset cõtumelijs dictis lacessitus, ita maximè ultus fuerit, ut plærosq; coactos ad se confugere, non modò non læserit, sed clementer etiam protexerit: Alios partim à se auctos atq; ornatos, partim præter spem & opinionem omnium adiutos, præcones habuerit non paucos, uel innocentiæ, uel etiam uirtutis suæ, et consiliorum honestissimorum, laudatissimarumq; actionum testes. Sed inuidia penitus extingui nõ potuit. quam ille etiam Hydræ et Cerberi domitor reperit extremo fine domandam. Quod tantum abest ut illustrissimi nominis illius famę maculam ali quam asperserit, ut hanc etiam præclariorem reddidisse uideatur. Est autem peruersissimus mos et illiberalis maximè, cùm in alijs tum uerò in Duce ac Principe, non spectare tempora, in quæ quasi curriculum uitæ inciderit, neq; Res quibus aliquis fuerit implicatus. Princeps Mauricius, natus annos XXI. gubernationi præpositus, administrauit hanc annis integris XI. nam duodecimo, ut diximus, terras reliquit. Quid ego uero referam? qui Reipublicæ status fuerit, quando huius florens adolescentiæ, et ardens animi excelsi, et cupida laudis, ætas iuuenilis, summæ rerum est præfecta? Quæ confusio? quanta diffidentia, circumspectio, cautio? qui imminentium malorum metus? qui apparatus? quæ instructiones? Quantæ instigationes, extimulationes, acerbitates erga ipsum? quid miseriarum præterea? de quibus hoc loco uerba facienda non sunt, neque à me fieri omnino conuenit. His annis undecim, Illustrissimus princeps noster, Vndecim fecit duxitq; expeditiones, Vndecies eas res aggressus aususq; fuit ac gessit, quas toties alteri animo concipere & cogitatione explicare difficile esset. Itaque tali tempore

Reipub. etsi uoluit Deus hunc principem, tot annis, quasi humeris suis sustinere Germaniæ dignitatem & præstantiam, Tamen in perturbatione omnium, & aduersatione fortunæ, ita hoc tempus abijt uel potius auolauit, & ea laborum occupatio correptum principem exagitauit, ut huic quoq; Virgilianum uaticinium accommodari potuerit:

Ostendent terris hunc tantum fata, nec ultra
Esse sinent.

Cùm autem natura esset inflammata cupiditate rerum aliquid magnarum armis gerendi, Ipse quidem nullam militiæ honestæ & Reipublicæ utilis opportunitatem fugit, aut neglexit occasionem, Sed temporum & negotiorum turbulentia atque exulceratione, in alienas etiam & mirificas tractationes delatus est. Cæsari quidem & Regi Romanorum, ita obnoxiè & subiectè inseruijt, ut utriusque Clementiam summam, & maximum fauorem deuinxerit meritis suis. Ac celebres sunt cum aliæ expeditiones bellicæ, quibus interfuit, & fortitudinis eximiam laudem, Illustrissimus princeps noster consecutus est, tum Pannonicæ contra hostes Christianitatis perpetuos, Turcos, in quibus etiam aliquando periculum uitæ adijt, dum magis quomodo hostes lædat, quàm se ipsum tueatur, ingente & omnes casus paruipendente animo attendit. Exortus autem aliquando motus quidam fatalis Germaniæ, præ cæteris grauiter eum & uehementer exercuit, & causſæ implicuit obscuræ, dubiæque & plenissimæ offensionum. In qua specimen edidit singulare, & patientiæ, & integritatis, & industriæ, & ad extremum uirtutis atque præstantiæ. De quibus rebus neq; à me plura dicenda sunt, & id sæpe soleo, cum illarum in mentem uenit, usurpare: utinam ne in nemore pelio. & cætera. Et longæ enim ambages sunt, & causſæ mirabiles, & euentus inopinati. Sed exitus tamen is fuit, qui non modò uirtutem illius, & animi infractum robur, & rerum gestarum gloriam redderet magis conspicuam, uerùm etiam declararet atque palàm faceret, nihil aliud, quàm quod sine æterna labe nominis omitti non posset, quæsitum, & studium illud non turbandi, sed turbata componendi fuisse. De quibus etsi omnes boni & bonarum partium cupidi, honorificè & præclarè loquuntur, tamen uerius & rectius, ut semper solet, posteritas iudicium factura est. Hoc autem extremum bellum, quid eum coëgit suscipere, nisi respectus & cura miseræ & omni auxilio destitutæ Germaniæ. Nihil dicam, neque enim par est, ac decet, quod in quenquam contumelioſum sit. Etsi toto pectore commoueor, quoties cogito, fati inclementiam, quo Germania iam diu premitur. Non externi hostes hanc populantur, non aliena fraus diripit, Sed suis ipsa uiribus ruit, ad se ipsa euertendam callida est, & dolos struit. Quid obsecro existimandum? externos loqui de nobis. Quid literæ & scripta testabuntur? Durum est & asperum dictu, sed dicendum tamen. Ciuium in ciues, immo fratrum, cognatorum, propinquorum in suos commemorabitur, impius & nefarius, furoris atque uesaniæ impetus: Inuidiæ, circumuentio, inductio, fallaciæ. Non tantum mali in summa calamitate esse potest, quantum est in hac ignominia & dedecore. Ferremus (ut quidem quisque posset) aduersa quæ non liceret subterfugere, Sed infamiæ profecto istius deformitas intolerabilis est. Quæ autem hæc est rabies? Nihil curare aliquem, quid liberis, uxori, consanguineis suis flat? an nobiscum una extingui deleriq́ue cupimus omnia? Et illæ Neronianæ ac Caianæ sententiæ in animo & uoces in ore sunt, Me mortuo terræ absumantur ignibus. Vel magis etiam tristes: ignes, ruinæ popolum premant, turpisq́ue egestas sæua cum luctu fames? Et qua Catilina senatui insultauit, cum se incendium excitatum ruina extincturum esse minaretur. Ac similes quas barbariæ iactat insolentia.

O gentis

O gentis & nationis laudatissimæ ingens probrum. Sed reprimamus nimis hac in parte euagantem orationem, & speremus nunc etiam meliora: Hoc quidem manifestum est, nisi Illustrissimus princeps noster, offensus & dolens dilaceratione patriæ communis, & clade publica, se & uires suas, uiolentiæ passim in quosuis grassanti opposuisset, ne spem quidem futuram reliquam fuisse, subueniendi Germaniæ unquam, aut afflictam recreandi, & subleuandi prostratam. Ille enim cum incendium in Germania paruis initijs exortum (quibuscunque sane autoribus. nam de hoc disserere, neque in procliui, neq; meum est) ita auctum esset, non modò ut proxima quæque loca corriperet, sed quasi impetu uenti prouectum, longe etiam distantes regiones arriperet, postquàm tentauerat expertusq; fuerat omnia, si quam opem in ultimo discrimine afferre posset Reipub. Vbi sese interponendo, postulando, monendo, deterrendo, nihil proficere uidit, sumpsit arma, ut contra ciues inuitus, alacri autem & prompto animo, ut in optima spe pacandi Germaniam, & charissimam patriam, non modò præsentibus miserijs, sed impendentibus etiam periculis liberandi. Itaque sese flammis belli obiecit, & rapinis atque diuexationi & populationi immani occurrens, cùm hostes à progressu arcuit, tum refrenauit à successu, tum etiam undique expeditione sua colligauit, constrinxit, impediuit. atque ubi ad manus uentum fuisset, Ipse quidem uictoria memorabili potitus est, sed hanc miserabili morte imperfectam & debilitatam reliquit. Tu uicisti Maurici princeps tot & tam infestos hostes, tua manu. Nam alia dici à quouis quam à me malo. Quin etiam quid hoc loco narrem plane dubito. Referenda enim ea erant, quæ consertis manibus & prælio commisso, gesta sunt, de quibus ipsos etiam, qui interfuerunt, non eodem modo loqui audimus. Neque interrogandos hos, neque eis facile credendum esse censet Euripideus Theseus, ut hæc ad nos nihil pertinere uideantur. In bello, nemo (inquit Demosthenes) suam ignauiam ipse accusat, sed in quosuis alios potius culpam uerbis transfert, ac sæpe euentus in prælijs infelices ita defendi audimus, ut proditum, desertum, relictum aliquem esse perhibeatur. Nos nihil de alijs quærere opus est. Tu, inquam, princeps Maurici, tu uincis tua manu, & id euenit quod in bello plerunq; solet, ut Mars optimum quemq; ex acie pigneretur. A te dissipantur hostium turmæ atq; cohortes, atque ita profligantur hostiles copiæ, funditur exercitus, ductores aut cæduntur aut capiuntur. relatis in castra, hostium uexillis pedestribus LIIII. equestribus XIIII. Sed hæc hactenus nobis liceat exposuisse, in doloris & indignationis sensu, utroque illo maximo. Tua quidem Illustrissime princeps animi magnitudo, quæ nunquam passa fuit, te meminisse ullorum monitorum,

Cautius ut sæuo uelles te credere Marti.

Hæc igitur aliquam adhuc spem bonam incolumitatis & salutis publicæ ad posteros propagat, partam illam quidem (ô dolorem mistum gaudio, ingentem) uictrice morte tua. Vt quicquid deinceps accidat, tu in omnem euentum culpa carituras, uel potius laudem sis & prædicationem constantiæ ac pietatis promeriturus sempiternam. Quæ restant igitur, ea ad aliorum curam iam delata sunt, quibus uel res prudenter & fideliter administratæ ac gestæ, & patriæ impensus, pariet lætitiam labos (ut Comœdia loquitur) uel id fiet atque sequetur, quod propter calamitatis extremæ tristitiam, & omen fati, commemorare non uolo. Nostro quidem Illustriss. principi uita iam peracta est. Qui eò se recepit, ab exhaustis laboribus ac defatigatione negotiorum molestissimorum, tam pacis quàm belli, solicitudineq; gubernationis (dicam etiam quod est & uerum & manifestum) à satietate quadam laudis & præstantiæ in terris, Inde igitur eò euasit, & ubi iam quiete frui possit tuto ac libere, & quo

inuidiæ atque odio acceſsio non ſit. Quæ licet tanquam beſtiolæ quædam humiles in terra ſerpant,& quærant quid ad arrodendum offeratur,illam quidem altitudinem ad quam pietate & iuſticia & fortitudine peruenit Illuſtriſs. noſter princeps,attingere nunquam poterunt. Quod ſi illi quaſi extremam manum operi incepto,& iam propemodum abſoluto imponere licuiſſet, omnes etiam iſti aculei retuſi,& impetitiones depulſæ, & inſultus obtriti fuiſſent. Germania certe ipſa ſuis iniurijs, uiolentiæ,crudelitati,amentiæ,ſceleri, ſibi erepta eſſet. Nunc te amiſſo,ô princeps, & ſpes nos fruſtratur & fortuna nutat,& contentiones tuæ corruerunt,prius in ipſo curſu fractæ quã portum proſpectum tangere potuerint. Mors hæc tua & expectationem, commodorum peruertit,& metum nouorum detrimentorum incutit. Omnibus bonis eſt luctuoſus & acerbus & grauis hic caſus: Te pulcherrimo corpore,firmo robore,animo fortiſsimo,(quæ in Achille coniuncta,quia hoc rarum eſt,tantopere celebrat Homerus)Te inquam talem principem ſubito & improuiſo auferri,ictu ſaucium occulto manus ignauæ & fugitiuæ, (cuiuſmodi & ipſum Achillis fatum fuiſſe accepimus) Te talem principem terra obrui, ſepulchri mole includi. Niſi(quod arbitror)non fuit digna hæc uita hominum, tua diuturniore uita. Non fefellerunt autem perculſos nos & trepidantes, ſigna crebra prodigiorum,quibus ſcilicet hoc tantum malum prædictum fuit, cum tamen uix eſſet quiſquam qui timeret,ac alia potius plæricq portendi detrimenta ſuſpicarentur. Prætereo cætera. Quæ fuit uero obſcenitas latratus canum, quæ importunitas,in oppidis longo iam tempore? Quam diræ inter ſeſe illorum dilaniationes? Quin etiam alicubi in uicinia moloſſos quaſi directa acie congreſſos & ſibi mutuo dentes infenſos impegiſſe,narrant,neque paſtorum uoce,neque uerberibus,certamen cruentum dirimi potuiſſe. Sanguinis profectò guttæ,tuum Illuſtriſsime princeps ſanguinem, pro Republ. profuſum ſignificarunt. quas in tuis terris largas ſuper folia arborum, materiam ædificiorum,& utenſilia deciſſe,& hæc polluiſſe conſtat. Quid quod illo loco ubi prælium commiſſum eſt,cum alijs noctibus tum maxime diem conflictus antecedente,horribilis fremitus & clamor tanquam equorum & hominum,& fragor ingens,auditus fuit? Et(quod inſigne eſt,ac admonitione ſua potuit prodeſſe,niſi infracta eſſet uis diuinæ uoluntatis)tentorium in quo cibum capere ſolebat princeps,& alterum ipſius Culinarium,turbine diuulſum fuit,illabefactatis cæteris uniuerſis. Quid fulminum & tonitruum terrorem commemorem? quid auditas uociferationes,uiſas ſpecies mirificas atq formidabiles? Quid ipſius principis dicta quædam, eiuſmodi,ut animus ipſius propinquam ex hac uita migrationem præſagiſſe,credi debere uideatur,& alia, quæ nunc recitanda non duximus. Hæc igitur ut tuam,Maurici princeps,deceſsionem portendiſſe,exiſtimare,neque impium neque abſurdum eſt,ita tibi quidem mali nihil accidit tali morte,quo uero ſignificati metus nunc tendãt, aut quid minentur,toto pectore precor ut omnes conſiderent, & prouideant ne ad præcipitium Reſpub. adducta impellendo proijciatur,potius quàm retinendo conſeruetur. Quod ſi quis nunc etiã reſtat euentus ſuauior. Tu tamẽ illum uirtute & pietate tua,tanquam alter Epaminonda,declinando effugiſti. Vt iam de ſe ſtatuendum ſit unicuiq. Non poſſum neq uolo in animum inducere meum,Hoc agere Germanicũ ſanguinem,ut patriã præſertim iam quaſi anum effœtam uiribus,& auxilio atq ſubleuatione maxime indigentem,pulſet atq conſcindat. Æternum hoc nefas eſt,& alienorũ,locis,moribus,inſtitutis,legibus,religionẽ. Nam omnes diuinæ & humanæ leges parentib. honorẽ iubent haberi. Eo autẽ oportebat unicuiq cariorem eſſe patriam q̃ parentes, quod uitæ quidem autores omnibus ſint parentes,patria uerò ipſos etiam parentes

rentes producat. Sed uarij & multiplices errores in uita hominum eueniunt. Iræ, simultates, odia, contentiones existunt. quæ donec nõ progrediuntur ad eam usque impietatem ut naturæ erga patriam affectio extinguatur, etsi quasi morborum mala admodum interdum acria sunt, medicinæ tamẽ adhuc est locus, illam uero hostilem in patriam impressionem (qualem utinam neque nostra neq; ulla sequens ætas experiatur) uindicem habet Deum qui hãc sibi puniendam reseruat, ut supplicia illius necesse sit esse atrocia, quæ cogitatio etiã hominis cordati refugiat. uerũ hæc reijciamus in Deum. Quæ uero dicta sunt ea expresit publicæ miseriq; dolor, quem & sentire, neque dissimulare ingenij esse existimo simplicis & probi. Neminem peculiariter lędit aut notat oratio mea, & est à me aliena consuetudo, uel cõuicia faciendi, uel omnino suspicandi perperam. Id autem ut memorarem, quod ipsum per se animaduertendum esset, neminem in partem deteriorem esse accepturum cõfido. nemo certe poterit de se interpretari, nisi qui ipse uoluntatis impiæ prius cõdemnauerit. Sed & querelarũ & de his defensionis satis. Ipse quidem princeps, conatus omnia, primum ne bello opus esset, deinde ubi nihil alia uia profici sensit sumptis armis, ut quamprimum patria salua esset, & in tuto collocaretur: quoniã inchoatum opus ipse absoluere nequiuit, hoc uel simile quippiam potuisse dicere uidetur. Ego quidem patriæ præstiti persoluiq; omnia quæ debui & potui. Studui in hac pacem esse perpetuam, reconciliari gratiã uel inter offensos uel dissidentes, explicari dubia ut sublatis erroribus concordia reduceretur. Impendi etiam facultates meas, & ad extremum uitam, cùm me quasi tempestas belli ad conflictum prouexisset. Nunc mihi quidem quies parta est, & defunctus una cum uita curis laboribusq; & periculis omnibus, funere felici condor. Reliquum est ut uobis, à quibus ego, euocante Deo, recessi, & Reipub. uideatis. Ne quis certam communis & propriæ salutis ac dignitatis & emolumentorũ spem amittat, & incerta omnia appetat, atq; ita in labore & dolore non modo ipsi mors & interitus, sed Reip. euersio & exitium obrepat. Quid obsecro lucri fecerit? si quis uitam producat ulterius, nisi impendatur hæc patriæ commodis. Quod alijs uiuitur id uiuitur nobis. Nam quid mihi prodesset post Turcica pericula remansisse uitam, si non illa postea profuisset alijs? Quandocunq; enim hæc finitur, quod antecessit temporis, id euanuit, ut omnis de fine tam felicitas quam infelicitas constituenda esse uideatur. Addere his poterat alia quoq; & de se cum uera laude, & ad alios cum utili admonitione: Sed nos hinc recedentes ueniamus ad ea, quæ magis propria sunt & considerationis & intelligentiæ nostræ. Cum igitur Dux Mauricius, ab Illustriss. principe Saxonum Duce, inclito parente suo, relictam gubernationem harũ regionum & auitæ ditionis accepisset, Ante omnia & inprimis curæ ipsi fuit, ut & res ecclesiastica cõstitueretur, & cœtus scholastici augerentur. Quorum alterum & perfectum facile est, & successit feliciter. Alterum diuinitus habuit fortunam satis prosperam & ipsum, sed in experiendo optimus princeps, plurimũ laboris ac molestiæ, & aduersationis nonnihil perpessus est. Omnino iniqua sunt hominum iudicia, maxima ex parte de rebus alienis, præsertim si accedat audacia pronunciandi, & leuitas insectandi, quæ semper populo placet, Tum uero consilia & actiones quæ deferuntur in articulos quosdam mutationum, non possunt non improbari aliquibus, & præbere diuersas occasiones diuersis, cum suspicandi, tum interpretandi, tum etiam (quæ est hominum peruersitas) deprauandi. Nos autem scimus & res ipsa (gratia Christo) demonstrat, Ab Illustriss. principe nostro, nunquam alias de religionis sinceritate & cultu diuino deliberationes susceptas, aut consultationes propositas fuisse, nisi quibus primum ueritas & gloria Dei: Deinde tranquillitas ecclesiarum, in concordia

cordia administrantium, quæri iuberetur. Semper hęc mandata illius fuerunt: Vt cœlestis ueritas declarata uerbo Dei, nulla uel minima parte sui contaminaretur, nulla concessione desereretur, nullo colore alieno pingeretur. In cæteris autem postulabat ut studio moderationis & consensione pietatis, operadaretur, ne uel culpanda uel certe non necessaria certamina ac contentiones, tam tempore contrario, quam non idoneo loco, fierent atque exercerentur. Quibus omnibus rebus neq; tam fortiter & constanter, neq; tam circumspectè & prudenter, neque omnino tam laudabiliter & præclarè, sese tenere ille & gerere potuisset, nisi æterni Dei benignitate, cùm regeretur mens ipsius, tum uoluntas confirmaretur, in hoc tam ambiguo et aspero spacio, quo decurrerunt consilia & actiones eius. Cui benefico & propitio Deo gratias agere debemus, quod tam miserabiliter & pernicioſè alibi rebus confusis & perturbatis, in nostris hactenus (ipso profecto ipso Deo munifica manu sua retinente) & custodia Veritatis cœlestis diligenter atque fideliter præstatur, & is status mansit quem reprehendere ne obtrectatio quidem posse uideatur. Sed de his plus uerborum facere superuacaneum, cum res in medio & conspectu sit uniuersorum. Nam si quis neque apertis oculis aspicere, neque cognitione animi intelligere quicquam uult, paratus gladiatorie impetere quemliber, & omnia arripere ad exagitandum, & cui hoc est in mente & ore, odi hominem, iratus pugno: cum eo tanquam Esernino, committatur sanè Pacidianus aliquis, nos quidem litigare nolumus, neque in præsentia acerbissima dolor patitur. Tuam autem Illustrissime princeps, pietatem, diligentiam, operam, ut uere possumus, ita debemus celebrare commemoratione uerborum, declarantium memoriam animi grati. Qui cùm perspiceres ad Ecclesiastici status diuturnitatem, plurimum momenti afferre solere, ueram rationem doctrinæ bonarum literarum atque artium, sine qua neque publicè neque priuatim uita ordine & rectè degi posset: omnibus modis curasti, ut restituta ueritate in scholis, erudita esset omnis & consentanea institutio. Non enim respectus hic tantum adultiores (ut ita appellem) & perfectiores tractationes studiorum, sed prima etiam rudimenta & pueriles ludos complexus fuit. Quarum omnium tanquam extructionum, ea est & firmitas & pulchritudo, ut alius quiuis exemplum sibi inde petere possit, & ad optimam spem in posterum, ut illæ stent atque perdurent, tantum hoc requiratur, ut sartæ tectæ præstentur. Quæ iam hæreditariæ successionis iure alij cura incumbet, & suscipietur, & respondebit autoris atque fundatoris, uoluntati ac sententiæ. De quo plura nunc nihil attinet dicere. Quod attinet autem ad luctum nostrum, etsi dolor immensus est, & uix fieri potest, ut aliqua consolatio reperiatur, recente maximè malo, & cruciatu furibundo, & deficiente atque languido corde hoc tanto uulnere, tamen debemus meminisse, quòd Christianam religionem professi, ante omnia & cognitionem nos illius tueri, & disciplinam à nemine deseri oporteat. Primùm igitur cùm constet Illustrissimum principem nostrum, in eo bello, quod non ipse mouerat, aut petulantia cupiditateúe propria excitauerat, sed ad quod suscipiendum ac gerendum fuerat coactus, nisi exponere uel potius obijcere impressioni hostili uellet se terras q; & ditionem atque subditos suos, quorum sibi salutem & incolumitatem defendendam atque protegendam diuinitus commendatam esse sciret: In hoc igitur bello occubuisse principem nostrum, gesto sine cuiusquam iniuria, & ad patriæ communis protectionem, cum sit manifestum & notum, (fortissime illum quidem dimicantem, & (id quod sine maximo dolore referre nequeo) non sibi uitæq; suæ parcentem aut prouidentem, quo quam celerrimè extincto incendio illo, flamma bellorum omnis in Germania sopiretur, & optatæ pacis tranquillitas

quillitas repararetur)Sic igitur eum pugnantem,cum in acie ictum(quemadmodum diximus)uictoremq; in castra reuersum,ita postea mortuũ esse nemi nem fugiat,quemadmodum optari talibus rebus potuisse aut debuisse uideatur:Decet nos propitio & misericordi Deo gratias agere pro tanto beneficio, neq; hanc animi affectionem indulgendo mœsticiæ,corrumpere. Nam postquam præsensit princeps & notauit signa quædam appropinquantis Mortis, (præsentibus ijs quorum ipsi & ante taciturnitas,probitas,constantia,integritas,explorata fuerat,quiq; ab eo nullo periculoso aut difficili casu ac tempore recesserant,& qui illi omnia tum summæ fidelitatis debita officia præstiterũt) quod permaneret mens integerrima,& uox quoq; non impediretur,Animus autem esset(ut fuerat semper)excelsus atque inuictus: Tum igitur piè & religiosè multa locutus,deq; illo ipso bello copiosè testatus fuit sententiam & uoluntatem suam:Cùm quidem & alia necessaria,ijs qui aderant, exponeret,& certis de rebus quid fieri uellet,ostenderet.Neq; ille se inuitum terris excedere professus fuit,quod se fidei in filium Dei suæ,optima spe foueri lætaretur,et non sentiret affici desiderio uitæ eius,in qua continuis quasi fluctibus negociorum,uexatus,tam incertas uoluntates & leues hominum animos,& indignam meritis suis gratiam expertus fuisset.Neq; quicquam omisit aut neglexit,quod illo non toto bidui tempore quo decubuit,uel utiliter indicari mandariq; & committi potuerit,uel ritu religionis nostræ,& disciplina Christiana fieri obseruariq; & peragi debuerit. Cum sacerdote colloquium habuit fidele,& sacratissimorum Christianæ communitatis mysteriorum cupidiss. particeps factus: Verbis pijs & sensum intimum cordis sui testantibus,inuocauit æterni Dei misericordiam,celebrando Nomen,et testando fidem unici saluatoris,reconciliatoris,intercessoris Iesu Christi,filij Dei. Quæ pietatis ut semper hæreret cogitatio,petijt, ne cessaret Sacerdos & de Christo,donec spiritum ducere animaduerteretur,mentionem salutarem facere,& sibi ea subijcere quibus in fide Christi animus confirmaretur.O mortem neq; ei à quo obita est malam aut detrimentosam,neq; ulli qui hunc carum habuit animo suo, aut submissa uoluntate fauit successibus & fortunæ,& laudi ipsius,deplorandam,ac multò lætiorem,feliciorem,iucundiorem,quam esse multorum uitam putandum,siue per dedecus conseruatam,seu remanentem in turpitudine,flagitio,impietate,scelere. Ita igitur functum fato suo,non quidem gaudentes (Id enim fieri nequit & non oportet)sed represso tamẽ impetu doloris,& præsentibus animis commendare,& Domino nostro Iesu Christo,unico Saluatori generis humani,tradere conseruandum ad resurrectionem in uitam sempiternam: Et corpus illius,non tanquam ab hac spe alieni,aut imbecillius assentientes cœlesti doctrinæ,sed ut sequentes pietatis Christianæ studium & obseruationem,ita sepelire debemus, quemadmodum & conditionis illustrissimæ ratio postulat,& nostræ subiectionis ministeriũ exequi par est. Non es extinctus neque interijsti,Illustriss.princeps Maurici,sed liberatus malis,ex eoq; consortio seuocatus,in quo multum tibi insuauitatis oblatum fuit,nunc acquiescis beatus, expectans illum diem confidenter,quo filius Dei uenturus est ad iudicium uiuorum & mortuorum,& decreturus sententia sua,præmia aut pœnas,pro eo atque debebuntur unicuique.Viuit optima & fortissima anima tua, una cum alijs sanctis & castis animis in Deo æterno & uiuo Iesu Christo,uiuit uirtus,uiuit rerum gestarum gloria,sed inprimis charitas patriæ & pietas erga ciues. Non maculauit famam tuam profanitas neque superstitio. Non dementia furiosa uitæ. Non facinorum aut artium malarum dedecus.Non erga externos immanitas aut in ciues crudelitas.Bonitatẽ uerò tuam,& uirtutes illas leniores,integritatem,grauitatem,solertiam,humanitatem,&

tem,& ſimiles,utinam Deo placeret,ut parta pace & rebus foris compoſitis, tibi domi & apud tuos liceret colere & ſequi. Vt enim nihil in te fuit leue ac populare aut diſſolutum,ita neque manſuetudo, neq; comitas, ne urbanitas quidem abfuit.Nunc autem non quidem famam illarum (quæ obſcuræ non eſſent)tibi,ſed quaſi uſum fructum tuus negauit properata deceſsio,& occupatio mortis,eius,qua te Deus,non perdere,ſed conſeruare, neq; in interitum præcipitare,ſed exitio eripere,& de calamitoſis terris in cœleſtem felicitatem transferre uoluit.Tua quidem annis,Illuſtriſs.princeps,florens & humano iudicio,uita longiore digna ætas,non poteſt non aliquid cumuli adijcere dolori noſtro,quem tua morte,(ut nos opinamur) præmatura,capimus acerbiſsimum: ſed non eſt tamen nobis ignorandum, nullius mortem præmaturam eſſe,quam æternus Deus obire ſuo aliquem tempore uoluerit,& noſtras cogitationes in eo quod illi uiſum fuerit reſiſtere conuenit. Nam quod in promtu eſſet,hoc loco uerboſe demonſtrare,quam multis uita aliquãdo, ad miſeriam producta ſit,& quam formidinem ipſa naturæ conditio omnibus hac in parte afferat (ut hoc etiam dictum uerbum uetus tanquam diuinitus prolatum, celebret,optimum eſſe non naſci,aut natum cito morte potiri) De hoc igitur diſputare,& in hunc quaſi campum excurrere oratione mea non libet. Quod nihil hæc niſi triſte & abominãdum complexura,& metus eorum euentuum indicandus eſſet,de quibus inuocare opem diuinam, & religioſa ſimplicitate permittere Deo cætera,mihi quidem rectiſsimum uidetur. Nunc te igitur uel potius atque uerius,corpus tuum,Illuſtriſs.princeps,ita dimittimus, ut te non tua cauſſa(quem felicem & beatum eſſe ſcimus)ſed eorum qui relinquuntur, tuorum inquã & noſtra,proſequamur, fletu, lachrimis,queſtu,& ante omnia dolore animi tanto,ut cor maiorem non tolerare,neque, ſi acceſsio fieret,uita durare poſſet,Hoc tu fieri non uis,& religio noſtra moderari nobis hac in parte iubet.Sed uincit tamen interdum infirmitas naturæ,quam in officio pietatis noſtræ à Deo ueniam,apud homines,non inclementes neq; feros, approbationis etiam aliquid ac laudis reperturam eſſe confidimus. Te tua quidem Academia hac uoce publica,nunc quoq; ornat atq; honorat pro ſua uirili, & luctu communi oſtendit,deſiderium (ut æquum eſt) Tui, nunquam illa quidem,dum ſtabit,tacitura merita tua,quæ non modo ſingulorum memore & grata oratione prædicabuntur ſemper,ſed re etiam ipſa, & munificentiæ tuæ operibus declarabuntur. Verum nunc, id quod ſeries deductionis poſtulat, quam potuimus ſtudioſe perfuncti munere noſtro, aliorum etiam pietati & ſedulitati locum relinquamus, Ad quos deferri prius Illuſtriſsimum corpus oportet,quam in monumenti paterni ſepulchrum inferatur. Vbi cætera (quæ fas & pium eſt)peragentur,& iuſta fient, & monumentum extruetur,in quo ſitum,riteq; humatum corpus requieſcat. A nobis autem bonisq; & patriæ amantibus omnibus,tam tuis quam externis, ea gratia, quæ ſola poteſt, referetur,ut ubi pro breui uita diuturnæ memoriæ tribuatur honor, cui pro illa miſera, incerta, fragili, caduca, à Deo æterno iam beata immortaliſq; eſt reddita.

Te autem fili Dei IESV CHRISTE, unice Saluator generis humani,obteſtor per miſericordiam tuam,ne deſinas hæc loca,(in quibus hoſpitium inuenit Eccleſia tua,& ſonat ueritas doctrinæ cœleſtis,ac præconium Euangelij)interceſsione apud æternum patrem,tueri. Neu ſinas has regiones bellorum cladibus uaſtari, & diſsipari pios cœtus te uera pietate celebrantium, propter ſanctiſsimum nomen tuum. Protege, defende, conſerua,has terras, ô Rex & Domine, qui & te inuocari iuſsiſti, & inuocantibus opem auxiliumq; ab æterno Patre promiſiſti. Ne auferas à nobis Spiritum ſanctum tuum,

tuum, sine cuius numine neq; qui præsunt, neq; qui parere debent, id præstare & perficere possunt, quod ab utrisque requiritur. Ad te confugimus, ô Christe, tibi supplices aduoluimur, & oramus, ne auertas à nobis offensus delictis nostris, clementiam & misericordiam tuam, quæ est amplior ac maior quam totus orbis terrarum. Tibi uni, soli, uero, æterno Deo, Patri & Filio & Spiritui sancto (cuius est iustitia, omnipotentia, uictoria) sit laus, honor, gloria, sæculis infinitis. Amen.

ET QVONIAM NIHIL PRAETERMITTENDVM EST OMNIVM QVAE A NOSTRA TENuitate ad Mortis speciosissimæ memoriam celebrandam pertinere possint, placuit etiam recitare, uersus tanquam epitaphios, studio pietatis nostræ compositos, quos & ipsos libente ut animo audiatis, oro.

ILLVSTRISS. PRINCIPI MAVRICIO DVCI SAXONVM, ELECTORI &c. DEfensori patriæ, inclito uictori.

Magnanimi busto Mauricij principis isto,
De septem sita sunt unius ossa uiris.
Subq; hoc depositum requiescit marmore Corpus,
Inuictiq; solo condita membra Ducis.
Qui uestigia maiorum per auita suorum
Virtutis gradiens & pietatis iter:
Ipse sibi pulchræ peperit noua nomina laudis,
Et studuit proprium conciliare decus.
Ergo hoc non alius magis excelso tulit ullus
Afflictis patriæ pectore rebus opem.
Aduersatorem hunc metuit uis impia solum,
Inceptis metuit fraus uiolenta suis.
Præsidio fuit hic populis Germanidos oræ,
Et quasi Teutonicæ firma columna domus.
Terror ab hoc etiam Turcis est additus, illum
Externi solum pertimuere Ducem.
Nunc dum conatur patriæ succurrere fessæ,
Et contra hostilem uim parat auxilium,
Ipse cauet minus incerto se credere Marti,
Heu dolor, accepto uulnere, læsus obit.
Victor obit pulsis & stratis hostibus, atq;
Heu rursum dolor, in castra reuersus obit.
Sed tua Maurici clari decora alta Triumphi,
Laudis & extinguet Nomina, nulla dies.
Perpetuo uiues. nam nescit funera Virtus,
Nec pereunt fortis strenua facta manus.
Aeternum uiues, terræ Germanidos Heros,
Iuncta recens stirpi gloria Saxonicæ.
Inq; tuus Christo post multa pericla laborum
Spiritus, ætheriæ dona quietis habet.

Cui tua relligiosa fides te tradidit, adq;
Conuersæ illius numina sancta, preces.
Magne uale patriæ decus & protectio, princeps,
Et reliqua accisis Rebus adempta salus.
Splendida te celebrat studiorum fama bonorum,
Nec tacet ingenuæ Musicus artis honor.
Et TVA *fronde tuum cingit Parnaside, semper*
Palladioq; uirens germine RVTA *caput.*
Te locus atque ætas, nunc admirabitur omnis
Candidus & titulos Rumor ubique uehet.
Illustriß. salue heros. salue opt. princeps,
Inuicte ô salue Dux patriæq; pater.
O salue atque uale. Te nunc laudabit & hostis,
Et mala felicem deseret Inuidia.

Reuersus in castra est, accepto uulnere ictus improuisi in prælio, fuso dissipatoq; exercitu hostium, ibiq; obijt diem. S. V. Id. VL. Princeps opt. & max. Cum V. A. XXXII. M. III. D. XXI. H. X. Defunctus uita S. placidiss. & religiosiss. fine.

INDICATIO ANNI MORTIS.

Teutonicas furor ut turbabat sæuiter oras.
Mauricius princeps Victor & ictus, obit.

I. C. P. F.

ΜΑΥΡΙΚΙΩ ΑΡΧΟΝΤΙ ΤΩΝ Ε-
σπερίων, ἡγεμονεύσαντος οὐ πολλοὺς,
καὶ προθεὶς ψυχὴν τῇ μάχῃ, μετὰ τῶν συμβο-
λῶν ψυχὴν τῷ στρατοπέδῳ ἀπέθα-
νε τῇ τρίτῃ.

Τῷ δ' ἐνὶ μαιμακίῃ κτερεΐζετο λείψανα τύμβῳ
Ἑσπερικὸν πατρῴων ἡγεμονῆος ἄπο·
λείεται δ' ἤωρος σῶμ' ἐνθάδε τοὔνομα, πλὴν
ψυχὴ δ' ἀιθερίους κεῖνο λιποῦσα δόμους.
πολλὰ μὲν ὃν θείης ἀρετῆς τοῦ δ' ἔργα τέτυκται
θαύματ' ὄντ' ἀιπὺ οὐρανὸν ἵκει κλέος,
αὖτ' ἐθελῆς φέρεται λοῦδος ἀκάματον χθόνα φήμης
ὧν δύρωπαῖος δέρκεται ἠέλιος,
ἠδ' ἑσπέρια ἴσως ἔτ' ἀπωτέρω. ἀλλὰ θανόντα
καὶ δ' ἀκρύτοις κλαίει τοὺς τονίης αἰαγόοις,
ἐν δ' ἔθνος πρώτιστα μεσογειακὸν, ὅττινος ἄρχων
πιστὸς ἔην τε φύλαξ ἔμπιος ἠδὲ πατήρ.
πάντων δ' ὃς τέλος θαυμαστότατον καὶ ἄριστον
ὅττι μετ' ὀλμοίρου πάσε βιοτοῖο.
μαινόμενον γὰρ ἄρηα, ξυνὸν κακόν, ἀλλοπρόσαλλον,
λοιγαλέων τε πυρὸς φθορσιβρότοιο φλόγα

σβέσας

σβέσαι ἐπειγόμενοι, πολεμοιο μὲν πρατο νίκλω
ἀντιμάχοι τ' ὀὐκτὶὼ τάγματ' εἶδε φυγλώ,
ῥηξάμενοι δὲ λόχας, τ' τρεψάμενοι τίχας ἐχθρῶν,
τοῖς τε φοβηθεῖσιν φασθὸς ἐφιαπτόμενοι,
οἴμοι πρᾶγμα βέλεος θανατηφόρον αὐθροφόνοιο
ἀπροὸπῆως τυφλὰς λήψατ' ὀπαδὲ χρός.
ἀλλὰ καὶ ὣς ἔπειτ' ὀκ ἤθελ', ἐπεὶ δὲ σωπήκε
νίκης κύρ' ἔχωμ ὀὐκλειὲς ἀσφαλέ',
δὲ τότ' ὦὶ σκιωλὼ αἰνὼμ μεγαλόφρονί θυμῶ,
ἤματι μισείδιον πίσει χρὲ' τριατάτω,
ῥυσάμενός τε πάτρω τε σῆς τ' ἀγλεξα τροπαῖα,
χρισὲ θ' ἑὸ ψυχλὼ δοί φίλε πῆθεμφ'.
φὼθάσε δ' ὀὐδ' αἵμων ὅτω λήξας καματηρὸ
λεῖθ' γαλλωαὶς νεῶ ἐτύχησε βιό.
χαῖρ' ὑγκτήρων σέφαν', φῶς ωαῖρι', ἔρν'
ἐλπίδ' ἠελώλω καρποφορεομένης.
χαῖρ' ἄρχων βέλλες' αὐυπόστατε, ωάντα κρατήσας
ἰφύ' ἔργον ἔλω ἀξότε αὐλαβίς.
ὦ χαῖρ' αὖθις ἄγαλμ' ἀρετῆς, λαμπρώνυμε ἥρως,
ἄμμε δὲ σωτυχίας πλήσομεν ἡμετόρας.

ἀπὸ Ἰωαχ.

τέλ'.

DE MORINI QVOD TEROVANAM VOCANT, ATQVE HEDINI EXPVGNATIONE, DEQVE PRAELIO APVD Rentiacum, & omnibus ad hunc usque annum M. D. LV. uario euentu inter Cæsarianos & Gallos gestis, breuis & uera narratio.

IACOBO BASILICO MARcheto, Despota Sami Autore.

PHILIPPO, ANGLIÆ, FRANCIÆ, NEAPOLISQVE REGI, FIDEI DEFENSORI, Hispaniarum Principi longè potentiss. &c.

Iacobus Basilicus Marchetus

S. D. P.



VAE CAROLVS V. Cæsar Augustus anno superiore maxima cum gloria in Morinis gesserit, quibus quidem rebus gerendis omnibus interfui, constitui literis mandare: summa spe fore, ut aliquando noster is labor, non præsentibus modò hominibus, sed posteris quoq; non ingratus uideatur. Sunt quidem magni nominis scriptores, qui hæc quandoq; & luculentius, & maiori eloquentiæ laude sint monumentis literarum consignaturi: sed quibus (quod uitium latissimè semper patuit) non tam exactè & uerè, quàm eloquenter & præclarè scribendi gloria quæsita sit. quod cùm nobis minus præstare licue-

rit,in eo maximè duximus nobis elaborandum,ut quod plurimi semper fieri debet,nostram fidem facilè cuiuis probaremus,qui magis cognoscendę ueritatis studio, quàm leuocinio & splendore inani orationis ducerentur. Quicquid sanè hoc sit,insigne certe mei in Cæsarem studij & deuotionis monumentum,tibi,Rex potentissime,atq; adeò illius non minus uirtutis quàm gloriæ & potentiæ hæredi,dicandum censui. Neq; uero firmiore præsidio niti nomen nostrum poterat aduersus obtrectatorũ calumnias,quàm si tanti Regis authoritate,& adeò præclarè de Christiana religione meriti, hæc nostra edenda in lucem curarem. Quod quidem cuius suscepti à me laboris sit futurum præmium amplissimum,ita hilari ac læto animo accipiam,ut eodem præsidio tectus, sperem me quandoq; maiora aggressurum. Vale.

DE OMNIBVS VSQVE AD ANNVM M. .D LV. VARIO EVENTV INTER Cæsarianos & Gallos gestis,elegans & festiuus dialogus.

HERCVLES ET NESTOR.

LONGVM iam temporis spacium,ô Nestor, unà in beatorum insulis habitamus,ab ijs molestijs uoluptatibusq; quibus est bonoxia hominum uita remoti sumus:nunquam tamen tantam,atq; hoc tempore, illustrium animarum multitudinem, atque adeò tam confertim ad nos confluxisse recordor:forte quòd uiuentium aliqui,nostra uestigia sequentes, pro patria pro liberis,pro aris & focis prælia faciunt,atque hac ratione alter alterius animam demittit ad Orcum: tu tuum de ea re iudicium,quæso, mihi exponas. NESTOR. Ne mireris,ô Rex,tam frequentes modò aduentare animas:tanta enim,tamque acria nunc inter superos fiunt prælia, quanta nunquam nec in Asia,nec in Africa,nec in Europa,à maioribus unquam sunt animaduersa. HERCVLES. Inueniuntúrne inter homines hac tempestate tot ac tanti heroes,quot quantosúe nostra tulit ętas,eorum æmulati uirtutem et fortitudinem, qui tam magna prælia committant? NESTOR. Immo,illi quidem permulti. HERC. Ego per louem post nostros illos Heroas nullum tanta præstantia inter homines esse putabam. NEST. Cùm multi fuerint post nostrum sæculum,ô Hercules,qui maximas & præclaras res gesserunt,tum uerò hac tempestate uir est superiorum omnium æquè & felicissimus & potentissimus, qui haud dubio à nostris originem ducit, & uidetur illis esse æquandus: Carolum Quintum Imp.Rom.appellant, cuius Imperium latè patet in omnes orbis terrarum partes,cuiusq; potentia tanta est,ut non solùm Germaniç,Hispaniæ,Italiæ,Siciliæ,Neapoli regnis, Galliæ Belgicæ, totiq; Africæ, cæterisq; Insulis,quarum non est numerus,nota sit:uerùm etiam ad extremas Occidentales usq; Indias,nullis seculis antè cognitas,uirtute,fortitudine,& fortuna illius inuestigatas,protendatur. Caroli,inquam,huius Quinti uirtus & felicitas,maiorum nostrorum uirtutem non solùm æquat, sed etiam longè exuperat & antecellit. Cuius præclara gesta à primis annis ad hæc usque tempora, si enumeranda à me tibi sint, uix seculum nobis sufficiat: illa tamen quæ duobus ab hinc annis ab illo plus quàm humano ingenio gesta esse audio, te ignorare nolo. HERC. Quis nam tibi hæc? NEST. Signifer quidam equitum, (atros quos uocant) qui nuper admodum Cameraci accepto uulnere è uiuis discesit: is omnia Heroi illi Adriano Croio Rutij Comiti interroganti de Te-

de Terouana inclita & munitissima Morinorũ Metropoli, cùm ipse adessem enarrauit. HERC. O Nestor, per Iouem te oro, ea quæ retulit in mediũ profe ras. NEST. Ille quidem omnia hęc: Terouanam urbem paucis ab hinc annis arctissimè obsessam, nullo ingenio, nulla arte expugnatam, nuper tamen ab exercitu huius inuictissimi Principis, cuius modò mentionem feceram, obsidione cinctam fuisse, tormentis bellicis propugnacula disiecta, quibus malis nihilò magis illam terrefactam, primum impetum & oppugnationem fortiter sustinuisse, adeò ut fossæ propugnatorum sanguine maduerint. Cæterum aduentante Philiberto Pedemontanorum Principe, altero uelut Achille, tantam inter Gallos in urbe obortam fuisse trepidationem, ut abiectis armis, portisq; apertis, supplices per mœnia & aggeres manus porrigentes, certatim se suaq; hostibus dederent: atq; ita Cæsariani urbe potiti, quam primùm propugnacula, mœnia, omniaq; totius urbis ædificia iussu inuictissimi Imperatoris diruerunt, & solo adæquarunt, adeò ut uerissimè dicere possis:

Nunc seges est ubi Morinum, resecandaq; falce
Luxuriat Franco sanguine pinguis humus.

Exercitum deinde uersus Hedinum, cuius arcem adeò Galli communierant, relictis in præsidio lectissimis militibus & magni nominis ac nobilitatis uiris, ut inexpugnabilem crederent, traductum fuisse. HERC. Captúmne est ab exercitu Cæsarianorum Hedinum Gallorum spes, in quo tam fortes & strenui Heroes militarunt? NEST. Imò, audi obsecro: dum bellicosissimus Pedemontanus Princeps, totius exercitus Cæsariani Imperator, dies noctesq; tormentis bellicis, actis cuniculis, alijsq; miris modis propugnacula deijceret & introitum pararet, Galli in Hedino non minus quàm Terouanenses perterrefacti, amplius pugnare, militum robur experiri, & extrema perpeti nolentes, arcem semidirutam hostibus tradiderunt. Inter oppugnandum nobilissimus eques ille Horatius Farnesius in uallo stans, plumbea sphærula ictus è uiuis sublatus est. Arx militum Cæsarianorum opera est solo adæquata. Nobiles captiui, si qui aderant, in Flandriam ducti sunt: inter quos unus è Magistris equitum Galliæ, dictus à Marchia, Bulloniæ Dux, fuit. Hæc uictoria tantam in uniuersa Gallia excitauit trepidationem, ut Parisiensium permulti, relicta urbe fuga sibi prospexerint. HERC. Quid Gallorum Rex, cùm in tanta animi consternatione suos esse uideret? NEST. Numerosissimum illico conscripsit exercitum, impediturus ne Cæsariani ad interiora regni castra mouerent, Parisiensiumq; animos, (quod ne cogitauerant quidem) ut nouissimè euenit, denuò consternarent. Verùm animaduertens Cæsarianos numero exiguo Dorlanum prætereuntes Hannoniam petere, confligendum cum illis data occasione duxit. Cæsariani cognito Regis cõsilio ad Valencenas pulcherrimam & munitam urbem, licet numero pauciores, animo tamen pares, commissuri prælium in planicie Regem aducentantem expectarunt. Cæsar eodem fermè temporis uestigio ciuitatem ingressus est. Gallus cùm Carolum tantum Imperatorem, tui, ô Hercules, æmulum, monstrorumq; domitorem, adesse intelligeret, illico despondit animum, acceptaq; à tormentis bellicis & equitibus Cęsarianis maxima clade, relictis hostibus tota nocte fugiendo se in Galliam recepit, innumeris in fuga amissis. HERC. Rediit ne Gallus instauratis aut reparatis ex interuallo uiribus, coactisq; ijs qui fuga superfuerunt? Vir siquidem fugiens denuo pugnat: ut in uulgari est prouerbio. NEST. Sub principium hyemis, cùm Cæsaris copias in hybernis hinc inde dissipatas intelligeret, comparato exercitu hæreditarias Caroli Cæsaris prouincias ingressus, multis fœdè igne uastatis, haud mediocre damnum intulit. HERC. Potuit ne Carolus tantus Imperator, æquis auribus de tanto suorũ excidio nuncios audire?

NEST. Minimè ille quidem diu passus est hæc à Gallo fieri impunè: sed recedente tandem Rege circa Aquarij heliacum ortum, coactis ipse in unum copijs, quas tum in hybernis dispersas habebat, Galliam ingressus, ferro & igne longè lateq; per quatuordecim dierũ spacium omnia uastauit, Regemq; maiore longè clade affecit: quo per acto ad uetera hyberna militem reduxit.

HERC. Per Iouem, maxima inter uiuentes hac tempestate geri, multa insuper de fortissimo hoc Imperatore audio: sed quid hoc annò acciderit, cùm tota historiæ series tibi nota sit, quæso mihi exponas. NEST. Neq; uerò quis facilè possit præclara huius anni Cæsaris gesta, breuibus enarrare: tamen cùm id ex me scire desideres, quę pluribus esse comperta potuerunt, sicuti à signifero accepi, dicturus sum. HERC. Obsecro. NEST. Gallus inuictissimum Imperatorem arduis negotijs occupatum sciens, conscripto maximo exercitu regiones illas quæ in eius ditione sunt rursus de improuiso aggreditur, ac Marieburgum, siue de proditione actum anteà sit, siue id præfecti socordia acciderit, integro muro apertis illi portis ingressus est. Hoc oppidum superioribus annis, Serenissima Maria Vngariæ & Bohemiæ Regina extruxerat. Hinc ad Dionantum impositis Marieburgo præsidijs castra traduxit, maximoq; impetu dies noctesq; sine intermissione tormentis bellicis introitum parans, arcem oppugnauit: bisq; per uim ingredi conatus maxima suorum iactura retrocedere coactus est. Tandem cùm Leodienses & pauci aliquot Hispani arcis præsidio relicti, ac uiribus destituti, Ruynas arcis ex bombardarum assidua iaculatione impetum diutius sustinere non possent, arcem certis conditionibus (quibus tamen Galli non stetere) hostibus tradiderunt: ea postridie diruta, Dionantum & Bouinia oppida ad utramque Mosæ ripam sita, exusta sunt: horum alterum Cæsari, alterum Episcopo Leodiensi paret. HERCVL. Quid Cæsar, cùm Gallum in prouincias suas ingressum uideret? NEST. Numerosum quamprimùm circa Namurcum exercitum collegit aduente illo etiam illustri & generosissimo Gunthero Suartzburgensi Comite cùm mille atris equitibus, suprà quàm dici potest bene instructis. Gallus audiens Cæsarem, licet exiguum, uiris tamen fortissimis instructum habere exercitum, deliberatóque committendi prælium esse animo, robur peditum & equitum Cæsarianorum non experiendum esse ducens, fuga sibi consuluit, atque in Galliam se recepit, obuia quæque in itinere igne deuastans: inter cætera Bincium, quòd eo loco serenissima Regina Maria suas ædes haberet, exusit: & Marimontium quoque & hortos suo ac nobilium suorum ense turpiter uastauit: quanquam maxima tum in exercitu Gallorum frumenti aliarumq; rerum esset penuria. Cæsar memor generis, uirtutis, atque pristinæ suæ dignitatis, fortunam belli tentare statuens, illum maximis itineribus insecutus ad Rentiacum arcem in Morinis sitam, quam frustra ille obsidens perpetua sphærularum missilium eiaculatione se facilè expugnaturum sperauerat, offendit: castraq; Cæsar ex aduerso hostilis exercitus ad quartam miliaris partem collocauit. Admirabilis in distribuendis castris industria & peritia Beniecurtij Herois, & Ioannis Baptistæ Gastaldi tum perspecta est. HERCVL. Commissúmne est ibi prælium? NEST. Minimè: locus enim propter montes, saltus, & subiectas ualles planè fuit incommodus. HERC. Quid igitur utrinque gestum est? NEST. Gallus sine intermissione magnam tormentorum uim in arcis propugnacula iaciebat. Cæsar contrà alteram ex collibus, in cuius decliuitate saltus erat, in quo Gallus insidias collocarat, omnibus modis occupandum duxit: quamobrem altero est quo isthic uentum erat die, traductis omnibus in planitiem copijs, instructoq; pro loci ratione agmine tumultuariã ex Germanis & Hispanis sclopetarijs peditibus phalangẽ, pro

alterius

alterius collis saltui uicini occupatione certaturam præmisit: quibus paucissimi admodum adiuncti erant grauioris armaturę equites, qui illos ab eruptione Gallorum equitum à tergo si opus foret, tuerẽtur. Dispositis in collis summitate maioribus aliquot machinis, longo temporis spacio fortuna ancipiti nullis referre pedem uolentibus utrinq; atrociter pugnatum est: robur tãdem & militum Cæsarianorum uirtus, Gallos cedere, ac per saltum fuga sibi prospicere coẽgit. Perierunt in hoc conflictu innumeri ex Gallorum peditatu, strenui sanè milites, quorum cadaueribus refertum passim saltum cernere licebat. Perspecta hîc fuit inter cætera clariss. illius & generosiss. Guntheri Suartzburgij Comitis uirtus, qui cũ uiginti grauioris armaturæ equitibus, audax & memorandum facinus aggressus, ducẽtos amplius sclopetarios pedites Gallos, ex fuga sese in collis summitate colligentes, facto repentè in illos impetu nullo è suis desiderato, dissipauit, atq; fugæ passim mandare coẽgit. Collis, sęuientibus interim Germanis & Hispanis in Gallos dissipatos, occupatus est: quo facto trecenti atri equites, quibus Suartzburgensis Comes præerat, adiuncta peditum Germanorum phalange, eodem traducti sunt. Dum hæc ita geruntur, tantus inter Gallos obortus est pauor, ut relictis prorsus quibus arcem oppugnabant machinis, planiciem ultra saltum occuparint, ibiq; aciem qualem metus & trepidatio permittebat, instruxerint: Rege ipso spectatore, qui in nouissima agminis parte albo equo conspicuus rei euentum expectabat. Parta hoc die læta & incruenta uictoria, magna Cæsarianorũ gloria fuisset, actumq; propè de tota esset Gallia: nisi Sinon quidam transfuga, hostibus iam fugientibus addidisset animum, facta fide trecentos tantùm atros equites cum unica peditum phalange sclopetarijsq; nõnullis peditibus adesse, nullaq; adhuc tormenta maiora traducta: quare nil tentandam in Cæsarianos irruptionem, priusquam totius exercitus moles aduentans ijs subsidio esse posset: nisi rei bene gerendæ occasione neglecta, turpi fuga sibi consulendum duceret. Hoc audito animum Galli quodammodo recuperarunt, deliberatoq; irruẽdi in sclopetarios qui longius processerant animo, paululum prodiere. At cùm μεγαλοψυχότατος Suartzburgensis ille Comes, Gallum in sclopetarios irruptionem tentaturum prospiceret, trecentis suis equitibus pro loci ac temporis opportunitate instructis, aduolauit. Spectabatur in prima acie Comes Suartzburgensis, cui dextram tegebat Basilicus Marchetus nobili apud Græcos loco ortus: sinistrã uerò, generosus Hugo à Schimberg. multiq; alij Comites & Barones, uiriq; rei militaris peritia illustres subsequebantur. Ordinem Mauritius Frisius fortissimus unus prætergressus est: Galli his uisis terrefacti, & metu torpentes stetere. Vt primum se hostes cõspectui Suartzburgensis obtulerunt, repentè ille facto in Gallos magno cum clamore impetu, in quadratum Gallorum equitum agmen irruit, strenuiq; militis & boni Imperatoris officia exequens, dissipatum in fugam cõuertit. Dixisses tum Iouis fulmine tactos hostes: nam ueluti mala quæ iam maturuerunt ex arbore cadunt, ita ab equis deiecti concidebant. His cæsis ac fugatis, alia subitò Gallorum turma in Suartzburgensis equites irruit, quorum impetũ non solùm fortiter sustinuerunt, sed & illata maxima clade, sicuti priores, terga uertere coẽgerunt, Rege turpem suorũ fugam & stragem cum toto exercitu spectante. Totus deinde equitatus Gallicus uno impetu trecentos Cæsarianos equites adortus est, cuius uim illi pugnando defessi, quippe quibus nec puluerem tormentis admonendi spacium daretur, sustinere diutius non potuerunt: recipere igitur se, & per saltum saluti suæ consulere coguntur. At Galli pedites nonnullos è Cæsarianis fœdè profligarunt, & collem denuo recuperarũt. Quem si curribus, cæterisq; id genus impedimẽtis, pro ratione artis militaris, aduersus Gallici equitatus irruptionem

communire studuissent, certa fuisset omnium qui ibi aderant testimonio penes Cæsarianos eo die victoria. HERC. Fuerúntne multi in illa pugna interfecti? NEST. In hoc cõflictu Gallorum quamplurimi cecidere: tres uerò inter cæteros, quorum loricæ auro, phaleræ holoserico splendebant, manu Comitis Suartzburgensis interfecti sunt. Ex atris equitibus quatuordecim aduersis uulneribus concidere, læsi uerò ad unũ omnes pristinam sanitatẽ recuperarunt. HERC. Subsequentibus diebus pugnatúmne postea est? NEST. Minimè: imò uirtutem atrorum equitum formidantes Galli, postridie eius diei nocte intempesta obsidione arcis relicta, nullo tubarum tympanorumúe excitato strepitu, fugerunt: multisq; tormẽtis bellicis relictis ad interiora Galliæ se receperunt. Rex uerò partem sui exercitus missam fecit, partem in hybernis cõtinuit. Cæsar illos nihilominus insecutus, primò Auchiacum arcem (immissis aliquot maioribus è tormentis sphæris) expugnauit: dein traiecto Somona, qui Picardiam ab Artesia diuidit, ad Richerij fanum magnis itineribus contendit, omniq; præsidio uacuum cepit & exussit, omnibus in itinere longè lateq; ad mœnia usq; Abbatisuillæ Pontiuorum urbis igne fœdè uastatis. His actis ueluti circino uia in orbem facta, domum rediens, Dampetram arcem flumine & fossis munitam, aliaq; oppida & arces inuadens, latè excitato incendio absumpsit, ac traiecto iterum Somona, ad quartam à diruto Hedino miliaris partem, inexpugnabilem urbem propugnaculis, uallo q; et fossis permunitam mira celeritate cõstrúxit & exædificauit. HERC. Quo nomine illa appellatur? NEST. Hedinfert. HERC. Fert nihil planè significare uidetur: fortassis Hedinfort dicitur. NEST. Nullo modo: Fert enim symbolũ est Philiberti Emanuelis Pedemontanorum Principis, quod quatuor literis cõstans, perinde significat ac si dixeris: Fortitudo eius Rhodum tenuit. HERC. Num Galli ædificationem urbis impedire tentarunt, dum in perniciem illorum extrueretur. NEST. Cæsariani equites dũ urbs ædificaretur alternis fermè diebus circa Monstriolum & Dorlanum munita Picardiæ oppida excurrentes, Gallos intra mœnia & parietes latitare coẽgerunt. HERC. Dimissæ ne sunt ædificata urbe Cæsaris copiæ? NEST. Minimè: sed impositis in nouam urbem præsidijs, totus exercitus Auchiacum reductus traiecto iterum flumine Picardiam per alia loca ingressus est, emensoq; eodem die septem miliarium itinere, Riu oppidulum præsidio Rhenigrauij militum firmatũ peruenit, per medium uelut ignẽ transire uisus, pagis utrinq; ad quinq; miliaria conflagrantibus, ad unum diem quieti opera data est: militibus Cęsarianis interim totam oram maritimam ultra Riu depredantibus & exurentibus. Aẽrem tum adeò densus ex conflagratione fumus oppleuit, ut sole meridiano solito obscuriore cœlum uideri non potuerit. Post mridiem octo Gallorum equitum signa conspecta fuere, quos Cæsariani equites dicto citius insecuti, per tria miliaria perpetuo cursu, ad mœnia Abbatisuillæ fugauere: tantus erat militum feruor pugnãdiq; alacritas. Commendandus hoc loco uenit Alfonsus Pimentelius Hispanica nobilitate illustris, qui prouocato ad monomachiam Gallo equite, uirum se fortem & heroicum exhibuit. Postridie Ambianum Picardiæ Metropolim, Vulcano omnia in itinere depascẽte castra traducta sunt. Ad Somonæ ripam constiterant Gallorum peditum & equitum aliquot cohortes, quô hostem à fluminis traiectu arcerent: quos adorti aliquot leuioris armaturæ Hispani equites, pugna uelitari, illata maxima strage trucidarunt, captis nonnullis in flumine natantibus. Hoc in conflictu Ludouicus ab Auila Alcantarensis militiæ præfectus, & Garcias Tribunus militum in hostes pugnando se uiros fortes pręstitere. Postridie Corbeiam itum est: Ambiani interim crebra tormentorum ex urbe immissione Cęsarianos persecuti sunt, sed nullam prorsus illis

illis cladem intulere. Hinc Enchrium miles profectus, arcem eiusq; turres maioribus tormentis diiecit: dein Bapalmam Arteſiæ propugnaculum peruentum eſt: quo die in oppida, arces, & pagos ſæuiri igne deſitum eſt. Ad Çametacum altera copiarum pars exauthorata eſt, altera in hyberna reducta. Hæc ſunt quæ de bello inter Carolum Cæſarem & Gallorum regem hac tempeſtate geſto, à ſignifero accepi. HERC. Faxit Iupiter, ut deuictis ſubactisq; hoſtibus, breui ille tandem læta & incruenta potiatur uictoria: quam conſecutus, non dubito quin Græciam noſtram, quę olim cùm tradendo cęteris gentibus præclaras artes, quibus animi excoluntur, tum res maximas terra mariq; gerendo diu illuſtris habita eſt, à barbarie & tyrannide Turcica, qua multis iam annis premitur, liberaturus ſit. NEST. Idipſum mihi certè polliceor: ſingulari eſt enim & religione & pietate, ac ſtudio quodam ſummo cum miſeros calamitoſosq; homines protegendi, tum eos qui iniuſta tyrannide premuntur, à fœda ſeruitute uindicandi: quod non illi ſolùm eſt peculiare, ſed toti familiæ proprium & innatum.

Fortes creantur fortibus & bonis.
Eſt in iuuencis, eſt in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces
Progenerant aquilæ columbam.

Hoc enim Tuneti ſuperioribus annis factitauit: nam ſupra uiginti Chriſtianorum captiuorum millia urbe expugnata uno die à morte & Aenobarbi iugo cauernis abditos uindicauit, quos quidem ad unum ſe combuſturos tyrannus comminatus eſſet. Vnum eſt, ô Hercules, quod ſilentio præterire non poteſt. HERC. Obſecro te, ô Neſtor, ſiquid inter narrandum omiſſum ſit, in medium proferas. Num & in Italia eodem modo à Carolo Cæſare bella geruntur? NEST. Maximè: cincta eſt enim obſidione Senarum uetuſta Hetruriæ urbs, quòd à Cæſare deficiens partes Gallicas receptis in urbem præſidijs foouerit. Magna Senenſes commeatus inopia premuntur, in quam cùm Galli frumentum conſcripto exercitu non ita dudum inuehere procurarent, Marchio Marignanus, uir ſumma fortitudine & præſtantia Cæſarei ad Senas exercitus Imperator, accepta copiarũ parte, hoſtibus obuiam proceſsit, inſtructaq; acie breuem & elegantem, non quò uerbis uirtutem uiris fortibus adderet, nec ut ex ignauo milite ſtrenuum, aut fortem ex timido, ſed quò illos priſtinæ uirtutis memores eſſe hortaretur, orationem habuit. Tum clamore maximo ſignis infeſtis utrinq; concurrunt, tela è tormentis mittunt, comminus res geritur, maxima ui certatur. Germani antiquæ uirtutis non immemores, in aduerſos acriter inſtitere, donec hoſtibus partim cæſis, partim fugatis, læta & optata uictoria Cæſarianus exercitus potitus eſt, tametſi Gallis numero longè inferior. Germani pedites aduerſus Germanos & Heluetios cum Gallo militantes dimicarunt, quibus profligatis, Hiſpanis peditibus rem fortiter gerentibus ſuppetias tulerunt, tormentorum crebram diſploſionem tanquam uiri fortes contemnentes, fugatisq; Aquitanis & Italis uictoriam Cæſari retulerunt. Quanta fortitudine, quãtoq; animi robore utrinq; dimicatum ſit, ex eo liquèt, quòd quem quiſq; pugnando locum ſibi uiuus delegerat, eum amiſſa uita corpore tegebat. Variè per omnem exercitum inceſsit militum animos lætitia, quòd res præter ſententiam Gallis ſucceſsiſſet.

Hæc ſunt quæ ab eodem ſignifero accepi.

FINIS.

REI CONTRA TVRCAS GESTÆ ANNO M. D. LVI. BREVIS DESCRIPTIO, CVM ADIECTA CHOROGRAPHIA: ubi præliorum, pugnæ, oppugnationum & expugnationum, locorum item, in quibus præclarè quidque gestum est, regionisq; situs & confinia elegantissimè exprimuntur: Vuolfgango Lazio Viennensi, Regio historico ac Medico, autore.

QVVM inducias quinquennio elapsas Turcarum tyrannus Ferdinando regi renunciasset, ut qui iampridem patefacere sibi uiam omnem in Austriam, Styriam, atq; Carniolam cogitasset, extemplò munitissimum castrum, haud procul Quinqueclesijs situm, Sigeth nomine, quod solum in medio hostilis agri in fide Regis uirtute præfecti manserat, obsidione cingere cœpit primo Aprili, anno quo hæc scribimus â reparata Salute M. D. LVI. Quod ubi Regi inclyto allatũ est, qui tum aduersus cõtumacem quendã in comitijs Hungariæ proscriptum, & qui in Transyluania res nouas moliebatur, iusta arma parabat, comitijs prouinciarũ suarum hinc inde transactis, qua potuit celeritate atq; fide Oratores etiã petitum auxilia ad proceres Germaniæ, qui tum apud Ratisponam conuenerant, misit. Et ne mora præsentibus obesset, collecta ex censu pecunia, & quod in proprio fisco supererat insuper elargitus, militem duobus in locis scribere pergit: dato negocio Nicolao à Bolvuila Alsatæ impigro homini, ut per Sueuiam ac lacũ Acromium legionem peditum, quam Regimentum uocant, in uerba adactã, magnis itineribus Viennam deduceret. In Austria interim aliam Theodericũ Marcellum scribere iussit. Ipse cum paulò antè prouinciarum superiorum in Oeniponte, Austriæ uerò inferiorum apud Viennam, & Hungarorum Posonij conuentum absoluisset, nondum elapso Aprili, Pragam Bohemię maturauit, ut in communia belli consilia, suppetias q; tam necessarias, eius quoq; regni incolas pelliceret. Id cum feliciter ac magnis sudoribus, ac infra dignitatẽ etiam, corporisq; uires tandẽ omnia confecisset, nihil antiquius habuit, quàm ut obsessos in Sigeth castro, quam primùm obsidione, quæ iam in multam æstatem trahebatur, liberaret. In eius consilij exitum, equites cataphractos iaculatores, quos Nigros nominant, ad summam CCC ex Austria contractos, & leuioris armaturæ Hungaros, quos Husserones dicunt, penè mille, in Hungariæ mediterranea præmisit, uti ad Canisiam in finibus Styriæ & Hungariæ peditem præstolarentur, & quos prouinciæ cæteræ Austriæ armare equites iussæ fuerant. Dum hæc in Pannonia secunda aguntur, Theodericus Marcellus cum sua legione, & equitibus Hungaris, grauisq; armaturæ Germanis haud paucioribus IↃC, aduersus Bebecum, qui Austriæ agrum ulteriorem infestum reddere haud desinebat, penè sub exitum Maij mensis mouit, & ex itinere aliquot in finibus Cassouiæ ac Cepusij munitiores Bebeci arces in deditionẽ accepit. Quo tempore, adulto iam Iunio, altera etiã legio quam Bolvuilerus ex Sueuia adduxerat, se cum utriusq; generis equitibus ad Canisiã coniunxerat: & nulla interposita mora in hostilẽ agrum transgressa, adscitis leui Hungarico equitatu, & perpaucis admodum grauioris armaturę Austriacis equitibus, et Styrienſibus, Baboczam munitum castrum, quod superioribus annis Turcæ

nobis

nobis eripuerant, quatuor milliariorum interuallo à Segetho disitũ, obsidere cœpit: eo consilio, ut hostem ab obsidione Segethi remoueret. Cui etsi cõsilio euentus rẽsponderit, animaduersum est tamẽ postea, haud sine periculo id nostro factum. Quippe, ut fit, ubi de exploratorum fide dubitatur, prius ad Baboczam Turcæ conspecti sunt: ac machinæ loco edito, & unde cõmodissima in nostros erat iaculatio, locatæ fuerant, ꝙ fama in castra de soluta obsidione Segethi peruenisset. Cuius rei utpote subita trepidatio magnã attulit terrorẽ, tempestate præsertim tormentorum obrutis nostris, impeditisq; ordinibus: et ꝙ eques lęsis equis, aut omnino etiam sublatis, haud parem audaciam ad pręliandum cõferre uideretur. Ibi in eo ancipiti casu Comes Serinius Croata, qui Turcas primus aduerterat, & procursando præludium prælij fecerat, uir omni expectatione uirtutis bellicæ superior: Nadastinus item ac Pethius Hungari, cohortati expeditioris armaturæ equites, ne uicti metu tẽpori deessent: docẽt, quantopere regni, communisq; salutis interfit, si adsistentes Germanis memorabilem eo die de hoste uictoriam referrent, cuius memoria magnã sibi autoritatem, magnosq; spiritus in re militari adiũcerent. Nec minori animi pręsentia, eo in cõflictu & Bolvuilerus pedites suos allocutus, ut parem uirtutem ad cõmunem necessitatem conferrent, cæterorumq; famã facinoraq; & locum imitarentur, rogabat: uictoriam facilem sæpenumero ex rebus difficillimis accidisse: accommodarent animos modò, ac corpora pro patria ac auita nationis gloria obiicere periculis non horrerent. Itaq; cũ toto die extracta pugna esset, & ad uirtutẽ nostri nihil reliqui fecissent, non semel denicq; in proximas paludes, quas stagnans aqua Rynniæ fluuioli efficit, barbaros coniecissent: postremò tamen destituti puluere tormentario, & ꝙ expediri in his turbis machinæ Regiæ, quę procul aberant, citra discrimen nõ possent, cedere Turcis coacti, q & numero & loci cõmoditate superiores fuerant, quorumq; res ob expeditas exoneratasq; feliciter machinas hauddubiè firmiores tũ erant, pedem sensim referre occipiunt. Ne tamen pauoris opinionẽ hosti darent, quando in eã fortunam res recidissent, capientibus id consilij ex tempore ducibus, Baboczam castrũ, quod diximus à nostris obsidione fuisse cinctũ, ex discessu adorti sunt, ingentibus animis: & nõ ambigitur, si pulueris tormentarij tum copia adfuisset, uel tum, circundatis ceu ad spectaculũ Turcis, expugnaturi castrũ fuissent. Ita accidit sæpenumero, ut fortuna ad utrumq; uictoriã trãsferat, quo bellum extrahatur, animosq; nunc horum nunc illorum ad uirtutẽ accendat. In eo discessu accidit res incredibilis, ꝙ non omnino trecenti equites Austriaci, quos Nigros uocant, cum uniuersa penè Turcarũ multitudine congredi ausi, dum nunc eminus, nunc cõminus explosis sclopetis insequentes à tergo morãtur, cædem ingentem fecerint: coniectisq; in fugam hostibus, adiuuantibus leuis armaturæ equitibus Hungaris, uiam salutis suis primi ostenderint. Ita sine iactura Czorgam reducitur exercitus, machinæq; omnes incolumes ex uia recipiuntur. Desiderati sunt tamen ex nostris, qui eo die ad ueræ laudis famã contendebant, præter gregarium militem, plericq; magno loco uiri, ex quibus pręcipui, & quorum nomina posteris celanda non reor: Nicolai Bolvuileri frater germanus, adolescens ad magnam uirtutem expectatus: Staynaprunnius Alsata, præfectus castrorum: Sigersdorfius, tribunus peditum Styriensium: quorum duo primi ictu tormẽti oppetiere, tertius iugulatus dicitur. Egenolphius Cellensis, ciuis ad lacum Acromiũ, signi unius Germanici tribunus, nõ quòd primus in discessu esset, sed quòd ante ordines in oppugnatione Baboczæ, milites ad uirtutem hortaretur, cum aliquot alijs sui loci laudisq; strenuis hominibus, gregarijq́ue milites, ad summam, ut putant, CC. in seruitutem longè fœdissimam cessere. Occisorum, quos CCC aut paulò minus fuisse autumant,

Barbarus

Barbarus maiori ex parte capita præcisa, ac lõgis contis affixa, Segethinis postea exultans nequicquam ostendit, ut opinione ceu relatæ uictoriæ animos tandem obsessorũ expugnaret. Sed nec hosti incruenta illa uictoria fuit: si modò uictoria appellanda est, in qua maiore ac meliori parte exercitus amissa, captis primi nominis satrapis, loco insuper cedere coactus est, usq; adeò ut cognitum posterius fuerit explorata à transfugis fama, nunquam aliàs æquè tot bellatores uiros tyrannũ amisisse, quos adhuc deplorat. Ipsum præterea Bassam, cæteros q; omnes Turcas insolito terrore perculsos ex illo nouo genere equitum Nigrorũ, quos patrio sermone Diabolos nuncupãt, plusq; ignis euomere illos, globosq; conjcere unum in plures suæ gentis ab experimento credunt, q; acinacibus suis nocerè olim Christianis potuerunt, quos tanquã deinceps inutiles è cõflictu abiecisse quidam memorantur. Dum hæc ad Baboczã fiunt, interea factus certior Rex Ferdinandus de reducto atq; incolumi exercitu, deq; cuiusq; uirtute singulatim cum inquisiuisset, quot laboribus, periculisq; perfunctus quisq; foret, Comitem Serynium præsertim & Bolvuilerũ peditum legatũ, qui eo in conflicto sclopeto pede percussus fuerat, Ottonẽ Henricum à Puechaym, item Ruberium & Gilium Austriacos, qui equitatũ trecentorum duxerant, ob res præclarè gestas, & quòd consensus militaris in hoste ut primos uictoriæ autores, salutisq; custodes inclinaret, liberaliter prosecutus sermone & scripto, ornamentis condignis condecorauit: & ad exitum belli intentus, Bohemos & Morauos excire pergit, qui tum fortè mille equites iaculatores, quos Nigros uocant, in Morauia armabant, designato delectus loco ad Straczniczam, haud procul Austriæ Hungariæq; finibus: simul filium Ferdinandum Austriæ archiducem, è Praga, ubi regiam is tenet, euocatũ, huic tantæ atq; adeò repetitæ expeditioni Imperatorẽ designat: quo ex auctoritate nimirũ animi militũ confirmarentur, ac in spem certã uictoriæ optimus quisq; excitaretur. Qui antequam copias omnes apud Viennã educere in aciem potuit, Turcę Segethum castrũ denuò, ac eo quidem grauiori obsidione cingere pergunt, quo ceu exploratam se iam uictoriam habere cõfidebant: ostensisq; his de quibus præfati sumus, capitibus occisorum, in leui prælio tanquam spoliis quibusdam atq; trophæis, nunc amicè ad deditionem, nũc decussis parietibus, geminatisq; oppugnationibus hortabantur. Sed eluſit omnes hostis tã atrocis minas præfecti uirtus (nec nomen quidem posteros celandũ reor, Marcum Croatam uocant) qui quantumuis fame adfligeretur, penuriaq; non solũ cibi, sed pulueris quoq; tormentarij laboraret: ad extremum, nihilo magis tamen languido animo, cognita hostis calliditate, q̃d alij mortales rebus prosperis facere consueuerunt, is necessitate adductus, ac penè deploratis rebus facere ausus est. Quippe ultrò facta eruptione, ad dimicandum cum præsidio suo processit. Quod cum sæpe, & id quidem feliciter tentasset, relatis identidẽ in castrum opimis spolijs, ac præda non contemnenda: ad postremum Halybassam coëgit, qui Turcicis copijs præerat, & nullam partem nocturni temporis, tot mensibus, Segethanis cõcesserat, tot frustra explosis globis, omnib. parietibus castri nequicquam quatefactis, uti diffidẽs rebus suis, cum prius in omnem partẽ mente atq; animo traheretur, minasq; Tyranni formidaret, cuius dubio procul uictima foret, si re infecta recederet, protectisq; omnib. rationibus, de discessu consilium caperet. Ferunt, Barbaro insolitã Segethinorum uirtutem, multisq; retro annis non auditã audaciam, lachrymas excussisse: adeò aduersus opinionem expectationẽq; omnẽ Segethi obsidio potentissimo hosti cesserat. Quod ubi fama explorata ad Regẽ inclytum fuit perlatũ, qui cõsultando cum suis, nullã omnino eo bello intermiserat operam, filium (de quo supra diximus) ducẽ expeditioni designatũ, ut grauiori bello occurreret, antequam

quam nouæ ex Turcia, Seruia, Bosniaq; copiæ confluerent, maturius ad exercitum cum supplemento mittendum existimauit. Qui sub exitũ Augusti mensis, adsumpto equite Bohemico Morauicoq;, quem diximus in delectu ad Straczniczam mille numerũ expleuisse, adiunctis etiam tribus signis peditũ Austriaci nominis, ac nouis maioribusq; machinis, quas è Praga adduci curauerat, inuocato prius publica supplicatione numine diuino, quod cum omnibus casibus belli, tum præcipuè pro nomine & gloria eius pugnantib. adesse semper cõsueuerat, egressus Viennam (quod fœlix & faustum fuit) ipso solenni D. Bartolomei apostoli die, nõ sine lachrymis multorum, quas partim commiseratione, partim ui lætitiæ emiserant, quòd tantum uiderẽt principem prosuis laribus saluteq; subditorũ se deuouere: tametsi propter machinas tardiori agmine incedere cogeretur, primo tamen Septembri sine omni maleficio eorum per quos transibat, comitatum uidelicet Saproinẽsem & Castri ferrei, ad exercitum peruenit, qui ad Canisiam in finibus Styriæ hilaris aduentum eius in armis expectabat: progressusq; obuiã instructa acie, more militari, atq; exoneratis cũm machinis omnibus, tum sclopetis singulorum, publicã eo die lætitiã testabatur. Erant in exercitu archiducis celebres uiri quamplures gloria rerum gestarum: quorum burggrauius Misnensis, dominus à Plavu, qui partem Bohemici equitis ducebat, totius exercitus signifer cõstitutus fuerat. Catolo Czerotino, & Barcouio, reliqui equites Bohemici Morauiciq; parebant. Cæteri, Franciscus comes à Turre, Iulius comes Hardecensis, Erenricus â Kunigsperg, Ioannes à Vueyspriach, et alij quàmplures ex nobilium baronumq; ordine, cõsultanti principi operam dabant. Nec defuere qui proprijs sumptibus huic tam honestę necessariæq; expeditioni nomina darent: è quorũ numero & fratruelis tuus Hulriche splendidissime, illustris uiri, ac de domo Austrię bene meriti, domini Antonij Fuggeri filius fuit, quinquaginta equitibus comitatus: qui omnes nullum non periculum cum tanto principe adire, nullũq; adeò labore sumptumq; suscipere detrectabant, quo rem Christianã aduersis tot seculis uictorẽ, crudelemq; ac cõmunem patriæ hostem, adsererẽt. Itaq; cũ in spem certam erectos princeps singulorũ animos uideret, ne mora præsentibus noceret, Bolvuilerũ, altero ab aduentu suo die, cũ legione sua, & equites Austriæ cataphractos cũ aliquot alis expeditioris equitatus, ad præoccupandum munimentũ Karothnã, trium milliariorũ spacio separatũ à Babocza, præmittit. Qui in omnẽ euentum ac fortunã intenti, ingentib. id animis adgressi, primo statim insultu expugnãt: tantoq; ardore fæuitũ tum fuit in illos qui ibi præsidiũ agitauerant, Turcas, Hungarosq; (ut multi conijciũt, 1 0 C numero) ut iugulatis omnibus, uix duo in captiuitatem rapti fuerint. Hic rursus Bolvuilerus egregij facinoris famã consecutus est, quũ penè sine sanguine, x x modò desideratis, absq; etiã operib. ullis, locũ natura munitũ, presidioq; probè & machinis firmatũ, momento temporis cœpisset. Ferunt à militibus aurum in uentribus Turcarũ dissectis tum repertũ fuisse, quod illi desperatis rebus, ne Christianis cederet, re subita deuorauerant. Ita Karothna à nostris recipitur. cuius rei fama perculsa reliqua quæ in Babocza, S. Martino, Geresgalio, Calamancia, atq; Sallia, præsidia Turcica excubabant, omnia uicta terrore succensis castris, ac machinis corruptis, effusa fuga abeunt Quinqueccleſias: ubi hostis subsidia, ex Hungaria, Seruia, Thracia, & Bosnia cõuenire dicebantur. Sequitur tum eadẽ uestigia fortunæ tam lætæ, qui Segetho præfectus erat Marcus: ac cum præsidio suo, ad S. Laurentium, Salliamq; usq;, ac penè etiã ad ipsa mœnia Quinqueccleſiarũ excurrit: occupatis ijs, de quib. locuti sumus, munimentis: ingentiq; pręda abacta, ad suos uictor reuertitur. Eiusdem expugnationis occasione, ingens etiã facinus ausus Adamus Gallus Germanus, qui laurinũ

ad

ad confluentes Arrabonis tuebatur, cum suo præsidio & aliquot alis leuioris Hungarici equitatus, secus Danubium, Strigonium usq; depopulatis circum agris, excursionem fecit. Quod noctis silentio adortus, prius inflammauit, q̃ Turcæ somno sepulti, id intelligere possent: quibus in stratis utplurimum, uagabundisq; per cæcas uias trucidatis, opimam prædam triumphãs laurinum abduxit. Cuius præterea paulò antè eodem in bello, alterum perpulchrũ stratagema, non æquè fœlicem habuit successum. quippe centũ rhedis Hungaricis, quos Gotschones appellant, clam hostibus egressus laurinũ, magnis itineribus Albam Regalem maturauerat. Neq; ambigitur, si non ob nundinas, frequentior tum in suburbijs populus confluxisset, simili Albã audacia occupasset, abductis nihilominus aliquot millibus iumentorũ, ut profectionis operæ precium faceret, incolumes suos in præsidium ex uia reduxit. Ita accidit interdum, ut prudenter instituta plæraq;, nullũ tamen exitũ consilij consequantur: nempe, quo bellum extrahatur, animos nunc horum, nunc illorum ad uirtutem accendẽte fortuna. Sed redeo, unde digressus sum, ad Karothnæ uidelicet expugnationẽ. Quam ubi ex nuncijs Ferdinandus archidux cognouisset, qui castris promotis ex Canisia ad Czorgonem, Bolvuilerũ cum maiore exercitus parte sequebatur, lætus his belli primitijs, cum suis de residuis etiam consultando cogitabat. Qui tametsi animos haberẽt, ulterius progredi, ac cætera in uicinia, ante paucos annos amissa munimenta Vesprinium Cuposuyvuarũ scilicet recipere, neq; eo tam remisso ac languido animo quisquã esset, qui nõ grauiora etiam perferre uellet: non est tamen uisum, inconsulto parente inclyto Romanorum rege, quicquam facere, aduersus hostẽ præcipuè dolis omnibus instructissimum, & qui undiq; ex omnibus penè Pannoniarum, Mœsiarumq; ac Croatiæ latibulis, excire militem dicebatur. atq; instructa iam etiam acie, à Quinqueclesijs Calamanczẽ usq; obuiam procedere ausus fuisset, ductis secum ingenti numero moleq; machinis, exploratores insuper quamplures in nostra castra præmisisset, qui LX millib. armatorum exercitũ Turcicum constare, capti adfirmabant: de quibus & postea, cum Christiani fuissent, optimo publico supplicium sumptũ fuit. Ne tamen remissius administrare, hoc tã piũ, tamq; necessarium bellum archidux uideretur, donec à parente certior fieret, Carolũ Czerotinum, Bohemorũ Morauicorumq; equitum cataphractorũ ducem, cum suis exploratorum circum loca uicina præmisit, qui hostis cõsilia specularetur: ac sibi technas nectere, ac in armis esse uiderẽtur, & quónam itinere intenderẽt, ad se primo quoq; tempore referret. Is pacato agmine ad Segethum usq; excurrit, deq; necessarijs rebus ac principis mente collocutus cũ loci præfecto, quum & rem frumentariam intulisset uberem, machinasq; plures nouas adportasset, paucis in hoc consumptis diebus ad archiducem reuertitur. Quo itinere, haud procul abfuit quin in hostiũ insidias incidisset: & iam sublatis excubijs: res in periculo uertebatur: ni ex pristina bellandi consuetudine cõsideratior dux, totam eam noctem, equitem in statione tenuisset. ita sine damno ad archiducem Czerotinus reuertitur, qui iam secunda castra, ut diximus, ad Czorgonem haud procul Babocza præmunierat, in omnem pugnæ euentũ intentus, ceu mox exploratæ uictoriæ finem impositurus: quum literis à parente certior factus, quid sibi deinceps agendum esset, ne in discrimẽ exercitum suæ fidei cõmissum daret, diligenter secũ perpendebat: frigore brumali primùm omnium ex anni tempore incidente, penuria deinde rei frumentariæ quotidie magis increbrescente, quum & militũ corpora morbis ac laboribus, & ut prius æstu solis immodico, ita nũc gelu insolito confecta, in regione Germanis semper aduersissima, non satis ad profectionẽ longiorẽ idonea uiderentur: Turcas deniq; ad Kalmanczã lentius agere animaduerteret, q nõ sanè magnam

gnam ineundi prælij audaciam prę se ferre uiderentur, quòd apud illos quoq; ex superiorum mensium depopulatione annona grauis esse cœpisset, & memoria facinorum à Nigris equitibus superiori mense editorum, tot insuper amissis eo bello strenuissimis uiris (quorum uel Segethinos septem millia occidisse, ex transfugis auditum est) animos præter consuetudinem remitterent. Itaq; satis & ad gloriam sui nominis, & regni utilitatem factum arbitratus, filiberato Segetho, propter quod expeditio primùm omniũ esset suscepta, ac cæteris succensis, soloq; æquatis munimentis, Babocza, Geresgallio, S. Martino, Salliaq;, quo patefactum iter Segethinis maneret ad commeatus inuehẽdos, uictorem exercitum, antequam iniuria illum cœli magis adfligeret, incolumẽ reducere statuit, & longè charissimo parenti rationem rerum gestarũ reddere, qui apud Viennam cupidissimo animo filium reducẽ operiebatur. Ad cuius reditus commoditatem atq; securitatem iam antea Drauum amnem, ad confluentes Muerę nauali ponte iunxerat: per quẽ traducto exercitu, ut palustria loca secus Mueram euitaret, memor quòd ex secundis rebus milites licentiam sibi sumere possent immoderatius peccandi in miseros colonos, bipertitò eò incedere uoluit. Cuius partem Bolvuilerum ac Czerotinũ secus Arrabonem flumen in secundæ Pannoniæ agro, per eius confluentes, & Altenburgum ducere præcepit, ad Lythaæ pontes, in Austriæ Hungariæq; finibus positũ oppidũ, ubi lustrationis locus & dies dictus fuerat. Ipse cum equitatus altera parte, & præcipuè his qui in comitatu suo fuerãt, Hungaris pręterea leuis armaturæ equitibus, è Rakherspurgo Styriæ, ubi machinas ad sequentes æstatis belli opportunitatem reliquerat, per fines Styriæ, Hungariæ, Austriæq; Viennam maturauit: quò sub exitum Octobris incolumis tandem peruenit. Quanta uerò eius principis non solũ in laboribus subeundis, periculisq; adeundis, lustrando exercitu, castrorum locatione, acieq; instruenda & industria extitit, & animi uigor, atq; in iusticiæ administratione aduersus blasphematores præcipuè, & raptores seueritas: tanta rursus in miseros afflictos cęsosq; milites misericordia, indulgentia & prouidentia penè popularis fuit, eos qui in expugnatione Karothnæ uulnerati, aut tormentis icti fuerunt: cum cõsolatione prius, laudibusq; liberaliter fuisset pfecutus, medicos proprios atq; chirurgos adhibuit, pecuniãq; impertiuit uberem: alios in discessu à Czorgone, qui exercitũ sequi æquis passibus ob afflictã ualetudinem non poterant, ne in itinere perirẽt, aut hostibus colonisq; uictima fierent, curribus imposuit. non paucos deniq;, qui in reditu in morbos incidissent, ut est cœlũ Hungariæ corporibus Germanorum aduersissimum, per uiam colonis passim commendans, tanquam pater quispiam, aut frater, liberali etiam uiatico prosecutus fuit: adeò ut militari consensu, atq; etiam incredibili propè adfectu ab omnib. mirificè diligatur, ac prę-conijs extollatur passim non dicendis. Cuius uitam principis genere suo dignissimi, Deus opt. max. diu incolumẽ tueatur, ac in annos Nestoreos prouehat: faxitq; filius Dei Christus, ut quæ superiori æstate ob copias perquàm exiguas, contra tã potentem hostem, non potuerunt confici: sub hoc rursus duce totius Germaniæ auxilio, ut imposita necessitas ualde requirit, accedente fœnore consequamur, ut pulso procul à ceruicibus Germani immani hoc hoste, nominis nostri acerrimo persecutore, pacis munia fouere, aruaq; & lares colere in Dei laudem possimus, Amen. Quod olim Claudianus poëta de Honorio Cæs. & Stilicone principe, eiusdẽ prouincię liberatorib. eleganter cecinit:

Hinc Pœni cumulant laudes, quòd rura tyranno
Libera possideant: hinc obsidione solutus
Pannoninus, potoq; Saui, qui clausa tot annis
Oppida, laxatis ausus iam pandere portis,
Rursum cote nouat nigras rubigine falces,
Exesosq; situ cogit splendere ligones:
Agnoscit casas, & collibus oscula notis
Figit, & impresso glebis non cedit aratro.

Exactis

Exectis inculta dabant quas secula syluis,
Restituit terras, & opacum uitibus Istrum
Conserit, & patrium uectigal soluere gaudet,
Immunis qui alade fuit. te sospite fas est,
Vexatum laceri corpus inuenescere regni,
Sub tot principibus: quæcunq; amisimus olim,
Tu reddis. solo poterit Stilicone medente,
Crescere Romanum uulnus tectura cicatrix,
Inq; suos fines tandem redeunte colono
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.

FINIS.

RERVM CONTRA TVRCAS, AVSPICIIS FERDINANDI AVSTRIACI, CÆSARIS F. IMP. TVRCIC. Max. Anno M. D. LVI. in Interramnensi Pannonia gestarum, historiola, Dialogo conscripta:

AVTORE BASILIO IOanne Herold.

PLATO ille, cui in omni doctrina, omnium doctorum iudicio, semper summa excellentia delata fuit, is tam in uerbis ad rem fictis, quàm in rebus inuentis clarissimorum suorum uerborum lumine exornandis, eo dicendi genere usus est: quo, quoscunque ipsi uisum fuit, de eo quo illi sermo erat, loquentes & disputantes introducere liceret: ut in Dialogis illis Menexemo & Critia uideri potest. quandoquidem in hoc de rebus à ciuibus suis ante diluuium Deucalionis bene gestis: in isto, de ijs qui pro patria glorioſè occubuerant, tractatur. Idipsum in Catone, de consulatu ipso suo Cicero eloquentiæ & philosophiæ parens fecit. liceat idem nunc & mihi, quod grauissimis atq; excellentissimis uiris, cum libitum sit, de rebus in Pannonia Interamnensi contra Turcas, anno præterito gestis, paucula quædam scribere, quæ Deo uolente, copiosius aliàs à me describentur. hac etenim scriptione huius excellentis & admodum recentis facti, gratulationis meæ publicæ lætitiæ coniunctæ testimonium, apud uiuos deponere uolui, cum instituerim ex magnitudine rei exemplum hoc memoria sempiterna dignum, posteris totius mei ingenioli uiribus excultum aliquando proponere. Quapropter nullius intemperantiam usqueadeò grandem puto, qui mihi uitio uertere uelit, collocutioni huic inclusisse, atq; sermonem omnem communicasse me, no bilissimis hominibus: quorum duo illi Franciscus Thasus, Ioannes Petheius, Hungari clarissimi, de facie mihi nunquam noti, auditi fama ingenti, non solum interfuerunt, at summa cum laude magna ex parte rei præfuerunt, quiq; iamdudum in celebratissimorum uirorum scripta facinoribus splendidissimis peruenère. Augusti autem ac Regum maximorum grauissimo iudicio, equestri ordinis dignitate exornatus, & senatui Mediolanensi amplissimo allectus, ex collocutoribus tertius ille Carolus, qui Boiorum ex ueteri stirpe, per tot regum & principum successiones, illustrissima atq; succrescenti Vicecomitum familia ortus est, coniungi ijs, optimo iure potuit: cum iuuenis ipse nec bello expers, sed in Parmensi expeditione superioribus annis, militiæ decora plurima acquisiuit. De eo autem qui huic Dialogo adiunctus est quarto loco, uidelicet M. Antonio Ghiringhello, quid dicam aliud, quàm ipsum experientia rerum & usu, doctrinaq; ubicunq; ingenium intenderit, plurimum ualentem, digniſsimum esse, qui omnium monumentis inseratur, quiq; fidissimus Carolo Achates, disiungi ab eo non potuit: tanta uerò omnes hos animi & morum lenitate præditos, ut frigidioribus meis scriptis sese inseri, nullo modo ægrè ferant. Fictos igitur à me illorum congressus, & honoris causa ipsis attributos sermones, age audiamus. Legatione honestissima pro patria obita, atq; ea apud Philippum Augusti F. potentissimum Regum optimè perfunctus Vicecomes noster, in reditu, itinere quod illi longum & rectum erat ex Morinis, domum repetens,

tens, defatigatus & uia languens, hanc in urbem noſtram Baſileam peruenerat, ad quam paucis horis antè, idem in diuerſorium cum Ghiringhello comite & Hungari iam dicti duo, ad celeritatem mutatis equis, diſſimulatis perſona & negotijs, applicuerant. Hos itaq; inter cœnandum, ut fit, ex comi affabilitate, tacita quædam animorum generoſorum & uirtutis conſpiratio, ad mutuum amorem illexerat, tanto ardore, ut de præclariſsimis pacis belliq; ſtudijs, poſt ponderoſas quaſdam diſſertationes, familiarioraq; quædam colloquia, beneuolentiæ & amicitiæ initium quoddam inter ſeipſos conciliarent. Vt igitur inchoatam iam familiaritatem, quibuſdam officijs ſtabilirent, in eo ipſis conuenit: quandoquidem per plures hærere illis non liceret, unius dieculæ iacturam facerent: qua ſimul conſumpta, auſpicijs perennibus ueram amicitiã confirmarent. Hanc procraſtinationem, in negotijs moræ impatientiſsimis hominibus, tolerabiliorem reddebat amplitudo atq; amœnitas noſtræ urbis: quæ ut excellentiſsimorum ac doctiſsimorum uirorum altrix ſemper fuit ſplendida, ſic T. Minutij Baſilli, à quo nomen accepit, ab ipſa Iuliorum memoria, clariſsimorum nonnullorum etiam uirorum monimentis exculta, atq; Schola ornatiſsima percelebris eſt, artiſq; Impreſſoriæ præſtantia toto orbe claret: floret autem ſacris, legibus, moribusq; antiquis, ac ad imitationem Romanorum, ſenatus maxima maieſtate, & populi grauitate fulget. Geſtiebat hic, Amerbachium, huius ſeculi celeberrimum Iuriſconſultum, nulli uel eloquentiſsimo ſecundum, alloqui: Cælij Curionis noſtri Secundi, diuinam eloquentiæ uim audire cupiebat ille: Oporini mei, uiri eruditiſsimi, in excudendis autoribus admirabilem diligentiam, & incredibiles labores in ijs caſtigandis, contemplari coràm uolebat alter: is Petreanam, Frobenianam, Heruagianam, atq; alias celebriores, inſtructiſsimas impreſſorum officinas inuiſere, quiq; ſub prelo gemerent autores perſcrutari. Omnes autem ſimul deſiderabant, ad ſummum templum in area illa peramœna, montes, ualles, nemora, flumina illa, quæ omnia longe lateq; ſeſe exhibent, illinc proſpectare: in Petreo colle lucum, armamentariumq; mirè inſtructum: deinde inambulantium & auram captantiũ frequentatum, illabenti, urbem ſcindenti, atq; ceu iugum faſtidienti iniectum Rheno pontem: Prætorium Auguſtum: Forum amplum, fonte frigidiſsimo & limpidiſsimo exornatũ: ædificia publica, priuataq;, arte, ſitu, ſumptuq; ſuperba, perluſtrare & uidere. tali deliberatione læti, menſas relinquunt, uectione feſsi, refecti cœna lauta, quieti ſe tradebant. Prima poſt luce, inuocato diuino numine, diem illum felicem, uotisq; parem optantes, in aream, quæ ſummo templo adiacet, diuerſorio non multum diſtantem, contendunt: illic qui ex gymnaſio redibat, & profitentem ſuum præceptorem audierat, puerum, domum properantem obuium habent: quem de nomine percunctatum, ipſum ſeſe Immanuelem appellari Vicecomes percepit, ac: Rectè, inquit, ſodales optimi, certè bono & fauſto in primis augurio (ſi Hebrææ dictionis etymon inſpiciamus) quod ſignificat Deum nobiſcum eſſe, qui hunc oſtendit & obtulit. Renidenti tum ore Ghiringhellus refert: Sequamur omen. forſan qui peregrinis nobis, quæ uidere cupimus omnia, indicare & deſignare in hac urbe poſsit, aliquem hic puer demonſtrabit: apparet ſiquidem in eo læta indoles, atque is habitus, ij mores, ut bonorum notitiam bonam illum habere crediderim, aut certè ex humaniore aliquo uiro generatum. Heus tu, puerum alloquẽs inquit, cognomen tuum quod eſt? qui cum reſpondiſſet, Herold: Deorum benignitatem, exclamat Vicecomes, Túne ueteris amici filius Ioannis? quid pater? quid uir? at præſtat ſanè auolare hinc, & inquirere hominem ipſum, quàm de eo plura interrogare. Duc eia puer optime, deduc nos ad patrem, quem abſolutis tabulis Francicæ cognatæq; mihi ſtirpis, Commentarijs efflorescentis Germaniæ inſudare, ac inexhauſto labore iniquæ fortunæ reluctãtem, ad poſteros aliquid ut tranſmittat, ingenio ſuo dignum, niti exiſtimo. Salute itaq; accepta & data, in manu deprehendunt Panegyricum, quem à quinq; diebus inchoatum, abſolutumq; exſcribere, editioni parare, atq; dicare Ferdinando Cæſ. F. cœperam. In eius inſcriptione cum Baſilij inſcriptionem legiſſet Vicecomes, cauſſam additi prænominis rogare atq; ſciſcitari incœpit, quare id in tabularum nuncupatione non edidiſſem? Huic cum Senatus huius urbis ampliſsimi in me beneuolentiam, atq; in exornãdis meis laboribus ſtudium ſingulare enumeraſſem, quo me, puerumq; meum Immanuelem ciuitate donaſſent, foouerentq; tenerrimè, gratitudinem meam collaudare uiſus eſt atq; probare maximè, quod liberaliſsimum & ſpectabiliſsimum tantæ Reip. donum, in perennem & famæ & nominis mei uſumfructum ac honorem fauſta appellatione uerterim. quod etiã Ghiringhellus interpretari cœpit tale eſſe, quod in conſequendo deſiderio ipſis omnibus commodum foret: quandoquidem au-

thoritatem ineſſe aliquam apud ciues ſuos, et gratiam non uulgarem, nec̃ earum rerum quæ honeſtæ & uiſendæ eſſent latêre aliquid eum poſſe, qui omnibus tam charus, ut etiam Senatus authoritate ciuitati, id eſt, communioni fortunarum omnium ultrò adſciſceretur: ſubinde Eraſmi Roterodami illud dictum inculcans, Romanũ ciuem hoc tempore, quàm Baſilienſem, aliquanto ſanè minus eſſe. Qui unà aderant Thaius & Petheius, ad Principis optimi laudes omnino exhilarati, cum in Panegyrico Apollæuuyleriânæ legionis & copiarum auxiliariarum mentionem factam legiſſent, num rem geſtam ab aliquo reſciſſem, ex me quærere. ego præter rumores uarios nihil affirmare: tempus tranſiſſe, ſi quid etiã ea de re ſcribere uellem, quod proximo Francofordiæ frequentiori mercatu diuulgari poſſet. ægrè id ſe ferre fatebantur: inſtabat enim Cal. April. X dies. Extemplò Vicecomes: Petheie, inquit, quin tu huic ſermonem eum, quem de eo contra Turcas uictoriæ ſucceſſu felici, cum heri noctu cubitum ieramus, apud ſomniculoſos habuiſti, enarras? breui is, meo hortatu, atq; contracto hoc temporis ſpacio, pro patria labores ueſtros, hominibus noſtris commendabit, æternitati autem conſecrabit maiori ocio. Lubens certè, infert ille, ac bona fide quæ mihi perſpecta & nota ſunt, indicabo omnia. at inambulando auditui huius, oculorum animorumq; noſtrorum deſideriis ſatisfieri multò melius poſſe iudico. Comitabor, inquio, atq; patriæ amantes fortes uiros uos, ad quercum illam annoſam deducam, ex qua maiores noſtri Germani, ut fertur, Imperatores, reges & Reſpublicæ coronas decerpere ſoliti fuerunt, quibus coronarent eos qui ciues ſeruaſſent, magna ſolennitate: deberi autem illam uobis à Republica Chriſtiana quis neget? Imus. En hic in luco. Hui, platano omni diductiorem, inſit Ghiringhellus. hæccine illa, quam Roterodamus ueſter in dies contractiorem fieri dicit? Forſan, inquam: melius, ſi ab ea ætate, qua uirtuti precium & præmium deſijt, illam iuſto diuinitatis iudicio & naturæ condolentis quadam miſericordia, imminui, indicaſſet. Intremus. Cum iam omnes ad fontem ibi conſediſſemus, Petheium, ut ſermonem heſternum, ſomno interruptum renouaret, urget Vicecomes. Is ea lege onus ſuſcipit, ut Thaius prolapſum ipſum memoria admonere, alij ſubinde commodè interpellare debeant: & collegam ad dicendum cogere, quod ipſum fugeret. Recipit conditionem Thaius: placet omnibus conſilium. Ea igitur quæ iam dicentur, excluſis illis uocibus. Inquit & inquam, ita proferam, ut tãquam à præſentibus coràm hæc haberi narratio uideri poſſit.

PETHEIVS, THAIVS, VICECOMES, *Ghiringhellus*, *Herold*, *Puer*: *Interlocutores*.

QVANTA perfidia Soleymannus ueterator, inq; fraudem quàm ficta perſona, Pannoniarum regnum opulentiſsimum fortibus uiris in primis firmum & illuſtre, ac olim Chriſtiani orbis arcem munitiſsimam, petierit, dum in regnum deducto Ioanne, filij denicp eius Stephani ſe tutorem ultrò profiteretur cum Eliſabellam ipſius uiduam, & regni ſedem à Germanorum obſidione liberat: quam inquam in omnes ſe formas tum commutarit, donec in libero regno tyrannidem ſuam conſtitueret, heri audiuiſtis: factumq; id orbis totus, iamdudum execranda memoria proſequitur. In hoc enim euertendo poſtea non Deum ullum, nullum numen, cœleſtem uim nullam ſupereſſe, ſe credere palàm oſtendit. nulla namq; res fuit, neque in cœlis tam ſacra, neque in terris tam religioſa, aut apud inferos tam horrenda, per quam dum inſidiatur uicinioribus locis, non iuraret, quam non uiolaret, non læderet, quando in poteſtatem ipſius ueniſſent. Adfuit autem præſtò Nemeſis illa, adfuerunt ſcelerum flagellatrices Furiæ illæ, quæ armis Perſarum excitatis, in omnem deſperationẽ, calamitatibus horrendis diuexatum adegere: contumaces illi fregerunt ſpiritus, ac tandem ſumma mendicitate, emercatam pacem à Germanis recipere coẽgerunt: ac neſcio quas quinquennales inducias, quibus omnino nondum finitis fœdiſsimum ac immaniſsimi monſtrum, toties deſperans ac diffidens rebus ſuis, in ſordibus lamentis atq; luctu, ex paricidio execrando latitans, ſceleratiſsimos famelicosq; latrones ſuos,

ſuos.menſe Martio ex hybernis in expeditionẽ uocauit: quibus hoc regnum, euertendi manupretium, quibus ſcelerum pactionem libertatem noſtram effecerat: iſs adiunctis, ex omnibus præſidiis impròbiſsimis & teterrimis hominibus, ſcelerato impetu Interamnenſi noſtræ Pannoniæ immiſit, cum plures proditione & immanitate, ex quorundam facilitate & patientia inter noſtros niti ſentiret. GHIR. Non interpellaſſem te Petheie, ſi de Interamnẽſi illa Pannonia, ſententiam tuam ab aliis uariam, & quare hanc, in qua res geſta eſt, ita apelles tu, clarius paulò dixiſſes. PETH. Ptolemæum ſecutus uideo, ab occidente hanc Arrabonis diuertigio & Zalę amnis fluentis, nec non Balathonis lacus amplitudine terminari. Vbi uerò ſe ad meridiem latiſsimè extendit, Daro, qui nunc eſt Drauus, coërceri: qui eam quoque, ubi ſe exonerat, Orientali plaga includere uidetur. & certum eſt, Danubio â ſeptentrione eam omnem allui. Hanc inferiorem author ille appellauit, & loca illa quæ remótiora â Danubio enumerat, conſtituit inter duos amnes Sauum & Drauum, in ea regione quam noſtri Poſſegam dicunt, Craſſo fluuio ab occaſu, in inſulam pene redactam. quam quidem ab Illyride, Pannonum uirtute decerptam crediderim magis, quàm ut ueteri Pannoniæ quis eam, ubi Sauo adiacet, totam adnumerare poſsit, Almi & Claudij montium iugis diremptam. nam & Strabo eam in Dalmatiam illic extendi innuere uidetur. HER. Quò me coniectura rapiat, habeo certè: ex Poſſegæ nempe uocabulo, magis Germano, quàm Illyrico. nam noſtros olim non ſolum Pannoniis impetraſſe, uerùm etiam in Daciã extremam, atq; Myſiorum prouinciam dominium exercuiſſe, probare ipſe, rationibusq; firmiſsimis demonſtrare poſſem: quorum gentium nomina, uarietate fortunæ, mutata ſæpius, Boſnenſibus locum dederunt in Illyrico, huic regioni quàm proximis: quibus forſan inde electis, noſtri qui eam occuparant, Das Woſſengaw nominarunt pagum illum omnem. at de his ut agam multis, hic locus non eſt. Perge Petheie, atq; narrationem de bello inſtitutam proſequere. PETH. In hac regione de qua dixi, inſulam, quam ut omnes alias, patrio ſermone, Zygeth uocamus, Alma fluuio circumfluam, atq; à Cæſare noſtro, in planicie limoſa ſitam, multo opere munitam, Cal. April. ingens Turcarum exercitus circumſidet, machinisq; omnium generum expugnare eam aggrediuntur, feſtinantes maximè, illam tormentorum ictibus labefactam reuertere, priuſquàm Cæſar periculi admoneri poſſet: rati, id quod negocium erat, obſeſsis auxilio eum ad primum nuncium, non defuturum. ſe uerò, quam primùm inſula ea potiti eſſent, uicinorum locorum dominos ſperabant. At in oppido inſulæ, uirorum atq; armorũ ſatis magna uis, & frumenti ad aliquot menſes copia: idq; aqua, fontibus, aggeribus, turribus & propugnaculis importunum erat, tormentorum aliarumq; rerũ neceſſariarum facultate ad defenſionẽ probè inſtructum: iter ad inſulam unũ cœnoſum & anguſtum. quam capi nõ poſſe, neq; ui expugnari, cum Turcæ uiderent, foſſa & uallo caſtra circũdant, per dies & noctes dolis tentant præſidiarios, ſpe auxiliorum illos priuare, & penuria exhaurire uelle: noſtri præfecto Marco Croato, homine impigro & fortiſsimo, horum ſubdolè amentiam augere, eruptionibus factis & ſimulata fuga, per impedita loca in inſidias inſequentẽ hoſtem abſtrahere: inſolitis deinde ac miris terroribus illi inſultare, cædere & trucidare pauentẽ: ita tractare, ut tandem obſidentiúmne an obſeſſorum conditio peior eſſet, in incerto haberetur. Interim cœleſti cura Cæſar ſalutem Reipub. Chriſtianæ hoc in præſidio collocatum conſiderans, maxima celeritate Boiohemici regni prouincias ingreſſus, diuerſis in locis, diuerſum militem euocabat equitatum & peditatum cogit. Ad hæc Styriis per Georgium à Danhauſen uirum nobilẽ imperat, tormentorũ bombardas ſuas maiores omnes, ſecunda Sabaria aqua (quę Muera

nunc uocatur)ad Rakelſpurgum oppidum celebre,nauigijs impoſitum, Nazadarum,id eſt,claſsiculæ præſidio demitterent:atq; militem quem ad periculi famam delegiſſent,equitatumq; omnem unà proficiſci iuberẽt. Tormentis itaq; ex Rakelſpurgo Lymbachum eodem flumine delatis,atq; per decẽ millia paſſuum,abinde Canyſium terreſtri itinere traductis:id hoc bellum adminiſtrandum Illyrij,qui nunc Sclauinorum,Dalmatarum & Croatarum nomine cenſentur,ultrò auxilia mittendo,poſtremò ſocij Pãnones omnes ſummo ſtudio adnitebantur,maximis itineribus Canyſium omnes properabant,ut loco opportuno,omnia quæ in bello uario & rerum multarum egenti,uſui eſſe ſolent,uiresq; colligerent & compararent omnes,deq; ſumma rei ibidem cõſultabant. Expectabatur quoq; Apollævuylerus,magno ac longo quidẽ omnium deſiderio,quem cauſſa quę retardarit,ut pro uotis paulò ſerius Canyſium ueniret,nondum intelligere potui:quam ex te Herolde diſcere cupio, utpote Germano,qui à plurimis,qui ſub hoc meruerunt audire potueris,& commodè haurire ex quodam ciue tuo,cuius nomen mihi excidit. nam & rebus ipſe interfuit. HER. Ciuem? non occurrit equidẽ,quem'nam dicere uelis. THA. Tamen apud uos honeſto loco,ſenatore patre natum, præferoci ſpiritu, atq; magnitudine animi notum ſatis hominẽ audiui,qui,ni fallor, multis peractis ſtipendijs,decora militaria plurima conſecutus eſt,belloq; quod inter Auguſtum & Galliarum regem in Morinorum regione geſtum fuit,uoluntariorum Heluetiorum tribunus,cohortem quingentariam duxit. HER. Teneo: Iacobum Hũtſchi ciuem Baſilienſem intelligis? THA. Eum ipſum. HER. Vnde notum tibi? THA. Grata commilitonum omnium recordatione. HER. Felici forſan dicere uolebas? THA. Ante mortem, felicem aliquem dicas,Solon prohibet. HER. Mihi perſuaſum eſt,feliciter uiuere ciuem illum, qui à patrijs ſacris & inſtitutis pijs,animam iam agens, neq; diſputationibus diuelli, neq; minis diduci poſsit,Beatitudinis fiducia in Deum certus,& ſepulchri iacturam,& diſsidentium morſus,tutus floccifacit. THA. Ergo obijt affecta ualetudine ex globulo, quod illi à tormentulo minori excuſſo in ſuram languens deciderat? Domi'ne? HER. In Norico. THA. Condoleo herclè uiro optimo.nullum enim neq; militis boni officium, nullum fortiſsimi hominis munus,nullum in patriam pij ciuis opus intermiſit, pugnando & ſtrenuè agendo quæ in eo fuerunt,omnia Chriſtianæ Reipublicæ fideliter præſtitit. nam optimè in Germaniã eius meritis,teſtimoniũ à conſenſu totius exercitus perpetuò illi datũ fuit. Quæſo,eum in ſcriptis tuis perpetuæ memoriæ mãdes.

Interea facili corpus requieſcat in urna,
Nec grauis incumbens urgeat oſſa lapis.

HER. Curabitur pro facultate. Ex alio autem quodam percepi: poſteaquam Apollævuylero à Cæſare iniunctum fuerat,ut per Germaniam militem cõſcriberet ex omni illa ueteri & uera,prima quæ Alpibus,Vogeſo, & Martia includitur ſylua,ad Rhenum Sequanorum & Alſatarum,adlacum Acroniũ,& Danubij origines Sueuorum:florenti ætate,atq; patriæ amantiores, tanto numero coiſſe ad famam ſacri belli,ad ſermonem qui de huius felicitate & uirtute multus increbuerat,tantumq; ueterum ac nouorum militum concurſum factum,ut eo in loco quo delectus habendus erat(ad inſulam uidelicet, quã Danubij & Vernitij confluentes conficiunt)tanta & tam ingens turba confluueret eorum qui nomen dare cupiebant,quæ legionibus tribus explendis ſatisfeciſſet.Incredibilem enim numerum illorum ſuſpiciunculam tunc nonnullis iniecisſe,clandeſtinæ alicuius molitionis:trepidatũq; fuiſſe Auguſtę inter Vindelicos primaria in ciuitate,adeò ut,quæ periculo proxima eſſet, ſi tumultus aliquis excitaretur,præſidia urbi imponeret ualidiſsima, ne eorũ Reſpub. detrimenti

trimenti aliquid acciperet. Tandem delectu ueteranorum habito, atq; ex iuuentute ualida tyrocinijs institutis, expletaq; legione Apollævuilerum florẽ Germaniæ secundo Danubio, primò in superiorem illam Pãnoniam ratibus & lintribus Viennam usq; deuexisse: citis deinde itineribus ad Pappam oppidum, quod Bakoni syluæ longissimæ adiacet, magnum & ualens: substitisse iussu Cæsaris, quem cupito inuaserat potiundæ Vespronij urbis Balatonis lacu impositæ, abinde itinere hominis expediti diei unius distantis. Plures deinde dies eo in loco disputatum fuisse aiebat, an progredi legionem, auxiliaq́ue ex Canysio accersiri, urbem oppugnare inimicã & opulentam expediret, posteaquam compertum esset, non adeò firmis præsidijs ipsam custodiri, atq; ciuium animos à nostris non esse omnino alienos: hostes uerò ad Zygethũ positis castris, de possessione eius loci tantum laborare, ut ipsam Vesprinij iacturam nihili facturi uiderentur. At cæteros cautiores, rerumq; Turcicarum magis expertos, uestros homines, feruidis atq; ponderosioribus sententijs dictis, omnem moram grauissimum detrimentum cessantibus allaturam edocuisse, idq; temporis deperijsse, quodcũq; Vesprinio occupando insumatur: interim in Zygetho obsessos, absumptis necessarijs, propter commeatus inopiam deditionem facturos. Extare uerò supra Rhymniam fluuium, Baboczam firmissimam arcem, nuper ab hoste occupatam: eãq; castello Zygeth, & castris obsidionalibus proximam: quæ si oppugnetur, fieri non posse quin intermissa Zygethi obsidione, hostis inclusis arce ad opem ferendum acceleraturus sit: ad quem perdendum & profligandum satis esse uirium, si Apollævuyleriana legio, auxilijs, quam aduentantẽ expectarent, coniungeretur. Exclamasse tunc omnes, ac in eam sententiam pedibus itum referebat: eoq; edicto à præconib. tympanistis, per omnes ordines promulgato, iter quod planius ac nihil difficultatis habere uidebatur, ad Canysium susceptum fuisse, tertioq; die posteà eò profectos esse, & applicuisse. VIC. Effare Petheie rogo iam, coniunctæ copiæ censitę ut sint. PETH. At meliore ordine omnia describet Thaius hic noster, disciplinæ ueteris in re militari æque ac nouæ callentissimus. THA. Id tu ex animi beneuolentia in me tua, amantissime Petheie, mihi attribuis, qui eius rei te scientiorem non habes: at ne mutua testimonia inter nos ab æmulo tideantur, edisseram breui, tũc quid ego uiderim. Coierant ad Iesu Christi redemptoris nostri signa, sub Thoma Hungariæ spectabilissimo palatino, in omni literatura excellenti, atq; in belli artib. ingenij peracris, ac incredibilis prudentiæ uiro, quem Cæsar toti exercitui Ducem summum præfecerat, leuioris armaturæ, equitum eorũ quos Huserones uocamus turmæ Nadastianæ duæ, quarum unaquæq; continebat homines egregios trecentos. Banus ille, qui Illyrici præfectus est, Serinius regulus, eiusdẽ disciplinæ equitum alam Seriniã adducebat, quæ mille capitum censebatur. Huius proprætor Ioannes Lenkouuyzius, globo procursatorum, qui tercentos Huserones habebat, comitatus aduenit. ijs coniuncti erant, quam fulgentibus armis ducebat Andreas Rindschidt Styrius, sexcentum equitum ferratam cateruam. Ferentarijs Austriacis sexcenti stipati erant Otthohenrychus à Puchheim & Ioannes Ruberus, qui & ipsi in equis armati, à cultu, nigrorum diabolorumq; appellationem uulgò habent, & tormentulis manuarijs utuntur. Erat præterea ala sacra, una, quæ quinquaginta equitum. Petheiana, huius nostri, ex uelitibus confecta, & libe rali pietate largissimis tuis Petheie stipendijs per totum hoc bellum sustentabatur. Hic erat equitatus, si rectè memini, qui numerum termillesimũ non excedebat, uel certè non multũ. Nicolaus Apollævuylerus legionem conscripse rat, quatuor mille & octingentorũ peditum Martijs, Iouijs, Mineruijs & Herculeis omnibus pietate, audacia, robore & generoso spiritu longè preferendã.

Styrenſes auxiliariam manum conſcripſerant, ad primum belli nuncium, ſexcenti peditum: eos ductabat Tribunus Sigerſdorffer. Montanam & Albicanorum paganam cohortem Nadaſtus his cõiunxerat, eius generis homines, q̃s Haybones noſtri, Illyrij Huſchochi, alij Marteloſios, Chymeriotas, & Morlachos uulgus uocat, agreſtem herclè peditem, ſyluis prædaq; aſſuetum, dirũ, uelocem, quiq; nulla cœli intemperie edomari poteſt: in omne ſcelus is promptus eſt, ad belli crudeliora facinora ſemper expeditus & paratus, q̃ nudis pedibus incedere, cõfragoſa quæq; diſcurrere caprearum more atq; inſcendere ſolet, ſagitta & funda eminus uti, comínus rem agere ſparro præpilato, paruã aliquando, mucroneq; ancipitem ſecurim in aduerſarium contorquere. quadringentos qui ſub Palatino merebant, qui tuis ſtipendijs alebãtur, quinquaginta fuiſſe puto. Ita peditatus quinq; millium numerum paulo copioſius explebat, ut nouem millium totus exercitus ſummam nõ adimpleret: cui aderat tormentorum apparatus neq; cõtemnendus, neq; adeò ualidus aut numeroſus. Dinumeraui iam, quem iuſſeras exercitum Pethei. Eia, educ tu illum in hoſtem, age. PETH. Vrges nimium ô amice. Velim prius reſcire, homini amico mihi, Nicolao illi ſummo atq; Martij uigoris duci inclyto, Apollinis cognomen undè? GHIR. Ego à ſacri ordinis ſenatore, ac inter purpuratos ſplendidiſsimo uiro Chriſtophoro Madruccio, pontifice Tridentino, principe ſenatus Mediolanenſis, æquiſsimo atq; ingeniorũ æſtimatore perſpicaciſsimo homine, ipſum ab innato in literas bonas & flagrãti amore, ob omnibus diſciplinis excultam quandam illius ſcientiam, hunc cõmendari & perlaudari audiui ſæpius, & Apollinis illum alumnum ſerio ſermone appellari. Tanti ergo hominis iudicio, nomen huic ab Apolline literarum patrono inditum credere, quid uetat? VIC. Pulchrè ac rectè tu quidem Ghiringhelle argumẽtaris. Atqui nobiliſsimam huius familiæ, ex qua ortus eſt, ſtirpem, ab Apolla quadã, regis cuiuſdam in Alſatia filia uirgine, nomen ſumpſiſſe tam clarum eſt: quàm hoc certum, dũ ab Auguſto & Cæſare ſplendor dignitasq; illius gentis, qui uetuſtate elanguerat nonnihil, in Baronum Imperij ordinem de integro reſtitueretur, ꝙ hic monumenta & tabellarum ornatiſsima fideliſsimaq; teſtimonia in mediũ produxerit, quibus probauit, Apollam illã, cuius cum D. Martino ara adhuc ſacrata extat, abhinc pluſquam mille centum annos ad Chriſti fidem conuerſam, patrem quoq; regem idolis deditum, ad ſanam Euangelij doctrinã traduxiſſe, habitaſſeq; eo loci ubi à Bollenburg, prope Rubeacum, eliſis aliquot literis, qui nobiles cenſebantur, ante octingentos annos moram feciſſe cõſtat. Poſteri uerò cum loci cõmoditate allecti, atq; rebus auctis, oppidulũ, quod hucuſq; poſsident, exædificaſſent, patria appellatione Vuyler dictũ, ſimplex illud ſeculũ, ex oppido q̃ ab arce plus dignitatis illis accreuiſſe exiſtimans, eos Polleburgios, dicere incœpit: cum Apollævuyleri dici debuiſſent omnino. Hæc in ipſa Auguſti aula, ab ijs qui rebus ſecretioribus præſunt, percepi iampridẽ. Quid obſtat nunc, quò minus cũ legione illa Fulminea, uictorioſa, procedas? PETH. Expeditione itaq; hac grauiſsimi certè momenti ſuſcepta, cum omnia ſumma conſideratione agenda eſſe uiderentur ijs, quibus adminiſtratio belli iniuncta erat, ſatis cõmeatus ac annonæ, qua tamen non abundabant, ſatis uirium in caſtris eſſe Cæſar arbitrabatur. Ne igitur duces conſilia, atq; militũ deſideria ſuperfluis deliberationibus eneruarẽt, urgere profectionẽ cœpit, miſſo in hoc Scipione ab Arch regulo. Per ſpeculatores em̃ certior eſt factus, apud Zygethum omnia ob commeatus & annonæ ærumnam ad periculum declinare. Itaq; Nadaſtus cogentibus imperijs à Canyſio mouet, magnisq; tãdem itineribus, & difficillimis, propter prægrandium tormẽtorum uectionem ad Baboczam, quæ circiter nonaginta milliaria à Canyſio aberat, XIIII. Cal. Auguſti

gusti peruenimus,ubi statim effusis ex arce hostibus,leuia certamina cõserun tur:eo tamen euentu,ut Turcæ cæsi pulsiq; ad tutiora sese reciperẽt.nec mora, ipsa aduentus die,intra uallum,quo Turcæ ipsi in expugnanda arce antea usi fuerant,positis castris,atq; tormentis promotis,mœnia uehementer quassata sunt,ex orientali parte:quandoquidẽ arx ab occidente,qua illã affluit Rhymnia amnis,tumulo imposita,accessum habebat palustrem,atq; planiciem quæ lubrico cœno oppugnantes præpedire uidebatur,aditumq; difficilẽ prębere: nihilominus ea quæ insecuta est die,complanato quod occuparant uallo, castra in alteram partem posita sunt:Francisco à Steynenbrunn præclaræ nobilitatis & militari arte inter Germanos perillustri uiro,exercitus totius legato, quem Mareschalcum uocant,castrorum muniendi causa imperatũ, ut pontem fluminis subiecti,quem ueteres Mansuetinum uocabãt, deijciendũ curaret, quamprimũ exercitus totus transuectus esset.ita noctu disiecta tignorum materia,succisisq; sublicib.interciſus est:quo tempore ipse Legatus,glandula tormentuli ex arce euibrata,in brachio leuiter perstrictus & uulneratus est: sclopetarij aũt omnes in aciẽ expositi,atq; arcis mœnibus ad oppugnationis speciem admoti.Imminebat namq; arci & castris nostris collis planè latus & arduus.in quẽ Turcæ,qui iã omissa expugnatione Zygethi, excepturi nostros, ea nocte aduentare nunciabantur,& tormenta & uim omnem,ut nemo dubitabat,collocaturi erant:nostrisq; in planicie positis detrimentũ magnum illaturi,nisi aggere & uallo obiecto,munirentur:quod quidẽ assiduo opere erectum nõnihil profuit,obfuit aũt hosti multum,cum ex eo per totum diem, dũ alij laborant,tormentorũ magistri assiduè ex ea parte ubi palustris est aditus, portam adeò usq; diuerberarent,ut magnopere deformata iam ruinam minari uideretur.Ea nocte,ad deiecti pontis uestigia,in ripa aduersa pręclarę uoces auditæ sunt Illyrici & Turcici idiomatis,quæ adclamarẽt in arce positis in hæc uerba:Viri Turcæ,milites fortissimi,hanc quam nacti estis arcem, strenuè pro uirtute uestra defendite,nullus timor animos uestros occupet. Aderit uobis summo mane Hali Bascha(sic illi præsides prouinciarũ uocant) is qui iurauit, Deum & Mahmet illius prophetam,se uos egregiè liberaturos.Itaq; XII.Cal. Augusti cũ illucesceret,equitatu uiginti millium Turcarũ comitatus aduenit Hali.his aderant Ianitschari, Turcicæ militiæ neruus,manus prętoria deducta ex singulis prouincijs.peditum genus ex Christianis ortum,imbutũ uerò scelerib.& superstitionib.Turcicis,à teneris,tormentulis manuarijs admodũ ualens:quingentos fuisse,relatum est.Adduxerat quoq; X.M peditũ,præsenti pecunia conductorum,eorum uidelicet quos Martelosios dici suprà docuimus. Hos consequebat̃,decem ipsa milliũ numero stipata turba ex Rascia, Seruia, alijsq; locis,spe stipendiorum & prędæ allecta,dum singularum regionũ Turcici quæstores,uoluntariè coëuntibus ad signa stipem largam promiserãt. Copiæ aũt huius,ut ex captiuis aliquot cognitum fuit,superabant in uniuersum trigintaquinq; millia. HER. Ex mancipio,quod adhuc in Alsatia apud nobilem quendam,pro fortuna benignius alitur,audiui,excelsisse quadraginta millia exercitus Turcici multitudinem. PETH. Maiorem certè numerum,ne iactanter loqui uidear, exprimere nolui: forsan & huius relatu amplior fuit. Aduentanti obiectus erat Rhymnia fluuius,qui præter pontem deiectũ,duobus in locis uix quindecim passibus à se inuicem distantibus, uada habebat duo,quibus quatuor,aut ad summũ equites quinq; simul & latere coniuncti, pertransire potuissent:ad ea statim magna uis Turcarum,uti quosq; fors conglobauerat,decurrerant,& nostris infensi,fluuium transmittere parabant,conabanturq; in nostrã ripam euadere.Hoc animaduerso periculo, Apollævuylerus eò cum expedita cohorte,quę sclopetis utebatur,Tribunum Georgium

Vveldner ab Hohburg,(quem uos den langen Jörgen uocatis)mittit,eiq; impe rat,ut ad uada Turcarum agmina,quæ iam traijciebant,prohiberet.quo forti- ter omnia administrante,ita coniectis scitè tormentulorum glandulis Turcæ repulsi,amnem transire non potuerunt:at fortiter adnitentibus nostris,nõnul lisq; flumen tranantibus,in hostem impetum faciunt, Tribuno ipso incredibi li quadã audacia decertante,tantoq; pugnæ studio,ut fugatis,uulneratis,pro- stratisq; hostibus permultis,iam ipsa Turcica acies tota ad pugnam incitatior progrederetur.nam Hali,aliquot mille equites,lanitscharorum delectam ma num,in nostros præmittit,ipse omnibus copijs subsequens: ac impetu facto, adoritur obuios.Nostri uerò instructis aciebus,ciuem illum tuum Hüthschiũ Basilienſem,Herolde,cum reliqua uelitum manu,quæ tormentulis & sclope- tis utebatur,laborantibus succurrere iubent.is statim ubi hostes confertissimi instabant,cum suis acerrimè pugnans,uagabatur passim,hos manu inuadẽs, aduorsos obtruncans:quibus imperare non poterat,militibus consulebat,un diq; circumfusos explicabat:ita extraordinarijs prælijs, quos locus,quos ca- sus cõiungebant,orbibus factis,instructi est omnibus partibus & simul tecti, hostium uim sustentabant:cum aptè collibratis in Turcas, duobus tormentis maioribus,quæ à uelocitate ictus accipitrum nomine,Germano uestro uoca- bulo Falcones uocantur,crebris illorum eiaculationibus,à flumine pellerent, qui uada transmittere nitebantur,hostes.Iamq; dies consumptus erat,atq; in multam noctem uelitatum,cum Hali ex opportunitate loci consilio capto(id nostri antè euenturum prospexerant)uti suis receptus esset,collem illum supe riorem,de quo diximus,occupat:militẽ ibi in unum contrahit,ac cunctos ple no gradu subducit,crebris ignibus factis,plerũq; noctis more suo sine somno transegit. THA. Certè post pugnam,magnum tui erat desiderium.rumor e- nim peruaserat castra,te adhuc nihil remisisse:noctem uerò pro te esse arbitran tem,instare Turcarum tergoribus:sed pro metu repentè gaudiũ exoriebatur, quando uix uigilia secunda,cum ala illa tua sacra ad nos lætè redeuntẽ conspi ciebamus.Anhelantem igitur,atq; ex labore defessum,donec spiritu augearis & reficiare,huius sermonis onere te subleuabo,atq; ea nocte quid actũ sit ex- plicabo breuiter. PETH. Dic ergo. THA. Neq; nobis tunc quidem multa fuit quies.nam præter id quod ad uigiliam usq; tertiam,tormentorum ictibus arx continuò impetita sit,Apollæ vuylerus per singula propè horarũ momen ta,Hungarorum usus industria ac celeritate,de hostiũ rebus,qui explorata re- ferrent,flumen transcurrere iubet:militẽ suum ad uada,mutatis subinde uigi- liarũ stationibus & intensis excubijs insomnẽ habuit: insessis quoq; longè la- teq; per alternantes equitũ procursationes itineribus,molitiones hostiũ obser uabat.In castris aũt per proceres cœpta fuit consultatio,cum feruidis & auda- cibus sententijs in id nonnulli declinarent,ut candidis illis lineis imis tunicis, armis superinductis,intempesta nocte & silente luna,in hostẽ cura peruigila- tionib.et sollicitudine afflictũ,indormientemq;,ac terrore perturbatũ,irruptio fieret.At occurrebãt progressuris uada fluuij,stricta illa,cœnosa & profunda, præter quæ aliud nullum extabat,quæq; ordinibus instructis transiri non po terant,neq; tormenta ulla transuehi:ac quod summum impedimentum erat, inopia cõmeatus omnis,præcipuè tormẽtarij pulueris,& globulorũ ferreorũ penuria:nam ex eo non supererat,quod in mediũ diem tantũ excutiendis tor- mentis satisfaceret,neq; quod sclopetarijs ad manuaria tormentula sufficeret die integra.ijs eñ deferendis accuratè atq; opportunè,nihil in tanta festinatio- ne potuit suscipi:neq; ea ministris,qui id procurarẽt,ut celeritate exercitũ asse querentur,diligẽtia ulla fuit.Proinde uiris fortibus,atq; tot necessitatibus ad- strictis,experiunda omnia censebant:sedendo uerò famẽ,& hostis uim accre-

scere

ſcere & augere, periculoſiſsimum eſſe. neq; recedendum ullo modo: omnẽ ete
nim fugã fore non ſolum turpiſsimã, ſed etiam ijs qui in Zygetho cõſtituti eſ-
ſent, omnino exitioſam, qui ipſi abſq; ſumma Reip. calamitate perire nequi-
rent, neq; ſine infamia atq; dedecoris nota fœdiſsima deſeri. His de cauſis con
fligendũ eſſe, magno illo noſtro Deo pro religione & Chriſtiani nominis glo-
ria decertare paratis iã propitio: at ut cautius pugnaretur, in campũ qui decli-
uis contra arcẽ aperitur, tormẽta ex uallo trãsferri debere: occupatoq; aliquo
eminentiori loco, eò collocari, unde cõmodius in progrediẽtes Turcas dirigi
& diſplodi queant. Vada præterea, remotis præſidijs, deſerenda, diſijcienda ta
bernacula, ut hoſti tranſitus pateret, quem ex parte tranſuectũ, uel toto cam-
po inſultantem iam, à tergoq; flumine coërcitũ, fortiter deinde aggredi poſſe-
mus. Interim Hali conuocatis fabris, & adnitentibus omnibus, pontẽ reficien
dum curauerat. nam peruicacia ſumma ferebatur, atq; ardẽti animo in noſtro-
rum perniciem, quos ſummo mane aggredi animo ſtatuerat, in id quoq; para
uerat tria grandiora tormenta, quæ in collem traduceret: quem in hunc finem
ſibi elegerat, ut illinc in noſtros, ceu in ſignum aliquod iacularetur. igitur ante
auroram ſingulos ſuorũ manipulos circumiens, omnes admonet & obteſtat,
uti priſtinæ uirtutis memores, ſeſe ab infamia, Solymannum à periculo & Ger
manorum dementia defendant: fore certamen cum ijs, quos toties uictos, ipſa
calamitas & deſperatio ad aliena rapienda inſtiget. Nouos eſſe duces, imperi
tos, ſed ueteres & degeneres animos. Iam ſibi omnia prouiſa eſſe, quæ ipſum
decuerint: locum ſuperiorem, ubi expediti cum ſegnioribus & temulẽtis, plu-
res cum pauciſsimis, ueterani cum rudibus & ignauiſsimis manum conferere
poſsint. Proinde illos intentos paratosq; eſſe debere, ut ſigno dato prouolẽt,
ac Germanos inuadãt. Hac equidem die, una pugna egregia uictoriam poſſe
confirmari, & ſeruitutis æternæ, Germania ſi initium ſumere. Itaq; illuceſcẽte
die, Turcæ alto ſilentio cum copijs egrediuntur caſtra, agminibusq; factis in
prælium ruunt, ſignisq; infeſtis procurrunt. Nadaſtus dux noſter officiũ ſuum
acturus, cum conſultò, nõnihil à flumine noctu ſuos cædere iuſsiſſet, ac petto-
ritis, quos Gotſchos appellamus, currib. carrisq; pro uallo obmunierat, mane
remotis omnib. expedito milite, expectatũ caſum ſubiturus, bifariò exercitũ
diuidit. Apollævuyleriana legionis partem quæ ſex ſignis conſtabat, quadra-
ta acie inſtructã Steinenbrunnio ac fratri Apollævuyleri Chriſtophoro, iuue-
ni bellica & omnis generis nobiliori diſciplina illuſtriſs. ducendã dedit, adiun
ctis ferẽtarijs Nigris Auſtriacis illis, atq; millenaria ala Serinia. Reliqua uerò
ſex ſigna eiuſdem legionis, ſub Ludouico ordinis D. Ioannis equite, cui Mul-
leburgum in Auſtria ſodalitatis præſidium commendatum, qui etiam Apol-
levuyleri uicarius & frater erat, ordine ſuo, ut poſtſignana eſſet, commodè col
locauit. Attribuit autem huic Nadaſtinas turmas duas, & cateruam ferratam.
Phalangi autem ſic inſtructæ unicuiq; in alarum ſpeciem uelitum ſclopiſtarũ
manum circumfuderat, ordinatis nonnullis tormentis maioribus, quæ eam
præcederent, aut pro rei commoditate ſequerentur, quorum tamen uſus nul-
lus eſſe potuit, cum præpropera feſtinatione etiam id neglectum, quò carri fa
thiſcentes pondere æris ſolidarentur, neq; erant equi qui tantam molem quo
opus eſſet circumducerent. Caſtrorum cuſtodia montanis cohortibus Styren
ſibusq; auxiliarijs relicta. laculatorũ uerò cohors, ut ſupra diximus, Vueldne-
ro tribuno cõtributa, ad latus dextrum tutandũ, atq; cum globo lenkevuizio,
laborãtibus ubiq; ut adeſſent procurrere iuſsi ſunt, atq; liberè illis uagari per-
miſſum. Nadaſtus ipſe, Apollævuylerus, ac Nadaſti frater, ala ſacra delecta, at-
que nobiliſsimorum hominũ globo ſtipati, eo in loco hoſtẽ expectabãt: quo
modò in primis, modò in poſtremis, etſi uellent in medio ſuis adeſſe pol-

licendo, minitando, obteſtando, aliũ alio modo excitare atq; inſtruere omnes poſſent. PETH. Video hoſtem, cuius equites uadis tranſmiſsis, magno impetu, multo clamore in noſtros ferri audio. Meum igitur erit, ad pugnam redire. Vix in noſtra ripa conſtiterant Turcæ, cum pauca pro tempore milites cohortatus Apollævuylerus, anteſignanã aciem hoſtẽ excipere iubet. claſsico itaq; audito acies æquabiliter mouebantur: & appropinquãtibus hoſtibus magis atq; magis, iaculatores Vueldnerij, ferẽtarijq; Nigri, cum ala Serinia, à dextro latere magno impetu, in hoſtem procurrunt. ibi dũ noſtros Turcæ equites ferocius urgent, indignatio noſtrorum ſuborta, facto globo adeò inſolenter incumbentem hoſtem in paludem proximam, quæ ad arcis ſiniſtram limoſa & aquis reſtagnãtis Rhymniæ fœda & inacceſsibilis eſt, propulſant. ubi magna pars ſubſidentibus equis, aut cœno obruitur, aut fœdè à noſtris contrucidata fuit. euaſiſſent certè pauci, niſi celeritate equorum uſi, cũ phalanx noſtra neq; eos aſſequi poſſet, neq; ordines laxare auderet. Denſatis igit̃ ordinibus, atq; obuerſa acie ad ſuos redeũtes, in cornua, uacuumq; circa campum ſe retulere. Barbari aũt iterum cõtractis ex fortiſsimis quibuſq; magnis agminibus in pugnam celeriter reuertuntur: ac recenti pedite adiuti, quem per pontem traiecerant, tria tormenta grauia in tumulum quendam ſubducunt: atq; acie tam pedeſtri quàm equeſtri firmata, tormenta illa, atq; ea quæ in colle citra fluuium liquerãt, in noſtros dirigere cœperunt: quibus peritè adminiſtratis, fiebat, ut noſtri à coniectis ſubſilientibuſq; tormentorum globis certum acciperent detrimentum, neq; hoſtium uti cupiebãt adoriri poſſent exercitum. Ad eos igitur deijciendos Chriſtophorus Apollævuylerus, cũ acie ſua, cuius ſiniſtrũ cornu ductabat, omni per arduum & impeditum tramitem inter primos contendit: cum Hali ex coniectura directæ phalangis animaduerſo noſtrorum conſilio, omnia tormenta tribus in locis arce, ex tumulo occupato, & colle ultra flumẽ ſito in noſtros contorqueri, explodi & exonerari iubet: quę tãto impetu, proh dolor, tãq; certis ictibus in noſtros ferebantur, ut ex ijs quod citra flumen excuſſum erat, Chriſtophoro pedem ſiniſtrum ſub femore totum deijceret, nouemq; alios milites perpendiculariter ſe inuicem in ordine ſequentes proſterneret. Apollævuylero ex acie in caſtra delato (is autem intra horã deinde Deo ſpiritum reddidit) ſuis uim hoſtium ægrè ſuſtinentibus, iaculatores Vueldneriani ſubſidio aduolabant, ac mox uirtute Nigrorum pulſatus hoſtis, incõmodo licet ex ducis morte maximo accepto, ſaltũ tamen inuadunt, tormentis hoſtium euerſis, atq; in poteſtatẽ redactis. Iam etiã Turcæ, qui ex arce ſuis adcurrerant, militum qui in dextro cornu erãt alacritate, ſtrage magna reiecti, cedendo in arcem ſenſim, deſertis ſocijs ſe receperant, atq; in hoc nitebantur plurimum, ut pontem penſilem clauderent, quãquam nullis uiribus leuare aut attrahere funibus poſſent, quia ex porta illa, noſtrorum tormẽtis ac crebris ictibus uerberata, quæ in ipſum inciderant maxima fragmenta, ponderoſiorem reddebant ac grauiorem: pręterea ſclopetarij continenti procella glandularũ, ipſos impediebant. erant aũt forſan quinquaginta, qui dextri cornu duci, Steynenbrunnio adhærebant. Is namq; magnam uim annonæ, cõmeatus, tormentarij pulueris & pilarũ ferrearum, in arce aſſeruari audierat, qua capta, commodũ ingens mõſtris, hoſti uerò detrimentũ maximum accederet. quapropter ſupremę uirtutis conatu, atq; admirabili animi fortitudine, in pontẽ uſq; inſilijt, ubi cecidiſſe eum dicunt: hominẽ certè diuturna militia, atq; fortibus factis, fama latè parta, honoratiſsimũ. qua uerò (hactenus id audire nequiui) tamen honeſta morte eum occubuiſſe certũ eſt. HER. Dicunt, qui una rei geſtæ interfuere, extincto Apollęvuylero, ſiniſtrũ cornu duce iam orbatũ, occupatis tormẽtis, ut ea auferrẽt laboraſſe: ſed cũ nulli adeſſent equi, fruſtra grauiter defatigatos

gatos milites: adeò ut properantem in sua fata, alterius dextri cornu ductorem Steynenbrunnium, dum tardius suis iunguntur, adsequi non potuerint, neq; pulcherrimi facti gloriam acquirere. Iam enim is portam ipsam irruperat: traiectus autem glandula tormentaria, delinquentibus ipsum uiribus sensim prolapsum esse, immortali ac diuina uoce hac edita: Amantissimi cōmilitones, de me equidem actū est. Vos date operam in hoc incumbite fratres, ne totius orbis spem fefellisse uideamini, aut Imperatorem nostrum Iesum Christū deseruisse. Videte ut uictores euadatis, uestra siquidem uictoria est. Ad casum tanti uiri, tunc cum acinacibus incuruis ac strictis adcurrerant non minus q̄ duodecim Turcæ: quorum is in terra prostratus, unum manibus correptū, magna ui sibi iniecit. an uerò cum illo tunc excarnificatus sit ab hostibus, nemo uidit: quum sint qui captum putēt, quòd à uero omnino dissimile: omnium aūt ore consentienti testimonio, ipsum ea die paulo minus XV Turcas cruentissimo certamine confecisse constat, & usq; adeò in hostem ipsum debacchasse, ut manus eius cruore conspersæ, illi iam languescerent, neq; nisi satiatum barbarorū cæde occubuisse. At duobus ingentis animi, efficacissimæq; uirtutis & industriæ singularis ducib. gloriosa morte sublatis, ingruentes undiq; barbari quomodo repressi sint, cupio scire. PETH. Cōsternatis militibus, aderat multis & maximis prælijs exercitatus ille Apollævuylerus, inclamitās: Adnitimini ô cōmilitones, capessite mecum Remp. Christianam fratres optimi, nullus uos ex calamitate mea occupet metus: fratris dulcissimi, commilitonis fortiss. casus, exemplū nobis omnibus est, satis excellens, qua animi magnitudine pro Christo, pro patria pugnandum. Egomet in agmine, ego socius omnis periculi uobiscū ero, meq; uosq; in omnibus rebus iuxtà geram: & Deo adiuuante, præclaras illas animas, quæ iam ex ipso cœli prospectu, testes nobis rerum sunt, & adhortatores, inultas certè nunq̄ sinemus. Vix hæc fatus, barbari cū adessent, qui perturbationis alicuius signa conceperant ex casu ducū, undiq; truci ululatu edito ingruentes, atq; omni ex parte se circumfundentes renouabant impetum. quos nostri egregiè sustinētes, multa simul prælia per totum campum conserebāt. In eo tumultu Apollævuylerus, ferentarios nigros adijt, eosq; obsecrando & prensando alloquitur, hortaturq; ut uirtutis suę, in qua plurimum spei situm esset, memores, quod fortuna nūc discrimen inferret, pro religione, pro pientissimo Cæsare, pro patriæ principe, pro Germania susciperent. Ii statim ad signum indictum, ipsum Apollævuylerum cum ala sacra secuti, phalangem magno affectam detrimento & planè fluctuantem præsenti auxilio confirmarunt. Pugnatum est eo in loco ardentissimè, ita ut ab hominum memoria nusquam àcrius aut periculosius certatū fuisse dicatur. etenim eximia uirtute depugnantium hostis iterum in palustrem locum adactus, magna pars quę fugiebat, ibi iterum cæsa, à sclopetarijs traiecti plures. Nadastus dux uetu, & planè cautus, cum iam de Turcarum fuga nonnihil subdubitaret, eamq; simulatam arbitraretur, timere cœpit, ne in locum aliquem iniquum nostri pertraherentur. uisum ergo illi atq; nonnullis alijs claris uiris, quandoquidem paucis horis omnis puluis tormentarius absumi possit, præterea iam denuò glorioso euentu in hostem depugnatum sit, ut signo dato miles bellator in castra reuocetur, canteturq; receptui. At Apollævuylero præceps illud atque parum forte consilium apparuit. nam exercitum uictoriosum, totius Reipublicæ præsidium atque ornamentum, nunquam discedere posse, nisi fugæ potius quàm profectionis speciem hosti præberent: progredientibus enim postsignanis, uictricem illam aciem antesignanam laxare tunc oportere, atque animis statim & corpore concidere: equitum quoq; præsidijs semel nudatam hosti à lateribus, à tergo obiectam, & circumuentam, neminem amplius defensuram,

ſuram,neq; qui opem ferat adfuturũ amplius. Quapropter niſi teterrimã atq; ignominioſiſsima nece perire quis uelit potius, quàm fortiter agendo uictoriam glorioſam,cumulatam & certam conſequi,reliquias Turcarũ iam omnino delendas & profligandas eſſe. Itaq; maturrimè aduocata poſtſignana acie, fratrem Ludouicum Apollævuylerus hortatur,ut necem germani barbarorũ ſanguine expiare uelit. qui ſtatim aduolans,ſibi omnino conſtitutum eſſe aiebat,deletis hoſtibus,& tumulum & tormenta occupare:aut cum ipſo fratre egregiè pugnando,ſimili fratris ac decoro exitu mortem oppetere. Tibicines tunc omnes ſimul tuba canere,tympaniſtas claſsicum ciere,milites clamorem attollere & appellationem Chriſti ingeminare,ex omni parte in hoſtẽ irrumpere iubet. Hoſtes eo terribili ſono perturbati,atq; ſubita noſtrorũ uehementia attoniti,hærere,omnino nihil facere primò:ſpiritu uerò reſumpto,deſperati iã noſtris occurſare,iam iuſta acie,totis uiribus confligere,in carpendo procurſare,à quibus extra ordinem fortiſsimè pugnãs Egenolphus Zellenſis nobilis tribunus,telo ictus ceciderat,interceptus continuò,& abductus eſt. Pugnabatur magna ui utrinq;:ubi quiſq; ductor,ſiue tribunus curabat,ibi acerrimè nitebatur:nullus uel ſubſidij,uel uitæ ſpem maiorem,q; in ſeipſo ponebat: auidiſsimè quiſq; alterũ ſauciabat,cædebat,cũ negligentiſsimè ſemet tegeret, clamor ſuccumbentiũ permiſtus execrationibus,præcationibus, & cohortatione:hic lętitia infrendẽs, illic gemitus & patriã & ſacra lugentium:ſtrepitus armorum,fragor ante omnia tonitruorum:quem imitari uidebantur, dum ex tumulo,ex arce,ex colle,quem in altera ripa occuparant, omnem puluerem tormentarium,omne ſulphur,omnem Aethnam,omne ferrum naturæ in noſtros euomere,atq; tormentis proĳcere conantur. HER. Audio perniciem hanc tam horrendam fuiſſe, ut fortiſsimi uiri qui ex Styria caterua illa ferrea continebantur,uęcordi inſtinctu,detracta acie,imperata recuſare, atq; ſe elongare ab alĳs cœperint. THA. Vt maxima fuerit certè, tamen calumnia hæc eſt,atque ex inuidia conficta quædam iniuria. nam Rindtſchidtij ducis iuſſu,ut grandinem pilarum ferrearum declinarent,morulam fecerant, cum uulgus eos fugam moliri incuſauit HER. O dĳ,quàm liuor ſemper ſumma,abiectiſsimus ipſe,petit? Sunt qui audent affirmare,Apollævuylerũ adequitaſſe Rindtſchidtio,& intento minutulo tormento ei minatum fuiſſe,confeſtim illum ſe traiecturum,niſi in ordinem redeat,quandoquidem illi etiam turpiter fugienti moriendum ſit. THA. Maſculum reſponſum tulit Apollævuylerus à uiro fortiſsimo,ni fallor. HER. Tale dicunt: De honeſta morte ſibi curam eſſe,non de fuga. attamen ciuibus ſuis conſulendum fuiſſe, eosq; manifeſtis periculis non obiectandos: niſi omni fera ſtolidiorem ſe æſtimet, quæ etiam in periculis catulis ſuis conſulere ſoleant. Ad ſummam,unà ſe cum alĳs uincere,aut cœlum petere uelle. THA. Vidi certè ego omnia ipſum ſuis prouidere,apud omnes adeſſe,laudare,increpare. nam equitatui ſuo omni,in partem eam traducto,qua extra iactum tormentorum ſecurus eſſe potuit, in hoſtem procurrere,& nullam contumeliam in eo remanere permiſit. Interim Nadaſtus,Serinius,& Nadaſti frater,læti modò,modò perterriti,obuerſari ſuis, monere hos,illos hortari,manu ſignificabant:nonnunquam quæ uolebant,nitebantur corporibus hinc illinc inter tormenta,inter tela,inter tot ictus quaſi uitabundi atque taciti alios agitabant. Hoſtes tandem de pugna ſua remittere incœperant,cum hi conſultò leuius agere, & hoſtibus deſperatè contendentibus fugam aperire, neque militum neque ducum excellentiſsimorum officium ullum intermittebant, donec Styx illa Turcarum, & Phlegethontea barbarorum Baboczica palus,nullum amplius reciperet,atq; Cocytus Mahmetanorum Rhymnia ex cadaueribus immerſis pontem fugientibus latronibus

tronibus præberet. PETH. Tunc certè in ſummo tumuli, totius iam campi, iam tormẽtorum certi & ueri domini & poſſeſſores, illi noſtri aciem ſuam extenderunt, lixis & uulgò ad prædam diſcurrentibus. Iam tertiùm uictores, miles alius alium lętus appellat, acta edocet, atq; audiunt geſta: unuſquiſq; (nam ignauus nullus fuit) ducum facta ad cœlum effert, de ſuis gloriatur, gratulatur de alienis. Cæterùm Nadaſtus, Serinius, aliiq; ex nobilitate magni uiri, conſilijs belli præfecti, cum puluerem tormentarium in ſecundam horam non ſuffi cere amplius uiderent, Baboczam præterea non adeò immunitam arcem, ut abſq; tormentorum concuſsione expugnari poſſet, hoſtẽ uerò indies auctiorem futurum: ijs tot tantisq; difficultatibus impeditos ſe cõſilio diu ſuſtentare aut explicare quomodo uellent, uix perſpicere eos fatentur: itaq; Apollævuy lerum adeunt atq; orant, ut quadrata acie inſtructa profectionẽ inſtituat, Canyſium uerſus: ſatis factũ honori, ſatis gloriæ, obſeſsione quoq; liberatos qui in Zygetho includebantur: & manifeſta demum fuga Turcas profiteri, condi tionem ipſorum, noſtra iam multo peiorem eſſe. Huic ſententiæ Apollævuyle tus, qui internecione omnium Turcarum fratri parentare, eiusq; mortem ulci ſci cogitabat, ęgrè quidem primò, uix tandẽ difficultatum rationibus euictus, ceſsit, ac receptui canere iuſsit: legioniq; omni indicare, decretũ iam atq; opus eſſe, ut intra foſſam, quam tumultuariam aggere nouo egeſto confeciſſent, ſeſe reciperent, arcem exinde oppugnaturi. Quò ubi peruentũm eſt, ordinibus adhuc & acie omni integris, uideri ſibi conſultius inquit, ut uallẽ quod ex curribus, ut antea dictum eſt, confectum erat, repetant, illic quid nam contra hoſtes moliendum ſit in tutò conſultaturi. Vix ita incluſi, progrediendum eſſe ipſis ad Drauum flumen, indicat. nam commeatum eò applicuiſſe, quo reficerentur largius. His artibus, defatigatum laboribus & uulneribus ægrum militem, ad ſuſtinenda incumbentis itineris incommoda, paulatim promouendo, nihil urgendo, promptiorem facit, atq; abſq; omnis fugæ ſuſpicione è conſpectu hoſtis abducit: habita ea ſauciorum ratione, ut quadrigalibus equis, uel infirmiores equitum iumentis in clunes impoſiti, arctiore complexu retinentes, deducerentur atq; ſuſtinerentur. Iam per horam aut amplius acie inſtructa proceſſerant noſtri, cum octo millia atque amplius Turcarum à tergo noſtris inſtarent. Apollævuylerus ex tormentis maioribus, quinq; leuiora, quanquam difficulter poſt agmen collocat, addita Vueldneriana iaculatorum cohorte, ac ſclopiſtis Hũtichijs, qui Nigris ferentarijs immixti, poſtrema agmina defendentes, impreſsione facta omnem Turcicam uelitationem propulſabãt, atq; in fugam uertebant. Illi autem crebro impetu & tranſuerſis prælijs iter noſtrorum remoraturi, quoniam ignauiæ ſuæ diffidebãt, laſsitudine noſtros tentabant, à dextra, à ſiniſtra iterum atq; iterum aderant, pernicitati equorum confidentes, eminus omnes ſauciabant: cum noſtri contrà, feriendi, aut manus cõſerendi nullam darent copiam. Hæc inter propè Vuellevuarum oppidum legio peruenerat, quod à Babocza ſex millia paſſuũ diſtat, ubi tandem etiã uirtus noſtrorũ eos ſuperat, cum ardentiſsimo animo in laceſſentes ferebant: ita Turcæ fuſi & fugati, uelocitate equorum tutati ſunt, nunquã amplius noſtris comparuere. Demum progreſſu noſtrorum, hoſtium importunitate ſic multũ impedito, magna difficultate cõfectis alijs quinq; miliarijs, eoq; modo ueſperi ad Perſenkze noſtri caſtra metãtur, quo etiã unà qui poſtremus defenderãt peruenĭunt. In caſtris tum Deo Opt. Max. gratias actæ, pro concione uniuerſi laudati, ad cętera quę leuiora forent adhortati: pro uictoria iam pugnatũ ſatis durè, omnes alios labores pro præda ſubeundos fore. Saucij tũc ſumma cura foti, refecti omnes eſculentorũ & poculentorũ copia, & recreatę uires. Cenſiti deinde, ubi noſtris non incruentã uictoriam contigiſſe cõpertum fuit: maiorẽ

autem

autem partem eorum qui in bello occiderant, dicunt ex Germanorum nobilitate clarissimos & fortissimos uiros ueteranorum quasi florem fuisse. HER. Ducenti paulò amplius apud nos desiderari dicuntur, quos inter cũ nulla adhuc eorum fuit mentio, censentur Iacobus Reyschach quidẽ, & à Turre alius. Tribunus legionarius Theobaldus Ziegler à Senheym, qui fortiter pugnãs, quinq; horrendis uulneribus exceptis, non inultus cecidit: auxiliariorum peditum Styrensium tribunus Sigersdorffer pari modo occubuit. pede uulneratus inter infinitos ipse Apollævuylerus legionis præfectus uirtute euasit sua. THA. Pulchra certè morte, Nadasti frater, exemplum pietatis & fortitudinis reliquit. is enim aduersis uulneribus concidens, quem pugnãdo locum uiuus cæperat, eum amissa uita exanimi corpore obtegere repertus fuit. HER. Felices animæ, quibus hoc datum fuit, ut effuso sanguine, aut reipublicæ salutẽ & felicitatem fundarent, instaurarent & stabilirent: aut certè nũquam intermoritura bonorum recordatione, & nominis gloria sempiterna, calamitatẽ communem subterfugerẽt, ac priusquam mortalitatem sentirent, immortalitatem assequerentur. THA. Infelicissimos ergo Turcas, nam apud eos nihil nisi luctus & mœror agitabatur, quarum duo millia ac quingentos desperatè agendo, timidè pugnando, turpiter fugiendo perijsse, tam certum est, quàm manci piorum uerissimo relatu compertum, ex pugnacissimis inter ipsos reliquum esse nullum, neq; non profundissimè uulneratum ullum. signa militaria ipsis erepta quinque, & à labaro Solimanni proximum pandum tormenta illa tria cum puluere & pilis extorta, triplicis tandem fugæ ignominię labes perpetua illis inusta. HER. Victi, fusi, quò abierint, nondum audiui. THA. Fatale certè Rhymniæ flumen, dum in uniuersum eorum unusquisq; animum desponderet, transgredi amplius non ausi, in colle illo quem pro castris primo cæperant, triduò commorati, inopiam & famem non diutius laturi, ex uulneribus deniq; & tabescentium cadauerum fœtore ægri, magno pauore Christianos sibi instantes semper, etiam in somnis exhorrentes, tandem aufugiunt, atq; ad dolos consuetos cõuertuntur, detruncatis ijs quos fors in bello neci dederat, capita eorum sanie diffluentia hastis infigunt, ex paganis mulieres colligunt, quarum trecentas amplius comprehendunt & secum abducunt, acceleratisq; itineribus progressi Zygetho castri iterum admouent. Anteuerterant hos ex nuncijs præsidiarijs, duo qui rebus gestis ad Baboczam interfuerant: qui confirmatis uictoriæ nuncio omnium animis, insidiarũ hostis eos admonuerunt. Interea etiam qui erant in præsidio, disiecto aggere & uallo, oppleuerant fossam, quam Turcæ prima oppugnatione pro munitione castrorum obiecerãt, eam quoq; mœniorum partem, quæ ex frequenti eiaculatione tormentorum corruerat, iam lorica circumdatam, fossa, uallo & muro cinctã, ingenti uirtutis & animorum conatu defendendũ suscipiunt. Turcæ ostentatis à cadaueribus resectis capitibus, fœminabusq; paganis, quas uxores fuisse Germanorum mentiebantur, præsidiarios & ciues simul hortantur ad deditionem. quòd si pertinacius resisterent, pro honoribus & muneribus, quæ ampla omnia pollicebantur, in omnem sexum & ætatẽ gladio se sæuituros minabantur. Ea uerò tum omnium constantia, atq; in uirtute nostrorum tanta spes, ut surda aure minas atq; promissiones barbari omnes transmitterent. nam uti ab stolido hoste propter desperatam expugnationem prolata, irriserunt omnia: sic ut etiam Baboczicam illi cladem, contumacioribus uerbis in faciem exprobrarent: nulla dissimulatione nostrorum decretum iactantes, nisi cedat, Baboczã expugnatum iri, & euersam tandem in cineres nostros eam redacturos. Secundo igitur noctis uigilia, Hali occulto quodam pauore consternatus, non amplius cessandum sibi, sed decedendũ ratus, tormenta educere, & maximo silentio præ-

mittere

mittere iubet: illachrymans mox, peruicaciamq; nostrorum detestatus, conuulsis signis, turbatè confusèq; suos subsequi præcepit, ac ad Quinqueclesias iter conuertare, atque deflectere. In eo dilabentium tumultu nostri erumpunt, ac egregiè pugnantes, postrema agmina, magna cæde afficiunt, hostem per aliquot horas insecuti. Croata præterea auecto aut corrupto commeatu, ex S. Laurentio & Kelamankze oppidis funditùs euersis, direptis castris, maxima præda ditatos suos domum reducit. Occisus est ea pugna magni nominis apud Barbaros latro: in qua etiam cum ijs qui in prima obsidione perierunt, septem millia Turcarum desideratos, qui capti sunt retulere. Hali autem pacatioribus quàm antea itineribus ad Tulnam, deinde Budam peruenit: ubi dissolutis cohortibus cum execratione infaustæ militiæ unūquemq; in suum præsidium dimisit, mercenarijs potestate domum reuertendi facta. HER. Exercitus uictor quò se deinde, quęso, conuertit? VIC. Consummata omni belli gloria Mathias Coruinus, ignauiæ tantùm & dedecoris locum reliquisse in Pannonia, longo iam tempore, per totum orbem indignantium fremitu contestatum, & paucorum ignauia, Germanorum inuictæ uestræ gentis nomen & uirtutem, continuò prodi cernere erat: at nunc Apollæ vuylerianæ legionis excellenti uirtute, Germanorum decore instaurato, timor de Turcis non abs re conceptus, plurimorum animis detersus, cum illa tanta mole uirium incubuisset, ut tantæ arrogantiæ fastusqûe insolentissimi tyrannum, fuga suorum exterritum, unà cum totius gentis infamia æstimatione sua exueret. maius ali quod opus cœpit cœlestis cura Cæsaris, ideo ad Bersenkze dimidium diem cunctantem legionem, Canysium euocauit, quod quinquaginta passuũ millia distabat. Eò mittebatur tanti roboris exercitu dignus, et omnium uotis diu exoptatus Imp. Ferdinandus Austriacus Cæs. F. quem amantissimum & dulcissimum, pietate simul tenerrimus & durissimus pater, dum patriæ consulere studet, irritato & desperato hosti obijcere non dubitabat. Is iã mense Septembri Canysium uenit, deliberatione obstinata, ut iter ad Zygethum usq; Christianis expediret, ab insidijs & iniuria Turcarum liberum redderet. Aderant illi ex Boiohemia, Moratia, Carinthia ac alijs ditionibus lectæ equitum grauioris armaturæ, alæ millenariæ tres, quorum pauci hastis, uenabulis uerò simul ac sclopetis fermè omnes utebantur. Huserones siue leuioris armaturæ equites hos comitabantur numero octingenti, uexillationibus Dalmatica & Hungarica distincti. Alam sacram liberali & pio in patriã animo priuatis sumptibus & stipendio hilari conductam, Ioannes Fuggerus Ant. F. ducebat, quę equitibus quinquaginta fulgentibus armis conspicuis constabat, quorum etiam equi ipsi ferro erant contecti. Prætoriæ cohortes duæ Austriacæ comitabantur Imperatorem, ut decore eximio exornatæ, sic bellicum spirantes, generoso animo Martium uigorem ostendebant. His omnibus legatus ab Imperatore dictus erat Sforza Palauicinus, Italici splendoris homo nobilissimæ, & Germanæ suæ originis æmulator cordatissimus. Equorum iugis trahebantur tormenta leuiora falcones & colubrinæ ad campestres usus, nec non Basilisci ad oppugnationes cum maxima pulueris & globorum ferreorũ copia. ijs & omni officinæ machinarum bellicarum præpositus erat Ioannes Osostki, uir strenuus, usu & consilio grauis: cui parebãt fossores ducenti, annonę uim magnam secum aduexerant. Aderant quoq; natu grandi homines, inq; omni cõsilio pacis et belli exercitatissimi, Plauensis, Barcouius, Carolus Tscheretinus, Iulius Hardeccus, Ioannes Vueyspriachus, Franciscus Turacus, Erentychus Kunigspergius, Paulus à Zeltingẽ, alijq; ad munia belli obeunda idonei uiri, ad consilia delecti, qui Cęsaris filio, Imperatori, iuueni ardore mentis in gloriã properantiori ubiq; adessent tam in ipsa militia, q; in concilijs. His ac tãtis confirmatus

firmatus auxilijs, eaq; copia exhilaratis nostris, de explorandis hostium consi lijs, de eorum incommodis augendis, deq; Zygetho communiendo consultari cœptum est, ob id quod præsidium illud, ad inuadẽdos hostes, maximam opportunitatem, ad defendendos fines commoditatem ingentem præberet, si frequẽter erupturis, egressus facilis & tutissimus receptus pararetur: & commeatus, pecuniæ, miles q;, quem adduxerant recentem, intromitteretur. Prouidebant nonnulli id esse rem summi discriminis, quoniam plura oppida natura & opere fermè inexpugnabilia in circuitu & itinere Zygethi extarent, quæ rectam illac uiam ad rerum necessariarum subuectiones liberè cõmeandi penitus eriperent atq; intercluderent, Turcarumq; uelitatione omnẽ regionem intutam redderẽt: quorum insultantium perpetuoq; insidiantium arma cum non tolleranda, certè tollenda à fortibus uiris atq; pericula, nisi uictoriæ recentis fama ea imminuat, subeunda esse maxima. Si tum quoq; in propinquo ad Zynnam amnem Carothnam arcem, cum oppido & flumine munitissimam. ipsam nisi fama Christianorum illustri, & uictoriæ accessu lęto, magno autem Barbarorum incommodo, in nostram potestatem nunquam uenturam, neq; sine summo periculo eam hostibus adimi posse. Hanc autem, ad oppugnandam ipsa spe difficiliorem, eum inuenturam, quicunq; aggredi ausus fuerit, licet prædam & laudem uberiorem sibi paret, cui ad expugnandam diuinitas adfutura sit. Hęc sententia uiris decentior nobiliorq;, etsi periculi multum prę se ferre uideretur, eam tamen amplectendam arbitrabantur omnes, quando bellum trahere admodum pernicioſum esset. Imperator igitur Apollævuylerianam legionem illicò arma capere iubet, & ad occupandum cum arce properare Linkevuytziano globo, Nigris iaculatoribus atq; uexillationi Turaci iniungit, ut peditibus præsidio exiret: productus est quoque apparatus tormentorum octo cum fossoribus sub Osostiko. cum reliquo exercitu Imperator castris metatis apud Canysium cõsedit, ut maturam opem ferat, si quę hostis uis aliquacunq; ex parte ingruat. Sentio autem, & mihi iam abeundum esse, Petheie: quare, rogo, ea quæ restant, explices. PETH. Non abibis, nouiat tunc accelerabas imperium, quando cum ala Serinia, legionem quæ adhuc uix quinq; millia passuum confecerat, in castris ipsis assequebare: hoc uix ab Imperatore impetrato, ut in summo discrimine, summæ rei non deesses. Paulò pòst, Turacus cum sua uexillatione mittitur, ut quæ certiora essent, atq; ad expugnationem opportuna, specularetur. Is cum hostibus porta excurrere ausis ad manus uenit. ubi res ita gesta est, ut interfectis Turcis pluribus, contis infixa eorum capita in castra retulerit. Orto deinde sole legatus, legionis præfectus ipse, tormentorum magister, ac alij, quorum in militia usus & authoritas, delectis cataphractis, & iaculatoribus equitibus ad inspiciendam loci munitionis q; naturam, ægerrimè oppidum à ciuibus, defendi, sed multò difficilius arcem à nostris occupari posse uident, cùm in ea tanta mœniorum & muri firmitudo & soliditas, ut per mensis uix spacium quantumuis tormentorum assidua diuerberatione, deijci non posset, neq; labefactari. prominebant ab ea parte, ubi oppido imminet, arcis extantia propugnacula, per quæ emissis tormentis ex omni parte subeuntes, certis feneſtris feriri possent, mœnia autem quadraginta pedum altitudine, spissitudine horrenda. Prętera audierant fossam post murum latissimam, eiq; uallum deinde obiectum, Hac autem qua castra respiceret, atq; fluuio alluitur, paludem esse profundam: quapropter ipsas bombardas, quibus diuerberare & deijcere muros opus esset, trans fluuium uehendas fore. Hæc cum in castris renunciata, atq; deinde quorundam exploratorum relatione uulgò auditum esset, eam oppidi & arcis frequenti præsidio, rerum copia cõfirmatis munitionem esse, ut inexpugnabilem crederent:

prætera

præterea hostem octo millibus equitibus propè esse, exercitumq; iustum subsequi, plurimi deposita animi audacia, de oppugnatione relinquenda cogitabant: licet Apollæuuylerus Nigros illos, atq; cum Osostko fossores, ut egesta fossa, obiectoq; aggere tormentis collocandis opportunum locum caperent noctu, præmiserat, adiunctis illis quatuor peditū lignis, quæ Ludouici Vicarij ægrotātis ducebat uicarius, inclytæ uirtutis tribunus Humbrechtus Stoer. GHIR. Hanc familiam originem suam à uetustate quadam ueneranda & horrenda repetere, à nonnullis audiui, honoratis denicq; uiris eam & florentibus opibus semper inclaruisse. VIC. Quid'ni? Hos inter ēm hodie est, qui cum cæteris proceribus Imperij, ex sodalitatis cuiusdā authoritate sacratus uir, gradu & ordine præcipuus habetur: quemq; animi uirtute, & dignitate morum illustrem, benigna insuper in egenos & studiosos eius summa beneficētia mirum in modum exornari audio, ac, ni fallor, Ioannem Rudolphum uocari. HER. Is quidem ipsus est, Murbachi & Luderi Antistes. de cuius nobilitate & stirpis uetustate, mihi uidere olim contigit monimentū certissimum, apud Theobaldum huius fratrem uirum diuinum, priscæ uirtutis & frugalitatis æmulatorem. habebat is libellum in quo insignium familiæ cristæ, quas Clinodias recentiores uocant, innumeris uicibus uariabātur, magnæ uetustatis, magnæ & latè propagatæ stirpis, apud Germanos maximum argumentum. cui uel hoc testimonium accedit, quòd Apollæuuylerijs tantum, qui ætate alios p̄cedebāt in galea uirginis D. Apollæ imagunculam ferre licebat, cum minores aut re omnino nulla, aut pauonis cauda cassidem exornarent. De huius quoque magnificentia id ingenuè me testari posse, & fateri debere agnosco, meorum studium liberalissimum mihi semper fuisse eum, ac esse patronum & fautorem. at tu Petheie rogo perge. PET. Ad famā Turcici aduentus atque tanti & difficillimi laboris, legatus, uti decebat ducem sollicitum, de salute exercitus cogitare plurimum cœpit. cōuocatis decurionibus an progrediendum? num certiores nuncij expectandi essent, interrogat. cum illud ad uetæ uirtutis laudem, ad certum tamen periculum inclinare uideatur. Tunc securitatē nonnullæ ambitiosæ gloriæ proferre: Apollæuuylerus adolescētes duos Turcas, ex Bosnia oriūdos, fratres Germanos in medium producit, qui ab arce ad nostros transfugerant. Hos inauditos protinus, qui erant suspicaciores, iugulandos esse exclamabant: quos ut insidiarentur nostris, emissos fuisse: aut ut effugerent, quas apud suos meriti essent, maleficij pœnas huc uenisse dicebant, uera pro falsis enarraturos. At illi freti innocentia & benigni in nostros animi sinceritate, inferunt: Mortem recusare ex hoste, gratitudinē erga benefactores abijcere, aut peius morte pati aliquid se non uelle: nostros autem ex ipsorum uita optima assequi posse. Tandem publica fide data, & dicere iussi, foribus atque selectissimis uiris arcem custodiri indicant, eamq; annonæ, commeatus, magna copia, atq; etiam diuitiarum abundantia refertam. Vnam solummodò præsidiarijs ante quindecimum diem, subsidiorum spem deesse. neq; Turcis, qui blanditijs, minis, atq; omni genere persuasionis in illū terminum liberationis expectationem reiecissent facultatē supereſſe comparandi exercitus, aut adducēdi minori temporis spacio. Tam sanctum hoc esse, tam certum testimonium, ut ipsi uitæ necisq; potestatem diffidentibus ultrò iam detulerint, & religione liberatis deferant adhuc. HER. Liberali satis ingenio mihi uidebatur, quē ex ijs nuper uidi, apud antistitem, de quo Carolus dixit. cuius opera ni fallor, imbutus adolescens, nostris sacris regenerationis lauacro propediem initiabitur. PETH. Auditis istis, erecto in sententiam Apoleuuylero, in id omnes, in quod ipse maximopere admitebatur, tandem matura deliberatione descēsum est, ut quod sub castello erat, oppugnaretur oppidum:

pidum: ac tormentis in aduersam partem delatis, arcis mœnia quaterent. Ex templo igitur, singulari diligentia, longissimũ iter emensi, uno tempore ad oppidum perueniunt, & tormenta in aliam partẽ collocantur, militũ inde uehendis opera fideliter adiuti. Oppidi ingressum, statim circumuallant atq; præsepiunt, & ad fossam subitaria iam opera Osostkij productã, tormẽtis custodiendis tria signa ex sua legione Apollæuuylerus dimittit. quæ cum adhuc nouẽ signis constaret, ipsa in tres acies diuiditur, ut una oppidum inuaderetur, altera in omni periculo primæ subueniret, succederet postrema, quæ circũfusa oppugnantes defenderet. At milites primi summa alacritate oppugnationem capessunt, rati se occupaturos oppidum unde optima prẽda peti posset, quo primorum insultu expugnato, tanto ardore animi, tanto impetũ milites uniuersi laxatis ordinibus, relictis stationibus in arcẽ nitebantur, ut nullius authoritate, nullius reuerentia, neq; precibus, neq; minis reuocari potuerint, minus ad custodiam tormentorum detineri. Plurimum tunc fuit Apollæuuylero ex obsequentissimo alias milite, cohortem uel unã, quæ curaret tormenta, colligere & retinere posse. Diuini, ut ita dicam, huius furoris, quem ueteres Panicum dicunt, præbuisse caussam ferunt sclopetariũ, qui occupato oppido, curiosus ad propugnacula arcis usq; prætergressus, per feneſtellam quandam introrsum inspiciens, perturbatos discurrere præsidiarios cum uidisset per foramen tormentaria glandula effulminata, ad uallis tumulum custodes effugarat. quare celerrimè anhelantem, ac uix spiritu recepto, præfecto legionis Apollæuuylero, quid egerit, quid speret, quid conetur, differentem, qui propè adstabant, abeuntem iterum, magno clamore tessera nominis sacrosancti IESV, data & recepta, sequuntur. Hos unusquisq; intẽtione uirtutis, aut assequi, aut prægredi conatur. Eo tumultu oppidum incensum est, quo difficultas oppugnanti militi multiplicata fuit. siquidem multi in domos arci proximiores ac eminentiora tecta euaserant, unde minutioribus tormẽtulis manuarijs, & propugnacula omnia & uallum ipsum hosti tam infestum reddebant, ut ex ijs nullus defendere se amplius, neq; conari in nostros quicquam posset. etenim in ipsa corona mœnium certissimis ictibus uulnerabantur. Itaq; quo incendium restingueretur, maximum opus fuit & ingens labor, ne ij qui optimè rem gerebãt, ignis inclementia à pulcherrimo facinore impedirẽtur: aut inualescente incendio, cõcremarentur ipsi. Atqui negotium iam, quàm pro opinione, moræ impatiẽtissimi militis, lentè procedere arbitrabatur. quapropter explorato situ, ficciorem paludem esse: & quæ parua superiniecta materie calcari posset, paratis ab Apollæuuylero omnibus ex omni parte arcem circundant, scalis iniectis scandere murum nituntur: ac uera iam ui intenti, triplici acie propugnacula subeunt: tandem neglecti alicuius loci perspecta opportunitate, Apolleuuylerus ipse accurrit, & hortator enitentibus, & uirtutis & ignauiæ testis adest, recenti milite fessas acies reparat. securibus, dolabris ac uectibus allatis, qui portam arcis perfringerent, immisit: eos autem necquicquam laborãtes, ad propugnaculum deducit, quod peramplum, in cuius fastigio uexillum barbaricum erectum erat. Id dum Turcæ tot conatibus, uno tempore uarijs in locis sese opponunt, tanq; ad expugnandum difficillimum incustoditum reliquerant, ad ima igitur eius suffodere & scalpere iubet: & perforato muro in uallum ascendere Iam perforato & hiante muro certamen initur. quod minimè reticendum duco, sed prodendum, quia optimum ad exemplum posteris uidetur. Scipio à Landenberg, patre nobilissimo legionum fortissimarum olim præfecto, ortus, iuuenis, qui aduersus pericula & labores indefessi inuictiq; corporis & animi laudem tulit, cum quinquaginta illi quos secum per foramen deduxerat, de euentu nonnihil dubitarent, ac eo tardius in arcem irrumperent: interiore in loco, sub ipsa munitione solus aliquandiu hostem sustinuit,

stinuit, donec bini & terni pro scutis planas, tabulas testudinis modo in caput elatas, ipsi coniungerentur: atq; in altum progressi, mira quadam animi constantia occurrenti & fremebundo hosti congrediuntur. nec mora, ex tota munitione in hũc unum locum confluentibus, cruentissimum barbaris incœptũ est certamen, sed nostris iniquius. nã adiuuãtibus etiam fœminis, pro uita decertantes Turcæ explora tis notisq; locis, certis ictibus nostros uulnerebant, innumerabilibus glandulis tormentarijs petitos propellabant. erant enim ex nostris nonnulli, qui breues suos gladiolos tantùm in tanta festinatione, ac telum aliud nullum per foramen muri intulerant. quapropter lõgis Turcarum hastis, incuruisq; acinatibus detrudebantur facile. Iam propulsati, cum per eã rimam, qua arcem inuaserant, cum densati proijcere se eò, & periculo eripere uellent, qui nitendo primus fuerat, cedendo ultimus Scipio, huius æui pudendo & execrãdo cultu caligarum diffluentium largitate, palo qui uallo infixus erat inhæsit: nec explicare sese, nec à socijs eripi aut enodari potuit, priusquam irruentibus barbaris, septem atrocissimis uulneribus læsus sauciusq;, paucis pòst diebus uitã amiserit: quo uno fortissimi iuuenis casu, duo auditu horrenda memorandaq; exempla comperta sunt. Primũ, quod ab omni ratione alienissimi habitus, nobilissimum adolescentem non solum extinxerit, sed etiam hosti uilissimo ad deridendum propinarit. eos enim prolapsum iam & hærẽtem impetentes, incaligatum Diabolum excutere se, acerbissimo scõmate atq; inconditis cachinnis iactare auditum est. alterum, quòd tanta immanitate, tanto odio in nostros feruntur, ut singulis ictibus cæsim unumquemque diuidere nitantur. Excepit enim inter alia is in femore uulnus, quod nullius uiri pollice, tertiadecima dimẽsione obtegi potuit. Percelluerat omnium animos luctuosissimus casus. quapropter uiribus inferuntur uniuersi, ac pro ingenio quisque, hic eminus glande, ille tragulis, hastis, aut omni quod fors obtulerat telo, intus, infensus, ad summa scandere gestit. alio loco hi murum suffodere largius, scalis subniti, cupere prælium, uel manibus conserere. Neque Turcæ segniores erant. ij enim saxa deuoluere, fudes pila proijcere: sulphur, picem, tædam mistam, arenam ignitam, oleum feruefactũ, quicquid tormentis, quicquid manu emitti potest, in nostros dirigere, comminutis ingentibus saxis, & deiectis scalis multos deijcere. Pari itaq; spe, uirtuteq; simili pugnatũ est per septem, easq; integras horas. sed ad extremum furore nostrorum cum maximè urgerent Turcæ, multis rerum difficultatibus circumuẽti, sauciati plerunque ex tectis adiacentibus, in interiorem inferioremq; arcis aream se recipiũt. irrumpant undiq; nostri. hostes supremum uirtutis conatum edituri, conglobantur, ut non inulti cadant. tandem duobus in locis puluere tormẽtario suppositò & sparso, desperatis rebus ignem subdunt. quo multi ex nostris afflati, læsi atrociter atq; ambusti nonnulli perierunt. quod ubi Apollæuuylerus uidit, uictori militi adclamat, ut nulla deditione cuiuscunque uitam pacisc atur, nullum incolumem dimittat, omnem concidat hostem. Miles ad signum indictæ cædis debacchari, haurire uiscera, inq; ijs quas nonnulli deglutierãt opes inquirere, sorbere cruorẽ hostilem: atq; ita sæuire, ut præter quatuor ad summum, teneræ illi & decrepitæ ætatis, nullus hominum in ea arce uita superstes manserit. cæsorum inuenti sunt octogintaquatuor supra ducentos: ex nostris desiderati uiginti: uulnerati centum paulo plus: inter quos glande tormentoria læsi ex tribunis legionis, Georgius ab Hasemburg, uir nobilitate generis ac animo generoso excellens: & Vuernherus à Reitnauu, ut summis claritate generis par, sic animi magnitudine nulli secũdus. HER. Mira narras. Tormentis igitur maioribus nihil actum? PET. Eorum certè, nisi in nostros explo derès, nullus tunc fuit usus. HER. Qui nostro æuo absq; horum subsidio, munitiora oppida expugnarit, à nullo ueterano hactenus mihi laudatus est,

dolo enim aut proditione id effectum esse dicunt. PETH. Manus Domini, digitus Dei hic est, neq; uiribus hominis datum, neque profectum. Et igitur gratijs actis cum nox se infunderet, Georgius à Liechtensteyn legulus, regionis tribunus cum cohorte sua quingenaria, in ipsa arce excubias peregit. HER. Hunc artium & militaris disciplinæ diligentissimum obseruatore, multis fortibus factis, constantis atque impigri ducis opinionem audio consecutum, in summam gratiam, ob bene nauatam hoc bello operam summis atque infimis charum uidi. THA. Ad prouidi & strenui officium ducis, ingenium & habitum corporis decẽtissimè transtulisse etiam fratrem suum uidimus omnes. HER. Illum dicis? quem grauis pariter atque periucũdus oris gestus, facundia insuper, & improba studiorum assiduitas illustrem reddidit Maximilianum Philippum, cuius fidelissimum testimoniũ in ijs tabellis, quib. officio tabellionatus olim inaugurabar, apud me adhuc extat. Tu Petheie perge. PET. Illucescente die accersitis fabris, atque omni milite ad opus coacto, triduano acingẽti labore arx cum ipso oppido funditus euersa est. Veteri militiæ instituto, ne receptaculum Turcis in posterum præberé posset. Eadem die, quæ Carothnæ ultima fuit, imperator ex Canysio turmas Nadastinas, Seriniam alam, uexillationem quoque Dalmaticam immittit, qui ad Zygethum prædabundi excurrerẽt. legio Apolæuuylleriana ut sequatur, mandat, atq; ad expugnandam Baboczam iter intendat. Ea autem iam accelerato imperio, Gorgonem usque profecta, cum Barbari ex prælio & amissa arce, animi omnem iam exuisse ferociã nunciantur, deq; salute desperatos esse, quòd uictoriosissimum exercitum, pertinaci admodum animi proposito, in unam illorum omnium perniciem proruere uiderent & sentirent. Adauxit quoque metum, & exploratoris eiusdem aduentus, qui cum ijs, quos à Babocza in castra ad Carothnam miserant, comprehensus ac solus, tamen prius labijs, naso, palpebris & auribus resectis, fœdè deformatus, ad suos dimissus est: cæteris iam palis infixis, aut in quatuor partes dilaniatis. Is ergo aspectu crudeli horrendus, cladis sociorum oculatus testis, disciplinæ, uirtutis, & munitionis nostræ instructissimæ explorator certus (nam deprehenso & pœnis afflicto omnia per nostros ostensa fuerant) ex calamitate sua effusè mentiendo, uires nostrorum adaugebat. Diffisi igitur munitionibus, usq; adeò præcipiti fuga, ex Babocza, Sellye, sancto Martino, Geresgalo, abierunt, ut perturbati & perculsi animo, procursatorum nostrorũ assultus nullo modo expectare ultrà uellent, tantum peculio preciosiore correcto: neq; tormẽtis confractis, neq; corruptis commeatibus, neq;, ne nostri illis non potirentur, oppidis incensis recesserant: quæ omnia alia Serinia & Dalmatica uexillatio diripuère. Præda quæ ditior, fuit tormentorum triginta quinq;, eorum qui carrucis solẽt perferri, exceptis ijs quæ manu promoueri possunt. Horum etiam fundamẽtis emotis, dissectisq; ædificijs, Serinius Tschretinusq; præmissa equitũ manu, quos aduexerant commeatus, præsidium & pecunias Zygetho imponunt: recrearuntq; ærumnis confectũ locum, nouo milite. neque præclaro hoc facto contenti, sed auidè & festinanter ad prædam Quinqueccleſias usque prouehuntur. quod futurum, haud siniſtro consilio præsenserunt Turcæ qui ea erant in urbe, egressi igitur ex insidijs palantes longius aggrediuntur, atque impetu facto ex ijs quindecim interceptos abducunt. At summæ uirtutis duces nostri conglobatis agminibus, facta impressione reliquos ea celeritate & alacritate liberãt, ut plurimis Turcis interfectis, fœda fuga terga uertere coegerint. Reitaque bene gesta, in castra ad legionem Apolleuuylerianam redeunt. Vnum præcipuè commoditatis castellum, nomine Capozuuyuar, accuratissimè communitum, pari turpitudine ab hoste relictum nostros latuit: id nullo negocio recipi, ac belli nostri omnis arx esse potuisset. Interea Begler, qui incompa-

comparabili, adeoq; ſumma apud Solymannũ, præter alios, gratia pollet, atq; ob id Begg dictus eſt, & poſt ipſum præcipuę autoritatis Hetſtko Begg, proinde Hali qui Budę præeſt, cum ijs qui Tauruno, qui Mœſijs & inferiori & ſuperiori præſunt Baſchis, tanta diſcriminis fama permoti, numeroſo exercitui ex recenti uictoria præferoci Imperatorem additum multarum gentium auxilijs confirmatum, exhorrebant. Conuento igitur indicto cõuenere: ubi omne conſilium eò dirigebatur, ne ex occaſione uictoriæ recentis Chauri (ſic enim Chriſtianos uocant) in intima regni perrumpant, diligenter prouidendũ, atq; ſupremum periculum capeſſendum eſſe. Copias igitur cogunt. quibus recenſitis, ſexaginta millia hominum amplius coiſſe, noſtris compertũ fuit. At antiquum Germaniæ decus, tot calamitoſiſsimis amiſſum in Pãnonia prælijs, magnanimum & in arma ruentem Imperatorem noſtrum accendebant plurimũ, ob id geſtiens & exultans, quòd collectum & innumerabilem hoſtẽ totis uiribus obuium habiturus eſſet, ex quo ut non incertam uictoriã reportaret generoſo conſilio, fortunam ſuam experiri conſtituit. Acceſsit igitur Gorgonẽ, ac Apollæuuylerianæ legioni uires ſuas cõiunxit, ut hoſtem exciperet, numero incondito, quàm uirtute, quàm fama, magis ferocientẽ, propoſuerat quoq; omnibus modis, domum niſi uictorẽ ſe non rediturum, ac iamiam parabat egreſſum: ſed quòd diei ſerum erat, & parum lucis ſupereſſet, in poſterũ diem profectionem diſtulit. At interim conſauciatos omnes petoritis, currib. & ueliculis impoſitos, additis ex domeſtica nobilitate ſplendidorib. & liberalioribus qui in ipſis fouendis, cubiculis, eſculentis & poculentis eorũ, cum mediciis & chirurgis præeſſent & famularẽtur affectis, Canyſium extra periculum deducere iubet. At qui aderant duces & conſiliarij, cum magis atq; magis ingraueſcente iam autumno, difficultatibus multis ſe circumueniri uiderẽt, hyeme ſcilicet & frigore, lethales morbos ex reſoluto militũ aluo uulgari in exercitu, itinera omnia inclementia cœli lutulenta cœlum ſemper pluuia turgidũ, his præter innumerabilia illud quod intolerabilius omnib. accedere, frumenti inopiam: ardorem igitur imperatoris nonnihil inhibendũ ducunt. Summo itaq; mane ad arma cohortantem, magna uenerationẽ ſalutant coniuncti, & authoritate, ætateq; ipſi uenerandi rationibus firmiſsimis refragãtem perſuadent. Quandoquidem Reipublicæ ſalutem & antiquũ Germaniæ decus, contra Turcarum uim & iniuriam conſtantiſsimè defendiſſet, eoq; quo huc peruenerat conſilio, quod cuncti rerum periti omnibus modis, nõ immeritò inter præclara fortiaq; regum facinora numeraturi eſſent, Sygethum obſidione liberum cõfirmatumq; haberet, & uideret hoſtes apertam pugnam detrectare, ſolum ex priſtina conſuetudine ſua, in diſiunctos impeditisq; locis diſſipatos apud opportunas locorum anguſtias (quarum ipſa regio natura frequens eſſet) uelitari, ne uirtutis tantos ſucceſſus, triſtior aliquis caſus, loci aut cœli inclementia, elideretur aut obſcuraretur, uideri ſibi, cum abundè dignitati eius ſatisfactum ſit, militi, qui uix iam toto equitatu & peditatu, octo millium hominum compleret amplius, parcendum eſſe, & in opportuniora anni tempora ipſum conſeruandum. reuertendum autem eſſe ad patrem Cæſarem, cuius iuſſa prælegebantur. HER. Ferunt Imperatorem cum horum ſermonem accepiſſet, aliquandiu conſtitiſſe immobilem, atq; oculis udis, ſubinde & frontem atq; genas uerecundia perfricãtem, exaudito, gemitu, cum animo redijſſet ad rationem, Vincant Cæſaris iuſſa, uincant genitoris imperia, ingeminaſſe: quæ ut prudentia plena, pietate tamen percellunt. Itaq; reducto tormentorum apparatu, ad fluuium Drauum duodecim maiora Naſadijs, id eſt nauib. oblongis, ſublata ſunt, aduerſoq; fluuio Canyſium deportata. Imperator cum toto exercitu, quintis caſtris Brilacum applicuit oppidum ad Draui & Sauatiæ confluentes ſitum. Anmibus deinde duobus, totidem pontibus cõſtratis,

per eum qui in Turcarum regionem trāsuehebat,alam Seriniam,& cateruam ferream effundit: eisq; iniungit,ut intactam bello regionem diripiant atq; latè populentur. Prima deinde ratio habita est ægrorū,quos ea animi benignitate in tutiora uectionibus ablegauit,qua antea insaucios usus erat.Simul igitur laurinum delati sunt, Impedimenta domestica,commeatus, suppellectilē imperatoriam præire per alterum pōtem iubet. ipse cum Labaro,quod sexin genti equites custodiebant,& prætoria cohorte per Zaladiēsem comitatum Canysium reuertitur. Nadasti turmæ, Tscheredini uexillationes,Nigri Zeltingensisq; alæ equites, cum Apollæuuyleriana legione, magna difficultate maiorum tormētorum duodecim corporibus impediti, per Gotham syluam iter arripiunt, Vespronij occupandi aliquam occasionem uenaturi. Ita tribus itineribus,tribus agminibus iter cœptum, non inani consilio,sed ea ratione, ut hostis instituta & doli eneruarentur.Is etenim magna celeritate,numero incredibili,Gorgonem usq; peruenerat,antea quam nostri Brilacum attigissent. quæ barbarorū astuta uelocitas, militaris ingenij solertia refringenda aliqua erat uarijs uijs,& itineribus, nostrorū uarijs rumoribus,ne in regione memorosa,tumulisq; frequentissima,ex insidijs nostros adoriri,aut reditum ipsis impedire possent. Prima nocte idoneo in loco inter syluas castra constitēre militari disciplina,& uigilijs consepta,ac ab omni tumultu uacua: summo mane Nadasti turmę & ala Dalmatica legionem anteire iussę,castraq; ad Canysium antecapere, quò tendebat legio ipsa. at imbris perpetua iniuria lutulentæ regionis fœditate tormentorum impedimentis hærebat omnis. hæc enim satis promouere nequibant, quæ destituere aut deserere omnino non uolebant, quando hostes ipsos incumbentes,& tam propinquos habebant, ut non solū fumum ex eorum ignibus uidere,sed uoces ululantium & horrendum infrendentium audire possent.Dissimulatur tamen id difficultatis à ducibus:& autumnali pluuia madētes & algentes,palustri cœnosaq; illuuiæ deturbatos, affectosq; pariter fame,tabernacula parare,ignes accendere,& cibū capere iusserunt.Omni ex parte austeri turbines,grandines atq; pluuiarum procellæ decidebant,adeò ut ea nocte de plurimis actum fuisset, nisi ingentibus ignibus excitatis,tantisper cœli iniuriam euincerent.In tantis autem incommodis ingens erat cura & præteritis periculis metus quidam acerbior, cum ab auxilia rijs omnibus destituta legio,reuocare absentes necquicquam tentaret loci distantia.Afflictorum autem una tunc spes, Apolleuuyleri constantia egregiè sustētabat ipse enim mirabili celeritate,multa prouidentia, peritia militari & officijs humanitatis , conspectu, colloquio renidens, omnibus ipse in uictus malis alios consolabatur: ac constitutis castris,præsidijs & uigilijs contra strepentes Barbaros suos securos reddidit omnes, donec orta luce magno nisu, Zeltingis & Nigris comitatus tormenta & militem,incolumis ipse Imperatori suo Canysium adduxit.Tandem iter cœpit Imperator,atq; cum toto exercitu, magnis itinerib. laurinum peruenit.At ad discessum tāti Imperatoris, ingens Turcas inuasit metus. nam quanto magis domum nostri properabant, tantò plus fugæ se dabant hostes, ac intimos petebant regni recessus. tanta omnis disciplinæ militaris, omnis uigoris obliuione, ut turpiori desperatione,& ignominiosiore fuga se dedecorantem, sol ipse neminem unquam uiderit.Respexit enim nos Dominus,& auersum est opprobriū gentium à populo suo. THA. Hæc certè est rerum gestarum series. HER. Triūphus Imperatoris,militis laurea ubi? desijt ætas nostra benefacere,desierūt statim benefactorū, proh dolor, decora & præmia. THA. Vana hæc omnia,inani fastu turgida.Clementia hic triumphauit optimus Imperator, tertium dum apud laurinum in milites ægros cōgiaria omnia effudit.Secuta tamen est quæ triumpho semper ac multo clarior supplicatio & congratulatio ad omnia tem

pla

pla habita: nunquam certè æternæ memoriæ recordatio ſiue militi, ſiue duci, laurea areſcenti poſterior erit. Puchheymio, & Rubero uirtutis teſtimonia, equeſtris ordinis dignitas ſolẽnitate magna exhibita, poſteaq; ex laurino cũ prætorianis Imperator Viennam redierat. Auxiliares copiæ, Serinia ala, cater ua ferrea, quæ prædabundis agminibus hoſtilem agrum uexauerant, poſt reditum in preſidia deducta, Nigri in hyberna apud laurinum collocata. Legio Apollæuuyleriana, ad Leytha fluuium, in oppido Pruck exſolutis ſtipendijs, liberaliter dimiſſa. HER. Video filium. Ecquid noui Immanuel? PV. Venit qui à te deſideratum diu, ex Gallia attulit de Regum aliarumq; rerum, manuſcriptum quoddã oblongum membranaceum uolumen. Allati ſunt ſcriptorum Mandlij autographi. HER. Magna hiſtoriæ noſtræ ornamenta refers. PV. En literas quoque. HER. Video Danielis Mauchij, uiri pietate & literis pleni, amantiſsimi, & parentis loco mihi uenerandi, hominis ſignũ. Hui incluſas quot? VIC. Pellege: forſan quod nos quoq; exhilaret, inueni es. HER. O uenerandum caput, ô cani omni reuerentia digniſsimi. Vuolffgangus Fuldenſis antiſtes admonet me, de edendis legibus: quas ingẽti aliorum librorum nũq; editorum cum theſauro, hilari & ingenti animo mihi accõmodauit. Vrget quoq; Valentinus Klinkhardus ſiue Echecrates ille, omnibus diſciplinis & pietate excultus homo, optimi principis optimus Achates. VIC. Quas leges? HER. Ripuariorum, Saliorũ, Burgũdionũ, Alemanorũ, Saxonum, Baioariorũ, Vithungorũ. VIC. Addenda eſſent his Langobardorum edicta. HER. Id quoq; fiet, ſi tu exemplũ, quo cõferri noſtra poſsint, ſuppeditaueris: ad Cal. Septemb. omnia abſoluẽtur. GHIR. Faſtos illos tuos, imò Romanæ Reipub. tẽpora certa ratiocinatione diſtincta, nobis quando dabis? HER. Quàm poſſum maturrimè. PV. Inſtat cũ inſtent nundinæ. HER. Gratias igit̃ ingentes ut uobis agã, uiri clariſsimi, & ab eam neceſſe eſt. THA. Nunquam certè abibis, niſi prius ediſſeras, an Apollæuuylero, præter eos qui fortiter pro patria egerunt, alius ſit & frater germanus. VIC. Ipſe dicam. Eſt, Ioannes nempe, quo manſuetiorẽ uix alium inuenies, tantæ in omni literatura, & ingenui hominis exercitijs tam conſummatæ induſtriæ, ut ipſa Auguſti aula omnium admiratione omnium gratia illuſtrẽ, ceu ſingulare nobilitatis ornamentum ſemper illum obſeruauerit, & uenerata eſt uariarũ linguarum notitia, Nadaſto propè conferendus. PETH. Heus tu, quò properas bone. num inſalutatus abibis? quandoquidem neque prandio, neq; deambulationi noſtræ intereſſe amplius poſsis, dabis tamen uicarium qui nos peregrinos comitetur & inſtruat? HER. Curabitur. Etiam colloquij huius noſtri uſuram in me recipio, ſi uobis per quatuor tantùm dies expectare licebit. PETH. Neq; tua negotia impẽdire nos decet, neque iter noſtrum te remorari diutius æquum eſt. hos autẽ ſermones noſtros uide reddas, ac par pari, id eſt uerba uerbis exſoluito. mirè certè ijs noſtram confirmabis initam nũc amicitiam. HER. Hanc felicem & fauſtam nobis omnibus cõſeruet præcor diu, is qui piorum & bonorum animos conglutinare ſolet occulto quodam amoris inſtinctu, memoriæ, ingenij, uiriumq; elargitor Magnus ille Deus.

Valete.

SERENISSIMO HISPANIARVM PRINCIPI PHILIPPO, Caroli. v. Imp. Aug. F.

NICOLAVS MAMERANVS LVCEMBURGENSIS, S.

NVPER totius Aulę paternę omniũq; Principũ, Statuũ, Ordinumq; Imperij, qui postremis Comitijs Augustanis ad conuocationem & mãdatum patris tui Caroli V. Imp. Aug. interfuissent, Serenissime amplissimeq; Princeps, ad posteritatis memoriã, tam memorabilis & necessarij tot ac tãtorum Principum cõuentus, celebrẽ & dignum posteritate Catalogum, tuæ Celsitudini porreximus. Quem cùm gratum tibi, acceptumq; fuisse uel ex liberali ea de re in nos munificentia exercita intellexerimus, officij ulterioris in gratitudinis aliquam significationẽ præstandi, amore incitati, studuimus eadem interim, dum cum Patre, relictis Belgiæ ditionibus hæreditarijs, ad eandem superioris Germaniæ in Rhetia urbem, ad nouũ Principum, ordinumq; Imperij conuentũ contendis, opera & industria, eodemq; perpetuo in tuam Serenitatem amore, exhibete tibi Patris tui Electionem ad Imperij fastigiũ Coronationemq; ante annos aliquot Moguntiæ æditã, unà cum Imperij amplitudine & Maiestate contemplandam: quam Georgius Sabinus exiguo quidem, sed celebri libello, & quem intermori nequaquam conuenit, quorundam Imperij Procerũ usus & adiutus consilio ac relatione cõscripsit & euulgauit. Huic nos Catastrophes loco ad calcem eiusdem inuictiss. Patris tui Car. V. Cæs. compendiosa breuitate perstrictam clarè gestorum ab initio Imperij usque huc fermè relationem subiũximus (quæ eadem & distichis aliquot singulatim complexi sumus) ut aliqua simul præclarè gestorum eius uel seminaria in sociam breuitatem, ad retundendam quorundam haud ita candidè usquequaq; sentientium temeritatem, restricta appareant. Quem tu libellum, clariss. Princeps, tum maximi, inuectissimiq; Parentis tui amore: tum diuini Imperij amplitudinis & maiestatis propius, pleniusq; cognoscendæ gratia: Deinde quoque ob rerum maximarum, quas continet, pondus & amplitudinem, adtentè & consideranter perlegas semel & sæpius: ut simul & Maiestatẽ Imperij, sublimitatemq; uideas, & in re tam sublimi ac ardua, tantiq; momenti, inaniter interdũ, & humana hallucinatione diuersas dissentientium procerum uoluntates contraria inter sese ad unanimem constituendũ consensum studia consideres. Debet enim unusquisq; iuuenis Princeps, & maximè Imperij Princeps, sacras & prophanas historias plurimas, resq; maximorum principum præclarè gestas, sedulus & attentè legere, & in hoc sibi ocium seriò facere: contemptis nobiliter ac despectis uulgi Principium & Nobilium inanibus rerum leuium & inutiliũ, quibus ætatem & tempus adterunt, studijs & exercitijs: Tum ardua quoq; ac difficillima, quæque maximarum uirtutum facinora æmulari: sibiq; ab ipsa statim pueritia clariss. Principum celeberr. quæque ac laudabiliss. gesta ob oculos fortiter imitãda proponere: & non circa humilia & abiecta, uulgi inertis more, non habentis illustre & lucidum ad sublimia ingenium, occupari, & humi reptare per uilia, per dedecus & sordes. Sed & animi temerarijs affectibus, quibus uulgus ignobile rapitur moderari ad differentiæ claram eminẽtiam: ut si Deus, in cuius manu principum potestas est, & corda & Regna & promotio, uelit ipsum præ cæteris fortè aliquãdo ad Principatus fastigium pertingere, ad Imperij gubernacula admoueri, & sublimitatẽ adtolli, non impræparatus, non inexercitatus in ijs uirtutibus, quæ hominum animos ingenti sui desiderio percellunt, & in earum admirationem, amoremq; quodã tanquã impetu rapiunt: quæq; ad eam sublimitatem maximè requiruntur, inueniatur. Sed quæ sunt, inquis forsan, uirtutes illæ maximæ, quarũ æmulatorem oportet esse iuuenẽ Principem? illæ nim irũ, ubi honor & gloria Dei, salus & utilitas publica, salus animæ ante omnia quæritur, curat & promouetur. Cætera omnia, non uirtutes, sed error & deceptio, & interitus sunt. Virtus em̃ uitam, non interitũ parat, quẽ cætera parant: nec ignominiã & confusionẽ, ut cætera, sed gloriã & honorem parat. Verùm tu interim Sereniss. Princeps, hoc nostrũ in tuam Celsitudinem studiũ pro solito illo tuo ac perpetuo in nos fauore, quo nos usq; prosequeris, boni consule. Bruxellæ ex Cancellaria Cæs. Septimo Idus Iunij, Anno 1550.

D. CARO-

D. CAROLI V. IMP. PRÆCIPVORVM GESTORVM, BREuis ac perstricta, in paucula uerba, Relatio, per NICOLAVM MAMERANVM LVCEMBVRGENS.

PHILIPPVS Maximiliani Cæsaris & Mariæ filius Dux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Habspurgi, Tyrolis, Flandriæ &c. in bonis literis liberaliter institutus à Francisco Busleidiano Lucemburgensi Archiepiscopo Bisuntino: sub quo tantum in Literis & bonis moribus profecit, ut eximiæ eius uirtutes fama publica increbrescerent, & maximos quosque Principes admirationi esse inciperẽt. Ob quas tam raras & singulares animi uirtutes, adscitus est Ferdinando Regi Hispaniarum, cui ex fama illa publica tantarum uirtutum innotuerat, in Regna Castellæ, Legionis ac Granati Gener. Ex cuius filia Iohanna, illi matrimonio sociata, sex sustulit liberos, CAROLVM, FERDINANDVM, LEONORAM, ISABELLAM, MARIAM, & CATHARINAM, de quibus in Genealogia Archiducum Austriæ dicemus plenius. Princeps qui summam pietatem, animiq; moderationem cum summa prudentia cõiunctam habuit, publicamq; utilitatem ac salutem, semper priuatæ prætulit. In fata concessit Burgi in Hispania. XXV. Septembris. Anno M.D. VI. sepultus Granati.

CAROLVS V. huius Philippi Regis primogenitus, natus Gandaui in Flãdria. Anno M. D. die XXIIII. Februarij, iuuenis paternarum uirtutum indefessus ubiq; æmulator tantus, ut eas nõ modo æquarit, uerum etiam multis accessionibus & euidentibus superarit. Electione Procerũ Imperij, Auo Maximiliano, ad Imperij Maiestatem ac gubernacula adolescẽs decem & nouem annorum succedit, excitus ad Electionem Francofordiæ, Anno M. D. XIX. in mense Iulio factam, per Fridericum Co. Pala. Ducẽ Bauariæ, Ludouici Co. Pala. Electoris fratrem, ab Imperio in Hispaniam ea de re missum. Cum quo Carolus classe cõscensa, Flandrico littori, salutato prius in transcursu, Henrico VIII. Rege Anglię, applicuit: annoq; proxime sequenti, id est, XX. die XXI. Octobris Aquisgrani coronatus est.

Comitijs deinde apud Vuormatiam anno XXI. solutis, coacto maximo exercitu, sub duobus Præfectis generalibus, Henrico uidelicet Comite Nassauiæ, & Francisco, Nobili à Sickingen, Francisco Galliarum Rege, spe consequendi Imperij, per Electores frustrato, & ob id, ut ferunt, animo in Carolũ sibi prælatum exasperato & indignabundo, Ducatũ Lucemburgensem opera & instigatu Roperti Com. ab Arnberga, fratris Erardi à Marca Cardi. Leodiens. (qui Ropertus inextinguibile quoddam, qua de causa incertus, Carolo Cæsari odium circumtulit) hostilibus incursionibus infestanti, occurrit: castrisq; dicti Roperti munitiss. sex in ditione Lucẽburgens. Florichena. scilicet, Misanchurla, Longina, Floriuilla, Sosino & Esdeno, partim ui, partim deditione captis, soloq; æquatis: præterea Bullione, Ducatus tituli celebri, iuris Episcopi Leodiensis ex uenditione, capto, maserias ad Mosæ ripam in limitibus Francię simul & Lucemburgiæ oppidũ, obsidione quinq; fermè hebdomadarum, inertia & tepiditate supra dictorum duorũ, eius expeditionis Præfectorum, frustra cinxit.

Tum deinde Anno M. D. XXV. fatalem illam & nullis ante sæculis similẽ auditam, intra tres mẽses de inopinato supra centena millia ad Rheni tractũ, rusticorum, phanatico & uertiginoso spiritu furentiũ, temeritateq; in Ecclesia

stícæ & secularis eminentiæ statum debachantum, confusam colluuiem, Germanorum Principum auxilijs extinxit & protriuit.

Eodemq; anno Gallum, Italiã cum potentissimo exercitu ingressum, quo Mediolanum obsessum, deditione accepit, ad Papiam, percelebrem Insubriũ ad Ticini ripam, urbem, quam obsidione pressérat, XXIIII. Martij, quæ Cæsari natalis est, effracto noctu horto ferino, in quo Gallus cõmuratus cũ exercitu agebat, camisiato super arma milite, ad internoscendum sese mutuo, consilio Georgij à Frõsberga Germano Præfecto peditum irruptione uiolenta instituta, effulminantibus ac detonantibus de inopinato in hostem per excisum murum Cæsaris bombardis, castris exuit, copijsq; eius dissipatis & fusis, nimirum ubi triginta sex Cæsareanorum millia profligarunt ac prostrarunt centena Galli exercitus millia, ipsum captum in Hispanias transmittit. Quem postea tamen dimissum, Regno restituit, affinitateq; sibi eum, tradita illi sorore sua Leonora in uxorem, Anno M. D. XXIX. deuinxit. Numerus annorum Domini, quando captus est, & de Rusticorum colluuie, huius uersiculi literis numeralibus comprehensus colligitur.

Captus erat Gallus, coeunt cum rure cohortes.

Deinde anno M. D. XXVI. Isabellam filiam Regis Portugalliæ XII. Martij, Hispali, quam Sibiliam uulgus uocat, in Hispania, uxorem duxit.

Interim autem dum Cæsar Hispali nuptias cõtrahit, Anno XXVII. Roma per eius exercitum, profligato iam Gallo, inscio & nil tale mandante Cæsare, sub Borbonio Duce, capta est, & prædæ exposita. Tum Cæsar ea, qua semper in hostes utitur clementia, captum per militem, ipsum Clementem VII. Pont. qui Gallo, cum quo fœdus ante pepegerat, præsidia cõtra Cæsarem eo in bello miserat, libere dimissum, pristinæ dignitati & fortunæ restituit.

Post hæc anno M. D. XXX. classe, qua paulo antè in Hispan. traiecerat, in Italiam reuersus, Genuæ, Liguriæ metropoli, prima Augusti applicuit, Bononiamq; adit, ubi XXIIII. Martij Imperij diademate à dicto Clemẽte VII. Põtifice insignitur. Ibi Principum, ordinumq; Imperij, discordiarũ in Germania componendarum, sed maximè religionis controuersiarum tollendarum gratia, Conuentu Augustæ Rheticæ ad primam futuri Maij indicto: ipse in mense Aprili, relictis aliquot peditum millibus in obsidione Florẽtiæ, quod rebellis maneret, Comitatus Laurentio Campeio Cardinale, sedis Apostolicæ Legato, Italia egressus, in Germaniam rediit: primumq; Maio mense, Oenipon te apud Ferdinandum fratrem, Regem Romanorum transacto, Augustam Rheticam ad principum conuentum XV. Iunij ingreditur. Vbi cum Religionis, in maxima licet Principum, celeberrimaq; frequentia, ob diuersa & discordantia præfracte ac pertinaciter sentientes, componi in unionem non posset, publico mãdauit edicto, ueteres Religionis ritus, qui hactenus in usu essent, in Romana Catholica ecclesia retinendos, donec Synodo generali conuocata, aliud decerneretur. Solutisq; tum Augustæ Comitijs, in Germaniam Belgicam descendit.

1532. Vnde postea Anno XXXII. in Germaniã superiorẽ egressus, Ratisponã una cũ fratre suo Rege Ro. in Martio mẽse intrauit, ad Comitia, q̃ illic agenda indixerat, super Religionis statu ac negocio, q̃d ne tum quidẽ cõponi potuit: deinde super p̃sidio cõtra Turcã mittẽdo, in quod unanimiter consensum est: missumq; ab omnibus Principibus, statim ipsum Solymannũ Turcarũ Cæsarem, Hungariã & Austriã cũ ducẽtenorũ mill. copijs ad Viennã Austriæ usq;, per Hungariam ingressum, utraq; expulit. Sed adiuta erant hæc Germanorum præsidia, sexdecim millibus Hispanorum & Italorum, quos ex Italia, Hispaniaq; Cæsar acciuerat, sub Præfectis Antonio de Leua, & Duce Mantuano. Præterea multis millibus qui classe per Cæsarẽ dispositа, eum quoq; hostem

ſtem inuaſum premerent. Nunquam maioribus uiribus poſt Conſtantinum Magnum, cum Turca congreſſum eſt.

Inſuper anno M. D. XXXV. Cæſar Hiſpanorum cõſcripto exercitu, Barci- 1535.
nonæq; in Hiſpania, naue cum eó conſcenſa, Maioricam, Minoricam, Sardiniamq; inſulas ſublegẽs, Germanorum interim, Italorumq; copijs mandato ex Genua & Specie, eodem nauigio aduentantibus in Africam traiecit. Vbi Goleta munitiſſ. Ruffibarbi caſtro expugnato, Tunetum urbem ex Carthaginis per Gothos & Vandalos quondam in campos redactæ, ruinis conſtructam, capit. In qua multa captiuorum Chriſtianorum millia liberat. Deinde poſitis in caſtro præſidijs, naueq; cum reliquis copijs conſcenſa, Italiam repetit, & Præpano primum applicat, inde Panormum, Meſſanam, Calabriamq; præter legendo uiſens, Neapoli ultimam figit ancoram.

Inde an. M. D. XXXVI. Romã in ſeptimana ſancta ſub Paſcha uenit: unde 1536.
mox deinde Florentiã, Mediolanumq; XVIII. Aprilis adijt: conſcriptisq; nouis adhuc aliquot Italorum, Germanorumq; copijs, ad Gallo Sabaudiam ingreſſo ac depopulanti, iamq; Italiæ imminenti, occurrendum, Italia excedens, ad Maſſiliam in Prouincia urbem, totum traducit exercitũ. Ibi ferè idem accidit Cæſari, quod in prima eius contra Gallum ante Maſerias expeditione, ut propter quorundam primariorum Ducum eius exercitus tepiditatẽ, & nonnullam cum hoſte mutuam inter ſeſe intelligentiam, re ſerio non tentata, nihil ageretur, præter ocia & temporis extractionem. Itaque Foro Iulij opp. capto, maxima comeatus penuria exorta, profluuijq; alui inter milites lue graſſante, & Gallo interim uices ſuas, ex Cæſareanorum lentitudine, non ſegniter contra, ad angendum & opprimendum ſic afflígi iam cœptum Cæſarem, augente, exercitus neceſſariò dimiſſus eſt, illincq; diſceſſum. Cæſar conſultò claſſe conſcenſa, Hiſpanias repetit.

Eodem anno XXXVI. dum in prouincia terit ocia Cæſar, Hẽricus Comes Naſſauiæ, maximis copijs & peditatus & equitatus, mãdato Cæſaris conſcriptis, eundum Gallum ex Belgia adoritur, captisq; Hunicuria, Guiſa, & Bohodio oppidis, Peronã fruſtra bobardis & concutit, & oppugnat. Quare totus ille annus bellanti Cæſari ubiq; infauſtus extitit. Tantum aũt terroris ex hoc Naſſauiano exercitu iniectum Gallo erat, ut Pariſiorum urbem, incredibilibus impenſis, nouis foſsis & propugnaculis, qua Belgiam ſpectaret, extẽporaria, ſed numeroſa manu, ſubitò muniri curarit. Quæ tamen munitiones deinde refrigeſcente metu, non cum ualdè utili ac prouido conſilio, rurſum diſtractæ & in planum redactæ ſunt.

Rurſum anno XXXVII. maximus exercitus, curãte Regina Maria Belgarũ 1537.
gubernatrice, Cæſare in Hiſpania exiſtente, cõtra Gallũ (iam tum Arteſiam in Martio menſe cum exercitu ingreſſum, ubi Heſdinum obſeſſum perfida deditione & laqueo digna, accepit) ſub Maximiliano Comite Burẽſi & Adriano Domino à Rœus, Præfectis generalibus miſſus eſt: ſtatimq; Sanpaulo oppido & caſtro munitiſsimo à Gallo occupato, & quatuor millibus peditũ cum aliquot præterea equitum centurijs præſidiarijs, munito, ui omnibus trucidatis, expugnato, & cremato: Monſtrioloq; bombardarum tonitruis percuti cœpto, ingenti iniecto pauore, deditione capto, cituibusq; omnibus cum mulieribus ſuis & liberis ſubitò emigrare iuſsis, igni uaſtato, Teroanæ Morinorum oppido in obſidionem fruſtraneam, XXVII. Iunij admotus eſt. Nam poſt integri menſis cunctabundam & ocioſam obſidionem, damnoſis factis inducijs, exercitus tantus, In oppugnato oppido, dimiſſus eſt.

Iam an. XXXVIII. Paulus III. Pont. Cæſare ex Hiſpania, & Gallo ex Frã- 1538.
cia, ad aquas Mortuas oppidũ ad Italiæ limites, uocatis, decennales, inducias inter utrumq; XVIII. Iunij fecit. Tum Gallus prior Cæſarem in Triremẽ ſuam adijt,

adijt, ubi dexteris & osculo pacis iuncti, sancitas à Pontifice, inducias, sacramento fidei firmarunt, Cæsarq; deinde in terram descendens, regem in Aquis Mortuis oppido uicissim adit: ubi noctẽ & diem cum hæsisset, ualedicto Rege, in suam se Triremem recipiens, Genuam unà cum Pontifice transijt. Vnde mox rursum in Hispaniam se transtulit.

1539. Hinc an. XXXIX. per Franciam instituto itinere (ad id ab Rege inuitatus & rogatus) in qua apud S. Sebastiani oppidũ, iuniorem Regis filium, Ducem Aurelianorum, honoris & officij gratia, sibi obuium XXVI. Nouembris habuit: ac mox ipsum Delphinum quoq; cum proceribus regni: Tandem apud Lochias opp. X. Decembris ipsum Regem, unà cum Leonora Regina, Regis uxore, Cæsaris sorore: actum per Lutetiam in principio Ianuarij an. XL. ubi magnificentissimè ab Rege exceptus & tractatus est: festoq; trium Regum ibidem celebrato, per S. Quintinum, comitante ipsum & deducẽte huc usq; Rege: & inde per Cameracũ, quousq; à dictis Regis filijs deductus est, in suam reuersus est Brabantiam.

1541. Postea an. M.D. XLI. Cæsar ex Brabãtia Ratisponã ad indicta Comitia, profectus, ubi cum paucitatẽ Principũ Imperij uideret, nec multos ad futuros intelligeret, ne tẽpus inaniter frustra expectãdo tereret, expeditionẽ in Africã adornauit, cõscriptoq; milite, illinc in Italiã profectus, Genuæq; naue cõscensa, recta Maioricam cursum direxit: exercitu Germanorũ, partimq; Italorũ ex Specie & Luca eodẽ nauigij perueniente. Atq; illinc traijciẽs Africano littori subAlgera oppido, q̃ petebat̃ XII. Octob. circa meridiẽ cum omni armatura, bellicoq; apparatu applicuit, summa aëris, marisq; trãquillitate: lusitq; quampri mũ omnẽ exercitũ partiem eadm die, partim sequẽti exponi in terrã. Verũ die tertia ad primã statim lucẽ, uentorũ obscurus quidã fragor, horribilisq; cooriri & incumbere Pelago cœpit, præsagis futurorũ exclamantibus undiq; nautis: subitoq; & in momento omne cœlũ & mare in tumultu immenso extitit, tempestasq; infinita exorta, summa cum imis, & ima cum summis inuoluit. Fulmina, tonitrua, cõtrarij uenti, nimbi furẽtes, omnia simul incessabiliter incũbere: terra, mariq; immensi horroris ac turbinis tempestas: Extremum mũdi adesse diem populus clamitabat: nullæ tum ancoræ, nulli ualuere rudẽtes Hanc nulla posset lingua idoneis satis & copiosis explicare uerbis. Et hoc erat nocentior, q̃d nullam ea maris pars tutã nauiũ stationem, nullum portũ haberet. In tantum fortuna fauit, quod nõ uel in aperto mari ea nos tempestas deprehendit, uel statim in ipsa, qua appulimus, aut altera die, ante quàm expositi oẽs in littus essemus, incubuit. Et ni in duobus summa Cæsaris prouidentia adfuisset, actum & tum quidem etiam de omniũ salute fuisset: tum q̃ omnem exercitum statim eadem diei parte, qua littori applicauimus, & tota die sequenti cum nonnulla comeatus parte & paucis equis, & paucis bombardis cãpestribus exponi in terrã curarat: tum q̃ montem, ad cuius radices Algera est, confestim sine ulla procrastinatione, abactis Mauris, qui ei ingenti multitudine insederãt, Hispano milite occuparat: castraq; magna militari solertia sic dispo suerat, ut Hispani montis superiorem partẽ: mediam & circa radices Germani, inter quos sua, pro more consueto, & defigi tentoria curarat: imam ad mare planiciem, Itali tenerent. Hæc omnia maxima Cæsaris & credo diuina prouidentia, prima post meridiẽ, & sequenti ante meridiem die, sine longa deliberatione, quæ præsentiss. haud dubie omnibus nobis exitium allatura erat, si longior extitisset, curata & ordinata sunt. Mauri Numidę cõmodiss. tãtę & tã infinitæ tempestatis nacti opportunitatẽ, urgentiss. ex ciuitate fermè ad ipsa usq; Cæsaris tentoria impressionem fecere, Italis erumpentium metu & pauore in fugam depulsis, quos mox Germanorũ instabilitatem & persistentiam fulcitũt occursus, à fugaq; trepidãte represit, & hostẽ ptinaci incursu intẽto intra

Tempestas Algeren.

mœnia

mœnia repulit. nos in carmine, quo eum tum præſentes tempeſtatem deſcripſimus, hos inter reliquos de Cæſare uerſiculos poſuimus,

Tunc ſtetit extremo, Cæſar tua maxime puncto
Fortuna, & tenui filo ſuſpenſa pependit.
Non tamen idcirco proiecta mente manebis
Deſperabundus. Rebus nam tentat iniquis
Sæpe ſuos Deus, ut melior fortuna ſequatur
Conſtantes animos, & pectora neſcia frangi.
Bis Cæſar magna peteret cùm claſſe Britannos
Naufragus, at rurſum conſarta in littore naue,
Perdomuit tumidos paucis Legionibus hoſtes.
Et Titum, Solymas numeroſis nauibus arces
Cùm peteret, rabidis reſerato carcere, uentis
Aeolus emiſſis, ponto diſiecit aperto.
Aſt ille intrepidus collecta claſſe priorem
Vincit fortunam, uotisq; per omnia compos,
Exſcindit uaſtam, eductis Legionibus urbem.

Itaq; naufragio inenarrabili accepto, Cæſar comeatu omni deſtitutus, & perdurante perpetuâ aëris intemperie, inq; hyemem iam anni parte inclinante, caſtra ab urbe adſequi circiter milliare: Orientem uerſus iuxta littus per obiectum flumen, neceſsitate compulſus remouit, ad eum locũ, ubi antiquam Algeram, aut aliam quandam ciuitatem olim fuiſſe, uetuſta indicant ueſtigia, & magnæ ædificiorum, lapidumq; moles atq; ruinæ.

Hic altera die ſupra caſtra, uerſus relictum iam oppidum, amplius quàm media uia, quadringentos plures ex promiſcuo homines (ut hoc exempli gratia, ad ſimiles cauſas ſolertia & induſtria frangendos, obiter interim referam) inter quos & ipſe eram, qui ad nauiũ in littus tempeſtate eiectarũ fragmenta pro ocio à meridie exploranda, num quis cibus fortè inueniri poſſet, excurrerant, intercluſos inter caſtra & relictam iam ciuitatem, per Mauros de montibus deuolantes equites, ego ſolus, ſubito inuento ſtratagemate à præſentiſſ. quæ irruit internecione, ſaluos ſeruaui: qui omnes ad unũ uſq; aut aquis, aut ferro periſſemus. Et multi ante, quàm in ordinem coëgiſſem, rerum perplexi in fuga trepidantes ab hoſtibus deprehenſi, in conſpectu noſtro multis tranſfixi ictibus ſunt, nonnulli in mare incurrentes, ut in fragmentis nauium, quo non putarent hoſtem pertingere poſſe, ſalutem quærerent, fluctibus deſæuientibus abrepti & inuoluti perierunt. In ſumma trepidatione, clamoreq; omnium, fuga nuſquã ulla patente, niſi aut in efferos à ſiniſtris furentis pelagi fluctus, aut in circumfuſum à fronte, à dextris & à tergo feruentem in ſanguinem noſtrum hoſtem: præcurri confeſtim, cum haſta, quæ mihi erat bipenni, quã, uulgò hellebardam uocant, ante omnes, & à fuga undiq; lætifera ingenti clamore, labore maximo, uerberibusq; plurimis, nulli parcens, neminem reformidans, trepidãtes & perplexos, dubioſq; rerum recuſsi, colliculumq; uicinum arenoſum cõmonſtrando, ſubitò ut occuparent clamabam, in armisq;, quantum quiſq; poſſet, parati perſiſterent, ad reſiſtendum potius & cum gloria moriẽdum (ſi cadendũ fortè eſſet, quod fore tamen, Deo adiuuente, nequaquam putarem) quàm ad turpiter per fugã, quæ nuſquam tuta ulla pateret, ſeſe hoſtibus mactandos præbere: aut fluctibus maris in præſentaneã mortem ultro immergere. Intellexerunt ſtatim nõnulli tum ex German. tum ex Hiſpan. & Italis meum cõſiliũ, & quid uellẽ: nec ſegnes, nec morãtes, eueſtigio in collem cõuolãt, moxq; quidã ex Germanis peditib. intellecto ſalubri cõſilio, in reprimẽda à fuga, promiſcua turba, me tamẽ nõnihil adiuuat Mulieres, pueroſq; (nã dixi ex promiſcuo & milites & non milites hic fuiſſe) eiulãtes uerbis increpaui, & uer-

Stratagema Mamerani.

& uerberibus mulctaui, & quicquid ad manus esset, uel nauium fragmenta, conti, stipites, baculi, lapides, in manus arriperent, & in telum uerterẽt, compuli. Nonnullos non audientes, nec salutem suam hic parari præ perplexitate & consternatione intelligentes, etiam armatos milites, hasta audacter in illorum ceruices inflicta, uioleter repressi, ad reliquosq; in collem cõpuli. Quosdam Hispanos præda ex nauibus onustos, quod stantes cum præda, eam de humeris, ut ad arma expediti essent, deponere nollẽt, in solum cum præda prostraui, ac cum quidam ex his grauiter hoc ferret, eductum ensem mihi intentaret, à reliquis, qui salubre meum consilium animaduerterant, pene dissectus est. Hic ego circumcursitans, ordine suo singulos, prout arma quisq; in manibus haberet, dispossui. Labor tantus hic mihi extitit ut totus, uelut flumini immersus permaduerim. Aderant & equites hic septem equis insidentes, quos sub colliculum à dextris locaui: pedites bombardarios circiter sexaginta his fermè iunxi, quib. uetui, ne in aduolantem hostem eiacularent, nisi summa incumbẽte necessitate. Reliquos super & circum collẽ, iuxta quod arma quisq; haberet, dispossui. Mulieribus & pueris, quos post collem uersum opp. relictũ collocaui, acerrimè minabar, nisi à fuga temperarent, & incumbentẽ hostem, quo possent telo, stantes referirent, aut si eiulatus ullos & clamores lamentabiles tollerent, me ista hasta omnes interfecturũ. Profuit increpatio. Nam trepidabant ad hæc uerba, credebantq;. Hanc solertiam animaduertentes Numidæ, qui circiter quinquaginta, aut paulo plures de montibus equites deuolarant, ingenti adhuc numero super monte consistente, minaciter quidem circũcursitando, incursionibus intentatis, uerum ubi consistere firmos nos, & in ordinem distinctos, nihilq; moueri animaduerterent, rursum citato cursu in mõtes se proripiunt, ibiq; inter dumeta sese illatebrant, respectantes, si rursum temerarij in fugã dilapsi, turbato ordine, ab inuicem dissipemur, ut reuolãtes in ea nos opprimant. Tunc prius maximus mihi, difficillimusq; labor incubuit, ut à fuga temerariam & improuidam multitudinẽ arcerem, ne ea animaduersa, in nos uagos iam & dissipatos, hostis reuolaret. Hic itaq; aliquandiu cum firmi perstetissemus, Numidasq; iam lõgius in montes progressos cognoscemus, progredi pedetentim uersus castra, seruato ordine indissipato pambulans, ne quis cõtra faceret, permisi: ubi si quẽ uel puerum, cursum in fugã intẽtare animaduerti, ille mihi pœnas luebat: donec quatuor signa peditũ Germanorũ (nam iam res ea in castra ad Cæsarẽ significata erat, quemadmodũ Maurorum incursu intercluſi de uita periclitaremur) cum erectis & uolantib. uexillis in occursum iuxta mõtis latus properantia, propè nos in pleno conspectu haberemus. Tunc pro suo quenq; arbitrio, qua diuertere uellet, dimisi. Sic sæpe in alijs & grauioríb. casib. unius alicuius hominis studiosa, & diligẽs industria, solersq; & acutum ex tempore consilium, multorum cõseruat salutem.

Hic itaq; (ut ad Cæsarem reuertar) residuis collectis nauib. quæ à tempesta te saluę adhuc supereſſent, in positoq; cum maxima difficultate ob indelinentem perpetuæ tempestatis rabiem, exercitu, omniq; ad minimam usq;, uilissimamq; personã, qui adesset uiuo homine remorantibus tantisper cum bombardis in Maurorum, si quam fortè intentarent, incursionem, omnibus cum ipsomet Cæsare, Triremibus, uela uentis concessit, & in puncto omnes ab se inuicem naues, ui tempestatis, quæ semper horrenda perseuerabat, ita aliæ alio dissectæ sunt, ut nunquam ferè una cum altera apparuerit. Suntq; diuerso tandem littori in Hispania, Italiaq; appulsæ. Cæsar primum Busiam, Africæ inter Tunetum & Algeram, Cæsareanis Præsidijs munitum oppidum & castrum, licet incendio totum uastatum, delatus, ubi & Gropaldi Galeõ nauis, in qua ipse eram, applicuit: illincq; Cæsar post uiginti & unum dies, quibus Busiæ, ob sæuissimas perpetuò tempestates, hæserat, soluens, Sardiniam,

Maiori-

Maioricamq; præterlegens, tandem post Natalem Domini Valentiæ in Hispania applicuit.

Deinde an. M. D. XLIII. Gallo Parpiniano opp. quod obsederat, fugato, 1543.
Cæsar Barcinonæ, numerosa cum exercitu classe consensa, in Italiam trajcit, non sine salutata in transcursu, exoneratis Triremium, Galeonumq; crebrius ad portum bombardis Massilia, iuxta præternauigata, Genuæ in fine Aprilis applicuit. illincq; per Insubriam & Alpes, Spiram in Germania cum exercitu contendit, quo in fine Maij peruenit. Vnde in Augusto mense, præmissis per Rhenum flumen centum & nouem grandib. bombardis, in Vuilthelmū Iuliæ, Cliuiæ, & Bergæ ducem, & tum, & ante cum Gallo, absente Cæsare ac pro mortuo, submerso scilicet in mari, iactato, Lucemburgiam & Brabantiam infestantem, exercitū ducit: quo Andernaci & Bonnæ exposito, Duræ opp. Iuliæ, quondam Imperij, paulo antè in uim fortuitam fossis aggerib. & præliarijs præmunito, totum admouet. Quod statim bombardarum iaculis pulsatum deditione postulata, irrisa & negata, uiolenter irrūpentibus Hispanis peditibus, expugnat & occupat. Nec adhuc uulgò eius ditionis, uerus esse Cæsar credebat, sed cōmentitius & Calcearius, qui ipsi similis esset (Tanta est uulgi, in persuasione semel admissa, pertinacia) nisi cum iam toto Iuliacen. Ducatu subacto, ipsorum principem in castris ante Venloā opp. Gelriæ sibi supplicem fecisset. Tum hoc impedimento sublato, succisoq;, totum eum exercitum in Gallum, alterum belli caput, conuertit: ductumq; per Leodien. & Brabanticam ditiones, Landritio Hannoniæ opp. à Gallo direpto & occupato, in obsidionem admouet, quod post longam, sed non bene consideratam Cæsaris & Angli ex uno tantum latere obsidionem, inoppugnatum tandem relinquitur.

Post hæc Cęsar finitis Spiræ Principum Comitijs, subsidioq; defensiuo ab 1544.
Imperio promisso x. Iunij conscriptum, in lacessentem & Lucemburgum iam occupantem Gallum, exercitum Metas uersus ducit: Illincq; post redditum Lucemburgum, Campaniam Gallicam cum milite ingreditur. Et obiter Linio opp. capto, ad S. Desiderij opp. pergit, ubi castra ad septimanas aliquot figit. Quod bombardarum globis grauiter feritum, per Hispanos & German. pedites frustra oppugnat: quod militem intus bellicosum & perstrenuem haberet, & qui potius mori glorioſe, quam deditiorem facere meticuloſe, paratus esset. Hic uirtute bellica clariss. Renatum, Auraniæ Principem, Comitem Nassauianum, bombardæ iaculo in munitionibus ante machinas bellicas & excubias per humerum dextrum traiectum perdidit, non sine ingenti & Cęsaris & totius exercitus mœrore & luctu. De qua re uberius in eius belli descriptione agimus. Tandem transactione dedito oppido, Cæsar ulterius per Campaniam, totum ducit exercitum: omniaq;, præter Chalonē opp. in quod permunitum, selectiss. & peditum & equitū prælidia Gallus imposuerat, oppida, incolis quidem, sed non bonis, uacua obiter offendit: præterq; omnem opinionem, etiam maximam, celeberrimāq; Suessionē ciuitatem. Tantum siquidem terroris ac pauiditatis tum Gallis iniectum fuisse ab aduolante Cæsare memorant, ut cōplures ex opulentioribus ipsa Lutetia, ab qua itinere equestri uix sesquidiei aberamus, relicta, in Aquitaniam usq; trāsfugerint. Ac tum Gallus missis legatis, pacis conditiones nouas petiuit, quas & obtinuit. De quibus rebus ōmnibus, nos in commentarijs rerum gestarum Cæsaris fusius ut diximus, memoramus. Reuersus itaq; Cæsar in Brabantiam, exercitum dimittit, cum Carolo duce Aurelianens. Regis Gall. filio, qui apud Crepiū opp. post firmatas pacis conditiones ad Cæsarem uenerat.

Iam deinde anno. XLV. Cæsar absolutis VII. Augusti apud Vuormatiam Comitijs, alijsq; Ratisponæ ad futuram anni sequentis æstatē indictis 1545.

Brabanti-

Brabantiam repetit: Vnde mox rursum in Octobri euolat, Ratisponã ad assignata Comitia pergens. Hic cum perpauci Principes compararent, declaratis proscriptioni, hoc est, Anathemati & Banno Imperiali, Ioanne Friderico Duce Saxoniæ Electore: & Philippo Comite prouinciali Hessiæ pro inobedientibus, conscripto exercitu, utrunque sub obedientiæ iugum redigere decreuit. In quo etsi non defuit ipsius proposito & uotis successus, tamen cum ciuitates complures Imperij, ei se rei, præter opinionem Cæsaris, uires undique maximas cõflantes, miscerẽt: dictiq; duo cum potentiss. copijs tum suis, tum Ciuitatum, tum aliorum quoque quorundam Principum, eo usq; ferme excurrerent, non potuit recta, sicuti decreuerat, uel in Saxoniam, uel in Hessiã ducere militem: sed coactus aduolãtibus mox in uicinijs occurrere, bellumq; trahere, & exercitum iuxta tenere contra aduolantis, in oppressionem, hostis potentiam, Ciuitatumq; in existimationem contra se manum, dictis duobus auxiliari ope porrectam.

Hic tota æstas, non sæpe, nec longè uariatis locis, iuxta se inuicem, utrinq; minaciter quidem, & insidiosè, sed sine commisso & designato prælio tracta & trita est. Tandem in hyemem uergente, non tulit brumalis & inhorrescentis cœli inclementiam, neq; perdurauit in campis, pars aduersa. Tum in suffugientes instaurata expeditio est: misso primum inuestigia cum suo milite, Burano Comite: sed capitis prius maiore ex parte deditiõe ijs, quæ suppetias & auxilia Electori Saxoni & Hessorum Principi in id bellum tulissent, Ciuitatibus quibus expeditis & sub obedientiæ fidem una cum Vdalrico duce Vuirtembergen. redactis, Saxoniem XXIII. Martij ex Nurnberga cum exercitu ingreditur. Succurritq; ipsi, VII. Aprilis apud Aegiam Voitlandiæ opp. Ferdinandus Rex Romanorum frater, cum Hungarorũ exercitu. Nec lõge pòst, id est, XXIII. Aprilis traducto per Albim fl. equestri exercitu, fugientem ab altera ripa dictum Electorem Saxoniæ ad tria usque milliaria ipsemet persequitur, fusisq; & dissipatis eius copijs, tam equestribus quam pedestribus, ipsum capit.

Hessum deinde XVIII. Iunij apud Hallas Saxoniæ, deditione supplicem accipit, & ex conditionibus & causis captiuum detinet. Ex Saxonia deinde confecto bello, eiusq; duobus capitibus captis, reuersus, Augustam Rheticã, cõuocatis ad noua ibidem Comitia principibus Imperijq; Ordinib. XXIII. Iulij ingreditur. Ibi compositis & ordinatis bona ex parte Imperij, totiusq; Germaniæ in cõcordiam & tranquillitatem, annuo spacio rebus: & Religione atque Ecclesiastico statu, usque ad futurum Concilium, promulgato concordibus omnium animis & uotis super ea re, & ædito publicè decreto, reformatis: Senatuq; urbis Augustanæ simul de nouo deductis quibusdam ritibus constituto & ordinato: & finitis ultima Iunij anno M. D. XLVIII. Comitijs. XIII. Augusti Augusta discedens, eductis secum urbe Præsidijs peditum (præter duo signa) ac dimissis, per Vlmam (in qua & ipsa nouum Magistratum obiter ordinat, concionatoresq; edicto repugnantes, officio remouet) & Spiram, Vuormatiam, Moguntiam, Coloniam & Mosætraiectum, Bruxellam Brabantiæ reuertitur XII. Sept. Eius nos belli uires omnes & ordinem in Catalogis utriusq; expeditionis, quos nuper ædidimus, posuimus: ubi & Bremen. conflictum simul historica fide retulimus. Totum autem historiam huius, in commentarijs nostris.

LABO-

LABORES CAROLI V. IMP. DI-
STICHIS COMPLEXI, PER

MAMERANVM.

HErcules edomuit monstra ut mentita per orbem:
Vera ita tu superas, uiuaq; monstra domas.

1 Primùm compescis communia cuncta uolentes
Hispanos, subdens perfida colla iugo.

2 Tum mox deturbas excelso uertice Mauros,
Saluificam Christi, qui renuêre fidem.

3 Ad Papiæ inflatum capis ipsum mœnia Gallum
Inclyta, cum socio Rege Nauarro tuo.

4 Tum caput Imperij capis & cum Præsule Romam,
Te ignaro miles fecit at ille tuus.

5 Supprimis & subitò rurestres Marte tumultus,
Omne ex communi, qui uoluêre bonum.

6 Trans mare Tunetum, Oenobarbo Marte repulso,
Cum Galeothæa protinus arce capis.

7 Ausumq; Austriacam, Turcam obsidione, Viennam
Cingere, cum magno, Carle, pudore fugas.

8 Compescis subitò Germanos Marte rebelles,
Saxo quod sensit, Hessus & ipse satis.

9 Tumq; per ædictum componis Relligionis,
Turbatam faciem, quomodocunq; potes.

PAPIENSIS OBSI-
DIONIS ETEORVM QVÆ IN EA AC-
CIDÊRE HISTORICA NARRATIO, AB HADRIANO Barlando Professore Louanienſi conſcripta, Anno 1525.

ADuersus Carolum Quintum Hispaniarum Regem, & iam Electum Romanum terra mariq; præpotentem Principem spiritus erigere est ausus Rex Galliarum Franciscus, eius nominis 1. uel quia prælatum sibi in Imperio ægrê ferret, miserat enim & ipse non unam legationem ad Electores sacri Imperij, uel quia illustrandi nominis occasionem quæreret. Siquidem persuasum est, nescio quomodo Christianis regibus haud fieri posse, ut alia uia, quàm bellis inter se gerendis, imò fortasse uerius dixerim, exercendis spolijs immortalitatem parent. Itaq; belli huius initio Gallus quædam loca nostratibus, nostrates Gallo ademêrunt. Vtrinq; à belli Imperatoribus res curatæ haud segniter, quid casu, quid industria, parari possit, hinc atque illinc prospectum est. Tandem & Mediolanum Gallo ademit Carolus. Eratq; suprà M. D. Vigesimus quartus à Christi natali die annus, quum Septembri mense exercitus Cæsarei Massiliam obsiderent Vrbem insignem & antiquã Galliæ. Duces exercitus erant Carolus Borboniæ princeps, qui nuper ob causas, ut fertur, iustissimas, à Gallo ad Cæsarem defecerat, & Marchio Piscariæ uulgò sic nominatus, ambo uiri, ad omnia uel excogitanda, uel explican-

da consilia, prudentissimi. Gallorum Rex Franciscus, per idem tempus, ex diuersis Europæ locis, acri delectu undiq; habito, magnos contraxerat exercitus, ad soluendam Massiliæ obsidionem. Huc iri, huc properari, noctes diesque cùm audissent Cæsareæ duces militiæ, relicta Massilia, copias aliò suas abduxerunt. Erat enim uiribus longè superior Gallus. Cui cum renunciatum esset, totam ferè Insubriam, pestifero morbo uastatam, grassari sæuireq; in dies hoc malum inclementius, cum tàm instructo exercitu Italiam petere constituit, cuius bonam magnamque partem se sperabat facilè, & paucis quidem diebus, in suam potestatem redacturum. Is mira igitur & incredibili celeritate, superatis Alpibus, ineunte Octobri, agrum Mediolanensem attigit. Interea pari studio est eò properatum à Cæsarianis Ducibus. Hi Papiam, aut (ut ueteri dicam nomine) Ticinum, illius Duces cum equitibus aliquot Mediolanum ingressi sunt, Regi & copijs eius hospitia petituri. Hæc agitantes subitò oppressit Ferdinandus Archonus, qui præfectus erat Castrorum Cæsaris. Intra mœnia occisi aliquot, cæteri qua poterant fuga dilapsi. Haud multò pòst Neapolitanus Vicerex, cum suis & ipse copijs eò properauit cuius aduentu principis, dictu mirum, quàm tota exultauerit ciuitas. Ducibus in animo erat huc uniuersum traducere exercitum, Vrbemq; defendere, si quid Gallus moliri uellet. Sed dum neq; muro, aut uallo satis munitam, neque in turribus & propugnaculis quicquam bellicarum uidissent machinarum, relicta ea, Laudam Pompei uenerunt, deinde Papiam (sic enim nunc libet notiore uulgò appellare uocabulo) Dux concessit Cæsareus Antonius, cognomento Lyeua, uir in primis strenuus. Quanquam æstate, quæ præcesserat, ingentem ciuium uim absumpserat morbus pestifer, Antonius tamen oppidum hoc defensurum se facilè sperabat aduersus gentem Gallicam: Sub Idus itaq; Octob. hostium exploratoribus in Papiensi agro conspectis, Dux ipse una cum præfecto Castrorum Cæsaris mœnia obequitans, muniri loca omnia, ferrea, & ærea tormenta, globosq; tormentarios subuectari, aggerem intus substrui, denique nihil non eorum parari iubet, quæ ad accendum hostem pertinere existimaret. Dum hæc Papiæ aguntur à ciuibus & milite, qui intus erat, Gallorum Rex cum suis proceribus ad Carthusianorum haud longè ab oppido dissitum cœnobium, uenit quinto Cal. Nouemb. eodem tempore, & ab huius exercitibus obsideri, & oppugnari cæpta est Papia. Hîc Cæsariani, una atq; altera impressione sustentata, Gallos quàm multos trucidant, alios in fugam agunt. Postridiè uniuerso Ticini occupato suburbio, Galli molendina (sic enim uulgus nominat, quibus ad uictum quotidianum paratur farina ciuitati) partim ferro subuersa in flumen præcipitant, partim ignibus dedunt, ita futurum sperantes, ut his sublatis, propediem panis laboraret inopia ciuitas. Verum huic malo statim occursum ac inuentum est remedium, factis intra mœnia ligneis huiusmodi molis, quas equi pariter ac homines in gyrum agerent. Hic passim in sacellis, in scholis legum ciuilium (est enim hæc Vrbs gymnasio quoq; insignis) farinam parari uidisses. Turricula erat in ripa Ticini haud longè à mœnibus, unde Hispanorum armata manus facilè Gallum prohibebat, ne ad Vrbis murum accederet. Hîc certatum aliquandiu cùm esset, neq; rebus indies pessum euntibus amplius ferre uim hostium possent, Hispani corporum pacti incolumitatem, se dedunt. Victor Gallus contra fidem datam omnes, qui eum paulò antè locum tutati fuerant, suspendio necauit. Quam rem ut par erat, iniquissimo tulit animo Dux Cæsareus. Turrim Papiensibus ademptam Gallorum aliquot pedites conscendunt, omni telorum genere diuexantes Germanum qui ea parte ad tuenda mœnia dispositus erat iussu Ducis Antonij. Tandem eò aduecta machina, quæ huic finem incommodo maloq; fecerit. E muro enim, ferreis iniectis globis, nõ sine Gallorum

lorum ſtrage corruit turricula. Octauo idus Nouemb. de communi ſententia ad oppugnandam urbem totus fermè exercitus rapitur, magnoq; bellicarum rerum apparatu inſtructus, ad ipſas quoq; foſſas, admouetur. Qui intus erāt, uaſa lignea, terram, alia multa comportare, aggeres erigere, nihil hoſti opportunum relinquere, nihil ſibi quod idoneum ad depellendum eſſet neglectum permittere, Hoc ſtatu rerum Hippolyta Maſſalpina, ſingularis animi mulier, nunc plures Germanos Hiſpanoſque, nunc ſingulos coram benignè appellaſſe, fortes confirmaſſe, timidos erexiſſe, alios alia ratione cohortata, &, ut bonum haberent, animum, iuſsiſſe traditur. Biduo pòſt diſiectis primùm haud uno loco muris bombardarum ictibus, acerrimè pugnatum eſt, dum neutri cedere loco uolunt. Tandem ſtrage multi ſuperati Galli, alij interficiuntur, alij in foſſas præcipites dantur. Hoc nondum peracto prælio, Galli, alia urbis parte, ciues multa ui oppugnant, ſed maiore aliquantò ij ſe defenſitantes reſiſtunt. Interea Antonius Lyeua Cæſareorum Dux exercituum ſuos admonere, nihil pulchrius eſſe, quàm pro gloria certare, meminiſſe eos debere, cum hoſtibus rem geri, quos ſæpè alias uiciſſent ipſi. His uel paucis accenſi milites ferocius multo ad pugnam proceſsêre uictoriam ſibi certam promittentes. Fuſus tandem ſub ueſperam Gallus, multi cæſi, multi infoſſas præcipitati & lapidibus obruti, quorum caſu conſeruati, alij de ſerta oppugnatione trepidi ſe in caſtra recipiunt. De hac uictoria Antonius ſtatim datis ad Viceregem Neapolitanum literis, fatigatum militem paſſus eſt conuiuijs ac luſibus ſe reficere, & quietem capere. Interim ipſe haud decere exiſtimans principem uirum, cui exercitus commiſsi ſunt, in cuius cura pendent rerum tanta momenta, ſolidam dormire noctem, qui fracti erant aggeres inſtaurandos, trabes, grandia ſaxa in munitiones deferenda curat, urbem que obequitans nihil uſque neglectum patitur. Vrbe tota ſupplicationibus decretis, immortali Deo ſunt actæ pro uictoria gratiæ. Per eoſdem dies apprehendit equitem quendam Antonius, qui Gallorum Regi ſignificaſſe dicebatur, in urbe multam eſſe pulueris tormentarij copiam, uigilaret ipſe, haud fieri poſſe, ut obſeſsi reſiſterent diutius. Hic talis quæſtioni ſubiectus crimen confitetur, ac publicè exenteratus, membratim diſſecatur, ad omnem proditionis materiam in futurum tollendam. Sub exitum menſis Nouembris Galli animaduertentes, qua parte oppidi labitur Ticinus amnis, ſine foſſa & uallo eſſe mœnia, ſtatuerunt ab alueo ueteri, in aliam partem aquas deriuare, ut ita facilius ad patentia Vrbis mœnia peruenirent. Res tentata, coniectis in alueum trabibus, ramis & arborum truncis maximarum. At non ſucceſsit, impediri enim haud potuit, ne in conſuetum recurreret locum Ticinus. Hîc dum Gallus in caſſum per dies aliquot laborat, Cæſariani interea totam eam quæ fluuium ſpectat partem, excitato aggere muniunt. Secundum hæc milites Germani cateruatim ad Ducem concurrentes, ſtipendia ſibi debita exigere, unde ſe ueſtiant, unde uentrē quoque ſatis faciant. Dux Antonius, audita militum querela, cum nihil ſuppereſſet nummorum, animo uehementer anxius diuerſa ſecum, & cum ſuis conſilia agitare cœpit. Decretum eſt tandem, ut Mercatores pannarij militem ueſtirent, obſidione ſoluta à Cæſareo quæſtore pecuniam accepturi, nummos exteri mutuo darent, uerùm hinc modica coacta ſumma eſt, rari enim ciues, rarus erat in urbe mercator, bonam namque ciuium partē ſuperior abſumpſerat peſtilentia, multi quoq; iam impendente obſidione, Papiam reliquerant. Præfecti igitur oppidi & magnam ſalis quantitatem, & quod mutuum ab Alexandrinis quibuſdam negotiatoribus, qui eò uenerant, accepiſſent frumentum, publicè uendiderunt. Sed ubi nec his quidem modis tantum contrahi potuit ſignatæ pecuniæ, ut militi ſolueretur, nobilis Dux Antonius, ſua argentea uaſa omnia

conflari, & in nummos conuerti iussit, undè stipendium est militi submini-
stratum. O uirum cantari dignum. Hic argenteam suppellectilem, ut bellum
gereret, ciues defenderet, conflauit. Alij ut ciues suos expilent, ut aurea &
argentea uasa comparent, bella gerunt. Crescere cœpit hoc tempore obsidio-
nis calamitas, tanta enim laboratum est inopia rerum omnium, quæ ad uic-
tum pertinent, ut equinæ carnes & asininæ obsessis pro cibo fuerint. Mali
huius datam causam existimo, quod ubi haud multò antè allatus intra urbem
nuncius fuisset, Caroli Cæsaris propediem uentura auxilia, in magno & pu-
blico gaudio exercituum Duces, prandijs aliquot nimis opiparis militem ad
hibuerant, unde penuriam absumptis omnibus nasci fuit necesse. Per eosdē
dies etiam lignis ad cibum coquendum deficientibus miles pulcherrimas ci-
uium ædes diruit. Tam durum est telum necessitas. In his malis lacessere ob-
sessum Gallus Germano excubias agenti, Asininæ carnis esum exprobra-
bat. Quibus commoti illi per Castellum Protomartyris uicinum ædiculæ se
propipientes, Gallorum unam cohortem fudêre. Hic addunt quidam homi-
nem ad Antonium, qui urbi & copijs præsidebat, ab Rege Gallorum ex
trusum, ut de tradenda sibi in manum Papia cum eo ageret, futurum ut
à Rege magnam auri uim, atque annuos acciperet prouentus amplissimos.
Ad quæ uerba Dux egregius, quanquam fidem muneribus anteferret.
Te, inquit, cum tua istac præclara legatione laqueo uitam hodie finire iu-
berem, nisi cognita mihi esset in te morum probitas, uitæque sanctimonia.
Fuisti enim mihi aliquando à confessionibus, proinde abi, neque de re hu-
iusmodi posthac me adeas. Regi tuo, qui huc te misit, renunciabis, Papiam
Cæsaris esse, quam si ille suam esse uelit, armis & suorum sanguine nobis adi-
mat oportet. Nihil remisit per hos dies rerum omnium caritas. Iam una eme-
batur gallina semiducato. Paulatim res eò inualuit, ut uix equinæ & asininæ
reperirētur. Quum obsessi penè quotidie in hostium castra excurrerent eosq;
sæpius nihil tale metuentes adorirentur. Gallus ambitum Vrbis, quantus es-
set fossa & uallo cingere festinat, ne Papiensium exploratoribus, si quando
exissent, facilis esset in urbem reditus, neq; auxiliares copiæ ad obsessos ingre
di sine pugna ualerent. Rumor enim in Castra Gallica manauerat, septē Ger-
manorum millia aduentare subsidio Cæsarianis, easq; copias ad Ciuitatem
Laudensem profectas, partim intra muros, partim sub mœnia consedisse.
Hac item causa Rex Galliarum, magnis stipendijs oblatis, maioribus pollici-
tis, ad se accersiuit Ioānem Mediceum bellicosum, acrem, atq; in uictorijs enu
tritum uirum: Qui in Regia Castra cum armata peditum manu peruenit pri-
die Nonas Decemb. Huius aduentus spem uictoriæ magnam Gallorum du
cibus, maiores Regi spiritus, excitauit, qui sub appulsum candita uexilla quin
decim, haud longè à ciuitatis muro disposita, ostentat, ita futurum ratus, ut
nouitate rei, & spectaculo insolito, perterrefaceret hostium animos, dehinc e-
iusdem pedites, admotis ad urbem scalis, eam capere sunt conati. Sed accur-
rens tempestiuè Germanus, impetu facto, militem Mediceum facilè deijcit.
Iterum stipendia efflagitare Germani, quibus et strenuis, & in eo rerum statu
necessarijs militibus, ut per omnia satisfieret Antonius à Canonicis tēpli ma-
ioris multum accepit, fasces, insignia, uel argenteos, ut puto, baculos, qui Ti-
cinensis scholæ rectori ad comitia, uel eunti aliò, præferri consueuerāt, etiam
mutui nomine acceptos, in nummum cōflat, à singulis quoq; ciuibus aliqua
pecuniæ portio data est. Acceptis hinc stipendijs, Germani, quocunq; res uo
caret alacriter ire, nusquam Imperia detractare, nulla non iure officij memo-
res esse. Per hos dies multò erat annona carior, & cibariorum inopia maior:
Nusquam nunc uidisses in foro uenales perdices, turtures, & fasianos. Por-
rum & cepæ in horum successerant locum, in macello tantum equina & asi-

nina,

nina, panis furfuraceus, per omnia Vrbis loca uenundabantur. Iam dominici natalis aderant feſti dies, quo tempore Alphonſus Ferrariæ princeps, magnam tormentarij pulueris copiam tranſmiſit ad regẽ Gallorũ Franciſcũ. Hic puluis ut tuto caſtris inferri poſſet, Ioannes Mediceus cum ſatis magna equitũ manu, ad ſeptuaginta paſſuum millia contendit obuiam. Aduecto puluere, Gallus exultans, minitabatur ſe colubrinis, bombardis, omni armorum genere Papiam breui oppugnaturũ. Hic ingens terror, ac trepidatio ciuitatẽ inuaſerat. Virgines, matronæ, ſacerdotes templa adire ac diuorum opem implorare iuſsi, pacemq; per aras expoſcere. In tanto metu ualde confirmati ſunt militũ pariter ac ciuiũ animi, quũ inſignis Dux Antonius, in ſenatu literas recitaſſet, quibus à Vicerege Neapolitano certiores fierent, cũ octo Germanorũ militibus, & ſexcentis è Burgundia equitibus in Veronenſem agrum, uenisſe Ducem Borboniæ, ad futurumq; eum propediẽ. Extitit paulò ante hos dies frigus atrocius, ut rurſum neceſſe fuerit ex ciuium domibus, ligna ac trabes ad ignis uſum reuellere. Nonis Ianu. Galli turrim quandam in mœnibus ſitã, machinis & tormentis æneis quatere incipiunt. Biduo continenter quaſſata, ex parte concidit. Hoſti præter ſpem hæc res euenit, conſtituerant enim, ſi tota corruiſſet, per ruinas eius in urbem ingredi, id quod facto non difficile fuiſſet, nulla enim foſſa ad eam erat Vrbis partem. Haud multos poſt dies arcem quandam ſtrenuè magis quàm feliciter oppugnare adorti magna ſuorum ſtrage à foſsis mœnibuſq; ſunt repulſi. Quamquam nec Germanis, qui arcem defenſitabant, incruenta hæc fuit uictoria. Poſtridiè Hiſpani cum Germanis uallum conſcendunt, magnoq; impetu in tormentorũ cuſtodes illati, prælio cõmittunt. Cæſis plerisq;, alios in urbem captiuos ducunt. Iamq; tertiũ ſtipendia petentibus Germanis, decretũ eſt, ut cupedinarij, lanij, pharmacopolæ, cæteriq; ciues, qui opificio manuario quæſtum facerẽt, aliquã darent æris portionẽ. Antonius ipſe ut nuſquã non eſſet ſui ſimilis, quod geſtabat aureũ monile conflauit, Hiſpani armorũ Duces quidã opulentiores, mutuũ dederunt. Hac pecunia placatus miles, Ducibus ſuis per omnia paruit. Taceo hoc loco crebras Ticinenſium in Gallos eruptiones, & pugnas, & leuia pleraque inita certamina, quibus nunc cæſi multi, nunc multi etiam capti. Sexto Cal. Feb. Dux Borbonius, uir fortis, & multis rebus geſtis clarus, repente cũ ualida manu apparuit in agro Laudenſi. Hæc res ad Gallũ ubi manaſſet, poſtridie mane tormenta omnia, quæ urbis mœnia ſpectabant, auehenda curauit ad locũ, qua uenturas putauit hoſtium cõpias, ita prohibiturus ne propius accederent. Militẽ quoq; in urbeculis, quas occupauerat, hyemantẽ, ad caſtra uocauit. Borbonius uerò & Vicerex Neapolitanus, ubi iam Gallos adoriri ſtatuiſſent, rati quod poſtea euenit, ſuperiores ſe futuros, cũ ſuis iã propius acceſſerant exercitibus. Iamq; dies uenerat ſextus ante Cal. Martias, quo tẽpore ex loco caſtrorum eminentiore Papienſibus, qui plus quatuor iam menſes inclu ſi tenebantur, belli data ſigna. Quod ubi intellexit copiarum Cæſaris in Vrbe obſeſſa præfectus, mire exultans, bona enim ſpes habebat animũ eius futuræ uictoriæ, conuocatis ſuis. Nunc animis opus eſt milites, inquit, uocati nos fortunã ſequamus. Nacti uirtute eſtote, qua me euntẽ uidetis, ſequimini Ducẽ. Hæc ubi dixit relictis qui urbem tuerentur, copias educit. Primùm omniũ tribus locis effracto arietibus, caſtrorum muro, qui Gallias acies egregiè tuebatur, Cæſariani uallum irrumpunt. Rex ubi hoſtem intra munitiones eſſe audiuit, ſub auroram, iubet una cum bellicis machinis obuiam ire armatos, qui reſiſtant & Cæſarianos prohibeant. Itur, pugna committitur uaria, atrox, cruenta. Et iam Galli noſtratium bellica inſtrumenta maiora obtinuerant, Cæſariani pedẽ retrahebant, quũ Alfonſus Marchio Guaſtienſis, uir conſerendis manib. audacior, in Gallicas penetrauit acies. Cuius aduentu reſumptis animis

nostri in hostem (erat hic Heluetius) redeunt. Voces pugnam instaurantium Cæsarianorũ, exaudiebantur, cędite gladijs, figite hastis, iterate iaculis, hactenus ita prælusum est futuræ pugnæ. Iam Borbonius singulari prudentia uir, et bellicis rebus cuilibet ferè ueterum comparandus, ita suos paucis quidem, sed efficacib. uerbis hortatus dicitur. Nihil refert uiri fortissimi, quot peditũ, quot equitum millia Gallus ad Papiam adduxerit, quando cũ longe maioribus copijs sæpius ac prosperè semper conflixeritis. Adhibete modo animos alacritatis ac fiduciæ plenos, haud enim in limine uestrorum laborum, sed in exitu statis, Gallorum (ut spero) uictores domum reuersuri, si paulum adhuc niti ualueritis. Credite uos ad prædam & gloriam, non ad prælium uocatos. Digni estis qui talibus, quibus abundant hostium castra in patriam onusti redeatis. Ad quę Ducis optimi uerba sequutus ingens militum clamor se omnino paratos esse dicentiũ Imperatorẽ suum per æqua & iniqua sequi libenter ituros ad Vnum omnes, q̃ ipsius fortuna duceret. Iam & Mingaualius aderat Vicerex Neapolitanus. Is quoq; militem hortari, ut acriter pugnaret, sciret illius uictoriã diei, Galliarũ maximas opes in prædã Cæsarianis daturã. Hæc ille & alia similia, quæ in tali discrimine à facundis Imperatoribus adhiberi solẽt. Ex aduerso stabant instructæ aduersarum partiũ acies. Et iam tubis canere incipientibus, renouatum est prælium magnis & infensis utrinq; animis, nec spẽ militũ dissimili. Cæsarianis sua uirtute, hostib. militũ copia fretis. Marchio Piscariæ Cæsarianus ante suorum nunc ora ferri, nunc hostẽ inuadere, peditẽ immittere, hortari uoce, manibus significare socium adesse se periculorũ omniũ atq; adiutorem, uidisses hic Borbonium ferientẽ, cædentẽ, in hostẽ incurrentẽ, uulneratos ex acie subduci iubentẽ, integros submittentẽ. Multi utrinque uulnerabãtur equi & uiri pediti pedes, equiti eques, singuli penè singulis aut ense aut hasta sibi aduersi pugnabant. Rex Galliarũ uir militari disciplina, tũ corporis, tũ animi uirib. æquè clarus, & ipse fortiter dimicans, unius uexillifer ũ legionis Germanicæ, an Hispanicæ incertũ est sua manu confodit. Horã ferè unã dubius fuit, & anceps pugnæ euentus quũ repente suorũ casu pedites Galli consternati, primum loco cedere, mox terga simul uertere cœperunt. In prælio trucidati à Germano milite Sueui propè omnes, & qui pro Gallo steterant Itali. Ex Heluetijs mille quingenti, Duces quoq; Francorum exercituũ præstantissimi. In quibus clarissimis præfectus una cum filio, Dux Monfortius, Princeps Tremolius, Busius, Chiamonius, Bubausius. Iacebant humi passim, equis effusi nobiles pariter & ignobiles. Quidam adhuc palpitantes, alij ut suo uestitu obriguerant, aut ensem, aut parmã tenentes. Crudelis ubiq; luctus, ubiq; pauor, & plurima mortis imago. Stabat iam Rex Galliarũ undiq; telis expositis, cum suis hortantibus, ut re iam inclinata è prælio excederet. Non faciã, inquit, hic extingui pulchrum mihi & laudabile existimo. Ea sum stirpe, ijs maioribus ortus, ut non tam longam uitam quàm nominis æternitatem optare debeam. Hęc ita locutus, cum suis iam ad salutem magis, quàm in spem uictorię aduersus hostẽ dimicat. Verùm ubi extrema acies à Cæsarianis est equitibus circumuenta, & à fronte alij urgebant infestius, Rex Franciscus uiribus, auxilioq; destitutus, capitur, & cũ eo Rex Nauarrę, alijq; plurimi nobiles uiri, Pontificis Romani legatus, Princeps Mamoransius, Florenges, Lescu, Bonaualle, Durantius, Bosula, Brion, Valmontius, Obeguinus, Santememius, Camesiẽsis, Lorges, Naures, Riaus. Et militibus gregarijs, qui profligata acie auffugere sunt conati, multos cum totis armis in Ticinum desilientes, rapidus amnis absorpsit. Alij ab occursantibus media planicie equitibus interfecti, capti sunt alij. Horum tanta multitudo ut capientium numerum uicerint. Quos omnes postea armis exutos, Borbonius incolumes dimisit. Cæsorum in prælio numerum, quidam ad Septem, alij ad decem millia redigunt.

Nec

Nec tamen incruenta hæc ſtetit uictoria, Cæſari in cuius exercitu præter inſignes aliquot duces octingenti ferè, deſiderati. Alenconius princeps Gallicarũ partium, uidens ſuorum ſtragem, quadringentis cum equitib. ex hoſtium manib. elapſus, Galliã uerſus q̃ maximè citato curſu contendit. Hanc uictoriam cum qua nullius unq̃ ueterum Imperatorum nec laureas, nec auratos currus poſſe comparari exiſtimo, Cæſariani nocte quæ diẽ Matthiæ Apoſtolo ſacrũ præceſsit adepti, cum præda, captiuiſq̃ regib. ac tota ferè Galliarum regni nobilitate, Papiam ouantes repetunt, magna ciuium quoq̃ Lætitia & gratulantium, acclamationib. urbẽ longa iam obſidione liberatã ingreſſi. Hîc ſi unquã aliâs, nihil omnino res hominum cernere licuit, quum Rex paulò antè copijs egregiè ad belli uſus tum armis, tum exercituum ductoribus, ac bellandi peritia inſtructiſsimus, repente omnibus & copijs & armis exutus, in poteſtatem hoſtium uenit.

NOVA QVOMODO A' CÆSARIANO EXERCITV SEXTO MAII, ANNO M. D. XXVII. CVM IMPETV VRBS ROMA capta, expugnata, & deſpoliata ſit.

Die ſexto Menſis Maij hoc anno M. D. XXVII. eſt urbs Roma à Cæſariano exercitu capta. Cæſariani apud Campũ ſanctũ, & monaſterium ſancti Honofrij, cum impetu irruerunt mane è regione Xenodochij Sancti Spiritus, & Hiſpani primi erant.

Deinde Hiſpani milites primum poſt Campum Sanctum & Germani ſub Sancto ſpiritu ſuburbium cœperunt & ſupra quinq̃ millia uirorum occiderunt. Cæſarianorũ forte ſexcenti ceciderunt, attamen maior pars Hiſpanorum, inter quos Dux de Borbonia occubuit primus. *Dux de Borbonia.*

A' prandio oppugnabant Vrbẽ ipſam Romã, ad Portã trans Tyberim & Sanctum Pancratium. Papa mane in Caſtellum Angeli confugerat, cum duodecim aut tredecim cardinalib. Dominus Renſo de Sera Viſinorũ caput. Batarius, Iacob. Saluiati, Albertus Comes de Carpo, Francus Ambaſiator, cum multis Bancarijs Florentinis & Epiſcopis capti ſunt. Porta autem trans Tyberim in duabus horis eſt capta & expugnata. *Papa.*

Poſtea irruerunt in urbem Romam trans pontem Xixti, urbem cœperunt, plures occiderunt, ſpoliarunt & deditos ſuſceperunt.

Per decẽ integros dies, Eccleſias, Gynecia, Monachos, Moniales, & Cardinales, Epiſcopos, Prælatos, Bancarios, ſpoliarũt, deditos cœperũt, libros, regiſtra lacerarunt & cõbuſſerunt, in quib. multorũ negotiorũ magnæ erant cauſæ, ita quod omnes plateæ plenæ iacuerunt papyro, & libris ac bullis laceris.

Sãcti Petri Eccleſiam & Diui Pauli tẽplum & alias egregias ædes ſacras omnes ſpoliarunt, Corbonas, calices, ueſtes ſacras deſtruxerunt, uiginti aut triginta domus excuſſere. Dominicum de Maximis diuitem Romanum & Vrſinum cœperunt eiuſq̃ filium uiginti ſex annorum occiderunt.

Cardinales capti ſunt hi, Cardinalis de Sena quem peditum Dux è domo ſua captiuum duxit, domo prius expugnata, & omnibus ablatis, Cardinalis de Valle, Cardinalis Cæſarinus, ambo Romani & Columnenſes, Cardinalis Põzetꝰ, Cardinalis Aræ cœli ordinis minorũ de obſeruãtia, Cardinalis Minеruæ Caietanus, ordinis prædicatorũ, omnes, & capti ſunt, et ſeſe dediderũt.

Hiſpani præcioſiores domos occupauerunt certoq̃ pręcio æſtimauerunt.

Tum poſt ſex dies pedites alij ægrè tulerunt Hiſpanos poſſidere præcioſiores domos, repẽte eaſdem domos oppugnarunt, ſingulaq̃ obuia abſtulerũt.

In templo Sancti Petri, Cæſariani, multos Heluetios, ſatellites Papæ atq̃ Italos ante altare occiderunt.

Papa manſit in Caſtello, emiſit globos tormentales: ultimo Maij ſe nondũ

dedidit,decimo tamē Iunij se uictum dedit Cæsa.Maiest. eo pacto, ut per nouem menses,militibus pendat integra stipendia. Cæsari quoq; ut dedat Hostiam ciuitatem ueterem,& ciuitatem Castellanam, suamq; ipsius personam, omnes arces & urbes inter Romam & Neapolim sitas.

Multi ex deditis & captis Romam exeunt, attamen nulli Cardinalium id ipsum conceditur. Decimo die Maij aduenit Cardinalis de Columna militibus aliquot comitatus, & secum uenerunt Domini Ascanius et Vespasianus de Columna hi tres Columnensium sunt primates & primores.

Post 14. dies ipse Vicerex Romā uenit & cum eo Dominus Hugo de Mongadis qui anno priori palatium Papæ spoliauit. Al Archon Hispanus Capitaneus,aduenit cum trib.millib. peditū Germanorum, septem millib. Hispanorum,& Neapolitanorum quinq; millib.cum quibus(Germānis uidelicet) Cæsa.Maiest.profecta fuit in Hispaniam,hi cum multis bellicis armis aduenerunt. Omnes milites abundāt pecunia, uestib. auro,alijsq; necessarijs reb⁹.

Aliquot millia peditum & equitū de Venetis ducib. celeriter aduenerunt, ac recipi se à Cæsarianis postularunt,attamen ab illis recepti non sunt,sed solū uictus ipsis est datus,præterea nihil. Dux Vrbini cum hostili populo supra quadraginta millia ualidus irrupit apud Ysolam,octo miliarib. Italicis à Roma & indies prope Romam cum Cæsarianis dimicarunt. Tum princeps de Arania, feciales ipsis transmisit, se cum ipsis iustum initurum prælium,sed istud ipsum renuerunt. Princeps de Arania in os bellico tormento est ictus, is imperat Lōpardicis peditib. Ioānes de Vrbina Hispan⁹,Hassus Cōradin⁹ Lyssinghoc, Stephan⁹, Melchior de Frōsbergh Germano peditatui imperāt.

Romæ superior gubernator est Dominus de Lamota nepos Burboni, Senator,Archiuia,supremū iudiciū,Camera Imperialis q̄ dicebat Camera Apostolica,& Italus quidē Cæsaris uicē in Camera,gerens. Multi militū, indies uicatim equitāt ut Papa, aut ut Cardinales in alinis aut eqs. Soletq; subinde aliquis insolenter eorū,cū uini uitro benedictionē dare, & multi satellitū tympana gerunt cum Cardinaliū pilis & Episcoporū. Omnes plateæ septē diebus oppletæ iacuerunt cadaueribus insepultis hominum & equorum.

Admodum laboratum est pro communi pace,attamen sibi soli prouidit et cauit Papa. Crux aureæ portæ et ostium sepulchri Diui Petri discussum,spe subtus inueniendæ pecuniæ. In uetusto sacello Nicolai quinti, ubi indies matutinæ & Vespertinæ preces cantabantur, militares ipsi suos stabularunt equos. In domū Cardinalis Enckenfurt,qui Germanus est, multū bonorū delatū est,illico id Hispani percipientes illuc aduenerunt, ipsiusq; Cardinalis domū æstimarunt,triginta millibus ducatorum & post quinq; dies Melchior de Fronsbergh,filius Georgij,Cardinalem ipsum adijt, cumq; eo locutus, tū Hispani timentes,ne is cum Germanis pedib.domum ipsam occuparet, abierunt: Altero autem die pedites Germani intrarunt & in suā tutelā receperunt.

Indicit in casses qui uult uitare charybdim.

Copijs,Epistolis Terracinæ circiter sexaginta millia ducatorum amisit,deinde è manib.Hispanorum incidit in Germanos, qui eum cœperunt, ligauerunt,pessimeq; tractatur & adhuc ibidem detinetur, nescius quomodo euadat,timendumq; est ne moriatur ex magna afflictione.

Sciendum insuper quod in hoc tumultu nulli parcitum est,neq; Deo, neq; Sacramentis, neq; reliquijs sacris, neq; ecclesijs, neq; sepulchris gynecijs, sacerdotibus,monachis,uirginibus,mulierib.Germanis,Hispanis, amicis neq; inimicis,pueris neq; senibus.Imò omnes iuxta ac hostes tractati sunt.

Omnes Episcopi & prælati capti sunt. Bellicus ipse populus captos duxit de domo in domum qui nondum soluerunt æstimatam & petitam pecuniā.

Egenus.Vir quidam anno elapso uicatim Romæ deambulauit, ubiq; Papam & Romanos debellationem passuros. Ad quem Andreas Adorius Senensis uenit,& amicè dixit,ut talium uerborū parcus & tacens foret, aut pœnam perciperet. Respondit: Tempus suum nondum esse. Sin autem ideò

puniretur

puniretur id sibi in gloriam & honorem ac salutem futurum. Simili modo contigit Romæ anno eodem in sacrosancto paschatis die: uenit Senensis quidam, homo pauper & seminudus indies Ecclesiam S. Petri frequentans. Qui in conspectu summi Ponti. multa de Vrbis excidio proclamauit. Pœnitentiam quoq; cunctis faciendam suasit, alioquin omnes intra dies paucissimos malè perituros. Quæ cùm ita proclamasset ligatores ipsum percussêre, ita etiam enormiter ut nigredo eius faciem immutaret. Ipse autem Deum laudans ac magnificans in carceres proiectus est, unde capta urbe liberatus.

Idem autem ipse Vates pauperculus eodem habitu incedens, nihil diuitarum expostulat, sed suis contentus, ab Almanis militibus (quia lancea sunt cognominati) uulgò enutritur.

VATICINIVM INTER LIBROS CVIVSDAM EXIMII DOCTORIS COBOLAE NOMINE REPERTVM, ANNO A' Christo nato 1440. Erat autem manu eiusdem propria conscriptum in sequentem sententiam. Obijt autem ille 1480.

CArolus Philippi filius frontem habens exporrectiorem, prominentes palpebras, magnos oculos, aquilinum nasum, anno ætatis suæ 14. coronabitur, aut decimo septimo iuxta aliorum uaticinia. Hic magnum conscribet exercitum, destruetq; & perdet omnes regni sui tyrannides. Et sicut sponsus amorem sponsæ sibi conciliat, ita hic iustitiam sibi coniunget. Bella geret in 24 annum usq; Imperij sui, suoq; domitos Imperio Anglos, Hispanos, Aragonas, Gallos, Longebardos premet. Romamq; & Florentiam iugum ferre docebit expugnatis deceptisq; illis, uictorijs insignibus & præclaris duplicem coronam consequetur. Deinde expeditione transmarina facta, peragrabit fines Græcorum, Chaldæorum, Turcarum, Palestinorum & Georgianorum, illisq; omnibus suo subditis imperio imperabit. Legem in commune statuens ut quicunq; signum crucis non adorauerit morte plectatur. Tantus erit, ut non possit resisti potentiæ eius à quoquam. Dominusq; futurus sit totius ferè orbis. His autem omnibus à se gestis, ad Hierusalem sanctam ueniet ciuitatem, ubi montem ascendens Oliueti, abdicans se Imperio, aget gratias pro uictorijs, sibi præstitis à Deo, edensq; signa & prodigia spiritum claudet extremum. Anno Imperij sui tricesimo quinto. Cuius anima excepta ab Angelis coronabitur pater patriæ, primusq; Imperator post Fridericum tertium.

HÆC SVNT IN ANTIQVISSIMO QVODAM CODICE REPERTA.

ANno à Christo nato 1530. falsus exurget Propheta, ex cuius peruersa doctrina Christiana religio non paruum patietur detrimentũ usq; in 35. annum supra sesquimillesimum. Veneti aduersus fortunę casus sentient. Gallia expugnabitur. Et felix ille reputabitur, cui dabitur attingere 35. annum. Tunc enim repurgabitur Ecclesia. Inde nouus uertetur seculorum ordo, aureâ redibunt secula.

Tunc capita ecclesiæ honore prosequentur, Pontifex ob eximias uirtutes. Imperator uerè propter pietatem.

ORATIO AD ROTÆ AVDITORES EXCIDII VRBIS ROMAE, SVB ANNVM CHRISTI 1527. CAVSAS CONTINENS, HABITA per Reuerendiſsimum Epiſcopum Ioannem Staphyleum 15. Maij Anno Chriſti 1528.

MOs erat illis priſcis Rom. Reuerẽdiſſ. Patres uoſq; cęteri uiri p̃ſtãtes, parta de hoſtib. uictoria, nec nõ in natalitijs Cęſarũ, uel aliâs, p cõmodo Reipub. reb. ſic exigentib. paucis admodũ dieb. clauſo foro, indicere iuſtitiam, q̃d Senatus Populuſq; Rom. prõptius rei ſacræ uacaret, & dimiſſis aliquãtiſper tribunalib. ac ſtrepitu iudiciorũ, ocio uel negotio liberius p arbitrio frueretur. At nobis miſeris & huic infeliciſsimæ urbi, anno ſuperiori lõgè aliter euenit. Nos etenim nõ ſponte & p arbitrio, ſed Deus ipſe acerrimus ſcelerũ Vindex, & flagitiorũ noſtrorũ, pro gratulatione cõmodorũ Reipub. Chriſtianę & huius ſanctæ ſedis, ſed pro grauiſsima calamitate & afflictione eiuſdẽ, nõ pro natalitio Clementis VII. Põti. Maxi. ſed p captiuitate & duriſsima (ut ita dicam) ſeueritate, illius denicq; non paucis dieb. ſed integro anno, & ultra, Deus inquã, per manus ſceleſtiſſimorũ hominũ, uel ut uerius dicã, ſęuiſsimarũ ferarũ, iuſtitiam indixit, tribunalia noſtra ſubuertit, locũ hunc ſacrariũ iuſtitiæ, cũ omnib. ad diuinũ cultũ pro more ibidẽ exiſtentib. expilauit, p̃fophanauitq; libros noſtros, diuinas & humanas leges continentes, quib. pro adminiſtranda iuſtitia toti orbi ſedulò utebant. Quoſdã ex illis dilacerauit, quoſdã igni conſumpſit, reliquos aut ijs quorum fuerunt uenales expoſuit, aut ad indignos inhoneſtoſq; uſus ludibrio habuit. Denicq; poſt inuaſionẽ direptionẽq; ædiũ noſtrarũ, nos ipſos, cum omnib. domeſticis & familiarib. noſtris in arctiſsimas nephandiſsimorũ ſatellitũ cuſtodias, cõiecit, ꝓpoſitis paſsim uarijs tormentis, ſępe etiã adhibitis, etſi nõ corporib. noſtris, forſitã familiariũ tamẽ noſtrorũ nihilomin⁹, q̃ p̃cioſiorẽ ſuppellectilẽ, tot uigilijs & laboribꝰ partã, in ſecretiora forte loca depoſitã, indicarẽt. Illos interim, et nos p diuerſa urbis hoſpitia obſeruãtes pane doloris et aqua anguſtię miſerrimè ſuſtentãtes, ita ut nobis omnib. uita eſſet ſupplicĩũ, mors ſolatiũ.

Quapropter directis nunc in cœlũ oculis lamentabiliter poſſumus deflere cum propheta. Recordare Domine, quid acciderit nobis, intuere & reſpice opprobriũ noſtrum. Hæreditas noſtra uerſa eſt ad alienos, domus noſtræ ad extraneos, pupilli facti ſumus abſq; patre, matres noſtræ uiduæ, ceruicibus noſtris iugiter minabantur, lapſis non dabatur requies.

Adde his malis ſęuiſsimã peſtilentiã, quæ longè lateq; debacchata eſt, totã hanc ferè miſerrimã urbẽ inuadens. Iunge inſuper extremã famẽ, ac neceſſariorum omniũ ad uictũ humanũ ſummã penuriã. Tandẽq; eò uentũ eſt, ut q̃ paulò antè cunctis omnino rebus copioſiſsimè affluebamus, repente neceſſarijs omnib. fuerimus deſtituti. Poſtremò, urbe Veteres coloni, ꝓpulſi. Vix urbes, uicinicq; mõtes receperũt fugã noſtrã. At mala hæc nobis cũ cæteris omnib. Romæ nũc exiſtentib. cõmunia fuêre. Nos, nos, qui huiuſce ſumus p̃feſſionis, noſtra inſuper, ꝓpria dãna ſenſimus, q̃ domeſticã huius urbis iacturã fecimus, nos inq; Reuerendi patres, integerrimos grauiſsimoſq; collegas noſtros eodẽ anno amiſim⁹. Vos Honorand. Aduocati, totidẽ collegas ueſtros, ſuper quartũ, quẽ ſuperiori anno tota hæc Curia deplorauit uiros nẽpe doctiſſimos cõſũmatiſſimoſq; eo ipſo tẽpore pdidiſtis. Vobis q̃q; cauſarũ patroni, uobis inſup Tabelliones & Notarij ꝓfeſſionis ueſtræ dãna nõ defuerũt. Sed unde hęc quæſo? Quasue ob cauſas tot et tam grauiſſima incõmoda nobis euenêre. Nẽpe, quia omnis caro corruperat uiã ſuã, eramus omnes ciues & inhabitatores, nõ Romæ Vrbis ſanctæ, ſed Babylonis Vrbis peccatricis, de qua
„ impetũ eſt tẽporib. noſtris uerbũ Domini in Iſaia. Quomodo facta eſt mere-
„ trix ciuitas fidelis, plena iuditio et ſanctitate? Iuſtitia prius habitabat in ea, nũc nunc

hunc ſacrilegi & homicidæ: prius gens ſancta & populus acquiſitionis, nunc « populus Gomorræ, ſemen nequam filij ſcelerati, ſocerdotes infideles, ſocij fu « rum, diligentes munera, ſequentes retributiones, de qbus idē Dominus con- « queritur p prophetā Eſaiā. Filios enutriui, te exaltaui, ipſi autē me ſpreuerūt, « dereliquerunt uias meas, blaſphemauerunt ſanctū Iſraël, alienati ſunt retror- « ſum. Propterea p Curiā uos ultra addentes prēuaricationem, protinuſq; uo- lens oſtendere quibus percuſſionib. affligendi ſimus, ſubiungit. Terra ueſtra deſerta, ciuitates ueſtræ ſuccenſæ igni, regionem ueſtrā coram uobis alieni de uorant. Sed ne quiſquā arbitretur uaticinium hoc Prophetæ iamdudum fuiſ- ſe impletum in euerſione Babylonis & Ieruſalem ſub ueſpaſiano & Tito Im- peratoribus Rom. cū uerba Prophetiæ uideantur reſpicere tempus illud præ ſens Prophetæ, non futurum animaduertendum cenſeo, iuxta eccleſiaſticam ueritatem futura fuiſſe præſentia Prophetis, quaſi iam futura præſentia cerne rent oculis mentis ut paſsim ex ſacris paginis facilè deprehendimus. Sed ne longè exempla petamus, hoc ipſum in hoc eodē ꝓpoſito nobis idē Prophe- ta innuit, declarans ſeipſum uerbis de futuro ſubiungens. Derelinquetur fi- « lia Syon, & deſolabitur ſicut in uaſtitate hoſtili. Hanc filiā Syon Ioan: Apoſto « lus in Apocalypſi interpretatur non Ieruſalē. Sed Romana prorſus urbē, qd ex illius deſcriptione, ſi introſpicimus, in aperto eſt, dū exponēs Ioannes, ſeu uerius unus de ſeptē Angelis, Ioāni uiſionē, quā uidit ſuper damnatione mu- lieris meretricis, ſub nomine Babylonis intelligit hanc urbem. Mulier inquit, quā uidiſti, eſt ciuitas magna, quę habet regnū: Quod de regno ſpirituali uult intelligi, ſuper reges terræ. Dicit illam ſedere ſuper ſeptē montes, quod ꝓpriè Romæ conuenit, quæ ab antiquis ob hoc potiſſimū dicta eſt Septē collis. Po nit ſedem quoq; illius ſuper aquas multas: quę ſignificant populos, gētes, ac uarias linguas, ex quib. magis quā ulla alia, in orbe præſertim Chriſtiano col- lecta eſt hæc Vrbs, ut uidemus. Et propterea dicitur cōmunis patria omnium undecunq; uenientium. Dicit pręterea plenā eſſe nominibus blaſphemijs, ma trem immunditiæ, fornicationum & abominationum terræ. Hæc quippe uer ba demonſtrationem huius uerbis magis ſpecificam non exigunt, cum hæc flagitia (etſi ubiq; ferè regnent) hic tamen ſedem & Imperium habent.

Roma ab antiquis appellabatur Septēcollis

His tot & tantis flagitijs præuaricationibuſq; illius enumeratis, ſubiungit ſeueriſsimam Dei ſententiam, quæ contra nos hoc tempore funeſtiſsimam e- xecutionem ſortita eſt. Formula autem ſententiæ hæc eſt. Quoniam peruene « runt peccata illius uſq; ad cœlum, & recordatus eſt Dominus iniquitatum, i- « deo in una die uenient plagæ eius, mors, luctus, & fames deſolatam facient il « lam & nudam, & ipſam igne concremabunt.

Quod ſi quiſpiā pertinacius defendere uelit, Apoſtolū loq ſpecificè de Ba- bylone. Huic ego reſpondeo, qd potius q̄ Apoſtolus in prima Epiſtola (teſte Diuo Hieronymo, de uiris illuſtrib.) ſub nomine Babylonis figuraliter Romā ſignificat, dū inquit. Salutat uos eccleſia in Babylone collecta. Poſtremo ſi his locupletiſsimis teſtib. nō credimus, ſcilicet ꝓ Babylonē urbē hāc ſignificari, ef fectib. ſaltē hoc tēpore lamētabiliter ſubſecutis credere oportet. Ex quib. ma- nifeſtiſsimè cōſtat, qt plura & lōgè peiora, ut ingt B. Gregorius in his noſtris tribulationib. uidimus, q̄ in noſtris Codicib. inuēimus. Nā ſanctuaria quoq; ſuo, miniſtriſq; ſacrorū hoc tēpore nō pepercit Deus. Ducti ſunt indecēter p uicos urbis Cardinales, capti Epiſcopi, Presbyteri interfecti, ſacrę uirgines ſtu pratæ ad altaria, in Apoſtolicoq; palatio ſtabulati eq̄, Martyrū effoſſæ reliqæ, aperta imò fracta mortuorū ſepulchra, & deniq; qd animus luctu abhorret, di cere, ſacratiſsimū ſaluatoris corpus, uaſculis ꝓ more aureis argenteisue reue- renter conditum, cùm ob prædam uaſorū, tum propter contēptū (proh dolor, proh nephandum ſcelus omnibus ſeculis deteſtandum) terræ colliſum pedi-

busue

busue plus quàm sacrilegis calcatum. Heu nos miseros, uisio Apostoli in Apocalypsi pœnas minatur huic urbi, ut diximus, admodum graues, at certe his nostris quas passi sumus longè mitiores. Magna est profecto ira, quando in sua castra, in sua tentoria, in suos denique milites sæuit Imperator. Mitius olim egit noster Imperator, dum seruato templo & illęsis sacerdotibus templi sat habuit, eijcere ex castris suis, hoc est è templo ementes & uendentes, asserens domum suam non negociationi, sed orationi fore destinatam. At hoc lachrymoso nostro tempore, templa, orationes & sacrificia nostra despexit & aspernatus est. Cur quæso tam seuerè, & absq; ulla pietate & misericordia? Profectò audiamus ipsum Dominum per Prophetam tantæ seueritatis suę reddẽ
» tem causam. Quoniam inquit manus uestræ sanguinis plenæ sunt. Quo mihi
» multitudo uictimarũ uestrarũ? Plenus sum, ne offeratis ultra sacrificiũ frustra.
» Incẽsum abominatio est mihi, peccatis enim & scelerib. uestris me ad iracũdiã
» prouocastis. Ideo incipiẽs à sanctuario meo, diuina & humana sursum et deor
» sũ miscebo omnia, ita ut ubiq; sit luct⁹, ubiq; gemitus & plena mortis imago.

Sed iam ad nos ipsos reuertamur, qui si uerum amamus, ingenue fateamur necesse est his tot, & tantis nostris, & aliorum communibus sceleribus non defuisse propria quod nostra factionis scelera & peccata.

Nos enim qui ministri sumus iustitiæ iustitiam fate, ut par est, non ministra uimus. Quid si in sinistrum nos ignorantia traxit? si fauor inflexit? si acceptio muneris uel personæ corruperit? uos spectabiles Aduocati, qui adstatis (ut de mortuis & absentibus taceam) responsa & consilia uestra plus iusto forsitan diuendidistis, ponentes tenebras lucem quærentes mendacium, dicentes bonum malum & malum bonum, uos quoq; Patroni causarum uos insuper tabelliones cum ministris & cooperatoribus uestris, patrocinia uestra, operas (ne dicam quid deterius) uestras minus forte diligenter clientulis & partibus exhibuistis. Quas ob res, cum omnes grauiter deliquerimus emendemus deinceps in melius, quæ ignorantes aut ex animo peccauimus. Conuertamur pariter ad Dominum & miserebitur nostri, quia pius & misericors est & præ
» stabilis super malitiam. Ipse enim hortatur per Prophetam dicens. Quiescite
» agere peruersè, discite benefacere, quęrite iudicium, subuenite oppressis, iudi
» cate pupillos. Postremo diligite iustitiam uos qui iudicatis terram. His mundissimis holocaustis, si iratum nobis Dominum placauerimus, absq; dubio, & hic (prout ipse pollicetur) bona terræ comedemus, & in futuro pro benè gestis sempiterna præmia consequemur. Quod nobis omnibus præstare dignetur idem Dominus, qui est benedictus in sæcula, AMEN.

ORATIO DE CAPTA ET DIREPTA VRBE ROMA, ANNO 1527.

ETsi intelligebã eos qui hoc loco ꝓ more scholæ fictas fabulas agũt, multò minus oneris sustinere, quàm q ueras causas tractandas suscipiũt: tamẽ me, nõ fiducia ingenij, q̃d sentio, quàm sit exiguũ, sed magnitudo doloris ꝓpulit, ut hũc in locũ nõ fictũ argumentũ ex ueteri aliqua tragędia, sed historiã adferrẽ nimis quàm uerã. Sũ enim dicturus de crudelissima urbis Romæ direptione, & deploraturꝰ indignissimũ casum ciuitatis, omniũ reginę atq; dominę. Etenim cum nemo tã ferus sit, tãq; prorsus abhominis sensu alienus, q nõ acerbissimè ferat in dignam patriæ, quæ genuit, quæq; educauit, fortunam, quo tandem animo nos accipere urbis Romæ interitum atque excidium decet, cum ea urbs una in terris fuerit omniũ gentiũ cõmunis patriæ? Ego profectò nõ minus illius

Direptio Vrbis Romæ.

calamitate

calamitate commoueor, quàm eius ipsius oppidi, quo me primùm nascentem excepit, aduersis rebus perturbarer. Cùm igitur esset hoc in loco mihi pro more dicendum, nõ potui, cum esset animus dolore occupatus alia de re orationem instituere. Vbi dolet, inquiunt, ibi manum habet. Quare cum assiduè aduersaretur ob oculos eius urbis direptio atq; incendium, quæ nobis leges, quæ religiones, q̃ omnes honestas disciplinas tradidit, deniq; à qua plura beneficia, quàm ab ipsa patria, in qua quisq; genitus est, omnes accepimus? Coëgit me magnitudo doloris de fortuna urbis, decq; miserrimis temporibus quæri, præsertim in hoc cætu, apud homines doctissimos, qui intelligũt quãtum huic urbi, ex qua literæ & humanitas huc importata est, omnes gentes debeant. Quod autem de capta Troia Vergilius præfatur. *Romana beneficia.*

Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet, aut poßit lachrymis æquare labores?

Ego multo iustius usurpem. Nulla est enim tanta eloquentia, quæ atrocitatem huius rei pro merito exponere possit, quæue explicare queat, quantam ruinam omnium optimarum rerum, huius unius urbis euersio, secum trahat. Quid ullo seculo accidit indignius, quàm quod ille ipse exercitus, qui à Cæsare in Italia ad salutem omnium bonorum, ad custodiendam urbem, Imperij arcem, collocatus erat, illi ipsi urbi nefariam uim, contra optimi Principis Caroli uoluntatẽ, contra disciplinæ militaris leges, contra auspicia, contra maiorum exempla, intulit. Est enim liberandus culpa Cæsar, qui etiamsi iustis de causis Romano Pontifici irascitur, tamen hoc exitu uictoriæ minimè delectatur. Neque enim obscurum est, eum natura ad clementiam moderationemq; duci, & à crudelitate abhorrere. Et cùm maiores suos nomen ac titulum Imperij in hanc nationem à seruata urbe Roma intulisse uideat, dubitari nõ debet, quin in illorum intuens exempla, intelligat omnes Imperij opes ac uires ad huius urbis salutem, defensionemq; maximè conuertendas esse, et ab illa uim atq; uastitatem depellendam. Quàm multos numerare potest, cùm imagines auitas aspexerit, qui turbulẽtissimis tempestatibus urbem Romam maximis terroribus liberauerint, qui quanquam periculosissimis bellis domi impliciti, tamen uelut ad patriam defendendam huc summa uirtute accurrerint, quia in huius unius urbis periculo periclitari omnium gentium salutem existimabant. Huc adde, quod nullius regiæ familiæ, si quis omnes numeret, plura clementer aut piè facta recensèri possunt, quàm Austriacæ. Et maiorum suorum adeò non dissimilis est Carolus, ut quantum omnes Imperij magnitudine antecedit, tantum etiam uincat clementia. Quod enim in illa historia factum clementius legitur, quàm quod inimicissimum Regem, à quo bellum contra ius gentium motum erat, captum in acie, non modò dimisit incolumem, sed etiã deuictum affinitate, in regnum restituit? Tantam clementiam ac bonitatem nulla humana uox pro dignitate prædicare atq; ornare potest. *Exercitus Cæsaris indignitas. Carolus 5. Caroli 5. clementia.*

Longè igitur fallitur, si quis tale ingenium tantam iracundiam cadere existimat, ut ullas quamuis magnas iniurias hoc modo ulcisse uoluisse uideatur. Ille uerò priuatim dolorem, uel urbi ipsi, à qua Imperij nomen habet, uel tot sanctissimis aris, uel aliarum gentium quæ suas Respublicas sine huius urbis consilio tenere non possunt, utilitati condonasset, quamuis iratus, si licuisset ei præsenti, rem subitam minimeque expectatam regere ac gubernare. Quare Cæsar nullo modo in hac oratione accusandus est, qui exercitum in Italia ad custodiã tranquillitatis publicæ habuit, non ad latrocinium exercendum, non ad euertendam urbem Imperij arcem, non ad prophananda templa, non ad diripiendas bibliothecas, non ad trucidandos sacerdotes, non ad uirgines, & honestas matronas rapiendas. Hæc cùm omnia tegi suis armis, suoque exercitu Imperator uellet, exercitus (ut sæpe aliâs accidit) contra disciplinam *Exercitus Cæsariani in urbe Roma sæuitia.*

disciplinam militarem, contra fidem Imperatori datam, auaritia, ad diripiendam urbem opulentissimam, quam sine præsidio esse animaduerterat, incitatus, omnia diuina atque humana iura uiolauit. Hos latrones optimo iure accuso, qui iniussu Imperatoris sine legitimis ducibus urbem Romam inuaserunt. Finge iustam causam fuisse Romæ inuadendæ, tamen seditio est, sine legitimo Imperio impetum in quenquam facere. Quid autem tam contrarium militiæ est, quàm seditio, quia hanc unam ob causam, iure gentium bella geruntur, ut coërceantur hi, qui per seditionem, sine Magistratuum autoritate, arma capiunt. Non igitur milites uocandi sunt, qui in iussu Imperatoris urbem expugnauerunt, sed quoniam ius gentium commune uiolauerunt, hostes non modò Imperij, sed uniuersæ societatis hominum. Romani aliquot Imperatores alij in filios, alij in Principes ciues capitaliter animaduerterunt, quia iniussu Imperatorum, cum legitimis hostibus prouocati pugnassent, fuitque tanta disciplinæ seueritas, ut hostium loco haberentur, qui præter Imperatoris edictum gladium strinxissent. Quantò iustius hostium loco ducendi sunt isti Cares, qui inauditam crudelitatem in iussu Imperatoris aduersus inermes exercuerunt? At quam tandem ob causam sæuitum est in urbem? Quia pecuniam non numerauit auaro atque crudeli exercitui. Quid aliud causæ latro dicat, cur uiatorem occiderit? Olim Gallos propemodum iusta ira pertraxit ad urbem: Nam legatus Romanus contra ius gentium in acie pugnauerat. Isti latrones nihil causantur aliud, quàm pecuniam non esse datam, quam flagitarunt. Non igitur tentata urbs est, quia Gallis & Venetis esset alieno animo erga Cæsarem, quia Gallis & Venetis esset æquior. Nihil in gratiam Caroli susceptum est. Auaritia & ampliſsimæ prædæ spes perpulerunt, ut transgressi Apenninum, maximis itineribus summa celeritate confectis ad urbem properarint. Nec dierum aliquot inedia, nec hostis à tergo, & à lateribus remoratus est iter, sic accenderat omnium animos prædæ cupiditas. Hæc si iusta causa oppugnationis uideri potest, non intelligo, cur non omnes latrones excuset prædæ cupiditas. Si hæc iusta bellandi causa in terris est, nihil obstat iam quò minus in urbibus unusquisque inuadat ædes locupletiorum, siquidem ex præda ius existimandum erit.

Romanorũ antiquorũ militaris disciplina.

Romæ urbis tentatæ Causa, auaritia.

Sed non disputabo subtiliter de causa, nec patrocinabor Pontifici, in quem culpa confertur. Nulla ne igitur in uictoria moderatione utendum fuit? Nullum ne discrimen sacrarum ac prophanarum rerum habendum? Quis tam crudelis unquam uictor fuit, etiam apud Ethnicos, qui non abstineret uim à templis? Augustinus scribit Gotthos, cùm cæpissent urbem, non modò à Christianorum templis uim abstinuisse, sed etiam his donasse uitam, qui eò profugerant. Tanta nominis Christiani reuerentia apud barbaros illos fuit, qui doctrinæ cœlestis ignari, nomen tantum Christianorum audierant. At isti sacrilegi quas aras, quod sacellum reliquerint intactum? Et accepimus non tantum omnia fana spoliata esse, monumenta sanctorum uirorum prætiosiora, & thesauros ad publicam utilitatem totius Italiæ ibi conditos, direptos esse, sed etiam cæde & alijs sceleribus prophanata esse, decantatæ sunt per ludibrium sacræ cantiones. Ita nulla non contumelia effecta est religio Christiana. Quid Turcæ aliud faciunt expugnatis Christianorum urbibus? O ueram uocem Poëtæ, qui dixit.

Gotthos sacris peperciſſe.

Nulla fides pietaſq; uiris qui caſtra ſequuntur.

Qua uox si unquam aliâs, nunc maximè usurpari potest. Nunquam enim antea captis urbib. perinde polluta sunt, ac prophanata omnia sacra. Nunc & antè in Germanico milite notata est tãta auaritia, nunquã sacrarũ ac diuinarũ rerum

rerum similis contemptus fuit: sed cum alijs in rebus continentior cæterarum nationum militibus hactenus fuit, tum singulari religione uim à sacris rebus abstinuit. Nunc autem, ô dij immortales, quàm dissimilis hic exercitus maiorum nostrorum fuit? Quàm longè degenerauit à ueterũ modestia? Maiores nostri nihil præter uictoriæ laudem cupiebant domum reportare. Itaque nec priuatorum fortunas diripiebant, tantum abest, ut attingerint res sacras. Nec procul exempla continentiæ requirenda sunt. Quis toto Veneto bello à Maximiliani exercitu unum oppidum audiuit direptum esse? Nemo profectò. Et Maximilianus ipse cum esset in puniendis delictis lenissimus, tamen in uindicanda auaritia militum acerrimus fuit. Etenim cum in eo bello capta Vincentia, Maximilianus in uindicanda auaritia acerrimus, quidam iniussu suo in aliquot ciuium ædes prædandi causa impetum fecissent, statim totam illam cohortem oppressit, & plures ducentis securi percuti iussit: Vt eo exemplo ostenderet, non omnia uictoribus in uictos licere. Habes Carole Cæsar auitum exemplum, quid de exercitu iudicare te oporteat, qui auaritia corruptus, omnia diuina atque humana iura uiolauit. Et haud scio an noceat nostris hominibus contagio Hispanorum: hos, ut uereor, nouæ disciplinæ magistros habent. Ab his tanquam lanistis auariciam crudelitatemq; discunt.

Non autem minus sacrilegium est, Bibliothecas, quàm phana diripere. Non enim inter sacras res, aut diuinas recensenda sunt aurea uasa, quibus in ceremonijs nostris utimur? & non recensendi sunt libri, qui cœlestia oracula, qui doctrinam religionis, alias honestas artes diuinitus ostensas generi humano, continent? Neque uerò usquam Bibliothecæ locupletiores sunt ullæ, quàm fuerunt Romanæ. Huc omnis generis Scriptores ex toto orbe terrarum magna cura Pontificum conuecti sunt. Huc nuper adeò, quicquid reliquum fuit literariæ suppellectilis in tota Græcia, importatum est. Hæc monumenta, cum æterna esse debuerint, tamen furore militum aliqua ex parte corrupta dicuntur. Et haud scio an impia flamma per urbem uagata, Bibliothecas etiam attigerit. O iacturam nullo unquam seculo reparabilem. Quot religionis nostræ interprætes, qui præterea nusquam extant, quot aliarum optimarum artium authores amissos arbitremur? Quis non uehementer doleat tot seculorum labores, tot noctium uigilias à doctis hominibus ad utilitatem posteritatis lucubratas, in hanc fortunam incidisse. Statuas aut picturas elegantes magnorum uirorum magno cum dolore amittimus, quas, uel propter artis bonitatem, uel propter memoriam eorum, quos repræsentabant, si fieri posset æternas esse optamus. *Bibliothecæ Romanæ*

Quanto magis dolere debemus tot ingeniorum interitum, quæ non modò propter scriptorum pulchritudinem miramur, sed etiam propter utilitatem amamus. Neque enim retineri Respublica sine honestarum artium cognitione & sine libris possunt. Cùm igitur arma geri debeant ad tegendas omnes pacis artes, uidete quantum scelus isti latrones admiserint. Qui quæ armis defendi inprimis opportuit, ea noua & inaudita amentia dissiparunt atque euerterunt. Hæc cùm in urbibus bello captis, non aliter atque templa, sacra symbola, aras, boni imperatores semper conseruari iusserint: isti odio, credo religionis Christianæ, non ueriti sunt impijs manibus lacerare ac perdere. Non est autem obscurum, quantum detrimenti acceperit Respublica Bibliothecis illis dissipatis, quæ in Ecclesiasticis dissensionibus tanquam oraculum consuli solebant: ex quibus publici legum libri, præterea omnium bonarum artium emendabantur. Neque uerò studia literarum sine literis ac libris emendatis florere possunt. Quæ si extincta fuerint, quæ barbaries, quæ

religionum

religionum confusio, quæ ciuitatum perturbatio apud omnes gentes secutura est? Non igitur ad unam urbem hæc calamitas pertinet, sed ad omnes gentes, quæ retinere religiones, ac studia bonarum artium sine Romanis Bibliothecis non possunt. Neque uerò impunè erit istis latronibus, tot scelera in unius expugnatione urbis perpetrasse. Videt hæc Deus, inspector atque arbiter omnium humanorum consiliorum atq; factorum. Hic ulciscetur contumeliam templis, libris & similibus monumentis religionis illatam, non aliter atque de Rege Assirio supplicium sumpsit, qui sacra uasa Hierosolymis allata prophanauit. Neque illa uox Baptistæ cuiusdam, quem Romæ aiunt, & antea ciuibus hanc cladem, & postea uictoribus minatũ esse, sine numine emissa uidetur. Legistis enim, ut opinor, dixisse Baptistam illum, futurum, ut rapta undiq; spolia breui reuomant. Neque enim diu tolerare Deus sui contemptum superbiam in rebus secundis, crudelitatem in imbecilliores, potest. Non enim possum hîc dicere, qualem carnificinam in tota urbe exercuerint. Nec libet commemorare raptas à complexu parentum uirgines, non abstractas à maritis honestas matronas, non mactatos senes ac sacerdotes. Quanta enim fuerit in urbe licentia audacissimorum hominum, inde æstimari potest, quod duodecim diebus, nullos habuit exercitus militari more Magistratus. In tot dierum ἀναρχίαν, tranquilla alioquin ciuitas, nihil nõn mali ab urbana multitudine pertulisset. Quantò atrociora necesse fuit accidere ab armatis & uictoribus? Est enim uerissimum illud, quod apud Euripidem Rex quispiam dicit: Nullo non incendio fœuiorem ἀναρχίαν exercitus esse. Nusquam audiuimus, aut legimus, in ulla ciuitate capta, tantam licentiam exercitus uictoris fuisse, ut tot diebus nullis Magistratibus regeretur, aut coërceretur.

Daniel cap. 5.

Baptista.

Ἀναρχίαν exercitus & licentia

Galli quomodo gesserint in urbis Romæ expugnatione.

Accepimus & antè Romam captam esse, primùm à Gallis, deinde post multa secula à Gotthis: Verùm multò grauius hoc tẽpore afflicta uidet. Galli tantum in desertas ædes sęuierunt. Ciues partim in Capitolium se receperant, partim Veos profugerant, intenti in occasionem rei bene gerendæ. Nam arcem urbs, non Imperium, non Magistratus, non sacra, non cætera ornamenta amisit. Postea Gotthos, quanquam ex longinqua obsidione irati uehementius essent, legimus ita moderatos esse in uictoria iram, ut edictum etiam propositum pacis, ut parceretur his, qui intempla Christianorum confugissent, & ut urbs sine cæde diriperetur. Atqui hoc tempore tantum abfuit, ut à sacris rebus abstinuerint uictores, ut non cupidius aliunde prædati sint. Cædes factæ tota urbe miserorum ciuium: bona ciuitatis pars incendio deleta: studia omnium honestarum rerum, quæ ibi floruerunt, armis conterrita, obmutuerunt. Abolita sunt & hæc, quæ si mansissent, instaurare collapsam urbem potuissent, ueteres Magistratus, leges, forma iuditiorum.

Gotthorũ clementia ergo uictos.

Hispanorũ & Germanorum dira auaritia.

Iustius igitur hic dies, qui fuit pridie nonas Maij: eo enim proximo anno urbs capta est, inter atros, quam Allienſis numeretur. Ac uereor futurum, ut ad posteros hic dies multo uerius Allienſis uideatur illi urbi fuisse, quàm ullus alius: Neque enim facile se ex tanta calamitate urbs recreabit.

Ac uidete quantum distet ab exemplis ueterum Germanorum huius exercitus facinus. Carolus primus, depulsis ab urbe Longobardis, à uastitate urbem atque Italiam prohibuit. Ottho primus liberauit eam Berengarij tyrannide. Et ut multa omittam, fortissimus ac sapientissimus Princeps, auus, Carole, tuus Maximilianus, quanto consilio Gallum ducentem Maximum ac fortissimum exercitum ad urbem, irritatum atque accensum odio Iulij Pontificis, inde usque à Rauenna, ubi maxima pugna exercitum Pontificium uicerat, atque fugauerat, ad ultimam Galliæ oram, in Belgicum retraxit, ne qua clade urbs ab irato uictore afficeretur. Nunc autem, ô temporum labem, ille ipse exercitus, quem Cæsar uniuersæ Italiæ præsidio esse uoluit, inauditã

Germanorum ueterũ exempla.

crudelita-

crudelitatem in urbe principe totius Italiæ, imò totius orbis exercuit, non exempla ueterum Germanorum, non dignitas urbis, non ingentia beneficia collata in omnes gentes, flexerunt eos ad misericordiã. Quis non doleat adeò deformatam esse eam urbem, quæ olim rerum, ut inquit Vergilius, pulcherrima. Princeps Imperij omnium gentium fuit, quæ una exempla plura uirtutũ protulit, quàm omnes ubiq; aliæ ciuitates: quæ nobis leges, quæ literas, quæ religiones, quæ humanitatem, quæ omnes honestas disciplinas, quæ denique omnem bene uiuendi rationem tradidit, ut hanc urbem semper tãquam communem patriam omnium gentium homines coluerint. Non ne tot urbis meritis, etiamsi quid peccasset Pontifex, condonari debuit? Nunc Pontificis peccatum furiosus exercitus parricidio uindicat, dum sceleratas manus ei urbi iniicit quæ nobis omnibus pro patria esse debuit. Longè enim plura beneficia ab ea unusquisq; nostrũm accepit, quàm ab eo loco, quæri nascentem primum accepit. Ad hanc urbem omnes controuersiæ omnium gentium delatæ sunt. Hæc tanquam in excubijs semper fuit ad retinendam religionem. Semper in terris doctissimorum hominum domicilium fuit. Hæc fugiẽtes omnes honestas artes ex Græcia exulantes excepit. Hic nuper omnes bonæ disciplinæ, tanquam renatæ sunt. Hinc in omnes terras propagatæ sunt, nõ aliter atq; semina frugum in totum terrarum orbem, à Triptolemo sparsa sunt. O ingratos homines, qui si hæc beneficia intelligunt, nullam putant se sic merenti ciuitati gratiam debere. O amentes si non intelligũt. Nõnulli odiosè colligũt urbis uitia & incommoda, quæ inde ad alias gentes peruenerunt. Sed est astuti hominis quod dolet meminisse, quod placet obliuisci. Hoc erat humanius, commoda agnoscere, & tam multis benefactis incommoda cõdonare. Quæ, qualiacunq; sunt, talibus certè remedijs corripi non potuerunt. Nemo dubitet parricidij esse reum, qui patri leuiter delirãti oculos effodiat, aut prædicat manus? Quid igitur hoc aliud est, quàm parricidium, tam atroces pœna de patria, propter nescio quæ errata sumere. Itaq; miseret me non modò fortunæ urbis, sed etiam aliarum gentium, magnam enim bonarum rerum apud omnes natiões, hic urbis casus, ut uereor, trahet, nisi respexerit nos Deus pro sua summa bonitate, & horum malorum, quæ impendent remedia ostenderet. Vos quoq; existimo cum interitum nobilissimæ urbis dolere, tum impendentium malorum metu, perturbari. Etenim cum coli patriæ honoribus ab omnibus debuerit, tamen à nobis maximè, q̃ lingua ciuitatis utimur, quiq; plura quàm uulgus, beneficia ab illa accepimus, id fieri debet. Ius nobis cum uulgo commune est, studia optimarum artium non sunt communia, quæ longè antecellunt alijs omnib. humanis rebus. Vos igitur uerè Quirites, quoties tam funestam luctuosamq; patriæ direptionem recordamini, expendite quæ à uobis officia tali tempore requirantur. Bona uulgi pars ridet Sardonium risum in aliena calamitate, & triumphat, quasi re bene gesta, à quorũ opinione longissimè uos abesse conuenit. Neq; enim intelligunt, quid illi urbi debuerint, aut quid detrimenti ex eius interitu Respublica acceperit. Deinde cum in hoc misero casu uidentur etiam studia literarum in quoddam discrimen uenisse, uos quod bonos ciues decet, magis in hęc studia incũbite, quæ si conseruauerimus, non desperandum est, quin urbs ipsa rursus in pristinum statum & dignitatem restitui possit.

Roma princeps Imperij sacri.

Romæ urbis uitia odiosè colligi.

Romæ patriæ honoribus colenda.

DIXI.

DE PVELLA, QVAE SINE CIBO ET POTV VITAM TRANSIGIT, BREVIS NARRATIO, TESTE ET AVthore Gerardo Bucoldiano Phyſico Regio.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO D. CORNELIO A' BERGIS EPISCOPO

Leodienſi, duci Bellonenſi, & comiti Loſſenſi Domino ſuo Gerardus Bucoldianus Phyſicus Regius. S. P. D.

EX quo Illuſtriſsime Princeps, ſingularis tua in me meosq; humanitas eſt perſpecta, ſemper mihi in uotis fuit, quod & aliquando futurum ſpero, ut in præſtãdo clientis officio, amplitudini tuæ gratificari liceret. In præſentia hercle, cum Dominus Arnoldus à Bocholts, Archidiaconus Ardennæ, uir inſigni eruditione, & ſingulari quadã prudentia & humanitate, quem huc ad comitia Imperij Princeps miſiſti, propediem rediturus uideretur, mei officij eſſe putaui, quæ de prodigioſo puellæ ieiunio mihi cõperta eſſent, ad amplitudinem tuã, per hunc grauiſsimum uirum trãſmittere. Amplitudinem tuam, pro ſubditorum tuorum uotis, qui propter ſpectatam æquitatem & humanitatem tuam, lõgam omnes uitam precãtur, Deus Optimus Maximus diutiſsimè incolumem conſeruet. Ex comitijs Spirenſibus Nono Martij. Anno Domini M. D. XLII.

De puella quæ ſine cibo & potu uitam TRANSIGIT, BREVIS narratio.

SPIRA, quæ imperialis ad Rhenum poſita ciuitas eſt, uilla quadã Roed, non amplius duobus miliaribus diſtat. Hac in uilla, anno Domini 1539. puella quædam Margaretha, patre prognata Seifrit Vueys, & matre Barbara, cũ iam ferè decimũ ætatis ſuæ annum attigiſſet, capitis & uentris dolore, ad feſta diui Michaëlis eſt correpta. Dolor autem is, lõgior, quã intolerabilior extitit, ut quo lecto decũbere non ſit coacta: cibum tamen per id tẽpus magis magisq; faſtidire cœpit, & alui excrementa minui. Itaq; ad natiuitatẽ uſq; Dominicam, cùm adhuc comediſſet, nullum planè poſt id tempus, aut cibum inſumpſit, aut per aluum excrementum egiſſet: à potu tamen, nõdum abhorrebat animus. Verùm cum proximo anno, qui quadrageſimus fuit, capitis & uentris dolor adhuc hæreret, & ſub proximum quadrageſimum manus & pedes quaſi contracti officium ſuum amplius non præſtarent, ſollicitus de filiæ ſalute parẽs, quo modo potuit medicos adijt, conſilium & opem expetens. Iuſſus à uetula quadam, quæ præ cæteris, uicina in uilla magis medica ruſticis eſt uiſa, bis die balneo ex certarũ herbarum decoctione uti: quo cũ fruſtrà per 18 dies uſus eſſet, inde deſtitit. Non multo poſt, ex eo genere hominũ fœmina, quæ circulatorum more paſsim hic per uillas & oppida ſua ruſticis pharmaca uendunt, aliquot certarum herbarũ radices parenti dedit, unde facto balneo, cum bis die antemeridianis & pomeridianis horis ad quartã ſeptimanã uſus eſſet, priſtinæ ſanitati puella, quod ad manuũ & pedũ officiũ attinebat, eſt reſtituta. Verùm cùm hæc nõ multo poſt paſcha fierent, quẽadmodum antè cibum, ita iam ſubinde & ipſum potũ faſtidire cœ-

dire cœpit, adeò, ut post Pentecostes festa, in hunc usq; diem, cum multo antè comedere desierit, ne biberit quidem, aut urinam miserit. Fuit anni huius quadragesimi cursus, & maximè æstas, si qua post hominum memoriam alia, calidissima & siccissima. Quæ res, eo tempore potu planè puellam abstinuisse, admirationi magis locum dare potuit. Sequenti anno quadragesimo primo, cum de puella fama magis magisq; iam spargeretur, & ad loci principem Episcopum Spirensem perueniret, negocium dedit illæ ipsius iudici, ut adiuncto sibi bono uiro, de puella periculũ faceret. Dati hi ambo custodes, in ædibus publici eius loci sacerdotis, quem uulgò Pastorem uocant, includam puellam, per decem dies & noctes obseruarunt. Atq; hæc fieri cœpta in septimana sancta: cum nihil fraudis subesse inuestigari posset, dimissa domũ rediit. Nec ita multis pòst mensibus, præfectus uicinæ cuiusdam arcis, quæ Episcopi est, & Cisselinck uulgò uocatur, magis explorandæ rei studio inductus, ad se uocatam, & in arce inclusam puellam, ad quintum usq; diem tenuit: quo tempore, cùm nullum prorsus cibi aut potus desiderium apparuisset, antè facta certa esse ratus, domum eam ad suos remisit. Circumacto & hoc anno sine cibo & potu, insequenti anno quadragesimo secundo, Romanorum Rex Ferdinandus, ad comitia Imperialia de suscipiendò in Turcam bello Spiram uenit, de puella certior factus rei admiratione adductus, ad se unà cum parẽte Februario mense uocauit. Fuit puella iam duodecimum annum trãsgressa, & pro ea ætate, statura, & habitudine iusta, oculis cæsijs, & pro rustica, uultu non illiberali, ingenio planè puerili & simplici. Cum Regia Maiestas, de tanti temporis ieiunio percunctando, omnia eadem, quæ à cæteris dicta comperisset, & non nobilium modò omnium, sed & physicorum suorum captum res excederet, Reipub. interesse putauit, rem summa cum diligentia inquiri. Itaq; in meum à me hospitium suscipi, diligẽtissimeq; obseruari uoluit. Additus & ex ijs unus, quos à cubiculis habet, Hansgraue Viennensis, uir spectatæ integritatis & industriæ cui hoc iniũctum negotij, assiduus uirgini ut adesset, nec usquã ab ea oculos deflecteret. Positis igitur ueteribus uestimentis, nouis à Rege datis induta, ita ut omnia paucis dicam obseruata est, ut maiori diligentia non posset. Sæpe interim ad sumendum cibum & potum, ijs oblecta mentis frustra inuitata est, quibus ea ætas capi facilè solet. Quin & rei admirationem auget, post quam nihil comedat aut bibat, copiosè naribus & oculis, cùm interdum puerili quodam suorum desiderio fleret, humores profluxisse. Accedit eo, quod toto corpore, scabie & pustulis phlegmaticis laboret, & calido admodum hypocausto, licet exalatio inde maior, & corporis debilitas exoriatur gaudeat. Somnum autem maximè naturalem, & quietum capit. Verum ad aëris inspirationem & respirationem, stomachus & uenter inferior, qui paululo contractior est, non perinde ut conuenit, dilatatur. Viscera tamen ipsa, hepar & splen, nihil uitijs, quod tactu deprehẽdi potuit, habuêre. Os autem semper siccum habet, nec quicquam unquã expuit. Liquoris aliquid, uini seu aquæ, ad prima quidem labra, maximè si sollicitetur, admittit. Verùm ne hic quidem temporis momento tenere, quò minus statim projiciat, potest, tãtum abest, ut uel guttulam inglutiat. Cum iam ad duodecimum usq; diem summa cum diligentia obseruaretur, & nullius rei minus quàm cibi & potus desiderium esset, idem tamen pulsus, idem uultus & eædem corporis uires persisterent, ad se reuocatam Regia Maiestas, datis muneribus nõ sine admiratione domum remisit. Hic hercle, non parum negotij Philosophis & Physicis exhibetur. Puella bene ualet, crescit, & calor naturalis toto corpore deprehenditur, inspirat & respirat, oculorum, narium, etiam aurium excrementa apparent, & scabie phlegmatica corpus laborat: ambulat, loquit̃, flet, ridet, omniaq; facit, quæ, p loco & tempore ea ætas solet, sed nihil tam longo tempore comedit aut bibit,

nullas item feces, nullam urinam excernit. Postquam igitur ita natura comparatum est, ut cum calor naturalis in humidum exiccãdo semper agat, ignea illa cordis uis, continua aëris inspiratione & respiratione sustentatur: quod autem à corpore quotidie difflatur, atq; transpirat, cibo & potu restituitur. Cum igitur nihil comedat, nihil bibat, unde corporis nutrimentum, cum semper inde alioquin diffletur atq; transpiret? unde tãtum caloris naturalis superslit, ut suo uel continuo refrigerio cor indigeat? Video equidem, & ipsa res cogit, uaria hac de re hominum esse iudicia. Vt prætermittã, qui à dæmonio, qui ex ueneficio, & qui à Deo profectum prodigium disputant, quia uerisimilia non sunt, nec meæ professionis, duo hæc potissimum à Physico in dubium uocari posse intelligo. Primùm, sit ne à morbo relictus in corpore humor, unde tam longo tempore nutrimẽtum corpori possit præberi? quod si detur, phlegmaticum hunc crudumq;, quod & scabies testatur, non cholericum & melancholicum uideri oportet. Sanguis enim, unde corpus nutritur, medius humor est, inter crudos phlegmaticosq;, & cholericos adustos, melãcholicosq;. Illi, quia crudi, si tempus concoctioni detur, in sanguinem conuerti, & corpus nutrire possunt. Hi uerò adusti, quia sanguinis temperiẽ excesserunt, excrementitijq; sunt diutius retenti adeò corpus non nutriãt, ut uel nocere eidem plurimum possint. Itaq; qui Romæ olim in simili prodigia ex melancholico humore hominem nutriri cõtenderunt, toto cœlo errarũt: nisi fortè ex phlegmate quandam authoribus barbaris melancholiam constituisse putes. Alterum uerò est, quod item in disputationẽ uocari possit, cùm aërem inspiret atq; respiret, somnoq; longo satis, & per quam quieto fruatur, possit ne, cum cor, tum maximè cerebrum humectando uitalem, & animalem spiritum conseruare, & materia quædam subtilis, & potuitosa eadem, capite in inferius corpus descendendo, quantum inde diffluat & transpiret, restituere. Verùm, siue à phlegmatico, uiscoso q; humore, siue ex cordis & maximè cerebri humectatione, seu qua alia ratione alimentum corpori contingat, in præsentia excutiendum nõ suscipio. In medio id pono, libeatq; unicuiq; suum iudicium permitto, ne paradoxologus potius fuisse uidear, rem cimmerijs tenebris magis obscuram naturaliter fieri, & perspicuam esse disputando, quàm id, quod uidi, pro re certa, breuiter, quod meum consilium fuit, explicasse. Quodsi qui fortè non sunt defuturi, qui ne id quidem, quod à me spectatũ, de puellæ ieiunio uerisimile ducant, ijs hoc saltem mali imprecor, ut non paucioribus diebus, quam ipse feci, ea de re periculum facere cogantur: ita futurum, ut non ægrius ad credẽdum adduci possint, quàm ego, qui antequam uidi, alienissimus inde fui. Cæterùm quo minus admirationis res habeat, idem & olim aliquoties accidisse historici scriptum reliquerunt. Siquidem septingentesimo uicesimo tertio ab hinc anno, Lotharij Imperatoris tempore, eiusdem ferè ætatis puellam, duorũ annorum cum dimidio curriculũ sine cibo & potu circumegisse, Abbas Vrspergensis
» his uerbis commemorat. Hoc anno prodigia quædam extitisse narrantur, in
» quibus præcipua erant terræmotus in Aquensi palatio, & in territorio Tul-
» lensi iuxta uillam Commerciacum puella quædam, annorum circiter duode-
» cim, post sacram communionem, quam in pascha de manu sacerdotis accepit,
» sine omni uictus desiderio plenum biennium usque in tertium annum dimi-
» dium compleuit, nulla penitus corporis alimenta percipiens. Cœpit autem
» ieiunare anno Dominicæ incarnationis 822. à pascha, & in 825. circa initiũ
» Nouembris peracto ieiunio cibum sumere, ac cæterorum hominum more manducando uiuere cœpit. Quin & idem Romæ in Gallo exploratum esse anno sexto Nicolai quinti Pontificis, Poggius Florentinus his uerbis enar-
» rat. Vereor ne id quod his nostris confabulationibus inseram, cæteris fabulo
» sius esse uideatur, cum & naturæ repugnet, & præter modum uideatur miran-

dum, ita

dum,ita tamen uerum esse compertum est, ut impudens uideatur id negare. Quidam Iacobus nomine,qui tempore Eugenij erat in Romana curia,ex his, qui uocantur Copistæ,cùm ad patriam Nouiomum in Galliam rediisset, incidit in morbum grauem,& diuturnum. Longior esset futura narratio,si omnia recensere uelim, quæ sibi in morbo asserit contigisse. Tandem post annos multos,anno sexto Nicolai v. Pontificis,reuersus ad curiam,ut iret ad sepulchrum Saluatoris nostri,nudus & inops (nam in itinere inciderat in latrones) diuertit apud curiales uicinos meos honestissimos uiros,quib. antea fuit notus. Is biennio iam post morbum,dicit se,neq; comedisse,neque potasse,cuius rei periculum factũ est sæpius. Homo maccerimus est,sacerdos,& sanæ mentis,ut qui officium continuè dicat,& missam me uidente audierit. Plures & Theologi & Physici cum eo serio locuti sunt,rem cõtra naturam aiunt, sed ita certa est,ut peruicacis sit id non credere. Cõcursus fit ad eum quotidie hominum percontantium. Multi uaria de hoc sentiunt. Sunt qui existiment corpus hoc à demone habitari. Sed nulla signa in eo apparent nisi prudentis uiri,probi,& religiosi,qui hodie quoq; scribendi exercitio uacat. Alij humorem melancholicum asserunt prębere nutrimentum. Cum ipso egomet sæpe collocutus,falsa existimans quæ dicebantur. Non tamen subitò, sed paulatim in hanc consuetudinem descendit. Ego rem hanc magis admirarer,nisi reuoluens nuper quosdam annales,quos in Gallia olim transcripsi,legissem idem tempore Lotharij Imperatoris,& Pascalis Papæ,anno Domini 822. contigisse. Puellã scilicet duodecimum annorum,in Territorio Tullensi,uilla commerciaci,post assumptam in Paschate sacram communionem,primò per decem menses pane,deinde triennio potu & cibo abstinuisse: postea rediisse ad priorem uitam. Quod & iste de se sperat futurum. Hæc ille. Quanquam,dum hanc de puellæ ieiunio narrationem potius texo,quam ipsa de re disputationem ingredior,satis mihi magnum fructum capere uideor,si ijs, quorum imperio adductus id facio,utcunq; satisfactum erit,tamen,qualecunq; id sit, & eiusmodi esse gaudeo,unde,quibus chronica scribẽdi prouincia est tradita,aliquid certi capere,cum multi multa his rebus affingant, & in posteros transmittere possint.

DAMIANI GOIS EQVITIS LVSITANI DE CAPTIVITATE SVA, ET DE IIS, QVAE AD LOVANIVM A' LONgouallio Gallorum Duce acta sunt, ad Carolum Quintum Augustum uerâ Narratio.

IAm est Cæsar Auguste multorum hominum natura ut potius obtrectandi studio,quàm referenda gratia delectentur. Ac habet quidem humana natura multa & magna uitia,sed nullum tamen grauius,neq; intolerabilius,quàm illam obliuionẽ gratiæ,coniunctam cum laceratione,& oppressione uirtutis alienę: In quo crimine,id etiam ineſt mali, quod qui eo obstricti sunt,uitia quæ à natura habent,artificio quodam malicię condiunt. Quicũq; enim ingratus esse uult,ut ingratus esse possit,eleuat beneficia in se collocata, famamq; illorum arrodit,& carpit,ut uel nihil, uel perquàm pusillum debere uideatur. Sed si est aliqua disciplina uirtutis,si ullum studium sapientiæ extat,

non deberent qui hæc profitentur, eiusmodi artibus, ad bonorum uirorum, benecq; de se meritorũ, famam dignitatemq; lædendam abuti. Quod cùm nemini mortalium, multò tamen minus Louanienſibus id conuenit, in quos publicè, priuatimq; tam multa mea merita constabant, quorumq; periculum & discrimen, periculo capitis fortunarumq; mearum grauissimis temporibus ciuitatis auerteram. Quorum pro beneficijs meis maleficia, pro studijs odia, pro salute ciuitati data, perniciem prope redditam, sacra tua Maiestas paucis cognoscere ne grauetur. Cum summa semper nescio qua literarum admiratione olim tenerer, neque tamen ob aulica negotia in quibus à puero pene enutritus uersabar, operam eis liberam impendere ualerem, non remittente se interim affectu, cœpi cogitare mecum, quomodo tandẽ ijs uacare possem. Nec defuit consilio successus. Louanium enim Antuerpia relicta (ubi tum ob negotia regis agebam) me contuli. Sed hoc in loco cum septem fermè menses coluissem mansuetiores musas, ab Inuictissimo Ioanne huius nominis tertio Lusitanorum rege (apud quem à puericia educatus fueram) ultro delata mihi orientalium Indiarum quæstoria dignitate, in aulam adsciscor. Qua de causa reuersus in patriam, cum magis magisq; literarum amore flagrarem, quæsturam uix initam deposui, ac deinde peragratis, perlustratisq; aliquandiu uarijs regionibus & Academijs, cùm inter cæteras, Brabantia tua Cæsar Augustissime, impensius mihi commẽdaretur, Louanium cum uxore, quam in Hollandia Rege assentiente duxeram, studiorum gratia commigraui. Quod quidem oppidum, multis antea & maximis beneuolentiæ argumentis, semper edocui mihi intime charum & iucũdum fuisse. Quæ autem ibi uitæ meæ, quæ instituendæ, alendæq; familiæ ratio, quæ coniunctio nõ solùm cũ optimatibus Academiæ, uerũm etiam cum decurionibus ac nobilitate municipij fuerit, quam denicq; illustri gratia tum studiosorum, tum ciuium floruerim, ab illis potius te Cæsar Inuicte, quàm ex me cognoscere malo. Etsi enim defloruit gratia, memoriaq; nostrorum beneficiorũ unà cum detrimẽto fortunarum mearum, quibusq; ante obsidionẽ charissimus eram, ijsdem post liberationem urbis, ne quicquam debere mihi uiderẽtur, grauis esse cœpi, spero tamen testimonium publicum innocentiæ pietatisq; meæ nequaquam mihi denegatum iri. Casus autẽ qui me à ciuitate alienauit, hic fuit. Cùm sub æstiuis mensibus in Holandiã cum uxore, usitato more properarem, ut ea patriæ solo quotãnis frueretur, ac interea aliquot dies suspenso itinere Antuerpiæ hærerem, ecce nuncium per certos homines accipio, hostilem illam manum, quę nulla denunciatione belli facta, instar prædonum, Brabantiam repentinis depopulationibus, incendijs, cædibus uastabat, Louanium magnis itineribus contendere, ibicq; sedem belli statuere, quo tanquam ad domicilium martis, utrinq; è Gelria & è Gallia exercitus tuto cõmearent, quem locũ si armis tenerent, certa iam illos spe foueri, proxima quæq; in ditionẽ & potestatem suam redigendi, accessione præsertim copiarum Gallicarum, quas Aureliorũ dux non ita procul apud Iuodium sub signis habebat. His rebus cognitis, meus ille in Academiam Louaniẽsem fatalis amor, me ex itinere Louanium retraxit, multum sanè reluctante uxore, multum dissuadentibus amicis, & tanquã diuina quadam præsensione, cunctis infausta ominantibus. Sed gratitudinis, pietatisq; meæ esse iudicabam, pro uirili mea parte, armis, consilijsq;, ei urbi succurrere, quæ me quasi pia mater propè in sinu suo inter literas ac literatos fouisset. Aduolo igitur confestim ad urbem eamq; eodem die ingredior, quo plericq; illam ciues & municipes, relictis aris, focis, coniuge, liberis, per summũ dedecus deferebãt. Vxor etiã qui me ab hac incitatione animi, susceptoq; cõsilio defendẽdæ urbis, lachrymis, lamentisq; suis deflectere non potuit, iter meum subsecuta est. Quam gratus autem fuerit aduentus meus, ex eo haud obscurè

ſcurè cognoſci poterit, quod eodem prope momẽto, quo cognitũ eſt de meo reditu, à Magiſtratibus in ſenatum uocor: ibi de munienda pro magnitudine periculi, defendendaq; ciuitate, conſilio habito, in tantis aſperitatibus rerum, anguſtijſq; temporibus, uariè lateq; diſceptatum eſt. Placuit tandem, ut ego cum paucis alijs, oppidum intus foriſq; inſpicerẽ, remq; totam explorate perceptam & cognitam ad Senatum referrem. Quod munus ut ſummo ſtudio ſuſcepi, ita ſuſceptũ nauiter alacriterq; obiui, ac quid mihi de ſitu, naturaq; loci, de munienda, defendendaq; ciuitate, decq; habendo delectu iuuentutis uideretur, uniuerſo ſenatui uerbis ſcriptiſq; aperui, ac deinde qua potui deligentia, induſtria, fide, ad omnia celeriter ſagaciterq; prouidenda, ubiq; præſens præſtoq; fui, neque uſquam defui, ubi uſum aliquem mei fore ciuitas iudicabat. Quæ cura cùm me ibi aliquandiu occupatũ tenuiſſet, rebus pro tempore compoſitis, domum redeo, quo ſtatim Rector ipſe cum dignitatis ſuæ inſignibus ſubſequitur, ac Vniuerſitatis nomine mihi mãdat, ut illico in ædẽ Diui Petri me conferam, quo iam frequens Academia conuenerat. Obtempero, in ſenatum uenio. Quis urbis ſtatus, quæ conſeruandæ eius ſpes ac ratio foret, diligenter ſciſcitantibus ſententiam meam expono. Ad extremũ, poſt uarios de ſumma Reip. defendendæ ultro citroq; cõmunicatos finitoſq; ſermones, communi omnium ſuffragio & ſententia rogor, uti ſtudioſæ iuuentutis, quæ adhuc in ciuitate reliqua erat, præfecturam ſuſciperem. Itaq; poſt meum in oppidum aduẽtum, cautum decretũq; ſub pœna capitis fuit, ne quis clam, palámue ab urbe profugeret. ac ne quenquam uigiliæ quæ ad portas in ſtationibus erant, excedere ex urbe paterentur. Hæc etſi non ignorabam, tum ob nimiam iuuentutis licentiam & indomitos mores, tum ob nationum uariarum diſſimilitudinem, quàm difficilis at periculoſa prouincia foret, tamen cũ qua de cauſa Louanium rediſſem, mecum reputarem, curam illam tãdem, etſi grauatè, ſuſcepi. Atque ex eo tempore etiam conſideratius, quæ ad defenſionem ſalutis omnium pertinerent, cogitare proſpicereq; cœpi. Mittitur interea ad nos à Sereniſsima Maria Hungariæ, Bohemiæ, &c. Regina uidua ſorore tua chariſsima (cui huius inferioris Germaniæ ac Galliæ Belgicæ tua gubernacula, ob ſingularem eius prudentiam meritò commiſiſti) Philippus Dorlay Gallicæ Brabantiæ Prætor, qui ſummæ rerum Louanij præeſſet. Mittitur item cum trecentis tyronibus Conradus comes Vernembergenſis. Poſtremò autem ſub diluculum eius diei, quo hoſtis ad mœnia acceſsit, aduentare quoq; cum equitatu Georgius Rolyn Dominus Emmeriẽſis nũciatur. Quãobrem à me Ioannes Tommen tunc temporis conſul petit, uti honoris cauſa ei obuiam prodeam, quem plus minus una equitum centuria ſtipatum in urbem atque in diuerſorium deduxi. Quo munere perfunctus, quia ſatis conſtabat hoſtes non procul ab urbe abeſſe, inſpiciendarum uigiliarum gratia, armatus ad omnia hoſtibus proximiora contendo. Ibi ſanè excubias magna ex parte ſtationibus etiam alicubi deſertis, mirè conſternatas fractaſq; reperi, cum iam non fama hoſtilis aduentus, ſed flamma quoq; in oculis eſſet, qua deuaſtari omnia ex muris proſpiciebãt. Quibus ex tempore, adhortatione ac ſpe maioris præſidij (quàm Sereniſsimæ Reginæ nobis fecerant literæ) confirmatis, cæteriſq; procuratis, quæ ad horam fermè diei tertiam quaquauerſus equitando deſiderari animaduerti, in curiam me confero, ubi omnes magiſtratus optimatesq; ciuitatis unà cũ comite Vernembergenſi, & Domino Emmerienſi, Prætoreq; Brabantiæ Senatum cogebant. Quos cum de raritate, trepidationeq; eorum qui excubarent, pro ſalute ciuitatis aſperius monuiſſem, ſtomachãs no arctiore diſciplina in tanto periculo ciuitatis uigilias coërceri, comiti Vernembergenſi aſsideo, interea autem dum conſulitur, quid faciẽdum eſſet, per Chriſtophorum Pheegel Germanicæ nationis iuuenem fortem & impigrum, ſubito de-

to denunciatur mihi nomine Vniuersitatis, ut omni celeritate domum meam contenderem, ubi omnis Academiæ iuuẽtus, auctoritate Academica uocecq; præconis cum armis cõuenerat, ut pro ratione temporis officioq; ducis susceptο, cum illis agerem. Quibus mandatis obtemperans è Senatu confestim ad ædes meas propero, & quos ibi scholasticos frequẽtes inuenio, euestigiò unà cũ magistro Seuerino Feiten Frisio, legato meo, uiro strenuo, & ad id munus ab ipsa Academia prudẽter delecto, in forũ deduxi, ibidemq; fide data sese militaribus officijs astrinxêre. Inde agmine cõposito eos ad mœnia deduxi, qua parte hostis potissimùm expectabatur, qui locus medius erat inter portã Bruxellensem & fluuiolum, quem uulgò Vuram appellãt, ac ciues omnes, qui ibi excubabant ad alias urbis partes defendẽdas discedere iussi. Nationes etiam ne quã permistæ turbam concitarent, certis locis distinxi. Hęcatq; alia summa sedulitate agenti mihi renunciatur, hostes misisse fœcialẽ suum, qui cum oppidanis colloquium exposceret, eumq; intra mœnia ac porrò in senatũ admissum. Ad quem nuncium stupefactus, ob temerariam stulticiam, & stultam temeritatem eorum, qui hostẽ intra portas recepissent, eiusq; oculis raritatẽ propugnatorum, solitudinem urbis, trepidationem non solùm fœminarum, puerorumq;, sed etiam uirorum ac rem denicq; omnẽ contemplandã subiecissent. eam ob rem muneris mei non immemor cursim in curiã redeo, ac cum circumactis huc illuc oculis, comitẽ Vernembergensem, Dominum Emmeriensem, Brabantiæ prætorem (nam eos euocatus ad milites meos in curia reliquerã) nusquam uiderem, eorum absentiam demiratus, sine quorũ consilio & auctoritate, nihil tale fieri debebat, utpote qui in suam fidem & tutelam Louaniensium urbem à Serenissima Regina Hungariæ recepissent: rogo num illi tam absurdam rem iussissent, & cur in præsentia à Senatu abessent, respondetur ab uniuersis, omnes iam ex oppido profugisse. Percunctanti porrò quid sibi fœcialis uellet, aiunt eum Regis Gallorum nomine, deditionem urbis poscere, proinde se contra emisisse tubicinem, qui colloquium cum hoste impetraret, interea fœcialem in oppido commorari iussum. Commouebat sanè me non parum responsum hoc, & perturbabar non mediocriter, quod uiderem non tantùm non ex eorum, qui iam abscesserant, auctoritate, sed ne me quidẽ in consilium adhibito, ac ne conscio quidem, qui solus supereram, quicq; inter milites Academiæ caput & dux auctoritate publica constitutus eram, tantã rem esse cœptam. Sed quid facerem? lacta iam erat alea, ne abhorrere animos à deditione, &, ut in re deplorata, omnia malle, quàm uim hostium experiri palàm erat. Videns igitur meum consilium, aut non requiri, aut non magni fieri, eósque quo semel timore inclinauerant præcipites ferri, mœstus ægercq; ad meos recurro, ut ipsos quàm possem maximè in officio continerem, confirmaremq;. At eò cum uentum esset, omnes præter quàm oppido paucos, anxiè ac titubanter, inconstanterq; loquentes inueni. Iam enim plenius certiores erant redditi, de illa turpissima Ducum fuga ex urbe, de flagitioso fœcialis aduẽtu, & de trepidatione Senatus, de tubicine cõtra in castra emisso, ac de desperatione denique conseruandæ ciuitatis. Quare adueniente me, num hæc ita essent, plærique eorum statim interrogant, ad quorum quæsita cùm tristius respondissem, multa & simulans inuitus, & dissimulans cum dolore, ecce subitò quidam interruptis & morientibus uocibus sic me inclamat. Ita'ne ergo nos huc produxisti, ut te duce omnes trucidemur? uel, quod iam minimum malorum est, captiui reddamur? Cur rebus adhuc integris nos non incolumes abire permisisti, cum pro se quisque id abs te precibus contenderet? An uerò ideo pertim retenti sumus, ut nobis pro piaculo datis, facilior ciuitati foret cum hostibus transactio? Nam quorsum hoc petitum est colloquium, nisi ut si alia fortè ratione pacem ciuitas facere nequeat, nos in eorum

potestatem

poteſtatem tradant,ac deditione corporum noſtrorum,qui hic peregrini atq; aduenæ ſumus,ſalutem urbi ac ciuibus redimant. Hæc & alia cum iuuentus planè iam turbulẽta,& furore quodam incredibili percita fremeret,ita uultus oculiq; eorum perpulerunt me,ut nihil unquam in uita mihi acciderit indignius, uel tulerim acerbius. Quis enim cuius integra conſcientia eſt,ac fraudis ſceleriſq; neſcia, proditionis crimen diſſimulanter audiat? Talibus igitur uocibus mihi circum aures ſtrepentibus, cum ea & turbulenta & temeraria & periculoſa eſſe uiderem,multaq; ſæpe inopinantibus ducibus uim belli ac turbam moliri non neſcirem, remittere me illis fidem datam mihi paulò antea reſpondi,neque enim cõgruere ipſis aut Reip. ut quem ſuſpectũ infenſumq; putent,ad eius ductum omnes uires ciuitatis applicarent,neq; alias mihi gratum ducis nomen præſertim in ea ciuitate,in qua cum hoſtibus inconſultò dux pactio tentaretur. Itaq; commilitonem me deinceps appellarent, & de fide mea pro experimentis ſtatuerent,uelle equidem me omnes bellicos labores, omnes militaris leges æquè cum ipſis pati & ſubire,alij inquã loquantur cum hoſte,pro arbitrio paciſcantur,tranſigantq;,ego cum omnibus communẽ belli euentum expectabo. Quod uerò iuuenum inſolentiæ ac tempori cedẽs,ducis me imperio abdicaui,& me illis commilitonem ad communia pericula obeunda,promptiſsimum fore profeſſus ſum, non eſt cur calumnientur æmuli, perperam illos à nobis relaxatos,cum præſertim nulli ſtipendio addicti,nulla ſtipulatione allegati,nollent ſine ulla ſpe ad interitum ruere uolũtarium. Ego quoq; Academia & Rectore rogante liber à iureiurando eoſdem illos liberos liberali imperio habui,dum tempus & rerum ratio tulit,eadem urgente, non nouo conſilio,ſed maiorum exemplo,ſimulatam hanc relaxationem, amplexus ſum,ut ego ardentius atq; acrius iuuentutem ad urbis defenſionẽ excitarem,& id à quo animus abhorrebat,oratione ſignificaui,ac aperte dixi me ſcilicet nomẽ Ducis,nec ambiuiſſe,nec ambire,ea,propter ut cùm iuuentus omnis,quàm ex tota Academia exciuimus,animaduerteret in tantis rerum angu ſtijs ductore ſe ſuo,& omni ſpe ſalutis orbatam eſſe, maiore ſtudio officiũ meum requirere cogeretur,& cũ per multos exillis retentos in oppido inuitos, atq; id meo potiſsimũ conſilio,à ſenatu decretũ fuiſſe recordarer,quando iam cæteri Duces in fugã ſe dediſſent,& ciues permulti,eorũ pedes fugaces & ueſtigia odorantes perſequerentur ſimilem uiam,uolui iuuentutem à fide mihi p̃ſtita liberare,ne ullus inuitus uel coactus ſub meis ſignis militaret,ut eo conſilio timidos uel ablegarẽ,uel animoſiores fortioresq; ad urbis defenſionem redderẽ. Simili ratione ut à belli periculis abeſſet Spartana iuuẽtus,cauſa diſſimulata,literiſq; datis,ad Ephoros remittitur. Pari arte & prouidentia milites Cæſariani ignominioſa miſsione apud Veſuntionem in officio retenti fuêre. Tali deniq; conſilio Imperatorio perſæpe belli duces præſtantiſsimi uſi ſunt, quorum uidelicet præcipua bene conſulendi portio hac laude continetur, ut diſpiciant non ſolùm quid per ſe optimum ſit,ſed quid pro temporis ratione poſsit obtineri. Quid opus eſt uerbis? In eum iam res erat progreſſa locum,ut exitum honeſtum nemo proſpiceret. Ita omnes dubitabãt,hæſitabant, circumſpectabant omnia,quicquid increpuerat pertimeſcebãt,diffidebãt rebus ſuis. Aderant tamen in ea armatorum corona(ut ferè fit in multitudine) æquiores alij,& conſilij ſanioris,quos id,quod propter imperitos factum maximè uolebam,non mediocriter cõmouit. Hi ſtatim aggrediuntur me atq; orãt, ne propter quorundam temeritatem,uniuerſos deſererem. Sed quando eò nũc uentum ſit,ut ſenatus omnino decreuerit cum hoſte colloquiũ, etiam atq; etiam prouiderem,ut ſtudioſæ iuuentutis ratio haberetur,nec de ipſis grauius quicquam,quam de ciuibus ſtatueretur. Id uerò etſi Senatus ab initio inconſultò me conſtituiſſet, tamen ne alicubi mea opera ſtudioſis denegata uideretur,

sedulò me facturum, aditurumq; extemplò Senatum polliceor. His itaq; uerbis in uallo habitis, præsidio prius perlustrato, cura excubiarũ Seuerino iam delegata, in curiam reuertor. Quo in itinere, iuxta Carthusianorũ stagnum, non longè à mœnibus, obuius mihi fit Ioannes Rauenschot patritius Louaniensis, à quo fio certior, Senatum ad portam Bruxellensem iam adesse, ut in congressum colloquiumq; cum hoste ueniret. Quæ res ut ante mihi, dum me inscio statueretur, ita nunc cum perficeretur, nouo rursus dolori, ægritudi nicq; esse cœpit, nihilominus eandem portã petere decreui, ibi cognoui hostiũ Duces fide data quatuor oppidanos ad colloquium admisisse. Hic ego memor meorum, & de communi illorum salute anxius, interrogo statim de nominibus eorum qui ad id muneris essent designati: Respondetur primùm esse Hadrianum Blehemum tunc ciuitatis prætorem, secundum Ioãnem Tommen eodem tempore (ut dixi) consulem, tertium Applesinum quendam, quẽ dominus ab Emmerensi sibi legatũ fecerat, quartum uero, ut tum erat omnium rerum perturbatio, ignorari. Cõfestim Prętor me rogat, ne meam operam in rebus tam afflictis ciuitati denegarem, uerùm ut me quartum illum facerẽ, qui auctoritate publica, colloquio destinatus, hostium timore fortè perculsus se subduxisset. Ibi coniectis simul multorum in me oculis, huc etiam inuitantibus, dubius primùm constiti, quod statim subirent animo, quæ me uel ut manerem, uel ad colloquium exirem instigare uiderentur: ad extremũ cum crederem id mihi à ciuitate imperari, quod à Prætore ciuitatis rogabatur, feci inquam id quod me facere singuli atq; uniuersi ciues atq; etiam studiosi si cõsulti fuissent non uoluissent modò, uerùmetiã impensè me rogauissent. Egressus ergo cum tribus illis quos suprà retuli, in castra hostium per fœcialẽ illũ, qui temerè dudum in oppidum receptus fuerat, deducimur. Cùm autem uentum esset ad Leprosariam Bancensem, quæ non multum distat à mœnibus, seorsum ab alijs Nicolaũ Bossutium Dominum Lõgouallius, Martinũ Rossemium Gelriæ metatorem, & quendam alium nobilem Gallum, nomine Luer sellium, offendimus, inter quos Longouallius ut exercitus caput, minas promissaq; magnifica iactabat, hinc uerborum iactatione libertatem, omniumq; tributorum immunitatem, illinc denunciatione periculorum cædes, incendia, aliasq; belli calamitates, facilimam oppidi expugnationem, eandemq; omni ordini ac ætati pernicioſissimam ostentans. Proinde secum ciues expenderent, præmia an supplicia expectare mallent, se sanguini parsurũ si leges suas reciperent. Hoc in colloquio cum à nobis deditio multis & uarijs argumẽtis repudiata esset, proposita est ab hoste pactio redemptionis, ut trimestre stipendium hostili exercitui solueremus, quod in singulos menses erat septuaginta millium coronatorum aureorum. His additum erat ut omnia tormenta, machinasq; bellicas, globos pulueres & quicquid ad eorum instrumẽtum & apparatum pertineret, traderemus. Commeatum quoq; & annonam exercitui præberemus, sed iusto prætio. Quod si uerò in has leges conuenisset, uolebat etiam ut quatuor ex proceribus oppidi sibi pro obsidibus darẽtur. Tandem cum alij tres deputati ac ego non uideri nobis tam iniquas conditiones ab oppidanis impetrari posse ostendissemus, eò descendit hostis ut septuaginta coronatorum millia accepturum se, de cæteris autem nihil remissurum diceret: itaque cum postulatis huiusmodi ad Senatum in curiam quò item uiros primarios populi & Academiæ conueniſſe constabat, reuertimus. Ibi (ut multa breuitatis causa prætermittam) omnium suffragijs uisum est, & pecuniam illam & obsides dandos esse. Ad hæc Prætori mandatum, ut congios (quos amas uocant) quadraginta uini & centum cereuisiæ hostium ducibus offerret, si à petendis pulueribus tormentarijs bõbardisq; desistere uellent, sin minus bombardas saltem retineret. Commeatum autem prætio legiti

mo ho-

mo hoſtibus polliceretur. Id quoq; omnium ore decretum eſt, ut ſi hoſtis nec prece, nec præcio, nec gratia à poſtulatis deduci poſſet, omnia potius tradenda, quæ exigebat, nempe ſeptuaginta millia coronatorum, bombardas & pulueres, quàm in eius manus incidendum eſſe: Nam intra mœnia nec animus, nec uires erant, quibus oppugnationi reſiſteretur, ac unuſquiſq; iam latibulis occultorum locorũ, uitam fortunasq; ſuas tegere conabatur. Quæ cùm ſatis confuſè & pertumultuosè conſilijs, animisq; omnium per ſummũ terrorem turbatis, anxijſq; acta eſſent, ut norunt omnes qui tum Louanij fuêre, Prætor, Appleſinus & ego, Senatus & Academiæ decreto iterum cũ obſidibus in caſtra egreſſi ſumus, qui fuêre Ioannes Tommen, Conſul, is qui prius colloquio fuerat deſtinatus, Gregorius à Dieuen, Bartholomeus Heetueldius, & Iacobus Velius Iuris Licentiatus. Deducentibus obſides, multi comites tum ſtudioſorum, tum ciuium (ut qui ſibi certi de pace aut induciis eſſent) fuerunt. Vbi autem ad hoſtem uentum eſt, qui nos iuxta Bruxellenſem portam operiebatur, Longouallius, qui exactè iam à ſuo fœciale intellexerat, quid animi, quid militum in oppido eſſet, Prætoris orationem interrumpens ſe cum tot millibus, quot ſibi uideretur, ingredi oppidum uelle ait. Quare rei nouitate omnibus ſtupefactus Prætor reſpõdit ſe præter ea, quæ in mãdatis habebat, nihil offerre poſſe: Quod ſi ea non placerent, non habere ſeſe quod polliceretur amplius. Ad hæc Longouallius deditionem ciuitatis Regis ſui nomine acerbiùs flagitans extrema quæq; ac crudeliſſima ciuibus minitabatur. Tandem cum utrinq; uaria tractarentur, ut de oppido dedẽdo cum ciuibus & magiſtratu intus communicare liceret, Prætori dimidium horæ tantummodo ad reditum tribuit, tanta erat oppidi expugnandi hoſtium libido, ut in re tanti momenti, plus temporis ad deliberationem concedere uoluerint. Prætor ergo in urbem reuertitur, ſequentibus eum multis, qui prius unà exierant. Ego uerò eius temporis quod dabatur, breuitatem contemplans, cum interea non tam in Senatu, quàm foris apud hoſtem cõmuni omniũ ſaluti prodeſſe poſſe me iudicarem, manendum mihi foris, colloquendumq; de conditionibus primis, interea, dum Prætor rediret, ſtatui. Etenim cùm fœdera, quib. cum hoſte deuincitur fides, negligi uiderem, metuebam ne quemadmodum Longouallius ſemel, ita quoq; iterum appendicem duriorẽ poſtulatis adjiceret. Hæc aũt ne acciderent, continuo colloquio, pertractando animo hominis, & captanda uoluntate, impedire poſſe exiſtimabam, ne pluris redemptionem ciuitatis licitaretur. Alia quoq; mihi manendi cauſa fuit, qua nõ mediocriter angebar: Timebã enim ne Senatui perturbato iam & rebus diffidẽdi deditio placeret, cuius conſilij ego particeps uel conſcius eſſe nolebam, deſperans omnino ut erat neruis omnibus urbs ipſa ſoluta & debilitata me tali cõſilio reſiſtere poſſe. Sed roget quis, quænam ibi Damiane fuit cum Lõgouallio amicitia, ut ea fretus deditionis ſpem illi adimere conareris? quæ tandẽ uerò eſſet, niſi quod cum bona ſpes cum omnium rerum deſperatione confligit, in afflictis ac perditis rebus fidenter infirma præſidia, pro ualidis amplexamur. Superiori colloquio quod cum hoſtibus fuit, intellexit Lõgouallius me Luſitanum eſſe ex gente minimè, ob priſca inter Reges fœdera, inuiſa: me item nõnullos in Gallia Luſitanos habere amicitia & ſanguine coniunctos, cum magna quibus neceſsitudo Longouallio interceſſerat. Quibus rebus effectum eſt, ut mecũ humaniùs loqui, & multum de truculento aſpectu & uiolentia ſermonis remittere cœperit. Itaq; fiducia illius recentis noticiæ beneuolentiæq; quàm Lõgouallius in præſens ſimulabat, illic ſubſtiti. Quid ni? Non ne firmamentũ ſtabilitatis eius, quam in bello quærimus eſt fides, & conſcientia promiſſorũ? hæc cum mihi publica iuſſu Senatus hoſtiſq; data eſſet non ſubſiſterem, cuius rei fiducia reuerterã, eiuſdem non manerem? Vbi illa eſt antiquæ fiduciæ formula, inter

la, inter bonos bene agier oportet, ut ne propter te, fidemue tuam captus frau datusue sim. At qui multis audientibus sepe tum ad hostem dixi huius iurisiu randi religione & uirtutis fiducia nixus, Louanienses Senatusconsulto facto, communicq; consensu, omnia prius tentare, pati & ferre constituisse, quàm in deditionem uenire. Quare si commodis principis sui, suisq; prospectum cu peret, pactiones illas pecuniarias potius admitteret, quàm frustra oppidum oppugnatione appeteret, cuius exitum non dubitarem longè alium futurum quàm ipse opinaretur. Tandem nullis argumentis, nullaq; ratione hostis commotus sanctè affirmabat se copia militum, nec oppidum nec oppidanos grauaturum, si deditio procederet, sin minus oppugnationem iamiam futu ram. Quod ego quorsum attineret, circumspiciens, omnes armorum belliq; casus incertos esse, ancipitesq; dicebam. Ac talia me foris agente expectan teq; prætoris reuersionem (uix dum enim eius temporis, quod ad consultan dum exiguum concessum erat, dimidia pars afluxerat) dum inducíarum fi ducia securo prorsus animo hostes iuxta fossam & portam Bruxellensem pas sim uagabantur, ecce subito præter omnium expectationem, bombardarum sonitu, & iaculis omnia compleri cœpta, qua quidem re siue diuinitus, siue a stutu militari euenerit, perculsi attoniticq; hostes, alij in partes alias effusi, in fu gam cuncti conuersi sunt. Ego uerò & si gaudio magno exiliebam, quia urbi à regina succursum putabam, hostilemq; ipem delusam, tamen de me quid re pente statuerem haud repetebam. Nam fuga in qua hostes spem collocaue rant, eam undiq; pernicíosam mihi prospiciebã. Quo enim me reciperem? in ciuitatem ne? cuius iam portæ clausæ & tela emissa accessum prohibebãt? In castra ne? atqui hostes sciebam omni diritate atq; immanitate teterrimos fore. A lateribus autem profugium impediebant obiecti hinc illinc impedimẽto rum aggeres, uerumtamẽ hisce tantis difficultatibus subito circumuẽtus, dum periculis omnibus posthabitis, equi sceleri cursu me recipere ad urbem conni tor, auferor unà cum agmine fugientium, ac circumfusorũ impetu cum equo simul, infelix legatus, ac ciuitati melius quàm uitæ meæ consulẽs, in hostiũ ca stra abripior. Atqui Louanienses clamabant me dignũ calamitate, quod non redierim cum Prætore in urbẽ. Hũc clamorẽ discutiemus. Siquid culpæ inest, nihil deprecor, teq; Augustissime Cæsar cognitorem facio, apud quem nõ ca ptiosam legum interpretationem, sed æquitatem ipsam plurimũ ponderis ha bere omnibus constat. Nec quicquam adducã in medium, quod nõ prius Lo uanienſibus exhibui. Ac primũ redeant mecum in memoriam illius diei, quæ tantam fortunę atrocitatem, tam tristem rerum faciem, tantam totius Reipub. formidinem ob oculos posuit. Non inficiabũtur eam fuisse, ob circunstans ci uitatem malum, omnium rerum confusionem cõuersionemq;, ut omnib. libe ra facultas fuerit, quod cuiq; uidebatur, pro Reip. faciẽdi. Nam cum fortè ibi, præmente tum ui aquarum, minor oppidi cataracta elisa esset, de cõsilio quo rundam factæ sunt ruinæ, quibus aquæ fluxus sisteretur. Num de damno da to, cum illis agi hodie poterit? Multi ut speculatores hostium, ut proditores, multi quoq; ut incendiarij aut latrones intra mœnia comprehensi in custodi am & carceres publicos deducti, quorũ tamẽ pauci sontes reperti sunt. Num istis ob innocentiam dimissis, actio iniuriarum competat? Occisus est etiã eo dem tempore pro hoste socius, pro oppugnatore ciuitatis, is qui defensor ei, propugnatorq; uenerat, nec is unus fuit, sed duo una nocte. Multa præter ius & æquum in ea trepidatione commissa fuêre, quæ si singula ad iuris etiam rigorem deducas, minimè tamen eos qui ea egerunt, ulla lege teneri censeas, quoniã is status Reip. fuit, ut expedire usum sit à quouis eam adiuuari. Itaq; consensu quodã tacito legum, edictũ mandatumq; uidebatur, ut quod quisq; in Remp. conferre posset, id conferret, Remp. omne id habituram & ratum & gratum

gratum. Vnde etiam nunc talium rerum impunitas auctoribus libera conſeruatur. Atque hanc poteſtatem cùm omnibus tributam, tum mihi etiam maximè quod perſona publica eſſem à magiſtratu & Academia credidi, cuius ſenatus conſulti perſuaſione & boni publici cauſa remanſi foris, reuertente prętore in oppidum, ut ſiquid fortè melius breui illo tempore, quod ſolum & ultimum ciuitati iam reſtare uidebatur, prodeſſe poſſem apud hoſtē, eius opportunitatem ne amitterem. Atq; hoc conſilio meo, ſiquid fuiſſet effectum boni, ut fructus eius totius fuiſſet Reip. ita contra incommodum certè, quod infeliciter accidit, in ipſam quoq; ęquum eſt ut redundet. Id eò æquius etiam, quod hoc quicquid eſt infortunij, non mea culpa, ſed aliorum maximè ſuperuenit. Nam ſi fuiſſet ſecundùm belli leges ſeruata fides, expectatusq; inducіarū exitus, potuiſſem me in tutum recipere, atq; eandem cum ijs qui tum in oppido erant, fortunæ aleam ſubire. Nunc uerò uix dimidiato illo decurſo tempore quo tuto foris oratoribus abeſſe licuit, dum adhuc ſecurus colloquor cum hoſte, peruiolatas inducіarum leges in atrocem illam fortunam incidi, quas ſi hoſtis uiolauit prior, ut interpres bellici conſilij & legatus captus ſum. Sin autē oppidani audacia pro uirtute uſi, fatali quadam neceſsitate belligerādum ſibi cum fortuna putantes, Solem ipſum præiaculorum multitudine & ſagittarū umbra obſcurare conati ſunt, etiam atque etiā uideas te obſecro Cæſar, num non propterea maiore etiam ſtudio, ac ratione æquiore ſim à Louanienſibus ſubleuandus, quod caput meum quaſi certaminis cauſa, in maximum totius huius belli diſcrimē obiecerunt, non aliter ac ſi uniuerſæ ciuitatis ſalus in meo alienigenæ periculo poſita eſſet, & uiolatas religiones inducіarum, meo peregrini ſanguine atq; ſupplicio expiādas cēſerent. Sed ut unde digreſſus ſum reuertar, hoc modo in hoſtium caſtris interceptus, ſub tertiam fermè à ſolis occaſu horam, à Lōgouallio accerſor, qui ſeparatim mira quadam atrocitate cauſam extorquere nititur, quare oppidani pactiones & conditiones bellicas perturbantes periurio, tam furioſè caſtra ſua tormentis uerberarint? Si uera referrem, præmia ampliſsima, ſi falſa, mortem certam proponens. Quæ ſanè uerba, ut à Duce ira & furore percito, & ſi animū fortiſsimi cuiuſq; uiri inflectere potuiſſent, nihilominus omnibus ſupplicijs ſalutem ciuium ciuitatiſq; anteferens, mortem etiam, quæ naturæ debita, pro Academia eſſet potiſsimum reddenda, contemnens, oratione forti & conſtanti ſic imperatoris animum fregi atq; compreſsi, ut hoſtem non ſolum ab oppugnatione deterruerim, ſed ferè etiam ad relinquendam obſidionem compulerim. Certè illud uehemēſsimum eſt, quod ex meis uerbis triſtis anxiuſq; diſcedens, & ab omni ſpe capiendæ urbis deturbatus, uide inquit quid agas Damiane. Tuam ego ſalutē adiuraui, ut uel uera cum præmio, uel falſa cum pernicie referres. Si me fallas, ipſe tuæ calamitatis auctor fueris. Cui reſponſum eſt à me, omni mortis timore ſublato. Nihil deprecor, ſi falſi conuincar. Sed quoniā more cōparatum eſt, propter teſtimoniorū religionem & fidē, quam ſemper omnis natio coluit, ut nemo teſtimonium, ne minimis quidē in rebus, de re ſua diceret, iſtius ipſius colloquij atq; illius prioris, quod ante Bruxellēſem portā cum eo habueram, Longouallius ipſe uerum & præclarum iudicij ſui dedit mihi teſtimoniū, & à ſe ſubſignatum, cui ſigillum ſuum impreſsit. Hoc diploma, quanquā inuitus, Louanienſibus oſtēdi, quod eos ne eatenus quidem cōmouit, ut mihi uel uerbis gratias agerent. Deum immortalem, quæ iſta tanta feritas atq; barbaria, ut homines ſummis beneficijs ſalutis ac libertatis affecti, ne oris quidem ſignificatione gratiam officij teſtificari uelint. In eodem autem fatetur Longouallius auctorem me præcipuū fuiſſe, quo minus ipſe Louaniū oppugnaret, eāq; ſolum ob cauſam in nouem millium coronatorum aureorum redemptionem me condemnaſſet. Tandem nouitate facti cōmotus hoſtis, ſollicitus ſuſpicione, ſuſpen-

ne,suspensus metu, perturbatus oratione mea, re tamẽ cum ductoribus communicata,meq; in custodiam tradito,castra,quæ prope muros habebat,de tertia uigilia,quo tempore oppidum capere decreuerat,Galliam uersus, præter omnium expectationem,moueri imperat,quò ipse & quidam Iacobus Monchius dominus Digneſſan Longouallij gener me captiuum duxerunt, ubi uiginti millia coronatorum extorquere sunt conati, criminantes auctorem me urbis conseruatæ fuisse. Ad extremum in carcere publico ab eis Landunij Veromandiæ detentus,multisq; ibi miserijs confectus, ac propè extremum spiritum exhalans,coactus sum nouem millia,ut à nefaria illa crudelitate & tyrannide uitam redimerem,pollicerí. Audita tibi esse arbitror Cæsar Augustæ dicta factaq; mea, qualiq; pietate in Louanienses fuerim, qua si erga patriam aut parentes usus essem, etiam in tanta necessitudine & conjunctione, non mediocris neque uulgaris habenda fuisset. Nunc illam non ciuis erga patriam,non filius erga parentes, sed aduena & hospes erga peregrinos ostendi. Sed quid huic charitati & bonitati meæ repensum fuerit,ne prolixior uidear, paucis duntaxat exemplis declarabo. Gallus quidã genere & diuitijs præpotens,tutus Academiæ priuilegijs Louanij degebat. Hunc amici libera & honesta custodia,domi meæ asseruabant, nec deprecabatur Gallus hanc fortunam,ut qui duriores carceres metuebat, nam tum increbuerat fama nostros scholasticos in Gallia carceribus traditos esse,istius captiui permutatione nostra redemptio sperabatur. Huius enim sororem præses primus priuati consilij apud regem Gallorum uxorem duxerat. Quid actum? Statim pia mater nostra se opposuit,fulminibus immensis minitans meis, tanquam hoc maximè Academiæ priuilegijs aduersaretur, ac demum ei causæ patrono adhibito, hunc liberat,meq; meosq; in expensos damnat. Credo quia erat contra priuilegia Vniuersitatis Louaniensis. Atqui hostis in me ante urbem Louaniensem omnia priuilegia omnium Vniuersitatum uiolauerat, superioreq; bello, Lutetiæ Parisiorum quidam Cæsariani de bibliotheca sua in ergastula & latumias abrepti sunt. Sed nolebant aliorum iniurias imitari. Esto. Sed lente hic agendum erat,& in longum differenda sententia,ut medio tempore Galli hoc metu adducti, me aliosq; è seruitute liberati restituerent. Nunc omnia sunt festinanter peruersè præposterèq; gesta, ut nihil uel ex mora iudicij cõmoditatis nanciscerer. Cæterùm non fuissent ideò debilitata Academiæ priuilegia, si captiuum scholasticum pro captiuo scholastico uel commutassent, uel commutari saltem permisissent,præsertim pro eo qui in manus hostium ob ipsius Academiæ & totius ciuitatis expiationem inciderat: Sed aliò tendebant principes Vniuersitatis, idq; suo tempore detegam. Nunc uerò ad aliam ingratitudinem huic non dissimilem accedo. Me adhuc apud hostes degens, Carolus Brugẽsis (qui rectoratum tempore obsidionis gesserat) dignitatem suam deponere uolens,cum de more ut semper fit,ab uniuersa Academia testimonium rei bene gestæ magistratusq; ritè perfuncti sibi dari postularet,ibi quidam quorum nomina hõnoris causa prætereo,palàm reclamare cœperunt,asserentes omnia sibi placere,quæ rector tempore illo gesserat, nihilominus se Deum hominesq; contestari protestariq;,siquid Adriano Blehemio ciuitatis prætori (nam is fato nescio quo inauspicato in manus hostiũ inciderat,& à Martino Rossemio redemptione duorum millium coronatorum fuerat multatus) aut Damiano Goi tempore obsidionis, nomine Academiæ commendatum uel imperatum fuisset,eo eorum facultates non teneri,quoniam quicquid illis delegatum ob ciuitatis defensionem fuisset, id ipsis facultatibus absentibus,& ignorantibus, factum & actum esset. At nunc mihi respondeant isti protestantes,an non fuerit satis,tempore illo funestissimo eos ut capita cum alijs nõ paucis,nomine ipsarum facultatum & totius Academiæ,

demiæ, cum rectore in curia cõparuiſſe, quo prætori Appleſino, mihiq; commiſſa fuit cura deducendi obſides promiſcuè & nomine ciuitatis & Academiæ? Certè æquus æſtimator iudicabit ratum id & firmum apud omnes facultates eſſe debuiſſe, quod tunc in curia à Rectore & primarijs urbis & Academiæ qui aderant, decretum fuit, quando cæteri cum tota Vniuerſitas, conuocata eſſet, non comparuerunt, imò ne comparare quidem auſi fuerunt. Nam alius (timore perculſis omnibus) domi latebat, alius fugam meditabatur, alius Deum in templis ad puluinaria omnia adorabat, alius per plateas exanimis errabat, multi quoque per mœnia ſe præcipitantes ex oppido iam aufugientes. Longoualius interim alio ex latere, omni cõtentione ad oppidi ipſius expugnationem feſtinabat. Dabatur ne hic tempus omnes à mini mo ad maximum uſq; conſulendi, ut fit in ſolennibus & tanquillis comitijs? Minimè uerò. Nec quenquã tam ſtupido iudicio aut mente eſſe puto, qui hoc dicere aut uelit, aut poſsit. Quid iſta igitur uoluit proteſtatio, niſi ut quod ab Vniuerſitate debebatur, id facultates non deberent? Atq; ita ſuo timori medebantur, ne ipſæ facultates ab eis repeterent, in quod ipſi conſenſiſſent. Itaq; Sacra tua Cæſarea Maieſtas ex duabus recitatis cauſis incipiet cognoſcere iſtorum hominum animos, & conſiderare, in quos ſcopulos eos omnes ingrata mens coniecerit. Multa alia his non inferiora recitaſſem, ſed prolixitatem fugiam, quamobrem ad Senatum me conferam. Decimum quintum diem in carcere ſeruabar, ac morbo ingraueſcente non minus uitam quàm libertatem deſperabam, cùm ab eis qui uectigalibus ciuitatis præerant, uxori renunciatur, ne amplius priuilegijs, immunitatibusq; Academiæ utatur, eamq; debere deinceps omnia uectigalia perſoluere. Bona me hercle cauſa, utpote quæ uirũ ſcholaſticum iam in urbe non haberet. Atqui uiduis ſaltem ad annum defuncti mariti iura reliquuntur, captiuis iura poſtliminij in perpetuum incolumia ac ſalua ſeruantur. Meq; uxori neutrum datum. Hanc barbaram impietatem cum illa non ferret, ac propterea migrationem ad ſuos in Hollandiam pararet, retinetur inuita cum omnibus bonis, ut eam iniurijs & contumelijs obnoxiam haberent. Nec antea dimiſerũt quàm iuſſu Sereniſsimæ Reginæ ab iſta uiolentia ſunt cohibiti. Exceſsit tandem Louanio uxor, ſed non ſine luculento diſpendio, cùm per ſummam feſtinationẽ ea diſceſsio præcipitata ſit, ne noua uis eius incepta retardaret. Reſpondeat iam huic loco Academia, & patronus ille qui Galli partes contra meos ſuſtinuit, cur ſe non præbuerint huic negotio defenſores, cum mihi homini ſcholaſtico & priuilegijs Vniuerſitatis iure gauiſuro priuilegia frangebantur, quibus cum uxor mea, quantumuis ego mortuus fuiſſem, ut omnibus Academicis conſtat, uti frui, dum uiueret, potuiſſet: ac longè maiore iure cum pro ſalute ipſius Academiæ & ciuitatis captiuus adhuc apud hoſtes uerſarer. Non ne hic demum etiam agebatur de tuendis Vniuerſitatis priuilegijs, pro quorũ defenſione uniuerſa Academia inſurgere etiam non rogata debuiſſet? Viderint certè alij, quibus nominibus tales mores appellare uelint, bonos ne an malos, gratos an ingratos, pios an impios: mihi certè ut omnem bilem ſupprimã, nequaquam ciuiles uidentur. Dixi quales ſe mihi abſenti exhibuerint, nunc quales præſenti præſtiterint dicam. Reuerſus Louanium ex Gallicis latumijs, cum Academia & Senatu agere cœpi, ut repetita memoria præteriti temporis, beneuolentiæ, amoriſq; ſui, aliqua ſigna oſtenderent, ac etiam ut hiſtoriam clarius intelligerẽt, quæ uariè à uarijs ut plerunq; fit recitabatur, commentariolum quendam in modum libelli ſupplicis, Latinè feci, ubi totam obſidionis, & mei carceris ſeriem trãſcurrebam, eumq; utriſq; exhibui, in comitio. Maximo igitur cum ſilentio, (ac ut ex omnium uultibus & geſtibus apparebat) non mediocri cum dolore calamitatum mearum, hiſtoria perlecta, uide quæſo Cæſar Pientiſsime conſe-

cutiones

cutiones rerum. Illi ut de postulatis meis liberius consultarẽtur, me ex cõclaui secedere iubent, ac tum repente mutato uultu, depositoq; pudore, tanquam illis ad ludum & iocum accommodus uiderer, oratorem ad eos me uenisse dixerunt, quocirca oratore alio esse opus, qui mihi responderet, ut pariter in munere orationis pro uerbis uerba darẽtur. Ex eiusmodi autem proœmijs, quales epilogi futuri essent, quanq; satis ariolabar, nunquam tamen tam illiberales, ingratos, odiososq; fore credebam, quàm postea sese ostẽderunt. Etenim paucorum dierum interuallo (omnibus bonis intra extraq; consilij locum reclamantibus) decreuerunt ne gratias quidem ullas mihi agẽdas uerbis, ne ex ijsdem actis gratijs piam matrem in iudicium fortasse uocarem. O ingrata & amara ciuitas, quid flagitiosius, quid turpius dici potest? Sed me cõprimam. Mea equidem moderatio, & pietas, & sanctitas tibi præstita, facilè tuam infamabit iniuriam. Talis autem sententia Academicorum, non scriptis, sed ore ad me perfertur, quod aduersus scripta (ut puto) non ualet inficiatio, in uerbis inficiatio multum loci habere solet. Humaniorem hac in parte se exhibuit Senatus. Ille enim amplissimis uerbis gratias egit, excusauitq; ærarij penuriam, quod pecunia nostram calamitatem subleuari non patiebatur. At uniuersitas in qua tot amicos, sed frustra, non minus animo quàm consuetudine uitæ coniunctos habere me sancte deierare non formidassem, ne ad uerba quidem se gratos ostenderunt, ne quod singuli separatim mihi deberi fatebantur, Vniuersitas debere uideretur, si beneficium agnouissent. Atqui ipse hostis suis ipsius sigillis testificabatur se meis uerbis circumuentum, ab oppugnatione deterritum fuisse. Age postquam nec mihi, nec hosti credunt, uel se credere dissimulant, quid hostem à mœnibus abduxit? Noster ne exercitus, qui se nusquam hosti ostentari audebat? An subsidia missa, quæ ex medio itinere diffugerunt? An uis oppidanorum, quæ hostibus ob imperitiam iaculandi ludibrio postea, non terrori fuit? Dent aliam causam, aut agnoscant me causam fuisse, nisi fortè id asseuerent, quod à Longouallio & Martino Rossemio: dum suo errori mederi conantur, in diuersis locis iactatum est, eos nimirum ab oppidi oppugnatione abstinuisse, ne eius depræ datione cum diuitijs maximis refertũ tunc esset, miles torpesceret, ac non Galliã iam (quo ipsi proficisci dissimulabant) sed patriam ac domum meditaretur. Honesta certè causa, rei ignaris uideretur, mihi uerò meo malo edocto, non item. Quare ut ita sit, respondeant ipsi cur non fuerint obsidibus contenti, quos nomine ciuitatis & Academiæ Prætor eis obtulit, quibus uniuerso exercitui de septuaginta millibus coronatorum aureorum, intra quinq; dierum spatium cautũ erat? Non ne hoc argumento efficacissimè ostẽditur, eos nihil aliud quàm oppidũ ui aut dolo occupare uoluisse, cuius fruendi cupiditate obcæcati, tantam & tam ingentem pecuniã amiserunt. Atq; ne forsitan dixerint Louanienses, etiã si hostis oppugnasset, nunq; urbe potitus fuisset. Sit hoc ita: quanquam omnium in contrariorum semper sententia fuit. Nonne etiam Louaniẽsibus uictoribus, multa clade illa defensio constitisset? An tãtum sanguinis pro mœnibus effundẽdum, nullã gratiã auctori meretur, qui solus incausa fuit ne effunderetur. Sicut autem medicus aduenientibus gradibus & periculosis morbis mirificè & deligenter colitur, ijsdem recedentibus & depulsis, uel ut magnus detestabilis, uel ut circulator ridiculus habetur, sicut post liberatam ciuitatẽ repensum fuit illi uiro, cuius ecclesiastes Salomon meminit, ita mihi cũ Louaniensibus accidit. Nescio reuerà tã iniquis hominib. quid animi fuisset, si necẽ, quam frendẽs hostis mihi intẽtabat, in tergũ reuinctis manibus perituro, uel militum hastis, uel carnificis gladio, ipsis interminatus fuisset. Quarũ rerũ nõ solùm euentus atq; perpessio, sed etiã expectatio indigna homine libero erat. Quæ haudquaquam euitassem cruciamenta, nisi spes tot millium aureorum,

quæ po-

quæ poſtea mihi partim imperata, partim extorta ſunt, auaritia & crudelitate de mea uita decertãtibus, irato duci aliã mentem attuliſſet. Nec dubiũ eſt, quin anima mihi ſupplicio adempta, ut hoſtis dixiſſet me meritò occiſum, ita cædẽ meã Louanienſes approbaſſent, ne quod mihi nunc uiuenti debent, tũc hæredibus meis cogerentur dare. Quod ſi redeant eadem tempora, ut res humanę inſtabiles ſunt, omniaq; per ſummum tumultum feſtinanda fuerint, nulli tutum erit, non uocato Senatu, quicquam è Repub. ſtatuere nec ulli dubium, quam ſolet hæc cunctatio eſſe pernicioſa. Sed plęriq; ut præterita non curant ita in futurum non conſulunt. Ego autem tam me gratioſum ſingulis arbitrabar, ut ſi publicæ gratię mihi negarentur, eas tamen mihi à priuatis pollicerer. Atq; utinam poſtquam in me tales eſſe conſtituerant, ſaltem ſe meliores erga alios exhibuiſſent, quorum uirtutibus calumnia nullam maculam aſpergere potuit. Viderentur enim iudicio errare, quod me iniquius tractauiſſent. Nũc cùm ad omnium merita æquè ſint ingrati & maligni, morbo peccant potius animi, quàm iudicij. Et ut alia non pauca omittam, quàm parcè grati fuerint in Seuerinum Feiten, qui mei abſentis uices ſtrenuè procurabat, quam item anguſtè in Chriſtophorum Pheegel nobilem illum Germanum, de quo antea dixi, unum tãtum adferam, inſignis ingratitudinis exemplum, in Petrum Lupum Harium Hiſpanum. Is enim Louanij annos plus minus ſedecim, uitam probè & honeſtè agens, homo rei militaris peritiſsimus, utpote quam in aquilonaribus partibus per multos annos ſub Daniæ, Noruegiæ, Suetiæque regibus, ac ſub Liuoniæ equitum cruciferorum Principe, haud parua ſanè cũ laude & gloria exercuerat, à Senatu Louanienſi, bombardarum & machinarum bellicarum omnium præfectus creatus eſt, in quo munere cùm multa de facultatibus ſuis inſumpſiſſet, ſoluta tandem obſidione, cùm neceſſarias impenſas, quas temporis neceſsitas tulerat, à Senatu repoſceret, pro præmio criminationem retulit. Nam illi obiectum fuit quod plebem ad ſeditiones cõcitaſſet, rem tam impudenter confictam, ut nec ulla dilutione egeret. Fuiſſent enim ad ſupplicia quàm ad præmia proniores, ſi noxam aliquam in homine inueniſſent. Ingratitudinem profectò, cuiuis bono intolerabilem. Prudenter & ſapienter ad Perſarum exemplum, à Romanis actio contra ingratos inexorabili lege ſancita eſt, qua ingrati ipſi infames habebantur, & ſupplicijs afficiebantur, ut ea ratione ciuitatem ſuam liberam & immunem à tam ſordido crimine conſeruarent, uaria item præmia ijs, qui in ſuam Rempub. aliquid beneficij contulerant, ſapienter propoſuere, et in eos quorum opera dignitatem populi Romani atq; imperij tuebatur, & quorum etiam induſtriam reip. negotia rectè adminiſtrabantur, maxima beneficia cõtulêre. Nec ulla maior cauſa profectò tantam illam Romanorum nominis atq; imperij gloriam euexiſſe uidetur, quàm ingens quoddam & admirabile gratificandi ſtudium, in eos à quibus beneficium aliquod quamuis exiguum accepiſſent. At ut id quod res eſt proferam, quã alieni Louanienſes ab hoc munificentiæ genere ſunt, quàm procul à ſenſibus ſuis gratificationem amandarunt, & quàm diſſimulanter illam Solonis legem prætereunt, quæ omnem humanæ uocis prædicationem excedit, ut quæ iubeat eos qui in bello pro patria ceciderũt, laudibus illuſtrandos, & clariſsimis monumentis exornãdos, liberosq; eorum publicè alendos atq; erudiendos eſſe, quàm aduerſum hanc legem, meæ famæ & honori ac liberis meis accidiſſet, ſi apud hoſtes pro Louanienſibus interſſem, cum me uiuo tam contraria faciant. Sed cuperem eos Cæſar Auguſte interrogari, qua cauſa commoti, tam ingratè & impiè repudiarint officium? Dicent forte paupertate. At unde tanta theſauri uis, tam abſtruſa pecunia? Vbinam erant repoſita, quæ hoſtibus dare intra quinq; dies decreuerant, ſeptuaginta coronatorum aureorum millia, quæ ipſi tunc numerata habere ſe in oppido dicebant?

Habent igitur diuitias, non benemeritis, sed hostibus? Si hostibus sit danda pecunia, in promptu est, si remuneratione beneuolentiæ compensanda sunt merita, aut propter uicissitudinem studiorum aliquid alicui suppeditandum, illico thesaurus nullus. Quod si Louanienses uel scintillulam gratitudinis ostendissent, æquo animo omnia, quę in eorum gratiam passus sum, ferrem, sed cum tam maleuolos & ingratos erga me experiar, quorum opes, ciuitatem, ut tam, cum maximo bonorum meorum dispendio & corporis cruciatibus incolumes seruaui, dici non potest quàm id animo meo graue & molestum sit, maximè dum reputo beneficia præstita, omnia in meam ipsius perniciem & damnum recidisse. Quare non ægrè quidem tolerare debent, si quam maledicendo, maleq; faciendo uoluptatem ceperunt, eam malè audiendo, maleq; accipiendo amittant. Reliqui patriam, & non uulgares in ea honores, ut Louanij priuatus degerem. Peragratis diuersis prouincijs, omnibus Louanium prętuli. Vxorem eò induxi, ut ipsa quoq; relicto natali solo, Louanium omnibus locis anteponeret. Ante omnis periculi suspicionẽ urbe excesseram. Hoste iam aduentante, ciuibus fugientibus, redij. Onera ciuitatis ego alienigena ingentia illa suscipio, & quanquam scirem quantis laboribus premerer, susceptarum rerum, opprimi me periculo officij malui, quàm salutẽ, quæ mihi concrepita erat ciuitatis, aut propter aliorum perfidiam deserere, aut propter metum periculi negligere. Meam auctoritatem secuta studiosa iuuentus arma induit, ad stationes se contulit, hosti se opposuit. Alijs ducibus ex urbe profugientibus, ego solus remansi, & fugam quæ à cæteris parabatur, repressi. De defendenda interim urbe diffiditur, ego omnes promissis meis excitaui, & simul salutem desperare uetui. Hostilia me inscio petuntur colloquia, negotijs, re plane deplorata, ubiq; adhibeor. Violantur inducię, ego quasi piacularis hostia morti relinquor. Verbis mihi soli infaustissimis, hostem ab urbis oppugnatione deterreo. Condor in carceres, ubi postquam mors ob oculos, sæpe uersata est, extorquetur pro redemptione immanis pecunia, quæ oppido non mediocri redimendo satis esset. Redeo ad Louanienses adhuc pedorem carceris obolens, horrorem inter pericula mortis conceptum, & necis destinatæ etiam uultu præ me ferens: Postulo aliquo honorario meas miserias cohonestari, nullæ gratiæ ne uerbo tenus quidem referuntur. Et rectè faciunt, & quidem pro more suo. Quid enim Louanienſibus cum homine alienigena, peregrino, transmarino? Atqui me miserum, non putabam me externum, sed ciuem, non peregrinum, sed socium, non transmarinum, sed domesticum, cum caput & fortunas meas pro illorum capite & fortunis ex altissimo gradu securitatis in summum uitæ periculum demittebã. Ideoq; hæc apud tuas pientissimas aures Clementissime Cæsar exponere placuit, apud quem ut omnes uirtutes sunt in prętio, ita merita in Remp. lõge plurimi fiunt, & ingratitudo, quæ causa est ut benefacere nec libeat, nec consultum sit, longe teterrima existimatur, utquæ tanquam pestis non uni, sed quam plurimis noceat, & hominem beneficum, qui libenter de multis bene meretur, ita afficiat, ut tædium, pœnitentiam quæ suæ uirtutis capiat, perinde atque si scelus aliquod commisisset. Sed frustrà quærimonia. Non enim conquæstione aut meæ fortunæ, aut illorum mores emendabuntur. Hoc doleo, quod alij deinceps capient exemplum de me, ne magna beneficia in alienam remp. cõferant. Quo in dolore, hoc unum me consolatur, quod tuo maxime Cæsar iudicio, innocentiam pietatemq; meam protegere & tueri dignatus es, neque in aduersis sine ullo remedio atq; alleuamento diutius permanere uoluisti, sed Imperatoria tua & digna Cæsarum uirtute sententia, amplissimè de mea salute decreuisti, ac condemnatione Longoualli, generiq; sui militaris imperij disciplinam, bellicarumq; legum in posterum dignitatem auctoritatemq; sanxisti.

Cuius

Cuius ampliſsimi decreti ſanctionisq; tuæ, literas Sacratiſsimæ Cæſareæ Maieſtatis tuæ manu ſignoq; obſignatas, ad perpetuam rei memoriam, & poſteritatis recordationem ſeruabo. Ac non quia Louanienſes in me impij ingratiq; fuêre, tua continuo Cæſar merita beneficiaq; obſcurari aut interire patiar. Vellet autem Deus Optimus Maximus, ut Louanienſes, quibus tantam pietatem, quantam maximam animus meus capere potuit, præſtiti, Maieſtatis tuæ edicta decretaq; ſequentes, cum honori ſuo & meo conſulerent, tum res meas geſtas imitatione potius & remuneratione, quàm inuidia & obtrectatione dignas cenſerent.

NARRATIO HISTORICA VICISSITVDINIS RERVM, QVAE IN INCLYTO BRITANNIAE REGNO acciderunt, Anno Domini 1553. menſe Iulio.

Scripta à P. V.

EDVARDVS VI. Angliæ, Franciæ Rex, &c. Anno Chriſti Saluatoris 1553. ætatis 16. regni ſui ſeptimo, pridie Nonas Iulias, dicitur in fata conceſsiſſe. De eius obitu etſi ſubornati putantur, qui dicerent, infirmitate naturæ ac morbo eum, neſcio quo, extinctum eſſe, ſuperant tamen iactatæ paſsim ſuſpitiones, uel ueneno quodam lento, & multò antè præbito paulatim abſumptum, uel etiam, cum uenenũ tardius expectatione cupiditateq; parricidarum operaretur, ui ac ferro clàm peremptum ab ijs, qui non ſolum inueterato quodã, ſed diu diſsimulato, laboraſſent odio Henrici VIII. eiusq; liberorum, ſed etiam uel ſucceſsionis in regnoeius ipſi opinionis errore ſibi finxiſſent, uel eiuſdem per fas nefasũe arripiendi ſpem inſatiabili quadam dominandi cupiditate iamdudum antè animis deuoraſſent. Tanti facinoris cum ſuſpicio, tum fama, præcipua eſt penes Ioannem Dudleum Northumbriæ ducem, cuius pater ab Henrico VIII. genitore Eduardi VI. capite truncatus fuerat, & filius hoc tempore Gulfherdus cõiugem haberet Ioannam Mariæ, quæ ſoror minima natu Henrici VIII. fuit, ex filia Franciſca neptem. Is Ioannes Dudleus, poſt ſuum patrem capitali ſupplicio effectum, cum potiſsima etiam hæreditatis pars Fiſco etiam regio adiudicata eſſet, deſtitutus ſucceſsione & rerum & dignitatis paternæ, militiæ potiſsimùm ſeſe dedit, in quo uitæ genere cum Gallico Scoticoq; bellis, editis aliquot præclaris facinoribus, Virum præ cæteris, ſtrenuum ſeſe probaſſet, innoteſcẽs paſsim, & iam ipſi quoq; propter uirtutis opinionem charus Regi, qui ſiue ad obolendam recordationem ſumpti de patre illius triſtiſsimi ſupplicij, ſiue ornandæ uirtutis ſtudio, primò Baronem, deinde Comitem eum creauerat, ad id faſtigium dignitatis autoritatisq; in aula breui temporis ſpacio euaſit, ut regij ſecretiq; conſilij, & rerum omnium gerendarum, ferè principatum teneret. Poſteà uerò exempto rebus humanis Henrico VIII. qui ei ſuccedebat filius, & ex matris utero cæſus fuerat Eduardus VI. ut ſuæ etiam erga Dudleum beneuolentiæ ſpecimen quoddam ſingulare ederet. Erat enim Dudleus ex duodecim tutoribus adoleſcenti Regi à patre conſtitutis, uel præcipuus. Eum Northumbriæ ducem fecit. Iis honoribus effectum eſt, ut idem Dudleus gubernationis Regiæ Dux iam & autor haberetur, ex cuius, ſecundum Regem, uoluntate & nutu reliquus ferè omnis penderet ſenatus. Ita ſumma omnia nõ magno negotio adeptus, cum quieſcere animus non poſſet, nimirũ & cogitatę diu aduerſus Regios liberos

de patre uindictæ, & Regiæ dignitatis ad sese suosq; eadem opera transferendæ, stimulis iam diu agitatus, & impubere adhuc Rege Eduardo, ad ea, quæ animo cogitarat neminem præter auunculum regis Eduardum Seniorem ducem Somersettensem, quem protectorem uocabant sibi obstare arbitraretur, cum primum omnium falso proditionis crimine reum factum, securi cerusc̄ præbere coēgit, fide puero Regi, cuius per ætatem infirmum erat iudicium, facta, eum iure cæsum esse, quod in stirpem & Maiestatem Regiam, nescio quid, molitum constaret. Fuerat is protector omnium bonorum uir iudicio optimus, & pueri Regis sui ex sorore nepotis ingenium per se præstantissimum, præclara optimarum disciplinarum, religionis, & linguarum cognitione instruendum excolendumqúe curauerat, nec tamen benè meritum tenem uel Regia consanguinitas, uel officiorum dexteritas, & fides abiniusti supplicij nefaria fœditate asserere, aut immunem potuit præstare. Hoc fidelissimo regis custode sublato per iniquæ clamationis iudicium, cum idem Dudleus Northumbriæ Dux Ioannam, ut diximus, filio suo nuptam dedisset, non dubitauit à morte Eduardi VI. qui unicus uirilis stirpis Heinrici VIII. Rex superarat, regnum ad nurum suam legitimæ successionis specie atq; prætextu facilè transiturum. Etsi enim superesse sciret, duas regis Heinrici VIII. filias, nimirum Mariam ex prima coniuge Catharina Hispana, Caroli V. Cæsaris consobrina, & Elisabetham de secunda coniuge Regia Anna Bullina, natas, Quibus auito, Anglorum more, maiorum institutis, & lege, cum naturæ, tum regni, extinctis uirilis sexus hęredibus, ut & propioribus Heinrico cognatis, & natu maioribus, alteri scilicet post alteram Regiæ coronæ successio deberetur. Quia tamen illarum priorem ex fratris Arthi Vualliæ principis, cui Cæsaris matertera ante matrimonium cum Henrico VIII. Arthi fratre contractum, nupta fuerat, coniuge, posteriorem uerò ex matre, quàm uel à Rege Vxorem haberi (repudiata enim Catharina & adhuc uiuente, Henricus VIII. eam duxerat) legibus diuinis non licuisset, uel quæ ob adulterij suspitionem iussu ipsius Regis postea capite truncata esset, prognatas constaret, utramq;, ut illegitimas hæredes honestissima specie à regni successione excludi posse ac debere, quàm sibi, tam alijs facilè persuasum iri confidebat. Sic spe amplissimarum rerum, & consilijs astutissimè cogitatis, cum etiam Gallici Regis amicitia sese, missa ad eum ingēti pecunia, muniuisset omnia sibi iam tuta satis existimans, tollendi è medio innocentissimi Regis, & maximæ spei adolescentis, parricidale facinus fertur aggressus esse. Quod ut maturandum putaret, προκαταρκτικὸν αἴτιον id est, euidentem & lacessentem causam accesit, Regis cum ætate paulatim accrescens, intelligentia & παῤῥησία. Cum enim esset Eduardus adolescens sagacissimi & præstantissimi, sed per ætatem non satis cauti, interqúe triantes lupos atq; uulpeculas parum prouidi, ingenij & iudicij, consideratis sensim attentius, quæ gerebantur, rebus, de occiso interdum auunculo & de alijs regni negotijs uoces liberiores sibi excidere patiebatur. Interuenerat aliquando Dudleus, iam Northumbriæ Dux, cum Rex historicas Anglicas, (erat enim lectionis cupidissimus) euoluens, fortè incidisset in pagellam, quæ cōtinebat Narrationem de patre Northumbriæ Ducis, pœna capitis affecto, quod Henrici VIII. patris Eduardi uitæ fortunisq; aliquandò fuisset insidiatus. Non habuerat historia expressum nomen patris Dudlei. Itaque hæsitans Rex de eo, quæsierat quis fuisset. Cum Dux eam rem curiosius à Rege cognosci, neq; utile sibi, neque honorificum, & ideò, quoad posset, prohibere, ferendum non putaret, erepto Regi libro pro tutoria autoritate, Quid, inquit, ætatem & ingeniolum oneras cognoscendis uulgò commentitijs fabulis? & puero, qui astabat, arcus cum sagittis, quibus exerceri Britannica adolescentia solet, afferri iusso, Regem pariter in area ludendi exercitijs destinatam secum abducit.

ducit. Ibi posteaquã iaculandi ad scopum certamine aliquandiu colluſiſſent, & Regiam fortè ſagittam, quòd extra metæ cancellos longius auolaſſet, Dux cum cachinno reprehendiſſet, Rex ſiue riſu ſui indignatione, ſiue nondum diſcuſſa fortè μελαγχολίᾳ animi, quam ex Anglicæ hiſtoriæ lectione concepérat, longiuſculè, inquit, aberrauí fateor. At tu melior artifex tanto propius mei ceruicem feriebas auunculi. Dux eius ſcommatis acerbitatem tum quidem ſeſe intelligere diſſimulauit, contentus hoc ſaltem reſpondiſſe, quod non ſe autore, ſed regni legibus & Senatus conſulto factum eſſet, à ſe qui nequiuerit prohibere, non oportere præſtari, tacitè tamen, quarum rerum cognitionibus Regis pueri præter ætatem ſagax animus ſenſim occuparetur, non ſine dolore conſiderauit. Alio tempore cum Rex emerito cuidam ſeruo, cuius fides & induſtria ſub patris etiam imperio multos annos probè ſpectata fuerat, arcem quandam amœnam, ut multæ ſunt in Anglia, donaſſet, nec auderent conſiliarij, quorum Dux præcipuus habebatur, Regis in re uoluntati coram repugnare, poſtmodum ſeruulo illo præhenſo ſoli ſuadent, ut petat à Rege oblatum munus aliqua pecuniaria largitione commutari, & inuunt homini plebeio arcis Regiæ poſſeſsionem & inuidioſam fore & periculoſam. Mouit ea res emeritum illum, qui captata occaſione adeundi Regis, petit tenuius aliquod munus addita cauſa, quam erat à Conſiliarijs edoctus. Senſit ilicò Rex pro ea, qua erat ingenij perſpicatia, hunc à capeſcendo dono, quod erat oblatum, minis conſiliariorum abſterritum eſſe. Ex obuijs igitur quærit cauſam non conceſſæ arcis ei, cui ipſe donarat, cum unus è multis, non ſat ſcio Dux nè an alius, Domine, inquit, non conſultum uidebatur neque utile, domos uſibus & honori regio deſtinatas plebeis conferri. Tum uerò Rex prę puerili dolore, lachrymis penè erumpentibus. At uobis, inquit, & ueſtris, quicquid flagitaſtis, ſemper & conſulto & utiliter confertur, nec tum obſtat uel uſus uel honos regius, & per uos non licebit mihi, quibus debeo uoloq; , de meo largiri? Has & conſimiles adoleſcentis Regis ſæpè liberius effuſas uoces, conſentaneum eſt, non minimos ſtimulos fuiſſe & Duci & cæterorum aliquibus, ut tollendi quoquo modo illius rationem prius ineundam putarent, quæ ad regni maieſtatem & in his etiam tenellis annis maturitatem intelligentiæ, iuſtæ ætatis accederet autoritas. Illud conſtat, ſparſa iam de Regis ægrotatione, fama, neminem diu ad eum admiſſum eſſe, quod infirmitatem ipſius fingerent non poſſe ſuſtinere hominum alloquia & interpellationes, donec ſerò tandem, ubi commodum parricidis uiſum eſt, uel potius Deo occulta in lucem producente, lippis & tonſoribus (quod aiunt) notum eſſe cœpit, Regem lenta quadam tabe abſumptum, & laxatis ſolutisq; ante obitum tam in pedibus quàm manibus digitorũ unguiculis, in Arce Gruneuicenſi uitam cum morte commutaſſe. Vnde non iam ſuſpicio, ſed fides omnibus facta eſt, Regem ueneno interfectum eſſe, tametſi ſuſurraretur à plurimis, ipſius corpus quoque tardius, quàm pro parricidarum cupiditate & feſtinatione animam exhalantis cultro crudeliter fœdatum fuiſſe, de quo tamen nihil facilè affirmauerim, cadauer ſaltem noctu per Thamyſin fluuium ſine ulla pompa clàm Vueſtmonaſterium auectum, pheretro incluſum, purpura coopertum, uexillorum regiorum circa tumbam inſignibus ornatum, & ſatellitio cuſtoditum in ſacello regiæ aulæ publicè omnibus licuit intueri. Hic finis & triſtiſsimus è uita exitus fuit Regis, ætate quidem immatura, uerùm ſapientiæ, pietatis, & heroicarum uirtutum indole ſtupenda præditi, cui ſi uiuere per ſuos licuiſſet, haberet hæc mundi ſeneſcentis poſtrema & cadaueroſa facies boni principis exemplum, omnibus retrò ſeculis conferendum. Sed ad narrationem redeo. Sublato iam è uiuis Rege, Dudleus Northumbriæ Dux uiduo iam regno, ut cadaueri coruus inhians, proceribus in aulam Londinenſem conuocatis, de

ſumma rerum deliberationes proponit, magnitudinem oſtendit periculorum quæ interregnum diuturnius comitari ſoleant, probatoque quod poſt Mariam & Elyſſam, regias quidem filias, ſed dubijs, ſuſpectis, prohibitisq; matrimonijs natas, proximè ad Ioannam Nurũ ſuam, tum legitimę natiuitatis iure, tum Regni legibus redierit coronæ hæreditas & ſucceſsio. Hortat, quod æquũ iuſtũq; ſit, ut id ſuffragatione & ſuarum ſinguli ſententiarũ ſubſcriptione ratum & habeant & faciant. Non deerant, qui (ut ſunt ſagaciſsima Anglorum ingenia) ſatis animaduerterent, eò Ducis conſilia & conatus tendere, ut euecto ad Regiam eminentiam filio, cui Ioanna nupta erat, facilè totus Angliæ dominatus in Dudleorum familiam transferetur, nec obſcurum erat, eam rem non ſolum ad nefariam internetionem regiorum liberorum, ſed etiam multorum aliorum oppreſsionem ſpectare. Imò iam ipſe Dux interdum animi quadam impotentia ſpirauerat uoces minarum & terroris plenas, tum de exteris nationibus omni Britannia pellendis, tum multis immaniter trucidandis, quæ etſi melioris conſilij animiq; uiros non leuiter commouiſſent, metu tamen uirium, quibus Dux pollebat. Habebat enim numeroſum exercitum & omnem regiam armaturam in ſua poteſtate, contra illius aut uoluntatem aut conſilium nemo mutire audebat. Facilè itaque obtinuit uir ingentis ſpiritus, ſingularis facundiæ, & potentia formidabilis, ut cęterorum procerorum pars ex animo & uerè, pars uerò, & quidem ut poſteà res docuit, potiſsima ſaltem ſimulatè pedibus in propoſitam ſententiam irent. Sic Ioanna Henrici VIII. ex minima natu ſorore Maria proneptis, filia Franciſcæ ex Duce Suffolciense, & Culferdi filij IIII. Ducis Northumbriæ coniunx, Regina decernitur, ac ſtatim ad 10. diem menſis Iulij, non ſine contumelia quidem filiarum regiarum, ſed neq; magnatum, neq; populi aliquo ſingulari applauſu, publicè proclamatur. Mos in Anglia eſt, ut ſolennes nouorum Regum denunciationes populus approbet, horum uerborum acclamatione: Deus ſeruet Regem aut Reginam. Hîc cum nihil tale audiretur, & omnium hominum uultus triſtes & auerſi cernerentur, minimè probari populo, quod ageretur, uel ex ſilentij profunditate, facilis coniectura fuit. Vnus erat Culbertus, ſtatura proceriore uir, & animoſus. Is ſolus deteſtatus contumeliam, qua filiæ Regis in Ioannæ præconio, quaſi non legitimo toro natæ, illiberaliter deformabantur, mœſtam ciuium taciturnitatem uocis licentia rumpens, O degeneres, inquit, animos. Nulla Anglici ſanguinis gutta ſupereſt, ſi quem non commouet ad uindictæ cogitationem contumeliarum atrociſsimarum indignitas. Quæ uerba tantiſper paſsim iterabat, donec præhenſo, & in carcerem coniecto Ducis iuſſu, poſtridiè, qui erat 11. Iulij dies, ambæ auriculæ ad palum præciderentur. Sed ne hac quidem ignominioſa capitis mutilatione liberi hominis uox repreſſa eſt. Nam ſubindè Deum teſtatus Vindicem, non deſijt conſtanter, quæ dixerat, & ſentire & proloqui. Itaq; ad grauioris pœnæ ſententiam expectandam in cuſtodiam reducitur, quam fuiſſet ſubiturus, niſi quæ ſecuta eſt, eum omni periculo pariter & carcere exemiſſet rerum mutatio. Erat iam Ioanna in arcem Londinenſem, quàm Turrim uocant, comitatu quidem minus frequenti, quadam tamen ſolenni pompa & quidem matre Franciſca caudã ueſtis illius leuante, adeò gratus utique honos fuit, introducta, cum interim Maria, filiarum Henrici VIII. natu maior, ac Cæſaris Caroli V. conſobrina, acceptis ijs, quæ Londini gerebantur, loco ſe mouens 8. Iulij die, in regni interiores parteis receſsit, populi erga ſe animos fauoremque periclitatura, ſiquidem præſidium, quo uteretur, aliud in ſubitis rebus non habebat, niſi fiduciam, populatis erga Regiam ſobolem beneuolentiæ. Hic ſuæ conſtantis & perpetuæ iuſtitiæ, qua pupillis præſidio eſſe ſolet & orphanis, documentum inſigne clementia diuina dediſſe uiſa eſt. Confluxit enim ſubitò tanta populi ad illam multitudo, ut ea breui ſpacio temporis iniuſti exercitus am-

tus amplitudinem excreuerit. Id siue commiseratione stirpis Regiæ, seu naturali subditorum erga dominos reuerentia, seu temerario imperitæ multitudinis motu factum existimes, mirandum eò magis est, quid initio turbarum Mariæ penè sola relicta non solum omni spe humani præsidij, in tàm tristi rerum statu, & improuisis motibus caruerit, sed etiam in uitæ tàm suæ quàm sororis periculo fuerit constituta, ut manifestum quidem sit aduersus immanes conatus, & nefarias molitiones coniuratorum, populi animos diuinitus excitatos fuisse. At Dux Northumbriæ compositis in arce Londinensi pro arbitrio rebus, auditoq; Mariæ uires undiq; ad eam confluente populo, indies crescere, bello eam prosequi quàm celerrimè statuit, ratus uulgi instabiles animos, si illam citius omnium opinione oppressisset, in Ioannæ Nurus suæ proclamatione tandem acquieturos. Relicto igitur potiore regni senatu, cui omnia sua facta probari nimium confidebat, ad arcis Londinensis custodiam cum exercitu, & tormentis aliquot bellicis Londino ad 14. diem Iulij egreditur. Iam omnium hominum animi, præsertim bonorum, in tota Anglia inter spem metumq; ancipites hærebant, cum subitò oritur, & quasi ἀπὸ μηχανῆς inexpectata rerum commutatio. Ecce enim quatriduo pòst Ducis ab urbe digressum regni proceres, qui in arce Londinensi relicti erant, cum urbis senatu, siue mutatis iam animis, atq; consilijs, siue tum demum detectis, quas Ducis hucusq; metu dissimularant, cogitationibus, Mariam Henrici VIII. maiorem natu de prima coniuge filiam inclyti Regis Romanorum Caroli V. consobrinam, per omnes urbis plateas & uicos Reginam Angliæ, Franciæ, & Hyberniæ &c. 19. die Iulij præconio solenni proclamant. Alia ibi continuò totius Angliæ facies apparere uisa est. Eam enim Mariæ renunciationem tanta populi lætitia, tantus clamor & applausus excepit, ut ea ipsa solennitas præconij publici, quasi diu expectati triumphi speciem referret. Quæ res magno erat argumento, priorem Ioannæ proclamationem anteà saltem silentio improbatam, nunc honorificis acclamationibus erga Regni proximam ueramq; hæredem Mariam penitus antiquari. Primum de ipsa turri (sic diximus aliquoties aulam Londini appellari) senatus regni & urbis cõtinuò tradita in custodiam Ioanna crebrrimis bombardarum tonitrubus lætitiæ & gratulationis publicæ signa dedêre. Vniuersa deindè urbs, quæ aliquot dies uelut attonita tacito sese luctu metuq; macerauerat, in hilaritatem soluta, totum eum diem, institutis passim conuiuijs, festum habuit. Nostra quoque natio, quæ Ducem Northumbriæ præcipuè infensum habuerat, inter cætera gaudia duos uini cados in uia publica collocatos, ad fores arcis Chalibeæ (id nomen est domui mercatoriæ Germanorum) populo ebibendos dedit. Idem ferè aut simile aliquid à cęteris nationibus factum dicitur. Estq; sic integer ille dies in lætitia consumptus. Nobilitas uerò Britannica honoris causa (ut fit) nouo uestitu ornans suum satellitium, tunicarum pectoribus primam nominis Mariæ literam maiusculo charactere insui curabat. Hoc quasi publico symbolo Mariam Reginam agnoscentes. Inter hæc & Gilbertus ille, cuius præcisas fuisse auriculas memorauimus, carcere emittitur. Hæc publici status conuersio, cum in cæteris urbibus Angliæ celeritate famæ percrebuisset, quàm plausibilis & gratâ hominum auribus acciderit, quæ manuum complosiones & gratulantium uoces auditæ sint, nos quoq;, qui tum iter in Anglia faciebamus, testes esse possumus. Quibus omnibus postridie in castra Ducis Northumbriæ nunciatis, difficile dictu, maiorúe exercitum terror, an stupor in expectatæ mutationis Ducem inuaserit. Agminatim deindè alij post alios Ducem deserunt, ad Reginam confugientes. Ipse Northumbrus iam facilè conijciens, quo hic ludus euasurus esset, suis etiam rebus prouidendum ratus, ex tempore consilium sumit, & ægrè dissimulato dolore conuersus ad suos; Hæc-

cine, inquit, est collegarum, qui mihi omnium negotiorum conscij sunt, fides? Sed age eandem faciamus salutis anchoram: & continuò signo tubæ dato, Mariam Angliæ Reginam primùm in castris, deinde Cameraci 20. die Iulij magnificè proclamari iubet, sperans hoc facto, & peculiaris alicuius perfidiæ suspitionem à se amotam iri, & parem sibi cum cæteris gratię aditum apud Mariam Reginam fore. Quæ spes quod eum magnopere frustrata sit, euentus docuit. Vt primum enim Reginæ nunciatum fuit, eum ab exercitu desertum cum paucis Cameracum secessisse, ubi inter eruditorum in scholia, pulpita, & Cathedras tutius sese latere posse putarat, missi statim sunt cum mandatis, qui eum prænderent. Ita captus cum quatuor filijs, & aliquot nobilibus ac seruis, plus minus uiginti in carceres arcis Londinensis ad 25. diem Iulij ignominiosè abductus est. In toto eo itinere, & præsertim ubi Londinum uentum esset, per plateas uarijs populi iam liberati metu tyrannidis ipsius, conuitijs exceptus est, alijs proditorem, alijs parricidam eum clamitantibus, & ut de Sinone apud Maronem dicitur, certatim capto illudentibus. Quo tempore ne plebeia turba in hominem, magis iam cane & angue inuisum, faceret impetum, difficulter & ægrè, qui captum ducebant, prohibere potuerunt. Tanta uis est occulti in plebe diuq; metu dissimulati aduersus tyrannos odij, cum semel occasionem commoditatemq; erumpendi cœperit, ut non sine causa dictum sit à Sophocle, uulgus lernam esse malorum capitum. Erat tum ad portam Gilbertus ille à uinculis dimissus, qui simulac ducem conspicatus esset, ore diducto uocisq; impetu eum adortus, En, inquit, parricida & proditor liberam honesti ciuis linguam, cuius tum, quia innocentis caput aurium mutilatione fœdauisti, merito tuo raptoris ad dignam proditore & parricida crucem. Hæc illius uerba clamor detestantium proditorem & multæ contumelioſæ uoces abrupetunt. Miserabile, si cogites, spectaculum fuisset, eorum, qui cum imperio exercitu, tormentis, paulò antè cataphracti magnificè urbem egressi erant, tam ignominiosa inermium captiuorũ uinctorumq; introductio, nisi atrociora meritos omnibus constituisset. Quotidiè deinceps plures proditionis & pessimorum facinorum conscij prehendebantur. Et inter hos Henricus (alij Andream nominant) Dudleus frater Ducis Northumbriæ Calethi quod munitissimum oppidum, Gallis dicebatur prodere uoluisse, captus præterea Episcopus Londinensis, qui incolumi statu rerum Ducis Northumbriæ, ut illi gratificaretur, Mariam illegitimæ natiuitatis probro pro concione aliquoties notauerat, & alij complures, quorum infrà subijciam nomina. Post pauculos deinde dies fama aduentantis Reginæ cum magna omnium expectatione audiebatur. Quæ tandem ad 3. Augusti diem Londinum ingressa, & omnium procerum nationum, ac ciuium occursu, suspensis per plateas tapetis, & emissis creberrimis tormentorum ex arce fulminibus, cum pompa planè regia, sceptris, gladio deaurato, & alijs Regni insignibus prælatis, cum quatuor millium equitum, omnium holoſericis tunicis aureisq; passim catenis exornatorum comitatu, in arcem Londinensem, applaudente omni populo, regniq; felicitatem precante, nobis tum etiam eum ingressum spectantibus, deducta est. Hæc mirabilis maximorum motuum uicissitudo, uisa spacio unius mensis in amplissimo Britanniæ regno, Dei singulari beneficio sine cæde & sanguine (excepta Regis Eduardi nece) dignissima est consideratione omnium horum. Nam in ea manifestè conspici potuit, Deum uerè transferre & constituere regna, ut inquit propheta Daniel, nec concedere proditoribus aut seditiosis diuturnam pœnæ immunitatem. Id ipsum etiam prophetico Rege monente, cum inquit, uiri sanguinum & dolosi non dimidiabunt dies suos, ut est in lectione uulgari. Nos uerò παντοκράτορα θεόν patrem Vnigeniti filij Iesu Christi redemptoris & Emanuelis nostri ardentibus uotis oremus, ut omnium Mo-

narcharum

narcharum imperia ad gloriam nominis sui & Ecclesiæ, quæ in multis politijs dispersa ferè sine nutricijs & patronis uagatur, incrementum & incolumitatem, pro sua immensa bonitate, clementer prouehere dignetur, cui soli Deo cum Filio & Sancto Spiritu sit laus, honos, gloria, triumphus & dominatio perpetuis seculis. Amen.

Regina deinceps in arce præsidio firmata, ne cuius facilè pateret aditus, nisi quibus ipsa uoluisset, dies aliquot commorata primum omnium defuncti regis Eduardi cadauer, quod Vuestmonasterij asseruabatur, sepulchro aui Henrici VIII. quod in templi interiore sacello magnificè Henricus VIII. extruendum curauerat, inferri iussit, ipsa tamen sepulturæ non interfuit. Sic exuuiæ innocui adolescentis & Regis, primitijs saltem imperij & spe, si superstes fuisset optimi præstantissimiq; 8. die Augusti in auito sepulchro conditæ sunt, Anno Domini 1553. Verè in hunc quadrare dixeris, quod de Marcello legitur apud Optimum poëtam, Ostendent hunc tantum terris fata, nec illum esse superuoluêre. Quanquam uoluissent illa fortassè, si domestica perfidia fœdissimo scelere sibi temperare potuisset. Ferunt posteà & honoribus & præmijs affectos esse eos, qui in officio & fide erga Regiam Sobolem constantes permanserant. Inter quos Gilbertus ille auribus mutilus, nobilitate, & aliquot milibus librarum auri in singulos annos pro amissarum auricularium salario à Regina donatus est. Post illa ego ex Anglia discessi. Sed Brugis aliquandiu officij causa commoratus, ad consulem nostrum D. Hermannum Falconem, I. V. Doctorem scriptum uidi, Ducem Northumbriæ 22. die Augusti cum aliquot complicibus horrendo supplicij spectaculo facinorum suorum pœnas luisse, docentem suo etiam exemplo, quod à sapientissimis accepimus, per uindices Dei oculos nihil sceleratum esse aut diuturnum aut impunitum.

FINIS.

ORATIO IOANNIS NVPER DVCIS

Northumbriæ in Anglia, per eum è Suggestu, antequam capite plecteretur, ad populum adstantem habita.

Viri boni, quicunq; me morientem spectaturi adestis, etsi mea mors odiosa, & hominum opinione perhorrenda sit, uos tamen oro, quæ Deo autore fiunt, de ijs candidè ut iudicetis. Nam is benè, ita ut melius non possit, omnia agit. Egò uerò quod ad me attinet, profligatum me & miserum agnosco peccatorem, pœnam capitis promeritum, ac morti legum ex autoritate iustissimè addictum: tametsi quod factum mihi mortis causa est, id non à me solo (ita ut putatur) natum & profectum est. Ego aliorum impulsu ad id suscipiendum motus sum, aliorum, inquam, impulsu, id ut susciperem, inductus sum, sed absit, apud uos quenquam nominatim ut perstringam. Nullius ego apud uos nomen edam, ac propterea id à me ne expectetis rogo. Ego quanti mea interest, omnibus ignosco, deniq; ipsis identidem ut condonetur, uehementer oro. Quod si uestrum, qui adestis, quenquam læsi, à uobis atq; uniuerso hominum genere ueniam peto, maximè uerò ut mihi ab Illustrissima Regina, in quam meum atrocissimum crimen est, ignoscatur postulo.

Populos acclamabat, Amen.

Vos autem (inquit) uni uersos testes uolo, me charitate & perfecto in omnes amore præditum è uita excedere, eoq; me ipso mortis in articulo uestris precationibus iuuetis quæso. Porrò unum uiri boni, quod apud uos dicam, etiam restat, ad quod me conscientiæ meæ religio uel in primis mouet id autem est, uos ut moneam atq; horter, à falsis concionatoribus, & doctrinæ no-

uæ authoribus caueatis, qui se diuini uerbi concionatores uideri uolunt, reuera autem sua inuenta docent, hi suas cogitationes atq; animi conceptiones explicare nunquam potuerunt. Quid crastino die Volent, hodie nesciunt, nihil in ipsorum doctrina firmum aut constans est. Librum illi quidem aperiunt, sed apertum deinde claudere nesciunt. Etiam atque etiam uidete, quomodo uos in opiniones peregrinas, & genus doctrinæ nouum conijciatis, quæres nec parum huic regno detrimenti attulit, & diuini numinis iram meritò in nos excitauit: id quod facilè intueri possit, si cui libebit multiplices illas calamitates ad memoriam reuocare, quibus afflictum est hoc regnum, ex quo ab Ecclesia Christi Catholica, & doctrina à sacratis Apostolis, Martyribus, sanctis Viris omnibus recepta, per omnes nationes Christi nomen profitentes, ab ipsis Christi temporibus usitata, nos seiunximus. Ego uerò pro certo credo, quæ calamitates nuper post Henrici mortem, qui erat eius nominis octauus, atque aliquot annis anteà, huic regno acciderunt, eas omnes meritò nobis accidisse, quod à reliquo Christianitmi corpore, cuius nos, si ratio habeatur, exigua portio sumus, nosmet separauimus. An non belli incommoda, nõ famem ac pestem sensimus? non principis morte, ciuium defectione, seditionibus intestinis, coniurationibus afflicti sumus? non multiplices opinionum errores, ex quo Ecclesiæ Catholicæ unionem deseruimus, hoc in Regno inter nos pullularunt? Et quod tandem calamitatis genus non sensimus? Quod si ista uos non mouent, saltem Germaniæ statum intueamini, quæ postquam Catholicę Ecclesiæ unione relicta, in hanc dissensionem & schisma incidit, assiduis tumultibus & discordijs attrita, penè ultimum ad interitum est redacta. Quapropter pugnantem opinionum discordiam maturè componite ne iustam Numinis uindictam nimium prouocantibus extrema omnia incumbant. Ne pudeat iterum in uiam redire: ad cæteras gentes, quæ Christum profitentur, uos aggregate. Ita efficietis, Christi membra denuò ut sitis, qui corporis portentosi, & sui dissimilis caput esse non potest. Ad fidei uestræ Symbolum respicite nonne hæc habet uerba: Credo in Spiritum Sanctum, Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem. Qua totius populi fidem à Christi nomine profitentis uniuersitas per orbem sparsa intelligitur, quo ego me ex numero futurum spero. Possem alia complura in hanc sententiam adferre, homo alioqui (quod nemo uestrũ ignorat) literarum rudis. Sed hæc dixisse satis erit. Atq; hoc loco profiteor, uiri boni, ut re atq; ex animo, tàm seriò ut magis non possim, quæ dixi, ea à me ipso profecta esse, nemo id à me contendit, nullius autoritas incitauit, nulla adulatio aut uiuendi spes commouit. Testis est Episcopus Vigornensis, quem præsentem uidetis, ueteri necessitudine mihi coniunctus, apud quem peccata mea confessus sum, qui cum ad me ueniret, ita sentientem inuenit. Hæc autem meo ipsius arbitrio & uoluntate exposui, ut & conscientiam meam liberarem, & charitati in patriam atque amori satisfacerem. Possem hîc, uiri boni, multa plura recitare, quæ mea ipsa malorum experientia, quæ huic Regno ex ea occasione acciderunt, usu edocuit. Sed aliam mihi rem agendam scitis, cui, quod iam tempus effluxit, me ut parem, necesse est. Reginam uerò Illustrissimam rogo atque obtestor, quæ ego in ipsius Maiestatem crimina admisi, ea mihi condonet: cuius rei magnam in spem uenio ex ea, qua iam dudum erga me usa est, benignitate & clementia. Quem enim statim nullo iudicio aut quæstione habita, quod contra eam arma gessi, crudeli & ignominiosa morte afficere potuisset, ut primò in crucem agi, pòst trahi, deinde membratim concidi iuberet: tamen pro incredibili sua clementia & misericordia in iudicium adduci, & secundùm leges latas de me queri passa est, quo in iudicio iustissimam, et à me maximè meritam, accepi condemnationem, nunc etiam de ipso mortis genere per clementer & miseri-

misericorditer sublimitas ipsius mecum egit, ac propterea spero ex ingenij sui bonitate, quicquid reliquum est indignationis & offensionis in me, id totum condonaturam, quod ut fiat, uos precemini, etiam atq; etiam obtestor, simul ut eius Maiestatem Deus Optimus Maximus diu seruare uelit, ut regnum in uos cum omni felicitate & dignitate obtineat.

Populus acclamabat, Amen.

Quum hæc dixisset genibus prouolutus circumstantes ita alloquitur: Vos omnes rogo atque obtestor, testes sitis me uera & Catholica fide præditum è uita migrare. Inde Psalmum Quinquagesimum: Miserere mei Deus &c. & uicesimum Nonum supra centesimum: De profundis clamaui ad te. Item orationem Dominicam latinè recitauit, addidit uersus sex ex eo Psalmo, qui est tricesimus: In te Domine speraui, desinens uersum illum quod dicitur, In manus tuas Domine commendo Spiritum meum. Quum hunc in modum precationes absoluisset, spiculator, sibi ueniam ut daret, ab eo petijt. Ad quem ille: Ego uerè, inquit, & quidem ex animo tibi ignosco, tu quod tui est officij, intrepidus exequare. Truncus ei aduolutus erat, in quem se quum inclinaret, Ego, inquit, merui millies ut morerer. Tum stramen quod erat subiectum, cruce signat, deosculatur, ceruicem trunco admouet, ac moritur.

FINIS.

BERVIS NARRATIO EORVM, QVÆ IN PROXIMO ANGLICANO CONVENTV, LONDINI HABITO, INTER Reges, Cardinalem Polum, Proceres, populumq; de Religione pristina restituenda, acta sunt, ex uarijs literis bona fide excerpta.

AD REVERENDVM IN CHRISTO PATREM ET PRINCIPEM, DOMINVM VVOLFgangum à Gronenstain, Collegij Campidunensis Abbatem, & præfectum gubernatorem Regium, Oeniponti &c.

EPIGRAMMA M. Sebastiani Solidi.

Magne pater Proceres inter non ultime sacros,
Hoc quorum celebris tempore fama uiget:
In quem curarum pars Regis magna recumbit,
Imperij fasces cui pia Roma dedit,
Precipue Oeneias inter quà pulchra salinas
Regia stat, placidus & fluit Oenus aquis.
Ipse ego qui quondam lessæi carmina Vatis
Transmisi sacris cum preculisq; tibi:
Idem nunc paruo tenueis epigrammate chartas
Do nimium certe præcipitante manu.
Ardua sed res est, totum memoranda per æuum,
Atq; Maronæo carmina digna cano.
Fama uolans nuper quam toto sparsit in orbe:
Famaq; ijs nunquàm gratior ulla uiris.
Quæ non teste caret, nostras nam missa sub oras
Venere à grauibus scripta diserta uiris,
Regalem memorant latia quæ uoce triumphum,
Dum redit ad rectam terra Britanna uiam.
Hæc, quia communis testentur gaudia plausus,
Ædidimus subitis nempe nouata Typis.
Et procul à gelido, Præsul, tibi mittimus Istro,
Ex alio quamuis dona petita sinu.
Quare suscipias hanc qualemcunq; laborem,
Quo cupio ut placeam, sin minus, ut taceam
Det Deus, ut tandem tenebris Germania pulsis
Exemplum Fidei tale sequatur: Amen.

ANGLI



NGLI, quorum intererat, pridiè Idus Nouemb. anno salutis humanæ M. D. LIIII. ad concilium indictum conuenerunt: cui Reges ut interessent, magna comitantium frequentia (in quibus Hispani Proceres, & reliqui nobiles erant) manè ex Regia profecti sunt. Ordo autem comitantium talis erat: antecedebant Senatores, proximi erant, Magistratus & Regni proceres: ita ut quisque pro dignitate, suum de more illius gentis teneret locum. Magistratum & nobilitatem sequebantur Episcopi, & alij, qui Ecclesiæ præsunt. Hos & illos, uestes Talares purpureæ, candidis pellibus ad cucullam, & eas partes, quibus manus efferuntur, fultæ adornabant: inter quos, medij erant Caduceatores permulti. Deinde quatuor primarij illius Regni nobiles, capite aperto sequebatur, quorum duo singuli gestabant ensem: alijs uerò duobus, scipiones duo, in sublimi anteriori ephippij parte, eminebant: quibus pilei duo, rubeo & albo colore distincti, figuræ cylindri instar uehebantur. Proximi sceptrigeri complures, Reges antecedebant. Cultus Regis erat toga promissa, holoserico purpureo (Carmesinum uocant) forma à reliquis haud dissimili: Hanc præciosissimæ pelles Arminiæ fulciebant. Pendebat quoq; ex aureo torque insigne, Diui Georgij institituto sacrum. Imæ uestis regiæ partes, equorum summi magistri humeris uehebantur. Ad dextrum Regis latus, Reginam haud dispari cultu lectica, parte superiori prorsus aperta, holoserico purpureo adornata, uehebat. Fœminæ Reginam comitantes, quadraginta circiter equis uectabantur. Hoc ordine seruato: ex regia prodeuntes, templum, ut rei diuinæ interfint, Reges intrant. Qua peracta, ædes templo uicinas, Reipub. munijs obeundis dicatas, petunt. Erat autem atrium (ad quod paucis gradibus situm est) amplissimum, sublimi fornice, in cuius extremo Theatrum haud humile, mirificè exortum conspiciebatur, quod etiam Cortina honestabat. Hîc duabus sedibus collocatis, Reges accubuerunt. Vniuersus Ecclesiæ ordo, & reliqua nobilitas infrà constitit, exceptis ijs, qui à secretis sunt, & summo disceptatore (Cancellarium ea gens uocat) qui ad imam Theatri partem morabantur. Episcopi & reliqui Ecclesiæ Antistites, in subsellio, secundum latitudinem atrij, pro cuiusq; dignitate considentes, dextrum Regis latus claudebant, sinistrum, socij omnes: qui à uinculo seu insigni, quo eorum tibiæ ad genua ornantur, nomen habent, & primæ notæ nobiles. Consilio quoq; Dux Albanus, Iacobus Azeuerdius, summus equorum magister, admissi sunt. Secundum longitudinem, utrinq; subsellia pluuinis & panno purpureo strata, dispositi erant. His reliqui nobiles & priuati uiri, quorum, ut dixi, erat concilio interesse, accumbebant. Silentio facto, summus Disceptator hunc in modũ omnes ordines paucis alloquitur. Non ignoratis, iam tertium hoc cõcilium, ex quo Eduardus Rex uita excesserit, indictum esse. Primum, ut de Religione suo pristino nitori restituenda, consultaretur. Quid autem impedimento fuerit, quò minus res optandum finem fuerit adepta, ipsi ipsi memoria, opinor, tenetis. Secundum, ut de Augustissimæ Reginæ nostræ nuptijs deliberaretis, qua de re nihil statutum esse, ipsi scitis, quanquam eas, Dei Opt. Max. auspicijs, finem optatum sortitas esse, incredibili lætitia animaduertimus. Huius itaq; diuini beneficij ut grati & memores aliqua ex parte & uideamur & simus, re præstandum est. In hoc tertio Concilio, ut in primo, de restituenda & in aliquam puritatem reuocanda religione, deliberandum & definiendum proponitur. Esse enim Reges in ea sententia persuasum habere, ut nisi controuersijs de religione è medio sublatis, nihil aliud agi aut constitui uelint. Ad hæc uniuersi ordines respondent, se non alio nomine conuenisse, quam ut quid Regia Maiestas uellet, intelligerent. Nunc uerò de Regum sententia certiores facti, deliberandum sibi unà esse censent, ita tamen,

men, ut à consultatione se non discessuros promittant, quousq; ea de re in gratiam Regum quid fieri possit, constitutum fuerit. Post hæc, concilium dimissum est, Reges q; nauigio secundum flumen, quod urbem ipsam interfluit, in Regiam concesserunt.

EX ALIIS LITERIS.

CArdinalis Polus, ubi Caletum uenit, honorificentissimè à regijs ministris exceptus est. Hic nauem regiam conscendens, secundo admodùm uento, quatuor horarum interuallo Donæum nauigauit. Postero die, redditæ sunt ei literæ regiæ, humanitatis ac amoris plenę, à uiris duobus primarijs, obuiam Cardinali à Rege procedere iussis. Hos multi alij municipes sequebantur, ita ut comitum indies magna fieret accessio. Ab ijs ad Grauesinum oppidum deductum Cardinalem alij regij oratores excipiunt. A' quibus cùm nullum genus officij aut humanitatis prætermissum esset, nouo quodam munere idem afficitur, decreto nimirum regio, quo reditus in patriam dabatur: & lex ab Henrico lata, ab Eduardo postea confirmata, qua patria Cardinalis prohibitus fuit, abrogabatur. Huius decreti confirmandi causa, Serenissimus Rex senatum adijt, uoluitq; se præsente, summo totius regni sigillo, decreti ueritatem posteris testatam esse. Hoc regium factum, incredibilis omnium Senatorum, & omnium ordinum consensus approbauit. Ex oppido Graueſino Cardinalis unà cum his, qui illum comitabantur, discedens, mira omnium iucunditate, cruce seruatoris nostri (regum assensu) in prora nauis præcedente, Londinum appulit. Cui, è naui uix cum descendisset, rectaq; in Regiam, cruce præeunte, proficiscereturCancellarius multis nobilibus comitantibus, eum excepturus obuiam uenit. Mox in ipso ferè regiæ limine, Rex tanta comitate & hilaritate, tantaq; amoris significatione Cardinalem complexus est, ut nil in eo officij genere desiderari potuerit. Quid de Regina dicam? quæ cum intellexisset, Cardinalem non tanta celeritate interuallum, quo aberat, emensurum: accubuerat mensæ: sed eius aduentu cognito, subitò mensa excessit, ad foresq; primi atrij festinans, eum nullo amoris aut humanitatis officio prætermisso excepit, atq; ita sanè, ut nec ipsius Cardinalis domesticis, quicquid humanitatis præstari potuit, defuerit. Omnes etenim, qui ibi aderant, sigillatim, duce Pagetto, reges, manu porrecta & de more adorata, salutarunt. Hîc itaq; multis uerbis, inter Reges & Cardinalem ultrò citroq; habitis, Cardinalis ueniam præfatus, Duce Albano, comite Arundellio, & Cancellario comitantibus, in hospicium suum concessit. Proximis duobus diebus sequentibus, exceptus est à regibus prandio: Cardinalis aduentus omnibus iucundissimus fuit, suntq; in ea opinione, fore ut breui illius interuentu, Religioni ueræ & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sint restituendi: quod & ipse Deo adiuuante, persuasum habeo. Hodie dabitur Cardinali reges conueniendi facultas. Vnum si addidero, finem scribendi faciam. Nihil Rege Angliæ & Regina, morum comitate, singulari uitæ integritate, inaudita pietate, & mutuo, denicq; amore, similius aut coniunctius reperiri posse credo, ita ut reuera hoc coniugium Deo soli acceptum sit ferendum.

EX ALIIS LITERIS.

EX Anglia literæ sunt allatæ, ex quibus intellexi, omnium ordinum Proceres, qui ad indictum Concilium conuenerant, Regibus, tertio Calendas Decemb. positis genibus supplicasse, ut ijs omnibus, quæ per aliquot annos, aduersus ueterem & maiorum suorum religionem tentassent, ignoscere uellent: fateri se, & scire asseuerabant, ea omnia falsa & sacrilega esse. Proinde etiam

etiam atq; etiam orare, ut Regia Maiestas suis auspicijs & authoritate, à Reuerendiss. Cardinale Polo, summi Pontificis legato contendat & impetret, ut per illum expiati & absoluti, reliquis corporis Ecclesiæ membris consocientur & restituantur. Id autem tanta doloris ob uiolatam Religionem significatione, tantoq; omnium cõsensu postulatum est, ut reges singulari lætitia affecti sint, quanta sanè eos, ex tam incredibili inauditaq; uictoria, affici par est.

EX ALIIS LITERIS.

DEi Opt. Max. uoluntate, infinitaq; eius erga Christianam rempub. benignitate & misericordia, pium sanctissimumq; opus, de restituenda pristina legitimaq; Religione, hoc quo subijciam modo, benè feliciterq; ad extremum perductum est. Vniuersi ordines, qui ad concilium conuenerant, in Regum aula, utroq; rege præsente, aderant: quibus cum pauca maximus Cancellarius, ex his quæ hesterno Concilio acta fuerant, suo idiomate recensuisset, libellum supplicem Regibus porrexit, quem cum Reges uidissent, ipse magna uoce, ita ut omnes audire possent, legit regibusq; reddidit. Tunc reges assurgunt, stantesq; apud Cardinalem, qui iuxta Reginam assidebat, suo fungũtur munere, eum interpellantes, uellet suos iam supplices Ecclesiæ gremio à se restitui. Qua oratione finita, reges accubuerũt. Cardinalis principio suæ legationis & facultatũ (quæ potissimum desiderari poterãt) priuilegiũ seu bullam per presbiterum suum unà cum alijs pontificijs literis (Breue appellant) de dilatanda seu explicanda legatione, ad regem recitare iussit. Post hæc, dimidiata penè horæ parte appositissimè, omnium qui intellexerant iudicio, Anglicè loquutus est, quem omnes summa attentione audiuisse uidimus. Huius oratione uix ad finem perducta, Reges & omnes, qui Concilio intererant, genua ponunt, quos Cardinalis Anglico idiomate absoluit: quo uerò genere orationis usus sit, ex alijs literis cognosci potest, suggessit autem in calce absolutionis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: cui omnes quotquot aderant magna uoce acclamauerunt, Amen, Amen. His hunc in modum peractis, Rex, quem Cardinalis & omnes sequebantur, sacellum ingressus est. Vbi, quanto apparatu & obseruantia fieri potuit, Hymnum, Te Deum laudamus, in gratiarum actionem, Deo cecinerunt: rursum benedictione consueta à Cardinale accepta, domum duabus horis post solis obitum repetunt. Ciues Londinenses, crastino die uenient à Cardinale postulaturi, uelit die Dominico omni solennitate, more maiorum in summum Templum uenire, in quo maximus Cancellarius super hoc themate: Tempus est iam nos de somno surgere: concionaturus est, fietq; res diuina, hoc est sacrosancta Missa: Cardinalis uniuersæ plebi benedictionem impertiet.

HISTO-

HISTORIOLA,

DE ABDICATIONE SEV RENVNCIATIONE IMPERII ET REGNORVM A' CAROLO V. IMPERATORE FACTA,

Anno 1555. & electione Ferdinandi Imperatoris, rebusq; quæ inter utramq; acciderunt descripta atq; collecta ab historiæ studioso.

REVERENDISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO MARQVARDO EPISCOPO

Spirensi, & Præposito Vueyssenburgensi, ac Cameræ Imperialis iudici æquissimo Vuilhelmus Godeleuæus: hanc Historiolam dedicat, donat, & consecrat.

ANT anni præcedentes millesimum quingentesimum quinquagesimum quintum post Christum natũ, uario orbis terræ gubernatorum interitu, tristissima populorum ac ciuitatum uel expugnatione, uel calamitate ac regnorum mutatione, consiliorumq; insperatorũ susceptione & euentu insignes extitêre, sic & hic eorum minimè expers fuit: Nam initio & duo Pontifices Iulius III. eiusq; successor Marcellus II. & Heroina Iohanna Arragonia Imperatoris Caroli V. mater, & Henricus Nauarræ Rex, singulari bonitate, pacisq; studio celebris, mortalis uitæ extremo die confecto, ad aliam transiêre. Et in Germania Sebastianus ab Heusenstein, Archiepiscopus Moguntinus Imperijq; Elector, cum grauissimis difficillimisq; temporibus, singularis prudentia decemferè annis Reipub. præfuisset, fato cõcedit. Ac circa Nonas Nouemb. Agnes Ioannis Friderici Saxoniæ Ducis coniunx: Landtgrauij Hessorum Philippi filia, quæ antea Mauricio Saxoniæ duci nupta fuerat, terrestre hoc domicilium deserit. Deinde, celebratissima Hetruriæ ciuitas Senarum, post fortiter toleratam longissimæ obsidionis famem ex conuentione, se Imperatori Carolo V. & eius nomine tanquam belli consorti Cosmo Florentiæ duci se dedidit: eorundemq; Senarum municipium, quod Portum Herculis nominant, Petro Strozzæ, cum delectæ militiæ manu, & nauibus Gallicanis excluso, exercitus Cæsariani, & Florentini uirtute, Marignano duce, expugnatum est: Ac ne penitus Galli à fortuna desiituri uiderentur, & ea his in Casales & Vulpiani Taurinorum oppidorum occupatione arrisit, illa mense Martio, opera Saluazonis, uiri nobilis, partim astu, partim ui. Mantuani Ducis partibus Cæsarianorum fauentis, iurisdictione subtracta. Vulpiano uerò post horribilem tormentorum cõcussionem ac oppugnationem, Brissaci Gallorum Ducis, ferociss imam, obstinatissimamq; in pactiones propositas descendente; ut mœnibus nudaretur, & arx penitus euerteretur. Nec admiratione caruit exitus Comitiorũ quæ à Carolo quidem indicta, à fratre uerò Ferdinando: illorum ualetudine tum bellis districto, Augustæ habita fuêre, re post longam disceptationem eò perducta, ut septimo Calend. Octobris omnes controuersiæ de bonis ecclesiasticis, tollerentur, Iurisdictio sacra, quo ad dissidium religionis integrè componeretur, suspensa maneret, & religio confessionis Augustanæ omnibus libera permitteretur, Ecclesiasticis tamen: qui religionem mutarent, citra infamiam beneficio mulctandis: Cæterum inter ea omnia, & Caroli V. regnorum & Imperij sponte facta abdicatio insignis

insignis fuit. Quis etenim credidisset, Imperatorem, inexplebilis dominandi cupiditatis ab æmulis semper grauissimè culpatũ, ac in omnibus actionibus, semper prudentissimè uersatum, in rerum omnium successu felici: sponte administratione Reipub. atq; priuatæ cessurum: eamq; in filium, qui ætate infirmus, scientiæ militaris, rerumq; usus expers haberetur, translaturum esse, maximè eo tempore, quo & infestissimi belli mole premeretur, & ærarium alieno ære grauatum: quasiq; exhaustum esset? Verum qui perpenderit Carolum à longinqua & ingraescente corporis imbecillitate, & fastidio offensionum, tot bellis contractarum ita affectum fuisse, ut nõ modò Magistratus continuandi, sed etiam uitæ spem omnem abiecerit, ne ipse eum optimè rebus suis consuluisse statuet, qui filium uiridi ætate, & gubernaculis Reipub. tractandis idoneum tot regnis in uita præfecerit, ut maturè rebus gerendis assuesceret, & ex eius industria, prudentia, ac felicitate præteritorum laborum, & extremæ ætatis molestias leniret: Inq; eo consilio haud dubiè antecessorum suorum exemplis est confirmatus: quorum non pauci imperij pertæsi sponte Magistratu abiêre: Nam ne Diocletianum commemorẽ, qui orbe pacato, post annorum 20. Imperium Nicomediæ cum collega Maximiano, id sponte deposuit, & in proposito, decem annis quibus superfuit, constanter permansit, hortorũ amœnitati uacans, atq; testatus, cum iterum à priuata uita ad Imperium sollicitaretur, nullos sibi unquam soles lætiores affulsisse. An non & Christianos quosdam tam Germanicos quam Constantinopolitanos idem factitasse legimus? Sic etenim Lotharius, Ludouici Pij filius, cum Ludouicum filium regni consortem asciuisset, & Imperij socium declarasset, decimoquinto pôst anno monasticam uitam secutus, in monasterium Prumiense, quod ipse fundarat secessit, subditorum animis in eo concedendo promptioribus, quàm patri Ludouico fuisset, qui cum monasterium S. Dionysij ingressus cucullã monachalem, abiecto baltheo, induisset, renunciaturus Imperio, primorum regni Franciæ principem amantium, studio id retinuit. Crebriora uerò eius rei exempla, in Constantinopolitanis Imperatoribus uidere licet: inter quos Theodosius tertius Leone Cononе, ab exercitu Chrysopoli Imperatore declarato, data sibi fide, nil in commodi passurum, Leoni cessit, & tonsus ipse cum filio factus est clericus. Michaël Curopalates cognomento Raucabe, post annos Imperij quatuor, & menses nouem: habenas regni, in Leonem, ob cordis mœstitiam maximam, in quam ob aduersam pugnam inciderat, transtulit. Alexius Mostele, Theophili gener, ut inuidiam Imperij affectati declinaret, cõiuge Maria mortua, cum crinibus, à quibus eius familia nomen habuit, dignitatẽ regiam deposuit, ac habitu monachali induto, in monasterio Anthemij, à se exædificato, uitam finijt. Manuel post 38. annos principatus, monasticam uitam secutus, morbo perijt. Ioannes Cantacuzenus, cum Ioanne Palæologo imperio per aliquot annos administrato, eo se abdicãs, monasticã uitam professus est.

Ac plures his enumerari possent, sed id fieri minimè necesse est, cum plerique ipsorum non tam imperij fastidio, quàm uel conscientia delictorum, uel ignauia, uel infelicitate rerum gestarum, adducti, publicum fugientes, in occulta se loca abdiderint. De Carolo uerò v. cum nihil tale dici queat, sed is quam gloriam integritatis, fortitudinis, prudentiæ, atq; uirtutum omnium, initio imperij sibi peperit, & sepulchro, quo tegitur intulerit: non abs re erit, historiam huius renunciationis, cum aliarum uirtutum Caroli, tum despicientiæ rerum caducarum atq; fragilium (quas alij non solum summo studio indefessoq; labore sectari ac quærere, sed & ægrè & non sine labore, dimittere consueuerunt) breuiter referre, ut uirtutibus ipsius cognitis, posteritas eius si non imitari, admirari saltem discat. Etsi non inscius sim uaria de hoc Caroli facto iudicia fuisse. Nam consilium hoc eum cœpisse etiam ante triginta annos affirmabatur,

sed

sed nunc & exhaustis uiribus & aduersis euentis fractum, id executum esse, quod ratione quadam olim facturum se esse constituisset. Nec desunt fide & authoritate præstantes qui referant, cum aliqui ab ea sententia Carolum abducere uoluissent, eum dixisse: Impendisse se quę habuisset omnia, et quidē in sulciendum tuendumq; maximè Ecclesiasticum statum: Pecuniam, quę quidem reparari, idq; damnum sarciri forte posset, sed amissam quoq; esse existimationem nominis, & ualetudinem bonam, & studia hominum, quæ recuperaturus esset nunquam. Cæterum utrunq; sese res habeat, nos minimè in eius consilia inquirere uolentes, ad narrationem institutam, accedemus.

Cum itaq; Carolus anno millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, ut diximus, imbecilla corporis ualetudine & ingrauescente ętate conflictaretur, quò quieti & tranquillitati exoptatæ se dederet, Philippum filium, qui anno superiore, ad decimum nonum Iulij diem, ex Hispanijs cum classe in Angliam appulisset, & die, qui Diuo Iacobo Hispaniarum patrono sacer est, nuptias cum Maria Anglicana peregisset, ex Anglia Bruxellas ad se euocat: eoq; Septemb. initio, ex Britannia in Brabantia patrem reuisente, totiusq; Belgij proceribus, & omnium ordinum statibus Bruxellæ iuxta mandata comparentibus: Cæsar VIII. Cal. Nouemb. manè Philippum filium militum ordinis aurei Velleris principem, pro ueteri ritu dicit: de quo ordine ideo paucioribus mentionem faciemus, quod & ab alijs iam ante id factum, & de eius institutione ac legibus, commodior, ampliorq; dicendi locus alibi futurus sit, hoc saltem admonentes, ex lege Philippi Ducis Burgundiæ cognomento Boni, primi eius ordinis autoris, ad nullum, nisi ad successores suos (qui hodie sunt Austriaci) institutionem equitum huiusmodi pertinere. Post meridiem uerò eius diei, posteaquàm in ampliſsima curia, frequētissimus Senatus, eò de industria euocatus coijsset, Imperator, ponè sequente filio, sorore Maria Belgarum moderatrice, Allobroge Emanuele Philiberto, & assidua nobilitate stipatus, in atrium maius aulæ accedit, aulæis atque nouis ex hedrijs instructissimæ, quò loci, ubi primus in solium ascendit, sedentis dextrum latus, Philippus filius, sinistrum Maria soror ita clausit, ut ternæ sedilia triangulari ferè linea essent cōstituta: Reliquo eminentiori comitatui subinde assessio imperabatur: ac quidem inter alios Hannoniæ Senescallo, podagræ morbo uexato, Cæsar semel atq; iterum humanissimè iussit sedem poni, quàm tamen ille modestissimè recusabat. Confessu itaq; silentio facto, mox surgēs Bruxellas regni cōsiliarius, pro Imperatore in hunc modum orare grauiterq; fari incipit. Imperatoriam Maiestatem tot exantlatis laboribus fractam, & increbrescente corporis inualetudine afflictam, tolerandæ diutius tantæ rerum moli imparem, Hispaniense regnum, quietis causæ (quod illum aërem, clementiorem Belgicorum, dicaret) uelle aliquando reuisere, idcirco deliberato inhærere, ac Philippo filio Britannorum Regno recens aucto, hęreditatem Belgicam generatim tradere, existere eum iam ætate firma, habilem aptumq; ad suscipiendam administrationem, atq; eo iudicio præditum, ut facile ex æquo & bono Rempub. gerere, subiectis parcere, & superbos debellare queat. Ac proinde instrumentum cessionis seu renunciationis Caroli, lingua Latina, in hanc ferè formam confectum, atq; ab Imperatore subscriptum, ordinibus prælegit:

CAROLVS diuina fauente gratia Romanorum Imperator & Rex Hispaniarum: Notum facimus singulis & uniuersis hîc præsentibus, & hasce uisuris, quatenus nos ad animum reuocantes, quod in posterum propter ętatem & inualetudinem nostram aliasq; causas, labores, profectiones, & molestias, quas hucusq; longo tempore ob gloriam Domini Dei nostri, cōseruationem ac defensionem statuum, regnorum nostrorumq; subditorū ea incolentiū perpessi sumus, sufferre non ualeamus: Statuerimus ac determinauerimus, regna

noſtra Hiſpanienſia reuiſere, & in ijs quod uitæ reliquum eſt, in quiete & tranquillitate tranſigere. Et uidentes Philippum Regem Angliæ & Neapolis, filium noſtrum chariſsimum in ętate apta, gubernationi, & integrę adminiſtrationi regionum Belgicarum, à quibus iam iuramento ei obſtrictis tanquam unicus noſter filius & hæres pro futuro principe & domino, cum obſeruatione conſuetarum debitarum, ſolennitatum iam antea receptus eſt, & quod adhæc regnum Angliæ hiſce terris uicinũ ſit. Quod propterea ut dicto domino & noſtro filio, ſit melior opportunitas gubernandi atq; regendi regna & regiones citimas, easq; conſeruandi & defendendi ab inuaſione & inſultu hoſtium: ei ceſſerimus dictas terras, & cupiamus hiſce de cauſis: aliſq; iuſtis & æquis rationibus, expoſitis in prę̃ſentia noſtra, & filij noſtri Regis Anglię in plena & ſolenni congregatione procerum & ſtatuum harum terrarum, noſtræ mentis diſpoſitionem atq; ſententiam in effectum producere, omnino confidentes, eos minimè grauatim nomine noſtro præfatum regem recepturos, Vtpote cui ceſsio, relaxatio & translatio harum terrarum proprio motu noſtro, libera uoluntate, autoritate, & poteſtate abſoluta, facta eſt, ut & per præſentes, cedimus, relaxamus & transferimus dicto noſtro filio, Regi Angliæ & Neapolis, omnes terras, citeriores, Ducatus, Marchionatus, Principatus, Comitatus, Baronatus, Dominia, Ciuitates, Oppida, Caſtra, Arces quæ in hiſce ſunt, cũ regalijs feudis, homagijs, allodijs, patrimonijs, aduocatijs, redditibus, prouentibus, confiſcationibus, mulctis, pertinentijs, & appendicijs ipſorum, & omni iure & actione quod potuimus aut poſſumus prætendere, ad dictas res: Præterea omnes dignitates, præeminentias, prærogatiuas, priuilegia, exemptiones, iuriſdictiones, appellationes, & denicq; omnes ſuperioritates, cuiuſcunq; generis ſint, & quacunq; ratione competere poſsint, ſeu titulo patrimonij, ſeu alio: nullo fructu uel uſu in ulla commemoratarum ſuperioritatum ac dignitatũ nobis retento uel reſeruato, quibus uſi, fructi & gauiſi hactenus fuimus. Nihilominus tamen uolentes: ut id fiat cum tranſitu obligationis, ſoluendi omnia debita & mutuae cõtracta per nos, aut alios nomine noſtro, in rebus concernentibus terras has citeriores. Et per præſentes facimus, creamus, & inſtituimus ipſum Principem & Dominum dictarum terrarum, conſentientes & permittentes, ut ab hinc in poſterum ſine ulla alia licentia aut requiſitione, ipſemet, aut alij pro ipſo, integram & plenam poſſeſsionem apprehendat, dantes quoq; illi amplam poteſtatem & liberam autoritatem faciendi de nouo, quicquid opus fuerit, obſtringendi ſtatus & ſubditos iuramento, & renouandi inueſtituras locorum, prout res requiſierit, ſimiliter recipiendi iuramentum ab ipſis, & obligandi ad omne id, ad quod prioribus iuramentis reciprocè tenentur. Conſentientes amplius, ut retineat, mutet, deleget atq; inſtituat in dictis terris, gubernatores, iudices, iuſticiarios, tam pro defenſione & conſeruatione ipſarum, quàm pro adminiſtratione iuſticiæ, Politiæ, & alterius cuiuſq; uoluerit rei. Denique ut faciat quod uerus, ſupremus, naturalis ac proprius princeps poſsit, & facere ſoleat, & non aliter quàm fecerit aut facere potuerit poſt noſtram mortem. Et ad hunc finem quietauimus, abſoluimus & exoneratuimus, quietamus, dimittimus & exoneramus omnes Epiſcopos, Abbates, Prælatos & alios Eccleſiaſticos, Duces, Principes, Marchiones, Comites, Barones, Gubernatores, Capitaneos, terrarum & belli Præſides. Cancellarios, Præfectos atq; Rectores concilij ærarij, ac rationum aliosq; officiales, præfectos militum, munitionum, præſidiorum, eorumq; Vicarios, Equites, Scutarios, Vaſallos, & denicq; omnes ſubditos huius citerioris terræ & quemlibet ipſorum à iuramẽto fidelitatis fide, homagio, promiſsionibus & obligationibus, quibus nobis tãquam ipſorum Domino & ſuperioti Principi, fuêre obſtricti, uolentes, ordinantes, & expreſsè mandantes unicuiq;, ut dictũ noſtrum

filium

filium, pro uero ipsorum Domino & supremo Principe recipiant, & illi iuramentum fidelitatis homagium, promissiones & obligationes modo consueto, & secundum qualitatem terrarum, locorum, feudorum, & dignitatum præstent. Ad hæc ut illi omnem honorem, reuerentiam, obedientiam & fidem exhibeant, seruitia præstent, eumq; tali amore & studio prosequãtur, quà bonos & fideles subditos, ipsorum uerum supremum & naturalem Principem & Dominum complecti decet, & prout nobismetipsis hactenus fecerunt. Supplentes omnes defectus & omissiones tam iuris quàm facti, qui poterũt in hac cessione atq; translatione esse, & derogantes explenaria, & absoluta potestate, omnibus legibus & constitutionibus, quæ ei obstare poterũt. Nam ita nobis placet: In cuius testimonium & notitiam præsentes manu nostra propria subscripsimus, eas q; maioris nostri sigilli muminine firmari fecimus. Datæ in Ciuitate nostra Bruxella 25. die Octob. Anno 1555.

Hisce ab Oratore dictis atq; prælectis: Imperator ipse eius interceptam oratio nem assumens, & membranula eorum quæ ad Senatum referre statuisset capita continente, memoriam adiuuans.

Caroli V. Imp. Oratio lingua Gallica habita Bruxellis, in cõuentu Procerum Belgicæ, Anno 1555.

PRINCIPEM bonum decet omni officio, dum possit, Remp. & regere & tueri: cum per ualetudinem non possit, eam prouinciam in eum conferre, quem maximè profici conueniat, uti eum amorem principatu deponendo declaret quem gerendo præbuisset. Alterum à me semper cũ regnis omnibus meis, tum hinc maximæ prouinciæ per maximas temporum difficultates præstitum esse, iure id mihi sumere possum. Annus enim 33. agitur, cũ hinc Oceani nauigationem in Hispaniam eo cõsilio suscepi, ut regnorum meorum ipse pro me rationem haberem, quæ postquã rebus compositis, æquitate ac iustitia in ordinẽ redegi, meipsum rursus uestra causa Oceano cõmisi, nolebam enim uos in eo periculo uersari diutius, quod graue nobis à Gallis hostibus impendebat. Itaq; nostras uires ad uos tuendos omnes contulimus, ac prouinciã firmis præsidijs septam, exercitus Gallici metu liberauimus. Aliquantò post tertium in Hispaniam classe nobis properandum fuit. Anno uerò supra 1530. Clemẽtis VII. Pontificatu, traiecto sinu Ligustico in Italiam sum appulsus, coronam orbis Christiani debitam Imperio, quod mihi gerendum diuina prouidentia tradidit, Summi Pontificis manibus sub idem mihi tempus res Italicas constituendi Margaretam Austriacam amicã meam charissimã piæ memoriæ è uiuis excessisse nunciatũ est, cuius fato, qui uerebar ne quid Reip. uestrę mali ex hac re contingeret, ab Italia longo itinere rursus ad uos me contuli atq; de statu uniuerso Belgicæ certior factus, quod commodissimũ patriæ sum arbitratus, penes Reginam sororem dilectissimam, cuius prudentiam, fidẽ, diligentiam probè indicatã & expensam habebam, summã huius principatus administrãdi esse decreui. Anno uerò 32. nuntium accepi certum Turcarum Tyrannum eò progressum audacia & bello, q; ad Imperij Christiani exitiũ maximis copijs instituerat Viennam Austriæ metropolim tentaret. Hoc ego tanto periculo commotus maximo ex omnib. prouincijs exercitu conscripto, illuc prælium commissurus summa diligentia contendi. Sed barbarus hostis, exercitus nostri robore cõturbatus, amissis castris, & magnis acceptis cladibus, turpiter fuga se recepit. Hoc metu non modò Germania, sed orbe nostro liberato ad Remp. Christianam modis omnib. concordia stabiliendam animũ adieci, atq; rebus potissimũ Germanicis & Italicis diligenter eo tẽpore procuratis in Hispaniã per mare Mediterraneũ nauigaui. Illinc classe magnis sumptibus instructa copias in Africam Tunetũ Barbarici latrocinij receptaculũ oppugnaturus, deduxi. Eam enim urbẽ latronũ princeps Barbarossa Turcicæ classis Imp. occupauerat, ut nactus oportunum locum Piraticæ, quã exercebat, utranq; Siciliam, finitimasq; Christianorũ prouincias bello lacesseret. Hoc malũ felici uictoria

ctoria depuli ac fugatis hostibus Christiani nominis Goletã arcem ac Tunetũ Dei Opt. Max. beneficio in potestatẽ nostram redegi. Tuneto in regna nostra Siciliæ ac Neapolis nauigaui. Illinc Romã profectus, cũ accepissem noua iniuria Gallos bellũ iam diu sepultũ renouare, in collegio patrũ purpuratorũ Paulo Pont. Max. sum testatus publicè, si quid ex hoc bello, q̃d coactus suscipiebam, detrimẽti rei Christianę nascereẽ, huius ad me mali nullã uituperationẽ redire debere, sed ad eos, qui inuidia dignitatis meæ instauranda q̃ religionis nostrę conatus meos impedirẽt. Hoc bellum posti q̃ inducijs & certa pacis spe diremptũ est, ex portu Genuensi in Hispaniã nauigio contendi: illinc cũ mihi renunciatũ esset, motus in Belgica improborũ consilijs excitari, qui ad Remp. deformandã & fœdã seditionẽ uergerent idq̃ malũ loco natali meo primũ exarsisse: putaui hoc incendiũ opprimi celeriter oportere, quod ut restringerẽ, omnem ego metum, quẽ ex multis coniecturis iustè suscipere poterã, abegi, meq̃ grauibus periculis ut eos motus cõponerem lubẽs obieci. Sed Dei Opt. Max. singulari prouidentia factũ est, ne quod mihi discrimẽ ab ijs oriretur, qui ut dolis & perfidia rationes meas labefactarent, Francisco Regi Gallorũ consilium dabant, ne me semel ingressum regni Gallici fines liberum in Belgicã descendere permitteret: hic fidem suam mihi datã liberali cõmeatu amicè & cõstanter liberauit. A Belgica pfectus in Italiam, classem eo cõsiljo et exercitũ paraui, ut portum in Africa nactus Argeriũ expugnarem, id enim cum ad tuenda nostra regna, tum ad rem Christianã propagandam institueram. Sed cõsilium iustè quidem atq̃ fortiter susceptũ, non succederet fortuna tũc extorsit. Illinc re infecta in Hispaniã molesta nauigatione sum tandẽ ope diuina delatus: unde meipsum tot laboribus fatigatum periculum uestrũ rursus euocauit. Itaq̃ Mediterraneo sum præteruectus in Italiã, illinc ad uos magnis itineribus ingentib. copijs instructus, ut hostium uim à uobis arcerẽ, perueni, hosteq̃ finibus uestris armis fortiter abacto, res nostræ ut in tuto essent, effeci. Quæ postea in Germania facta sunt nostis uos quidẽ, & ita nostis, ut intelligatis me etiã tacente, quantum studium, quantã curam & operã semper ad Reip. Christianæ cõpendia, cõtulerim. Videtis quis sit iam earum Belgicarũ status, atq̃ facilè cognoscitis ex hoc tẽpore, quo Imperium administrandum susceperim, nullam mihi ætatis partẽ unq̃ constitisse, labore, curis, periculis uacuã. Ea fuit cõditio temporũ, ut mihi nunquã, ne in minimo quidem ocio uersari licuerit. Præstiti igitur q̃d initio dicebã, munera & officia principis oĩa dũ potui. Iam cum intelligã mihi & ætate & ualetudine grauiter affecto, pondus gerendi principatus minimè cõuenire, ne quid contempsisse uidear, q̃d ad Belgicę tranquillitatem pertinet, statui ius omne principatus Belgicæ ad filiũ charissimum referre. Qui cum sit ætatẽ nactus idoneam ad res gerẽdas, ingenium q̃ acceperit à natura principe bono dignum, iam usu cõfirmatum & accõmodatum ad Remp. eum huc eo cõsilio ad me uenire mãdaui: ut in hoc cõuentu omnium ordinũ Belgicæ Princeps à me uester pleno iure diceretur, eamq̃ prouinciã quã iamdiu sustinui, sibi iustè ac legitimè administrandã susciperet. Cui ut morẽ geratis, fidẽ iureiurãdo detis, data sanctè ac piè præstetis, mãdamus ac præcipimus. Fuit hic finis Cęs. orationis.

TVM PHILIPPVS Rex erectus capite detecto, patrẽ salutat, progressusq̃ seni parenti tactã dexteram uenerabundus, et in genua prouolutus exosculat: Hunc Cęsar amanter cõplexus, manu ritè capiti imposita Principẽ Belgicę declarauit, atq̃ eidem cõceptis uerbis signaculo crucis, nominibusq̃ S. Triadis expressis, quasi rectè gerendi principatus auspicio benè est precatus, mandauitq̃ ante omnia, cultum & timorẽ numinis ne unq̃ abijciat, religionis cõseruandæ rationẽ habeat, legum ac iuris autoritate principatum stabiliat. Inter cętera dicẽs quod nemini sciens et prudens iustitiã negarit. Ea re peracta, Rex reuerenter assurgit, parentẽ procliuis honorat, curatutũq̃ se diligenter, quæcũq̃ ipse

ipſe mandauerit, bona fide confirmat. Deum Opt. Max. conſiliorum ſuorum auto rem, factorum ducem & rectorem appellat, cuius præſidio, ſe ſperare ſucceſſura fe liciter omnia pronunciat. Tum Cæſar quidem, quanquam ipſe fortem ſemper ani mũ in re qualibet præſtiterit, nonnihil tamen illachrymatus. Me, inquit, miſeret filij Chariſsimi, Proceres, cuius humeris tam graue pondus imponitur, quod dum ge ſturus eſt, uita eidem eſt in ſummis laboribus & moleſtijs tranſigenda. Commouit ea Cæſaris oratio Proceres, & multi in profuſiſsimas eruperunt lachrymas, etiã il luſtres aurei Velleris equites. Ea uerò Cæſaris oratione finita, Rex ad uniuerſam concionẽ, paululum à patre ore cõuerſo, Gallicè ſubtexuit hoc ferè ſenſu, ſermonẽ ſe Gallicũ ità tenere quidẽ ut intelligat, nondũ ita tamen, ut oratione perpetua ſen tentiã ſuam explicare, & quo in eos ſit animo, quo effectu, quáue uolũtate demon ſtrare poſsit. Quamobrem: Dñm Antonium Perenotum Atrebatenſem iubet ea Proceribus exponere, quæ ſuo nomine in mãdatis habeat. Is igitur dicere exorſus.

ETSI CAESARIS Epiſtolis certiores eſtis facti, Proceres, quamobrem hunc ipſum omnium Belgicæ ordinum conuentum haberi ſtatuerit, mihi tamẽ dedit in mandatis, ut quas cauſas habuerit, eas planius explicarem, atq; inprimis id expo nerem, ex quo tempore Remp. Princeps in his prouincijs geſſerit (quam ipſe tum accepit, ubi primũ per ætatem ſui iuris eſſe licuit) nullũ ſe genus officij unquã de ſeruiſſe, quod ad Belgicã tuendam atq; ornandã pertineret. Cuius prouinciæ tanti ſemper cõpendia fecerit, ut ſæpè longas ac periculis infeſtas expeditiones, ne quid ea detrimenti caperet, lubens ac uolẽs ſuſceperit. Cumq; eius imperiũ latiſsimè pa teat, regna potentiſsima ampliſsimasq; prouincias, quę iuris ſunt eius atq; poteſta tis, ut ſuã operam publicę ueſtræ tranquillitati tribueret, ultrò reliquit, atq; in eam rem ſemper ſummis conatibus, cũ abſens tum præſens maximè incubuit, ut admi niſtrãda Repub. iuſti & æqui à magiſtratibus maximè ſemper haberetur ratio: hoc unũ ſpectans, ut quęcunq; ſunt officia nomine Principe digna ea ipſe omnia ſaluti ac felicitati ueſtræ accõmodaret. Quæ eò liberius præſtitit, q̃ nõ modò Principis erga uos, ſed parentis animum geſſerit, nõ illum quidem recens natum, ſed ductũ & hauſtum à maioribus, qui multis iam retrò ſeculis eandem uiam ingreſsi, æqua & moderata dominandi ratione id obtinuerant ut patriæ patres haberentur. Neq; uerò malè poſitam erga uos beneuolentiam Cæſar exiſtimat, quorum fidem ac ſin gularẽ obſeruantiam propè perſpectam ac multis argumentis teſtatã habet. Quæ ueſtra in eum propenſio, quanq; amorem illum paternum uehementer auxerit, ma gna tamen beneuolentia inde accederet factum eſt, quod in Belgica lucem morta libus cõmunem acceperit. Nam ipſe quidem cũ multa regna poſsideat, habet unã Belgicam patriam, quam q̃ ſummoperè dilexit, nunq; certè cõmiſit, quin ſtudia, uires, fortunasq; omnes ad eam conſeruandam contulerit, periculumq; omne lu bẽs adierit, ut illud à ceruicibus ueſtris depelleret: Quæ nos quidem commemora mus, ut tamen intelligatis Proceres, neq; huius officij apud optimè meritos collo cati Cæſarem pœnitere, neq; eidem uoluntatem deeſſe ueſtra cauſa eam ipſam dili gentiam in poſterum adhibendi, qua in ſummi huius inter uos principatus guber natione in hunc diem eſt uſus ſiquidem liceret. Sed cum & ætas iamdudum ingra ueſcens, & immenſæ Reip. Chriſtianæ cauſa labores fortiter ſuſcepti, ipſum gra uiter affectum, crebris doloribus debilitatum, parum aptum ad hanc prouinciam gerendam reddiderint, impulſus neceſsitate magis q̃ uoluntate adductus ſua, mo lem huius dominij in alium cõferendam, ſeq; tam graui poteſtate abdicandã decre uit. Cæterũ cum annos iam duodecim Hiſpaniæ regnis abfuerit, idq; eo maximè, ut res Belgicæ prius ſartas tectas, quoad fieri poſſet efficeret, tandem ut longo ſui deſiderio liberaret Hiſpaniam, illuc profectionem claſſe maturius inſtituit. Quæ re gio cum cœlum habet & clemens & amœnum, tum eſt eius oportunum ualetudi ni, cui Belgicæ cœlum, propter hyemes propemodum aſsiduas, ualde eſt inimicũ. Cæſari igitur uiſum eſt ut in Sereniſsimi Regis filijq; chariſsimi iure & poteſtate Belgica cenſeretur. Nam cum hactenus expromptam uobis operam ſemper præ-

huerit, accerbè sanè ferret, si retinendo principatu, cui gerendo non sufficeret, causas daret, quamobrem damno ullo aut incommodo patria, quã colit & amat unicè, uexaretur. Magna certe molestia hinc migrandi consiliũ Cæsar init: sed tamen Principis clemẽtissimi animum, recreat maximè, quod uobis, fortunisq; focis atq; aris uestris, filium Regem publicæ salutis adsertorem, legum ac libertatis custodẽ, tranquillitatis uestræ propugnatorem tradat: quem & natura Principem uobis dedit, & ius patrium patri legitimum successorem dixit, quemq; solenni ac publico iureiurando, ubi primum fatis Cæsar cesserit, Principem ac Dominum uestrũ uos Proceres comprobastis. Hic aũt cum eam ætatem sit sortitus, quæ ualde, cùm propter robur corporis, tum ob uim & acumen ingenij ad Remp. capessendã sit apta, neq; eam ipse ætatem publicis negotijs uacuã transegerit, qui iam unius populi, sed gentium & moribus & institutis plurimum inter se differentium regna ac prouincias regendas susceperit, sperare debemus, eũ, qui minimè nouus, sed usu gerendi publici muneris instructus, ad culmen huius principatus accedat, eam prudentiam, uirtutem, diligentiam ad hanc administrationem allaturum, quibus niti publica salus & conseruari possit. In quo cũ uestra, Proceres, studia, consilia, pietas, minimè sunt defutura, nihil certè desiderabitur, quod ad statum Reip. pace ac felicitate stabiliendum per Dei Opt. Max. beneficium cõueniat: cuius singulari benignitate factum esse Cæsar (gratus & pius erga Deum) agnoscit, ut tantis per clauũ huius amplissimi principatus regere potuerit, dũ Princeps filius non modò adolescceret, sed & corporis & animi uiribus firmam ætatem acciperet. Contingit enim sæpenumerò, si quando moles Imperij gubernandi in hominem, neq; usu rerum expertũ, neq; iudicio corroboratum deciderit, ut ea rerum mutatio magnam prouincijs labem & incommodum adferat. Has autem partes, nempe ætatem, usum, prudentiam, iuditium, quibus tanquã septum & uallatum animum Principis decet, cum Cæsar in Rege Serenissimo positas esse cerneret, non tamen tanta posse indicauit, ut sine amore & beneuolentia debitum fructum officij sui Reip. præstare queant. Quare id inprimis spectauit, ut quo ipse animo & ingenio erga uos semper fuisset, eundẽ uobis filius animũ omnibus beneuolentiæ gradibus declararet, & habeat non modò publici muneris, sed insitæ & propagatæ charitatis in patriam successorẽ. Ipse præterea Cæsar Regem filium ita finxit ad munus gerendi principatus et instituit, ut primum partem aliquam attingeret huius tam ingentis prouinciæ, paulatimq; & sensim Principis officijs assuesceret, ne si totum tot regnorum ac prouinciarum pondus subitò eius humeris incumberet, Reipub. status nullo prius idoneo iacto fundamento labasceret. Habetis igitur, Proceres, Regem, ætate bona, uiribus integris, beneuolentia singulari, ad Reip. munera factum, omnibusq; ijs artibus instructum, quas imperijs semper præstò esse oportet. Ex quo facilè cognoscitis, ex hoc Cæsaris consilio nullum uobis detrimẽtum, nullum Reip. uestrum periculũ creari posse. His causis Cæsar adductus, aut potius impulsus, in hanc sententiam descendit, ut totum quicquid sui iuris est & autoritatis in Belgica, id in filium Regem ac nostrum Serenissimum Principem conferret. Hunc igitur, Proceres, aditu possessionis harum regionum in his comitijs insolidum donat: hunc dicit ac pronunciat Principem uestrum, in cuius potestate more maiorum penitus Belgica (quod sit faustũ ac felix) post hac sit constituta, uosq; fide sibi datũ, & iureiurando iam olim præstito, hac tamen lege soluit atq; liberat, ut eam fidem uestram solenni ac consueto sacramento Regi filio sanctè ac piè obstringatis, iuratiq; promittatis omnibus officijs uos eo loco, dignitate, honore eum habituros, quo se estis in hũc diem persecuti, qui iam hoc maximè principatu defunctus, iure requirit & postulat, uti uos id officium suum, quod gubernanda Repub. præstitit, ex æquo & bono ponderetis, maximè cum nullum laboris, nullũ solicitudinis, nullũ periculi genus unquam refugerit, quo sibi quies, trãquillitasq; uestra comparanda uideretur, nixus prudentum hominum consilijs, adiutus bonorum studijs, optimatum suorum industria, ac maximè quidem Augustæ Reginæ sororis charissimæ prudentia, moderatione,

ratione, diligentia, stipatus, quæ tot iam annos difficillimis temporibus, suam uobis operam Cæsaris mandato, per summas rerum difficultates Belgicæ rectrix prudenter nauauit. Quod si potuit Reipub. status haberi melior, id ita factum non esse quidem Cæsar dolet, sed ita tamē dolet, ut nullam huius in se culpam hærere dicat, quæ certè aut est omnino nulla, aut si qua est, ea uel ad aduersam ualetudinem, uel ad hæc turbulentissima tempora, uel ad fortunæ lubrica præsidia referri debet, uellet ipse profectò Cæsar uestra causa. Proceres cessisse omnia Belgicæ felicius, & cur ita uelit, pietate erga se uestra, & obseruantia plurimum commouetur: quam tantam esse iudicat, ut gratiam uobis habendam certè maximam putet. Agnoscit uestram in parendo uoluntatem, alacritatem in largiendo, magnamq; subsidiariæ pecuniæ uim ad communem salutem numeratām laudat, quam tametsi in sua compendia minimè retulerit, sed suam uestræ undiq; ex regnis & prouincijs alijs suis collectam multam addiderit, ut finibus uestris hostis, instructis exercitibus arceretur, tamen hanc uestram largitionem uestris præsidijs impensam, grato ac memori animo commendat. Hac una quidem re præcipuè laborat, quod tanto sumptu, tantis in unum collectis maximorum exercituum uiribus, summaq; adhibita cura & diligentia, nondum Gallicum bellum confici uel restingui: quanquam in eam rem omnem Cæsar conatum meditatus est, ut prouincijs pace restituta uos uestraq; omnia, funesti huius belli molestia liberaret. Proximis enim Comitijs Reginæ mandato, significatum uobis est, quanto opere Cæsar pacis cōsilia quæsierit, quid actum tentatumq; nuper uestra causa ab eius legatis in nouissimo illo conuentu, auspicijs Britannici regni Rauelingæ coacto quibus artibus sit factum ut re infecta redierint, Gallis hostibus salutis uestræ per summam iniuriam æquissimis pacis conditiones recusantibus, quorum oratio eò tantum spectauit, ut propositis non modò deterrimis, sed etiam turpissimis conditionibus optatæ concordiæ aditum omnem præclūderēt. Hoc incommodo uestro Cæsar grauiter est affectus, sed spem tamen ipse bonam iustis argumentis nixam concipit Deum Opt. Max. cuius uindex est oculus, id æquitate suam prouisurum, ut hostis, nisi ad saniora consilia se conferat, iniuriæ ac pertinaciæ suæ pœnas det. Cuius furorem & impetum Rex Serenissimus consilio, diligentia, uiribus, opibus, armis, firmisq; præsidijs se sperat non modò se repressurum, sed id effecturum, ut belli moles in eorum capita torqueatur, quorum scelere primum exarserit: modò eius forti & inuicto animo, uoluntates, consilia, subsidiaq; uestra lubenter adiungatis, ac Principi uestro omnia quæ ad uos tuendos pertineant molituro nihil officij, studij, & auxilij uestri desiderandum relinquatis. Hinc bello, Proceres, id est ab hoste finis constitutus, ut libertas uestra sempiterna tyrannide præmatur, in discrimen salus Reip. uestræ uocatur: in iugulum tuum Belgica mucronem Gallus hostis intendit: idem uestris ceruicibus, Proceres, iugum miseræ seruitutis molitur. Quæ omnia nisi uires uestras hostium crudelitati fortiter obieceritis, focis, agris, fortunis, liberis, capitibus uestris imminent. Quamobrem fidem uestram ac iudicium Cæsar requirit, ut maturè consideretis, quanti id uestra omnium referat, ne hostis armatus, Principem uestrum desertum ac destitutum uestris auxilijs offendas. Vos itaq; etiam atq; etiam hortatur & rogat, quantum rationibus uestris expedire censeritis capiti uestro, libertatis uestræ propugnatori opem uestram ministretis, ut omnibus Reip. partibus, in communem salutem consentientibus per uos explicatam rectamq; rationē habeat, qua uestris rebus non modò legibus, sed & armis pro dignitate consulere possit. Multa rebus humanis incōmoda, ex bellico discrimine solent oriri, quibus nisi & maturè & fortiter fuerit occursum, sæpè maximæ prouinciæ, regnaq; potentissima funditus casu miserabili concidunt. Horum ne quid Remp. uestram affligat, antequam frangi uires uestras patiamini, nihil tanti uobis esse debet, quod ad salutem tuendam uestram liberius non effundatis. Hostis spiritum suorum exhauriet, succum omnem exorbet, ut exitiū uestris rebus inferat. Vobis quid non agen-

dum ne pagorum uestrorum incendijs, agrorũ ac finium uastatione, ciuium, gentium, populorum uestrorum cædibus & sanguine sitim suæ crudelitatis expleat. Cum igitur Rex Serenissimus, in ea sit erga uos uoluntate, ut res uestras sibi modis omnibus tuendas proponat, optat Cæsar, ut ipsi & uobis opem atq; auxiliũ adferatis. Sed cũ uires humanæ nullæ satis esse firmæ possint, quas è cœlo quæsita præsidia nõ muniant, neq; status ullus Imperij atq; Reip. sine religione diuturnus esse queat: Cæsar, pro suo erga uos amore hac parte noluit officio deesse, quin uos, Proceres, maximoperè commoneret, uti metu & cultu numinis diuini nihil uobis antiquius esse ducatis, atq; summa semper animi contentione id efficiatis, ut Ecclesię suus semper habeatur honos, quam nobis & parentem & alumnã Christus more maiorum religiosè colendam reliquit. Conatus eorum, qui perfidiosè deserto primo militiæ sacramento, ueterem & à Patribus acceptam religionem, per maximũ scelus euertere contendunt fortiter arceatis: Edicta uerò, quibus iam olim eam pestem Cæsar profligandam & penitus exterminandam decreuerat, ualere, firmaq; semper esse præcipit: idq; sanctè Regi filio mandauit, ne qua ratione illud animaduersionis in impios decretum patiatur antiquari. Et uos, Proceres, curetis diligenter, tacente etiã Cæsare: proxima & uicina pericula diuini iudicij ac seueritatis, frequens argumentum in ijs, qui ad Hæresiarcharũ castra turpiter descenderunt, uos satis hortantur. Habebit hæc pietas uestra magnum in oculis superum pondus, ut Dei Opt. Max. potens ac liberalis dextra, cumulatè uos augeat, tegat, cõseruet, ne quid detrimenti rebus uestris ingruat. Cæterum Magistratuum ac legum quarum beneficio omnis generis humani societas & concordia cõtinetur, autoritatem inter uos Sacrosanctã esse iubet. Diuellit enim omnes Reip. partes, ac dissipat iudiciorum contemptus. Quare uobis opera danda est. Proceres, siquidẽ uestra uobis tranquillitas atq; felicitas curæ est, ut Magistratuum uestrorum dignitas, potestas, autoritas, suã inter uos uim ac robur obtineat: ac maximè ut omnes prouinciæ Belgicæ partes in unum Reip. corpus ad communem omnium salutem coeant. Sunt quidem diuersi inter se iuris, habẽt secretas atq; distinctas rationes gerendæ Reip. sed tamen unum omnes unius capitis ex partibus prouinciarum uarijs cõpactum corpus efficiunt. Quamobrem ut in humano corpore salutem minimè tueri possumus nisi singulæ partes nexæ ac colligatæ, unoq; omnium spiritu uegetatæ, suas functiones in communem usum ac utilitatem conferunt: ita nulla iniri ratio potest conseruandi publici status uestri. Proceres, nisi collatis uiribus, uestras operas, uestra studia, uestra præsidia saluti Reip. uestræ donetis. Itaq; nulla magis re hostis in spem uenire potest euertendæ libertatis uestræ, quam si senserit, uires, animos, fortunas uobis non esse communes. Sed ubi uos id certum constitueritis plurimũ interesse omnium, qui sit status huius illius ue partis & prouinciæ tũ uestra Resp. firmior ac robustior, hostib. erit formidini, facileq; omne à uobis incõmodum repellet, cuius rei periculo facto iampridem edocti estis. Cęsar à uobis id quoq; maiorẽ in modum petit, ut ea uos obseruantia, pietate, charitate, Serenissimum Principem nostrum prosequamini, quam in se colendo hactenus præbuistis. Quod ut præstetis, tum ipsa natura lex & ratio præcipit, tum maximè clemẽtissimi Principis ingenium & singularis erga uos charitas, si modò grati esse uultis, uehementer requirit. Habet ipse Cæsar, Proceres, explicatam & planè perspectam optimi Principis mentem, ad ineunda consilia, animum ad res fortiter gerendas, beneuolentiam, quæ uos amanter complectitur, moderationem, quæ imperium suum æquitate temperet, quæ quia in ipso summa esse uidet, iure id à uobis reposcit, ut non modo obsequijs quæ Principi debentur, & officijs, legibus, constitutis, sed charitate non Principem, sed parentem benignissimum complectamini. Atque ut auspicato hunc principatum Rex Serenissimus obeat Deum Optimum Maximum Cæsar obtestatur & uotis omnibus obsecrat, ut prouidentia, benignitate, fauore, rem Principis nostri ac uestrum fortunet, aspiret benedictione sua utriusq;

triusque conatibus sapientia sua, eius ac uestra consilia dirigat, potentia tueatur, protegat atque defendat. Perenoti oratione finita, ab eo subinde in pedes erectus Iacobus Masius, iuris ualde peritus, à consilijs Regis, & singulari dicendi facultate præditus, pro Belgis, quos exprimebat hunc ferè in modum respondit. *Iacobus Masius.*

Nequaquam fugere Imperatoriam Maiest. quàm officiosos, quàm promptos, quamq; fideles usq; habuerit Belgas, idcirco nõ leuiter modò admirari ciuitatem uniuersam, sed etiã ualde perturbari, se turbulentissima Rep. certissimo & ueterrimo patrocinio priuari. Postq; tamen ita & collibitum Imp. & eius commodum sit: subleuari, firmari, recreariq; se plurimum præsidio, auctoritateq; charissimi filij, ac ter inclyti Regis, cui, licet diuturno bello depressa, nullo neq; loco, neq; tempore est defutura, quin patrono (Philippo) clientes erunt (S. P. Q. Belg.) undecunque officiosissimi: nec enim pro eo unquàm aut rei familiaris, aut priuatæ uitæ periculum subire addubitabunt. Tunc ubi Masij oratione finita, Rex Philippus resedit, honestissimè exurgens Regina Maria Belgici moderatrix, exhibita fratri reuerentia, paucis defuncta se prouincia Belgica regenda dixit, quam Cæsaris fratris mandato ante uiginti tres annos suscepisset, ac omnes quidem officij partes tota mente in hanc curam se contulisse, ut delegata sibi prouincia, ad eam normam gubernaretur, qua cum fratri, tum Reipublicæ maximè commendari posset, quod ipsum, si minus quam uellet, Augustus frater fortasse præstiterit, otare obnixe se, ipsius incuriæ ueniam. Quam modestissimam sororis orationem cum Imperij uultu & dextræ iactu accipere se significasset, ea conuersa ad Senatum eodem ferè stylo ac gestu oris, gubernationis suæ actiones, publicè commendauit. Hîc iterum assurgens Masius Senatus populiq; Belgici uerbis, dominæ collaudatæ, quod summam diligentiam in Rempublicam contulisset gratias quam maximas egit: Atque ita solennitate renunciationis peractæ, Cæsar Guilhelmi Principis Auraici & Burenij Comitis humeris se sustentans, ex conspectu amplissimi theatri abscessit. Solennis autem ceremonia & religiosæ renunciationis forma in acta & tabulas publicas referuntur, quæ omnia Chirographo firmauit, & obsignauit sigillo Augustali Imperator: Philippus uerò in locum Mariæ, amitæ consobrinum, Philibertum Emanuelem Sabaudiæ Ducem, Belgarum gubernatorem constituit, Mense post interiecto Imperator proposito insistens, Philippum filium in curia itidem Bruxellana, coram Vicarijs. Rectoribusq; prouinciarum, reliquijs honorum atque hæreditatis cumulatè dotauit, & transmarinis regnis honorauit, puta, Hispania, Sicilia, Sardinia, Balearibus insulis, Americæ & Noui orbis dominatu, denique donatione regionum omnium, quæ sibi uel fidem dedissent, uel tributum contulissent, reseruata sibi (cum ad locum destinatum peruenisset) duntaxat pensione, mille centum coronatorum, ad quotidianas necessitates, qua cum se, tum comitatum sustentaret. Antequam autem terras hæreditarias Philippo tradidisset, ad Ferdinandum fratrem tunc in oppido Oeniponte agentem, legatos miserat, qui eum non solum de hoc instituto, sed & abdicando Imperio certiorem redderent, & ad uacantis eius moderationem suscipiendam cohortarentur, simulq; rogarent, ut filium Principum Germanicorum, ciuitatumq; ordinibus conciliet, commendetq; Inter Principes si quid natum esset dissidij, & pro sua prudentia protinus discutiat, nec Germaniam partibus lacerari ac distrahi patiatur. Eius abdicationis fama per omnem Europam, longè lateq; dissemina-ta fuit, & erat parata classis, ac profectioni constitutus dies ad Idus Nouembres. Verùm ea, in sequentem annum, ut mox dicetur, reiecta est, uel quod hyems nauigationi minimè apta subesset, uel quod Imperator ante discessum ex Belgico, bello cum Galliæ Rege composito, filio prouinciam pacatam atque tranquillam relinquere cuperet. Etsi enim nec Pont. Iulij III. nec Britannicæ Reginæ Mariæ

interceſsio, Cęſarem & Gallum pertinaciter mutuo diſsidentes à redintegrato bello retrahere potuerit, tãdem tamen mutuis incõmodis fracti debilitatiq́, ſua ſponte reconciliationem pacemq́ deſyderare uidebantur. Quare cum Carolus Lalanius Hannoniæ prætor, & Caſparus Caſtilionæus præfectus oræ maritimæ Gallicanæ, utrinq́ ea de re legati miſsi, controuerſias omnes prorſus componere, aut pacem planè conſtituere non poſſent, id quod proximum erat, fecêre, & quinta Februarij menſis, anno 56. apud uacculam Samarobrinis finitimum municipiũ, annorum quinq́ paciſcuntur inducias, terra mariq́, tàm in Belgio, quàm per Italiam. Iis uix publicatis, ſtatim menſis Martij, die quarto ingens & luxidum ſydus, ſpacioſo limite, flammiferum crinem trahens, in octauo libræ gradu, conſpici cœptũ, duodecim ferè dies arſit. Deterruit id ut uulgò uſu uenit, mortales quamplurimos: at Carolus ſciens huius uiſione magnorum Principum interitus, prætercq́ famem, horrida bella portendi eo conſpecto, His, inquit, indicijs, me mea fata uocant: ac perinde ſuo propoſito de Hiſpanica profectione & ſolitudine uitæ captanda, inſiſtens, omnia ad eam neceſſaria parat. Cùm uerò Cameram Spirenſem, tanquã inſigne iuſtitiæ domicilium ac publicæ trãquillitatis neruum ſingulari beneuolentia complecteretur, eam de abdicatione Imperij ante diſceſſum literis Gandaui, 27. Auguſti ad Ioannem Oſnabruccenſem, Cameræ Præſidẽ atq́ Aſſeſſores ſcriptis, certiorem reddit, hosq́ ad obſeruationem iuſtitię grauiſsimè cohortatur. Quia autem eæ literæ, inſigne amoris atq́ ſtudij erga iuſtitiam, argũmentum continent, earum tenorem ſubijcere libet: Quandoquidem, inquit, iam longo tempore ſingularibus, euidentibus, atq́ honeſtis rationibus nos impellẽtibus, maximè uerò propter extremam decurſamq́ ætatem, perpetuam indiesq́ creſcentẽ moleſtiſsimam infirmitatem, qua ſummoperè afflicti, attenuati, exhauſti, & omnibus corporis uiribus debilitati ſumus, manifeſta ualetudinis noſtræ ratione id exigente, in filij noſtri dilecti Philippi Regis Hiſpaniarũm & Angliæ, regnum Hiſpanicum, melioris commoditatis ergo, Deo opitulante, nos conferre conſtituerimus, atq́ eius propoſiti executioni inhærẽtes, iam iamq́ ab omnibus rebus inſtructi ſimus. Ne itaq́ in noſtra abſentia aut imbecillitate quid detrimenti (quod Deus auertere dignet) imperio accidat, è re cum primis eſſe duximus, huic alijsq́ periculis pro uirili maturo conſilio occurrere atq́ prouidere quò Sacrum Imperium, eiusq́ grauiſsima negotia & cauſæ, etiam in abſentia noſtra rectè adminiſtrentur, deliberentur, tractentur & expediantur: Ideò ex fraterna atq́ beneuola fiducia, quam de noſtro dilecto fratre Ferdinando Romanorum Rege habemus, ei (utpote qui abſq́ eo, ordinaria Electorum Imperij, electione proximus noſter ſucceſſor in Imperio cõſtitutus eſt, cuiq́ nobis deficientibus adminiſtratio et gubernatio Imperij immediatè, & abſq́ ulla contradictione competit) in noſtra abſentia, liberam, plenam, nullisq́ limitibus atq́ conditionibus circumſcriptam adminiſtrationem & gubernationem Sacri Imperij, in generalibus atq́ ſpecialibus cauſis ac omnibus quæ Romanorum Imperatori atq́ Regi, ratione officij, cõditionis, dignitatis & amplitudinis, de iure, conſuetudine, & æquitate competunt, tradidimus atq́ commiſimus. Id quod ex Germania diſceſſuri, uobis ſignificare & ſimul tanquam noſtris ac Sacri Imperij fidelibus miniſtris, ſalutem noſtram clementer nunciare uolumus. Hoc ipſo benignè atq́ diligenter petentes, ut uos conſyderatis his in futurum, ut hactenus, gloriam Dei, atq́ iuſtitiam, præ oculis habeatis, eamq́ nulli denegatam, æquabiliter adminiſtretis, nec uos quenquã uel quicquam in mũdo ab hoc auerti, excludi atq́ præpediri patiamini, & dicto noſtro dilecto fratri Romanorum Regi in omnibus ac ſingulis, non minus q̃ nobis, ſi præſentes eſſemus, fideles, obedientes, atq́ morigeri ſitis: eum tanq̃ ueſtrum ducem ac caput reuereamini, ad eũ, ut Rom. Regem (cui hiſce uos ſubiectos uolumus) re exigente confugiatis, à ſua dilectione conuenientia auxilia atq́ conſilia petentes. Viciſsim quoq́ ſua dilectio uos benignè cõmendatos habebit, & conuenienter in cauſis iuſtis tuebit, proteget atq́ defendet,

omniaq́

omniaq; suscipiet atq; faciet, quæ publica iustitia, ac uestra necessitas atq; cõditio requirer, prout id à sua dilectione fraternè petiuimus, eiq; summa diligentia iniunximus: In hoc præterq; quod id uos decet, præstatis nobis officiũ pergratũ, nostra clementia remunerandum. Quod si etiam in futurum uobis uniuersis aut singulis clementiam cũ rerum uestrarum promotione declarare poterimus, obedientiq; uestræ Sacro Imperio præstitæ, perquã beneuolè recordabimur, eamq; benigna gratitudine agnoscemus. Quod nam euidentius argumentũ amoris studijq; iustitiæ ostendi, præclarius integritatis testimoniũ Cameralibus tribui, illustrius beneuolentiæ Cæsareæ signũ, his literis à quoq; edi posset? Verùm non solũ hoc tempore, quo Germaniã relinquere constituisset, sed & ante anno 54. quanti iudiciũ Cameræ faceret, literis Bruxellis 10. Febr. scriptis, luculentissimè ostendit: Nam cum Albertus Marchio Brandenburgicus, ob contumaciã à Camera proscriptus, in Franconia arma circumferens, iudicibus non solũ malediceret, sed & grauissimè minaretur, ita, ut iudices necessitate cõpulsi, 17. Ianuarij rem ad Carolũ deferre, eiusq; consilium & opem petere cogerentur. Hic eis respondens, se, eos uniuersos ac singulos, non solũ pro bonis honestis & integris uiris, ac innocentibus purisq; criminum quorum insimularẽtur, habere scribit, sed nec in animũ inducere, ullũ iuris ac honestatis amantem fore, qui de ipsis propter incertã diffamationem, suspicionẽ siniſtram cõcepturus, multo uerò minus inaudita atq; incognita causa, quæ ex animi acerbatione spargantur, ipsis sit ascripturus. Adhæc se non dubitare, cum communium statuũ Imperij conuentus instet, ad quẽ huiusmodi negotia, suo iudicio sint deferenda, eos in omnibus actionibus lucẽ minimè reformidaturos: ideoq; suã Maiestatẽ in eo cõuentu, diuina fauente gratia, summa cõtentione atq; clementia paratam, iustitiã ac æquabilitatẽ promouere, & omnia iniqua grauamina amoliri. Quantum uerò attineat ad expetitã securitatẽ, se minimè existimare, quenq; eò audaciæ prolapsurum, ut ipsis in eo loco, in quo à Cęsarea sua Mai. & cõmunibus Imperij statibus ad iustitiam administrandam sint collocati, turbationem uel uim inferat: Si uerò id metuendũ sit, ipsiq; existiment, pro maiori securitate iudicium ad tempus aliquod in aliũ locum transferendũ, Cæsaream suã Maiest. ipsis clementer cõcedere, ut id pro iudicio atq; arbitrio suo suscipiant & exequantur, ea quoq; literas atq; mandata, quibus ad uicinos atq; remotos status opus habeant, ipsis ea requirentibus, libenter benigneq; cõmunicatura. Si uerò hęc non sufficiant, ac ipsis integrum sit ad tempus, & quò ad Dei auxilio res in pacatiorem statũ reducãtur, cum iudicio in Belgicũ, aut in curiam suã (ut ab antiquo Camera Imperij aulam Imperatorum secuta fuerit) migrare S. Maiest. ipsis eandem securitatem, qua sua persona, suæ Maiest. consiliarij, ministri ac subditi fruant, præstare atq; seruare, eosq; diuini numinis auxilio, ita defendere, tueri, atq; protegere uelle, ut officio iniuncto nõ minus ibi, quàm in loco in quo iam sedeant, cõmodè uacare queant. Vlterius quoq; Cæsaream suam Maiest. ipsos in eo, quod requirente necessitate, uigore huius cõsensus egerint, in futuris comitijs apud Imperij status benignè, fideliter, ac diligentissimè excusaturã, omniq; culpa liberaturam esse. Ex quibus, quanti iudiciũ Cameræ fecerit, quantaq; benignitate id complexus fuerit cuiuis nõ cæco luculenter apparet. Porrò postq; Cameræ, mense Augusto, ut diximus, salutẽ nunciasset, huic magno sui, utpote eius excellẽtissimi tutoris atq; patroni desyderio relicto, sequenti Septembre in arcẽ Zelandiæ Sudburgũ à se eximis fundamẽtis constructã concedit, inde in Hispanias soluturus: Ibi uerò dum subsistit, ac non minus imperio q; hæreditarijs terris, de successore prospectum cuperet, inde ad ordines Imperij scribit, ijsq; Imperij negotia fratri tractanda, commissa esse significat, eos ad obedientiam huic præstandam, exhortans: quarum literarum tenor hic ferè erat.

CAROLVS QVINTVS diuina clementia Romanorum Imperator Augustus, uniuersis & singulis Electoribus atq; Principibus, tam Ecclesiasticis quàm Secularibus Prelatis, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Nobilibus, Capitaneis, Vicedominis, Præfectis, Vicarijs, Magistratibus, Iudicibus, Burgimagistris, Cõsulibus,

Commu-

Communitatibus, alijsq; Sacri Imperij subditis, & fidelibus dilectis, cuiusq; status dignitatis & conditionis fuerint, lecturis, aut legi præsentes audituris, amicitiam, gratiam, & omne bonum: Reuerendissimi, Venerabiles, Illustres amici & cognati charissimi, similiter generosi, nobiles, & spectabiles, deuoti & fideles dilecti. Cum multis & grauissimis causis moueamur, & maximè quod ætate, ac cõtinua molestia infirmitatis, debilitatis, omnibusq; uiribus corporis, ad res obeundas necessarijs destituti simus, & iam longo tẽpore constituerimus, Serenissimo Principi Regi Angliæ & Hispaniæ, regna nostra tradere, & consueta nostræ aulæ sede relicta, huc concesserimus ad aues: quibus omnibus necessarijs instructis, cũ uenti secundi afflauerint, uelificemur nullo hoc iter nostrum, nisi solo Deo impedituro. Vnde cum propter talem absentiam administratio Sacri Imperij, ad Serenissimum & potentissimum Principem Ferdinandum Regem Romanorum, Hungariæ atq; Bohemiæ, & fratrem nostrum charissimum, ut legitimè electum Romanorũ Regem, & post nos, in ea, absq; ulla contradictione, proximum successorem, pertineat eiq; sæpius multis retroactis annis in nostra absentia nomine nostro magna fide præfuerit, sustinendo uerè, fraterna atq; beneuola sollicitudine, grauissimum Imperij administrationis onus. Ideo ne Reipub. Christiana, maximè Sacrum Imperium nobis procul absentibus, aliquod detrimentũ (id quod Deus auertat) patiatur, & quo prædictus noster frater Rex Romanorum, negocia Imperij, maiore autoritate tractare possit. Volumus & constituimus, ut tanquam Rex Romanorum per se absolutè, citra nostram tractationem, habeat potestatem faciendi, tractandi, et mandandi quæcunq;, ad dignitatem, commodum, & augmentum Sacri imperij necessaria & oportuna uidebuntur in modum, quo, nos ut Imperator & Rex Romanorũ faceremus: Et sanè, nihil magis in uotis habuimus & expetiuimus, quàm ante constitutam profectionẽ, in ciuitate nostra Imperiali Ratisbona cõparere, & uobiscum negotia publica deliberata, ad exoptatũ finem deducere, Sacriq; Imperij regimen præfato Regi Romanorum fratri nostro dilecto, in publico cõuentu committere, cum dispositione, ut ipse ei nomine nostro præesset, & commotione, ad præstandã illi debitam obedientiã, sed inualetudo nostra, nota cuilibet, passa non est, ut itineri tã longo & maximè terrestri nos cõmitteremus: præterq;, quod minimè consultũ est uisum, negligere occasionem, quæ hoc tempore nauigationi quã maximè commoda esse solet. Quare cum ad indicta comitia personaliter non uenerimus, nec, quod in uotis nostris erat, alias susceptas rationes ad constitutum & exoptatum finem, perduxerimus: ad minus uoluimus dilectioni & deuotioni uestræ, uobisq; hoc edicto, institutum animi nostri patefacere, & expressè uobis uniuersis & singulis mandare atq; iniungere, de potestate Imperiali, tenore præsentium, sub grauissima indignatione & pœna, ut, quemadmodũ dictum est, fidelitatẽ & obedientiam Regi Romanorũ præstetis, & eum uice ac nomine nostro, in omnib. edictis, mandatis & actionibus reuereamini, nec ei in re ulla repugnetis, sed eum omni cultu prosequamini, non secus, ac nos in Imperio existẽtes, obseruaturi essetis, nec aliter faciatis, aut uobis persuaderi sinatis, in quãtum quisq; uestrum, grauissimam nostram indignationem effugere uoluerit: Hæc est expressa & ultima uoluntas nostra. Datæ sub Impressione sigilli nostri, Sudburgi in Zelandia 7. die Septembris, Anno à natiuitate Christi 1556. Imperij nostri 36.

Et hæc quidem tum publicè & ordines & status Imperij scribebantur, ut hi, Imperij administrationẽ, Ferdinando Regi Romanorum traditã, & negotiorũ tractationem, ei cõmissam esse, cognitũ haberent. Cũ uerò Carolus nõ ignoraret, se post Deũ Opt. Max. ab Electoribus, ad Imperialis Mai. culmen euectũ, nec citra eorum cõsensum & approbationẽ, circa Imperij uel abdicationẽ uel cessionẽ, quid statuere se posse, eorũq; autoritati plurimũ tribueret, hos, honorifica legatione adornata cui Guilhelmus Auraicus Princeps, Georg. Sigismũdus Vicecancellarius Augustalis, & Vuolffgangus Hallerus à Secretis Imp. præerant, de uoluntate sua certiores reddendos censuit. At illa, nõ nisi secuto biennio, mandata expedijt, siue quod

interim

interim tribus Electoribus morientibus, noui succesſerint, ſiue q̃d poſt profectionẽ Caroli è Belgico, inducijs inter hũc & Regẽ Galliæ ruptis, tale bellum exortum ſit, ut omniũ animis, de exitu eius ſuſpenſis, tempus, à comitiorũ celebratione alienũ eſſet. Nam hoc anno die 26. Febr. Friderico Palatino Electore moriente, qui nullos ex Dorothea, Chriſtierni Regis Daniæ & Suetiæ filia, liberos ſuſtuliſſet, Hẽricus Ottho, fratris Ruperti filius, in demortui Friderici locũ ſuffectus, animum religioni reformandę adiecit. Auſtriacis præteritorũ memor, nõ ſatis æquus. Et paulò pòſt Friderico Treuir. Epiſc. ex Comitib. Eiſenbergicis uita decedens, Ioan. à Layen ſucceſſorẽ habuit. Similiter die 20. Sept. Adolphus Archiep. Colonienſis, ex Comitib. Schauuenburgicis, fato concedens, Archiepiſcopatũ per legitimã electionem ad fratrẽ Antonium tranſmiſit, ita ut uno hoc anno tres Electores Rheni facti, ſuis rebus cõſtituendis occupati, alijs uacare nequiuerint. Et quantis bellis factarũ quinquennalium inducIarũ uiolatio, ad Pont. Pauli IIII. (propter Palianũ captũ, Philippo bellũ mouentis) inſtinctũ inter Gallos & Philippum, uix Carolo in Hiſpanias appulſo, occaſionẽ dederit, notius atq; plexius eſt, q̃ ut hic cõmemorari neceſſe ſit, ita: ut quã Electoribus renunciationem Imperij Carolus ſignificare cõſtituerat, in tempus pacatius atq; tranquillius dilatã eſſe, mirũ nulli uideri debeat. Carolus ergo regnis hęreditarijs Philippo filio traditis, ac Imperij inſignis (ut diximus) Ferdinãdo fratri, uelut multo ante legitimè deſignato ſucceſſori, cõceſsit anno 1556. die 17. Sept. ante occaſum Solis, nõ expectato legatorũ reſponſo, ante occaſum Solis, nauim Sudburgi ingreditur. Venit cò Philippus Rex cũ Emanuele Philiberto Sabaudiæ Duce, officij cauſa, quib. ab eo, ſalutari precatione conſalutatis, atq; de Reip. negotijs cõmonefactis, 17. Sept. Sole in Libra, Luna in Piſcibus uerſante, mane hora 7. primus cum naui ſua prætoria è ſtatione ſoluit, reliquis, quæ eũ officij & præſidij cauſa comitarentur, ad tres bombardarũ ictus, per tria horarũ interualla editos, ſubſequentibus, quarũ quindecim Cantabricæ erant uiginti Belgicæ militares in ſua prætoria, Eleonorã Franciæ, & Mariã Hungariæ Reginas, Cæſaris ſorores uehentes. Reliquæ uerò ex Holcadibus, Batauicis cõſtabant. In itinere ad fauces freti Britannici, initiò ſeptẽ armatis Britannicis, deinde ad Porſeumã alijs ſeptẽ, & rurſus ad Vectẽ inſulam alijs ſeptẽ, ad eas ſeſe adiungentibus. Cæſar ergo Euro prõpitio prouectus, ue ſperi ad horã 7. ante portũ Neoportnẽſem ſeſe oſtendit, deinde reſumpta ueliſicatione fretũ Britannicum (q̃d ſeptem miliarib. cõmunibus patet) trajcies, in Hiſpanias ſine ulla nauſea aut cunctatione peruenit ad Laredũ portum appellens. Iſthuc ueniente præſtò affuerũt lectiſsimi quiq; Hiſpanię Principes, inter q̃s primũ tenebat locũ Conneſtabilis (ſic uocãt) magnus Carolus, ubi primũ è naui deſcendens terram pede tetigit, proſtratus ipſam oſculatus eſt, & ſalue, inquit, mihi optatiſsima mater, nudus ex utero matris meæ exiui, nudus ad te, tanq; ad alteram matrem redeo, tibiq;, quod unũ poſſum, pro tàm multis in me meritis corpuſculũ hoc & oſſa dedo & dedico, nox ad Chriſti imaginem, quã ſemper ſecũ geſtabat, eo enim ſigno aduerſus hoſtes utens ſemper pugnarat, oculos attolliẽs gratias ipſi egit, flens, quod ſibi in prouinciã per eius bonitatẽ reuerti ſub ultimũ uitæ tempus licuiſſet, quæ omniũ ſibi eſſet chariſsima & per quã ad maxima Imperia et honoris gradus peruenisſet, cuiq; oẽs ſuos triũphos ac uictorias ſecundũ Deũ acceptas, referret. Hiſpaniã ergo cũ attigiſſet, p̃ more regni nihil antiquius habuit, q̃ regni adminiſtrationẽ à ſe abdicare: Is uerò hic eſt, ut in ſpectãte populo poteſtas regnãdi det ei q̃ hæres in locũ demortui Regis ſucceſſerit, ut publico ac legitimo iure Rex factus uideat optimoq; auſpicio, q̃ ad populi ſalutẽ ptinẽt gerere incipiat. In ſingulis aũt urbib. ubi publicũ eſt conſiliũ aliquod, feciales duo gẽtilitijs Regũ ſignis & ornamẽtis inſigniti, in ſuggeſtu ſtantes inter ſe aduerſi de more alter dat, alter accipit ſceptrũ, en

ſem

ſem & galeam,ita igitur tunc fatus eſt prior ille. Quod fauſtum fortunatumq; ſit Hiſpaniæ uniuerſæ,atq; alijs prouincijs Imp. Carolus v. Hiſpan. Rex legiti mo iure factus,ſponte,lubentiq; animo omni ſe poteſtate abdicat,Regēq; eſſe iubet,ac hæredem ſuum inſtituit Philippum filium,ita ut in illū omnia iura regnandi poſsidendiq;,atq; in alias transferendi translata ſint,more,legeq; uetu ti,& eo iure translata,ut quæ optimo iure trāsferri ſolent priuata omnia & publica,quib.dictis ſceptrū alteri tradidit ſtatimq; diſceſsit.Is cum ſceptro & enſe ſolus ſtans eodem loco populum allocutus eſt ſpoponditq; nomine Regis ſe omnia facturum,quæ ad incolumitatem populorū ſpectarent: Vidiſſes tunc in uultu uarios eorū,qui aſtabāt,animi motus; ac clamabāt nouo Regi,diu nobis Deus noſtrū ſeruet Regē Philippum,Regem fortem,bonū Regem. Viue diu Philippe Rex.Deus te ſeruet Philippe Philippe Rex noſter,ſeruator Hiſpaniē, tutor Siciliæ,liberator Indiæ & Africæ,Britāniæ Rex & Sardiniæ: in Italia Apuliæ,Cāpaniæ,Calabriæ Rex.Mediolan.dux inclyte,inuicte, felix,aue,ſalue. Inter has acclamationes exaudiebant gemitus ac ſuſpiria quamplurimorū, qui ſe priuari Carolo Rege,cū præſertim adhuc uiueret,dolebant,admirabant alij potuiſſe illū in animū inducere,ut quæ alij magna ui retinerēt,ipſe ſponte deponeret,quæq; alij plurimi facerēt,ipſe negligeret,nunq; hoc eſſe auditū in Hiſpania,ut Reges nō niſi cū ſceptro & diademate obirent extremū uitæ diem,lætabant rurſus ijdem Philippū,quem patris q; ſimillimum fore non modò ſperabant,ſed multò antè clariſsimis indicijs præuiderant,tot prouinciarū,quarum ius & poſſeſsio ad Hiſpaniæ reges pertinet,adminiſtrationē ſuſcipere.Hac ergo abdicatione procurata,ac ſalutatis Hiſpaniæ principibus,qui ad ipſum offi cij cauſa uenerāt:lectica in eam urbē uectus eſt,ubi nepos puer Carolus cōmorabatur,metropolis illa eſt totius Hiſpaniæ:domiciliū Regū in ualle Oletana, unde & nomen habet,biduo cum puero collocutus,poſtq; illum ad uirtutē & gloriā,ad quam ſponte ſatis,tùm ipſius exemplo aui & patris,quos uidit, tùm omniū ſuorum maiorū,quorum res geſtas audierat antè,exēplo erat incitatus, leniſsima,grauiq; hortatione impulit:inflāmari ille uiſus eſt mirū in modū deſiderio laudis,cū auum tàm ſeuere,tàm grauiter loquentē audiret; & quaſi Herculē alterū poſt ex hauſtos labores uirtutis uiā monſtrantem,quā ipſe antè triuiſſet,intueret,digreſſus ab eo ſtatim in eā,quā ſibi delegerat multò antè ad cōmentandam mortē & requietem,contendit uallē,quę eſt in Luſitaniæ finibus, ubi ſumma cœli tēperantia & amœnitas colliū,fluminis et fontiū. Illic olim Sertorius Romanorū dux fortiſsimus,cum in Hiſpania res gereret,poſt multas uictorias,etſi parū iuſtum ſuſceperat bellū,occubuit. Hodie uerò ibidē eſt cœnobium,in quo lectiſsimi homines Hieronymitani ſodalitij,religioni dediti,caſtè pieq; uitā in tranquillitate degunt:diſtat id à ciuitate Placentina Caſtulonenſi in regione,octauo nō amplius lapide,proximè Scarandilam municipiū,rupib. altiſsimis ſeptū. Id ergo Carolus ingreſſus,Deo & rebus diuinis,q̄d toties concupierat,ſe tradidit,nullū ſacrificium,nullū nobilem,nullos ſatellites, nullosq; ambulones,præter duodecim miniſtros & unū equum retinēs,magna morum temperantia,magna cibi uiniq; abſtinentia,ſi unq; aliàs hoc tēpore in illo relucente. Cæterū dum quiete domeſtica in hoc cœnobio uteretur,ecce ad eū literæ perferuntur,quibus pacē publicam intra unius anni ſpatiū, turbatā nunciatur. Nam cū anno ſuperiore iuſſu regis Philippi Albanus rerū Italicarum procurator,in Italiā tranſmiſſus in Togata Gallia ac Taurinis ingenti exercitu cōflato, accepto rerū detrimento incredibili,cū ignominia atq; dedecore Taurinos relinquiſſet,atq; inde bello inter Paulū IIII. & Philippū Regem,ob uſurpatū Palianum et deturbatū de ſtatu M.Antoniū Columnam exorto,tanq; Philippicarū copiarū Dux prima incurſatione Fruſinone, Verulis, Tarracina, Anagnia,ac Tybure,Algido,& multis alijs oppidis occupatis,ac Oſtia Tyberina deditione obten-

ne obtenta, Romã tentasset, ac missione militib. data Neapolim turpiter reuolasset. Gallus anno 1557. ut Neapolim inuaderet, Mediolanũq; tentaret, fœdere cum Pontifice, domus Austriacę hoste infensissimo, & regulo Ferrariensi constituto in Italia suo Procuratore percusso, bellum redintegrauit, in quo Philippum Regem terra mariq; inimicũ in se concitat. Nam in Italiã ad suppetias Pontifici ferendas, & loca eius ditioni adempta recuperanda, Guisianus cum duabus legionib. ex Celtis missus, cũ per Insubres iter faceret, Valentiũ in Ticini ripa, ac Mediolanensi ditione sitũ, hostili more expugnat, præsidiumq; ei imponit, ac circa eadẽ ferè tempora, quibus Guisius Italiã infestat, Galli itidem in Artheſiã excurrunt, eãq; depopulant. Cum enim circa Epiphania, alienissimo hyemis tẽpore Catuacorũ urbem, quã hodie Duacũ uocãt, frustra tẽtassent, ab inani spe in furorẽ uersi, Lensam mediũ inter Insulã & Atrebatum ciuitatẽ, municipiũ, ui captum, diripuerũt, incenderũtq;, inde innumerabili præda abacta, in Picardiã se conuertentes. Ita quinquennales illæ egregię inducię, non toto uertente anno elapso, ruptæ & uiolatæ sunt. Subinde disputatum est acerrimẽ, uter regum ruptarũ inducіarum uiolator dici deberet. Contendebat pro suæ quisq; gẽtis gloria, & prout erga alterũ erat animatus, ita alterius factũ uel laudabat uel reprehendebat. Sed tamen quia Gallus exercitũ in Italiã transmiserat: Valentinus Insubrũ socijs, Philippiq; confœderatis uim intulerat: Duacũ tentauerat, Lensam expugnatã direptamq; cõbusserat: Artesiã flamma ferroq; infestarat: denicq; prius cũ telo fuerat, q; à Philippo aut instrumẽta belli parata fuissent, aut conturbatarũ inducіarum signum apparuisset, collatis inter se litigatorũ causis, æqui ac neutri parti addicti arbitri, secundũ Hispanũ cõtra prouocatorẽ Gallum sententiã tulerunt: cõposita, constitutaq; semel Rep. quicq; per uim agi, nulla prægrediente iniuria minimẽ ciuile aut ex formula æqui boniq; esse, iudicãtes. Verum huius rei decisio penes alios esto: Nuncius sanẽ turbatæ pacis Caroli animũ non parum initio cõmouit, sed mox is animo confirmatus, Deo Reip. curã iampridem se cõmisisse, dixit. Orare itaq; se, ut Deus uictorias ita dispertiat regibus Christianis, ut res ad trãquillitatem & otiũ publicum reuerti queat. Nec uel uiolationem inducіarũ Gallis (ut nulli ferè alij) feliciter cessisse, uel Caroli preces irritas fuisse, belli successus, ac exitus rei ostẽdit. Nam etsi Guisianus Italia peragrata Samnitibus insultarit, eo consilio, ut Neapolim aliquãdo inuaderet, eamq; cum omnibus terris Philippicarum partium sibi desponderet, Campulo militari irruptione occupato: tamen Philippo nõ solũ cum Anglis, contra ueterrimum et cõmunem hostem, concitatis, sed & cũ Belgarum iusto exercitu, copijsq; auxiliaribus Germanorum non exiguis, in citeriorem Picardiã, Duce Allobroge, Philiberto Emanuele irruente, tota Gallia, uiolatarum inducіarũ grauissimas pœnas luit, Gallorũ copijs Augustę Veromanduorũ opitulaturis in die Laurẽtij à Philippicis insigni clade cæsis, mox ea 26. Augusti die expugnata atq; direpta. Admiralio cum multis nobilibus in ea capto, & arcibus quamplurimis occupatis. Et Guisius ad patriã defendendã nulla re memorabili gesta, rediit: nisi quod in reditu hostem Nicolaum Pol uuilerum ex Belgico, cum Germanico exercitu ab alia parte in Gallias irrumpentem, & Burgo Bressiano, ac Lugdunensi agro insidias iamdiu molientem, ex itinere repulit, totamq; illam prouinciam saluam opportuno quidem tempore conseruauit. Nec uerò Carolus eius uictoriæ atq; successus diu ignarus mansit, sed Septembri posteà mense filius Philippus ei omnia significans exponit, quomodo Emanuele Philiberto Allobroge Duce, decimo die Augusti cum Galliæ Regis Henrici copijs in Veromanduis cõflixisset, & in eo prælio omnes Gallorum copias fuisse profligatas, tormẽta Gallica capta, equitatũ totũ dissectũ, omnia impedimẽta rapta, 30. signa Germanica, totidem ferè Gallica, in castra relata: omnes equitatus, peditatusq; Duces captos, ipsum Annam

Ducem

Ducem Montmorantij, magnum uniuerſæ Galliæ Dictatorem, quem Connẽ ſtabilem uocant, totius exercitus Gallici caput, captum: cum illo multos alios illuſtres uiros, ueluti Ducem Monpenſerium, & Ducem Longeuillanum, Comitem Ringrauium, Mareſcallum Diui Andreæ, Principem Mantuanum, Mombronium Conneſtabilis filium, multoſq; Torquatos Gallici ſupremi ordinis Equites, multos Tribunos, multos Centuriones, cũ omnibus machinis & impedimentis. Anguianum Comitem, Ducis Vendomij fratrẽ, cum multis alijs in acie cæſum, triginta hominum millia hoc prælio à ſe debellata fuiſſe. Poſt eam cladem, Fanum diui Quintini Veromanduorum Auguſtam appellatam triplici irruptione facta ui ſe expugnauiſſe. Hinc ad Hanium, & ad Caſtelletũ Menilium duxiſſe. Ea omnia in ſuam poteſtatẽ redacta, magnis operibus munire, agrumq; omnem Gallicũ limitrophum eruptionibus conceſsis euaſtare. Nouiodunum, Royam, Chaunium, aliaq; oppida ignobiliora poſteà ſe ſubegiſſe. Cæſar etſi ſpe pacis ſe erigebat: diſsimulata tamẽ humanæ cladis lætitia Deo gratias egit, & ad Philippum filium ternas, ad Emanuelem Philibertum Allobrogũ Ducem, Belgicæ per id tempus Gubernatorẽ: unicas literas dedit, quibus uictorias uictorijs accumulatas gratulabatur. Interea tamẽ nihil hic uictoriarũ ſucceſsibus elatus, ueteribus ſuis conſilijs inſtitit, ac quod ante diſceſſum è Belgico legatis in Germaniam deputatis, mandarat, ut id exequantur, iubet. Antequam uerò iſta legatio ſuſciperetur, anni ſubſequentis initio Henricus II. Gallorũ Rex, licet ante duriter afflictus clade Sanquintiniana tẽ eam peragit, quæ ut hoc loco referatur, cum primis digna uidetur. Nam ſuos ex Italia reuocatos cum alijs recens conſcriptis, præter omnium opinionem, iniquo anni tempore, contra Philippum Caletumq; urbẽ, duce quidẽ Guiſio, ſuaſore uerò & impulſore Petro Strozza, mittit. Hic enim à Gallo quodam, qui inde euaſerat, inſtructus x. Nouemb. obſoleta ueſte indutus, extrinſecus ſitum eius urbis perluſtrauerat, & circumſtantium propugnaculorum formam ac firmitatem curioſis oculis ad topographi ſolicitudinem perſpexerat. Rex igitur hanc Strozzæ opinionem uerò non abſimilem reperiens, propoſitæ oppugnationis fortunam periclitari conſtituit. Guiſiano ſumma rei attribuitur: cui præter Strozzam, legatos adiungit Momorancium & Dandolotum. Hos alieniſsimo tempore per Morinorum agros, media ferè hyeme in Caletes mittit. Hi ciuitatem etiamnum eo loco habent, quo antiquitus Iccium portum promontoriũq; fuiſſe. Coſmographorum tabulis & à Iulio Cæſare eſt notatũ: in extremis Belgarum Morinorumq; finibus ad Britannici Oceani anguſtias poſitam. Hinc commodiſsima è Pleumoſijs in oppoſitam, abiectamq; Britanniam eſt tranſmiſsio: Dobram enim Britanniæ municipiũ ex diametro ſpectat. Galli igitur Cal. Ianuar. anno 1558. uſq; ad pontem arcis quæ Nouambriga appellatur, acceſſerunt. Caſtellum illud eſt mille ab urbe paſsibus, unde per emiſſarium & ſecretiores meatus uelut aqueductus, exundãte mari, in ſubiectam planiciem, inſtar lacus cuiuſdam aqua in foſſas campoſq; urbis undiquaq; circumfunditur. Hic igitur maturè habito conſilio deliberant uno eodemq; tempore ſimul hanc arcem & pharum ſeu ſpeculam, quam Risbanum uocãt, in faucibus portus ad coërcendum introitum poſitam, tormentorum ui concutere. Sed Angli repentino hoſtis cõſpectu deterriti, maximè quod nauium bellicarum claſſem ex Armoricis ciuitatibus comparatam, pleniſsimis uelis in ſtationem ferri cernerent, utrumq; locum reliquerũt. His itaq; repagulis effractis ianua aditusq; Gallis ad urbem patebat, cui tum præerat Veudofordus, ſed cum fruſtra tormentis urbs, ob murorum uaſtitatem exagitaretur, oppugnationem Galli ad arcis quæ ſecundum mare ſita eſt, demolitionem cõuerterunt. Itaq; mane, Epiphaniorum die tanta pertinacia admotis 33. omnium capaciſsimis tormentis pilas coniecerunt, ut fragor ille terribilis Andouerpiæ, quæ 33. miliaribus Germaniæ

maniæ inferioris inde abeſt, exauditus fuerit. Poſteaquam igitur per totum eũ diem continuata oppugnatione luculentam ruinam edidiſſe ſe Gallorum Duces conſpexerant, qui poſt receſſum maritimi æſtus, ad patefactam arcem accedere, & cedente ſtagno irruptionem tentare, illa ipſa ueſpera cogitarunt. Erat autem noctis hora tum ferè quarta, cœlumq; ualdè ſuũ & Luna perluſtris. Inſtruit igitur ordines Guiſianus, & Tribunis itipatus muris ſuccedit. Vbi etſi initio Gallis uexilla & lilia in ſublimi figentibus, aliquot Angli obſiſterent: cõtinuò tamen defenſionem reliquerunt. Guiſianus igitur arci præſidium imponit, Vrbis oppugnationem matutino tẽpori reſeruat: maximè quod iam Oceani æſtus identidem reciprocarentur: quorum acceſſus & receſſus Lunæ motũ gubernari, idq; die quolibet naturali bis accidere, omniũ qui de rerum natura ſcripſerunt opinione conſtat. Britanni uerò quia ſciebant, quam diu ſtaghum conſtitiſſet, uelut immedio clauſos Gallos nequaquam poſſe ſociorũ ope ſubleuare, eos qui in arce erant, cõtinuò magno clamore & ferocia ex ponte inuadunt. Sed cum à Gallis acriter reiicerentur, & illorum omnis conatus irritus exiſteret: ſummo manè miſsis ad caſtra legatis, pacem conditionibus certis confecerunt, primò omnibus uitæ luciſq; uſura daretur, & quocunq; uideretur, fide publica cõmi grandi poteſtas eſſet. Quinquaginta obſides victori darẽtur, milites in Britanniam tranſcerent, ſigna tamen militaria, inſtrumenta belli, munitionem, annonam relinquerent: integra omnia, ſalua, intactaq; ſinerent, ab ædificiorum demolitione, direptioneq; abſtinerent, ne clauiculum quidem refigerent, nec lapillum loco mouerent, aut ſolũ pauimentaq; ſuffoderent (quod à Gallis limitatum erat, propter Britannorum peruerſitatem, qui antea reſtituta ex conuentione Gallis Bononia Belgica, in cõtemptum hoſtis omnia uaſtauerant) denicq; aurum, argentum, æs ſignatum, fictile, rude, rauduſculum, merces, ſuppellex, equi, iumenta, & quæcunq; rerum mobilium nomine intelligerentur ad arbitrium uoluntatemq; Guiſiani reuocaretur. Atq; in hũc modum turpiſsima illa præſidiorum ſocordia, Britannis decus regni detraxit, quod ducentes & undecim annos, ab anno Chriſti 1347. Philippo Gallo ademptam, in ſua poſſeſsione retinuerant. Vnde non ſolum uicinis Morinis, ſed & Galliæ ipſi frenos & compedes inijciebant, ita ut Regum Britannicorum quidam ianuam eam Franciæ appellarent: quidam etiam quandiu Iccium machinationes, cum diuinaſſet Philippus Hiſpanus, easq; uxori Anglicanæ per literas denunciaſſet, opemq; ultrò & præſidium obtuliſſet, iſtiuſmodi eius præſagio non modò non patuerunt aures, ſed etiam falſa opinione cauillatum eſt: Philippũ tali ſtratagemate Hiſpanico, illum ipſum dominatum aucupari. Quam tamen ſuſpicionem liberalitas regia diluit, cum laborantibus Guinenſibus qui tribus miliaribus ab Iccio portu abſunt, deeſſe nollet, quibus auxilium Hiſpanorum obſeſſa Caletum Vrbe ſubmiſerat. Caletum igitur rebus compoſitis, Guiſianus Guinum contendit, quod etſi acriter defenderetur, neceſsitate tamen cõpulſi qui in præſidio agebant, ad conditiones deſcenderunt. Atque ita Galli, Britannos tota continente ſemel excluſerunt, & Pleumoſios uicinos inimicoſq; populos in anguſtum redegerunt. Verum ad inſtitutam narrationem un de digreſsi ſumus, reuertamur. Cum igitur anno 1558. menſe Februario ex conſtituto cum Ferdinando Rege Electores Francofurti conueniſſent, legationis princeps antea nominati, nimirum Guilhelmus Auraicus, Georgius Sigiſmundus Seldus, & Vuolffgangus Hallerus Secretarius, XXIIII. die Francofurtum, cum mandatis Caroli V. Imperij dignitatem eiuraturi ac in fratrem ſuum Ferdinandum Romanorum Regem ius ſuum & authoritatẽ tranſlaturi, appellunt: Is dies antea & Carolo, & Ferdinando fauſtiſsimus fuerat. Nam horum ille, eo Gandaui natus, & capto rege Gallorum Franciſco ad Ti-

cinum inſigni Victoria potitus, denique à Pontifice Clemente Bononiæ coronatus erat, hic uerò, quoque eodem Diadema regium capiti impoſuerat, Aquiſgrani. Porrò capita eorum quæ legati in mandatis habebant hæc erant, ut quidem typis excuſa, & diuulgata poſtea fuêre: ut poſt ſolitam denunciationem ſalutis ac amicitiæ, congregatis Electoribus indicarent. Poſtquam diuina prudentia, & interueniente legitima ac ordinaria electione Septemuirûm retroactis annis, ad dignitatem culminis Imperialis uocatus eſſet (Deo & conſcientia ſua id atteſtaturis) in ullam rem maiori cura animiq; contentione ſe incubuiſſe, quâm ut Dei gloriam, communis Chriſtianitatis, & Germanicæ nationis commoda ac utilitatem promoueret, ac quot uitæ reliquum ſit, & à Deo ſibi concedatur, ad ſtatutum & ſubditorum bonum libenter ſe collaturum. Cùm autem ætate uirili exacta, ſenectæ appropinquet, & uires ſuæ per aliquod tẽpus, uarijs moleſtiſsimisque morbis attenuatæ, ad res obeundas ſint imbecilliores: Ad hæc etiam hiſce periculoſiſsimis temporibus, & pernicioſiſsimis diſſenſionibus, animorumq; diſtractionibus, extrema Chriſtianitatis, maximè uerò Germaniæ pericula perpendat, ne itaq; propter ſuam inualetudinem & imbecillitatem, imperij cura prætermittatur, & Reſpub. detrimenti quid capiat, ex quo ſibi cum famæ ſuæ inſectationes, tum conſcientiæ, anxietates exorituræ eſſent, cumq; non longo ab hinc tempore, omnem adminiſtrationem ciuilem, regnorum ducatum, atque terrarum, filio ſuo chariſsimo Philippo Regi Hiſpaniarum & Angliæ, tanquam uerò & unico hæredi, ceſſerit atq; tradiderit: Ideò ſe nõ immerito quãtum ad adminiſtrationem Imperij attinet, conſideraſſe, quod Illuſtriſsimus ac potentiſsimus princeps Ferdinandus, Romanorum Hungariæ ac Bohemiæ Rex, uigore legitimæ & ordinariæ Septemuirûm electionis, proximus ſuus ſucceſſor ſit, & eſſe debeat, & ad eum adminiſtratio ſacri Ro. Imperij immediatè pertineat, quodq; eius utiliſsimã operã opemq; in adminiſtratione Imperij ſenſerit, & perſpexerit, ipſum ab Optimo Maximo Deo, ea prudentia regijsq; uirtutibus ornatum, ut ex futuro ipſius regimine, nihil niſi conſeruatio ſtabilis firmæq; pacis, & omnia bona indubitatè ſperanda ſint. Ad hæc quod hactenus in mutua fraterna charitate ita uixerint, ut nullam aliam fiduciam erga ſuam dilectionem habeat, quã quæ bonum ac fidum fratrẽ ratione naturæ, ſanguinis ac æquitatis decet. Poſtremò cum ea omnia non ſolum ſolatium animo ſuo attulerint, ſed & propoſiti ſui rationes expeditiores faciliores q; reddiderint: Ideò, hiſce omnibus attentis ſe conſtituiſſe, auxiliante diuina gratia, in Hiſpanias proficiſci, & ne res Imperij poſtmittantur, ſed rectè curentur, adminiſtrentur, & expediantur, è re atque neceſsitate eius eſſe cẽſuiſſe, Cæſaream Dignitatem cum eius adminiſtratione, titulo, nomine, amplitudine, ſceptro, corona, iuriſdictione, & iuribus quæ habuerit, & adhuc habeat, fratri ſuo chariſsimo Romanorum Regi liberè atq; ex certa ſcientia penitùs, plenariè, & perpetuò, & irreuocabiliter cedere ac reſignare: ita, quod ipſe omnibus hiſce ſuſceptis præeſſe, ea haberi ac moderari debeat, eo modo & inſtar, ac ſi Cæſare mortuo, Rex ſolus in ujuis eſſet. Cùm uerò hoc negotium electorum munus, atq; dignitatem præcipuè concernat, ſe citra ipſorum ſcientiam nihil in hoc uoluiſſe agere, uel propoſitum ſuæ uoluntatis, ac ſtatutum animi in actum perducere prius, quàm ipſi de hoc certiores redditi eſſent. Petere ſe igitur clementer atq; amicè, ut quod grauiſsimis de cauſis ſecum conſtituiſſet, nõ ſolum ipſi firmum ratumq; habere, ſed huic actioni, reſignationi, ceſsioni ac traditioni, prædicto Romanorum Regi fratri ſuo chariſsimo, per legatos, ac conſiliarios nomine ſuo ad hoc ſpecialiter cum Cæſareo ac ſufficienti mandato ablegatos, faciendæ, pro maiori ſolennitate, autoritate, & pompa, & conſeruatione propriæ dignitatis

ac iuris

ac lutis (quod minimè infringere per hoc intendat) coràm præsentes adesse uelint, in hoc dilectiones ipsorũ præterquam quod Imperij necessitas id exigat, facere sibi rem cum primis gratam, tum erga ipsas omni amicitia, gratia, ac bono remunerandam. Hoc factum Caroli v. quo sponte Imperio se abdicauit ut ante attigimus, pulcherrimum & memoratu dignissimum exemplum est, summæ modestiæ & humanitatis, quod cum optimo iure in summi Imperij dignitate & splendore, usq; ad ultimum uitæ suæ extremum spiritum uiuere potuisset: Imperium tamẽ relinquere, & inuidia deflagrare, quàm alijs, in quorum offensionẽ & odium incurrerat, molestus esse uoluerit. Suppeditat etiam exemplum studij concordiæ fraternæ retinendæ, cum fratrem filio in Imperij successione prætulit. Nam etsi Carolus Augustæ Vindelicorum Anno 1548. Philippum filium secum ex Belgico traductum, subornata soror Maria, & sollicitationis causa eadem accersita, in id incuberit, ut Ferdinandus Cæsar abdicatũ suum ius successionis Imperatoriæ patrueli Philippo renunciaret, tamen eo in statu sententiæ suæ permanente & prospiciente, eam approbationẽ & suæ masculæq; sobolis expectationi honoris contrariam esse: non tantum Carolus à proposito destitit, sed & fratris in cõtrarium nitentis, charitati retinendæ, quoad uixit, studuit, id agens, ut quæ dignitas ei Electione Septemuirũm collata esset, salua maneret, quo uix aliud illustrius exemplum hæc ætas uidit. Adhæc admonet etiam omnes reges, & principes, ne dominandi libidine & ambitione accensi, turbatione pacis, uastatione regnorum, conculcatione legum, direptione urbium, eorumq; quæ ad subsidium generis humani spectãt subuersione perpetuò occupentur, quasi ad perniciem, ruinam, & interitum generis humani, ut alastores nati, ac doctrina cœlesti reiecta, falsis dogmatis credant, idolomanias stabiliant, ueram religionem persequantur, eius doctores pellant, cõfessores in exilium actos bonis priuent, sed rebus caducis, fragilibus, ac fluxis neglectis, homines se esse recordentur, Deo rationem reddituros, mundo tandem uiuere desinant, proximi, utilitatibus studeant, Deo & cultui diuino postremo se tradant, uitæ continentiam, morumq; temperantiam, & charitatem proximi amplectentes, ut ex hac miserabili uita, quasiq; lachrymarum ualle migrantes, in cœlesti patria, cum sanctis regibus, patriarchis & Christi fidelibus æterno regno, & dulcissimo Dei & angelorum conspectu fruantur.

Porrò Electores alijq; Principes, qui Francofurtum uenerant, etsi abdicationem Imperij à Carolo factam, admirarẽtur, eumq;, cuius potentia amplissima Imperij maiestas defendi ac sustineri potuisset, inuiti tanquam patrem amitterent: tamen cum eum exoptatæ quietis portum attigisse, & omni mundano splendore depositò, soli diuino cultui deditum esse cognouissent, quod rogati fuerant, faciunt, ac post deliberationem conditionum, quibus Imperij Electores Romanum Regem obstringere consueuerunt, Imperij Maiestatem in Ferdinandũ transferunt, eiusq; Maiestati, ut iam Imperatori, fidem atq; obedientiam ritè præstãt. Erectum autem erat in foro tabernaculũ quoddam ligneum, cui propter eminentiam, gradus erant adiuncti, per quos Imperatori ascendẽdum esset. Die itaq; præstituta, locum illum editum peristromatis tàm aureis quàm sericis instratũ, Imperator insignibus Imperialibus ornatus conscendit, thronoq; Imperiali insidet: tandem ordine Electores agminatim cõcitatis curribus prodeunt, comitati equitum maxima turma, sedemq; Imperatoriam ter circum equitare, adhæc magno cum clangore tàm Cæsariani, quàm Electorũ tubicines alternatim symphoniam edere. Præferebantur etiam singulis sua uexilla, in quibus dominiorum suorum officijq; Electoratus insignia apparebant. Finito clangore tubarum, Electores ex equis desiliunt, ordineq; Cæsarẽ adeunt ubi prouolutis genubus Cæsari sedenti iusiurandum præstiterunt. Postquam autem Ferdinando Cæsari electo, iuramentum præstitum esset, ini-

tiò fratri Carolo electionem suam in Cæsarem significat, eiq; de beneuolentia & affectione fraterna, quam translatione Imperij in se, ostenderit, gratias agit, ac Philippum filium quem sibi tantopere commendauit, ita suæ beneuolentiæ, fidei, atq; tutelæ commissum fore pollicetur, atq; Maximilianus alijs q; filij proprij sint, eius q; gratia non solum se regnorum atq; Imperij, quod iam liberalitate fraterna acceperit, sed & uitæ, periculum aditurum esse. Postea decimo nono Martij Cameræ Spirēsi significat, sed ad resignationem & cessionem fratris Caroli, & Electorū sacri Imperij comprobationem, præcipuè uerò ad gloriam Dei omnipotentis, & commodum totius Christianitatis, denicq; uerò Imperij Romani salutem, Cæsaream gubernationem, dignitatem, amplitudinem, titulum, sceptrum, ac diadema clementer ac integrè suscepisse, ac decimoquarto eiusdem mensis, in sacri Imperij ciuitate Francofurdensi ad Mœnum, conuenienti solennitate, publica proclamatione Imperatorem declaratum esse, cum clementi & diligenti requisitione, ut Camerales in futurum causas iudiciales, nomine suæ Maiestatis secundum Iura sacri Imperij, eius q; Constitutiones diligenter atq; fideliter, tractent, administrent, atq; expediant, prout eos facturos minimè dubitet, cum concessione potestatis, ut ad expeditionem causarum iudicialium, sigillo Caroli Quinti quod habeant, utantur, donec nouum suæ Maiestatis ipsis transmittatur. Tandem conuentu dimisso, Imperator Francofurto Oenipontem, inde Viennam mense Nouembri secundo flumine Danubio, Anno 1559. redit non sine insigni gratulatione prouincialium Austriæ, qui eius Maiestatem noua dignitate auctam pulcherrimo cum apparatu exceperant, expeditis magno numero peditibus magnificè exornatis, qui obuiam Imperatori ad Danubij portum usq; processerant. Non procul aberant ipsi etiam Vienenses, quorum sumptibus hic triumphalis aduētus Imperatoris fiebat: ij Maiestatem eius equo iam insidentem oratione gratulatoria excipiunt, deinde precantur felicem in gubernando successum postea Imperator, comitatus non solum aulæ suæ aliorum q; prouincialium, sed etiam Hungarorum Baronum turba, qui aliquot septimanis ante aduentum ipsius Maiestatis Viennæ oppetiebantur, urbem gratulabundus, quòd suos in officio uideret, ingreditur, Maximiliano, qui interim munere parentis fungebatur, ac Carolo, filijs præequitantibus. Quam primùm autem Viennam reuersus esset, pro sua erga sedem Romanam obseruantia de administratione Imperij susceptā Pontificem certiorem redditurus, ad eum Gutzmannum supremū Camerarium mense Aprili ablegat, cum mandatis ut Sanctitati suæ significet: Postquam Carolus v. propter ingrauescentem ætatem, & inualetudinem, uiriumq; imbecillitatem gubernationis molem deposita, quieti atq; diuino cultui se dedere, constituisset, atque ideo charissimo suo filio Philippo Hispaniarum & Angliæ Regi, administrationem omnium suorum hæreditariorum ducatuum atq; dominiorum plenè ac integrè tradidisset, & ex eadem causa quoque alijs q; grauissimis rationibus, præcipuè uerò ex paterna sollicitudine quam quolibet tempore erga sacrum Imperium eius commoda, incremētum ac prosperitatem gesserit, administrationem quoq; Imperij & Cæsariatus, cum titulo, dignitate, amplitudine, sceptro, corona omnibus q; eius iuribus abdicare, & ea sibi (fratri Ferdinando) tanquam antea electo & coronato Romanorum Regi, inq; casu uocantis Imperij, futuro Cæsari plenè & integrè cedere proposuisset, se quidem molem administrationis subire detrectasse: atque propterea suam Maiestatem primò per commemoratum Gutzmannum, secundo per Ferdinandum, tertio Maximilianum, Bohemiæ Regiam, filios suos amicè ac fraternè requisijsse, ne eo onere grauaretur, & si Maiest. ipsius molem administrationis subterfugeret, saltem titulum, nomen, & amplitudinem Cæsariatus, ad temptus uitæ retineret: Verum Maiest. ipsius nullo modo ad id persuaderi

potuisse,

potuisse, sed firmiter atq; constãter proposito suo inhæsisse. Cum igitur ad animum reuocarit, quod præterita electione ac Coronatione in Regẽ Romanorum in administrationem Imperij, cum id uacare contingeret, consenserit, nec prędicta Cęsarea Maiestas à suo proposito dimoueri uoluerit, se ę re Imperij existimasse, conuentum cum sacri Imperij Electoribus de hoc celebrare ad quem Francofortì indictum, cum præfata Cæsarea Maiestas honorificam legationẽ miserit, quæ nomine ipsius ac uigore plenarij mandati, ex causis supradictis, administrationem sancti Imperij, cum dignitate, corona, sceptro, sibi præsenti Imperatori, tanquam designato electo prius Cæsari cesserit, resignarit, & abdicarit, cum fideli comonitione, ne sua Maiest. molem gubernationis Cæsareæ, atq; administrationis Imperij in posterũ subire detrectaret, ac in eo suæ Maiest. Electorum Imperij cõsilium, amicè atq; clementer expetenti, hi non solum consensum in hoc ei præbuerint, sed & administrationem Imperij amica petitione requisiuerint, se ijs omnibus attentatis, noluisse amplius fraternæ petitioni reluctari, sed rem tandem eò deductam esse, quod suæ Maiest. in nomine Sanctę & Indiuiduæ Trinitatis, ob commemoratam cessionẽ & uacationem Imperij, debita solennitate ac proclamatione, Cæsareæ dignitatis titulus collatus sit. Electores sacri Imperij sua regalia ac feuda, quæ ab Imperio habent, ab ea acceperint, eiq; consuetam fidelitatem præstiterint: his ergo ita actis, suam Maiesta. noluisse prętermittere, de ijs Sanctitatem ipsius certiorem reddere, ac erga ipsam, & sanctam sedem Romanam, modo quo ipsius antecessores, qui, Ecclesiæ Romanæ & omnium aliarum præcipui aduocati, defensores, atq; patroni quolibet tempore fuissent, filialem ac debitam reuerentiam exhibere, cũ hac oblatione, quod sua Cæsarea Maiest. prima quaq; occasione. Veterem ac receptam consuetudinem & Sanctitatem ipsius, & sanctam sedem de Coronatione rogandi non sit prætermissura.

Etsi hæc significatio & amicitię & obseruantiæ plenissima esset, nec quicquã minus expectaretur, quàm uel ulla Pontificis uel sedis Apostolicæ aduersatio; tamen Pontifex qui antea legationis causas obtecisset, ac ab Austriacis non cõsiderata pacificatione, cum Philippo Hispaniarum rege facta, alienior esset, re nondum audita ac cognita, suis Cardinalibus, super resignatione ac translatione Imperij hæc discutienda proponit. An non Dominus Martinus Gutzmãnus qui se missum asserat, à Serenissimo Domino suo Ferdinando ad Sanctitatem Sanctissimi Domini nostri Papę legitimè docere debeat; quid Carolus v. circa Imperium cesserit aut fecerit Romanorum Imperatori Serenissimo fratri suo, & econtra quid frater ipse admiserit & acceptauerit & qualiter? An docto de prædictis, illa omnia facta fuerint ritè & legitimè, sine consensu Sanctissimi Domini nostri & Sanctæ sedis Apostolicæ, uel alia causa non subsistant?

Cardinales hisce dubijs & alijs cognitis, & tempore deliberandi cõcesso, per hæc uerba respondent: Causam Imperij, quæ modo tractetur, & circa quã proposita fuerint dubia resoluenda, existimari ab omnibus tanti ponderis, quod alia huiusmodi multis abhinc annis non uenerit nec uenire possit, sub ludicio alicuius Pontificis, ob nouitatem casus, quoniam alius huiusmodi nunquam acciderit, & cuius exemplum cum resolutione, quæ super eo fiet, seruiturum pro lege in futurum, & hoc cognoscendo qualitatem personarum quæ interueniant, erga quarum aliquas conueniat, uti quibusdam respectibus, & contra alias se ulcisci, & tandem respiciendo tempora tumultuosa, cum ob multas hæreses, tum ob bella inter Principes Christianos, addita trepidatione quæ habere debeat, ob potentiã infidelium uicinorum Imperio ad quod aspirant. Et propterea tollendã omnẽ admirationẽ, si Sanct. ex sententia multorũ peritia & pietate prædictorum uoluerit hactenus maturè procedere ad decretũ conficiendũ.

In primo igitur dubio necesse esse, ut publicis documẽtis demonstretur, quo

modo Imperiũ per reſignationẽ aut perceſsionẽ Caroli v. aut alia ratione uacauerit. Poſtea quomodo Ferdinãdus prętẽdat ſe ſucceſsiſſe, nec decere, quod nunc admittatur Orator, ad præſtandam obedientiam, uel actum aliquẽ publicum tractandum: nomine alicuius qui prętendat ſe nuper electum Imperatorem abſq; eo, quod conſtet, an alius ſolutus remãneat ab Imperio legitimè & priuatus, & quod pariter uideatur, quod ius prætendat, qui poſtea ſucceſſerit, unde oporteret ut ab utroque proferantur actus publici circa hanc materiam.

Circa ſecundum dubium omnia quę ſint acta & geſta in diæta Fancofordiæ circa hanc materiam eſſe nullius ualoris, cũ non interuenerit auctoritas Sedis Apoſtolicæ, cũ uicario Chriſti primitus claues cœleſtis & terreni Imperij datæ, ſint, & impoſitio manuũ, confirmationes, coronationes, ſacræ unctiones quæ ſeruari ſoleant in electos Imperatores indicent ſupremã auctoritatem huius Sanctę ſedis, & obligationes quę dictis Imperatoribus iniungãtur, quas ipſi iureiurando recipiant, & quas ſeſe adſtringant ad cognoſcẽdum ſibi ſuperiorẽ, incęp ijs actibus illæ gratię dona Spiritus Sancti conferantur, quę in Catholicis & pijs Imperatoribus conſpici ſoleant. Quamobrem ſi hoc onus ab Apoſtolica ſede Spiritus Sancti interuentu, iniungatur, & iuriſiurandi uinculo ſuſcipiatur, renunciari ei non poſſe, nec abſq; expreſſa licẽtia ſuperioris, à iureiurando ſolui, ſine auctoritate illius, qui ſolus ſoluendi & ligandi habeat poteſtatem. Quocirca Carolum v. non potuiſſe renunciare aut cedere, uel alia ratione deponere, huiuſcemodi Imperialẽ dignitatem, nec ex parte Ferdinandi prodeſſe aſſerere, quod electio prius facta ſuæ perſonæ in Regem Romanũ confirmata à Clemente VII. cum ſucceſsione Imperij ſufficere poſsit, quoniam Apoſtolica autoritas, in hoc caſu neceſſariò requireret, propterea quod ſucceſsio nullum habeat effectum, niſi uacante Imperio, quod uacare triplici tantum ratione poſsit: uidelicet per obitum, per reſignationẽ aut per priuationem: quarũ duæ poſtremæ rationes, à ſede Apoſtolica immediatè pendeant. Illud tandem addendo acta & geſta in ſupradicta dięta nullius eſſe ponderis & momenti interuentu perſonarum, hæretica prauitate laborantium, cum omnem gratiã & facultatem amiſerint, olim illis conceſſam, dum Electores Catholici exiſterẽt.

Ea quę in tertio Capite Ferdinando opponant maximi eſſe ponderis, opus enim illi eſſe pœnitẽtia & reformatione: Deinde in eum paterna illa clementia procedi poſſe, quæ Sanctiſsimi noſtri peculiaris exiſtat, cum Sancta hęc ſedes uerè pœnitentibus & magna cum fide ad eam confugientibus gremium non claudat. Circa poſtremum caput habita ratione temporum, Catholicæ fidei in Germania tenuitate circumſpecta, diſcrimine tandem pro oculis uerſante ad extremum exterminium ueniendi, quod prudenter ſatis ac piè à Rege Philippo monitum fuerit, propterea huiuſmodi formam ſuccurrere, quæ tantummodo ex arbitrio Sanctiſsimi & Ferdinandi Regis dependeat, abſq; interuentu Caroli v. nullis inſuper Electorum uotis adhibitis.

Poſſe igitur à Rege Ferdinando procuratorem conſtitui ad renunciandum omnibus actis & geſtis in ſupradicta diæta, circa cauſam Imperij, & poſtea Sanctiſsimum addicti Ferdinandi Inſtantiam eandem confirmare poſſe.

Deinde mandatũ Caroli v. produci ut intelligantur rationes & cauſæ, quibus ſe inhabilem profiteatur, ad huiuſmodi onus Imperij ſuſtinendum, & hac declaratione uerè uacaturum Imperium, & in eũ ſtum in quem dicti Caroli v. mandatum defectum aliquem patiatur, uidelicet, quod tantũ exprimat ad reſignandum in manibus Electorum in fauorem Ferdinandi, abſq; eo quod apposuerit generalem clauſulam ad reſignandum in manibus, cuiuſcunq; perſonæ autoritatem habentis, defectus huiuſmodi ſuppleri facilè poſſe.

Stãte huiuſmodi uacatione in facultate Sanctiſsimi remanere perſonæ promotionem, & ſucceſſuri cõfirmationẽ, atq; nulli dubiũ eſſe Electionis uigore,

ac Cle-

ac Clementis VII. confirmationis in Imperium iure, Ferdinandum succedere debere, nisi aliud impedimẽtum aliqua sua culpa postea contractũ, illi obstet.

Quocirca dictum Ferdinandũ nouũ mãdatũ cõficere debere, ad cõfirmationem petendã, in primis se offerẽdo examini, ut ab his, quę illi opponãtur purgare se ualeat, ut absolutionẽ impetret, debitã obedientiã exhibendo, & consuetũ Iuramentũ recipiendo, cũ illud huius Sanctæ sedis, propriũ sit, extensa brachia tenere, ut amanter quemcũq; pœnitẽtia ductũ, uiua fide ad eam confugientem complectatur. Ab hac Cardinalitũ resolutione, ut uocãt, Papa Cæsaris oratorem detinet, eiq; audientiã denegat. Hic itaq; Cæs. Mai. significat, quod Pontifex nec se tanquã oratorem Cæs. audire, nec eius Mai. pro Imperatore agnoscere uelit, sed prætexat, quod Carolus V. Cæsariatũ nulli, præterquã suæ sanctitati resignare accedere potuerit, nec Ferdinando cõuenerit citra cõsensum sanctitatis suę eum acceptare, & quod nullis argumẽtis seu rerũ gestarũ narrationi, quam in præsentia multorũ insignium uirorũ facere instituerit, locus detur, sed in tertiũ usq; mẽsem Cęs. suę Mai. cludatur. Ferdinãdus itaq; hoc cognito, Gutzmãno iniungit, nisi post triduũ à mãdato accepto, à sanctissimo ad expediendam legationẽ admittatur, ipse rebus cõpositis Roma discedat, protestatione hac præuia. Cum ipsemet à Cæs. Mai. cũ mãdatis ad Pontificẽ sit ablegatus, ad exhibendã ipsi, more antecessorũ suorum Romanorũ Imperatorũ, filialem honorem, ac iam longo tẽporis spatio, nõ obsq; diminutione suę Maiest. dignitatis ac amplitudinis ullũ accessum impetrare potuerit ad sua mandata exequenda, sibi iniũctum, ut Roma discedat, Cæsareamq; Maiest. certiorẽ reddat, de his quæ sibi acciderint: Quo facto eam nõ prætermissuram, quin re cũ Electoribus & ordinib. Imperij amplitudini cõuenire uideãtur. Ad hoc itaq; mandatũ, Gutzmanno apud Pontificẽ pro audientia instante, cum significatione nisi ea præberetur, sibi abeundũ esse, tãdem priuata audientia & datur. Cui decimotertio Iulij septem Cardinales prefecti fuere, ad quã ipse tamẽ nõ aliter quam Cæs. Mai. legatus accedere uoluit, prout & admissus est. Porrò mãdatis expositis, Pontifex prolixissimè se excusauit, quare petitioni eius locũ nõ relinqueret, tandem concludens, quando quidẽ hæc causa ualdè ardua esset, & deliberatione peritissimorum hominũ indigeret, nec sat tẽporis sanctitati suæ fuerit ad põderanda capita, quæ Reuerẽdissimi Cardinales ac iurisperiti discussione digna censuissent, nec ipsi legato amplius illic expectare uacet, posse eum, ut iussus fuerit, redire ad dominum, sanctitate sua, re maturius examinata, proprium legatum ad Maiestatem Cæsaream missura. Eo ergo audito, Gutzmannus circumstantibus Cardinalibus indicat, quid de protestatione facienda in mandatis habeat, ad quod Pontifice respondente, id suæ sanctitati probari, ac cum sibi, tum Maiestati Cæsareæ bono cessurum. Gutzmannus salute amicis dicta, Roma discessit. Et quidem in toto hoc negotio deinceps nihil actum est. Cæsare legitimæ electioni acquiescente: ac tanta de sapientia & æquitate noui Imperatoris spe animis hominum oborta, ut æstus illi ingentes, qui Carolo V. Imperante concitati fuerant, ac omnem pene Germaniam obruerant, nec dum satis deferbuerant, tunc primum consederint, & Germania omnibus locis pacata tandem suorum bonorum fructum percipere aliquando potuerit, ac reliqua Christianæ Reipub. mẽbra grauibus, diututnisq; bellis uexata ac distracta, tũc primũ coierint, & à grauissimis laboribus requieuerint. Tandem uerò Paulo IIII. Pont. Rom. extincto, Pius IIII. in eius locum suffectus Imperatoriam dignitatẽ trãslatam à Carolo fratre in Ferdinandũ ratam habuit, eiusq; tãquã legitimi & Catholici Imperatoris legatos perhonorificè susceptit.

FINIS SECVNDI TOMI HISTORIARVM, ET RERUM *sub Carolo V. Imperatore Gestarum.*

